


2. F.



CONCILIORUM
TOMUS NONUS.

SACROSANCTA
CONCILIA
AD REGIAM EDITIONEM
EXACTA

QUÆ NUNC QUARTA PARTE PRODIT AUCTIOR

Studio PHILIP. LABBEI, *&* GABR. COSSARTII,
Soc. JESU *Presbyterorum.*

LIBRARY

TOMUS NONUS
Ab anno DCCCLXXII. *ad annum* M.LXXIII.



LUTETIÆ PARISIORUM,
Impensis SOCIETATIS TYPOGRAPHICÆ Librorum Ecclesiasticorum jussu Regis constitutæ.

M. DC. LXXI.
CUM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.


KING'S INNS
LIBRARY
DUBLIN.

SYLLABUS
EORUM QUÆ TOMO IX. CONCILIORUM CONTINENTUR.

*Quæ aſteriſco * notata ſunt, non erant in prioribus aliis editionibus : quibus vero hæc nota † impreſſa eſt, eorum incertus eſt annus.*

APPENDIX. 1235

Quæ hac Appendice continentur, ad suos annos singula in hoc Syllabo jam relata sunt.



VITA



VITA ET EPISTOLÆ IOANNIS PAPÆ VIII.

ANNO CHRISTI 872.

Ex libro quem ſub nomine Levitæ edidit Serarius.

IOANNES [a] ſedit annos decem, dies duos. Hic decreto ſuo ſtatuit, ut nulli ducum liceat quemlibet epiſcopum in præſentiam Romani præſulis introducere, vel cenſus ab eo ad ſumptus publicos, ſeu dona quælibet exigere, ſed nec coram laicis epiſcopum conceſſit. Clericos & ſanctimoniales, pupillos & viduas ſub tutela epiſcoporum eſſe decrevit, & eos ad ſæcularia judicia trahi modis omnibus interdixit. Quemlibet autem ducem vel alium contra hæc agentem, excommunicandum eſſe decrevit; perſeverantem vero anathematis vinculo innodandum.

Idem inter cetera de decimis ſacerdotibus dandis ita præcepit. Quas ſcilicet decimas unumquemque fidelem illi ſacerdoti dare cenſuimus, in cujus parochia eum procul dubio conſtat ſub epiſcopi proprii ditione, quia ad hoc recipiendum ab epiſcopo ſuo eſt conſtitutus, manere; & ideo nullum alterius diœceſeos ſacerdotem aut Levitam alteri jure * ea novum debita hujuſmodi audire impudenter, vel temere quærere, aut accipere * damnationem vel donationem. Eum vero, qui aliter dare vel accipere præſumpſerit, eccleſiaſtica communione tamdiu judicamus manere privatum, donec ſecundum hoc noſtræ apoſtolicæ auctoritatis capitulum ſtuduerit agere.

Locus mendoſus.

* f. Canonum

* for. tantum donationem.

Hujus temporibus Lodevvicus imperator ab Adalgiſo Beneventano duce conſtrictus, timore vitæ, jurejurando firmavit, numquam ſe Beneventi fines ultra intraturum, neque ex periculo injuriæ tunc ſibi illatæ vindictam aliquando exacturum. Ab hoc autem juramento poſtmodum prædictus papa eum Romæ abſolvit auctoritate Dei & ſancti Petri, affirmans nihil ſibi obeſſe, quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat, nec ſacramentum eſſe dicendum, quod contra ſalutem reipublicæ, quamvis cum multis execrationibus, fuerit prolatum.

NOTA SEVERINI BINII.

Quando pontifex factus ſit Ioannes VIII.

a *Ioannes.*] Anno redemptoris 872. decimonono Kalendas Ianuarii, teſte Aimoino, Ioannes patria & natione Romanus ex archidiacono factus eſt pontifex hujus nominis octavus, electione, unctione & coronatione Caroli Calvi, Ludovici Balbi " & Caroli Craſſi trium imperatorum poſt obitum Ludovici II. ordine prædicto ſuccedentium celeberrimus, ut ex notis conciliorum infra cognoſcere poteris.

Tres imperatores elegit & coronavit.

" Lud. Balbus non imperavit.

Hic, cum Saraceni totam fere Italiam depopularentur, omni auxilio hominum, in quibus ſpem expellendorum Saracenorum collocaverat, plane deſtitutus, a barbaris & infidelibus pacem & quietem annuo cenſu ac tributo redimere coactus fuit: idque juſto Dei permiſſu contigiſſe videtur, ut ſcilicet hoc exemplo ſuo inſtructus

A agnoſceret, ſe poſt obitum Ludovici imperatoris II. ſuaſu male ſanæ carnalis prudentiæ Carolum, a quo contra Saracenos majora quam a Ludovico " fratre ſubſidia expectabat, male elegiſſe, creaſſe & coronaſſe imperatorem, quem propter alieni regni invaſionem, exemplo prædeceſſoris ſui Hadriani II. eccleſiaſticis cenſuris merito exagitaſſe debebat. Photium, qui per fraudem & impoſturam admirabilem, quam idem Nicetes prolixius enarrat, cui ſæpe Ignatius adhuc vivens reditum ad eccleſiam, prout octava ſynodo conſtitutum fuerat, juſte denegaverat, Ioannes papa, petentibus illud Baſilii imperatoris & Hieroſolymitani patriarchæ legatis, poſt obitum Ignatii ad communionem eccleſiæ recepit, ejuſque reditum ad ſedem patriarchalem non ſine gravi exiſtimationis ſuæ jactura, notaque cathedræ pontificiæ turpiſſima approbavit. Ne Photius ante finem vitæ ad pœnitentiam reciperetur, in concilio œcumenico VIII. non tantum B conſtitutum, verum etiam ſingulorum juramento firmatum erat. Non ignarus hujus conſtitutionis ſacratiſſimæ, neque immemor fortaſſe ſui ipſius juramenti pontifex, contumacem hæreticum nulla ratione ad pœnitentiam, multo minus ad dignitatem patriarchalem recepiſſe, ſed potius anathematis ſententia perculiſſe debebat. Impetraverat iſta Photius ſine dubio per interceſſionem Baſilii, per unionis, pacis & concordiæ eccleſiaſticæ, auxiliique contra Saracenos ferendi promiſſionem, perque falſorum plurium enarrationem, quaſi omnes orthodoxi pro ſui reſtitutione intercederent: verum iſta ratione non tam Ioannes excuſatur, quam majore ignominia afficitur, ut qui ab eunucho & ſemiviro omni robore enervatus, ſe feminam potius quam virum eſſe declararit. Si quis cum Baronio crederet, ex hoc facto fabulam de Ioanne VIII. non papa, ſed papiſſa, originem ſumpſiſſe, non male fortaſſe ſentiret. Hæc ex Niceta & Aimoino Baron. tom. 10. in C vita Ioannis.

" Errat his in multis Binius, ut dicemus in notis.

Photium cum detrimento honoris ſui recepit.

EPISTOLA I. IOANNIS PAPÆ VIII. AD BOSONEM COMITEM.

Agit gratias, quod ejus opera legati ad imperatorem pervenerint, & illis injuncta confecta ſint; eumque rogat, ut quamprimum auxilia ſibi contra Saracenos mittenda curet.

Ioannes epiſcopus Boſoni illuſtriſſimo comiti.

CARISSIMÆ tuæ nobilitati laudes Chriſto domino referentes, gratias agimus, & hanc D præconiis efferentes, in eodem domino gratulamur, cujus gratia noſtro fultus amore, miſſis apoſtolicæ noſtræ ſedis, facilem aditum perveniendi ad sereniſſimi domini Caroli ſemper Auguſti ſpiritualis filii noſtri præſentiam, non indebita tribuiſti; & ut ea, quæ ſibi a nobis dicenda injuncta fuerant, aure ſuæ pietatis adverteret, & ad congruentem effectum perduceret, ſuadere curaſti. Quod cum Deus omnipotens imperatoriæ magnitudini, ut fieret, inſpiraverit; te tamen, qui noſtri ſtudii cooperator effectus es, admodum collaudamus, &, ut diximus, gratias tuæ induſtriæ referentes, & pro his & pro aliis retribuere tibi viciſſitudinem non omittemus,

De Boſone Regino l. 2. chron. Aimoin lib. 5. cap. 14. 27. 32. & aliis in locis.

Nec non & quidquid honori tuo congruit, vel ad A utilitatem tuam creſcere cognoverimus, incunctanter exequi procurabimus; & grato amore, adjuvante domino, quouſque perficiamus, elaborabimus. Tu vero fili cariſſime, ſicut cœpiſti, ad infidelium noſtrorum, vel ſanctæ Dei eccleſiæ adverſantium tyrannidem funditus abolendam magis ac magis inſiſte; ut qui ſanctam Romanam eccleſiam in multis lædere non formidarunt, tali ſententia, imo judicio percellantur, ut deinceps, quemadmodum es pollicitus, recuperationis locum nunquam inveniant. Ceterum quia pro maxima neceſſitate hujus noſtræ regionis, quam Saraceni pene totam depopulati ſunt, audivimus imperiale adjutorium uſque ad nos eſſe mittendum; gloriam nobilitatis tuæ nimium deprecamur, ut idem adjutorium, vel virorum exercitum, qui utinam jam præſens adeſſet, nullo modo illis in partibus moram pati permittat.... veniendo eos exhorteris, ut urgeas, viriliterque quouſque veniant, pro Dei noſtroque amore inſiſtas. quia niſi citiſſime venerint, & nobis opem contulerint, pejora prioribus fieri formidamus; ac per hoc domno imperatori peccatum & damnum oriri poterit, & quia eccleſia Dei, vel oves paſcuæ ejus fortiter diſcerpuntur ipſum nomen Chriſtus, quod abſit, in gentibus blaſphemari. Data Kalendis Septembris, indictione decima.

II. AD LVDOVICVM REGEM.

C

Diſſenſiones inter ipſum & imperatorem ſcribit ſe non poſſe ſedare, niſi alteram prius audiat partem: interea monet, ut pacem cum omnibus, & præcipue cum imperatore ſervet, & ſubjectos compeſcat.

Ioannes epiſcopus dilecto filio Hludowico glorioſo regi.

Epistolas tuæ dilectionis, non quidem diverſas ſuſcepimus: quas relegentes, ea in eis reperimus, quæ niſi nos cariſſimi filii noſtri sereniſſimi quoque imperatoris domni Caroli ſemper Auguſti prior querela pulſaret, non ſolum admitteremus, verum etiam priuſquam putares inveſtigaremus, atque diſcuteremus, rectique lance libraminis, quod & facturos nos, Deo juvante, confidimus penſaremus. Sed quia una pars ſine altera facile audiri non debet interim deliberative non ſcribimus: quin potius gloriam tuam monemus, & auctoritate apoſtolica obteſtamur, ut pacem cum omnibus, & præcipue cum eodem imperatore conſervans, tibi ſubjectos compeſcas, & ab omnibus ſcandalis, vel factioſis conſpirationibus uſque ad noſtram diſcuſſionem (ſicut per te ſperamus) removeas. Quia nos, qui ſacerdotum domini matura volumus eſſe judicia, nec illi, nec tibi contra juſtitiam favere ſtudemus. Hujus rei gratia (mediante ſancti Spiritus gratia) per noſtræ mediocritatis ſtudium, quidquid illud eſt, volumus diffiniri; & quod adhuc ſuſpendendum duximus, jam digna deliberatione, juvante domino, diſpenſationis noſtræ judicio terminabimus. Data Kalendis Septembris, indictione decima.

III. AD GVAIFERIVM PRINCIPEM SALERNITANVM.

Oſtendit ſe paratum eſſe firmare pactum quod fecerat: rogatque ſibi ad ipſum eunti hoſpitium parari.

Ioannes epiſcopus dilecto filio Guaiferio glorioſo principi.

De Guaifero principe Salernitano Leo epiſcopus Oſtienſis libro 1. chron. Caſſ. c. 42 & 44.

Quia te non ſolum legatorum noſtrorum inter relata fidelium circum eccleſiæ noſtræ Romanæ regimen, cui Chriſto præſidemus auctore, devotum cognovimus, tuumque ſtrenuiſſimum generum Pulcari præfectum, verum etiam cum pro liberatione totius patriæ, ut nobis a Chriſto cura commiſſa eſt, in veſtras partes veniſſemus, pro certo fidelem reperimus: ideoque pactum quod petiſti, ut promiſeramus pontificali vera aſſertione a dilecto filio noſtro Carolo imperatore Auguſto, jure vobis firmandum, poteſtate, per revertentes B venerabiles legatos eccleſiæ noſtræ acceptа juſte ac legaliter adfuturum ſtatuere ſumus parati; ſimulque mihi & novo agmini comitatum volo præpareris ut dixerim ita hoſpitium, fideleſque noſtros incepta corroborate fidelitate, ac infidelibus, prout poteſtis, frenum redargutionis imponite, noſtrumque adventum, Deo duce, ſperate.

IV. AD CLERVM, ORDINEM ET PLEBEM SANCTÆ VVALVENSIS eccleſiæ.

Invehitur in quemdam eccleſiæ Vvalvenſis invaſorem, legitimo adhuc ſuperſtite epiſcopo. laudat eos quod illum minime recipiendum duxerunt, ſimul præcipiens, ne unquam eum admittant, alioquin excommunicationis ſententiam minatur.

Ioannes epiſcopus clero, ordini & plebi ſanctæ Vvalvenſis eccleſiæ.

Quia ſolicitudinis nos, quam pro omnibus Dei eccleſiis circumſpiciendis ſuſcepimus, maxima cura conſtringit, ut vel proviſa vitia reſecemus, vel rumore comperta, ne pullulent, vigilemus; latere vos nolumus perveniſſe ad nos, quod quidam, calcata reverentia canonicæ diſciplinæ, contra omne fas, imo contra legem eccleſiaſticam ſuperſtite veſtro paſtore velit auſu temerario veſtram ſinceritatem corrumpere; & (quod dictu nefas eſt) plebem ipſam invadere, gregemque D dominicum, videlicet voſmetipſos diſcerpere; ſchiſmata generare, & Deum in hoc ad iracundiam provocare: habens quaſi auctoritatem ſæcularium id peragendi, & quæ ab eis, imo a nobis, vivente veſtro epiſcopo, jure dari non poteſt, nequiter exercendi. Quod tantum fieri prohibemus, tantumque deteſtantes abominamur, quantum contra canonicæ auctoritatis cenſuram, & contra divinæ legis traditionem, vel veterum patrum exempla, tale quid attentari cognoſcimus, ut vivente uno epiſcopo, ac ſuperſtite conſiſtente, alter vel non petitus, vel qui peti non poteſt, nec etiam debet, ſedem viventis invadat; & hanc vel ſine noſtro conſultu, ut ita dixerim, expetat: vel quia (ſicut diximus) ſupereſt, in cor E ejus aſcendat talia cogitandi. Verum nos primum vobis gratias agimus, quia (ſicut didicimus) veſtro epiſcopo fidem debitam conſervantes eumdem invaſorem non recipiendum eſſe propoſuiſtis. Deinde noſtri apoſtolatus monitis omnium veſtrum devotionem hortamur, præcipimus, ac ſuademus, ut eodem veſtro epiſcopo vivente, nulli unquam mortalium vos conanti forte decipere, præbeatis aſſenſum, ut vel in modico a fidelitate ipſius veſtri epiſcopi qui nunc eſt, ſcilicet venerabilis Arnulfi,

Arnulfi, quoquomodo discedatis: quin potius omnem honorem ac reverentiam juxta sacros canones ei impendere studeatis, ut magis unde vobis gratias referamus habere possimus: scientes nos nullo modo in tali nefando opere consensuros, sed potius & factores & eorum consentaneos punituros. Verumtamen si hanc nostram legitimam obtestationem vos in aliquo ab his deviare cognoverimus, & habentes hanc nostram auctoritatem vos omnium ambitiosorum factionibus contraire minime senserimus, vel si quomodocumque talia facere tentanti vos consensum præbere saltem clanculo, quod absit, didicerimus; sciatis quia & vos anathemati submittemus, & illum pari sententia condemnantes, omne sacerdotalis officii ministerium, ut unquam nullis præsideat, ei perpetuo adimemus. Data, &c. indictione decima.

V. De Neapolitanorum duce ejus fratre queritur, qui suis monitis non parebat. Quare hortatur, ut ab eo se separet; alioquin cum eo ac ceteris fautoribus anathemati subjicietur.

Ioannes episcopus *

*Forte *Athanasio episcopo Neapolitano*, ad quem nonnullæ infra scribuntur epistolæ: cujus meminit Leo Ostiensis, li. 1. chron. Cass. c. 42. Fuit autem hic nepos & successor sancti Athanasii, cujus mentio est in martyrol. Rom. die 15. Iulii.

MVLTA per nos per decessoresque nostros reverendos pontifices duci Neapolitanorum, imo duci cæcorum, missis & epistolis discurrentibus dicta sunt, quæ locum in ejus corde nullum penitus invenerunt: quia profecto viscera ipsius verba vitæ æternæ recipere renuerunt. Iudæis enim dominus dicit: *Qui ex Deo, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* (*Ioan.* 8.) *Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum servabit*: (*Ioan.* 14.) ergo probatio dilectionis, exhibitio est operis. Probatur igitur germanus tuus non diligere Deum, qui mandata ejus participando cum perfidis non custodit. Nam Ioannes apostolus ait: *Qui dicit quia diligit Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* (*1. Ioan.* 2.) Sed nos postremo, nec etiam sic contempti, quæ ad salutem ejus & cunctorum pertinebant, negleximus: unde non angelus, non legatus quilibet, (ut de redemptore nostro prophetice dictum est) sed ad salvandos eos ipse per semetipsum apostolatus noster adveniens, quid est quod debuit facere, & non fecit? licet ipse, ut cum propheta dicamus, conversus est in amaritudinem vitis alienæ, (*Isai.* 5.) & sicut aspides surdæ, & obturantes aures suas, (*Psalm.* 57.) non audierit vocem incantantium, id est prædicantium, nec mutaverit versutiarum suarum colorem, aut varietatem, instar Æthiopis & Pardi, quibus perfidorum Israelitarum Ieremias duritiam comparavit, unde merito abscissi sunt, ut de talibus apostolus optat: *Abscindantur*, inquiens, *qui vos conturbant, a Christo*, (*Galat.* 5.) id est a capite & corpore, quod est ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Ergo cum ita sit, prudentia tua moveri non debet, si inter tales officium cesset doctorum, sive torpenti desidia faciente rectorum, sive impœnitenti exigente crimine subjectorum. Divino enim judicio, quamvis occulto, talia fiunt, sicut in libro B. Iob legitur, cum de Deo inter alia fertur: *Ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat, commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens*: (*Iob.* 12.) cujus sensus medulla concepta, procul dubio scito quia in optionem unum e duobus a nobis tibi tribuitur: aut enim (secundum quod scriptum est) *Exiens exibis de medio ipsorum, & pollutum non tanges*; (*Isai.* 52.) aut certe, quamdiu cum talibus conversatus fueris, non poteris videri non talis, sed eris profecto illis pœna, sicut consortio similis. Nam Loth (*Genes.* 19.) chaos Sodomis fugiens, cunctis necatis civibus, salvus singulariter redditur. Sic Petrus fugiens, (*Act.* 12.) Herodis catenis ereptus, ad salvandas gentes eruitur. Sic Paulus, observante Damasci præposito, (*Act.* 9.) teneri intera claustra perfidorum noluit, in sporta per murum summissus, ad certaminis properat campum. Verumtamen ne sanguis eorum de manibus tuis divinitus requiratur, (*Ezech.* 3.) tamquam segnis desidisque speculatoris, qui videas gladium lupumque venientem, & taceas: *Insta* interim (ut apostolus monet) *opportune, importune: obsecra, increpa*: (*2. Tim.* 4.) *nemo adolescentiam tuam contemnat.* (*1. Tim.* 4.) Qui si te audierint, lucrifacies fratres tuos: sin autem, saltem tu salvans salva quantocius animam tuam, sciens procul dubio totius Hesperiæ præsules a nobis in proximo congregandos. Quibus generaliter imminentibus, tam perfido fratri tuo, quam omnibus sectatoribus & fautoribus ejus perpetuum dicemus modis omnibus anathema, nunquam deinceps penitus dissolvendum: quod si evadere satagis, in nostrique affectus finibus inveniri, in nullo prorsus ab hoc nostro recedere præcepto patere vel hortatu. Gratias præterea referimus super his, qui per industriam tuam redempti sunt a domino, quos redemit de manibus inimici: & scito nil te nobis acceptius oblaturum, quam eos nimirum, pro quibus sanguis oblatus est Christi. Data quinto Idus Septembris, indictione decima.

VI. AD LEONEM ET PETRVM EPISCOPOS.

Miratur eos ad se non reverti incursionibus Saracenorum lacessitum: obtestatur ut quantocius redeant. Quod si vim ab aliquo patiantur, præcipit ut fortiter se gerant, & id sibi significent.

Leoni & Petro episcopis.

CVM vobis innumerabiles hujus Dei ecclesiæ necessitates non minus quam nobis sint cognitæ, pro quibus compescendis vos ad piissimum Cæsarem destinatos sub magna velocitate sensistis? miramur vos tanto tempore nobis in tanto periculo constitutis, & Saracenorum incursionibus undique laceratis, ad nos remeare usque hactenus neglexisse. Neque enim vos alicujus violentia magis quam vestra negligentia credimus retardatos, qui nescimus sub quibus argumentosis ingeniis, consiliis tamen a nobis anathematizatorum, ac fraudulentiis, more corvi tempore diluvii admittentem se minime revertentis, (*Genes.* 8.) ita legationis vestræ usque nunc obliti fuistis, ut a Papia per tot dies Romam repetere minime studeretis. Cujus rei gratia vos auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum principum, obtestamur, præsentialiter ad sanctam sedem apostolicam, quæ vos misit, episcopatuumque vestrorum sedes quantocius redeatis. Verum si (quod absit) juxta quod a nobis anathematizatorum satellites gloriantur, quorumdam violentiis retinemini, & ad mittentes vos reverti non permittimini: Præcipimus vobis auctoritate Dei & domini nostri Iesu Christi, ut memores antiquorum sanctæ Romanæ ecclesiæ legatorum; qui nullis minis nullis terroribus, nullisque mortibus a suis legationibus discesserunt, (Romanæ ecclesiæ legatorum constantia.) præsentialiter auctoritate hujus epistolæ initium ad nos revertendi facere studeatis, & si permissi fueritis, statim ad nos revertamini. Si vero aliquis vos impedierit, violentia quam patimini, cunctis Christicolis valeat propalari, nobisque continuo revelari: quatenus in eo

eo quod contra morem gentium apoſtolicæ ſedis legatio, ecce ſecundo naufragium paſſa eſt, citiſſimum conſilium, confortante nos domino, præparemus.

VII. AD BOSONEM COMITEM.

Dolet quod ſibi deprecanti auxilium contra Saracenos non tulerit. Significat urbem magno in diſcrimine verſari, cum ad eam oppugnandam fama ſit magnum exercitum venturum: quare eum rogat, ut quantocius opem ferat. Legatos ab eo detineri miratur.

Ioannes epiſcopus Ioanni Boſoni comiti.

SÆPE gloriam tuam miſſis & literis hortari ac deprecari ſtuduimus, ut manum auxilii porrigens, contra nefandos Saracenos hoſtiliter occurrere tandem ſatageret: ſed, proh dolor, nil hactenus præſidii adipiſci meruimus, adeo ut nec reſponſum, ſicut nec de aliis quibuſque neceſſitatibus, a nobilitate tua recipere hucuſque noſcamur. Quapropter nimis dolentes, gementeſque, iterum iterumque dilectionem tuam monemus, hortamur, & obſecramus, ne differas ultra, nec patiaris populum domini ab illis divinitus fulminandis Agarenis diſcerpi, qui operuerunt univerſam ſuperficiem terræ, ſicut locuſtæ, ita ut pene cunctis habitatoribus inde ſublatis, & in prædam & gladium traditis, redacta ſit in ſolitudinem, & in cubilia beſtiarum, & (quod eſt adhuc amplius formidandum, atque cavendum) certa relatione didicerimus, ſtolum ampliſſimum in primo ad expugnandam urbem venturum, id eſt centum naves, ex quibus cum equis ſunt quindecim grandes. Quod quam ingens malum & incomparabile ſit, ſi intente conſideraveritis, advertetis: perditio enim iſtius urbis totius eſt mundi diſpendium: imo & ipſius Chriſtianæ religionis jactura. Et ideo (ſecundum quod & ſpiritalis filius noſter ſemper Auguſtus neceſſario tuæ commiſit induſtriæ) omnium ceterarum rerum curis omiſſis, hoc vos convenit toto conſiderare mentis intuitu, & ad auxilium noſtrum non modicum exercitum quantocius deſtinare. Si enim veſtrum divinitus roboratum nobis non porrigitis validum & amplum confeſtim auxilium; ſcitote nihil amplius remanere, niſi ut nobis a vobis deſperatis dimiſſis, vobis etiam ab hac ſancta eccleſia nulla ſpes ultra remaneat. Porro ſi in præſenti neceſſitate nobis aptum & ſufficiens præbueritis auxilium, & nihil differentes, populo Dei, beato Petro ſpeciali prærogativa commiſſo, ſubvenire ſtudueritis; ſcitote in omni opportunitate veſtra tanto nos fore promptiores, quanto fuerimus redditi ab hoſte ſecuriores. Ceterum dilectionem tuam miramur legatos noſtros retinuiſſe, Leonem epiſcopum cariſſimum nepotem noſtrum apocriſiarium & miſſum apoſtolicæ ſedis, atque Petrum æque epiſcopum, qui cum feſtinantes vos ad divinitus protectum Auguſtum mitterentur, a vobis & tunc detenti ſunt, & modo nihilo minus non merito retinentur. Quod quia contra decus apoſtolicæ ſedis, quod nunquam factum eſt, profecto non dimittemus, cum hinc certi fuerimus, inultum. Cum enim nos illos pro multiplicibus eccleſiæ noſtræ neceſſitatibus ſub nimia feſtinatione miſerimus; a vobis, quem hoc non latet, non impediri, ſed ad id celerius agendum veſtris, ſicut credidimus, potius debuere fulciri ſubſidiis. Data *ut ſupra*.

A

VIII. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Imperatoris precibus, cum Burdigalenſis provincia a paganis eſſet devaſtata, Frotarium Burdigalenſem archiepiſcopum transfert in eccleſiam Bituricenſem.

Ioannes epiſcopus Carolo imperatori.

PETITIONEM veſtram, filiorum cariſſime, quam non abnegando, ſed diſpenſando dudum diſtulimus, nunc nos ad votum noſtrum ob id vel maxime, Chriſto præduce, perduxiſſe gaudemus:
B quod & veſtram gloriam perſeverantem teſtificatricem cognovimus, & provincialium præſulum conſentaneas probationes probavimus, & legatorum noſtrorum ſubtiliſſimas diſquiſitiones advertimus. Quocirca, licet nos multis canonicis teſtimoniis provocati petitionem veſtræ devotionis implere magnopere moliremur, & ſolius majeſtatis veſtræ teſtimonio ſuper exterminio Burdigalenſis provinciæ credere minime cunctaremur: tamen quia pietatis veſtræ teſtimonio comprovincialium quoque præſulum literas convenire, ſicuti rebamur, nuper cognovimus, ſecundum pietatis veſtræ religioſiſſimum libitum, Burdigalenſis diœceſis epiſcopum, fratrem ſcilicet noſtrum Frotarium in Bituricenſem eccle-
C ſiam cardinalem fieri decernentes, metropolitanæ dignitatis privilegio iterato munire curavimus; & ſtudii veſtri ſolertiam, quo ſemper idoneos eccleſiæ viros quadam naturalis ingenii nobilitate deligitis, admirantes, congruas literas, his quorum intereſt, ex auctoritate ſedis noſtræ direximus, atque magnanimitatem veſtram, quam iſtius religioſi negotii circa nos incentricem cognovimus, eam nihilo minus executricem fore nec immerito delegamus. Quatenus propter Deum, cujus Filii precioſo ſanguine tota per mundum redempta conſiſtit eccleſia, ſic iſtius neceſſariæ diſpenſationis inſtituta cuſtodiat, ut a paternis regulis conſtitutis antiquitus in parte altera nunquam omnino diſcedat. Præterea, quod filiolitatis veſtræ petit induſtria, ut quorum ſuggeſtionibus dudum veſtra ſit dilata petitio dete-
D gamus, omnino ſciatis, quia nos licet indigni ſimus, tamen quoniam per conſequentiam priorum noſtrorum pontificum maturo cogimur eſſe judicio, cauſam tantę deliberationis ideo non facile tunc deliberandam credidimus, ne diffiniſſe, quod Deus averterit, minus ordinabiliter videremur. At poſtquam Deus omnipotens petitionem ſerenitatis veſtræ comprovincialium præſulum teſtimonio decoravit, imo teſtimonia præſulum pietatis veſtræ ſuffragio confirmavit, nos religioſam petitionem veſtram complevimus, & ſuggeſtionibus fratrum coepiſcoporumque noſtrorum manus porreximus, & eccleſiæ Dei tantis neceſſitatibus conſulentes, de theſauro pontificalis pectoris ita
E vobis protulimus, ut a doctrinis deviaſſe veteribus nullo modo videamur. Data *ut ſupra*.

IX. AD LANDULFUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Nuntiat legatos ad imperatorem rediiſſe, quem in epiſcoporum & optimatum conventu Romanæ eccleſiæ jura recognoviſſe, præcipue vero terræ Capuanæ pactum ſuo juri commiſiſſe ſcribit: ideo in ejus partes ſe venturum promittit.

Ioannes

Ioannes episcopus Landulfo episcopo Capuano.

SANCTA Romana ecclesia, cujus Deo auctore præsidemus regimini, cunctis ab exordio sibi fideliter servienribus dignam in præsenti & in futuro sæculo solita est bonæ retributionis mercedem rependere; tibi nihilo minus reliquisque fidelibus suis utroque modo, ob vestræ fidelitatis devotionem, quam illic positi plene cognovimus, per omnia maternis visceribus favebit in proximo. Siquidem nosse volumus tuæ religionis intentionem: quoniam, domino cooperante, Leone venerabili episcopo nepote nostro, ac sanctæ ecclesiæ Romanæ eximio apocrisiario: aliisque nostris legatis, quos nuper direxeramus, aliisque nostris legatis, quos nuper direxeramus, a carissimo filio nostro Carolo imperatore Augusto reversis, vobis, utpote a secreto consiliariis nostris, ratum ducimus animi ejus, Deo inspirante, circa ecclesiarum præsertim Romanæ, quæ caput est omnium, exaltationem, affectum patefacere; omne sane jus potestatis antiquitus attributum capitulariter renovamus in conventu episcoporum ac optimatum, inviolabiliter concessit habendum. Inter quæ de terræ vestræ pacta, prout Christo duce voluissemus, statuere, nostro juri potestatique commisit; quatenus id quod pontificali ore nudis verbis diximus, operum ostendamus patratione, & ut pro animæ vestræ exhilaratione patrum notarice stylus scribentis loquatur. Parate hospitium, quia cum novo hospitum agmine Dei gratia in vestras partes sumus venturi. Frenum coercitionis infidelibus, quantum valetis, imponite, fidelibus quoque futuræ in proximum spei sublevationem promittite: Domini Dei nostri sine intermissione hortor misericordiam deprecamini, nostrumque adventum spectate veraciter.

Hujus concilii & legatorum meminit Aimoinus lib. 5. de gestis Franc. cap. 33.

X. AD ADALARDUM EPISCOPUM VERONENSEM.

Commendat eum ob præclaras virtutes, & jubet ut Romam ad concilium veniat.

Ioannes episcopus Adalardo episcopo Veronensi.

ADVERTIT plane prudentia tua, quanto & quali circa se apostolatus noster flagret affectu, cum tuæ causa provectionis non modicum sumpserimus laborem, idoneum te Christi sacerdotem merito arbitrantes futurum, & spiritualem potius quam sæculi gloriam sectaturum, cum & ipsa nimirum nobilitatis suæ insignia, & sapientiæ specula, talia de te speranda tribuerunt: quod quia vindicare sibi virtutum nisibus & probitate morum sanctitatem tuam comperimus, Deo innumeras gratias valde gratulanter retulimus, & in hoc, quia secundum apostolum *spes non confundit*, experimenta didicimus: & ideo in proximo, causa ecclesiasticæ simul & imperialis opportunitatis, certorum congregaturi episcoporum concilium, dilectionem tuam tanto conventui jubemus adesse. Accinge igitur sicut vir lumbos tuos, & assume tibi pennas sicut columba, & vola, & veni, & requiesce in sinu apostolicæ dilectionis, ita ut pridie Kalendas Decembris præsentiam tuam liminibus apostolicis & nostris exhibeas prorsus obtutibus. Porro si hoc impossibile asseris, VIII. Kalendarum Ianuariarum: quod hortamur & jubemus expleri, si dumtaxat ab apostolicæ sedis communione renuis prorsus arceri: A dignum enim non est, ut tantæ sapientiæ vir tanto procul cœtui sit. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data IV. Nonas Novembris, indictione decima.

Rom. 5.

XI. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Laudat eum de judicio in Emmenum prolato, & hortatur ut cum illo clementer agat.

Ioannes episcopus Carolo imperatori.

SUPER judicio vestro in Emmenum prolato, o rectissime imperator, cum cælo tota terra lætatur. Scriptum est enim: *Latabitur justus cum viderit vindictam*. Cur autem dicimus lætatur, cum B super judicio Salomonis scriptum sit: *Quia audivit omnis Israel judicium quod judicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium?* Super quo videlicet judicio sentiendum merito ducimus, quia læti quidem benigni, tristati vero sunt omnino maligni. Ergo & hic ita datur intelligi, quia nimirum super judicio vestro lætantur justi, deterrentur injusti. Nam & omnipotens Deus, cujus & vos judicium æmulamini, terribilis peccatoribus, & blandus est justis. Quia igitur super Emmeno jam exhibuistis severitatem judicii, quæsumus exhibete de cetero pietatis insigne. Imposuistis in humeros ejus onus austeritatis: adhibete jam nunc id removentem digitum lenitatis. Mementote quia hunc vobis C cum Petro Paulus dilectis suis, sicut Philemoni quondam Onesimum, remittit, implorans & obsecrans, quatenus eum ut sua viscera suscipiatis. Quia etsi fortassis ad horam aliquando quidem vobis inutilis, exemplum non bonum ceteris tribuens, visus est; nunc autem & vobis, & nobis, & plurimis utilis est, longanimitatis formam & patientiæ cunctis ostendens. Rogamus ergo, ut penes vos non sibi tam suus obsit excessus, quam fidei & amoris erga vos habiti prosit affectus. Et quia noxam propriam & pœnam indictam sibi confiteri non renuit, animadversione remota quam meruit, patronos vestros, sanctos scilicet primos apostolos se proficue adiisse & salutasse de reliquo sentiat, & de tanto sibi collato munere lætetur & gaudeat, ut ubi abundavit peccatum, superabundet D secundum apostolum gratia. Data pridie Kalendas Novembris, indictione decima.

Psalm. 57. 3. Reg. 3. Ad Phil. 1. Rom. 5.

XII. AD IMPERATOREM ET IMPERATRICEM.

Pro Madelgero qui Odelricum occiderat.

Ioannes episcopus ad imperatorem & imperatricem.

DUM non minus pro misericordiæ intuitu delinquentibus exhibendo, quam judicii severitate in improbos exercenda, omnipotens Deus gloriam serenitatis vestræ imperiali voluerit sublimare decore, dignum profecto esse rati E sumus pastorali cura fungentes apud majestatis vestræ excellentiam pro multorum salute, vel vitæ indulgentia, & præcipue illorum, qui diabolico licet instinctu nefanda committentes, ad apostolorum principum Petri & Pauli fautorum vestrorum limina, divina tamen pietate commoti, venire festinant, & misericordiam humili prece implorant, toto mentis annisu intercedere, atque pro viribus consolationis opem in quantum fas est petentibus impartiri clementer. Unde pro hujus viri,

Madelgeri videlicet nomine, qui adversario incitante quemdam hominem Odelricum vocabulo peremit, salute, membrorum omnium integritate, & rerum suarum restitutione, majestati vestræ suggessimus, filiorum carissime, & pro amore Dei & domini nostri Iesu Christi, sanctorumque apostolorum, quorum limina præfatus Madelgerus adiit, nostræque paternitatis, quam sincerissimam erga nos habetis, dilectione precamur, quatenus gratiam vestram plenariam ei reddere non dedignemini: eaque cum vestræ serenitatis respectu accepta, pro suis valeat excessibus pœnitentiam fructuosam accipere, qua commissi possit piaculi noxias sordes abluere, ut spiritus salvus sit in die domini de omnibus ultricem dantis vindictam. Nam pro tanti itineris labore durissimo, quem veniendo perpessus est, sicut credimus, aliquantulam de peracto scelere indulgentiam meruit, ejus utique intercessionibus adjutus, cui dictum a domino constat: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quod cum ita sit, precamur etiam, ut eum cum parentibus ejus qui defunctus est, paciscere jubeatis, ne majus deinceps malum, quo multorum animæ noceat, perpetretur. Data *ut supra.*

Matth. 16.

XIII. AD BITVRICENSES.

Vt Frotario Burdigalensi archiepiscopo, cui tamdiu Bituricensem ecclesiam committit, quamdiu pagani Burdigalensem diœcesim obtineant, omnes obediant.

Ioannes episcopus clero, plebi & ordini sanctæ Bituricensis ecclesiæ.

SVGGESTIONIS vestræ relegentes epistolam, quod ab apostolatus nostri auctoritate de confratre nostro Frotario reverendo archiepiscopo postulant, hoc nos aliorum testificationibus, & præcipue serenissimi semper Augusti, spiritalis quoque filii nostri relatione comperimus; sed & legatis apostolicæ sedis, Leone videlicet venerabili episcopo, apocrisiario & misso sanctę Romanę ecclesię, seu Petro æque venerabili episcopo, revertentibus, didicimus pene totam provinciam Burdigalensi metropoli pertinentem, sicut ab his qui causam illam noverunt, iidem nostri legati discere potuerunt, ita esse paganorum persecutionibus desolatam, ut non solum ipse confrater noster illic lucri aliquid subjectis conferre non possit, verum etiam habitatio fidelium inde subtracta consistat. Quaproter quia eumdem virum Frotarium reverendum archiepiscopum probis moribus actibusque præclaris, & ad lucrum animabus hominum conferendum idoneum esse comperimus, ne talis tantusque vir otio, quo prodesse aliis valeat, minime vacet; ejusdem sanctæ Bituricensis ecclesiæ, cui subestis, ei pastoralem curam apostolica auctoritate committimus, & in ipsa eum incardinandum necessario esse censemus. Cui vos ita decentem obedientiam & canonicam subjectionem humiliter exhibete, utpote re vera metropolitani jura tenenti, proprio rectori, & vestro antistiti convenit, & ex nostra apostolica auctoritate diffinitum advertitis, & ecce mandatum habetis: quatenus de bono vestrę obedientię nobis Deo gratias referentibus, & vobis, reverentia competenti ipsum prefatum archiepiscopum excolatis: & ille vobis, tamquam pro vobis rationem domino redditurus, modeste præesse studens, ut dilectos filios amplectatur. Porro sciatis, quia sic ista non modica interveniente necessitate barbara modo concedimus, ut tali necessitate remota, removeatur etiam id, quod necessitas imperat. Data v. Kalendas Novembris, indictione decima.

XIV. AD EPISCOPOS PROVINCIÆ BITVRICENSIS.

Vt Frotario tamquam metropolitano suo deinceps obediant.

Ioannes reverentissimis & sanctissimis fratribus nostris episcopis per Bituricensem provinciam constitutis.

QVIA Burdigalensem urbem, sed & totam pene provinciam quorumdam vestrum literis, sed & Leonis apostolicæ sedis apocrisiarii expressa relatione didicimus diversis cladibus, sed pręcipue incursibus Normannorum deletam, & in solitudinem partim gladiis, partimque captivitate deductam, necessaria rerum, ut cum sancto papa Gelasio decessore nostro dolentes gementesque fateamur, dispositione constringimur, & apostolicæ sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, & retro præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum pro instaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus. Ecce enim, ne de civitate ad civitatem episcopi transmigrent, sancti canones provide sanciunt. Sed si hujusmodi sanctiones sine ulla discretione vel dispensatione ducimus observandas, nullam compassionem fratribus exhibemus, quos gentilium gladiis passos causa fidei Christianæ servandæ videmus egentes, angustiatos, afflictos, hac illacque palantes incedere: præsertim cum nonnulli eorum ita sint Dei gratia illustrati, ut non solum scientia, sed & moribus; non solum verbo, sed & exemplo plurimos valeant erudire. De quorum numero quia Frotarius Burdigalensis dudum antistes, ut testatur vestra fraternitas, extat; necessario duximus eumdem virum alii ecclesiæ præponendum & incardinandum, Bituricensi videlicet, quæ & vacans esse nobis denuntiata est, & tanti viri digna regimine: ne per minus idoneum rectorem salubre salvandarum animarum desit ei præsidium, & nos e contra ingentis culpæ involvamur annexu, si tanto urgente discrimine, tantæ minus consulamus ecclesiæ, propugnatori hanc probabili minime committentes. Prioribus itaque manentibus regulis inconvulsis, quæ ubi nec rerum, nec temporum urget necessitas, jure convenit observari, vacante sede, Frotarium fratrem & coepiscopum nostrum in sede Bituricensi præficiendum ordinavimus sacerdotem: ita ut in ea incardinatus, & quodammodo auctoritatis apostolicæ privilegio radicatus, cetera metropolitana Bituricensis ecclesiæ ac diœceseos jura tamquam Deo contemplante obtineat, dispenset & ordinet, omni posthac querimonia invidiorum prorsus ablata. Cui vos tamquam proprio metropolitano convenit obedire, & competentem exhibere, secundum pristinum morem, reverentiam & honorem. Sane latere vos nolumus, sic nos ista interveniente non modica barbarica necessitate nunc concedere, ut tali necessitate remota, consuetudinarie ulterius non requiratur, quod removeatur etiam illud, quod necessitas imperaret.

Optamus

Optamus sanctam fraternitatem vestram in Christo nunc & semper valere. Data v. Kalendas Novembris, indictione decima.

XV. AD EPISCOPUM CARNOTENSEM.

Pro Madelgero qui Odelricum occiderat.

Ioannes episcopus reverentissimo Gisliberto episcopo sanctæ Carnotensis ecclesiæ.

DILECTIONIS vestræ reverentiam spiritalibus pollere virtutibus procul dubio arbitrantes, his apostolatus nostri literis convenire, ac pro præsente viro Madelgero, qui suadente adversario quemdam hominem Odelricum nomine gladio peremit, unde divina inspiratione compunctus ad limina sanctorum apostolorum principum Petri ac Pauli, per longa itinerum spatia pro ipsius delicti abolitione venire curavit, petere studemus, ut pro amore Dei, & eorum ad quorum sacratissimas ecclesias venit, & pro suis excessibus Deum deprecatus est, nec non & pro nostræ paternitatis dilectione, illi omnes res proprias, atque beneficium cum propriis honoribus quos abstulistis, cum plenaria gratia reddere non dedignemini, sicuti dilectionis nostræ consortium & caritatem circa te cupis habere sinceriter illibatam. Data *ut supra*.

XVI. AD DOMINICUM ET LEONEM EPISCOPOS.

Significat quosdam qui Romam ad concilium vocati venire neglexerant, se excommunicasse, nisi ad certam præstitutam diem venerint: hortatur ut quamdiu illi abfuerint, eorum officia exequantur.

Ioannes episcopus Dominico Olivolensi, & Leoni Caprensi, episcopis.

SANCTITATEM vestram nolumus ignorare, misisse nos Felici & Petro episcopis, & Dominico, qui vocatur electus Torcellensis ecclesiæ, seu abbati Altinensis monasterii, atque archidiacono Torcellensis ecclesiæ, nec non & archipresbytero & archidiacono, atque hujus æquivoco ac nepoti Laurentio diacono Gradensis ecclesiæ, quia totiens a nobis vocati ad concilium Romæ occurrere contempserunt, futuram excommunicationis sententiam, & eum qui ex his nunc saltem venire distulerit, tamdiu post Idus Februarias omni ecclesiastica communicatione privasse, quamdiu in obstinatione propria perseverans, apostolicam adire sedem contempserit. Alios enim horum nostro concilio pro communibus ecclesiæ utilitatibus volumus interesse. Quosdam autem, quia super quibusdam reprehenduntur excessibus, de his satisfacturos requirimus. Unde, fratres carissimi, vos in specula esse præcipimus. & si quidem prædicti episcopi, dextera excelsi corda eorum immutante, ad concilium nostrum circa Idus occurrerint, ut prædictum est, Februarias; vos per ipsam regionem morati, quæ sunt veræ religionis peragite; ne quis sine perfectis Christianitatis sacramentis abscedat, neque pœnitens minus reconciliatus deficiat: & cetera illic interim definite, quæ ad speciale pertinent episcoporum officium. At vero si pater inobedientiæ sic mentes eorum obsederit, ut obedire omnino dispiciant; restat ut eo, qui obaudierit, benignius tractato, qui prænotato tempore ex his omnibus abfuerit, post excommunicationem noverit se anathematis gladio puniendum. Qua de re prævidimus hæc omnia nota facere vobis, ut ea scientes ad omnium notitiam perferatis, & hoc ad quod decrevimus exhortari, magnopere studeatis. Quod si vos non audierint: *Non enim* (ut Dei ad Ezechiel voce dicamus) *volunt audire vos, quia nolunt audire nos*: habete illos, & habendos ubique modis omnibus prædicate, sicut dominus præcepit haberi eum, qui ecclesiam non audierit: tantumdem est si dicatur, sicuti nos eos haberi decrevisse significavimus. Videte autem, ne persona vobis qualibet silentium possit imponere; ne, quod absit, tamquam idololatræ judicemini. *Est enim* (Samuel edocente) *quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere*. Si præterea Felix vel Petrus impedimento inevitabili prohibitus non venerit, idoneum virum ex diaconibus ecclesiæ suæ mittat per omnia vices suas supplentem. Iam vero si quoquomodo potuerint & noluerint, quia idcirco excommunicationis una cum tanti mali auctoribus sunt nexibus irretiti, non solum ab eorum vos communione prorsus arcete, sed & ab omnibus qui eis communicaverint (sunt enim pari omnes obligatione constricti.) Optamus sanctitatem, &c. Data Kalend. Decembris, indictione decima.

Ezech. 3. — Matth. 18. — 1. Reg. 15.

XVII. AD URSUM DUCEM VENETIARUM.

Rogat episcopos, qui Romam ad synodum evocantur, suis sumptibus alat; quibus, nisi accesserint, excommunicationis sententiam minatur.

Ioannes, Urso duci Venetiarum.

CUM pro causa venerabilis fratris nostri Petri sanctæ Gradensis ecclesiæ antistitis finienda, Dominicum vocatum electum, cui esses filium tuum sociandus ad apostolicam sedem mittere promiseras, nec tamen verbum veritas subsecuta est, valde mirati sumus: & quod non omni spiritui, nec in omni negotio credere docente apostolo debeamus, patenter advertimus. Exhibitio enim rerum præteritarum, certitudo est futurorum. Quia vero idem frater & coepiscopus noster more majorum sedem apostolicam appellavit, imo alacriter adiit, obsecrans, ut controversiæ, quæ inter se vertitur & prædictum Dominicum, utraque coram posita parte, finem legitimum imponamus: secundum quod se ratio habet, & jus canonicum dictat, rursus præcipimus, ut jam dictus Dominicus Kalendis saltem Februariis Romam nobis satisfacturus, & sese purgaturus occurrat; ambitionis enim crimine denotatur; ac per hoc juxta sacros canones manifestum est confiteri eum de crimine, qui purgandi se occasione non utitur. Iam vero si dixerit se non venientibus episcopis venire non posse, noverit & episcopos nos illius regionis occurrere præcipere, & eumdem Petrum venerabilem domini sacerdotem imitandum tribuere, qui cum metropolitanus esset, nullis comitantibus secum episcopis, memoriam apostolorum veniendo, sicut quondam sanctus Athanasius, honoravit; verumtamen & ex episcopis duos venire decernimus, Felicem scilicet & Petrum, ut tantum negotium non sine præsentia regionis episcoporum hujus cognitionem habentium diffiniri quoquomodo videatur; ita ut si forte se Felix venire nullo modo posse prætenderit, vicarium suum mittat, qui & mittentem se jurejurando excuset, & in synodo vicem mittentis adimpleat,

adimpleat. Petrus autem si adest, modis omnibus A veniat, siquidem (ut perhibetis) Constantinopolim mittendi nec mos vester nos latet, nec tempus. Maturius quippe prius huc venire ac redire ad propria poterit, quam mari mos & tempus accedat itineris. Præterea jubemus archidiacono ad nos venire Torcellensis ecclesiæ: similiter & Altinensis abbatem monasterii. Nihilo minus & archipresbyterum & archidiaconum, atque hujus æquivocum & nepotem Laurentium diaconum Gradensis ecclesiæ, quo impræsentiarum super his, quibus impetuntur, idoneam rationem, canonicamque (si nocentes sunt) subeant ultionem. Quæ omnia ideo gloriæ tuæ nota fieri volumus, ut illi ad apostolicam sedem, sanctamque synodum occurturi, libertatis tuæ adminiculis sustententur, sumptibusque locupletati laborem itineris facilius ac levius ferant, secundum pios principes, qui in talibus munifice semper erant intenti. Hos autem quos hac auctoritate apostolicæ præsentandos sedi decrevimus, quia tertio jam commoniti hucusque occurrere contempserunt, Romam diebus Februariis fore venturos decrevimus, nisi forte instanter properare delegerint. Porro post Februarias tamdiu sit unusquisque ipsorum cum fautoribus suis excommunicationis vinculis innodatus, quamdiu ad sedem apostolicam non occurrens, nullam idoneam super se rationem regulariter exhibuerit; sciens se anathematis postmodum sententia feriendum. Data Kalendis Decembris, indictione x.

Principum in episcopos munificentia.

XVIII. AD FELICEM ET PETRUM EPISCOPOS.

Felici & Petro sacris interdicit ob non exhibitum Gradensi archiepiscopo obsequium; eosque sub excommunicationis pœna Romam ad concilium venire, & si impediti fuerint, vicarios mittere jubet.

Ioannes, Felici & Petro episcopis Mandanaucensi, & Equilensi.

Quam ingrati & inhumani fueritis erga reverendum fratrem nostrum Petrum ecclesiæ Gradensis antistitem, in hoc maxime datur intelligi, in quo ille pro legibus paternis incolatum arripiens, nullum vestrum comitem suæ peregrinationis habere promeruit: præsertim cum ad limina sit apostolorum profectus, sedemque adierit, ubi semper catholicis subvenitur, & ubi plurimi sanctorum injuriam passi petram, a qua Petrus nomen sortitus est, refugium invenerunt. Additum autem est huic rei, quoad majoris contumaciæ vestræ cumulum demonstrandum; quia scilicet non solum cum illo stantes secundum prophetam, *Minime ex adverso ascendistis, & opposuistis murum pro domo domini:* sed quasi rebelles rupto unanimitatis fœdere transistis ad hostes; & cum non sitis cum illo, facti profecto estis adversus illum, sicut dominus ait: *Qui non est mecum, contra me est.* in quo & ipsam bestiarum transcendistis sævitiam, parricidalibus adversus eum utentes consiliis: pro quibus omnibus apostolatus nostri vos Romam occurrere, & pro his & aliis quæ corrigenda duximus, satisfacere, non semel apicibus commonuimus, sed venire hactenus modis omnibus contempsistis. Quapropter vos a sanctis mysteriis interim celebrandis auctoritate summi pastoris arcemus, jubentes, ut Idibus Februariis istius indictionis, si adestis, vel si duræ infirmitatis pondere non gravamini, synodo nostræ Romæ celebrandæ inter-

Ab apostolica sede catholicis semper subvenitur.

Ezech. 13.

Matth. 12.

esse inexcusabiliter maturetis: quatenus & ab objectis purgemini, & a capite, tam scilicet apostolica sede, quam metropolitano vestro in nullo dividamini: *N.* (quod absit) *circumveniamini a satana,* qui videlicet semper dissensione gaudet: membra quippe, quæ capiti non hærent, inter mortua deputantur: sicuti procul dubio vos, qui nec apostolicæ sedis, quæ est caput omnium Christi ecclesiarum, decretis hæretis, nec affectui metropolitani proprii, & patroni atque magistri. Iam vero si Idibus saltem Februariis occurrere contumaciter parvipenditis, tamdiu estote posthac omnis ecclesiæ communione una cum vobis faventibus alieni, quamdiu venire ac satisfacere super quibus impetimini, non curatis. Ecce enim venerandos forte B canones tenetis præ manibus, qui tales sanciunt non communicaturos, donec purgentur. Porro si quisquam vestrum nullo modo se posse venire prætenderit, vicarium suum mittat, qui & mittentem se jurejurando excuset, & in synodo vicem mittentis adimpleat. Data Kalendas Decembris, indictione decima.

XIX. AD DOMINICUM ELECTUM EPISCOPUM TORCELLENSEM.

Invehitur in Dominicum electum episcopum, quod bis vocatus Romam non accesserit: eumque, nisi venerit constituta die, excommunicat.

Ioannes, Dominico vocato electo Torcellensis ecclesiæ.

C Quia fama crebrescente Torcellensem invasisse dicebaris ecclesiam, semel & bis decrevimus, te Romam venturum, ut coram posito fratre nostro Petro sanctæ Gradensis metropolitano antistite, una cum episcopis qui degunt sub ipso facta super te discussione, rumor longe lateque respersus, aut innoxius patefactus absolveretur, aut comprobatus noxius damnaretur, venire modis omnibus constituimus. Vnde merito a nobis fores damnandus, nisi erga te, petente nobis dilecto nobis Vrso glorioso duce, minus severitate quam patientia uteremur. Verum quia eatenus non venisti excommunicatum te jure a nobis esse cognosceres, in promptu habentibus, secundum apostolum, ulcisci omnem inobedientiam: 2. Cor. 10.
D verum quia nec sic interim contempti salutem tuam contemnimus, unde tertia ecce te vice vocamus, & Idibus Februariis præsentis decimæ indictionis nostro concilio Romæ adesse mandamus: ita ut si tunc non occurreris, tamdiu sis cum faventibus tibi deinceps a nobis & a toto Christi corpore alienus, quamdiu minus resipiscens, obedientiæ nequaquam jussis nostris colla summiseris. Porro si in hac indisciplinatione permanseris, noveris deinceps tibi veniam denegandam, & secundum sanctos canones nil de absentia penitus lucraturum, & non solum communionis, sed & honoris jacturam anathemate perculsum sine fine passurum. Data Kalendis Decembris, indictione E decima.

XX. AD URSUM DUCEM VENETIARUM.

Gratias agit, quod apostolicæ sedis monitis paruerit. Episcopos ad synodum venire jubet.

Ioannes glorioso duci Venetiarum.

Gratias gloriæ tuæ pro benigna devotione tua referimus, quam non solum verbis, sed & operibus erga nos studiose declaras, &

& frequenter ostendis: & ideo nos paterno circa te detinemur affectu; & in his quę ad tuam tuorumque pertinere ac prodesse utilitatem cognoscimus, prompti & benigni semper esse curabimus: ita ut in divinis pręceptis, sacrisque canonibus impedire intentionem & sanctionem nostram nunquam consentias: sed cum tibi de rebus ecclesiasticis quidquam injungimus, sicut devotus filius nos obaudias, & adimplere quæ dirigimus, alacri semper animo studeas: quoniam nos tanto in causis tuis, & ubi tibi opportunitas fortassis evenerit, promptiores tecum nos esse, ac benigniores invenies, quanto te nos nolle a mandatis Dei aliquo modo avertere manifestius viderimus. Nam tibi, carissime, tamquam familiari nostro familiariter scribimus: quia nullius mortalis amorem præponere Dei justitiæ possumus, qui nimirum euangelium legimus, dicens: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* (Matth. 10.) Veniant igitur episcopi ad synodum nostram, ut ipsis nobis rei veritatem significantibus, causam fratris & coepiscopi nostri Petri illis præsentibus facilius diffinire valeamus. Is vero qui valida infirmitate vel senectute gravatur, si ullo modo venire non potest, vicarium pro se strenuum mittat. Ille vero qui Constantinopolim ire refertur, si nondum abiit, nec abire [a] eis Februarium mensem speratur, ab hac communi utilitate nullo modo se subtrahat; sed veniens veniat, ut omni litigio terminato, in ecclesia Dei non nisi pax & tranquillitas perseveret. Optamus gloriam tuam semper bene valere. Data VIII. Kalendas Decembris, indictione decima.

[a] cis

XXI. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Narrat calamitates ecclesiæ illatas a Saracenis, & imperatorem precatur ut auxilium adversus eos mittat.

Ioannes episcopus Carolo imperatori.

QUANTA & qualia per impiam gentem patiamur Saracenorum, quid dicam quia scribere quilibet stylus non sufficit, cum omnia ligna silvarum, si vertantur in linguas, enarrare non valeant? Quorum quia ex his quædam vestra jam didicit excellentia, prædisposuit exercitum suum ad hæc removenda cum valida manu dirigere. Quo nos audito, mox elevatis manibus dominum collaudavimus, ejusque clementiam pro imperio vestro lætantes protinus exoravimus. Sed quanto, fili carissime, lætati sumus in his quæ dicta sunt nobis, tanto heu tristati & amaricati, quia quæ dicta sunt, rerum non sunt effectibus consummata. Reversi quippe sunt, ut audivimus, & solis paganis gaudium, nobis autem non nisi tribulationem inenarrabilem reliquerunt. Et ecce, proh dolor! inimicis crucis Christi gratulantibus, solus fidelium cœtus magna mœstitudine consumitur. Christianorum sanguis effunditur, devotus Deo populus continua strage vastatur. Nam qui evadit ignem vel gladium, præda efficitur, captivus trahitur, & exul perpetuus constituitur. En civitates, castra, & villæ destitutæ habitatoribus perierunt, & episcopi hac illacque dispersi. Sola illis apostolorum principum limina derelicta sunt in refugium, cum episcopia eorum in ferarum sint redacta cubilia, & ipsi vagi & sine tectis inventi, non jam eis liceat prædicare, sed mendicare. Ecce, carissime, pervenit gladius usque ad animam. ecce dies in qua clamamus, *Beatæ steriles quæ non genuerunt.* (Luc. 23.) ecce illa periculosa tempora Pauli voce prædicta. (2. Tim. 3.) Libet ergo cum Ieremia clamare: *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum,* (Ierem. 9.) ut plangam tantam ac talem miseriam, tale ac tantum excidium patriæ? Sed & in tristitia, quin potius in ruina domina gentium, regina urbium, mater ecclesiarum, consolatio tristium, portus periclitantium. Ecce, inquam, revera dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ. Præterito quippe anno seminavimus quidem, sed non recollegimus: hoc vero anno, quia non seminavimus, nec est recolligendi fiducia. Quid de paganis dicimus, cum Christiani nihil melius operentur? Quidam videlicet ex confinibus & vicinis nostris, quos marchiones solito nuncupatis. Nam ut prophetice dicamus: *Residuum locustæ comedit bruchus.* (Ioel. 2.) Et quid Saracenis incredulis, qui sunt filii ancillæ, forte relinquitur ab illis, qui per fidem liberæ deberent existere filii? usque ad terram depascimur. Quid enim illi faciunt, & isti pejora non faciunt? Illi terram occupant, isti cum Petro nihil ex civitatibus, vel ex rure dimittunt. illi occidunt gladio: isti ablatis omnibus fame trucidant. illi in captivitatem ducunt: isti sibi in servitutem redigunt. Et cum quæritur quis adversus hostes dimicet, inveniuntur nulli: cum scilicet eorum oppressione retenti, ad mandatum nostrum occurrere nulli prorsus inveniantur. Sed cum undique angustati clamamus, non est qui audiat, non est qui adjuvet, non est qui salvum faciat, nisi tu, fili carissime, & imperator clementissime, qui post Deum nobis factus es in refugium, & solatium, & auxilium. Quocirca totis pręcordiis, totisque commoti visceribus, cum episcopis & presbyteris ac proceribus, totisque plebis nobis olim commissæ reliquiis deprecamur, jube tandem aperire aures, audire gemitum & singultus omnium nostrum, porrigere manum, & præstare opem patriæ periclitanti, civitati inter multas miserias & ærumnas jacenti, & huic ecclesiæ matri vestræ, a qua non solum regnandi, sed & in dominum unum & verum credendi exordium percepistis: quæque in ultimo, spreto bono & magno fratre, vos more Dei gratuita voluntate, tamquam alterum regem David elegit & prælegit, atque ad imperialia sceptra provexit. Cogitate itaque, Dei cultor semper Auguste, a propheta præmoniti, si hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium? vel ubi relinquetis gloriam vestram? (Isai. 10.) Perpendite quia si hæc humiliatur, non solum gloria imperii vestri periclitabitur, sed & ipsa profecto Christianæ religionis cultura maxima ex parte peribit. Et idcirco talia scientes nolite, obsecro, jam differre: nolite de die in diem induciis non profuturis abuti. Cum proverbiatore clamo, & cum Salomone vociferor: *Ne dicatis amico vestro, vade & revertere, cras enim dabo tibi.* (Eccles. 9.) Et alias: *Quod potest,* inquit, *manus tua facere, instanter operare,* &c. (Prov. 3.) Nescitis namque, ut cum venia vestra dicam, quid superventura pariat dies. Ita ergo, fili Christianissime, de hac ecclesia, nec non & patria velociter & prudenter excogitate & ordinate: ut saltem ipsæ paucissimæ reliquiæ salvæ sint, quæ remanserunt, quæque quotidie catervatim gladio & pręda dispereunt. Occurrite strenue, subvenite celeriter, & manu consolationis vestræ ab oculis nostris tandem abstergite lacrymas: quatenus super illis & pręsentialiter Deo propitio gaudeatis, & in futuro, frequenti ac laudabili relicta fama superstite, cum Christo perpetes in cælestibus imperetis. Data XVII. Kalendas Decembris, indictione decima.

XXII. AD LAMBERTVM COMITEM.

Vt compescat sibi subjectos a malis quæ perpetrabant; quos si emendare non potuerit, minatur illos se excommunicaturum: legatis multa ei viva voce referenda se injunxisse significat.

Ioannes episcopus Lamberto comiti.

Ab olim (si recordaris) salutem tuam atque profectum desiderantes, & anima te salvari, & corporeis honoribus cumulari quæsivimus & optavimus. Et quia nunc multo amplius hoc quam prius, fili carissime, volumus; scias paterno affectu a nobis te diligi, & ut spiritualem filium prorsus amplecti: quoniam honorem, atque tuum profectum, nostram gloriam esse putamus, & de tuæ prosperitatis augmento in domino gratulamur: unde & tu non immemor nostri, rogamus, ut semper & ut his quæ volumus, & quæ nostrum de tuis hominibus pontificium pulsant, emendare nullatenus prætermittas. non enim speramus ut talia scias, qualia ab eisdem tuis hominibus in nostris finibus perpetrantur. Quæ oportet gloriam tuam studiose inquirere, & (sicut condecet) pro Dei, & nostro amore omni conamine emendare, quia tam hominibus sancti Petri apostoli, quam hominibus Guidonis, tui homines (sicut fertur) innumera mala faciunt, & rapinas multas exercent. Quæ rogamus statim emendare facias, & tibi subjectis ultra tale quid facere non consentias. Verum si id forte emendare te non posse fateris, ut cum pace tua dicamus, in pravos atque iniquos homines illos ob tui amoris dilectionem, tuo consensu adhibito, nostri apostolatus sententiam dabimus, & quousque resipiscant, a liminibus sanctæ ecclesiæ sequestrabimus. latores vero præsentium missos apostolicæ sedis, Acimundum scilicet & Vvalpertum venerabiles episcopos dilectos nostros ad tuam nobilitatem direximus, ut hi quod pagina reticuit, viva voce loquentes edicant, & revertentes de tua benevolentia nos lætiores efficiant. Data xix. Kalendas Ianuarii, indictione decima.

XXIII. AD CAROLVM IMPERATOREM.

Laudat quod sedis apostolicæ legatos benigne exceperit: rogatque ut ecclesiæ Romanæ prædones, qui missorum ipsius judicium latentes effugerant, requiri & coerceri jubeat.

Ioannes episcopus Carolo imperatori.

Innumeras omnipotenti Deo grates & laudes referimus, qui cor pietatis vestræ, quod in manu sua consistit, tanta Spiritus sancti gratia replere dignatus est, quanto solicitius vos sacras aures ad profectum ecclesiæ nobis commissæ divinitus inclinantes, & apostolicæ sedis legatos, Leonem videlicet apocrisiarium & missum sanctæ Romanæ ecclesiæ, seu Petrum, venerabiles episcopos, nostrosque dilectos, ea benignitate, qua soliti estis, & eo amplius suscepistis: & illa quæ vobis pro statu ac exaltatione sanctæ Dei ecclesiæ suggesserunt, ad efficacem finem provenire jussistis. Vere enim, filiorum carissime, cor vestrum in manu Dei est, quia ejus consulta universa disponitis, & sapienter imperium vobis collatum moderari studetis: quia ex utero matris crevit vobiscum sapientia, & rectitudo fuit dilecta vestra amica. Et quia A præconiorum vestrorum humana lingua fari non sufficit multitudinem, ad illa quæ de infidelibus nostris & vestris peracta sunt epistolariter abeamus. Vestris quidem, benignissime imperator, apprime eruditis viris & Deum timentibus, 1 Ansegiso videlicet reverendo archiepiscopo, & Adalgario venerabili episcopo, communibus quoque fidelibus nostris, juxta quod petieramus, pro honore atque utilitate sanctæ matris vestræ ecclesiæ Romanæ a vobis directis, Romam pervenientibus, & quantum vobis justitia placeat, luce clarius agnovimus, & de affectu filiorum, quem erga nos conservatis, in domino gratulati sumus: sed de infidelibus sanctæque Romanæ ecclesiæ hostibus, quos pro multis sceleribus ac pravitatibus B suis ovile Christi non recipit, huc illucque latitantibus, & nefandissimos actus suos tegere molientibus, non ut oportuit, neque sicut vestri voluerunt legati, de illis potuit adimpleri. Nam ut ita fateamur, a sibi similibus infidelibus vestris, & inimicis nostris, quibusdam scilicet marchionibus, quos iidem vestri legati narrabunt, occultati & effugati, nec ad se percutientes reversi sunt, nec alios suæ malitiæ inquinamento contaminare desistunt. Proinde clementiam vestræ celsitudinis imploramus, & per futurum Dei judicium adjuramus, ut eosdem sanctæ Dei ecclesiæ hostes atque prędones, sacrilegos quoque, sive tyrannos, ac per hoc a Christi collegio synodice sequestratos, studiosius requiri jubeatis, & ad lugenda mala, quæ C imprętermisse hactenus operati sunt, sicut jam decrevistis, exilio deputetis. Quia si ipsi, qui tantum Dei ecclesiam macularunt, impune jam vestram sanctionem diffugerint; vel si, quod evenire non debet, in vestro imperio quibuscumque, quod turpe est dicere, contra vestram voluntatem eis favorem pręstantibus, tam absolute discurrerint; totum idem vestrum imperium coinquinabunt, & omni Christianitati dispendium generabunt: quia cum sint ipsi oves morbidæ, totum gregem contaminant, & erunt novissima illorum pejora prioribus. Ideoque major morbus majori medicina curandus est; ne si non debita, vel quali decet austeritate vulnera magnum fœtorem dantia radicitus resecata fuerint, totum corpus ecclesiæ tabefiat, & nobis hæc sustinentibus ministerium nostrum D exercere non liceat. Non enim Stephanum & Sergium ad nos fraudulenter venientes recipere noluimus, sed eos ad vestram venire jussimus majestatem. Ceterum, fili carissime, thesauros ecclesiæ nostrę, ab eisdem nefandissimis raptos ac fraudatos, ita sciatis ab ipsis etiam celatos, ut per eos qui hic de suis satellitibus remanserunt, inveniri non possint: illos vero qui noverunt ubi eos recondiderint, ne detegi possent, apud se callide retinent: & nisi ipsi capti fuerint, ubi sunt occultati, nos nostrosque penitus latet. Verumtamen quid vel quantum ab uno & quantum ab alio, quantumque etiam in domibus eorum repertum sit, vestri jam dicti legati & scripto & verbis vobis, si E placet, edicant. Data xviii. Kalendas Decembris, indictione decima.

Nota Iacobi Sirmondi, S. I.

1 *Ansegiso & Adalgario.*] Missi ambo Romam a Carolo fuerant cum legatis apostolicis post synodum Pontigonensem. Aimoinus lib. v. cap. xxxiii. *Soluta est synodus. Postea imperator legatos muneratos apostolicos, Leonem & Petrum, remisit Romam, & cum eis Ansegisum Senonensem episcopum, & Adalgarium Augustodunensem episcopum.*

XXIV. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Scribit intellecturum imperatorem ex Adalgario episcopo (cui pallium concedit) cur ecclesiæ causa ex voto non processerit. Taxat Ansegisum, & Adalgarii fidem commendat.

Ioannes episcopus Carolo imperatori.

LAUDABILEM quidem intentionem & pium studium vestrum pro causa ecclesiæ nostræ, nostris videlicet vestræ, fili carissime, viscerabiliter habitum & bene dispositum agnoscentes, innumeras Deo gratias, qui totius boni auctor & moderator est, quique docet hominem justitiam, B gessimus. sed impedivit nos satanas, & spes nostra frustrata est, cum non ad votum nostrum & commune propositum finis rei processerit. Qualiter autem, vel quo faciente, ita causa provenerit, Adalgarius sanctissimus episcopus, quem nos vestri amoris causa, ipsiusque morum probitate non immerito moti, palliatum ad vos ecce remisimus, a majestate vestra interrogatus, & per fidem, quam vobis se illæsam servaturum pollicitus est, adjuratus edicet. Illud tamen nos interim ad memoriam vestram reducimus, quod nobis olim de Ansegiso & Lantberto specialiter quodam præsagio futurorum, tamquam providus revera pronuntiastis. C Est enim ita gestum ut prævidistis, & nil vos ante latuit, quod postmodum intellectus nostri oculus non aspexerit. Non enim recte cum eo, sicut episcopum decuit, ambulavit: sed per versipelles anfractus incedens, multum a via rectitudinis deviavit. Quod cum exhibitum ad lucem veritatis extiterit, penitus evasurum non credimus impunitum. Cujus scilicet certam rei poteritis circumstantiam procul dubio deprehendere, si, ut prætulimus, idem almificus vir sub testificatione vobis promissæ fidei adjuratus, vos latere noluerit. Sane nosse vos volumus, quia cum sæpe memoratum antistitem adeo cognovissemus vobis esse fidelem, ut crederemus nullis muneribus nullisque terroribus a suæ fidei erga vos habitæ sinceritate D posse divelli, adhæsit animæ nostræ salutis filius, & idcirco inter pontificium nostrum & imperium vestrum mediatorem illum fore decrevimus, ut quasi vocis utriusque sit organum, referatque vestra nobis, & quæ nostra sunt, vobis annuntiet, ut lapis angularis habitus in Christo Iesu, qui est pax nostra, & fecit utraque unum. Data XVI. Kalendas Decembris, indictione decima.

XXV. AD DELTUM EPISCOPUM.

Ut vice apostolicæ sedis fungens Venetias pergat, & episcopos ejus regionis Romam ad concilium, sicut jusserat, venire faciat.

Ioannes reverentissimo Delto episcopo.

E TUÆ dilectionis sinceritati pastoralis officii nobis solicitudine junctæ, quam in consortium nostri laboris asciscere decrevimus, cognitum facimus, quia Petrus reverentissimus Venetiarum metropoleos antistes multis suffraganeorum suorum gravatus molestiis, & canonicæ constitutioni repugnantibus malis oppressus, delegit corde devoto sanctorum apostolorum Petri & Pauli ad limina properare, indeque salutis & optatæ consolationis opem percipere, ubi totius ecclesiæ Christus Deus noster fundamentum locavit, & religionis atque justitiæ caput instituit. Et ideo

A querimoniis ejus aures clementiæ nostræ, literis tam ipsi Urso Venetiarum duci, quam suffraganeis ejus episcopis, quorum sane inobedientia & temeritate canonicus vigor confusus, ecclesiæ Dei potestas exinanita, & metropolitana dignitas corrupta existit, ut in conspectu nostro apostolicæque sedis præsentia, utriusque partis præsentia existente, discussa, finem causæ debitum æquo imponeremus libramine, literas nostras direximus: sed ipse dux excusationis verba potius quam quæsitas a nobis personas statuto tempore maluit destinare. Unde dolentes præfatum fratrem & coepiscopum nostrum absque consolatione debita relinquere, rati sumus te vice nostra illuc dirigere: quatenus divino fretus auxilio, ea quæ prędicto fratri sunt necessaria prudenter peragas, & cum domini timore cuncta perficias. Has igitur apostolatus nostri literas accipiens, pro utilitate & salute ecclesiæ Dei ceu idoneus Christi miles laborare satage: quoniam dicente apostolo, labor noster non erit inanis in domino; & si socii sumus laboris, erimus profecto & consolationis. Christo igitur duce, Venetiam perge, Ursoque duci epistolam destinatam tribue, eamque ut auribus audiendi audiat, instanter admone, ne statutis apostolicæ sedis resistere, quin potius humili corde obedire procuret. Alteram vero epistolam Felici sanctę ecclesiæ Equilensis episcopo, quem ad nos venire jubemus. Tertiam quoque Dominico Olivolensis ecclesię, & Leoni Caprensis ecclesiæ, episcopis, quos ibi manere volumus, eisque ut in his quæ Dei sunt, te fideliter adjuvent præcepimus, tribue. Quartam vero Dominico electo ecclesię Torcellensis dare procura: eosque terribiliter obtestando atque jubendo, easdem epistolas in conspectu totius ecclesiæ & populi, teque prę-sente legere facito: quibus nimirum perlectis, tam eosdem episcopos supradictos, hoc est Felicem Matemautensem, & Petrum Aquilensem, episcopos, nec non Laurentium archidiaconum Gradensis ecclesiæ, abbatem cœnobii Altinensis, archidiaconum Rosellensem, & archipresbyterum Gradensem, cum nepote suo Laurentio Romam in præsentiam nostram, ex nostra apostolica auctoritate Idibus Februariis omni mora vel occasione postposita, secundum tenorem epistolæ nostræ venire præcipe. Nam si in prædictis Idibus venire quolibet modo distulerint, sciant se omni ecclesiastica communione esse privatos, atque anathematis vinculis innodatos, quousque nostris se obtutibus præsentare curaverint. Cumque omnia juxta nostræ præceptionis affectum, pia & fideli devotione compleveris, ad ecclesiæ tuæ revertere gremium, nobisque sub certitudine cuncta renuntiare non differas. Ut si de cetero aliqua super his agenda sint arbitrio solerti, ut cura debita solicitius Deo propitio peragamus.

1. Thess. 2.

AD RICHILDIM AUGUSTAM.

Rogat ut Romanæ ecclesiæ suffragetur.

Ioannes episcopus Richildi Augustæ.

QUANTO amore spiritualis filius noster piissimus imperator erga hanc sanctam matrem suam ecclesiam flagret, ex hoc manifestissime claret, quod causam illius apud se specialiter exequendam & ordinandam in vestris proprie manibus collocavit. Cui enim congruentius & præstantius eam, quam præ ceteris spiritualiter diligit, oro, com-

termisse subtrahunt, & omnem nostram dispositionem in territorio Romano suis violentiis calcant: adeo ut nec ulla quadrupedia in omnibus nostris remaneant, nec ullum, qui nobis compatiatur, vel nostros singultus aut gemitus doleat, oculi aspiciant. Sed quia tanto imperatori pauca sufficiunt, & ex istis jam, fili carissime, quæ nos gemitu & afflictione cordis loqui non possumus, universa alia cognoscetis, quasi humo prostrati vestram magnificentiam deprecamur, & per futurum judicium deprecantes, cum tota nostra ecclesia vestro divinitus protecto imperio totis viribus suggerimus, votisque supplicibus preces multas effundimus, ut contritæ & omni humano solatio destitutæ sanctæ matri vestræ Romanæ ecclesiæ defensionem, debitamque tuitionem, cunctis remotis occasionibus, cunctisque omissis dilationibus, omnimodis præbeatis: quia cum jam juxta præcipitium consistamus, nisi manu vestræ defensionis, & necessariis nobis, sicut præmisimus, imo sæpius exoravimus, quantocius opibus subvenire studueritis, spe vivendi per Christianos sublata, aut ipsis paganis subjiciemur, aut, quod avertat divina potentia, ab eorum multitudine victi, ad omnem Christianitatis interitum crudeli nece peribimus, ac per hoc & Christi nomen in gentibus blasphemabitur, & vestræ opinionis anteacta studia oblivioni trademus. Hujus rei gratia sicut supra meminimus, opportunum adjutorium conferentes, nobis vestrum exercitum ad hostilem expeditionem promptissimum destinate, aliosque Deum per omnia diligentes missos, qui vitiorum flammas justitiæ tramite usi compescant, nimia celeritate dirigite: quatenus qui innumeris tribulationibus quatimur ac æstuamus, & pro populi nobis commissi miseriis cruciamur, vestris consolationibus refecti lætemur, & per vos tranquillitate percepta, optatam libertatem, sicut decet, per tam benignum imperatorem consequi mereamur. Postremo sublimitatem vestram deposcimus, ut latores præsentium, Petrum scilicet atque Petrum venerabiles episcopos, missos apostolicæ sedis, nostrosque dilectos, juxta morem benigne ac pacifice suscipere non dedignemini, & ea quæ piis vestris auribus pro utilitate sanctæ Romanæ ecclesię in conspectu vestro retulerint, ad congruum ac oportunum effectum pervenire, pro sanctis apostolis vestris intercessoribus apud Deum, celeriter studeatis. Data quarto Idus Februarias, indictione decima.

XXXI. AD RICHILDIM AVGVSTAM.

Vt imperatorem conjugem suum ad opem ecclesiæ quamprimum ferendam hortetur.

Ioannes episcopus Richildi Augustæ.

MULTO peracto jam tempore tam ad spiritualis filii nostri Augusti, quam ad vestram invisendam clementiam, missos apostolicæ sedis destinare desideravimus: quatenus & de utriusque sospitate lætiores efficeremur, & nobis commissæ, sanctæ scilicet matris vestræ, Romanæ ecclesiæ calamitates atque oppressiones, quas a Christianis & ab iniquis paganis sine cessatione patimur, ad memoriam reducentes, ab eodem Augusto consolationem & optatam opem, sicut sperabamus, tandem aliquando consequi mereremur. Sed omnium viarum aditibus a malis obsessis hominibus, plus nos compulit dolor lacrymas fundere, quam locus pateret ad vos nostros missos dirigere: quia ex uno, sicut diximus, Christiani, ex alio pagani ita nos

A crudeliter persequuntur, ut solis mœnibus urbis relictis, omnia in circuitu longe lateque consumpta habeant, & in solitudinem prorsus redacta. A quibus per tantum imperatorem relevari jam credebamus, & recuperationem aliquam vel medelam adipisci summopere præstolabamur. sed ecce pro peccatis nostris aliis negotiis implicatus, nobis hactenus distulit ferre præsidium. Et quia jam sustinere non possumus, gloriam vestram multipliciter deprecamur, ut vice nostra fretæ, sumatis in femineo sexu virile pectus, & pro amore sanctorum apostolorum Petri & Pauli, quorum ita est devastatum terminum, ut magis libeat flere, quam dicere, tamdiu apud piissimum imperatorem no-
B strum insistatis, quousque & contra paganos opem præbeat, & Christianos compescere gaudeat. Quoniam ideo illum tanto diademate ab olim quidem a nobis expectatum ac præelectum decorare curavimus, ut sanctæ Romanæ ecclesiæ recuperatio & securitas, quam ademptam dolebamus, per pium studium ejus, quo semper fruebatur, rediret. Quapropter, carissima filia, per Deum vos adjuramus, opportune importune insistite, ut antequam in ipsa urbe Romulea aliud periculum, quod Deus avertat, proveniat, manum suæ defensionis exhibeat, & hanc terram, quæ sui imperii caput est, ad libertatem reducat, ne quando dicant gentes, ubi est imperator illius? quatenus & nobis spes evadendi, vivendique remaneat, & prius-
C quam hiems vel ver transeat, contra eosdem paganos Romæ sint illius exercitus præparata subsidia. Alioquin aut omnino peribunt, aut coacti, ut solam vitam redimere valeamus, eis qui nobis dominantur, quomodocumque subjiciemur. Data IV. Idus Februarias, indictione decima.

XXXII. AD CAROLVM CALVVM IMPERATOREM.

Mittit imperatori palmam, & malis, quibus a Saracenis pravisque Christianis urgebatur, expositis, auxilia petit.

Ioannes episcopus Carolo imperatori.

INTER cetera, quæ vera crescente religione ab olim ecclesiastica facta vestræ pietati duxi-
D mus intimanda, virentium vobis palmarum ecce bravium mittimus, quod apostolus non omnes qui *1. Cor. 9.* currunt, sed unum propter unitatem legitime certantium accipere protestatur. Quapropter, fili carissime, quasi præsentes, incurvatis genibus & summisso capite deprecamur & obsecramus, ut ita legitime celsitudo vestra in hujus sæculi stadio pro Christi ecclesia currere, ita decertare contendat, ut non solum bravio victrix vestra dextera adornetur, verum etiam sacratissimum caput diademate gloriæ decoretur: imo pro visibilibus, non tantum palmam, sed & coronam accipiat incorruptam. Sed heu, clementissime imperator, ecce dum ad alia intenditis, mater vestra, sancta videlicet hæc ecclesia, quæ vos spiritualiter genuit,
E periclitatur, & in novissimum devenit exitium: hinc inde non solum tabernaculis hanc Idumæorum & Ismaelitarum, & Agarenis quotidiano gladio & captivitate in interitum impellentibus, verum etiam falsis filiis Sarræ, quos optime nostis, in prædam & direptionem miserabiliter immittentibus: ita ut & illi sæpe usque ad muros urbis quamvis clandestinis horis pervenerint, sed & Tiberinum fluvium, qui olim Albula dicebatur, juxta Sabinorum confinia pertransierint: & isti, qui nobis

nobis vicini sunt, ex altera parte ita sæviant & debacchentur, ut non hominem, non agrum, non jumentum, non pecus, non quidquam ex his quæ sancti Petri juris existunt, dimittere patiantur, sed omnia quæ oculo vident, manu diripiant; & mala quæ cogitant, sine mora perficiant. Hæc sunt, carissime, de innumerabilibus pauca, quæ mater vestra Romana, proh dolor, diebus vestris perfert ecclesia; quasi non vos specialiter ex omnibus amaverit, invitaverit: vel quasi nos non vos, auctore Deo, in imperium coronaverimus, & vobiscum in omnibus, quasi cum sapientissimo Salomone, ut (3. Reg. 1.) quondam ille fidelis Sadoch sacerdos, adversus alterum ad omnia minime steterimus, nec cuncta, quæ pro vobis debuerimus facere, fecerimus: ad extremum quasi non hodieque manui vestræ speciali voto & prærogativa plenam benedictione palmam, sicut & cernitis, destinemus adversus visibiles hostes & invisibiles triumphantem. Optantes enim vos de cunctis adversariis triumphare, nihil aptius vobis, quam ramos palmarum, duximus offerendum, quos & pueri sternebant in via domino Hierosolymam venienti, (Matth. 21.) antiquum hostem triumphaturo, & mundum victuro. Sed dicuntur multæ vos impedire solicitudines. Hoc plane nec nos ignoramus. Verum ut cum domino fateamur, & hæc (Luc. 11.) oportuit facere, & illa non omittere. Nam vobis, qui in agone contenditis, ut ad bravium supernæ vocationis, & ad capessendam coronam incorruptam perveniatis, ab omnibus aliis abstinendum est, & legitime, ut prædiximus, decertandum. Quid autem magis legitimum, quam ut præ omnibus & ante omnia Romanæ curam habeatis ecclesiæ, quæ ceterarum magistra est & mater ecclesiarum, quæ vestro in tempore tantis ac tam immanibus succumbit sine cessatione periculis: Denique si hæc ecclesia, quæ caput est, viget, cetera membra, quamvis languida, recuperandi fiduciam non amittunt: quæ nimirum omni robore carent, si contingat solum caput forte languere: quãto potius, quod avertat omnipotens, si contingat extingui? Vnde iterum iterumque totis singultibus totisque imploramus præcordiis, & per Christum Dei filium suppliciter adjuramus, qui vos ad tantum provexit fastigium & imperium, vel nunc citatum extendite clementiæ brachium, & periclitanti patriæ, quin potius mundo, auxilii, jam jamque porrigite dexteram. Ecce Petrus in commissis ovibus mergitur. Erigite ergo eas vos a fluctibus, clementissime. Sic vos ipse ab excessuum alluvionibus erigat, & vobis cælestis atria regni intercessionum suarum clavibus reseret, & vitæ æternæ pascua invenienda inter angelos sine termino tribuat, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, &c. (1. Cor. 2.) Data Idibus Februarii, indictione decima.

XXXIII. AD AIONEM EPISCOPUM BENEVENTANUM.

Commendat eum de zelo erga sedem apostolicam. monet ut sibi adjumento sit in expellendis Sarracenis, suumque fratrem ad idem faciendum impellat.

Reverentissimo & sanctissimo Aioni episcopo Beneventano.

SUSCEPTIS atque relectis literis sanctitatis tuæ, gratias omnipotenti Deo retulimus, & pro tuæ devotionis affectu, proque solicitudine, quam inquirendo de nostris eventibus habuisti, multum in domino gratulati sumus. Decet enim, A & omnino coram oculis divinæ majestatis extat conveniens, ut hi quos fideliores erga sanctam matrem cunctorum scilicet Romanam ecclesiam esse conspicimus, nostris affectibus, & si non per corpus, per spiritum amplectantur, & fraterna dilectione juxta merita singulorum tractentur. De hoc autem quod asseris, te de nostra sanitate lætari, sicut e contrario de oppressione Sarracenorum tristari; optime quidem (ut ita dixerim) quantum foris est, tangis: sed quantum intus est, juxta tribulationem quam patimur, non advertis. Præcipue cum pro populi nobis commissi vastatione solum nobis supersit sepulcrum, & pro his qui nobiscum certare debuerant, & non solum inimicis Christi faveant, sed etiam nostrum laborem impediant, immensis angustiis æstuemus. Sed in his B non solum nobis orationibus a vobis subveniri precamur, verum etiam quos a communi nostro certamine deviare cognoscis, & exemplo operis, & verbo prædicationis revoces, exhortamur. Ceterum licet nostro itineri Neapolim nobis pro maxima nostræ ecclesiæ necessitate nuper advenientibus non adhæseris: tamen quod per præsentiam non egisti, per absentiam, si ille calor fidei in te viget, quem credimus, agere prorsus valebis. Bene enim tuo ministerio cedis, si & laborem nostrum, quem valde debiles corpore pro liberatione Christiani populi tunc assumpsimus, opportune advertis, & tribulationis, quam modo patimur, memor semper existis. Nam nunquam consilium fratris tui per aliquos tantum subverti potuit, quan- C tum per tuæ sanctitatis solertiam immutatione dexteræ excelsi non possit converti. Eia igitur frater carissime, accinge episcopaliter lumbos tuos, & medullitus fratrum nostrorum, pro quibus Christus suum sanguinem fudit, neces atque dictu horrendam captivitatem perpende, & insta opportune, importune, fratremque jam dictum monitis, imo verbis increpatoriis exhortare, ut (2. Tim. 4.) nostros pios conatus sequatur, & pro Christianis nobis certantibus opem tribuat, voluntatem extendat, & opus te instante exhibeat, & misereatur Deus. Quid nobis proficit Christianum vocabulum, si opere Christiano caremus? quid prodest nobis cognovisse viam justitiæ, quando post cognitionem retrorsum conversi, cum inimicis Christiani nominis tam libere fœdera copulamus? Ergo D (sicut diximus) beneficiis sanctæ Romanæ ecclesię tua sanctitas non integrata nobiscum laboret, nobiscum pro salute populi Dei in illis partibus cooperatrix existat, & nostro certamini favens, sanctæ Romanæ ecclesiæ se devotam nomine & opere semper exhibeat. Quia si tu, sicut potest, peregeris, nec fratris tui, nec alicujus hominis factum, nostrum opus, piumque laborem, Christo juvante, apud vestrates ex toto dissipare valebit: quin potius incrementum per Iesum Christum dominum nostrum augebitur, & labor proficuus apparebit. Data Kalendas Februarii, indictione decima.

E XXXIV. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Respondet, abbatem, qui nullo comprobato crimine a regii cœnobii prępositura depulsus fuerat, esse revocandum; homicidam autem, & facinoris socium ab omni prępositura pellendum.

Ioannes episcopus Ansperto archiepiscopo Mediolanensi.

LAUDAMUS sanctimoniam tuam, frater carissime, justitiæ zelo ferventem: sed in promo-

motionibus sive antistitis, sive abbatis, nil profecto aliud gerendum possumus exhortari, nisi quod sacri canones sanciunt, quos nulli sacerdotum licitum est ignorare, vel quidquam facere, quod patrum possit regulis obviari. Verum quia in utroque filii nostri semper Augusti interfuisse perhibetur assensus, ejus super hoc esse videtur expectandus adventus: ad cujus cum tua sanctitas asserit pietatem, credimus nil ecclesiæ Dei præter paternas regulas illaturam. Moderatio quippe sedis apostolicæ, & universalis ecclesiæ dispositio, in hoc periculoso tempore pene cuncta dispensatorie moderanda compellit. Quamvis autem præsenti sit exuli consulendum, nihil tamen est, non extante ulla necessitate, contra canones patrum agendum. Abbas autem qui nullo comprobato crimine a regii est cœnobii præpositura depulsus, ejusdem piissimi principis permissu, precibus nostris tuæ sociatis industriæ, revocandus est. Non autem solum homicidam, sed & socium homicidæ ab omni præpositura pellendum decernimus. Hæc perpaucis fraternitati tuæ scripsimus, ne sibi omnino rescribere supersedisse videremur. Ceterum, ut cum sancto Leone papa dicamus, Nos qui sacerdotum domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium diffinire, priusquam universa quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Si enim (ut ait apostolus) mediator unius non est, qui sic unam partem audit, ut alteri parti nihil reservet *. Optamus, &c. Data III. Kalendas Martii, indictione decima.

Galat. 3. * *for.* aliquid deest.

XXXV. AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI IMPERATORIS CONSTITUTOS.

Monet ut imperatorem hortentur ad opem ecclesiæ Romanæ celeriter ferendam.

Ioannes episcopus omnibus archiepiscopis & episcopis in regno imperatoris Caroli constitutis.

PRISTINIS attriti miseriis, & oppressi calamitatibus, dilectissimi filii nostri magni imperatoris Caroli, quasi de profundis ad Deum clamantes, tamquam ipsius domini & salvatoris nostri anxii expectabamus adventum, & ut ita dixerim, ejus iteratum pro salute nostra credebamus imminere descensum. Sed, proh dolor! tot ac tantis circumdamur hinc inde periculis, ut tædeat nos etiam vivere. Ecce enim dominicarum ovium ab Agarenis, qui sunt filii fornicationis, nec non & ab his qui solo sunt nomine Christiani, aliæ gladio trucidantur, aliæ fame pereunt, aliæ vero in prædam & captivitatem ducuntur. Sed & pastores earum, reverendi episcopi, profugiunt, & vagi huc illucque palantes omni penitus egestate tabescunt. Redacta est terra in solitudinem, & ablatis ab illa hominibus, ferarum saltus effecta est: civitates, castra, & villæ subversæ, nec ubi earum fuerint ædificia, innuunt. Sed & venerabilia loca destruentes, altaria domini suffoderunt, ministros & servos ejus occiderunt. Facti sumus, secundum Psalmistam, in derisum & contemptum his qui in circuitu nostro sunt: dum illi aut vicinorum auxilio potiuntur, aut saltem pacto, secundum apostolum, tempus redimunt, quoniam dies mali sunt. Seminamus pedetentim, quamvis in lacrymis, nec recolligimus; imo jam nec seminandi facultas suppeditat. Sedet in tristitia domina orbis, mater ecclesiarum, magistra gentium, consolatio tristium, & non est qui adjuvet, non est qui consoletur eam, nisi tu solus, o bone Deus, & si non propter iniquitates nostras, sed spe, quæ secundum apostolum non confundit. Quæ, fratres carissimi, partim vobis significamus, (nam si per singula scribere tentassemus, facilius nobis charta quam sermo deficeret) ut sicut unum corpus sumus in capite Christo, & alter alterius membra, ita nobiscum pariter condoleatis & compatiamini: quia *si quid unum patitur membrum*, ut Doctor gentium ait, *compatiuntur omnia membra: & si compatimur, & conregnabimus.* Condolentes autem nobis, & compatientes, accedatis ad Christianissimum filium nostrum, & consilium domini ab eo non abscondatis: suggerentes, & exhortantes, ut perpendat quis & quam terribilis sit ille, qui hunc ante sæcula huic præfuturum regioni prædestinaverit, & quam districte ab eo exacturus sit quod commisit: qui scilicet tam preciosi sanguinis fusione quod credidit emit. Meminerit etiam, quia & nos illum præ ceteris propinquis & æmulis ejus amavimus, elegimus, & prætulimus. Unde & eum adversus omnes hostes ecclesiæ non solum defensorem, sed & patronum & advocatum nostrum existere proposuimus: ut quod ei nos apud Deum esse satagimus, ipse inter homines pro nobis fieri non detrectet: præcipue ut accelerans nobis subveniat, & sine mora contra perfidos Christianos & infideles succurrat. In quo sanctæ fraternitati vestræ præ omnibus laborandum est: pro commisso scilicet sibi sacerdotali officio, & quia, ut cum propheta veridico fateamur, si hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium, vel ubi relinquetis gloriam vestram? Data III. Kalendas Martii, indictione decima.

Psalm. 43. *Ephes.* 5. *Rom.* 5. 1. *Cor.* 12. 2. *Tim.* 2. *Isai.* 10.

XXXVI. AD LANDULPHUM EPISCOPUM CAPUANUM.

Mittit legatos, ut Docibilis Hypatus petierat: hortatur ut det operam una cum legatis, ut pactum cum Saracenis initum dissolvatur; se quidquid ab eo constitutum fuerit, approbaturum.

Landulpho episcopo Capuano.

NOVERIT industria tua, nos tam Sergii magistri militum, quam Docibilis Hypati epistolas suscepisse: quibus cognovimus eos excusabiles se velle coram nobis reddere tentavisse super contracto infando fœdere, quod cum Saracenis impie pepigerunt, nec absolverunt; in tantum, ut gerulus earum referret jam fuisse diruptum, nisi dilectio tua pro reverentia nostri, nostrum in hoc expectandum arbitrium judicasset. Quamvis nec hæc ipsa ex toto crediderimus, eo quod de his nullam tuam susceperimus. Verum quia nos prædictus Docibilis Hypatus, ut missos nostros pro tanto bono, & omni ecclesiæ profuturo perficiendo, Cajetam mitteremus, obnixe rogavit; ne negligentia nostra diffamaret tantam humani generis salutem postpositam, misimus illuc Walbertum Portuensem, & Eugenium Ostiensem, sanctissimos episcopos dilectos & consiliarios nostros, ut sive cum magistro militum, sive cum missis ejus loquentes, pactum illud, quod perditionis est causa, dissolvi per omnia suaderent, in tuæ maximæ sapientiæ illos fiducia destinantes. Quapropter hortamur, ut solertia tua tanto in hoc laboret, quanto non solum a nobis condignam vicissitudinem, sed & ab ipso Deo & domino nostro coronam se percepturam in cælestibus non poterit dubitare. Admonemus itaque, *insta opportune, importune*, ut tam impio discisso fœdere, pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, nobis tandem cœlitus restituatur.

2. *Tim.* 4. *Philip.* 4.

Si qua vero inter hæc se ingerit inimica Deo contentio, tuæ sapientiæ manibus detergatur: nulla simultas, nulla rerum vel gloriæ cupiditas a tanto lucro atque profectu vos subtrahat; quia, quidquid illud est, pacifice poterit post modicum dirimi, & cum caritate, nobis quoque mediantibus, diffiniri. Certet ergo, laboret, & satagat industria tua, & in his vice nostra utatur; & quidquid agendum, quidquid communi ex placito fuerit construendum, vice nostra faciat atque constituat. Alacriter enim quod tua dilectio constituerit, & immobili placito fixerit, adimplere atque perficere procurabimus, nihil ut in hoc hæsitet dilectio tua magnopere commonentes. Prædictis autem missis nostris missos tuos indifferenter & absque mora Caietam dirigere procurato, qui de his omnibus cum eis salubriter tractare valeant, & quæ sunt agenda, perficere. Optamus, *&c.* Data Idus Martii, indictione decima.

XXXVII. AD FROTARIVM ARCHIEPISCOPVM.

Frotarium ab ecclesia Burdigalensi a paganis devastata transfert ad Bituricensem.

Reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Frotario, dudum quidem Burdigalensi, nunc autem Bituricensi archiepiscopo.

Ad hoc nos divina provisio supernaque moderatio ecclesiis suis voluit præesse rectores, ut dispersa congregare, & servare congregata summo studio procuremus, non solum earumdem ecclesiarum solicitudinem, sed & ipsorum quoque rectorum habeamus industriam, & exerceamus solertiam: quatenus sicut rectoribus destitutis ecclesiis alios subrogantes consulimus, ita rectoribus vacantibus ecclesias domini committentes, providam curam nos earumdem ecclesiarum gerere demonstremus: maxime his, qui cum robusti præliatores domini sint, intra otiositatis angustiam arceri renuunt, & per hoc expeditius contra vitia certaminum exercitia quærunt. Quia igitur Burdigalensem ecclesiam, totamque pene sub ejus habitam regimine diœcesim, ita paganorum frequentes gladii; prædæque continuæ consumpsit irruptio; ut pene omne illic episcopale vacet officium; necessario prævidimus, Dei omnipotentis auctoritate, beatorumque Petri ac Pauli apostolorum principum fraternitatem tuam, cujus vacatio defectus est fidei; & fere virtutum omnium detrimenta, in ecclesia Bituricensi, quæ vacare pastorali cura dignoscitur, ab hac præsenti decima indictione præferre simul & incardinatam præficere, habito in eadem Bituricensi ecclesia totius jure metropoleos ac diœceseos priscis temporibus a sacris canonibus præstituto, & in illa ecclesia eatenus conservato: ita ut pastor ejusdem sanctæ Bituricensis ecclesiæ; rector & antistes ex hoc re vera dicaris; habearis, & Christo propitio percolaris, ea quæ Dei sunt jugiter agens, & utilitati proximorum semper intendens. Qui vero contra hujus apostolici privilegii nostri statutum, quod necessitate barbarica, & dispensatione cogente loci & temporis, exemplo etiam majorum protulimus, agere forte tentaverit, divinis mysteriis privetur, quamdiu minime resipiscens, apostolico præcepto frustra permanserit inobediens. Data *&c.* indictione decima.

XXXVIII. AD DOCIBILEM ET IOANNEM.

Hortatur ut det operam, ne Christiani fœdus cum Saracenis faciant.

Ioannes episcopus Docibili & Ioanni Hypatis.

Devotioni tuæ pro labore fidei Christianæ, quam excolis, gratiarum actionibus persolutis, iterum & iterum exhortamur, ut magis ac magis satagere & decertare; & cœptum laborem ad perfectam ducere actionem procures: ut Christiani nominis viri paganorum fœdera fugiant, & solum in Deum, qui eos creavit, & non in diaboli membra, quæ sunt filii fornicationis & vasa iræ, spem suam ponere discant. Quod cum egeris, salvabis animam tuam, & operies multitudinem peccatorum. Dicit enim beatus Iacobus: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Data v. Idus Aprilis, indictione decima.

De Docibile Leo ep. Ostiensis, lib. 2. c. 14.

Iacob. 5.

XXXIX. AD PVLCHAREM PRÆFECTVRIVM AMALFITANVM.

Monet ut fœdus cum Saracenis initum dissolvendum curet.

Ioannes episcopus Pulchari Præfecturio Amalfitano.

Admonemus ut in omni virtute tua & sapientia tua labores atque decertes, ut illi homines paganorum disrumpere pacta procurent. Quod si fecerint, nil vobis vel illis denegabimus eorum quæ rite facere possumus, & pro nulla causa vel homine nos a communi vestra & eorum salute seu auxilio separabimus; nec illos aliquando dimittemus: at vero si illi hoc facere recusaverint, & conspicis eos nobis de die in diem tantummodo velle illudere; saltem tu fac secundum consilium tuum; quod scilicet inspirante Deo, ex prudenti corde salutiferum protulisti. Quidquid autem de his factum, vel non factum fuerit, aut faciendum extiterit, tuis nobis vel missis, vel literis citius indicabis; ut quæ deinceps nobis necessario sunt agenda, facilius & expeditius agamus, præparemus & ordinemus. Data v. Idus Aprilis, indictione decima.

De Pulchare Leo, ubi supra.

XL. AD SERGIVM MAGISTRVM NEAPOLITANVM.

Dolet ipsum sæpe monitum fœdus cum Saracenis solvere noluisse. præcipit, ut tandem pareat: sin minus, minatur se iterum eum excommunicaturum. pollicetur, si fideles legatos miserit, benigne se suscepturum.

Ioannes episcopus Sergio magistro Neapolitano.

Dum verbi Dei semen in pectore tuo etiam per memetipsum post crebros missos & literas seminassem, expectabam non verborum folia, sed fructus operum promereri: sed quia super hac parte spes nostra frustrata est, cogor in vocem domini per Isaiam prophetam adversus Israeliticam plebem prorumpere, clamans: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas?* Verum quia, ut cum apostolo dicam, *eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium est*; semel te tuosque adhuc admonere non abnuo, ut ab infidelium consortio declinetis, & a tam profano tandem aliquando fœdere recedatis. Quod si nos audieritis,

De Sergio Leo lib. 1. cap. 42.

Isai. 5.

Philip. 3.

non solum bona quæ cupitis, affluentius ex nobis habebitis, sed & magna præmia cælitus assequemini: sin autem, non solum nos spirituali vos iterato gladio percellemus, sed & hi, qui non sine causa materiales gladios portant, cum sint sanctæ ecclesiæ validi defensores, & fervidi zelatores, cunctis adversis & prosperis conculcatis, adversus vos protinus arma corripient, & vindices contra vos impugnatores ejus celerius properabunt. Quæ nos scientes, quia vos anima & corpore salvos reddere cupimus, hæc vobis denuntiamus, & cavenda præcipimus. Ceterum miramur, quomodo vos in literis vestris, quas in ipsa paschali festivitate suscepimus, inculpabiles tentetis astruere, cum piaculum vestrum totus qui desertus est mundus, & sanguis de terra, qui effusus est, clamet: præveniente autem gratia Dei, cito credimus fore, ut & vos resipiscentes a vinculo quo annexi tenemini, convenientius absolvamini, & de tua tuorumque salute ipsi cum cælestibus choris pari gaudio perfruamur. Porro si missos destinatis fideles, quibus credere procul dubio valeamus, libenti eos & benigno suscipiemus affectu; & quidquid desiderio vel voto vestro sederit, gratanter administrabimus, fidentes, quod nil impossibile, nil allegaturi sint inconveniens: e contra vero si fine tenus pacti jugum cum infidelibus ducere forte proponitis, scitote profecto quia (ut cum apostolo fatear) *in virga veniam ad vos.* 1. Cor. 4.
Data v. Idus Aprilis, indictione decima.

XLI. AD EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Queritur Neapolitanos cum infidelibus fœdus iniisse, nec ab ipso eorum antistite ad viam veritatis revocari. Quare hortatur, ut ipse & illi resipiscant. præterea pollicetur se benigne suscepturum Neapolitani ducis legatos, si miserit; paratumque ad omnia se fore quæ pro ecclesiæ Dei utilitate perficienda retulerint.

Ioannes episcopus ad episcopum Neapolitanum.

RELECTIS literis tuis, quas cœpto jam paschalis festivitatis officio in die magno suscepimus, nihil quo lætificaremur, reperimus: unde ingens tristitia, & continuus dolor cordi nostro crevit, & multiplicatus nos vehementer affligit; quia populum civitatis vestræ, quæ olim Dei, nunc autem principis tenebrarum effecta est, derelicto penitus creatoris sui amore, videmus jugum cum infidelibus ducere: teque ideo fore obnoxium, quoniam in medio populi polluta labia habentis, pollutum & complicem habitare, nec toto annixu te velle murum pro domo domini (sicut idoneum Christi athletam oportet) contemplamur opponere. Ezech. 13. Cum nos pro hujusmodi causa te ad tanti honoris culmen perducere procul dubio studeremus: quatenus te adjutorem & fidelem cooperatorem habentes; oves domini de tam immani profundo, quo ab humani generis inimico submersas & retentas jacere conspiciebamus, abstrahere, atque ad superna relevare possemus: ut de illorum simul salute par apud retributorem omnium Deum pro communi certamine meritum haberemus. E Sed ecce neglecta pastoralis officii cura, postposito divini timore judicii, cum illis, quos aut corrigere, & ad viam veritatis revocare, aut eos quasi gregem morbidum tot disciplinæ salubris verberibus castigatum, salutem propriam nolentem recipere, vitare, atque de medio eorum, sicut jam olim tibi ex divina auctoritate præcipimus, exire debueras, nec amplius cum prævaricatoribus, & consortium infidelium habentibus habitare præsumeres,

A ut tuæ devotionis sinceritate manifestius apparente, reverentiam tuam, quam sacerdotii summi decoravimus infulis, in societate corporis Christi nobiscum haberemus conjunctam. Nos enim assidua quamvis corporis incommoditate tunc detenti essemus, volentes Neapolitanam civitatem, ceu populum domini, & oves pascuæ ejus nobis in ipso apostolorum principe commissas cum omni devotione salvare, non recusavimus laborem: quin potius posuimus animas nostras in manibus nostris, dominicaque voce admoniti venimus confirmare illos in beneplacito Dei, ceu fratres, & ut filios carissimos coram domino adjuvare: sed obdurato ipsi corde, nostras preces & monita recipere, atque ut aspides surdæ audire despexerunt; teque secundum eorum votum, B & desiderium antistitem (quod non merebantur) ordinare non prætermisimus, multis super hoc aliis, & etiam bonis promissis, si nostræ voluntatis desiderium devota mente complessent: nunc autem vel illis incorrectis existentibus, & ad percutientem se redire nolentibus, vel tibi cum ipsis habitanti, & idcirco a divinis omnibus cum eis pariter sequestrato; quo pacto antequam resipiscentes ad viam salutis & justitiæ revertamini, parcere, aut a nexu ecclesiastici vos judicii valemus absolvere? Absolvite ergo vos prius colligationes impietatis, & fœdus impium, quod cum inimicis Christi habetis compositum, & nos illico misericordiam, quam Deus noster ecclesiæ in Spiritu sancto dedit facere posse, nullatenus vobis jam conversis tribuere omittemus: nam sicut vere satisfactionis C confessoribus parcendum est, dicente domino: *Cum conversus ingemuerit, salvaberis; & adhuc te loquente, dicam, Ecce adsum:* Ezech. 33.
ita vero in scelere impiis manentibus miserendum non est: quoniam misericordiam aliquam vobiscum ante fructum dignum pœnitentiæ facere omnino nequimus, eo quod misericordia sine controversia queri debet, ut salus sit disciplinæ: nam dicente sancto Gregorio: Sæpe pietas per immoderatam misericordiam errare solet, si fortasse pepercit quæ parcenda non sunt; peccata enim, quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ sunt verbere corrigenda; sed inordinata pietas cum temporaliter parcit, ad æternum supplicium pertrahit; unde vobis resipiscentibus ne in futuro pereatis, parcere optamus. (S. Gregorius lib. 2. super Ezechielem, homil. 19.) Præterea si frater tuus, Neapolitanorum D videlicet dux, per suos idoneos legatos nobis optata, & ea quæ oportet veraci relatu perficienda direxerit, eos gratissime recipientes, quidquid ratione sagaci retulerint, perficere pro ecclesiæ Dei utilitate atque salute procul dubio parati erimus. Age igitur, & desudare pro communi prosperitate, imo pro salute tua, & civium tuorum non desistas, arguens, obsecrans & increpans cum omni imperio: ut labor tuus fructum desiderabilem in domo domini pro quo digne remunereris afferat. Data *ut supra.*

XLII. AD CAROLUM REGEM.

Monet ut bona ablata a monasterio sanctimonialium restituenda curet: quod nisi intra sexaginta dies fecerit, & per legatum id sibi nuntiaverit, vel causam cur non sint restituta, non reddiderit, eum excommunicat.

Ioannes episcopus Carolo † glorioso regi.

† Hic Carolus, qui Crassus nominatus est, postmodū imperator creatus, fuit filius Ludovici Germaniæ

CUM generositatem tuam tanta claritas prosapiæ regalis extollat, miramur & obstupescimus quomodo hanc tam sinister longe lateque discurrens rumor obnubilet, asserens & affirmans te Italiam ingressum ad monasterium accessisse ancillarum Dei apud Brixiam constitutum; indeque cum illic

regis, Ludovici Pii nepos, Caroli Magni pronepos, ad quem nonnullæ infra scribuntur epistolæ. De quo Ado Viennensis in fine chronicorum, Regino lib. 2. chronicorum, Aimoinus lib. 5. cap. 40. & alii. *Dan.* 1. *Psalm.* 61.

illic ipse morareris, tyrannice aurum ablatum, tam A ipsius venerabilis monasterii, quam dilectæ filiæ nostræ Angelbertæ Dei cultricis: quod sibi ad ipsius præcipue cœnobii sustentationem procul dubio reservaverat: unde mœrore vehementer afficimur, dolentes gloriam tuam ad tam immane sacrilegii genus dilapsam, & instar cujusdam gentilis regis vasa domus Dei ad usus proprios inflexisse conatam. Atque ideo dilectionem tuam in Christi visceribus esse cupientes, monemus, & sacris convenimus eloquiis cum psalmista fatentes: *Nolite sperare in iniquitate, & in rapinis nolite concupiscere.* Si qua ergo a prædicto pio loco, sive gloria tua sciente, sive nesciente ablata sunt; industria tua diligentissime requirantur, & inventa in eo sine mora sub omni integritate restituantur: ne, quod absit, si aliter egeris, & Deum contra te ad iracundiam provoces, & decus tuæ regiæ nobilitatis offusces, atque nos ad hæc severius secundum ministerium nostrum punienda commoveas. Denique nisi post lectam hanc nostri apostolatus epistolam, intra sexaginta dierum spatium, thesaurum illum sine aliqua diminutione reddere proposueris; ita ut missus tuus Romam in præsentiam nostram veniens, sive reddideris, sive nec reddideris, quidve hic agendum delegeris, veram & idoneam exposuerit rationem, eousque sis extunc excommunicatus, quousque ab omni te rapinæ communione reddideris alienum: durioribus deinceps te sciens verberibus erudiendum, si his interim levibus tactus resipiscere forte contempseris. Amamus enim te more paterno, & ab hac secunda idolorum servitute volumus scire liberum & immunem. Etenim *Avaritia*, secundum apostolum, *est servitus idolorum.* Optamus, &c. Data VI. Kalendas Aprilis, indictione decima.

Galat. 5.

XLIII. AD ENGILBERGAM.

Consolatur eam ob mortem mariti, atque monet ut Carolo imperatori fidem servet, seque ejus intercessorem apud eumdem Augustum futurum pollicetur.

Ioannes episcopus dilectæ filiæ Engilbergæ Christo dicatæ.

Engilberga uxor fuit Ludovici secundi imperatoris ad quam aliquot infra scribuntur epistolæ. Ejusdē meminit Aimoinus l. 5. c. 28. & Leo Marsicanus lib. 1. cap. 38. *1. Cor.* 13. *Rom.* 5. *2. Cor.* 4.

Eo nos, filia carissima, nec alio circa dilectionem vestram flagrare affectu noveris, quo fuimus, quo etiam olim persistere proposuimus: nescit enim dilectio vicissitudinum obumbrationem, nec defectum patitur, cum, secundum apostolum, nunquam excidat. Hujus rei gratia consolatoriis his, & exhortatoriis prudentiam vestram literis commonemus, ne deficiatis in tribulationibus, scientes, docente apostolo, *quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem: spes autem non confundit. omnia enim quæ videntur, temporalia sunt; quæ vero non videntur, æterna.* In his ergo configi, in his debes totis radicibus inhærere carissima: unde sapientia vestra sanctos, qui patientiæ in mundo claritate quasi luminaria refulserunt, E præ oculis habeat, & ita inoffensis ad palmam supernæ vocationis gressibus tendat, quam videlicet habituri sunt illi, qui oraculo dominico imbuti, in patientia sua ponunt animas suas. Nihil enim inimica mors, vel manus abstulit, quod vita, quæ Christus est, & ipsius provida dextera in melius non transtulit, atque restituit. Abstulit mortalem illa maritum, sed ista seipsam æternum contulit sponsum: unde quæ terreni vocabamini uxor, Patris cælestis jam regis multo præstantius dicimini

Luc. 21.

conjux. Ademptum est corruptibile diadema, sed præparatur incorrupta corona. Remota sunt decoramenta quæ veterascunt: sed reposita sunt vobis ornamenta, quæ non marcescunt. & quid plura? pro ærumnoso & phantastico regno, percipietis felix & verum imperium: & revera hæc est immutatio dexteræ Excelsi. Verum cum sapienti vobis & quæ *Psal.* 76. nostis de paucis plura pensare pauca sufficiant; his ita prælibatis, dilectionem vestram merito commonemus, ut spirituali filio nostro Carolo piissimo imperatori, puræ fidei ac sinceræ devotionis exhibens semper integritatem, omnes ad ejus mansuetudinem attrahat, & salubribus monitis inviolabilem ei fidem servare demonstret. *Non enim est* *Rom.* 13. B *potestas*, ut apostolus ait, *nisi a Deo* Et: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* nos autem, quia illum divinitus, ut credimus, acti semel elegimus, perpetuo tamquam filium carissimum omni conatu diligimus, ita ut ipsius amicos & inimicos, nostros amicos & inimicos existere teneamus: si qua vero sunt vobis ab ejus clementia impetranda, per nos * credimus, cum vobis libuerit, indifficulter obtinere valebitis. Quod & nos libentissime pro memoria priscæ benignitatis vestræ geremus, & idem pius Augustus pro Dei sanctorumque apostolorum, sed & nostri dilectione animo gratanti concedet. Optamus dilectionem vestram bene in Christo valere dilectissima filia. Data VI. Kalendas Aprilis, indictione decima.

C XLIV. AD VVIGBODVM EPISCOPVM PARMENSEM.

Hortatur ut quoscumque potest ad sanctæ Romanæ ecclesiæ defensionem excitet, & ad se cum suis veniat, ut communi consilio Sarraceni ab Italia expellantur. mittit desideratas epistolas, quas afferendas curet iis, quibus scribuntur.

Ioannes episcopus VVigbodo episcopo Parmensi.

Devotionis tuæ affectus non inscii grates condignas referimus: quia vero sanctitatem dolere tuam cognoscimus pro eo quod a nobis nihil sibi laboris injungatur; nil esse noveris aliud, nisi quia novimus te multis hujus temporis procellarum fluctibus irretitum. Verum quia nobis multa D incumbit necessitas, & tua promptissima claret alacritas; hortamur, ut quoscumque potes, & quomodocumque potes ad defensionem hujus sanctæ principalis ecclesiæ filiorum excites, incites, & prout necessitas urget; impellas: sed & ipse cum his, qui tibi adhærent, ad colloquium nostrum accelerare ne pigriteris, quatenus communi consilio, auxiliante Deo, gens impia nostris eliminetur e finibus. hoc est quod exigimus, hoc est quod ante speciali voto deposcimus. Quæ vero de mittendis quibusque literis nostris suggerere voluisti; votis tuis (prout temporis qualitas, & causarum dispensatio concessit) gratanter annuimus; & non solum hoc, sed & quæ possumus, tanto circa sanctimoniam tuam exhibere libentius volumus, quanto hanc præteritis illis in partibus constitutam alacrius & instantius quæ nostra sunt exequi contemplamur. Epistolæ autem ipsæ quibus missæ sint; superscriptio earum monstrabit, quas ipse procul dubio ad eos, quibus directæ sunt, facies asportari. Esto itaque sisus in nobis, & viriliter age, & confortetur *Psal.* 26. cor tuum, & sustine dominum, & accinge sicut vir lumbos tuos, & accelera, ut dilectionem tuam superius commonuimus. Optamus sanctitatem tuam, &c. Data VI. Kalendas Aprilis, indictione X.

XLV. AD AIONEM EPISCOPUM BENEVENTANUM.

Laudat ejus promptum ad ecclesiæ defensionem studium: tum hortatur ut contra Sarracenos opem ferat, & fœdus cum illis ictum dissolvendum curet.

Ioannes episcopus Aioni episcopo Beneventano.

PERSPECTIS apicibus sanctitatis tuæ, quantum in te divini amoris ardor efferveat, luce clarius recognovimus; & quantum erga sanctam Romanam ecclesiam devotus existas nihilo minus advertentes, pro tanta tibi benignitate multiplices gratias agimus, & sanctimoniam tuam ad nostri profectum certaminis dignis pollere successibus ab omnipotentis clementia postulamus. Vere etenim frater carissime laudibus es extollendus, qui tribulationes nostras, quas pro populo nobis commisso patimur, quasi præsentes intuens, nobiscum gemens & dolens, ad has auferendas providum commilitonem & cooperatorem nostrum non indebite te velle esse in omnibus asseveras. Nec aliud itaque de tua sanctitate credimus, nec aliud suspicamur, nisi ut quamvis corpore absens sis, spiritu a nostris singultibus nunquam desis; & quam dolendum sit, quod fideles cum infidelibus tam perniciose junguntur, liquidius & ipse perpendas; hujus rei gratia, quia multis studere loquelis, ne magis multiplicare verba, quam gemitus videamur, non expedit; præcipue quia tua fraternitas ipsos invisibiles mœrores nostros, sicut in literis tuis conspicimus; non ignorat per illum, qui te sacerdotem suum constituit, tuam reverentiam adjuramus, suadentesque modis omnibus deprecamur, & auctoritate principum apostolorum, fraterno freti amore præcipimus, ut omnibus viribus tuis, omnique posse tuo labores, tam scilicet cum germano fratre, quam cum aliis Christicolis in hoc opem ferre valentibus, ut impia Agarenorum fœdera, quæ Neapolitani, vel sui consocii cum inimicis Christi nominis inierant, Christo miserante quantocius destruantur; & pax atque concordia fidelium per eumdem Christum dominum reformetur: quatenus corpus sanctæ Dei ecclesiæ, pro qua sanguis fusus est Christi, in suis membris non laceretur, & quæ sit vera religio, atque perfecta caritas agnoscatur: quia licet vos, vel omnis forte mundus mala quæ imminent lugeat; nos tamen tantum præ omnibus affligimur, ac dolemus, quantum præ omnibus solicitudinem, atque curam regendarum Christi ovium nos suscepisse perpendimus. Ideoque quia plus omnibus laboramus, ut per vos labor noster usque ad effectum proficiat, specialiter deprecamur. Inter hæc autem carissimum fratrem quæsumus exhortare, ut epistolam nostram ad primum Græcorum illuc venientium cito transmittat, & suis eum deprecationibus moneat, ut omni amota occasione, vel decem dromones in adjutorium nostrum statim dirigere nunquam omittat: quia nos, cooperante gratia Christi, tam cum carissimo filio nostro Lamberto glorioso duce, qui nobis in omnibus hæret, quam cum aliis dominum timentibus desudabimus, ut & impium fœdus cum Agarenis habitum dissolvatur, & libertas, vel aliquanta securitas Christiani populi renascatur. Postremo, quia, sicut diximus, plus omnibus necessario laboramus, nullum laborem, nullamque tolerabilem molestiam A corporis recusabimus, quo minus adjuvante domino pro tantis necessitatibus pro vobis cum præveniente Christo laborem nostrum viriliter insistamus: forsan omnipotens Deus, adhibitis tuis laboribus, tantorum pereuntium miserebitur, & dolores nostros auferens, fœdera cum iniquis Paganis a vestratibus facta dissolvet: ubi rogamus cunctis conatibus sudes, qui tanto de profectu tui certaminis lætari speramus, quanto te in hoc opere cooperatorem nostrum habere confidimus. Interim magnopere postulamus, ut quidquid sive de dromonibus dirigendis, sive de impiis peccatis solvendis per tuam solertiam, vel per fratris tui obedientiam effectui B fuerit datum, citissime nobis sancta tua fraternitas scriptis significare procuret. Data XV. Kalendas Maii, indictione decima.

XLVI. AD GREGORIUM IMPERIALEM PÆDAGOGUM.

Gratulatur imperatorem contra Sarracenos classem ad ecclesiæ defensionem misisse; eumque ducem constituisse: tum monet, ut decem * achelandia ad litora a piratis Sarracenis expurganda mittat.

*al. chelandia, quæ e navium militarium genere sunt.

Ioannes episcopus Gregorio imperiali pædagogo.

C GLORIAM tuam hac apostolatus nostri epistola missa primitus exhortamur, ut divinitus datas sanitates desiderabilis filii nostri Basilii tranquillissimi imperatoris nobis significes. Cupimus enim valde salutem ejus animæ simul & corporis semper audire, tamquam piissimi propugnatoris orthodoxæ fidei. Gratulati autem sumus audientes gloriam tuam directam cum Deo conservandis exercitibus a prædicto divinitus protegendo imperatore, in partes Beneventanorum venisse, tam quia, gratias Deo, ipsius divinitus provectum imperium in defensionem Christianitatis pio zelo succensum, classes & militarem validam manum contra inimicos crucis Christi mittere procuravit; quam quod te præ ceteris ad tantum opus cum Dei auxi- D lio peragendum elegit, quem audivimus in omnibus strenuum, & Dei cultorem industrium. De cetero credimus scire jam magnificentiam tuam, qualiter quædam latrunculorum Agarenorum sagenæ occultis irruptionibus litora nostra devastent: & quia palam ausum non habent, furtivis deprædationibus plurima huic sanctæ Dei Romanæ ecclesiæ damna multipliciter inferant. Quapropter bene visum est nobis literas nostras tibi transmittere, ut vel decem bona & expedita achelandia ad portum nostrum transmittas, ad litora nostra de illis furibus & piratis Arabibus expurganda. quod citius & sine aliquo impedimento agere poterunt, adjuvante dextera Excelsi, quæ principibus apostolorum intercedentibus concertabit, & auxiliabitur E illis: in quo, mihi crede, gratum animum piissimo imperatori facies, si in hoc admonitiones nostras audieris: quia cum sit Christianissimus Dei amator, & ecclesiarum domini fervidus propugnator; non poteris illum tibi gratiorem reddere, quam si tantum hanc sanctam ecclesiam per te studueris adjuvare, quæ prima ecclesiarum magistra & caput est, maxime cum in hoc facto eidem a Deo protecto semper Augusto, & in hoc sæculo gloriam, & in futuro acquiras sine fine coronam. Deus omnipotens te & qui tecum sunt protegat, & contra inimicos Christi potenti dextera tueatur. Data XV. Kalendas Maii, indictione decima.

XLVII.

XLVII. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Nuntiat se Adelardum episcopum Veronensem excommunicasse, quod Nonantulanum monasterium invasisset.

Ioannes episcopus ad imperatorem.

SACRIS vestræ imperialis clementiæ auribus gloriosissime imperator Auguste Adelardi Veronensis episcopi inobedientiam, & temerariam præsumptionem, quam non solum in nostro contemptu, sed etiam in vestræ celsitudinis peregit injuriam præsentibus referre apicibus jure curavimus & merito: nam superna vos majestas sanctæ suæ ecclesiæ nobis commissæ patronum invictum, defensorem potentem, & strenuum adjutorem concessit, ut in omnibus ecclesiasticis utilitatibus unde perpetuam habere gloriam mereamini, quasi vindicem Dei habeamus ministrum. Igitur cum eumdem Adelardum episcopum venerabile monasterium Nonantulæ situm, quod pro Dei, tantique loci reverentia, nullus unquam episcoporum, vel judicum in beneficium quæsivit, timorem divinum parvipendendo, contra sacra præcessorum nostrorum, nostrique privilegii institutiones, quibus de propria semper congregatione abbatem fieri jubetur, callide petiisse, ac per hoc illicita præsumpsisse, omnimodis reperissemus; auctoritate apostolica eum excommunicare studuimus; * ut eaque ipse tenere canonicis eum correptionibus, prout nobis auctoritas apostolica suffragatur, proculdubio arguemus, ut digno verbere castigatus, & canonico nexu ligatus obedientiam discat servare, qui absolutus ecclesiasticis, atque canonicis noluit obedire præceptis. Data ut supra.

* Deest aliquid.

XLVIII. AD IOANNEM, ANSPERTUM ET VVAIPERTUM ARCHIEPISCOPOS.

Ejusdem argumenti.

*Ioannes episcopus Ioanni Ravennati, Ansperto Mediolanensi, & * Vvaiperto Aquilejensi archiepiscopis.*

* f. Valperto.

SANCTI magnique Nicæni concilii præcepta secuti quæ jubent, regularem epistolam per unamquamque provinciam obtineri, ne hi qui abiiciuntur ab aliis recipiantur; fraternitati vestræ notum esse volumus Adelardum Veronensem episcopum auctoritate sedis apostolicæ privilegii communione privatum: quoniam cœnobium Nonantulæ, quod semper apostolicæ sedis, & nostræ ipsius auctoritatis privilegio munitum nullius invasionis usurpatione detinebatur, sed solius hucusque abbatis e gremio fratrum electi atque prælati moderamine regebatur, subripuit, suisque usibus, coartatis extrema egestate monachis, applicavit: & eatenus etiam post frequens interdictum nostrum opprimere, sæculariumque manibus dispartitum prodere non formidat, contra sanctorum patrum regulas, nec non & adversus apostolicæ sedis & totius sanctæ synodi sententiam, quam missis per singulas provincias literis notam vobis omnibus fecimus, in communionem post nostram quoque prohibitionem per missos nostros, & apices sæpissime destinatam, passim recepit, & in cunctis pravitatibus ejus conscius, & fautor apparuit. Excommunicavimus igitur prædictum Adelardum Veronensem episcopum, donec in præsentiam sedis apostolicæ veniens, de prædictorum excessuum

Concil. Nicæn. C. 12.

A qualitate, idoneam satisfactionem coram positus exhibuerit, quæ si contempserit existens interim, existet per omnia communione jure privatus, pari vinculo irretiens omnes qui sibi communicaverint, vel contra interdictum nostrum ausu temerario faverint. vnde vos cautos reddere volumus, si non vultis ipsi eidem secundum regulas sacras subjacere judicio. Optamus fraternitatem, &c.

XLIX. AD CLERUM VERONENSEM.

Ejusdem argumenti.

Ioannes episcopus universo clero ecclesiæ Veronensis.

B EXPERIENTIÆ vestræ notum esse volumus, Adelardum episcopum vestrum auctoritate sedis apostolicæ communione privatum, quoniam cœnobium Nonantulæ, quod semper apostolicæ sedis, & nostræ ipsius auctoritatis privilegio munitum nullius invasionis usurpatione detinebatur; sed solius hucusque abbatis e gremio fratrum electi atque prælati moderamine regebatur, subripuit, suisque usibus, coarctatis extrema egestate monachis applicavit, & eatenus etiam post frequens interdictum nostrum opprimere, sæculariumque manibus dispertitum prodere non formidat, contra sanctorum patrum regulas, nec non & adversus apostolicæ sedis, & totius sanctæ synodi sententiam in communionem post nostram quoque prohibitionem per missos nostros & apices sæpissime destinatam C passim recepit, & in cunctis pravitatibus ejus conscius & fautor apparuit. Excommunicatum igitur eum scitote, donec in præsentiam sedis apostolicæ veniens, de prædictorum excessuum qualitate idoneam satisfactionem coram positus exhibuerit. Quæ si contempserit existens interim, existet per omnia communione jure privatus, pari vinculo irretiens omnes, qui sibi communicaverint, vel contra interdictum nostrum ausu temerario faverint. unde vos cautos reddere volumus, si non vultis ipsi eidem secundum regulas subjacere judicio. Optamus vos, &c. Data IV. Kalendas Maii, indictione decima.

L. AD LANDULFUM EPISCOPUM CAPUANUM.

D Monet ut sibi significet, an Neapolitanorum dux fœdus cum Sarracenis initum frangere velit, & det operam ut idem dux Guaiferius & Pulchar una secum Trajectum se conferant, quo ipse est iturus; paratum se ad ea quæ promiserat, & majora concessurum, si ipse dux in sententia persistat.

Ioannes episcopus Landulfo episcopo Capuano.

STUDEAT sanctitas tua certissime scire si Neapolitanorum dux præsentialiter vult pactum Sarracenorum irrumpere, & fœdere Christi, quod in regenerationis unda pepigit, vel a nunc, sicut debitum est, veraciter inhærere: & siquidem talem nunc animum habere cognoveris, hoc nobis E præsentialiter indicato. Age ut idem dux Neapolitanus, & Guaiferius gloriosus princeps, ac Pulchar præfecturius ad Traiectum una tecum accelerent; ubi etiam nos accedentes, quæ Deo sunt placabilia statuemus. Parati enim sumus non solum quæ dicta sunt, sed & majora concedere. tantum ut ejusdem magistri militum sermo ita sit fidelis & stabilis, & omni certitudine præmunitus, ut securitas ex utraque parte firma maneat, & sine dubitatione certa persistat: quod si quæ repromittunt, aut ad-

implere nolle aut prologare velle illos cognoveris: A non tibi sit licentia hoc a nostra scientia occultandi; sed quidquid veraciter sine dolo per omnia indicandi. De his ergo stude præsentialiter nos pleniter ac citissime literis tuis instruere; ut quod deinceps Deus dictaverit, cum ipsius auxilio sine morá incipere & perficere procuremus. De quibus ipse præ ceteris curam arripe, qui nimirum speciali prærogativa nostrorum viscerum præ ceteris foveris in antro. Data IV. Kalendas Maii, indictione decima.

LI. AD PULCHARIM PRÆFECTURIUM.

Ejusdem argumenti

Ioannes episcopus Pulchari præfecturio.

Si vere utique magister militum pactum Sarracenorum proposuit rumpere, hortamur ut Trajectum cum inclyto socero tuo adeas, ubi quoque B & nostra reperta præsentia, quidquid rationabiliter quæritur, quidquid necessarium, seu possibile postulatur, gratantissime confestim admittet: sed & ampliora facere nullomodo recusabimus, ut omnes, secundum apostolum, lucrifacere valeamus. 1. Cor. 9. In quo industria tua tanto solicitius elaboret, quanto liquidius sibi per hoc cæleste premium a domino Deo tribui non ignorat. Alioquin adversus eum, quæ digne possumus agere, indubitabiliter & indifferenter exercere, Christo propitio, nullatenus omittemus. Data IV. Kalendas Maii, indictione decima.

LII. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

C

Ejusdem argumenti.

Ionnes episcopus Guaiferio principi Salernitano.

Quia Neapolitanorum ducis legatos secundum ipsius & vestra scripta præstolati, nec contemplati sumus, iterato excellentiæ tuæ scribere cogimur, ut illum a perfidis separatum, piis sanctæ matris ecclesiæ gremiis restituamus. In quo quia jam plurimum laborasti, industriam tuam item itemque laborare fine tenus exhortamur. Quod si iniquam colligationē statim dirumpere præparetur, cum hoc certissime scierimus, per nosmetipsos ad Trajectum properabimus, & hoc quod queritur, & quodve jam promissum est, etiā amplius libetissime largiemur, clariori dumtaxat certitudine, ac fidei D veritate inter utramque partem cōposita; ubi quoque tuam sanctissimique Landulfi antistitis, & prædicti ducis, nec non & Pulcharis gloriosi præfecturii adesse præsentiam cupimus. Et ut agatur solertiam tuam satagere flagitamus. Quod si adeo idem dux secundum duritiam suam; & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ, ut aut protelare, Rom. 2. aut penitus suæ ipsius & multorum salutis causam contemnere velit, & hoc ipsum statim cognoscere cupimus: quoniam nobis nec humanum, nec divinum deficiet prorsus consilium & auxilium; quod plane reddet ei secundum opus suum, & secundum fructum adinventionum suarum. .... E toto corde desiderant, in adventu illius exultent: quia & omnipotens Deus blandus justis, & terribilis apparet injustis. Vestra itaque dilectissima caritas devotissimam se super hoc nobis exhibeat. & quousque vires suppeditant, laborare non cesset, ut dum vestris hortatibus hæc nostra postulatio ad effectum pervenerit; dignas vobis gratias referamus, & apud sanctos apostolos in orationibus nostris memoriam habeamus. Data III. Kalendas Iunii, indictione decima.

LIII. AD ANSPERTUM ET ANTONIUM EPISCOPOS.

Ut Ravennam ad synodum accedant; quod nisi paruerint, minatur eos se excommunicaturum.

Ioannes episcopus Ansperto Mediolanensi archiepiscopo, & Antonio episcopo Brixiensi.

Quia diversis ac multiplicibus ecclesias Dei nobis commissas incommodis perturbatas, rebusque propriis incunctanter privatas, & earum antistitum honorem diminutum fore videmus; ipsarum, secundum apostolum, solicitudine 2. Cor. 11. quotidiana compulsi, necessario rati sumus pro illarum statu, ac pristina redintegratione generalem, Deo favente, synodum celebrare: quam secundum antiquam consuetudinem cum Romæ agere debuissemus, non recusantes tanti laborem itineris; pro suavitate tamen venerabilium confratrum nostrorum episcoporum, quos in consortium nostrum literis missis ascivimus; octavum Kalendarum Iuliarum, Ravennæ, auxiliante domino, erimus procul dubio celebraturi. (Antiqua consuetudo Romæ concilia celebrandi.) Ad quam videlicet fraternitatem vestram omni occasione postposita, omnique tardita e prætermissa his præsentibus venire jubemus apicibus, quatenus communi multorum fratrum nostrorum consensu atque decreto ecclesia Dei nobis commissa propriæ dignitatis jura, quæ a quibusdam inique agentibus sunt usurpata, sub integritate recipiente, malorum omnium tandem securi effecti, ministerium pontificale, quod nimirum pro gregis dominici nobis commissi salute, Deo largiente, suscepimus, ut dignum est glorificare possimus. quapropter iterato te sermone ad eamdem, ut dictum est, synodum venire præcipimus. Nam si præfato die ad ipsum venerandum concilium quoquomodo properare forte contempseritis, & pro ecclesiæ Christi Dei nostri utilitate, quæ instanti tempore plurimum est necessaria, debitum nobiscum laborem sumere spreveritis; sciatis pro certo communionis nostræ futurum nullo modo esse consortes, sed potius canonicæ auctoritatis censura, ut pote transgressores improbos, feriendum atque damnandum. Optamus reverentiam vestram in Christo bene valere. Data VIII. Kalendas Iunii, indictione decima.

LIV. AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Auxilium contra Sarracenos implorat, qui devastata Campania, omnia Romæ suburbana depopulabantur.

Ioannes episcopus ad imperatorem.

Divina ideo majestas excellentiam vestram præ ceteris elegit Romani imperii altitudine sublimare, Augustalique voluit diademate coronare, ut Deo nostro clementer auxiliante potentiæ vestræ brachio triumphali ecclesiam Christi voce supra petram veræ fidei fundatam tueremini semper, & ab immani crudelique Paganorum infestatione, qui nos jam more latronum undique circumdantes omnia nostra igne gladioque devastant, pio mentis defenderetis intuitu. Sed quia nobis procul existentibus, tot dura & importabilia, pro quibus jam vestram Augustalem imploravimus majestatem, supra modum quotidie patimur. quippe cum tota jam depopulata Campania nil habeamus, nilque nobis, aut venerabilibus monasteriis, ceterisque

ceterisque piis locis, neque senatui Romano, unde A corporaliter sustentari possimus, remanserit: omnibus etiam Romæ suburbanis adeo deprædatis, ut nullus in ipsis jam habitator, vel cujuslibet ætatis incola videatur consistere. Pro quibus sane malis innumeris ingenti mœrore afflicti, doloreque turbati, nec somnum oculis, nec cibum ore capere possumus: sed pro requie laborem assiduum, & pro corporali dapium dulcedine, mentis amaritudinem patimur. Idcirco vestram imperialem majestatem, totius sapientiæ luce splendide irradiatam, sancta Romana ecclesia, quæ religioso vos utero genuit, meo quidem sermone, sed suo venerabili suppliciter nimis precatur affectu, ut omni dilatione remota, omnique ejus cura assumpta, nunc ad suam defensionem & totius patriæ liberationem adjutor clemens, defensor potens, & salvator invictus venire dignemini. quia nisi vestra desideratissima nobis affuerit præsentia, nullum defensionis auxilium, nullumque necessariæ salutis remedium poterimus habere. Nos enim, cum omni sedis apostolicæ ordine sacro; cum religiosis & Deum timentibus viris, pro vestræ gloriæ prosperitate, continuaque mentis & corporis salute, omnipotentem dominum, cujus est salus omnis & vita, totis deprecabimur nisibus, ut nec temporis fervor, nec loci natura insolita, nec molestia quælibet vestro insigni corpori nocitura contingat. Quamobrem nihil horum quæ sine Dei procul dubio non evenient nutu dubitantes, quin potius in domini miseratione totis viribus confidentes, non solum corpoream incolumitatem, C verum etiam & perpetuam animæ vestræ merebimini adipisci salutem & gloriam. Dignetur igitur piissima serenitas vestra, clementissime imperator Auguste, pro tantæ sedis liberatione, tantorumque hominum Christi cruore redemptorum salvatione, nostras & ecclesiæ nostræ preces audire, singultus prospicere, & tanti gemitus lacrymas incessanter effusas attendere: quatenus more solito, & solitæ pietatis viscere nobis compatientes, opem consolationis citissime petentibus tribuentes, prout opportunum est, nos adjuvare satagatis. quia post Deum unica spes salutis & liberationis nostræ fiducia vos procul dubio estis. Ideo per vosmetipsos properantes, congruum & opportunum nobis præ- D bere auxilium non differatis: ut & dominus, qui elegit vos caput orbis, & dominum fecit, auxilium suum vobis de sancto mittere semper dignetur, amantissime fili. Data VIII. Kalendas Iunii, indictione decima.

LV. AD VRSVM DVCEM VENETIARVM.

Inobedientiam accusat, & monet ut episcopos Venetiæ ad synodum Ravennæ celebrandam accedere curet, & ipse quoque vel veniat, vel legatos mittat.

Ioannes episcopus Vrso duci Venetiæ.

MVLTIS esses nimirum justæ correptionis a E nobis increpationibus submittendus, nisi apostolica moderatio circa te minus severitate quam patientia uteretur. Exceptis enim excessibus illis, quos per inobedientiam prius contraxeras, ad extremum etiam legationem B. Petri indignam tuis oculis judicasti, cum hoc nec gentilis quisquā facile fecisse clarescat: maxime cum ea, quæ dilectioni tuæ mittebamus, paterna essent monita, non inimici odientis verbera. Sed ista dissimulantes, innotescimus dilectioni tuæ, nos octavo Kalendas Iulias Ravennæ synodum totius Italiæ sacerdotum celebraturos: cui interesse volumus & marinæ Venetiæ antistites, qui adhuc superesse noscuntur, una cum personis ad episcopatum electis, & illis, quas tibi jam per diversas epistolas significavimus. Quapropter bene profecto facies, si eos ad prędictam venire synodum non impedieris, sed modis omnibus incitaveris. Non enim ruinam eorum cupimus, absit; sed illius statum reformare provinciæ, & quidquid inter eos & metropolitanum quæstionis & controversiæ vertitur, canonice diffinire. Itaque indubitanter veniant: & tam sancto numerosoque fratrum deesse nullo modo patiantur collegio. Non enim, mihi crede, in aliquo minorati, quod avertat dominus, sed potius B augmentati, Christo propitio, ad propria revertentur. Sin autem communi omnium decreto, cum ecclesiam non audisse claruerint, erunt procul dubio, quemadmodum sacrosanctum de hujuscemodi præcipit euangelium. Illud autem ipse pro certo scito, quia nihil pro ullo mortalium imminui ecclesiæ tuæ cupimus; sed decus & genium tuum veluti spectabilis, & Deum timentis viri, conservari volumus & optamus. Vnde monemus, ut & ipse ad nos Ravennam proficisci ne pigriteris: sin autem, saltem virum quemquam industrium nobis gloriæ tuæ injuncta legatione fungentem dirigere non detrectes. Data VI. Kalendas Iunii, indictione decima.

Matth. 18.

LVI. AD PETRVM ET LEONEM EPISCOPOS VENETIÆ.

Vt Ravennam ad concilium proficiscantur, in quo componendæ sunt controversiæ, quæ cum metropolitano nonnullis intercedunt.

Ioannes episcopus Petro & Leoni episcopis Venetiæ.

VNIVERSALE tandem aliquando nos celebrare concilium, multiplex & multifaria nos ecclesiarum necessitas cogit; & ideo pro hac moderanda vel dispensanda, octavo Kalendas Iulias hujus indictionis, totius Italiæ apud urbem Ravennam convenire jussimus sacerdotes ad quorum videlicet sacratum collegium, pontificio nostro mediante, vestram quoque sanctitatem occurrere commonemus, una cum his, qui loco sunt episcoporum decedentium subrogati. Et illis nihilo minus, quos Vrso glorioso duci, & vobis scribentes, nostris sæpius & expressius significavimus syllabis, atque, ut absolute regulariterque fateamur, omnibus qui se læsos existimant: quos generaliter auctoritate apostolica sanctitas vestra secum properaturos advocare profecto debebit. Itaque fratres indubitanter accedite, ut præter communem utilitatem, quæ in synodo est procul dubio componenda, quidquid inter fratrem & coepiscopum nostrum Petrum videlicet metropolitanum vestrum, & prædictos controversiæ vertitur, canonicum finem accipiat; & pax & tranquillitas ecclesiis vestris, sicut condecet, reformetur. Non ergo carissimi tam sancto numerosoque fratrum deesse collegio patimini: quia nos, mihi credite, nullius vestrum casum exquirimus; absit. Verumtamen nisi ad hanc saltem præsignatam universalem synodum accesseritis, communi cunctorum sententia canonicis legibus subdemini, & pro tanta inobedientia merito puniemini. *Est enim*, Samuele sancte docente, *quasi peccatum ariolandi, repugnare; & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Data VI. Kalendas Iunii, indictione decima.

I. Reg. 15.

LVII.

A

LVII. AD ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut cum suis suffraganeis ad concilium accedat.

Ioannes archiepiscopo Ravennati.

2. Tim. 3. Luc. 21. Mich. 7. QVIA jam ad periculosa pervenimus ab apostolo quin potius a domino prędicta, proh dolor! tempora: *Surgit enim gens contra gentem, & sunt inter alia inimici hominis domestici ejus:* creverunt inopinabiliter mala, & non solum extrinsecus rabie infidelium barbarorum atterimur; sed & intrinsecus perversitate nequam Christianorum B afficimur. Verum quanto crebescunt mala pravorũ, tanto crescere debent bona rectorum. Quæ profecto fieri nequeunt, nisi per commune fratrum collegium in idipsum corpore simul & mente convenientium. Est enim ecclesia Dei propter concordiam tam visibilibus, quam invisibilibus hostibus omnino terribilis, & velut castrorum acies ordinata. (Cant. 6.) Quapropter tam pro ecclesiasticis quibusdam necessitatibus, quam pro statu & pro correctione reipublicæ, auctoritate apostolica decrevimus reverendorum fratrum & coepiscoporum nostrorum Italici regni universale, id est, totius provinciæ, advocare concilium, locum autem nusquam ad hoc gerendum aptiorem & faciliorem, C quam apud Ravennam undique confluentibus inveniri posse perspeximus. Occurrat igitur alacriter cum suffraganeis suis, quos ipsa convenire commoneat, ad designatam urbem sanctitatis fraternitas, & tanto deesse conventui, quem scilicet ibidem octavo Kalendas Iulias, celebraturi sumus, nullo modo perferat, quo pullulantia in agro dominico zizania communi studio radicitus amputentur; & salubrium virtutum germina socio pro his certamine penitus inserantur. Fratres præterea & coepiscopos nostros, qui sub beatitudine vestra degunt, ad eumdem universalem synodum hortatu sanctitatis vestræ venire præcipimus. Quisquis autem occurrere sanctitati tuæ forte contempserit, canonicis se D noverit increpationibus procul dubio submittendum, in promptu, secundum apostolum, nobis habentibus omnem ulcisci prorsus inobedientiam. (2. Cor. 10.) Hanc vero apostolatus nostri epistolam vel exemplaria illius, beatitudo vestra in diœcesi sua omnibus indifferenter episcopis parare faciat; ne aliquod possit ab inobedientia excusationis, quod non expedit, velamen obtendi.

LIII. AD AQVILEEIVS.

Quæ de eo sinistre ferebantur, in generali concilio canonice terminanda significat.

*Ad * Aquileieus.*

* f. Aquileiensem.

NOVIMVS vestram beatitudinem a nonnullis de quibusdam sinisterius diffamari, quod profecto in synodali est conventu * interius & perspicacius ventilandum, & secundum sui qualitatem, regulari censura modis omnibus finiendum. Sed credimus, divina favente gratia, vos coram positos, ita insontes inveniendos, ut veritas exagitata non de vobis cœni, quod adsit, sed unguenti commoti jucundum reddat odorem; nisi forte absentia procurata, vera quæ dicuntur de vobis comprobet, & pœnam merito irroget: quæ si adesset, magistra justitia forsitan retudisset. Data VI. Kalendas Iunii, indictione decima.

* for. integrius

LIX. AD ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Certum prescribit diem, quo Ravennæ cum omnibus suis suffraganeis affuturus sit: quod si quis parere contempserit, excommunicationem illi minatur.

Ioanni archiepiscopo Ravennati.

ITER quod pro dissolvendo fœdere olim a Neapolitanis cum Sarracenis inito Trajectum fecimus, nos a præfinito die synodi retardavit, sed quia auctore Deo, ipso discisso quies aliqua reddita comprobatur, ecce de itinere scribimus nos certissime sextodecimo Kalendas Augustas Ravennæ futuros, ubi sanctitas tua per se cum omnibus suffraganeis suis episcopis, quos ipsa convocare debet, adesse duodecimo Kalendarum Augustarum omni remota excusatione procuret; ut communi tractatu communia ecclesiarum exorta zizania generaliter evellantur. Si quis autem in hac parte collegium vestrum putaverit declinandum, communionis nostræ a se noverit consortium modis omnibus adimendum: nobis procul dubio, secundum apostolum, in promptu habentibus ulcisci omnem inobedientiam. Data *ut supra*, indictione decima. 2. Cor. 10.

LX. AD EVMDEM.

Scribit se jussisse, ut omnes Italiæ episcopi, & pręcipue Venetiarum, ad synodum Ravennæ celebrandam accedant.

*Ioanni * archiepiscopo Ravennati.*

* forte Urso Venetorum duci, ut ex epistola 50. apparet.

SCIRE volumus gloriam tuam pro multis necessitatibus sanctæ Dei ecclesiæ, sicut jam te non latere credendum est, undecimo Kalendas Augustas istius decimæ indictionis, Ravennæ, gratia sancti Spiritus suffragante, synodum nos cum confratribus & coepiscopis nostris instituisse fore modis omnibus celebrandam. Ad quam, sicut nos multis utilitatibus omissis, nec laborem quidem itineris, nec intemperantiam aeris recusantes, occurremus; ita omnes hinc & inde volumus antistites advenire, ut quidquid in sancta Dei ecclesia perperam per zizaniorum satores crevisse dignoscetur, hoc communi tractatu per nostrum commune studium radicitus extirpetur. Idcirco tuam nobilitatem ignorare non patimur, quod episcopos Venetiarum, & electos vocatosque episcopos vacantium sedium ad eamdem synodum, sicut jam eos vocavimus, occurri & iterato decreverimus: ut inter reverendum quoque metropolitanum vestrum & vos omnis altercatio discutiatur, examinetur, & coram sancta synodo canonice terminetur. Alioquin tam a nobis quam a sancta synodo, si inobedientes jam toties per epistolam vocati extiterint, E tamquam contemptores, synodicam sententiam incurrere merebuntur: quia cum sit illinc Ravennam brevior via, de labore itineris excusationem habere non poterunt. Data XIV. Kalendas Augusti, indictione decima.

LXI. AD LAMBERTUM GLORIOSUM COMITEM.

Registrum de indictione XI.

Significat Romanorum procerum obsides dari non posse: monet ne ad urbem veniat, quia ipse eum excipere non potest.

Ioannes episcopus Lamberto glorioso comiti.

REMEANTIBVS nobis, Deo præduce, Romam; convocavimus totam ecclesiam, & illud

illud quod nobis de obsidibus Romanorum procerum dandis edixeras, in conventu fidelium sanctæ Dei ecclesiæ necessario contulimus: sed heu quid dicam? cum tantum totam eamdem ecclesiam contra nos incitaverimus, ac si pro melle, eam felle potasse videremur. Romanorum filios sub isto cælo non legitur fuisse obsides datos, quanto minus istorum, qui fidelitatem Augustalem & mente custodiunt, & opere Deo juvante perficiunt? Præcipue cum nos * miseremur, si hoc ex Augustali jussu processerit, & ipsum imperatorem non credamus suum nos velle secretum latuisse. Tale quippe consilium non alius adinvenit, nisi ille qui hanc terram conturbare molitur, & ineffabile damnum populo Dei generare versutis fraudibus machinatur: qui pacem & quietem odio habet, & dissensionibus utique gaudet. Quamvis antea Romani * ovilis senatus mortem eligant, quam hanc inauditam & pessimam rem fieri quocumque modo consentiant. Quapropter, quia omnino est impossibile, & tale quid omnis inclytus audiens in maximam suspicionem prorupit, atque simpliciter non fuisse dictum modis omnibus æstimavit: mandamus dilectioni tuæ, quam absentem sicut præsentem amplectimur, ut huc nullo modo fatigeris, quia modo te nullatenus recipere possumus, nec tectum aliquid nunc agendum fore necesse putamus. Cum autem, Deo juvante, ad unam concordiam & unam quietem reipublicæ causa redierit, & litis figmenta, quæ tamquam telas aranearum putamus contra Augustalem majestatem oborta, sopita extiterint: nos & nobilitatem tuam recipiemus, & ea quæ ad communem utilitatem pertinere cognoverimus, tecum & tractare, & utpote cum tantæ prudentiæ viro peragere summa dilectione curabimus. Antea autem nullo modo te venire oportet; quia nullo modo te, sicut diximus, recipere fili carissime possumus. Data XII. Kalendas Novembris, indictione XI.

*for. dubitemus,

LXII. AD VVIDONEM EPISCOPVM INIVENSEM.

Causam Leontardi cujusdam, qui homicidium cum aliis commiserat, ei delegat: hortatur, ut quoniam gravissimam illi antea pœnitentiam constituerat, modo leviorem constituat.

Vvidoni episcopo Inivensi.

LEONTARDVS quidam tuæ diœceseos homo, singultibus & gemitu tritus sanctam sedem apostolicam, & nostram humilitatem adiit, referens se primo quidem homicidii incidisse reatum; & a sanctitate tua pœnitentiam accepisse, quam & peregerit; & ea peracta, miserationem & reconciliationem ecclesiasticam tuo judicio promeruerit. Post vero cum aliis suis concivibus quosdam prædones publica sanctione jussus sit insequi, ut si eos capere potuissent, modis omnibus interimere non admitterent. Contra quos iste cum aliis proficiscens, asserit quod uno ex illis capto, oculos comprehensores ejus eruerint, ac per hoc ipse prædo nefandus vitam finierit. Hoc itaque facto præfatus Leontardus pœnitentiam suscepturus, ad tuam præsentiam veniens, hujuscemodi dixit se fuisse tuo judicio judicatum: Sanctam videlicet communionem nisi ad exitum vitæ non percepturum: carnes & vinum, exceptis diebus dominicis, & sanctorum festivitatibus non sumpturum: comam non rasurum: uxorem non accepturum: cum hominibus non conversaturum: in cinere & cilicio gemiturum: servis, rebusque suis non dominaturum: seniorem beneficium non habiturum, & aliis his similibus forte fruendis non fruiturum. Quæ omnia audientes, & intimo corde pensantes, invenimus aliquid gravius te, quam expediit, si ita est judicasse. Hujus rei gratia omne hujus judicium tibi dimittimus, & ut nostra super hoc vice ad mitiorem in eo proferendam sententiam perfruaris, modis omnibus exhortamur: quatenus pro amore apostolorum & nostro, & laborem itineris, & lacrymabilem prædicti latoris intentionem, vel pœnitentiæ amaritudinem omnino considerans, mitius cum eo agere non detrectes; & eo quod ad sanctos apostolos fecit confugium in his, quæ oportuerit, ne forte in desperationem labatur, misereri illius nunquam omittas; quia dominus, sicut per prophetam loquitur, misericordiam vult, & non sacrificium. Ideoque monemus, rogamus, ut misericordiam ei impendas: quatenus de impensione misericordiæ audientes, sanctitati tuæ multimodas gratias referamus. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data III. Kal. Novembres, indictione XI.

Osea 6.

LXIII. AD CAROLOMANNVM REGEM.

Dolet de Caroli imperatoris obitu: hortatur ut promissa pro Romanæ ecclesiæ dignitate impleat: legatos se missurum pollicetur. ejus precibus Theotmaro archiepiscopo pallium mittit: quem apostolicæ sedis reditus, quos apud Baioariam habet, Romam annuatim transmittere jubet.

Carolomanno.

APICIBVS igitur, gloriose fili, vestræ dilectionis susceptis cum parte gratulationis, vestra incolumitate prosperitatisque successu, Caroli imperatoris morte audita, nimio tristitiæ fateor mœrore, ex latere sumus attriti, sed subito undam mentis nostræ cogitatione ad divinum judicium aliquatenus sustollentes, in illud apostoli obstupefacti cogimur voce erumpere, dicentes: *O profundum divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* quod idcirco dicimus, quatenus sedula cordis meditatio humanæ fragilitatis in hoc mari magno cursum vitæ instabilis intueri non desinat, atque ad ea gaudia quæ sunt fixa & immobilia nostra actio, gratia Christi duce, anhelare contenta bonis operibus nunquam desistat. De causa sane vestri ad nos adventus, vestraque sublimissima promissione, Romanæ ecclesiæ supra omnes qui fuerunt ante vos, ejusdem exaltatione, cum hoc opere compleveritis, aderit ille vestri retributor, qui per controversiam juramenti confirmans modulos humanæ locutionis, ait; *Vivo ego, dicit dominus, quia glorificantes me, glorificabo.* Dum a colloquio, ut dicitis, fratrum vestrorum fueritis reversi, legatos ex latere nostro ad vos solenniter dirigemus, cumque pagina capitulariter continente ea, quæ vos matri vestræ Romanæ ecclesiæ, vestroque protectori beato Petro apostolo perpetualiter debetis concedere. Quibus peractis demum rursus ordinabiliter & honorifice mittemus, qui vos cum tota decentia, utpote tantum regem ad limina apostolorum ductare studeant, unaque convenientes de statu reipublicæ, totiusque Christiani populi salvatione salubriter tractare, Deo opitulante, ac ordinare valeamus. Inter quæ quæso fili carissime, quotquot infideles nostros, nostræque vitæ

Carolomannus fuit Ludovici Germaniæ regis filius, ac Ludovici Pii imperatoris nepos, ad quem aliquot infra scribuntur epistolæ, & de quo Ado in fine chronicorum, Aimoinus li. 5. c. 28. Regino lib. 2. chron.

Rom. 11.

1. Reg. 2.

vitæ inſidiantes, quoquomodo, vel ſignificatione poteritis cognoſcere, nullum apud vos, veſtroſque fideles valeant aliquatenus locum, vel aditum invenire, ne immunda eorum præſentia aliqua conſortii macula regium culmen contagiet. Pallium vero, veſtra petitione inclinati, Theotmaro archiepiſcopo conſuetudinaliter dirigentes; optamus ut hoc decore interius fulgeat in oculis interni judicis, quo nitet exterius humanis obtutibus, cuique quæſo committite ea, quæ apud Bagoariam beatus Petrus, apoſtolus habet, uti nobis annualiter reditus ejus Romam tranſmittat. Data menſe Novembri, indictione XI.

LXIV. AD THEOTMARVM ARCHIEPISCOPVM IVVANNENSEM.

Pallium ei concedit: mandat ut reditus, quos Romana eccleſia apud Bagoariam habet, Romam mittat.

Theotmaro archiepiſcopo Iuvanenſi.

INDICRCO tuam fraternitatem tanto pallii decore ſtuduimus decorare, ut Chriſto opitulante, & ante Dei oculos bonis & ſanctis actibus polleas, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, a qua potus præclari poculi ſumis, devotus ſemper fidelis exiſtas, ejus in futurum effectus particeps, cujus locata perpetualiter fundamentis conſiſtit, & apud Carolomannum regem dilectum filium noſtrum quotidianus interventor pro Romana eccleſia hortamur exiſtas. Inter hæc ea, quæ beatus Petrus apoſtolus apud Baioariorum terram jure proprietatis poſſidet, tuæ induſtriæ ſagacitatique committimus: quatenus amodo & deinceps annuos eorum reditus Romam ſine mora tranſmittas. Data menſe Novembri, indictione XI.

LXV. AD EDEREDVM ARCHIEPISCOPVM ANGLORVM.

Laudat ejus pium erga ſedem apoſtolicam animum: dolet de adverſis: monet ut pro eccleſia fortiter ſe gerat: oſtendit uxores non eſſe dimittendas: nuntiat ſe ad regem ſcripſiſſe, ut debito eum honore proſequatur; demum ejus eccleſiæ privilegia confirmat.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Ederedo archiepiſcopo gentis Anglorum.

VESTRIS relectis apicibus, quanta veræ dilectionis & ſinceritatis fides, qua Chriſtum Deum veſtrum proximumque diligitis, in vobis conſiſtat, & pia devotione circa ſedem apoſtolicam ferveat, evidenti dumtaxat intellectu perſpicimus; cum more anteceſſorum veſtrorum, & cauſas veſtræ eccleſiæ neceſſarias noſtro præſulatui, quaſi ſuo doctori referre, & a ſede apoſtolica ſuper quibuſdam ſuis quas patitur adverſitatibus conſultum, & auctoritatis munimen accipere quæſiſtis; in qua Deus omnipotens totius eccleſiæ poſuit fundamentum. Et quia dura quædam in præſentis ſæculi vita, quæ vere tentatio eſt ſuper terram, poſiti quotidie ſuſtinetis, non ſolum flemus noſtra, quæ ſimiliter patimur, ſed condolemus & vobis talia proh dolor! patientibus, quoniam omni jam mundo in maligno poſito, multis, ubique adverſariis adverſus Chriſti famulos exiſtentibus, quanto majores & ſupra modum crebriores tentationes quotidie imminuerint circa nos, tanto Chriſti freti ſolatio valentiores eſſe debemus: noſtra ſacra narrante ſerie: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe, ipſeque Deus benedictus in ſæcula, qui non patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus*, dicente apoſtolo, *ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere.* Nos tamen pro inſtantis temporis neceſſitate hortamur, & monemus fraternitatem veſtram, ut omni ſæculi timore poſtpoſito, ſicut idoneus Dei miniſter opponas te murum pro domo domini & zelo illius accenſus, non ſolum regi, ſed omnibus in ea perverſe aliquid agere volentibus, ſtrenue reſiſtere non prætermittas, honorificans miniſterium tuum, quamdiu divina ſineris voluntate ſummo ſacerdotio fungi, populumque domini tibi commiſſum ſanctę doctrinæ pabulo paſcere, ſacerdotes ſcilicet, & eccleſiaſticos viros, ac feminas, nec non viduas, & ſanctimoniales juxta ordinem ſuum pro viribus regere, tuerique, ut paſtor idoneus coram domino appareas prompta mente procures: quoniam nos apoſtolicæ ſedis apicibus admonere exhortarique curavimus regem veſtrum, ut tibi pro Ieſu Chriſti domini noſtri amore in omnibus, quæ ſanctæ eccleſiæ tibi commiſſæ utilia ſunt, obediens & adjutor devotus, ſicut anteceſſores ſuos piiſſimos reges Anglorum, narrante hiſtoria, fuiſſe recolimus, exiſtere non prætermittat: ſi & regnum ſibi temporaliter conceſſum voluerit retinere ſecurum, & vitam poſtmodum regni percipere ſempiterni. His autem, quos aſſeris uxores proprias contra præceptum domini relinquere, præcipimus, neque virum ab uxore, neque uxorem a viro, niſi cauſa fornicationis diſcedere: quod ſi ob hoc diſceſſerit, manere innuptum, vel innuptam, aut ſibi mutuo reconciliari: quoniam dicente domino, *quod Deus conjunxit homo non ſeparet*; & ideo cum priorem legitimo ſibi matrimonio junctam quiſquam deſerere nequeat, nulla ratione illi prorſus conceditur aliam vivente priore conducere: quod ſi fecerit, & non emendare ſub ſatisfactione ſtuduerit, ab eccleſiæ conſortio maneat ſeparatus. Sed neque de propria cognatione ſecundum ſancti præceſſoris noſtri Gregorii doctoris gentis veſtræ decretale ſtatutum, cuiquam ducere permittas. Nos namque ſedis tuæ privilegium, quam vice beati Auguſtini a ſancto Gregorio pro multorum ſalute, & converſione illuc directi regis, illibatum tibi volumus procul dubio conſervare, & ut ab omnibus ordinibus, tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus cuſtodiatur in perpetuum, ſecundum ipſius ſancti præceſſoris noſtri Gregorii * cujus ſapientiæ radius eccleſiam Chriſti per orbem diffuſam irradiat, ſancimus, atque præcipimus. Et quidquid adverſi a quocumque homine de parte tua nobis fuerit relatum, ante veram cognitionem nullatenus credimus: quin potius etiam regem veſtrum admonuimus, ut dignum honorem tibi pro amore Ieſu Chriſti domini noſtri impendat, & omnia privilegii tui jura perpetua ſtabilitate & conſervare ac indiminuta cuſtodire procuret, ſi gratiam & benedictionem ſedis apoſtolicæ, ſicut anteceſſores ejus bene faciendo habere meruerunt, pari modo voluerit iſte habere. Data *ut ſupra.*

Iacob. 1. — 1. Cor. 10. — Matth. 19. — S.Greg. lib. 12. epiſt. 31.

* *forte deeſt*, ſtatutū, *aut quid ſimile.*

LXVI. AD ATHANASIVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Commendat zelum fidei, quem oſtenderat adverſus Sergium eccleſiæ Dei hoſtem: hortatur ut in dies magis pro eccleſiæ ſibi commiſſæ defenſione laboret; Petrum diaconum ei commendat.

Reverendiſſimo

Reverendissimo & sanctissimo Athanasio episcopo sanctæ ecclesiæ Neapolitanæ dilecto confratri nostro.

INNUMERAS gratiarum actiones vestræ Deo dilectæ agimus almitati, dignisque apostolico vos ore laudibus præ ceteris merito collaudamus: quoniam secundum domini vocem dicentis; *Si oculus tuus, vel manus tua scandalizat te, erue eum, & projice a te*, fratrem tuum erga ecclesiam Dei impie agentem, & circa dominum non recto itinere gradientem, velut secundum Holofernem, sancta Christi Dei nostri ausu temerario impugnantem; & hereditatem patriam more sacrilego persequentem, tanti honoris regimine indignum judicans, ultionis divinæ percutere jaculo studuisti: nec pepercisti carni tuæ propter dominum dicentem: *Qui diligit patrem, aut matrem, aut fratrem plusquam me, non est me dignus*: in quo nimirum vos Deo per omnia dignos fore cognoscimus, quia membrum corporis tui multo contagio fœtens libenter abscidere, proculque abjicere sanctitas tua fideli devotione curavit: & quia nuncusque viris sæcularibus secundum se, & non secundum Deum in urbe Neapolitana principantibus, multa scandala & perturbationes multas, homicidia & oculorum erutiones intra eam, vel foris peragentibus, dignum Deo de his juste judicante peractum est, ut iniqua jam cessaret dominatio, finem haberet peccatum; & consurgeret vir de domo domini, qui timorem Dei præ oculis habens regat populum Christi in omni justitia & sanctitate, in omni veritate & mansuetudine, ut pastor idoneus, & non velut mercenarius deserat & disperdat: & ideo ea quæ vestræ dignitati, vel honori congrua ac necessaria sunt, perpetua nihilo minus stabilitate confirmamus; tantum ampliori nunc studio, curaque multiplici pro defensione sanctæ Dei ecclesiæ tibi commissæ stare ac desudare, quatenus salva securaque consistat, ut procures, his nostris apostolicis prudentiam vestram exhortamur apicibus. Nos namque, aliis omnibus mancosis datis, mille quadringentos vobis dare debemus, quos vestræ dilectioni, aut in initio quadragesimę, aut in die sanctæ resurrectionis vobis procul dubio dirigemus. Porro hunc Petrum venerabilem diaconum vestrum, quia eum vestræ ecclesiæ, & civitati Neapolitanæ in omnibus fidelem esse cognoscimus, vobis in omnibus commendamus, & pro nostro eum amore benigne semper retinere dignemini. Data *ut supra*.

Matth. 5.

Loquitur de Sergio, ut constat ex epistola proxima, cujus Leo Ostiensis meminit lib. 1. c. 42.

Matth. 10.

LXVII. AD NEAPOLITANOS.

Laudat eos, quod zelo divino accensi Sergium a se abjecerint, & Athanasium episcopum suæ reipublicæ rectorem elegerint: pręcipit ut ei pareant, offerens se una cum ipso eorum commodis consulturum.

Omnibus eximiis judicibus, & universo populo Neapolitanæ civitatis.

QUANTA veræ fidei devotione circa Deum creatorem & salvatorem mundi atque erga ecclesiam Christi ferveatis, luce clarius ecce cognoscimus, cum tantæ impietatis virum, perditionis scilicet filium, & totius iniquitatis vas vobis inique dominantem, Sergium nempe magistrum militum, secundum videlicet Holofernem, zelo repleti divino, abjicere, ac velut membrum fœtidum a corpore Christi abscidere, proculque abjicere studuistis secundum domini præceptum dicentis: *Si oculus tuus, vel manus tua scandalizat te, erue eum, &*

Matth. 5.

A *projice a te*: & quia illo abjecto pastorem & episcopum animarum vestrarum, Athanasium videlicet, dilectum confratrem, & unanimem filium nostrum habere judicem elegistis, innumeras vestræ dilectæ prudentiæ, & unanimitati gratias agimus: quoniam, sicut Dei ministri, iram domini exercituum, quæ jam meritis imminebat illius, in eo ulcisci procurastis, qui nimirum multa & inaudita mala plusquam omnes patres suos in civitate Neapolitana, & in finibus nostris nequiter facere non dubitavit, cum innumeram hominum multitudinem, infantum & mulierum catervam gladio, fame, atque captivitate crudeliter peremisset. His igitur nostris apostolicis literis nobilitatem vestram filioli mei monemus atque hortamur, ut præfatum Athanasium confratrem nostrum venerabilem episcopum vestrum, sicut divina inspiratione docti loco B rectoris habere elegistis, fideli mente ac devotione cum omni honore habere studeatis: quoniam nos cum illo in omni vestro adjutorio, in omni vestra utilitate prompti existimus, parique voto vos adjuvare desideramus: tantum state viriliter obedientes illi in omnibus, velut filii carissimi. Porro quia jam, aliis omnibus datis mancosis, mille quadringentos vobis dare debemus, ne turbemini: quia eos vel in initio quadragesimæ, vel in die sanctæ resurrectionis, vobis procul dubio dirigemus. Vos tantum ut filii carissimi adversus infideles & communes inimicos totis viribus pro defensione ecclesiæ Dei desudare satagite: quatenus, & Dei gratiam, & nostram semper benedictionem habeatis. Bene vos C optamus in domino. Data *ut supra*.

LXVIII. AD LAMBERTUM COMITEM.

Scribit se in Galliam velle proficisci, ideo sub excommunicationis pœna pręcipit, ne se absente Romanæ ecclesiæ territorio, vel Romæ aliquod damnum inferat.

Nobili viro Lamberto glorioso comiti.

SAGACITATI ac prudentiæ vestræ notum esse volumus, quia non solum pro assiduis Paganorum infestationibus, quas ecce jam biennium nemine defensionis nobis prębente solatium D patimur: sed etiam pro innumeris, & supra modum gravibus oppressionibus quæ nobis una cum dominico grege divinitus commisso in pace, quam Christus Deus noster se diligentes habere jubet, consistentibus, ab adversariis illata sunt, & quotidie inferuntur, in gremio sedis apostolicæ quæ caput est orbis & omnium mater fidelium, quiete ac securiter manere nobis minime licet. Ideo Franciam per iter marinum proficisci, gloriosumque Carolomannum regem adire, atque optatam illius contemplari præsentiam cupimus, pro salute scilicet ac defensione terræ sancti Petri, & totius Christianitatis suppliciter deprecantes: quatenus Dei omnipotentis solatio, & regia virtute nobis, prout opportunum est, solati ante possimus salubri E prosperoque successu regere atque tueri territorium, & populum domini pretioso cruore redemptum: ne pro aliquo eorum per nostram desidiam vel incuriam pereunte, districtam domino cogamur reddere rationem. Ideo monemus & his nostri apostolatus literis dilectionem vestram pio intuitu exhortamur, ut nobis abeuntibus Franciam pro defensione sanctæ Dei ecclesiæ, & reipublicæ stabilitate, nullam contrarietatem, vel inimicitiam exerceatis in toto territorio principis apostolorum, neque urbis Romæ, quæ est civitas

civitas sacerdotalis & regia, per sacram beatri Petri A sedem, aliquas adversitates, vel insidias præpareris, neque faciatis, facereque volentibus ullo modo consentiatis. Quia si per vos, aut per vobis subjectos homines eadem urbs Roma perturbationem aliquam, vel dehonestationem habuerit, vel adversa quælibet sustinuerit, pro certo scitote, quia canonicis vos correptionibus cum victrici sancti Spiritus auctoritate omnimodis redarguemus, & ab apostolicæ sedis communione merito separabimus. Data *ut supra*.

LXIX. AD LANDVLFVM EPISCOPVM CAPVANVM.

Monet ut consentiat cum Athanasio episcopo Neapolitano ad ecclesiæ Romanæ defensionem: & curet pactum cum Amalfitanis factum, ab ipsis observari.

Reverendissimo & sanctissimo Landulfo episcopo Capuano.

QVANTO studio tua dilectio, tuaque benigna fraternitas erga defensionem, ac liberationem obsequiumque sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui Deo auctore, culmine præsidemus, laboraverit, torisque nisibus cordis in parte nostri operis desudaverit; sedula reminiscimur procul dubio recordatione: tuaque ob hoc retributio, tam apud Deum, quam apud nos erit in promptu indubitanter parata. Quapropter, quia te valde idoneum in tantis habemus expertum, monemus, atque hortamur esse unanimem cum Athanasio Neapolitano episcopo in caussa præsenti Romanæ ecclesiæ, quoniam liquidum in Salomone didicimus: *Funiculus triplex difficilis erit*; eidemque nostro hortatu, & admonitione in omnibus fraternus auxiliator existere nunquam desinas, inter hæc tua benigna fraternitate, & dilecti filii nostri Guaiferii principis, mediante, pactum in decem millium * mancusorum cum Amalfitanis eatenus fecimus, ut a Trajecto usque Centumcellas nobis navali labore indesinenter auxilium ferrent. Sed hactenus id in nullo demonstraverunt: insuper quædam studio calliditatis astruunt: quia utrique abbates, Ioannes videlicet ac Anastasius, quos illuc ex nostra parte direximus, non in decem millium tantum mancusorum, sed in duodecim millium plaitasse, quod iidem abbates coram nostra præsentia non se fecisse jurejurando refellunt. Ideoque vestra eos prudentia, & ab hac injusta petitione compescat, & in servitio salubri commonitione confirmet: quatenus nostra benedictone positi, animo & corpore ex Christo domino salvi existant. Data *ut supra*.

Eccles. 4.

* *al.* mancosorum

LXX. AD ARCHIEPISCOPVM EBREDVNENSEM.

Reprehendit quod alium episcopum, præter eum quem clerus & populus elegerat, in Vencienſi ecclesia consecraverit: præcipit ut cum utroque Romam veniat.

Reverentissimo & sanctissimo Ariberto archiepiscopo Ebredunensi.

SI canonica in consecrandis episcopis statuta servasses, numquam, sicut auditu didicimus, & de quodam diacono, nomine Vualdeno, super tuam dilectionem reclamante, se canonice a plebe & populo Venciatæ electo, & a tua sagacitate abjecto, de consecrato controversia quælibet nasceretur, qua vestra merito reprehenderetur fraternitas. At nunc, quia mortuo Vencienſi episcopo, non præfatum sacerdotem, quem ut dictum est clerus & populus civitatis elegerat, piæque memoriæ Carolus imperator suo consensu firmaverat, consecrasti, eodem Augusto de præsenti vita subtracto alterum non juxta nomam canonicam electum ex adverso venientem, nec per ostium sed aliunde introeuntem, tuo tantum libitu ordinasse accusaris. In quo te non leviter incurrisse omnino videmus: quia dicente prędecessore nostro papa Cælestino: Nullus invitis detur episcopus, cleri, plebis, & ordinis consensum & desiderium requi- B rere debuisti. Cujus etiam auctoritate clerici habent facultatem resistendi, si se viderint prægravari: ut quos sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare: quoniam etsi non debitum prǽmium, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere judicium. Nam & sancto Leone dicente: Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti. Vnde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non doceatur fuisse collatum? Eodem etiam capitulo xxxv. canonum suorum jubente, Nullus, ut dictum est, non petentibus est ordinandus antistes, ne civitas episcopum non optatum aut contemnat aut odiat: C ac per hoc fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuit habere quem voluit. His ita statutis, ne in ecclesia Dei tibi commissa scandalum maneat vel schisma existat, dilectioni tuæ jubemus, ut cum eodem a te consecrato episcopo, & illo qui se canonice asserit fuisse electum, de præsenti Romam venire procures, quatenus in præsentia nostra & sedis apostolicæ tanti causa negotii diligenter inquisita & examinata legitimum Deo favente finem percipiat. Obedire igitur te oportet huic nostræ pręceptioni pro ecclesiæ Dei pace directæ. Nam si aliter feceris, scito quia nos talem illicitam præsumptionem impunitam nullatenus relinquemus. Data *ut supra*.

Epist. 1. episcopis Vienensi, & Narbonensi.

Epist. 95. Rustico Narbonensi.

Epist. 88. Anastasio Thessalonicensi.

LXXI. AD CVNIPERTVM COMITEM.

D Præcipit ut bona Romanæ ecclesiæ, quæ occupaverat, restituat.

Dilecto filio Cuniperto glorioso comiti.

AVDITV didicimus, etiam & veraciter scimus, quod cortem sancti Petri, quæ est in Aluiscutia, contra Deum & nostram voluntatem teneatis invasam, & unde censum ac functionem annuam ecclesia principis apostolorum pro luminariis habere solita erat; nunc vestra fortia, & avaritia faciente, nil recipere, nilque potest habere. Vnde ex auctoritate Dei, & sancti Petri, ac nostra, vobis pręcipimus, ut non habeatis licentiam ipsam cortem amplius retinere: nec in ejus rebus & pertinentiis vos intromittatis, si gratiam E Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli, nostramque benedictionem cupitis habere; Sinatisque homines sancti Petri, qui ibi sunt, eamdem cortem securiter retinere. Nam si ipsam cortem deinceps tenere contra nostram voluntatem præsumpseritis, aliquamque ibi fortiam, vel violentiam feceritis; scitote quod omni vos ecclesiastica communione atque a corpore & sanguine domini nostri canonice separabimus, sicut invasorem rerum ecclesiasticarum. Data *ut supra*.

LXXII.

LXXII. AD LAMBERTVM COMITEM.

Monet ne Romam eam ob causam veniat, ut apostolicæ sedis hostibus auxilium ferat. quod si alia de causa venerit, honorifice se eum excepturum promittit: plura legatis injungit, quibus fidem adhiberi jubet: Adelbertum Romanæ ecclesiæ hostem se non posse ait in communionem recipere.

Dilecto filio Lamberto glorioso comiti.

DILECTIONIS & amicitiæ vestræ amorem, ac sinceritatem quasi quoddam insolubilis caritatis pignus tenentes; tanto de inimicorum nostrorum callidis astutiis, vel præparatis cum apostolica sede securi existimus insidiis, quanto nobilitatis vestræ potentiam, una cum Christi auxilio B nobis conjunctam in omnibus prosperis, seu adversis esse procul dubio credimus: quoniam & nos vobiscum in cunctis, quæ vestræ gloriæ sunt congrua, vel necessaria existere prompti optamus. Et ideo eminentiam vestram quæ relatione quorumdam didicimus latere nolentes, utpote spiritali filio nostro referre indubitanter curamus. Audivimus namque quod inimicis & infidelibus nostris per cujusdam exhortationem cupiatis ferre solatium, atque Romam venientes suis eos rebus, & beneficiis contra nostram etiam voluntatem inconvenienter restituere debeatis: quod nullus imperatorum, vel regum, aut comes antecessoribus nostris fecisse recolitur. Vnde valde miramur, si hoc verum est, quomodo tantæ amicitiæ inter nos C toties habitæ atquæ promissæ obliti estis; cum post Deum vos modo in omnibus necessitatibus, & utilitatibus, ecclesiæ sancti Petri habeamus unicum adjutorem atque fidelissimum defensorem. Et ideo licet quidam vobis agere talia sedi apostolicæ nobisque contraria suadeant, nos tamen in vestræ fidei devotione, quam erga beatissimos principes apostolorum Petrum ac Paulum, & nostram paternitatem habetis, plurimum confidentes, quasi dilecto filio, & unanimi amico mandamus, ut pro Dei & nostro amore, pro causa inimicorum nostrorum aliquatenus restituenda, cum bis jam ac ter synodico sint ipsi judicio condemnati, Romam nunc non veniatis; quia valde turbati ac tristes ob hoc existentes, vos, sicut decet & nos cupimus, honorifice recipere non possumus. Quamobrem vestra D prudentia tantæ perversitatis consilium destruat, atque contra ipsos inimicos nostros totis viribus insurgere, & pari nobiscum voluntate, sicut oportet, eos confundere procuretis; ut nos, sicut per vos credimus, securi & quieti, Dei & vestrum maneamus auxilium. Alia vero pro causa, si ad limina sancti Petri, & nostram apostolicam nunc aut postea vultis venire præsentiam: vos prompto atque gratissimo animo, prout oportet, honorifice recipiemus, vobiscum pariter gaudentes, & exultantes in domino. Plura quidem vobis super his scriberemus, sed quia idoneos, ac reverendos fideles nostros, vestrosque devotos amicos, Gaudericum E videlicet & Zachariam episcopos deliciosos & consiliarios nostros vobis direximus, qui vestræ gloriæ ea quæ literis desunt, verbis poterunt enarrare, omisimus scribere; quibus sane, quæ verbo tenus dixerint, quasi nobis credere non dubitetis. Agite igitur sicut vos in omnibus nostris credimus habere procul dubio adjutorem, & unanimem in Christo amicum. Adelbertus autem marchio ad nos si venerit, pro certo scitote, quia eum nullo modo recipiemus: quia multas nobis contrarietates fecit, A & manifestus in omnibus inimicus apparuit. Præterea, sicut nobis mandatis, ut pro instantis temporis causa, extra urbem Romam exeuntes, vobiscum alicubi loqueremur; libenter quidem hoc facere voluissemus, si utile ac necessarium esse videretur: ut simul loquamur non vobis grave sit ad nos quasi filius dilectus venire, quatenus ea quæ congrua sunt visa pariter consideremus. Data *ut supra.*

LXXIII. AD EVMDEM.

Graviter eum reprehendit quod in literis quas scripsit, honorem debitum apostolicæ sedi non habuerit, & ne legati absque ejus consensu mitterentur postulaverit.

Nobili viro Lamberto glorioso comiti.

SEDEM apostolicam, quam Deus omnipotens supra petram sui nominis fundare dignatus est, non solum reges & principes terræ, verum etiam imperatores Augusti, & totius orbis domini suis apicibus, utpote caput omnium ecclesiarum Dei, honoraverunt, dignisque prçconiis ejus pontifices, vicarios scilicet beati Petri apostolorum principis laudaverunt, votisque supplicibus deprecari studuerunt; & usque in finem sæculi, Petri manente nomine ac memoria, supplicare non desinent. Quapropter audientes literas tuas quas mandastis, mirati valde fuimus super earum verbis inconvenientibus, quæ nec debitas sancto Petro laudes resonant, nec ecclesiasticis concordant regulis, vel doctrinis; cum nobis illa verba mandastis, quæ sæcularibus viris, & comparibus tuis scribere solitus es, hoc est, cum dicis nobis, Tuæ nobilitatis: vel cum dicis nobis, Monemus nobilitatem vestram: in quo luce clarius mentem vestram cognoscimus erga nos minime devotam, sicut putabamus existere. Idcirco nostræ paternitati, tam vilibus verbis, & inconvenientibus sermonibus scribere audaci potius quam sincera mente voluistis: & mirum non est, quia de amaro fonte dulcis aqua non hauritur. Porro quia dixistis, quod sine consensu tuo nostras legationes nusquam mittere deberemus, ususque hoc non fuerit, nec literis legitur, nec a quoquam superstite unquam fuisse reminiscitur factum: & ideo sedes apostolica libera semper existens liberam ubique suam mittit legationem, habens domini auctoritatem dicentis: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Luc. 22. De his autem quæ olim dicta sunt inter nos, pro diversis ac multiplicibus contrariis, & adversitatibus, nec non & corporis incommoditatibus, quas quotidie patimur, nobis aliquid considerare, vel pertractare non licet. Nos tamen, si prudentiam vestram in nostris profectibus, & utilitatibus ecclesiæ Romanæ cognovissemus devotam existere, nostramque voluntatem prompte perficere, loco vos filii dilectique cuperemus retinere amici; & ea quæ vestræ saluti ac prosperitati essent utilia, grato sane animo perficeremus: sed quia vos, nobis relictis, in partem contrariam inclinatos videmus; non solum obstupescimus, sed etiam a vestræ amicitiæ nos similiter declinamus consortio, quod pro Dei amore valde retinere voluimus carum. Hanc præterea epistolam nostram secundum morem per Longobardum fidelem vestrum, & literarum delatorem vestrarum, vobis mandare voluimus; sed ille a nobis eas recipere, vestræque noluit deferre sagacitati: sed sicut & antiquus usus exigit, & ratio manifesta fieri declarat. Data *ut supra.* Aliquid deest.

LXXIV. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Hortatur ut in sua integritate perseveret, & Amalfitanos corripiat, quod auxilium navale non miserint, & nimia calliditate in se utuntur.

Amantissimo filio Guaiferio principi.

DEVOTIONEM igitur animi tui ex die qua te cognovi paucis verbis explicare non possum? hoc tamen veraciter scimus, quia apud nos tibi omnia salva reservantur tempore opportuno. Idcirco monentes hortamur, & rogando jubemus, uti in semel tua percepta bonitate perseveres. Quoniam scriptum est: *Non tardat dominus promissum suum, donec adimpleatur quod locutus est*: & ideo nosse gloriam tuam cupimus, quia ex parte Amalfitanorum nullum nobis juxta condictum placitum studuerunt præbere adjutorium navali certamine a Traiecto usque Centumcellas. Insuper quadam calliditate asserunt, non in decem millium tantum mancusorum, sed & in duodecim millium fuisse nostram promissionem: quod verum nullo modo constat, cum & ipsi abbates, quos illuc pro nostra parte reximus, jurejurando non se dixisse fateantur. De his vero aliisque similibus, quantum in nobis est, per gloriam tuæ nobilitatis, correptionem omnemque speramus studii emendationem: quod quæso facere mature acceleres. Optamus. Data *ut supra*.

2. Petr. 3.

LXXV. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Missa per Eugenium & Paulum episcopos mense Aprili, die XVI. *indictione* XI.

Dolet quod Græcos sequatur. hortatur ad Romanæ ecclesiæ gremium redeundum. tum de dono misso gratias agit. postremo Sergium quemdam per subreptionem ad sacerdotium & episcopatum promotum, depositum fuisse significat.

Michaeli regi Bulgarum.

SPIRITUALIBUS te visceribus edito gaudebamus, & pro salvatione tua gratias agebamus: sed nunc astutia malignorum decepto, tristamur & ingemiscimus, verentes & pertimescentes, ne si forte Græcos secuti fueritis, cum illi in diversas hæreses & schismata solito more ceciderint, vos quoque cum ipsis in erroris profunda ruatis: & sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita sensus vestri corrumpantur, & excidant a simplicitate & castitate quæ est in Christo Iesu. Nam te fili, Mosaicis rogo verbis, *interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi*, si aliquando Græci sine hac, vel illa hæresi fuerint: & cum non inveneritis eos ab aliqua hæresi aliquando liberos extitisse, oportet vos eorum fraudes & consortia fugere, ne cum illi erraverint vos erretis, & cum illi ad blasphemiam versi fuerint, & vos etiam fidei rectæ blasphematores inveniamini: nec erit qui vos postmodum corrigat vel ab errore reducat: & hoc est, mihi credite, fili carissime, quod dolemus, hoc est unde nocte & die pro vobis soliciti sumus; non gloriam ex vobis, vel honorem aut censum procul dubio expectantes, cum vos potius & non vestra quæramus: nam non patriæ regimen & reipublicæ moderamen adipisci cupimus; sed diœceseos ejusdem regionis curam & dispositionem more prisco resumere volumus, ut solicitudinem, quam universis debemus ecclesiis, tanto pro eadem diœcesi solertius exerceamus, quanto ad ordinationem specialius vestram hanc antiquitus pertinuisse non ignoramus, tantoque pro vestræ salutis custodia instantius vigilare valeamus, quanto ut confirmet hoc Deus quod operatus est in nobis enixius nobis optandum est, & districtius a nobis divinitus exigendum, clarius scimus, si circa instructionem & munitionem vestram desides, quod absit, fuerimus inventi. Revertimini ergo ad beatum Petrum apostolorum primum, quem amastis, quem elegistis, quem quæsistis, cujusque in necessitatibus patrocinium percepistis, & fluenta doctrinæ salubriter & convenienter hausistis: cujusque vos protectioni cum subjectis omnibus commendastis & tradidistis. *Bene quidem currebatis*, cum apostolo clamamus, *quis vos fascinavit veritati non obedire?* Sed & ipse per se dominus dicit: *Non mittens manum suam in aratrum & conversus retrorsum, aptus est in regno cælorum*: non autem dicimus quod non una sit fides, unum baptisma, unus Deus noster pariter & illorum: sed quia in eis sæpe præsule Constantinopolitano vel imperatore, aut plerumque utroque auctore facto hæreseos, plures qui sub ipsis sunt adulatione aut certe timore illis efficiuntur consimiles: & væ tunc eis est, qui societatem sequuntur eorum. Dic itaque rogo carissime fili, quid faceres tu, vel populus tuus, tempore Pneumatomachi Macedonii Constantinopolitani antistitis, quando & impius illic imperabat Constantius, essetis eorum societate fruentes; nonne dogma ejus contra Spiritum sanctum blasphemans cum illis sequeremini? *quod peccatum*, attestante domino, *non remittitur neque hic, neque in futuro*. Nonne si horum pollutam societatem haberetis, & pravam doctinam nihilo minus haberetis? ac per hoc & vos cum illis quasi fasciculi colligati ad comburendum æterno igni reservaremini in die judicii cruciandi? Credimus autem, quod jam vos non lateat, nunquam apostolicam beati Petri sedem ab aliis sedibus reprehensam, cum ipsa alias omnes, & præcipue Constantinopolitanam sæpissime reprehendens, aut ab errore liberaverit, aut certe in his qui resipiscere noluerunt, sententiæ suæ judicio condemnaverit. Noli ergo sequi Græcos, fili carissime, quia argumentis semper fallacibus student, semper dolosis intendunt versutiis, ne forte vobis quod genti contigit Gothorum contingat: quæ cum a Paganorum errore cuperet liberari, Christique fidei sociari, in episcopum incidit formam pietatis habentem, virtutem autem ejus abnegantem: qui eos dum a paganismo liberat, Arii blasphemiis implicat: sicque illi dum incaute quærunt errorem fugere, in errorem incidunt; & cæcum ducem sequentes, cum illo cæci facti in Arianæ pravitatis præcipitia delabuntur: & hoc est unde Græcorum cavenda esse prædicamus consortia: *Corrumpunt* enim, ut Paulus apostolus ait, *mores bonos colloquia mala*. Qui etsi aliquando loquuntur aliquid boni, noli mirari, quia & dæmones confitebantur Filium Dei: sed ipse illos potius tacere præcipiebat; ne qui eos audiret vera prædicantes, sequeretur errantes. Convertimini igitur ad beatum Petrum apostolorum principem, qui primus cognovit, & confessus est Filium Dei: qui oves dominicas regendas accepit, & ut has ad æternæ pascua vitæ introducere posset, & hic ligandi solvendique potestatem, & illic reserandi eis claves cælestis regni promeruit. Igitur scitote, carissime, si ex hoc ad Græcos, quod avertat dominus, conversio vestra fuerit,

Marginal notes: Genes. 3. — Deut. 32. — Psalm. 67. — Galat. 5. — Luc. 9. — Ephes. 4. — Matth. 12. — Romana ecclesia nunquam in errorem incidit; alias autem ab errore liberavit. — Socrates lib. V. c. 27. Theodoret. lib. 7. c. 32. Sozomenus lib. VII. c. 37. — 1. Cor. 15. — Matth. 18.

1. Tim. 5. fuerit, partem vestram divinitus cum his ponendam, qui primam fidem irritam faciunt, & cum his quorum libenter amplectimini portionem. Porro si nos audieritis, & ad sancti Petri gremium redieritis, ut filios vos amantissimos expansis sinibus recipiemus, & exertis brachiis amplectemur, & in visceribus Christi dilectionis semper habebimus; & si qua sunt sancta, si qua salubria, si qua congrua, vobis & pro vobis offerre atque impendere non cessabimus. Xenium nobis ex vobis transmissum, quodam religiosi habitus Urso deferente, suscepimus; de quo benignitati vestræ gratias agentes, Deum laudavimus, qui te nobis devote munus offerre docuit; temetipsum cito totum, ut confidimus, & perfectum daturus. Ceterum gloria vestra B sciat Sergium eunuchum, qui cum genere Sclavus esset, & multis pravitatibus irretitus, sacerdotium per surreptionem obtinuit; & post etiam super aliis detectus & convictus excessibus, ab episcopo tunc suo depositus fuisse dignoscitur, & post indigne satis a Georgio, qui falso sibi episcopi nomen usurpat, ad episcopatum Belogradensem provectus est, apostolorum principum, & sanctorum canonum auctoritate, etiam nostri esse sententia decreti depositum: quod tam vobis quam vestræ omnium generalitati canonice patefacimus; ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur: ne, quod non optamus, simili cum eis pœna judicii teneantur astricti. Data XVI. die mensis Aprilis, indictione XI. Nicæn. c. 5.

LXXVI. AD PETRUM COMITEM.

Missa per Paulum & Eugenium episcopos mense Aprili, die XVI. *indictione* XI.

Hortatur ut Michaelem regem ad Romanæ ecclesiæ gremium revocet.

Petro comiti.

DILECTISSIMO filio nostro Michaeli Christianissimo regi apostolatus nostri mittentes epistolam, dignum duximus ut & tuæ quoque gloriæ scriberemus, & gemitus nostri cordis aperiremus, quos assidue patimur, suspirantes & stupore nimio admirantes, quomodo ipse sapientissimus rex; & vos ipsi averti potueritis, & a recta semita declinare, atque a sede beati Petri apostolorum summi recedere; cui, sicut euangelium refert, Matth. 16. non caro & sanguis, id est humana sapientia, sed ipse per se Pater Filium proprium revelavit, cum alii hunc Ioannem, alii Eliam, alii Ieremiam, aut unum de prophetis existimarent. Scribimus ergo tibi tamquam familiari & carissimo nobis; tu enim in hac causa primus ipsi regi præcursor & dux auctore Deo fuisti: tu inter illum & nos medius discurristi, & Deo gratias, cuncta, quæ ad salutem gentis illius acta sunt, non sine tuo certamine acta sunt, & quot & quantos labores pro instructione E vestri nos assumpserimus, ipse non nescis. Et bene quidem in nobis delectabamini, & spiritualibus gaudiis, & profectibus fruebamini: sed nescimus quis vos de cetero deceperit; quis organum factus Genes. 3. diaboli, qui olim per serpentem Euam seduxit, vos a recto itinere callida suasione retraxerit: unde non parum dolemus, nec leviter anxiamur; & idcirco te, virorum optime, cohortamur, loquere ad aures ejusdem dilecti filii nostri regis; cui & dominus 1. Tim. 5. ipse ad aures præcordiorum loquetur, ut primam fidem non faciat irritam, ut ante se gradiens, retro nequaquam respiciat, viam qua ambulabat, non deserat, euangelicam legat historiam, & vi-A deat ibi præcipue soli Petro, aliis ista vel illa opinantibus, Christum Dei vivi Filium revelatum, & singulariter dictum: *Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua.* Luc 22. Ergo si istis falsa putantibus, Petro veritas præcipue revelata est: & si pro fide Petri oratum singulariter est a Filio ne deficeret, consideret sapiens rex quam laudabiliter primum fecerit urbem quærens, ad quam iste talis & tantus apostolus venit & prædicavit; cui, Patre revelante, veritas Filii patefacta est; & cujus fides, quia Filius rogavit, non defecit. Ad hanc quippe Romanam urbem post Antiochiæ, quam in transitu visitavit, fundatam ecclesiam, tamquam ad mundi dominam properavit, & illic consequenter Filium Dei vivi, quem non carne vel sanguine, ut prædiximus, sed eo revelante, sicut veraciter cognovit, veraciter & prædicavit: super quam etiam solidam confessionis petram, suam dominus ecclesiam fabricavit: & hæc est petra illa, supra quam, ut Salomon ait, serpentis non invenitur vestigium. Pro hac itaque purissima fide beatus Petrus Romæ moratus, in hac stabilivit ecclesiam, & sede apostolica diutius gubernata, pro hac fide decus mortis assumpsit: sicque sanctam Romanam ecclesiam in hac fide fundatam proprio sanguine cum Paulo, qui ab Ierusalem usque ad Illyricam regionem scilicet, in qua nunc vos habitatis, euangelio replevit, domino Deo consecravit, & dedicavit; qua Rom. 15. C fide tanto intra breve tempus Romani creverunt & floruerunt, ut prælatus egregius apostolus mox in principio epistolarum suarum pro ea Deo gratias agere, & denuntiare præconia videatur. Rom. 1. Hanc itaque fidem suggere semper, & suade, carissime, pio regi sitire: hanc non alibi præcipue quærere nisi Romæ, ubi plantata est & radicata a B. Petro, qui hanc ut supra ostendimus sicut veraciter cognovit veraciter & prædicavit: quoniam sicut aqua nunquam potest alibi tam munda, vel tam limpida, quemadmodum in fonte unde originem protrahit, inveniri; ita & fides nunquam omnino poterit alibi tam pura, vel tam nitida reperiri, sicut in ecclesiæ nostræ vivario, ubi eam non tecta perstillantia, Fides Romanæ ecclesiæ. D quibus litigiosa mulier, id est hæretica pravitas, comparatur; sed ille polorum claviger ubertim & purissime congregavit, qui ex ipso fonte vivo hanc cælitus hausit, & limpidissimam conservandam mandavit. Hæc, carissime, pio regi loquere, & exhortare in Christo Iesu, ut pro accepto & multiplicato familiaritatis talento in gaudium domini nostri merearis intrare. Nos vero, si nos audieritis, quia vos tamquam fratres & filios summo amore diligimus, de lucro vestri gaudebimus, & superexultabimus: sin autem, dicemus omni ecclesiæ, Matth. 18. & sicut dominus præcepit, vos tamquam ethnicos, & publicanos habebimus: & tunc vos videritis, cum in varias errorum tentationes incideritis. Missa per Paulum, & Eugenium reverendissimos & sanctos episcopos. Data mense Aprili, die XVI. indictione undecima.

LXXVII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Ejusdem argumenti, suntque fere eadem verba quæ in superiore.

Michaeli glorioso regi Bulgarum.

CHRISTIANISSIMO regi apostolatus nostri mittentes epistolam, dignum duximus ut & tuæ quoque gloriæ scriberemus; & gemitus ac dolores nostri cordis aperiremus, quos assidue patimur Hęc epistola non videtur Michaeli scripta.

patimur suspirantes, & tristes penitus incedentes, & stupore nimio admirantes, quomodo ipse sapientissimus rex, & vos ipsi averti potueritis, & a recta semita declinare, & a sede beati Petri apostolorum principis omnino recedere; cui, sicut euangelium refert, non caro & sanguis, id est humana sapientia, sed ipse per se Pater Filium proprium revelavit, cum alii hunc Ioannem, alii Eliam, alii Ieremiam, aut unum ex prophetis existimarent. *Matth. 16.* Scribimus ergo tamquam fratri ejus & carissimo nostro. Nam cuncta, quæ ad salutem gentis vestræ a nobis acta sunt, & quot & quantos labores pro instructione vestri nos assumpserimus, ipse prorecto non nescis. Et bene quidem primum in nobis delectabamini, & spiritalibus gaudiis, & profectibus fruebamini: sed nescimus quis vos de cetero fascinaverit, quis deceperit; quis organum factus diaboli qui olim per serpentem Euam seduxit, vos a recto itinere callida suasione retraxerit. Vnde non parum dolemus, nec leviter anxiamur: & idcirco te, virorum optime, cohortamur, loquere ad aures ejusdem dilecti filii nostri regis, cui & dominus ipse potius ad aures præcordiorum loquetur, ut primam fidem non faciat irritam, ut ante se gradiens, retro nequaquam respiciat, viam qua ambulabat, non deserat, euangelicam legat historiam, & videat ibi præcipue soli Petro Christum Dei vivi Filium revelatum. *1. Tmi. 5.* Ad hujus ergo beatissimi Petri sedem alacri pectore rex Christianissimus redeat; & sicut cervus, cum quid sumpserit noxium, desiderat ad fontes aquarum: ita desideret & sitiat anima ipsius ad salutifera ejus doctrinæ fluenta. *Psalm. 41.* In quo pio tua laboret opere præ cunctis solertia, ut non solum fratrem carissimum lucrifacias, sed & de salute omnium vestrum ipse mercedum præmia consequaris. Nihil enim placet Deo plus his qui ab errore converti faciunt homines; vel qui ad justitiam erudiunt plurimos. Et ideo pro tam sancto labore, beato Petro clavigero regni cælestis intercedente, operies, sicut scriptum est, multitudinem peccatorum, & stabilieris quasi cæli firmamentum, & dies æternitatis. *Iac. 5.* Sed & nos interim te in devotorum numero filiorum habebimus, & confessionibus apostolorum principum memoriam tui jugiter commendare nullatenus omittemus. Data mense Aprili, indictione XI.

LXXVIII. AD IGNATIVM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANVM.

Tertio jam commonet, ne Bulgarum regionem ad ecclesiam Romanam jam antiquitus pertinentem usurpet, & eo, vel ab ejus suffraganeis in ea regione consecratos episcopos intra 30. dies illinc educat; & nisi post duos menses paruerit, dominici corporis & sanguinis communione, & si perseveraverit in contumacia, patriarchali etiam dignitate privat.

Reverentissimo confratri nostro Ignatio patriarchæ Constantinopolitano.

SECVNDO jam sedis apostolicæ literis probaris admonitus, & per missos ejus contestatoriis conventus hortatibus, jure tibi Constantinopolitanæ diœceseos, quod per ejusdem primæ sedis auctoritatem & favorem annuente Deo receperas, rite contentus, ultra præfixos tibi ex canonibus limites præsumptionis pedem non tenderes, nec antiquos terminos quos posuerunt patres tui aliqua usurpatione transferres. Nullus autem ignorat regionem Bulgarum a sanctæ memoriæ Damaso papa, & deinceps usque ad paganorum irruptionem a sedis apostolicæ præsulibus, quantum ad ecclesiasticæ provisionis attinet privilegium, moderatam. Præsertim cum hoc nonnulla scripta, sed præcipue diversorum pontificum Romanorum res gestæ quæ in archivis antiquitus nostræ reservantur ecclesiæ, clarius attestentur. De his autem quæ bellica clades & gravissimi hostilitatis incursus intulisse noscuntur, nil præstantius sentiendum est, quam quod clarissima ecclesiæ tuba sanctus videlicet Leo nostræ sedis antistes edocuit & decrevit, cum ait: Adhibenda, inquiens, curatio est, ut vulnera quæ adversione hostilitatis illata sunt religionis maxime ratione sanentur. *Epist. 85.* Qui statu rerum auxiliante domino in meliora converso iterum dicit: Remotis malis quæ hostilitas intulit, unicuique id quod legitime habuit, reformetur: omnique studio procurandum est, ut recipiat unusquisque quod proprium est. & rursus: Quod bellica necessitate turbatum est pacis remedio reformetur. Sed hæc reverentissime frater omnia clausis oculis relegisti, sanctorumque patrum decreta calcaneo temerario conculcasti, ac multiplicium tibi beneficiorum sedis apostolicæ præstitorum oblitus, contra eamdem sanctam sedem, benefactricem videlicet tuam, & erectus es, priscam diœcesin illius in regione Bulgarica constitutam illicita pervasione subripiens, & in alienam messem contra divinas leges mittere falcem non renuens. Vnde merito post primam & secundam commonitionem a nostræ te debueramus communionis contubernio sequestrare, *in promptu habentes*, secundum apostolum, *omnem ulcisci inobedientiam*: qui etiam dicit: *1. Cor. 10.* *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo*: *2. Tim. 3.* sed quia sedis apostolicæ moderatione utentes, spiritu lenitatis potius quam severitatis erga correptionis tuæ flagramus affectum, ecce tertio canonice per missos & syllabas commonemus, & hortamur, & protestamur, ut nullam omnino moram perpessa, strenuos viros in regionem Bulgarum dirigat, qui per totam patriam peragrantes, quoscumque illic repererint qui a te, vel a subjectis tibi cõsecrationis munus accepisse dicũtur, sine quavis dilatione reducant: ita ut intra triginta dierum spatium nullus episcopus, nullus omnino clericus, qui tuæ ordinationis, imo in ordinationis sunt, intra omnes Bulgarum fines inveniatur. Non enim patimur eos, quos ibidem tu illicite constituisti; quos & ab apostolica esse jam sede hujus rei gratia constat excommunicatos, errore suæ prævaricationis corda novorum domini famulorum inficere: quos videlicet in fide instructionis manu plantavimus, & aqua salutaris fontis doctrinarum rigavimus, atque horum auctori Deo ad incrementum spiritus dandum, ut sit ipse in omnibus primatum tenens, obtulimus. Porro si intra triginta intervalla dierum omnes quos vel tu, vel episcopi tui consecrasse in aliquo gradu putantur ecclesiæ, totius regionis Bulgaricæ terminis non eduxeris, & temetipsum ab omni ecclesiastico illius jure diœceseos non subduxeris, tamdiu sancto corpore, ac precioso sanguine domini nostri Iesu Christi post duos menses a die numerandos qua hujus epistolæ tomum acceperis, esto privatus, quamdiu his obstinatus decretis nostris minime obedientiæ colla submiseris. Iam vero si pertinaciter in hac indisciplinatione, atque pervasione permanseris, & episcopos & quotquot illic vel illi vel tu consecrasse videris, foras illinc minus expuleris, omnipotentis Dei judicio & beatorum apostolorum principum auctoritate, nostræque mediocritatis sententia

tentia, omni patriarchatus esto dignitate quam favore nostro receperas alienus & exors, nullo penitus summi sacerdotii privilegio præditus vel potitus. Data mense Aprili, indictione xi. missa per Paulum, & Eugenium episcopos.

LXXIX. AD EPISCOPOS ET CLERICOS GRÆCOS.

Declarat eos excommunicatos quod Bulgarum regiones invadentes illicitas ibi ordinationes fecerint; dignitate etiam privandos, nisi intra xxx. dies ex omni Bulgarica regione decesserint. Si quis autem paruerit, restituendum ei episcopatum decernit quem in Græcia habebat; & si nullum antea habebat, vacantem, si dignus est, eidem conferri jubet.

Omnibus episcopis & ceteris clericis Græcis Bulgariæ diœceseos invasoribus, ac per hoc excommunicatis.

MIRAMUR vos & vehementer obstupescimus sanctorum patrum canones obturatis oculis relegisse, & calcata conscientia terminos æternos a patribus positos transtulisse, & in alienam messem judicii falcem misisse in Illyrici provincias, quas nunc Bulgarum natio retinet ingredientes, & ordinationes illicitas perpetrantes, cum & sacra concilia sub sede beati Petri apostolorum principis, has olim provincias deguisse patenter innuant, & rerum gestarum a sancto Damaso papa conscripta manifeste denuntient; Et statu causarum Deo auxiliante in melius jam pridem converso, sedes apostolica sit ab eis qui hanc habitant regionem recognita; requisita & multis precibus invitata: nosque illuc episcopos, & inferioris ordinis sacerdotes cum præceptis sedis apostolicæ miserimus, & multos labores pro instructione illius regionis arripuerimus. Nam & si quidam vestrum clandestina illuc forte venerunt, apte de illis dicere possumus illud domini dictum
Joan. 10. asseverantes: *Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt & latrones.* Ipse quippe dominus per prophetam dicit: *Veniebant & ego non mittebam eos.* Nam quidam vestrum pro criminibus suis fugientes: quidam autem ambitus & avaritiæ causa illuc accessuri profecti sunt; non autem vocati, nec invocati: licet nec sic in vestram vos diœcesin ad aliquam dispositionem faciendam introire convenerit. Quia igitur contra sacras vos multipliciter egisse regulas deprehendimus; excommunicavimus vos & estis excommunicati. Quisquis autem ex vobis intra triginta dierum spatium cognitæ hujus apostolicæ sanctionis, omni Bulgarica regione non cedens, in ea quamlibet ordinationem vel dispositionem patrare ultra prædictum spatium obstinate præsumpserit: sanctorum patrum auctoritate, nostrique judicii sententia proprio careat officio non nisi resipiscens pœnam evasurus, aut veniam aliquo modo speraturus. Si quis autem vestrum humiliter ac obedienter his salubribus monitis nostris parens, Bulgaricæ locum dederit diœcesi; noverit nos decrevisse sibi episcopatum restitui quem eum in regione Græcorum prius habuisse constiterit. porro & si nunquam habuit, vacantem illi tribui; si tamen talis persona sit, cui nulla in hoc regula patrum valeat obviare.

Missa per Paulum & Eugenium episcopos. Data xvi. die mensis Aprilis, indictione xi.

A

LXXX. AD BASILIUM IMPERATOREM.

Missa per Eugenium & Paulum reverendissimos episcopos.

Dolet Constantinopolitanam ecclesiam schismate adhùc laborare: qua de re legatos mittit.

Dilectissimo nobis & desiderabili filio Basilio Christianissimo & tranquillissimo imperatori.

BENEDICTUS Deus & pater domini nostri 2. Cor. 1.
Jesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui misertus & consolatus est nos in præsenti sæculo nequam: Visitans & re- Luc. 1.
demptionem faciens tam pium, tamque benignum imperii vestri cornu salutis erigendo in domo David, Christi videlicet pueri sui. Vos enim, fili carissime, minus imperatoria dignitate, secundum apo-
B stolum qui ait: *Æmulamini charismata meliora*, con- 1. Cor. 12.
tenti, etiam angelorum estis ministerium imitati, dum pacem in terra bonæ voluntatis hominibus exoptatis, & beatos per id, ac cælum vos visuros luce clarius demonstratis. Utraque siquidem epistola vestra pontificio nostro missa hujus vos flagrare desiderio patenter insinuat, & hanc vos ad statum ecclesiæ, unde pravorum dissensione repulsa est, inhianter velle reducere, indicio evidenti demonstrat. A Deo quippe provectum imperium vestrum, quod eo auctore justitia & triumphis ornatis, minus nimirum validum, minusque gloriosum putatis, nisi etiam summa condecorare pace seu concordia satagatis. Nos autem, dilectissime, audientes in Cõstantinopolitanam ecclesiam dissensionis ad-
C huc scandala fluctuare, nonnullosque religiosi habitus viros hac illacque dispersos atque dejectos ignominiose tractari: merito ingemiscimus & multa mœstitia fatigamur, præcipue pacem sentimus illic continua contentione turbatam, quam per multos sedis apostolicæ labores jam credebamus ædificatam, & sacratos quosdam diversas injurias didicimus passos, quos ab omni oppressionis fasce sperabamus ereptos. Portamus quippe omnium onera qui gravantur; imo portat hæc in nobis amator vester beatus Petrus apostolus qui nos in omnibus solicitudinis suæ protegit ac tuetur heredes: sed quia & professionis nostræ officio, cum Ieremia nihilo minus dicitur: *Ecce constitui te hodie su-* Ierem. 1.
per gentes & super regna, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes & plantes, etiam vestra pietas ab
D apostolatu nostro pro hoc ipso personas postulat. Ecce strenues e latere nostro viros dirigimus, qui si qua illic inter hæc diligenti studio deprehendant & his radicitus, secundum domini mandatum, evulsis, destructis, dispersis & dissipatis, pacem & unitatem & caritatem & congruenter ædificent simul & plantent. Nam quomodo habere poterunt caritatem qui dividunt unitatem? nos autem pro Christo legatione procul dubio fungimur, cum paci ecclesiæ studium impendere procuramus. Quia vero Deo amabiles viros, quos nominatim literis expetitis, quibusdam incommodis impeditos destinare nequimus; misimus Paulum & Eugenium sanctissimos & reverendos episcopos, dilectosque consiliarios nostros, quorum nobis & fides probata, &
E scientia manifesta est: quibus scripto dedimus in mandatis, ut omnibus simultatibus sopitis atque sedatis, quæ ad pacem sunt, sanctorum magistra regula patrum, toto conamine construant, & omni contentione sublata, justitiæ tribuant Deo propitio palmam; hoc duntaxat ad laudem Dei agentes, & ad præconiorum vestrorum cumulum, sicut vos agere de die in diem decet, addentes. Verumtamen ignorare pium imperium vestrum nolumus, nos apostolicæ sedis præcepisse legatis,

ut causa tantum visitationis, gloriosum ejusdem provinciæ † principem adeant, & de optata memoria ei apostolorum, ut condecet, expletis officiis persalutationis edicant. Ideoque rogamus, ut aditu eis annitentibus vobis concesso, talem illis industrium virum * qui eos usque ad prædictum principem salvos ducat atque reducat, facta in scriptis de ea minime iterum usurpanda professione. Optamus vos per multos annos in Christo bene valere, & de barbaricis jugiter hostibus triumphare, spiritualis & desiderabilis & Christianissime fili semper Auguste. Data indictione XI.

† Forte loquitur de rege Bulgarorum.

* *deest, tradatis, aut quid simile.*

LXXXI. AD EUMDEM.

Ut legatis a se missis fidem adhibeat, & opem Romanæ ecclesiæ ferat.

Dilecto filio semper in domino triumphanti Basilio piissimo imperatori Augusto.

SCIMUS venerabilis imperator, scimus & omnimodo novimus vos prudentia pollere, æquitatem diligere, pietatem extollere, directiones plantare, & vitia evellere. Scimus & liquido credimus vos sanctæ Romanæ ecclesiæ vigorem & decus velle augere, tribulationes gemere, angustias dolere, & necessitates pio intuitu, quantum ad vos pertinet, amovere. Hujus rei gratia maximam de vobis fiduciam assumentes, quidquid eamdem sanctam matrem vestram Romanam ecclesiam oppido affligit & lacerat, vobis singulari quadam spe committimus audiendum & corrigendum. Tamen ne vos, quos secretorum nostrorum conscios esse cupimus, lateat quod his diebus contra Dei voluntatem, contraque salutem totius Christianæ fidei, ac contra privilegium sanctæ Romanæ ecclesiæ, seu contra morem reique publicæ statum Romæ peractum est; his missis nostris Paulo & Eugenio episcopis verbo tenus vobis dicenda commisimus. Quæ vos ita credere deprecamur ac si nos vobiscum loquamur; & credentes, si nobis ferre opem, vel aliquam consolationem valeatis, veluti dilectus filius reverendæ matri assolet, omnimodo conferatis deposcimus. Habebitis enim pro his sanctos apostolos adjutores & nos possidebitis devotiores vestros apud dominum semper intercessores. Data IV. Kalendas * Martii, indictione XI.

* *f.* Maii, *ut constat ex superioribus.*

LXXXII. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Monet ut quantocius ad synodum in Gallia cum suffraganeis accedat. queritur de perfidia Lamberti Spoletani comitis.

Ansperto venerabili archiepiscopo Mediolanensi.

PRO innumeris igitur & multiplicibus oppressionum angustiis totius sanctæ ecclesiæ in orbe terrarum diffusæ, synodum universalem, Christo opitulante, in Francia, (quia in Italia, persecutione malorum grassante † [Petrum presbyterum cardinis nostri, quem ad Carolomannum regem dirigimus fraternitati vestræ plurimum commendamus] minime potuimus,) sumus celebraturi; ad quam fraternitatem vestram quantocius omni mora postposita occurrere admonemus, cum cunctis coepiscopis, ac suffraganeis vestris, exceptis his quos sacri canones pro incommodis causis stare patiuntur. Quoniam in ea, Christo cooperante, omnium ecclesiarum speramus erigi statum

† Hæc verba non cohærent sequentibus.

A atque vigorem. Hoc iterum iterumque monemus, hortamur, expresseque mandamus, ut nulla vobis mora, nullumque tempus præpediat, donec nobis vestrum adventum in præsentia præbeatis; * id est Lamberti perfidi Spoletani ducis Vvidonis filii, ejusque complicis Adelberti marchionis, vel ut melius, patriæ proditoris, qui clandestina fraude pacifice venire se simulans, in dolo ad portam urbis custodes deputans, sacramque civitatem tyrannus invasit, nosque cum fidelibus nostris intra ecclesiam beati Petri apostolorum principis inaudito atque horrende coarctare inter cetera mala *. Data *ut supra.*

* Ut causâ communis hostis una mecum judicetis. *Hæc vel alia hujusmodi verba hic deesse videntur.* De Lamberto & Adelberto Aimoin. li. 5. cap. 37. * *Videtur hic deesse,* conatus est.

LXXXIII. AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

B Ut in Romanæ ecclesiæ fide perseveret: præsentium latorem commendat.

Dilectissimæ filiæ Angelbergæ imperatrici Augustæ.

REMINISCENTES omnium bonorum vestrorum, quotidie Deo nostro gratiarum actiones referimus, qui vestrum animum tanta solicitudine circa devotionem ab exordio sanctæ Romanæ ecclesiæ spirituali flammæ adustione perussit. Sed nunc filia mea carissima, & in Christo devota, quæso vires solicita ingenii acutissimi, & in hoc in opportuno tempore solita bonitate concurre: quatenus cœptum bonum usque ad consummationem operis perductum æterni retributoris C præmia recipere valeatis. Latorem quoque præsentium Petrum cardinis nostri presbyterum, quæso in omnibus habeas commendatum, vestroque consilio prudentissimo iter illius solita pietate disponite: quatenus Deo duce ad nos possit redire incolumis. Data *ut supra.*

LXXXIV. AD IOANNEM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Exponit mala quæ a Lamberto comite Romæ sunt perpetrata: seque in Gallia ad implorandum auxilium adversus eum iturum ostendit.

Reverendissimo & sanctissimo Ioanni archiepiscopo Ravennati confratri nostro.

D UNANIMITATIS vestræ fraternitatem ignorare non patimur quæ & qualia his retro diebus a Lamberto Spoletano comite mala & multiplices passi sumus injurias, quales nullus antecessorum nostrorum pontificum a quoquam Deum colente sustinuisse recolitur. Igitur omne pene territorium S. Petri suis tyrannice devastantibus hominibus, cum immensa populi multitudine Romam venit: nos autem illum quasi dilectum amicum apud beatum Petrum apostolorum principem honorifice recepimus: sed ipse quasi ovili pelle indutus solita repletus nequitia, munereque corruptus ingenti, contra nos insurgere non du-E bitavit. Nam portas civitatis Romanæ violenter, imoque fraudulenter cepit, totamque urbem Romam; ac per dies plurimos homines suos ita arctius retinere fecit, ut nec proceres Romanorum, nec episcopi, & sacerdotes, neque etiam familiares nostri ad nos, nisi maxima supplicatione exeundi facultatem haberent. Cibaria etiam nostra nobis venire instantissime prohibebant. Venerabiles item episcopos, presbyteros atque diaconos & religiosos monachos cum hymnis & canticis spiritualibus, sacrisque

Aimoinus lib. v. c. 37.

ſacriſque litaniis ad eccleſiam principis apoſtolorum venientes, heu proh dolor more paganorum conturbaverunt, & fuſtibus cædentes nequiter diſperſerunt, non ſinentes illos exire, debitumque Deo ſacrificium offerre. Inimicos quoque, atque infideles S. Romanæ eccleſiæ & noſtros; quos una cum veſtro conſenſu & ſubſcriptione bis ac tertio jam excommunicatos damnatoſque habemus, ſuper nos temere conduxit: eoſque in urbe Roma ſine noſtra voluntate immiſit. His itaque nos præjudiciis, & injuriis multiplicibus gravati, cum tota ſede apoſtolica triſtes adeo per dies multos extitimus, ut nequaquam nobis aliud agere niſi flere liceret: nam ipſis diebus nec veſtis fuit ſuper altare ſancti Petri, nec aliquod ibi nocturnum vel diurnum officium ex more celebratum. Nunc etiam minatur nobis peiora inferre, niſi ejus obtemperemus humiliter voluntati. Vnde ſanctitatem veſtram pio fraternæ dilectionis affectu conjunctam hortamur, ut pro tantis afflictionibus, & miſeriis capiti noſtro illatis, ex totis præcordiis veſtris nobiſcum pariter condoleatis, & contra evidentiſſimum, & immanem inimicum noſtrum conſurgere toto annifu ſtudeatis. Nos namque illius non valentes ſuſtinere tantas inſidias, quia per terram ire nequimus, per marinum iter Deo propitio in Franciam proficiſci debemus: glorioſos ſcilicet reges deprecaturi, ut eccleſiam ſancti Petri, & civitatem Romanam totius mundi caput & dominam, a tantis oppreſſionibus, & calamitatibus liberent, ſalvam & quietam ſinant manere, potentique manu ab hoſtium quas patimur inſidiis tueantur; nec nos ob aliud illuc ituros, niſi pro communi ſalute, procul dubio credite. Sed ſicut veridico multorum relatu didicimus, cum nos de urbe Roma fuerimus egreſſi, cœptumque iter egerimus, audimus eumdem Lambertum ſatellites ſuos velle colligere, Romamque rurſus expugnaturum adire. Nos vero hoc ſcientes, anathematis ſententiam in eum, & in omnes ſequaces ejus, ſi contra urbem Romam, & eccleſiam Romanam aliquam rurſus veniens contrarietatem, vel moleſtiam, aut perturbationem inferre quolibet modo præſumpſerit in eccleſia beati Pauli doctoris gentium protulimus. Et idcirco nullus veſtrum ejus iniquis operibus faveat: quin potius libere arguat, ſi apoſtolicæ ſedis vultis ſemper fulciri auxilio. Quapropter hæc omnia, ut veſtris ſuffraganeis epiſcopis cognita faciatis, incunctanter hortamur ſanctimoniam veſtram; quatenus ipſi, qui membra corporis Chriſti exiſtunt, vobiſcum pariter pro apoſtolicæ ſedis exaltatione ſtudeant deſudare.

LXXXV. AD BERENGARIVM COMITEM.

Rogat ut imperatori nuntiet quæ a Lamberto Romæ perpetrata ſint, detque operam ut eum compeſcat.

Dilecto filio Berengario glorioſo comiti regia proſapia orto.

LECTIS nobilitatis veſtræ literis, quia ſinceritatem ac devotionem more ſcilicet parentum veſtrorum circa nos pro amore Ieſu Chriſti domini, & beati Petri apoſtolorum principis reverentia, vos habere ingentem reperimus; multa veſtræ mellifluæ locutionis dulcedine ſumus omnino repleti, ita ut cum pſalmiſta dicere poſſimus:
Pſal. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* Hujus namque bonitatis decus eximium, ex moribus piæ memoriæ nobiliſſimi quondam genitoris veſtri vos trahere indubitanter cognoſcimus, qui dignum

A ſemper honorem & piam reverentiam anteceſſoribus noſtris, ſacris videlicet pontificibus exhibere tota mentis alacritate ſtudebat: & ideo pulcræ juventutis veſtræ florem de radice juſta prodeuntem dominus exercituum pietatis ſuæ gratia cuſtodiet incolumem, facietque proſpere vigere in omnibus, & ad proſperum uſque finem perducet. Quapropter, fili cariſſime, ſæpe voluimus veſtræ ſcribere dilectioni, non ſolum noſtram vobis ſalutem innoteſcendo, ſed & de veſtra proſperitate, atque incolumitate audire cupiendo: ſed non ſolum paganorum crebris ubique incurſionibus, verum etiam Chriſtianorum inſidiis circumdati nequivimus. At nunc, quoniam Deo diſponente tempus evenit opportunum, excellentiæ veſtræ quæ

B & qualia ſumus nos cum tota eccleſia & civitate Romana perpeſſi a Lamberto comite, veluti filio cariſſimo & fideli amico referimus. Cum itaque prædicto Lamberto multa quotidie bona feciſſemus, dignumque impendiſſemus honorem ſupra quam anteceſſores noſtri parentibus illius feciſſent; ipſe pro bonis mala retribuens, collecta populi multitudine omne territorium ſancti Petri invaſit, & quod defendere debet ab hoſtibus, tyrannice dominatur invaſum: venitque Romam, & quaſi inimicus portam civitatis Romanæ violenter capiens, ſatellites ſuos per dies plurimos retinere fecit, ac ſic tantam civitatem invaſam retinuit: ita ſane, ut nobis apud beatum Petrum conſiſtentibus, nullam urbis Romæ

C poteſtatem a piis imperatoribus beato Petro principi apoſtolorum, ejuſque vicariis traditam haberemus. Sacras autem litanias epiſcopos, & ſacerdotes, atque ſervos Dei, ex more celebrantes, & ad eccleſiam ſancti Petri venire volentes, fuſtibus cædere, ac di pergere fecit, intulitq; nobis contraria, quanta nulli præceſſorum noſtrorum unquam facta fuerunt: exiſtitque paratus nobis iterum majora inferre, cujus rei cauſa, neſcimus. Quamobrem, quia noſtrum miniſterium eſt, pro totius Chriſtianitatis ſalute dominum aſſidue deprecari, ut oves, quas Chriſtus Deus noſter nobis in beato Petro commendavit, jugibus votis & precibus ad æternæ vitæ paſcua perducere valeamus; voluiſſemus debitam habere quietem: ſed illo a pravis cogitationibus, & actibus ſe non retrahente, quin potius nos

Vrbs Roma in poteſtate Romani pontificis.

D cum inimicis, & infidelibus noſtris, quos bis jam & ter excommunicatos, & anathematizatos habemus, juncto, rurſum turbare volente: rogamus nobilitatem veſtram, ut pro amore Dei, & ſancti Petri, ac noſtro, hæc omnia & Carolomanno glorioſo regi & ſpirituali filio noſtro cognita faciatis: quatenus miſſis apicibus ſuis eum a tali præſumptione compeſcat, & quod tempore parentum illius ſedes apoſtolica non ſuſtinuit, ejus non patiatur diebus. & veſtris ſimiliter literis eumdem admonete, corripiteque Lambertum, ut nullam de cetero contrarietatem nobis ingerere præſumat, eo quod nec Deo, nec alicui Deum timenti, ejus temeritatis placeat effectus. Si vero idem Lamber-

E tus nos perſequi non omiſerit, nos jam dicto regi fideles amici eſſe quomodo poſſumus? quia ejus ſe voluntate jactat talia agere: & ideo nos adjuvare, ſicut ſupra dictum eſt, procurate: nam nos ea quę veſtræ fuerint placita voluntati, libentiſſime perficere ſtudebimus, eo quod vos loco amantiſſimi filii, quamdiu vixerimus, retinere, noſtræque eccleſiæ cauſas neceſſarias per vos perficere optamus. Præterea homines veſtros, qui orationis cauſa pro ſuis delictis dominum miſericordem precaturi venere ad limina ſancti Petri, pro veſtro ingenti amore benigne recepimus, noſtriſque apoſtolicis

benedictionibus confirmavimus, ac per eos nostræ A incolumitatis salutem, sicut petistis, cognitam fieri decrevimus; & petimus ut cito nos vestris literis lætificare non prætermittatis. Deus omnipotens gloriam vestram longa per tempora illibatam custodiat carissime fili.

LXXXVI. AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

Dolet Angelbergam molestiis affici, & queritur de injuriis quas Lambertus ecclesiæ Romanæ inflixit. rogat ut conservet benevolentiam quam erga ipsum habere solebat.

Dilectæ ac spiritali filiæ Angelbergæ ex imperatrice Deo dicatæ.

Orationes pro defunctis.

QUIA multum devotione & mentis alacritate dominum & seniorem divæ memoriæ Ludovicum quondam Christianissimum imperatorem spiritalem filium nostrum dileximus, nullatenus prætermittimus ejus memoriam in sacris orationibus nostris apud dominum quotidie facere; & quamdiu vixerimus facturos esse scitote, vestrique memores dilectissima filia similiter sumus. Nam Deo teste vestram prosperitatem & salutem semper cupimus vigere incolumem & audire: & super tot ac tantis adversitatibus, quas a filiis hujus sæculi vos sustinuisse cognoscimus, ingenti vobis dolore compatimur & condolemus; quoniam quidem paterno vos diligentes affectu mœrorem vestrum nostrum putamus, & tranquillitatem vitæ vestræ nostram esse gaudemus: quia & vos pro talibus nefandis & inauditis malis, quæ nulla veterum scriptura decantat, nulla historia narrat, beati Petri apostolorum principis vicarium a quolibet imperatore vel rege unquam sustinuisse, nos his diebus a Lamberto Spoletano comite pati audientes, simili esse mœrore afflictam incunctanter agnoscimus: unde vestram hortamur dilectionem ut circa nos pium mentis affectum conservantes, ea quæ utilitati nostræ congrua vel necessaria esse perspicietis, pro viribus agere non prætermittatis. Quia & nos, Deo propitio, secundum datam nobis divinitus potestatem vobis auxilium, & optatam in omnibus consolationem conferre avide cupimus, & sub beati Petri apostoli vos, si opus fuerit, tuitione protegere, & illæsam, ceu filiam carissimam conservare studebimus; si ad ipsius apostolorum principis limina vobis venire contigerit.

1. Cor. 10. *Interim confortare in domino: qui consolatur vos in omnibus, nec patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* De cetero autem ea quæ mandastis multis impedimentis occupati, quæ præfatus comes cum multiplicibus insidiis nobis præparat cupitque inferre quotidie, perficere nequivimus: at Deo tranquillitatem vitamque præbente, cuncta quæ vestræ voluntati utilia sunt, lubenti animo perficiemus, quibus vester honor & gloriæ vigor incunctanter appareat integer. Dextera domini vos in omnibus illæsam conservare dignetur. Data *ut supra*.

LXXXVII. AD LUDOVICUM BALBUM REGEM.

Deplorat mortem Caroli imperatoris patris ejus. hortatur ut pacem habeat cum regibus consanguineis suis, & ecclesiæ inimicos persequatur, præcipue Lambertum ducem, cujus diras infestationes commemorat. denique in Galliam se venturum, ibique synodum celebraturum significat.

Ludovico glorioso regi, filio divæ memoriæ Caroli II. imperatoris Augusti.

QUANTO deinde amore dilectionis, pro tantorum bonorum virtutibus, & pro omnipotentis Dei quotidianis genitorem vestrum dilexerimus cultibus, horum, Christo conscientiæ nostræ teste, absque lacrymarum effusione factorum reminisci nullatenus possumus. Et quamquam gaudendum sit, quoniam eumdem, post felicis cursum operis, inter angelorum cœtum paradisi susceperint præmia vitæ perennis, flendum nihilominus B convenit, quod tantum adjutorem ecclesiarum domini diffusarum in orbe præsentia corporali, heu proh dolor! amiserimus. Præsertim cum hoc in tempore sancta Romana ecclesia, mater omnium, quæ meæ mediocritati commissa est Iesu æterni dispositione consilii, in quo, ut cum apostolo pace quorumcumque dixerim, fines sæculorum devenerunt, in tot persecutionibus atque adversitatibus diu lacessita, domesticorum debacchatione fatigetur, ut cogar cum propheta erumpens exclamare: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* & rursus: *Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa.* Sed vos, fili carissime, hortor ac moneo paterno amoris affectu, ejus imitari in ecclesiarum exaltatione vestigia vitæ spiritalis, cujus floris decore natus regia dignitate existis. Primum C ut pacis unitatem vinculumque caritatis cum fratribus vestris, nimirum Ludovici regis Baioariorum filiis, cumque fidelibus Christianis tenens, demum contra insanientis rabiem atque tyrannos, paterno provocatus exemplo, virtutem roboris, Christi auctoritate, in defensionem matris vestræ, a qua & potum prædicationis in proavis, & infulam imperii accepistis, medullitus viriliterque effundere valeatis. Quia, quod dici sine lacrymarum imbre nullomodo potest, prodiit in hoc tempore apud nos ex massa peccati radix ac fomes nequissimæ perditionis Lambertus Vuidonis quondam Spoletani ducis horrendus filius, fatemur membrum antichristi, qui adversatur & extollitur derogando adversus ortum regalis progeniei, & se turpis lucri cupidum clandestina machinatione, rapa- D citatis ardore, nunc huc atque illuc tergiversando, cum mœcha sorore Rotilde, cumque complice suo infido Adelberto marchione, imo patriæ prædone, ad fascem, ut vera fama volitat, impudenter, quod Deus avertat, sustollere Romani imperii. & nunc, ut pote abominatio desolationis, atque perditionis filius, caput scorpii & aspidis surdæ, destruit dilapidans, perque nequam suos disperdit prædones omnem terminum sancti Petri ac Pauli protectorum vestrorum, ubi & pro qua re omnes pene nostri fideles in paupertatem ac necessitatem redacti videntur, sacramentisque ut sibi conspirent, & ne ad nostram occurrant jussionem, omnis territorii sanctorum apostolorum homines constringere non omisit. Nunc etiam Tarentum legatione E directa Paganis, donaque transmittens, atque ab eis accipiens suppliciter deprecatus est, ut sibi, cum significatum fuisset, phalangæ Agarenæ ad perniciem Christiani populi quantocius deferant auxilia. Qualiter denique fraude nequitiæ, & per perjurium, in sinu ecclesiæ nostræ nos deceperit, urbemque sacram invaserit, hic ea ideo prætereundo silemus, quia in alio opusculo ad omnium Christianorum notitiam, quos idcirco anathematis vinculis innodavimus, nonnulla conscripta tenemus.

1. Cor. 10.

Psal. 69.

Psal. 119.

Pro

Pro qua re, domine fili cariſſime, contra nova & inaudita in Chriſtianis mala, novum jam feſſus & fatigatus certaminis laborem, navalis ſcilicet periculi, fluctuſque maris, aſſumere deſiderans, me tantis periculis ad vos veniens do pro eccleſiarum ſanctarum omnium liberatione, juxta apoſtolum non faciens animam meam precioſiorem quam me. *Act. 20.* Et ecce, quantum ad mei miniſterii regimen ſpectat, non recuſo pro Chriſti domini ovium, ope ejus, liberatione mori, detrimentumque ſufferre. Vos quæſo obnixe, vos, fili cariſſime, lacrymas meas arduumque laborem aſpicite, & ad defenſionem ſanctæ matris veſtræ, veſtrum animum fideliumque veſtrorum adhortatione continua præparate, & mecum unanimiter lupis rapacibus baculos redargutionis ſtudete tenere: quatenus, duce unigeniti gratia, poſt longa temporum ſpatia, cooperatores effecti noſtri certaminis, de purpura terreni imperii ad coronam venire valeatis perpetuam: & epiſtolas reliquas, quas confratribus veſtris Carolomanno videlicet, & Ludovico, atque Carolo juniori, dirigimus pro talium adhortatione, precamur gloriæ veſtræ decentiam eaſdem illis ſine mora deſtinare dignemini, omnibuſque reverentiſſimis archiepiſcopis, & clero totius ordinis regni veſtri, paterna peto adhortatione ſignificari pręcipite, quoniam domino miſerante apud vos ſynodum celebraturi ſumus cunctis populis Chriſtianis perneceſſariam. Quæcumque noſſe vos cupimus, ſane deinceps ſumus acturi de negotiis eccleſiaſticis. Te quoque, cariſſime fili, auctoritate ſancti Spiritus Dei noſtri, ad vicem genitoris veſtri domni Caroli perpetui imperatoris Auguſti, a ſecretis conſtituo meum conſiliarium, qui, ut dici aſſolet, pars animæ meæ fuit. & quęque agenda ſunt, coge adunaque conſilium: quia in fonte tui cordis primum intingendus calamus, deinde manus noſtra formabit characteris apices.

LXXXVIII. AD LUDOVICUM BAIOARIORUM REGIS FILIUM.

Hortatur ad ſervandam pacem cum patruelibus. invehitur in Lambertum Spoletanum ducem. rogat epiſcopis ſignificet ut ad ſynodum accedant.

Hludovico Baioariorum regis filio.

Prov. 10. SCRIPTUM enimvero in Salomone legimus: *Filius ſapiens lætificat patrem, & eſt gaudium matris quæ genuit eum:* quapropter quoniam te, Ludovico filio Caroli, Ludovici filio Ludovici regis, æternitatis prſcientiæ ſuæ conſilio omnipotens Deus ex regum, imperatorumque eſt dignatus producere proſapia, & tunc illum plene lætificare contenditis, ſi veſtræ matri ejuſque immaculatæ ſponſæ adverſus inſidiantium ictus, atque illius laceratores tota virtute concurritis, omni quoque nixu more parentum, proavorumque veſtrorum auxilii conſolationem conferre ſpreta perſonarum acceptione quarumlibet quantocius feſtinatis, ſancti Spiritus per Salomonem verbis teſtantibus; *Prov. 17.* *Frater & amicus in anguſtiis comprobatur:* & bene nobis filiatio adoptionis veſtræ ſpiritualis favere valebit, ſi pacis & unanimitatis cum fratribus veſtris, Chriſto opifice, concorditer tenere conſulte ſatagitis vinculum: quia in veſtra pace fatemur, totius Chriſtiani populi ſalus conſiſtit, qua demum neceſſitate, quave fatigati anguſtia, relicta ſede propria apoſtolici culminis, compulſi ſumus Franciam petere, voſque paterno affectu depoſcere, quatenus una no-

A biſcum poſiti de communi ſalvatione ſanctæ Romanæ eccleſiæ & reipublicæ ſtatu tractaremus, in pauciſſimis nunc patefacimus: quia in alio opuſculo, qualiter nefarie ſit peractum, ad omnium Chriſtianorum notitiam reſervatur conſcriptum; quod luce clarius advertitis. Lambertus Spoletanus perfidus dux Vvidonis quondam ſtirps, perditionis filius, in quantam ſuperbiam pro cupiditate, ut fama vera ſe habet, Romani imperii eruperit, in noſtris tribulationibus atque anguſtiis procul dubio cognoſcetis ad liquidum: Romam ſiquidem clandeſtina fraude devotum venire ſe ſimulans, a nobis velut filius pacis benigne ſuſceptus, quid virulenti conſilii corde * geſtiens in craſtinum ſequentis diei diluculum demonſtravit: **f. gereret.* nam deputatis cuſtodibus

B verum etiam ſatellitibus ad portam urbis, quæ ad beati Petri apoſtolorum principis euntibus pandit iter, nullum noſtrorum fidelium ad nos egredi patiens, cibos deferentes coercens; aſſerit Carolomannum regem ſibi talia horrenda facere præcepiſſe. Quod idcirco non poſſumus credere, quoniam ex veſtra progenie nullus cervicem ſuperbe contra hanc extulit ſedem: ſed propter Deum ſuppliciter colla ſubmiſit. Nos fili cariſſime pro domini eccleſia & ejus ovibus animam ponere cupientes, ecce marinos fluctus undaſque ſalis ad vos veniendo per difficile iter aſſumpſimus, vobiſcumque ſimul poſiti domino miſerante univerſalem ſynodum celebrare diſponimus totius ſanctæ eccleſiæ, vobis obſecundantibus provectum, & exaltationem loco percongruo ſatagemus peragere. Quod

C quęſo regni veſtri omnibus archiepiſcopis, coepiſcopiſque noſtris innoteſcere dignemini, eoſdemque nobis adeſſe, continua maturitate accelerare monete. Data *ut ſupra.*

LXXXIX. AD CAROLOMANNUM REGEM.

Ejuſdem pene argumenti.

Dilecto filio Carolomanno glorioſo regi.

QUANTA denique exaltatione ſponſionis veſtræ ſanctam Romanam eccleſiam, videlicet matrem veſtram omniumque Chriſtianorum, quæ

D vos & lacte ſuæ prædicationis ab uberibus & ad imperialia a proavis ſceptra ſanguine regum excellenter produxit, ſublevare curetis; & epiſtolari textu, & internuntiis nuper ad nos directis reminiſcimur pleniter, fontemque ubertim cordis veſtri ſolita pietate parentum veſtrorum circa omnipotentis Dei famulatum miſeratione abundare reperimus: veſtrum quoque ad prædictam matrem veſtram, uti gloria culminis veſtri ſpoponderit, tanto avidius, enixiuſque quotidiana præſtolatione adventum expectavimus; quanto pro augmento mercedis veſtræ nos, noſtramque eccleſiam in tot adverſantibus laborantem, ſuper omnes imperatores atque reges, qui ante vos fuerunt, exaltare ac beatificare omnimodo promiſiſtis. Sed heu

E proh dolor! feſſo mihi paganorum perſecutione, ac gladio, atque exactionis cenſus viginti quinque millium in argento mancuſorum annualiter, imo prędictæ veſtræ matri additus civilis mucro anguſtiæ eſt, qui pene nos funditus peremiſſet, niſi ſubita miſeratione illius ſolaremur auxilio, qui fidelibus pollicens inquit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* *Matth. 28.* Exierunt quidam ex nobis, ſed non fuerunt ex nobis, confitemur neque ex nobis, qui tanta Romanam eccleſiam dehoneſtatione, urbemque ſacram, nos

quoque fatigaverunt atque oppresserunt, ut simile, A nec in Christianis regibus factum reminisci ullo modo possit. Lambertum fateor, atque Adelbertum electos marchiones, qui hostili manu occultaque fraude qualiter nos affecere, culminis vestri gloriam latere nulla potuit ratione: quod ad omnium vestrum notitiam in suo scriptum tenetur opusculo. Nobis enimvero ad vos inter cetera mala iter clausere venire cupientibus; qua necessitate compulsi, navale, animam præ manibus habentes, assumpsimus laboriose periculum, & commodum duximus Franciam ire, vestramque fraternam compagem in pacis & unanimitatis vinculum consolidare: vestræ matris sæpe dictæ liberationem B sanctæ Romanæ ecclesiæ necessario quærere. Vos siquidem illuc, omnesque vestrorum regnorum episcopos ad synodum celebrandam venire hortamur. Data de civitate Genuensi, & directa gloriæ vestræ per Anspertum Mediolanensem confratrem & coepiscopum nostrum.

† forte initium alterius epistolæ. † Præsentem latorem Petrum cardinis ecclesiæ nostræ presbyterum gloriæ vestræ plurimum commendamus, eumque ad nos quæsumus cum vestris missis, atque opitulatione festinanter remittite.

* desunt aliqua. * Sabbatinum episcopum primum & postea per Anspertum Mediolanensem, de qua multum miramur, cur non jam a vobis responsum vel missos accepimus. nos cum foret possibile primum, saltim C per legatos vobiscum loqui cuperemus: deinde cum reliquis fratribus vestris: quod quia vestra infirmitate, quam nimium dolemus, est prætermissum, nunc apud Trecas, Christo opitulante, synodum sumus celebraturi, loquemurque cum Ludovico, & reliquis vestris fratribus, & post Kalendas Augustas ad vos revertemur: tantum locum nobis dicendo ad tempus mandate, quo nobis debeatis occurrere, & laborem pro vestra matre sancta Romana ecclesia non recusate assumere; quia *si fueritis socii laboris, simul eritis & consolationis:* 2. Cor. 1. & in hoc quæso perficiendo non sit ulla dilatio. Data *ut supra.*

XC. AD CAROLUM REGEM.

D Excusat se quod ad eum legatum non miserit, interclusa sibi via a Lamberto ejusque fautoribus, qui urbem Romam tenebant obsessam.

Carolo glorioso regi dilecto filio.

IGITUR gloriæ vestræ literarum serie recepta & lecta, ut de more antecessorum regum videlicet, & imperatorum, vestrorumque dumtaxat parentum erga Romanam ecclesiam, cujus lac vestram prolem hactenus educaverit, in cunctis omnia vos desiderare & assequi novimus; paterno affectu gratias agimus, & qualiter scripsistis imo tenemus. Ceterum pontificium nostrum vestra percunctari dilectio studuit, cur vobis non misimus ob E quid taliter venissemus: Et vobis, & fratribus vestris gloriosis regibus, antequam ex urbe exiremus, mittere voluimus, sed officientibus Lamberto & Adelberto, fautoribusque eorum anathematizatis, mittere nequivimus. Nec mirum, si ipsi nobis viam sustulerint, cum & ipsius beati Petri apostolorum principis ecclesiam, vestram denique matrem, & omnium Dei ecclesiarum tutricem, armis triginta diebus circumdatam tenere non formidaverint: ita ut nec ibi aliquam alicui lucernam illuminare, nec laudes Deo conferre liceret, præter postquam urbem exivimus; fratribus vestris gloriosis regibus mittere satagimus, ut vobis super talibus intimaremus: sed cum vos magis juxta audimus, ita mittere cogitavimus. Quo loco ab ipsis significatur pro pacis & unitatis tranquillitatisque omnium Dei ecclesiarum negotio; primo venimus, quo vos quatuor reges unum legitimumque velle, annuente Deo, nihilo minus faciamus, ut psalmista cecinit: *Ecce quam bonum & quam jucundum est habitare fratres in unum*, & reliqua. Psal. 132. Dehinc volumus ut ita conventi nostras oppressiones audire compatiamini. Quapropter, fili carissime, quoniam te valde illuxit †. Data *ut supra.* † Deest aliquid.

XCI. AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

Scribit in anniversario die Ludovici ejus viri sacra pro eo se facturum. rogat ut in sui defensione perseveret; & synodum Trecis se habiturum significat.

Dilectæ filiæ Angelbergæ imperatrici divæ memoriæ quondam domni Ludovici piissimi imperatoris conjugi.

QUIA intimasti pontificio nostro anniversalem magnæ recordationis domni Ludovici imperatoris fieri, & ut pro eo proprias orationes celebraremus rogasti; gaudemus, & impigre suo pro merito modis omnibus faciemus. Ceterum rogamus, ut, ceu hactenus in nostris fuistis solicita, haud secus & nunc & perpetuo esse, pro ut credimus, non differatis: quatenus vestro labore vestroque consulto cito ad propriam sedem, ut congruit, cum gaudio per merita apostolorum principum reverti mereamur. Porro vos scire cupimus quia apud Trecas in Kalendis Augusti una cum rege Ludovico imperatoris Caroli filio, & cum universis Galliæ episcopis synodum universalem celebrabimus: dehinc Carolomannum regem, suosque germanos alloquemur, ut pari omnium consilio consolationem nostræ ecclesiæ reperiamus.

CXII. AD EAMDEM.

Arelatem se venisse significat, ibique omnia prospera reperisse. hortatur ut Romanæ ecclesiæ commodis prospiciat.

Dilectissimæ filiæ domnæ Angelbergæ imperatrici piæ memoriæ domni Ludovici invictissimi imperatoris conjugi serenissimæ Augustæ.

CUM erga Romanæ ecclesiæ privilegia immenso velle, immenso & opere decus imperii vestri decertare, & ad perfectum ducere semper * adhaurimus & amemus, Christo favente, perpetuo magnitudinem tantæ vestræ devotionis scire cupimus: Ecce Arelatem regni delitiarum vestrarum sani intravimus, summo arbitrio permittente, per intercessionem apostolorum principum. illicque Bosonem principem generum vestrum, communem & filiam domnam Hermengardam alloquentes, omnia prospera & jugiter desiderata invenimus, & pro amore vestro, vestri nuper & piissimi conjugis, illos tamquam filios amplectentes, pro eorum consulto, illorum cum honore cuncta faciemus: quoniam ceu per vos, haud secus per istos consolationem & defensionem sanctæ Romanæ ecclesiæ quærimus, eosdemque permissu Dei ad majores excelsioresque gradus modis omnibus, salvo nostro honore, promovere nihilo minus desideramus. Quapropter monentes hortamur ut tanto labori faveatis, ejusque perfectionem, prisco vestro consilio perfruentes, certis literis per singula nobis, & illis sine mora intimare minime differatis. Ceterum rogamus,

* for. amaverimus, aut anhelaverimus.

Hermengardæ, sive Hermingardis filiæ Ludovici II. imperatoris meminit Regino libro 2. chron. Aimoinus lib. 5. c. 32.

mus, ut Ioanni archiepiscopo Ravennati mittatis epistolas ex nostra parte consolatorias, incitantes ut pro nobis orationes faciat, & contra Dei inimicos se præparare nequaquam formidet, & nostris fidelibus Romæ legatos consolando transmittat: & vos, si fas est, aut mihi apud vos est impetrandi facultas, Leoni episcopo misso & apocrisiario nostro, & Petro, super ista, ceterisque fidelibus literas vestras mittite confortantes ipsos ut scitis & vultis.

XCIII. AD ARELATENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Arelatensi archiepiscopo pallium concedit, vices suas committens. monet quid in causis difficilioribus sit agendum. arguit metropolitanos Gallicos, quod ante pallii receptionem episcopos consecrent. præcipit ut se certiorem faciat de his quæ gesta fuerint.

Arelatensi archiepiscopo.

ITAQUE fraternitati tuæ vices nostras ecclesiis, quæ sub regno Galliarum sunt, juxta antiquum morem, Deo auctore committimus, singulis quidem metropolitis secundum priscam consuetudinem, proprio honore servato. Pallium quoque concessimus quo fraternitas tua decoretur: sicubi autem longius episcoporum quisquam pergere forte voluerit, sine tuæ sanctitatis auctoritate, & ad loca alia trãsire non liceat. Si qua vero inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter episcopos causa emerserit quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim episcopis ventiletur atque decidatur: sin autem decidi nequiverit, discussa veritate ad nostrum judicium referatur. Proh dolor! cum in Galliæ partibus essemus, inter cetera unum valde prohibendum invenimus: metropolitæ antequam pallium a sede apostolica suscipiant, consecrationem facere præsumunt; quod antecessores nostri & nos canonico decreto ne fieret interdiximus. Vnde fraternitatem tuam per Galliam nostram vicem tenentem hortamur, quatenus super hoc solicitudinem habeas, & ne istud adoleat, auctoritate prohibeas; & ut secundum antiquum morem quęrere festinent moneas, incites, atque præcipias: & si ipsi obediant, nec ne, nostro apostolatui * semper omnia renunties, si potest in nativitate apostolorum aut per vos, aut per nostrum legatum aliquem certis literis intimare ne differas. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, honoremque perceptum vos in moribus servare concedat. Data *ut supra.*

* super

XCIV. AD ROSTAGNUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSEM.

Suas illi vices in Gallia, & pallii usum concedit.

Reverentissimo & sanctissimo fratri Rostagno archiepiscopo Arelatensi.

Gregorii ro IV. ist. 50 Tom. IV. g. 1203 E loss. 3.

O QUAM bona est caritas, quæ absentia per imaginem præsentia sibimet exhibet per amorem! divisa unit, confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta consummat; quam recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat: quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, sed tamen eas caritas etiam ligat, ut ab amantis mente dissolvi jam nequeant. Hac itaque virtute, frater carissime, plenum te esse reperiens, cum pro sanctarum Dei ecclesiarum restauratione in Arelatensium civitate corporalem præsentiam exhibuissem, sicut mihi de te multorum testimoniorum fama vera longe lateque narraret. Quod vero juxta antiquum morem usum pallii ac vices sedis apostolicæ postulasti, absit ne aut transitoriæ potestatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum, in vicibus nostris ac pallio quęsisse te suspicer. Sed quia cunctis liquet, unde in Galliarum regionibus fides sancta prodierit, cum priscam consuetudinem sedis apostolicæ vestra fraternitas repetit, quid aliud quam bona soboles ad sinum matris recurrit? Libenti ergo animo postulata concedimus, ne aut vestræ ecclesiæ quidquam de debito honore subtrahere, aut condignam petitionem vestri contempsisse videamur. Sed jam nunc studio majore res indiget, ut cum honor crescit, etiam solicitudo proficiat, & erga ceterorum custodiam vigilantia excrescat: vitę quoque merita subjectis in exemplum veniant, & nunquam sua per suscepti honoris gratiam, sed lucra cælestis patriæ vestra fraternitas exquirat. Nostis enim quid beatus apostolus gemens dicat: *Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.* Quibusdam namque narrantibus agnovi, quod in Galliarum vel Germaniarum partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuntio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex euangelio quid redemptor noster per semetipsum fecerit: quia ingressus templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere, est de sancto Spiritu, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo ut prædixi malo jam innuitur quid sequatur. quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo judice cathedræ ceciderunt. qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui precio ad sacrum ordinem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venumdare quod emit. Vbi est quod scriptum est? *Gratis accepistis, gratis date.* Et cum prima contra sanctam dei ecclesiam Simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum precio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat? Itaque fraternitati tuæ vices nostras in ecclesiis quæ sub regno Galliarum sunt, juxta antiquum morem Deo auctore committimus: singulis quidem metropolitis secundum priscam consuetudinem proprio honore servato. Pallium quoque concessimus quo fraternitas tua decoretur. Sicubi autem longius episcoporum quisquam pergere forte voluerit, sine tuæ sanctitatis auctoritate ei ad loca alia transire non liceat. Si qua vero inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter episcopos causa emerserit quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim episcopis ventiletur atque decidatur; sin autem decidi nequiverit, discussa veritate ad nostrum judicium referatur". Proh dolor! cum in Galliæ partibus essemus, inter cetera unum valde prohibendum invenimus: metropolitæ, antequam pallium a sede apostolica suscipiant, consecrationem facere præsumunt: quod antecessores nostri & nos canonico decreto ne fieret interdiximus. Vnde fraternitatem

Philip. 2. — Matth. 21. — Matth. 10. — * Hucusque S. Greg.

tatem tuam per Galliam nostram vicem tenentem hortamur, quatenus super hoc solicitudinem habeas, & ne istud adoleat, auctoritate prohibeas: & ut secundum antiquum morem quærere festinent moneas, incites, atque præcipias: & si ipsi obediant, nec ne, nostro apostolatui super omnia renunties, si potest in nativitate apostolorum, aut per vos, aut per nostrum legatum aliquem certis literis intimare ne differas. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, honoremque perceptum vos in moribus servare concedat. Data *ut supra*.

XCV. AD UNIVERSOS EPISCOPOS GALLIÆ.

Ut Rostagno Arelatensi episcopo, cui vices suas in Gallia commisit, omnes obediant.

Omnibus reverentissimis & sanctissimis episcopis & fratribus per Gallias constitutis.

S. Gregorii lib. 4. ep. 52. Tom. V. p. 1206. D.

Ad hoc divinæ dispensationis provisio gradus & diversos constituit ordines inter se distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus diligentiam impenderent, una concordiæ fieret a diversitate contextio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia vero creatura in una eademque æqualitate gubernari vel vivere non potest, cælestium militiarum exempla nos instruunt: quia dum sint angeli, sint archangeli, liquet quia non æquales sunt, sed in potestate & ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio, quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere, cui novit etiam angelos obedire? Hinc etenim pax, & caritas mutua se vice complectitur, & manet firma concordiæ in alterna & Deo placita dilectione sinceritas. Quia igitur unumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurri præpositus: idcirco opportunum esse perspeximus, in ecclesiis quæ sub regno Galliarum secundum antiquam consuetudinem sunt, fratri nostro Rostagno Arelatensis civitatis episcopo vices nostras tribuere: quatenus & catholicæ fidei integritas, id est sanctarum quatuor synodorum, Deo protegente solicita devotione servetur; & si inter fratres consacerdotesque nostros aliqua evenerit forte contentio, auctoritatis suæ vigore, vicibus nempe sedis apostolicæ functus, discreta moderatione compescat. Cui etiam injunximus, ut si quarumdam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi numero competenti fratribus & coepiscopis nostris, salubriter servata hoc æquitate discutiat, & canonica auctoritate definiat. Si quam vero contentionem, quod longe faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine judicio sedis apostolicæ indigeat, examinata diligentius veritate relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari. Cui etiam injunximus ut nullum archiepiscopum in his partibus sine pallio a Romano pontifice directo consecrationem facere permittat, & facientes nostra auctoritate arguat. Et quoniam necesse est, ut ad eum cui nostras vices indulsimus, quoties oportere perspexerit, pro facienda collatione aptis debeant episcopi temporibus convenire; hortamur ut nullus mandatis ejus inobediens esse præsumat, nec communi congregationi interesse postponat, nisi aut corporis infirmitas quempiam fortasse vetuerit, aut cujusdam eum causæ justæ excusatio minime venire permiserit. Hi tamen qui prohibente aliqua necessitate nequierint in synodum convenire, loco suo presbyterum aut diaconum dirigant: quatenus quæ a nostro vicario, Deo auxiliante, fuerint definita, ad eum, qui absens est, per ipsum quem miserit, fida relatione perveniant, ut inconvulsa firmitate serventur, & nullius ea audeant occasionis excusatione violare. Hoc etiam vos pariter prævidimus admonendos, ut nullus vestrum ad longinquiora loca sine præfati fratris & coepiscopi nostri Rostagni auctoritate tentet aliquomodo proficisci: scientes quia & prædecessorum nostrorum, qui vices suas ejus prædecessoribus concesserunt, sic procul dubio mandata definiunt. Hortamur præterea ut de officio suo sit quisque vestrum solicitus, & qui promissam cupit patriæ mercedem portionis accipere, commissum sibi gregem solicitudine & oratione custodiat: ne lupus insidians oves creditas invadendo dilaniet, & sit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur, fratres carissimi, & totis omnipotentem dominum precibus exoramus, ut dilectionem vestram boni amoris sui constantia faciat magis magisque fervescere, atque in pace ecclesiæ & una vos concedat manere concordia. Nuntiatum vero nobis est quia per Simoniacam hæresin ad sacros ordines quidam adducuntur, & hoc sancto fratri & coepiscopo nostro Rostagno per omnia prohibendum mandavimus: quod ut fraternitas vestra cognoscat & studiose custodiat; ipsa vobis est epistola relegenda. Data *ut supra*.

XCVI. AD ISAAC EPISCOPUM LINGONENSEM.

Ut Trecas ad synodum veniat, & Cabilonum aliquos mittat qui pontificem eo deducant.

Reverentissimo Isaac venerabili episcopo Lingonensi.

Quod sanctitati tuæ notum esse non ambigimus, pro sanctarum ecclesiarum statu ad Galliarum partes devenimus. Quapropter, domino auxiliante, apud Trecas synodum sumus celebraturi, ad quam sanctitatem tuam volumus omnino adesse. Prius tamen venerabilitas tua nobis missos Cabilonum dirigere studeat, qui iter nostrum recto tramite ad prædictum dirigant locum: & per parochiam vestram nobis congruas mansionaticas præparate, id est in villa Marmania, in pago Alhensi. Data *ut supra*.

XCVII. AD OMNES CHRISTIANOS.

Excommunicat eos qui sibi equos & argenteum vas furati fuerant, nisi intra tres dies restituant.

Omnibus episcopis, comitibus, & cuncto populo Christiano.

Notum sit quia dum pro pace & unitate sanctarum Dei ecclesiarum in Gallias venissemus, apud Cabilonum civitatem ad injuriam sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & nostram, multam inhonorationem sustinuimus. Inter quæ equi nostri nocturno silentio nostris hominibus secure quiescentibus, a concivibus prædictæ civitatis latrocinanter furati sunt. Quapropter nos, qui secundum officium ministerii nostri pullulantia vitia gladio spiritali resecare mature debemus,

debemus, hoc malum cælesti mucrone percutimus: ita ut nisi prædicti equi, & alia furta, nostris hominibus intra tertium diem reddita fuerint, prædictos fures, cum omnibus consentaneis suis, eo quod latronibus latebras præbeant, & excommunicabimus, & anathemati submittemus. Inter hæc Aduvardum presbyterum, qui nobis in monasterio Flaviniaco ministravit, cujus homines scutellam argenteam sancti Petri, nescio utrum consensu illius, an non, furati sunt, pro sacrilegio furti excommunicamus, & pari sententia ut supra, nisi eam reddiderit, constringimus. Data *ut supra.*

XCVIII. AD EPISCOPOS SUFFRAGANEOS ARCHIEPISCOPI ARELATENSIS.

Iubet ut cum archiepiscopo suo, simul ac vocati fuerint, ad Trecensem synodum veniant.

Omnibus venerabilibus episcopis suffraganeis coepiscopi & confratris nostri Rostagni Arelatensis.

NOTUM sit omnium sanctitati quia domino opitulante pernecessariam universam synodum sumus celebraturi: ad quam, mox ut vos prædictus archiepiscopus vester apostolatus nostri literis convocaverit, omni postposita occasione, obedientiæ vicino gressu occurrere satagatis: quoniam sicut in communi conventu, gratia Christi duce, paternis patentibus jussis erit exaltatio; ita, quod non optamus, subtrahentibus se ab hoc magno collegio est subsecutura confusio. Apud urbem Lingonensem IV. Non. Iunias. *Similiter Otteramno archiepiscopo Viennensi, Aureliano archiepiscopo Lugdunensi, Rotberto archiepiscopo Aquensi, Teutranno archiepiscopo Tarantasiensi, Sigibodo archiepiscopo Narbonensi, Ariberto archiepiscopo Ebredunensi.*

XCIX. AD DIVERSARUM SEDIUM ARCHIEPISCOPOS.

Hincmaro archiepiscopo Rhemensi, Ansegiso archiepiscopo Senonensi, Frotario archiepiscopo Bituricensi, Ioanni archiepiscopo Rothomagensi, Adelardo archiepiscopo Turonensi, a paribus.

CANONICA instituta servantes, oportet nos, quotiescumque ecclesiæ ingerunt passiones, sacerdotum collegia aggregare, ut his simul convenientibus, salubre universæ ecclesiæ concilium, & totius Christianitatis fidem eidem imponant, & æquitatum omnium * moderamina queant congrue dilaniari. Idcirco vestram hortamur sanctitatem, dum de Ludovici gloriosi regis adventu audieritis, quando ad nos venire * conaverit, in eo loco celebraturi concilium incerte tenemus, sed vos audientes comperietis, mox ut præsentes susceperitis nostras apostolicas literas, omni mora seposita ad nos venire non differatis. Ita profecto de vestræ unanimitatis & pacis concordia mentis jucunditas uberius multiplicetur, ut conventus universorum, & vestræ devotionis concursus, nec solum ad favorem hominum, sed ecclesiis ad laudem potissimum proficiant creatoris. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere. Data IV. Idus Iunias, indictione XI.

* al. moderamine q. c. diliniari, id est examinari.

C. AD TEUTRANNUM TARANTASIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Monet ut sibi cum suffraganeis suis obviam veniat, & Adalbertum synodo adesse jubeat, ut rationem reddat eorum de quibus Bernarius episcopus questus fuerat.

A

Venerabili archiepiscopo Teutranno.

MIRAMUR fraternitatem tuam, cur nostrum in has partes audiens adventum, nos ob reverentiam beati Petri apostolorum principis, & nostram, more ceterorum venerabilium archiepiscoporum minime consolari & occurrere studuisti. Qua admiratione jam diu suspensi, monemus fraternitatem tuam, ut nobis citius occurrere cum tuis suffraganeis, quos tecum adducere præsentialiter poteris, non differas, ut simul de utilitate ecclesiæ tuæ tractare valeamus. Innotescimus denique, quia venerabilis frater & coepiscopus noster Bernarius, nostram nuper adiens præsentiam, reclamavit se super fratre Adalberto suffraganeo tuo, B de quo jam Romæ proclamaverat, & libellum suæ reclamationis ostenderat. Unde tibi, & Viennensi archiepiscopo, epistolas direximus, ut amborum querimonias ventilantes, quæ canonum sunt instituta dijudicaretis. Insuper Arelatensem archiepiscopum, Valentinensem quoque & Vivariensem episcopos, huic assertioni testes adesse jussimus. Sed quia variis præpedientibus causis hactenus eorum indiscussa manet causatio, jam præcipimus monendi auctoritate, ut ubicumque a nobis fuerit synodus indicta, canonice eum inibi adesse jubeas, paratum in omnibus ad rationem reddendam. Quod si defuerit, vide ne ejus in te retorqueatur sententia: ipse vero sciat, a se de absentia sua lucrum non percipiendum. Data *ut supra.*

C

CI. AD HINCMARUM RHEMORUM ARCHIEPISCOPUM.

Ut ad synodum Trecensem absque mora cum suffraganeis suis veniat.

Hincmaro venerabili Rhemorum episcopo.

FAMA tuæ fraternitatis longo exacto jam tempore bona notitia nos quoque celeberrime lætificavit: quantoque te desiderio contemplari cupimus, explicare verbis nullatenus possumus, præsertim cum causa exigendæ utilitatis ecclesiasticæ petere has partes decreverimus. Quapropter præsentiam religiosæ sanctitatis vestræ diu desideratam miramur a te nobis hactenus dilatari. D Unde apostolica atque paterna auctoritate monemus, ad synodum præsentem, quam Deo auctore Trecis sumus celebraturi, absque mora cum cunctis suffraganeis diœceseos vestræ studeatis occurrere. Ad locum prænominatum iterum iterumque hortamur omni postposita tarditate quantocius properate venire. quoniam antequam ipse nobis carior atque utilior veneris, sanctarum Dei ecclesiarum causas tractare differimus. Tantum monemus, rumpe moras, & satage properare celerrime, atque agiliter. Data *ut supra.*

CII. AD MIRONEM ET HUNCFRIDUM FRATRES.

Mironem & Huncfridum multorum scelerum reos ad synodum venire jubet.

E

Mironi & Huncfrido germano suo.

QUANTA ad apostolatum nostrum relatione quorumdam transgressionum vestrarum mala atque perversa fuerunt nuntiata, hæcfateor lacrymabiliter nominamus, apostolicaque auctoritate citissime corrigenda jubemus, si sancti Spiritus potestate non vis tu, Miro, merito nequitiæ tuæ ab omni consortio Christianitatis separari, & inferni

F flam-

flammis in perpetuum condemnari. Septimaniæ A terram universam redegisti in solitudinem: ecclesias, ut asserunt, ministris expoliasti: castella ipsius terræ callide ac fraudulenter invasisti. Qua compulsi necessitate homines Bernardi gloriosi marchionis, cum multitudine hominum tuæ rabiei occursando, aliqua in eadem terra perperam egerunt: ut velut Ieroboam filius Nabath, qui peccavit & peccare fecit Israel, auctor omnium peccantium existas. Ideoque ad universalem synodum nostram, quam Deo auctore in proximo sumus celebraturi, Lugdunum venire te occasione omni postposita volumus, si funditus, ut dictum est, non vis gladio divino mulctari. Lindoinum quoque vicecomitem audimus potestate, uti horrende denuntio, uti B sacerdotali in parochia Sigebodi Narbonensis archiepiscopi, presbyterosque tuos in ejus exteris subrogare ecclesiis. quod concite tuæ vitæ consulentes corrigere & emendare mandamus. Te vero Huncfridum ex diaconatus officio, & venerabili monachico habitu, apostatam audimus & dolemus effectum. Quapropter vel sera te pœnitentia per domini misericordiam libera, & ad monasterium quanto citius confuge: vel si de tua confidis conscientia, ad synodum nostram de illatis tibi atque objectis te purgandum occurre: ne si prætermiseris, anathematis vinculo, ut pote apostata & rebellis, alligeris. Data *ut supra*.

3. Reg. 14.

CIII. AD ROSTAGNUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSEM.

C

Vt ad synodum cum suffraganeis suis quamprimum veniat.

Rostagno venerabili archiepiscopo Arelatensi.

QUIA omnipotentis Dei miseratione universalem synodum sumus celebraturi in proximo, te, omnesque tuos coepiscopos suffraganeos, volumus, auctoritate apostolica admonemus, expresseque mandamus, ad hanc omni postposita occasione quantocius præsentare, exceptis eis obstaculis, quibus remorandi licentiam sacri canones tribuunt. Alias, quod non optamus; quicumque se a tanto hac vice collegio subtraxerit, particeps de reliquo nostræ communionis esse nullatenus valebit. Data *ut supra*.

D

CIV. AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM.

Vt ad synodum cum suis suffraganeis Trecas veniat.

Frotario venerabili archiepiscopo Biturigensi.

AUDITIS denique deploratione atque angustia literis tuæ fraternitatis, quæ vobis ab hominibus Bernardi comitis sunt illatæ, recens dolor priori est augmentatus, & quod tibi sedis tuæ aditus clausus, mihimet ipsi id reputo. Hor- E tamur interim dilectionem tuam patienter sufferre, & ad Trecas cum fratrum coepiscoporumque nostrorum collegio diœceseos tuæ ad synodum domino cooperante celebrandam quantocius properare. Ludovici regis amantissimi filii nostri adventum præstolamur quotidie, inhianterque desideramus. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data *ut supra*.

CV. AD BERNARDUM MARCHIONEM.

Monet ut Frotario aditum ad suam sedem patere faciat.

Dilectissimo filio Bernardo nobilissimo marchionum.

QUIA tempore nonnullos diligimus specialius, idcirco in his quæ nobilitatem vestram Deum offendere cognoscimus, vos paterno increpamus affectu: præsertim de causa Frotarii venerabilis episcopi, cui, ut audimus, vestri homines iter civitatis suæ, ne ad sedem suam ingrederetur, temerarie clauserunt. Episcoporum judicium, fili carissime, suo tantummodo dominus servavit arbitrio, nec de episcopis vult laicos judicare; unde monemus dilectionem tuæ caritatis, ut quidquid in hac causa prædicti episcopi deliquistis, sub celeritate & legaliter emendare studeatis: quia nos illud, nisi pro digna emendatione, inultum remanere nullomodo patimur officio ac ministerio sacerdotali. Optamus nobilitatem vestram bene valere. Data *ut supra*.

CVI. AD ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

Vt Ludovicum Germaniæ regem, ejusque fratres adhortetur ut ad synodum veniant, aut legatos mittant.

Venerabili archiepiscopo Liutberto Moguntino.

ECCLESIASTICA exigente utilitate, quoniam Deo duce causæ ad Galliarum partes venire commodum duximus: quapropter fraternitatem vestram necessario commonere studemus, ut secundum cælitus sibi sapientiam datam frequenti adhortatione suggeras Ludovico regi, aliisque confratribus, ut ad nostræ mediocritatis colloquium, atque generalem synodum, juxta Christi voluntatem, apud Trecas congregatam; venire non omittat, vel si aliqua necessitate prædictus rex præpeditus fuerit, &, ut non optamus, properare distulerit ad locum prædictum, quo cum Ludovico rege locuturi sumus, nomine tenus destinet: quatenus sub cuncta celeritate regum filiis congregatis, totius Christianitatis, Dei gratia duce, consulere communiter valeamus utilitati. *Similiter Williberto archiepiscopo Agrippinæ, Wittecherio venerabili episcopo, & Bertulfo archiepiscopo Trevirensi.* Data *ut supra*.

CVII. AD SUPPONEM COMITEM.

Agit gratias de fidelitate erga Romanam ecclesiam, quædam apud Carolomannum facienda injungit.

Dilecto filio Supponi glorioso comiti.

PRIMUM quidem devotioni vestræ magnas gratias agimus, quia priorem fidelitatem, quam circa sanctam Romanam ecclesiam habueras, in sequentibus quotidiano labore opere admonstrare non desinis. Nos quoque præ omnibus vos diligentes, vestris potius consiliis præ cunctis acquiescimus. Tantum vobiscum Anspertum & Wibbodum episcopos assumite: & apud Carolomannum regem omnia nostra ordinabiliter ponite. Hoc tamen summopere cavete, ne aliqua fraudis astutia decipiamur: & quidquid ex hoc facietis, sub omni festinatione facere accelerate: mihi tempus & locum denuntiate, quo occurrere debeatis ad nos recolligendum: & ne forte aliqua dubietas animo vestro

vestro insideat, duas mandamus epistolas prædicto regi, quarum unam vos legite, ut cognoscatis quod continet, quam aut ipse deferas volumus, aut per idoneum hominem vestrum transmittas: quia nos in hac terra stare non possumus nisi usque in Kalendas Augustas; quia postquam in terram hanc venimus, cum Hludovico rege loqui debemus. Festina quantocius, sicut solitus es, nostræ ecclesiæ causam peragere, ut apud dominum merces vestra copiose accrescat. Data *ut supra.*

CVIII. AD LIUTBERTUM ARCHIEPISCOPUM.

Monet ut Bosonis filiabus hereditatem restitui faciat.

Reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Liutberto archiepiscopo.

FRATERNITATEM tuam recordari volumus, qualiter jam de proprietatibus Bosonis & Engeltrudis tibi scripserimus, monentes ut ipsas, quas vos allodum dicitis, filiabus eorum sæpe reclamantibus reddere deberetis: quoniam omnium auctoritate legitimi filii sunt veri heredes, ut vestra bene noscit religiositas, iterumque hortantes monemus, apostolicaque auctoritate expresse jubemus; jam quia nostras literas audire distuleras, & super his hactenus respondere neglexeras, volumus, ut ad cor rediens, ipsas sæpe reclamatrices, aut homines ipsarum investire de jam dictis proprietatibus satagas, vestrosque earum, & alios invasores similiter facturos, nostra auctoritate excommunicandos permoneas: quoniam justus dominus justitiam dilexit, & æquitatem vidit vultus ejus. Et si forte spurius Godefredus, aut aliquibus ipsa mœchans Engeltrudis, sine viri consensu quoquomodo donaverit, contendere voluerit; nostra apostolica auctoritate, donec reddiderint, quia sancientibus Ioanne papa Romano & Iustiniano imperatore scriptum est, spurios satis injuriosos, satisque acerbos, & nostris temporibus semper indignos esse dijudicamus: quapropter convenit reverentiam vestram illum semper monere. Porro hortamur ut quoquomodo monuimus compleas, quoniam si aliter feceris, scias te canonica damnandum censura, ut debeas illos excommunicare. Data *ut supra.*

(In margin: In authen. de here. ab intes. ven. §. 1. — Erat adulterium delatum in judicium, ut ex epist. 109. apparet. — In authen. Bona damnatorum. codice de bon prosc. seu damn.)

CIX. AD MATFREDUM COMITEM.

Monet ut Bosonis comitis filiabus hereditatem restituat.

Matefredo illustri comiti.

SUGGERENTIBUS videlicet filiabus Bosonis nuper comitis, & Engeltrudis conjugis, proximæ vestræ, audivimus ut allodes suos vos invadentes tenere non formidetis. Super quo miramur, cur tantæ sapientiæ vir hoc facere non erubescas. Nonne scitis quoniam in hereditate suscipienda omnibus cognatis præferendi sunt filii? Illa vero mœchans alicui sine consensu viri ex his aliquid dare nequivit omnium legum auctoritate. Unde vos monemus, hortamur, apostolicaque auctoritate jubemus, ut ipsas proprietates illis filiabus eorum reddere pro reverentia principum apostolorum, a quibus per me petiere auxilium, minime differas: quoniam si aliter feceris, scias te canonica feriendum censura. Data *ut supra.*

A

CX. AD THEODORICUM ARCHIEPISCOPUM BISUNTINENSEM.

Iubet ut quamprimum veniat, & episcopum in ecclesia Lausanensi, propter electorum divisiones, priusquam una colloquantur, ordinari vetat.

Reverentissimo & sanctissimo Theodorico archiepiscopo Bisuntinensi confratri nostro.

IGITUR quia fraternitas tua, apostolicæ & universalis Dei ecclesiæ persecutiones audiens, compati modis omnibus distulit, nosque, pro eo & cunctis aliis laborem sumentes, quoquomodo visitare neglexit, satis miramur, & ex parte turbamur, cum in te taliter caritatem frigere cognoscimus. Nonne Veritas ait: *Si frater fratrem adjuverit, ambo* *Prov. 18.*
B *exaltabuntur?* & Sapientia loquitur: *Frater & amicus in laboribus comprobatur.* *Ibidem 17.* Et prædecessor noster Gelasius papa, terrendo in suis decretalibus, episcopis parvipendentibus fratrum vexationes scribit: Cur non compassi estis? & reliqua. Quapropter monemus, ut hactenus te negligentem pernoscas, & ad despectam caritatem nihilo minus, postpositisque omnibus curis, ad nos visitandos una cum hoc nostro misso præsentialiter venire satagas. Ceterum audivimus, & auditu dolemus, ut in ecclesia Lausanensi, quæ sine patre nunc cernitur, sit orta contentio, ejusque filiorum in electione antistitis sit nefanda divisio. Unde monemus per Deum Patrem & Filium & sanctum Spiritum obtestamur, apostolicaque auctoritate expresse jubemus, & interdicimus, ut quoad ad commune eloquium nostrum
C pervenias, ibi episcopum neque jussu regis, neque ex petitu plebis consecrare præsumas, quatenus, cum una allocuti fuerimus, auxiliante Deo, cum communi consulto, quem utiliorem prævideriumus, consecrare permittamus de more. Quæ hic scribere omisimus, huic legato nostro Deusdedit glorioso magistro militum, & duci, consiliarioque nostro, ut verbis dicat injunximus. quem benigne recipite, & quæ vobis ex nostra parte tulerit, indifferenter audite. Data *ut supra.*

CXI. AD OMNES FIDELES.

Præcipit ne quisquam Pictavensis ecclesiæ bona invadere & diripere præsumat, & ut ablata restituantur.

D

Omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ præsentibus scilicet atque futuris.

DIVINO quia Romanum pontificium largitu enitet universis, *&c. Extat infra in concilio Tricassino II. numero 8.*

RECLAMATIO ET PROCLAMATIO HINCMARI QUI QUONDAM PRÆERAT ecclesiæ Laudunensi.

Exponit quæ a suo archiepiscopo injuste passus sit, & ad summum pontificem provocat.

(In margin: De Hincmaro Laudunēsi episcopo Ado in fine chronicorum, Aimoinus lib. 5. cap. 37. Et nos infra plura cum Celiotio.)

DOMNE & summe pater patrum, & rector pontificum, *&c. Extat in concilio Tricassino II.*
E *numero 9.*

CXII. AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM BURDIGALENSEM.

Monet ut ad synodum una cum episcopis suis accedat, seque comparet ad respondendum iis quæ objiciebantur.

Frotario venerabili archiepiscopo Burdigalensi.

AD synodum igitur, quam Deo auctore apud Trecas celebramus, *&c. Extat infra in concilio Tricassino II. numero 10.*

CXIII. AD ADELARDUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

Confirmat privilegia ecclesiæ prædiis concessa.

Reverendissimo & sanctissimo Adelardo venerabili archiepiscopo Turonensi, successoribusque tuis, nec non & omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ præsentibus scilicet, atque futuris.

DECET enim Romanam ecclesiam, quæ mater est omnium Dei ecclesiarum, *&c. Extat infra in concilio Tricassino II. numero II.*

CXIV. AD VALDERAMUM.

Monet ut Valderami causam ad exitum perducat, vel ad se remittat.

Valderamo venerabili.

PRÆSENTIUM lator literarum nomine Valderamus, ad vestram fraternitatem coram nobis veniens lacrymabiliter questus est, patrem suum a quodam injuste carceris custodia teneri detrusum intra parochiam vestram. Quapropter tuæ fraternitati auctoritate nostri apostolatus jubemus, attentius prædicti genitoris causam sacerdotali succinctus vigore inquirere, eique finem, legaliterque terminum dare, si negotii status inambiguus a futuris prospicitur. Quod si anceps vestro fuerit visa libramini, utrasque partes suis allegationibus instructas venire in præsentiam nostram omnino mature mandamus. Data *ut supra.*

CXV. AD BERNARDUM COMITEM.

Jubet ut ipse cum aliis quibusdam ad synodum veniat, in qua Frotarius Bituricensis episcopus de objecto sibi infidelitatis crimine purgare se volebat.

Bernardo comiti.

RELATU videlicet hominis pontificio nostro nuntiatum est quod Frotarius venerabilis episcopus civitatem Biturigam inimicis vestri senioris domini Ludovici gloriosi regis tradere maluerit, ideo illuc ipse contendere studueras. Ecce enim idem jam dictus episcopus nobis, nostro & filio præfato regi gloriosissimo, super hoc reclamare studuit, dicens se velle in omnibus tibi & tuis de universis objectis contra tui & sui senioris infidelitatem, justitiam facere. Quapropter hortantes mittimus, apostolicaque auctoritate jubemus, ut ad hoc placitum, ad huncque conventum præsentialiter venire satagas, adducens tecum Girardum vicecomitem, Umbertum, Aguvarnum, Ingelbertum, super quos ipse reclamat: quatenus nunc coram nobis, & coram sæpe dicto glorioso rege, tam canonica censura, quamque humanæ legis sancitu, inter vos, quidquid contra fas & jus factum fuerit, nihilo minus finiatur. Data *ut supra.*

CXVI. AD UUIBBODUM EPISCOPUM.

Commendat illius fidem. hortatur ut legatum mittat antequam cum Carolomanno in colloquium veniat, cui eum quoque interesse jubet.

Reverendissimo & sanctissimo Vvibbodo venerabili episcopo.

IN lectione literarum vestrarum, & in relatu earum geruli hominis vestri, vos devotissimos,
A & ut semper, novi fidissimos; pro quibus vobis gratias agimus, & Deo auxiliante retribuemus. Interea monentes hortamur ut cœptum perficias, & antequam Carolomannum alloquamur, vestrum legatum cum literis mittere satagas, & in colloquio ubi fueris, tua præsentia esse studeat. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere, maxime in hoc. Data *ut supra.*

CXVII. AD CAROLUM REGEM.

Agit gratias de observantia erga Romanam ecclesiam. miratur quod ad se legatos non miserit. rogat ut ante colloquium, quod cum Ludovico
B rege habiturus est, aut ipse veniat, aut legatos mittat.

Dilecto filio Carolo glorioso regi.

QUOD pro pace & unitate sanctarum Dei ecclesiarum, omniumque Christianorum in priore epistola, quam vestræ misimus dilectioni, significavimus, gloriæ nihilo minus vestræ uberes gratiarum laudes rependimus: quia nos vestra epistola valde lætificastis in hoc, quod dilectionem animi vestri circa Romanam ecclesiam, sicut vestri parentes ac proavi habuerunt, habere ubertim significatis; valde tamen miramur, cur ad nos
C legatos vestros non direxistis, sicut precati sumus. Quapropter quæso fili carissime ut ad colloquium quod cum Ludovico rege Caroli imperatoris regis filio apud Trecas habituri sumus, si possibilitas non obsistit, venire acceleretis; vel si aliquo obstaculo præpedimini, ut non optamus, strenuos legatos nobis dirigite, per quos gloriæ vestræ omnia secreta, quæ animo nostro resident, fidenter mandare valeamus, locum nobis simul nomine tenus designate, quo frui vestro colloquio, & germani vestri Ludovici gloriosi regis valeamus. Quoniam de hac terra nullo modo regrediemur, priusquam, Deo auxiliante, percongrua & mutua vobiscum misceamus colloquia. Optamus gloriam
D vestram piis florere successibus.

CXVIII. AD LUDOVICUM REGEM.

Ejusdem argumenti.

Dilecto filio Hludovico glorioso regi.

QUOD pro pace & unitate sanctarum Dei ecclesiarum omniumque Christianorum a Romana sede in partes Galliæ venerimus, in epistola, quam gloriæ vestræ misimus, plenissime significare studuimus: nescimus tamen quo tempore ad vos pervenit, & de eo, quare nobis non dedit dilectio vestra responsum. Quapropter quæso fili carissime, ad nos ut ad colloquium
E quod cum Ludovico rege Caroli imperatoris filio apud Trecas habituri sumus, si possibilitas non obsistat, venire acceleretis; vel si aliquo obstaculo præpedimini, ut non optamus, strenuos legatos nobis dirigite, per quos gloriæ vestræ quæ animo nostro resident, fidenter mandare valeamus, locum nobis simul nomine tenus designate, quo frui vestro colloquio, & germani vestri Caroli gloriosi regis valeamus. Quoniam de hac terra nullo modo regrediemur, priusquam, Deo auxiliante, percongrua & mutua vobiscum misceamus colloquia. Data *ut supra.*

CXIX.

CXIX. AD CAROLVM REGEM.

Arguit quod vocatus ad se non venerit, sicut Ludovicus rex fecerat. monet sub excommunicationis pœna, ut sui regni finibus contentus nullam Bosoni molestiam exhibeat.

Dilecto Carolo glorioso regi.

SERVANS fidem Francorum regibus, secundum prædecessorum meorum pontificium, multos & duros labores in mari & in terra pertuli; ab urbe & Romana sede in Franciam veni. omnes vos legatorum tam viva voce, quam epistolis studui convocare, ut pactum quod avi & patres vestri sanctæ Romanæ ecclesiæ jurejurando promiserunt, adimplere contenderetis. Sed heu proh dolor! cuncti venire per inobedientiam neglexistis, præter Ludovicum regem divæ memoriæ Caroli imperatoris filium, cujus consilio atque hortatu Bosonem gloriosum principem, per adoptionis gratiam filium meum effeci; ut ille in mundanis discursibus, nos libere in his, quæ ad Deum pertinent, vacare valeamus. Quapropter contenti termino regni vestri pacem & quietem habere studete: quia modo, & deinceps excommunicamus omnes, qui contra prædictum filium nostrum insurgere tentaverint. Data *ut supra.*

CXX.

BERNARDI COMITIS EXCOMMVNICATIO.

BERNARDVM sacrilegum, filium Bernardi & Belihildis, sacrarum rerum ecclesiasticarum pervasorem, regiæque a Deo ordinatæ potestati contradictorem, a proprio archiepiscopo Frotario, cui & civitatem, & omnia quæ habuit sustulit, tertio vocatum, a nostra autem apostolica auctoritate bis, & a regia sublimitate semel revocatum, venire nolentem & in pertinacia sua permanentem: qui etiam ab hominibus suis sacramentum damnabile & damnandum, blanditiis & terroribus tyrannice contra divina & humana jura extorsit, a corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi alienum decernimus, & ab omni Christianorum societate separamus, usque dum ad condignam satisfactionem emendaturus accedat. Quod si nec hoc emendaverit, & ea quæ reus adeo communi judicio suorum fidelium abstulit, violenter tenere, & fidelibus suis in hoc refragari tentaverit, anathematis vinculo sancti Spiritus * innodamus. Quicumque autem ei contra hanc excommunicationem communicaverint, aut consenserint, nos prohibere non possumus, ut qui excommunicatis communicaverint, non pari excommunicationi subjaceant.

* adde auctoritate

CXXI. AD DIVERSOS EPISCOPOS.

Vt invasores bonorum ecclesiæ Turonensis cogant reddere, & nonas ac decimas solvere.

Reverendissimis & sanctissimis Frotario archiepiscopo Biturigensi, & Anselmo Lemovicensi; Hecfrido Pictavensi, Dodoni Andecavensi, Rotberto Cenomanensi, Hildeprando Sagiensi episcopis, nec non & aliis omnibus episcopis & comitibus; aliisque personis illustribus, sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, in quorum parochiis sancti Mauricii Turonensis ecclesiæ prædia esse videntur.

QVORVM omnium religiositas, seu universorum pernoscat fidelitas, quoniam narrante

A Adelardo venerabili archiepiscopo, pontificium nostrum didicit, qualiter quidam, absque legum omnium auctoritate, tam comites, quamque subditi eorum, sancti Mauricii Turonensis ecclesiæ res invasas ausu temerario teneant. Vnde mandamus, nostraque apostolica auctoritate expresse jubemus, ut eos invasores primitus moneatis, ut ipsas res, omni occasione remota, ipsi præfatæ ecclesiæ reddere satagant: & si ipsi forte audire noluerint, vos unanimes omnes, unoque conventu pro posse collecti, nostra censura illos excommunicare debeatis, usquequo ipsas res ab eis injuste tentas reddant. Et si, quod non credimus, his censuris inobedientes fuerint, & ad satisfactionem venire distulerint, & justitiam de perpetratis facere noluerint, ab omni Christiana communione illos nostra auctoritate judicate esse B immunes. Inter hæc etiam illos monete, ut nonas & decimas, secundum antiquam consuetudinem, quibus dare debent, postpositis illicitis occasionibus, dare minime differant. Demum indicimus, ut omnes res præfatæ ecclesiæ sancti Mauricii, quæ in vestris existunt parochiis, defendere ab omnibus inimicis debeatis: quoniam si aliter feceritis, & nostræ censuræ non obedieritis, canonico sancitu feriemini.

CXXII. AD ARELATENSEM ET NARBONENSEM ARCHIEPISCOPOS.

C Vt causam inter Vceticensem & Avenionensem episcopos canonice definiant.

Rostagno venerabili archiepiscopo Arelatensi, & Sigebodo Narbonensi.

SANCTITATI vestræ notum est, qualiter Valefredus Vceticensis ecclesiæ episcopus ad synodum, quam Deo auctore apud Trecas celebravimus, reclamationis libellum obtulit super Ractefredo Avenionense episcopo, quod ei quamdam villam ad suam sedem, sive parochiam, pertinentem abstulisset. Sed quia Ractefredus, de quo querela erat, synodo defuit, idcirco fraternitati vestræ apostolica auctoritate mandamus, ut coadunato numero episcoporum, eorum causam canonico ju- D dicio finiatis, ita discutiendo & determinando tantæ præsumptionis invasionem, ut nemo episcoporum vestrorum contra canonica præcepta ulterius insurgere sine suo periculo tentet. Vos quoque præsentialiter cum vestris istud determitate judicium. Capitula quædam vobis patrum auctoritate collecta mittimus, secundum quæ judicare absque dilatione debeatis, ne quærendo assumatis laborem pro tali negotio. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere.

CXXIII.

E *EXCOMMVNICATIO HVGONIS ET EMMONIS.*

HVGONEM Lotharii regis quondam filium, non legitimum, sed naturalem adulterina copula genitum, qui post præstitum sacramentum dilecto filio Ludovico regi Francorum mentitus esse videtur, & inquietare pacificum regnum prædicti regis: & Emmonem, Bernardi comitis germanum, complicem in excessibus, nisi intra dies xxx. ad prædictum seniorem suum redierint, & ab inquietudine regni resipuerint, omni Christiana communione privamus. Postmodum si perseveraverint, sciant se anathematis vinculis innodandos. Data &c.

CXXIV. AD EPISCOPOS BRITANIÆ.

Arguit eos, quod a Turonensis archiepiscopi jurisdictione se substraxerint, ejusque bona invaserint. pręcipit ut ei deinceps pareant, & delictorum ab illo veniam petant.

Mahen Dolensi episcopo, nec non & omnibus episcopis Britannicis, seu universis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus.

SANCTITATEM seu fidelitatem omnium nosse volumus, quia dum Trecis synodum celebraremus, suggestione Adelardi archiepiscopi consacerdotis nostri audivimus, quod vos matrem vestram Turonensem ecclesiam despicientes, secundum antiquam consuetudinem illi obedire differtis, & privilegium a B. Petro apostolo illi supra vos concessum frangere conamini, debitumque honorem ipsi archiepiscopo vestro observare negligitis, & malum supra malum addentes, prędicto capiti vestro prædia auferre non formidatis. Inter hæc etiam, & præfato antistite narrante, & aliis coepiscopis similiter conferentibus, audivimus ut vos non antiquo more a vestro metropolitano consecrati fuissetis, sed expulsis legitimis episcopis de sedibus, sola potentia ducis vestri alter ab altero consecratus fuit. Quod mirati fuimus, &, si ita est, tantum nefas delebimus, & vindictam, nisi satisfeceritis, nihilo minus dabimus: quia non pastores, sed invasores fuisse cernimini. Quapropter monemus, apostolicaque auctoritate expresse pręcipimus, ut ad cor redeuntes ad matrem vestram sanctam Turonensem ecclesiam revertamini, & secundum antiquam consuetudinem illi obedire satagatis, & de perpetrato hactenus ipsi vestro archiepiscopo Adelardo misericordiam quæratis, quatenus super omnibus negligentiis apud summum arbitrum veniam habere possitis. Quoniam si aliter feceritis, canonica auctoritate eritis nihilo minus feriendi, & a nostra communione modis omnibus alienandi, & omnis vestra ordinatio a summa sede apostolica scilicet respuenda. Data *ut supra.*

CXXV. AD LUDOVICUM BALBUM REGEM.

Bosonis comitis, & Agilmari episcopi, a quibus in Italiam deductus fuerat, studium erga se operamque commendat.

Dilectissimo filio Ludovico gloriosissimo regi, divæ memoriæ Caroli imperatoris filio.

QUANTO vos amore diligimus, quantumque caritatis affectum erga vos tenemus, paucis explicare verbis minime possumus: hoc tamen gloriam excellentiæ vestræ scire cupivimus, quod devotionem ardoremque caritatis, sicut polliciti sumus, erga vos indeficientem perpetuo retinemus. Interea millenas serenitati vestræ de Bosone dilecto & communi filio ac fidele gratias referimus, qui tam prudenter communibus obtemperans jussis, parere in omnibus ita nobis studuit, ut etiam velut vere Christianæ religionis cultor, animæ & vitæ suæ non pepercerit, sed pro sanctæ ecclesiæ & communi fidelitate ultro se morti tradere non dubitavit, & usque Ticinum, annuente Deo, securius nos perduxit. Quapropter, dilectissime fili, ac porphyretice rex, obsecramus excellentiæ vestræ

A culmen, ut si res exegerit, sicut nobis vestra dignata est repromittere sublimitas, ei adjutorium ad debellandos hostes nostros virorum bellatorum adminiculum præbeatis: quoniam dignum est, ut soli omnes adjutorium præbeant qui solus pro cunctis desudare non cessat. Præsentem itaque hujus latorem epistolæ, 1 Agilmarum venerabilem episcopum, excellentiæ vestræ plurimum commendamus: quatenus idem, suaque ecclesia crescat augmento perfectionis, qui in omnibus opportunitatibus nostris nulli secundus extitit, & vobis fidelissimum in cunctis, quæ cognoverit, verissime comprobavimus. Inter hæc episcopos, quos serenitas vestra in nostrum jussit venire adjutorium scias præter Agilmarum nullum venisse. Quapropter B regalis censura culminis vestri sua auctoritate compellat eos quantocius * hostiliter Romam venire, ut de cetero discant apostolico culmini & regali excellentiæ congruenter præbere obedientiam.

* *f.* synodaliter.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S.I.

1 *Agilmarum.*] Ex subscriptionibus synodi Tricassinæ, atque ex præcepto Caroli Crassi anno DCCCLXXV. Arvernorum episcopum fuisse intelligimus.

CXXVI. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

C Increpat eum, quod sibi auxilium non tulerit; & jam tertio monet ut sibi Papiam certa die cum suis suffraganeis occurrat.

Reverendissimo & sanctissimo confratri Ansperto venerabili archiepiscopo Mediolanensi.

QUANTUM benigna fraternitas vestra sanctæ sedi apostolicæ concurrere, ac concordare debeat, prædecessor noster beatus Gelasius papa ad episcopos parvipendentes vexationem fratrum his verbis comminando scribit, dicens: Cur non compassi estis tantis fratribus vestris? Cur non adistis imperatorem? Cur non posuistis animam pro confratribus, quam præceptum habetis ponere pro grege vobis commisso? Cur non posuistis vos D pro domo Israel murum, ut staretis, in prælis in diem domini? Quapropter tandem discussa negligentia ad pristinum vos reformate certamen, fratribus auxilium concite ad ferendum. Hæc & horum similia vestram fraternitatem debuerant exempla provocare, & nobis pro totius sanctæ Dei ecclesiæ statu laborantibus non tantum inviti jam, sed etiam sponte concurrere debetis, ac debuistis. Sed jam, nunc post tertiam admonitionem nobis cum confratribus vestris, & coepiscopis studete Papiam hac quinta feria proxima adveniente occurrere, zelum Dei, quem pro vobis omnibus patior, atque dolorem audientes, ut quod deinceps Deus omnipotens communi vestro consilio decre- E verit, facere valeamus. Nulla frater carissime animo vestro dubietas insideat, in mea fide, & in meo sacerdotio credite; nil contra vestram decentiam, atque honorem vobis aliquatenus opponetur; quia, quod non optamus, si hæc parvipendere tentaveritis, post tantam patientiam canonica eritis *.

* *f. deest* animadversione castigandi, *vel aliquid hujusmodi.*

CXXVII. AD EUMDEM.

Narrat labores pro ecclesia susceptos. monet ut sibi cum omnibus episcopis suis Papiam occurrat.

Reverendissimo

Reverendissimo & sanctissimo confratri Ansperto venerabili archiepiscopo Mediolanensi.

QVANTVM pro totius sanctæ Dei ecclesiæ statu, & pro cuncto grege dominico, pro quo omnipotens Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & Ioannes apostolus exhortans nos ait: *Quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere*, laborare, ac vigilare semper debemus; omnium vestrum luce clarius novit pia fraternitas. Quapropter, quantum ex divina gratia in nobis fuit, & est, ex quo nos superna miseratio suæ ecclesiæ præfecit, animæ nostræ nunquam dura pericula declinavimus; sed die noctuque, æstu & gelu exusti, ne quid captum a bestia aut dilaceratum domino ostenderemus, marinos fluctus pertulimus pro omnium vestrum liberatione atque salute. in Franciam quoque venientes, & regum filios partim viva voce, partim epistolis atque legatis allocuti sumus omnes, id est utrosque Ludovicos, Carolomannum, & Carolum, acceptoque communi consilio, uti Boso gloriosus princeps comes esset itineris nostri, donec, Christo opem ferente, reverteremur ad urbem. Et quia de statu sanctæ ecclesiæ sunt quæ communiter tractare debemus, tuæ sanctitati apostolica auctoritate mandamus cum cunctis suffraganeis tuis & coepiscopis nobis Papiam secunda die post festum sancti Andreæ, occurrere. Et quoniam probata fides omnium prædecessorum tuorum semper fuit erga Romanum pontificem, tua fraternitas omnimodis studeat eorum in omnibus assequi vestigia, quia, quod absit, si aliter fuerit, vigor canonicus super inobedientes remanere non poterit. Data *ut supra.*

Ioan. 3.

CXXVIII. AD BERENGARIVM COMITEM.

Ejusdem fere argumenti.

Dilecto filio Berengario glorioso comiti, seu omnibus optimatibus Longobardorum regni sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus.

QVANTA & qualia Romana ecclesia, vestra videlicet mater, hactenus ab impiissimis Christianis passa est, & nostris literis significantibus, & rumore populi narrante jam audistis, & ut certius sciatis, iterum significamus. Ecce enim pro quibus & pro omnium vestrum salute animæ nostræ non parcentes, jam quia per terram pro prædictis persecutoribus ad vos viciniores, ut res expetierat, venire nequivimus, marinum iter accepimus, & in Franciam ibimus, quærentes tranquillitatem, atque auxilium, ubi nostri antecessores quæsiere pontifices. Misimus enim omnibus regibus, id est Hludovico domni Caroli imperatoris filio, & Ludovico, & Carolo Ludovici regis filiis, ut cum suis episcopis ad nos venirent, & una nobiscum super his tractarent, ex quibus venit Hludovicus rex, & tantis malis perdolens, nisi infirmus esset, nobiscum veniret. Iam quia pro infirmitate non potuit, dedit nobis hunc Bosonem principem sibi ex omni parte conjunctum, qui me per inimicos sanctæ Dei ecclesiæ salvum duceret. Ecce enim, auxiliante Deo, Papiam venimus: quapropter monentes mittimus & apostolica auctoritate hortantes jam tertio mandamus, ut præsentialiter ad nos carissimi, tamquam ad patrem venire debeatis, & ut alii veniant, alter alterum incitet, & has literas primo legens remittere aliis procuret: quatenus venientes una nobiscum de statu sanctarum Dei ecclesiarum & quiete reipublicæ & nostra vestraque omnium salute synodum celebrantes, tractemus; in quibus dilectissimi filii, ne vestra caritas tepeat, neve religiositas inobediat, sed compatiatur, ut oportet, ac doleat: quia scriptum est, qualiter tepidus sit jure vomendus, & qualiter per inobedientiam culpa, quæ non fuit, fit, & qualiter qui non compatitur, decreto pontificali feritur. Data *ut supra.*

Apoc 3.

CXXIX. AD LVDOVICVM REGEM.

Miratur, quod filiabus Bosonis, pro quibus alias rogaverat, hereditatem jure debitam non restituerit; iterumque monet, ut ipsam hereditatem integram eis restituat.

Hludovico regi glorioso gloriosi quondam regis Ludovici filio.

IAM enim magnitudinem vestram fili carissime apostolicis monuimus literis, hortantes pro filiabus Bosonis dudum comitis & Ingeltrudis conjugis, quibus jure hereditas deferri omnium legum auctoritate conceditur, proprietates reddere studeretis. Sed, ut cernimus, inauditi remansimus: quod miramur, & mirantes dolemus, cum vestra proles apostolicis censuris semper obediat, & præ omnibus regibus judicium faciat. Vt rex David cecinit, *honor regis judicium diligit.* Nonne legistis: *Quoniam justus dominus justitiam diligit, & æquitatem videt vultus ejus?* Ceterum reclamationem filiarum jam dicti Bosonis audivimus, ut ipsas, ipsius, matrisque earum proprietates, Ingeltrudis, alias vos teneatis, alias vero vestris tenere quibus ipsa post judicium sibi illatum sine viri consensu dederit, tenere permittatis, quod nefas est, & contra omnium legum prorsus auctoritatem. Quid enim uxor sine viri consensu agere potest? quanto magis hæc mœchans, quæ divino gladio, censente domno papa Nicolao prædecessore nostro interiit? & humano pro parte facto stupro, puniri debuerat? Nonne Ioannes papa Romanus, & Iustinianus inclytus imperator legem Romanam facientes, scripserunt ita? Capitali crimine damnatorum bona non ad lucrum præsidis, sed cognatis punitorum reddi oportet. & alibi: Omnibus gradibus cognatorum in hereditate sumenda præferendi sunt filii. Vnde liquido patet, gloriosissime rex, ut nec vos, nec cognati eorum, nisi ipsæ filiæ quæ sunt legitimæ: illos allodes habere debent; qui vero nati sunt post crimen illarum, spurii sunt, nec hereditare debent, ut præfatus papa, & imperator scripserunt ita: Spurios satis injuriosos, satisque acerbos, ac nostris temporibus semper indignos esse dijudicamus. Quapropter, ut rogavimus, iterum iterumque rogamus, & hortantes monemus, ut harum reclamationes, harum & gemitus vestra regia dignitas hauriat. Et pro apostolorum principum reverentia, a quibus petiere auxilium, & pro nostro amore integriter ipsas proprietates, quas vos allodes dicitis, reddat, & vestros omni occasione remota reddere faciatis. Data *ut supra.*

Psal. 98. Psal. 10. Nicolaus in epist. 64. Regino l. 2. chronic.

CXXX. AD SVPPONEM COMITEM.

Miratur eum sibi, ut decebat, non occurrisse. certiorem reddit de his quæ cum Ludovico rege egit. monet ut ad se veniat.

Dilecto

Dilecto filio Supponi illustri comiti.

CVR fili carissime nobis iter tua dilectio clauserit, curque ut audistis nos in tuos honores venisse, obviam non concurreris, miramur, cum eam in omnibus nostris negotiis curam gessisse semper novimus: & ubi nos prope fuisse audieras, tuis universis postpositis seriis ad nos festinanter properaveras. Vnde cernimus quoniam istud non ex corde, sed pro fidelitate tui senioris taliter feceris, quod ideo parcimus; ecce enim, ut audistis, & nos etiam vobis jam literis significavimus, pro quibus in Galliæ partibus synodum celebravimus. Et Hludovicum gloriosum regem affati fuimus, qui nobis hunc Bosonem principem virum consultissimum, sibique ex omni parte conjunctum B dedit, ut nos salvos sine impedimento maledicti Lamberti in urbem mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Ceterum monentes mittimus, & rogantes hortamur, quatenus vestro de more relictis aliis omnibus curis, omnique occasione remota, ad nos præsentialiter venias, incitans etiam alios, quibus apostolicas literas mittimus, ut & ipsi similiter faciant. Quoniam, scit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, nisi, ut sanctarum Dei ecclesiarum statum, & reipublicæ quietem una vobiscum consideremus. tamen ante alios venire satage, ut quidquid cum aliis fecerimus, tecum familiariter antea terminare queamus. Data *ut supra*.

CXXXI. AD BERENGARIVM COMITEM.

Berengarii caritatem erga Romanam ecclesiam commendat. significat celebratam in Gallia synodum, seque incolumem reversum. monet ut ad se venire festinet.

Dilecto filio Berengario illustri comiti.

RELATV nonnullorum audivimus, maxime hujus Vvidonis comitis nostri consiliarii, ut vestra devotio caritatem, quam erga nos, nostramque ecclesiam, vestram videlicet matrem, semper habueras, magis magisque adoleat: in quo gratias agimus, & ut proficias hortamur. Ecce enim audistis D pro quibus in Galliæ partibus synodum celebravimus, & Hludovicum regem gloriosum affati fuimus, qui nobis hunc Bosonem principem virum consultissimum, sibique ex omni parte conjunctum dedit, ut nos, auxiliante Deo, salvos sine impedimento Lamberti maledicti, & a sancta Dei ecclesia anathematizati, in urbem Romam mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Ceterum monentes mittimus, & rogantes hortamur relictis aliis omnibus curis ad nos præsentialiter venire satagas. Quoniam, scit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, nisi ut sanctarum Dei ecclesiarum statum, & quietem reipublicæ cum honore una E vobiscum tractemus. Data *ut supra*.

CXXXII. AD HVGONEM.

Monet ut dissensionem inter Abbonem & alios ortam sedet.

Hugoni abbati nobili, spectabili prosapia genito.

QVIA multum vos diligimus, ideoque congratulor, animæ vestræ prospicimus, commonere curamus, * .... quoque, quæ inter Abbonis episcopi parentes, & Rotbertum, atque Ro- A clinum exorta est * .... regali potius * quam vindicta corrigatur; quoniam malum semel necessitate patratum, non debet secundum necessitudinem expiari ad delictum, sed misericordius remitti ad veniam agat vestra gloriosa nobilitas, ut decet tantæ naturæ decentiam. Data *ut supra*.

*f. dissensionem

*f. ut

*f. clementia

CXXXIII. AD RAVENNATES.

Iubet ut civitatem contra Lambertum viriliter defendant.

Omnibus judicibus & ducibus seu populi Ravennæ commorantibus fidelibus nostris.

INDVSTRIAM seu omnium fidelitatem nosse volumus, quoniam relatu quorumdam audivimus, ut Ioannes diaconus chartularius deviet, & francos Lamberti contra electionem nostram conducat: unde mittimus apostolicaque auctoritate jubemus, ut omnes unanimes unaque fidelitate stare debeatis, ipsam civitatem, ita ut nullus, qui vobiscum non stat *, francos, ibi conduci Lamberti intus permittat ingredi, nec ipse Lambertus ibi quoquomodo accessus habeat, nec suus homo ibi intrare possit: ita in his agite, sicut Dei nostram gratiam habere cupitis, quoniam qui aliter fecerit, & nostram iram habebit, & mille byzanteos palatio nostro componet. Data *ut supra*.

*f. francos ibi cum duce Lamberta, &c.

CXXXIV. AD ROMANVM ELECTVM C ARCHIEPISCOPVM RAVENNATEM.

Lætatur eum Ravennatem archiepiscopum electum. jubet ne quidquam electionis causa ulli promittat: & epistolam suam Leoni, & Romanis scriptam afferendam curet, eorumque responsum ad se dirigat. res Ioannis & Deusdedit ducum restituat.

Romano Levitæ egregio a Ravennatibus fidelibus nostris electo.

LITERARVM tuarum, fili carissime, serie recepta & lecta, ubi Ioannem Ravennatem archiepiscopum obiisse audivimus, valde doluimus, & ut pro eo oretis cum vestris, hortamur. Vestra videlicet electione unanimiter facta gaudemus, & quia nos visitando misisti, significans sanitatem nostrorum fidelium, tuamque devotionem demonstrans, gratias agimus. Ceterum monentes indicimus, ut jam qui annuente pastore summo, ad tale opus electus es, quo pastor fias, vigiles in eadem ecclesia, labores, nullique majori minorique tam concivibus, quamque aliis quibuscumque personis aliquod promissum facias, quoniam Simoniacum est, & hoc nobis nequaquam celabitur; quod si feceris, per apostolos obtestantes, te minime benedicemus. Inter hæc volumus, ut istam epistolam Leoni venerabili misso episcopo & apocrisiario, ceteris Romanis transmissam, ipsis præsentialiter per vestrum legatum transmittatis, eumdemque revertentem, si potes saltim, aut alium cum illorum epistolis ad nos * dilecte, remitte, qui nostrum adventum certum jam vobis renuntiare poterit. Igitur etiam cupimus, ut pro amore horum nostrorum fidelium, nostrorumque consiliariorum Deusdedit videlicet, & Ioannis gloriosorum ducum res pro posse, & homines salvetis, & defendatis, occupatas hactenus integriter reddatis: quatenus cujus utuntur servitio, ei convenit, ut fruantur defensionis auxilio. Data *ut supra*.

*f. directis

CXXXV. AD THEODORICUM ET ISAAC EPISCOPOS.

Præcipit ut excommunicent eos qui Vviperto comiti filium eripuerant, & regionem illam populabantur.

Reverendissimis & sanctissimis Theodorico archiepiscopo, & Isaac episcopo.

NOVERIT vestra religiositas, quia Vvipertus comes reclamans pontificio nostro retulit, quod quidam sui homines malefactores suum filium sustulerint, & cum eo terram prædaverint. Quapropter dirigimus, ut nostra apostolica auctoritate illos excommunicetis, quo relictis talibus deprædationibus ad patrem & seniorem redeant, & pacifice vivant. Data *ut supra.*

CXXXVI. AD HUGONEM COMITEM.

Monet ut quosdam facinorosos puniat.

Hugoni glorioso comiti.

REFERENTE videlicet hoc viro nomine.. audivimus, quod vestri homines, maxime Conterius suos equos tollentes suas mansiones prædasset. Quapropter hortantes monemus, ut pro apostolorum reverentia, & nostro amore quam petiit justitiam illi facere satagatis. Ita agat in hoc vestra nobilitas, ut acturam credidimus, ut & ipsi malefactores nostri excommunicentur, quia nos tale nefas, ut non ulciscatur, demittere nequimus. Data *ut supra.*

CXXXVII. AD HUGONEM, THEODERICUM, ET BERNARDUM COMITES.

Ut amicitiæ caritatisque fœdus cum Bosone ictum servent.

Hugoni, Theoderico, & Bernardo, illustrissimis regni Francorum.

FRETUS vestra ingenuissima nobilitate, atque obedientia, quam propter Deum nobis condigne debetis, dilectissimum filium nostrum Bosonem, vestrum unanimem fratrem & amicissimum, ut insolubile vinculum caritatis, fœdusque amicitiæ, quod coram Deo vicissim colligastis, moneo, hortor, nulla hominum male loquentium lingua, nullo cujuslibet fraudis ingenio, vel in modico quoquomodo possit avelli: sed domino auxiliante dilecti filii nostri Hludovici regis animum erga eum immobilem & tranquillum semper servetis, & omnia sua salva atque pacifica conservate. quoniam pro his ab omnipotente Deo, & beato Petro apostolo, futuræ vitæ mercedem, & a nobis & ab illo fidelissimas amicitiarum recipietis sine dubio retributiones. Data *ut supra.*

CXXXVIII. AD VULGARIUM MONACHUM.

Ut Vviperto episcopo obediat, qui eum per dimissoriam acquisivit.

Vulgario monacho.

DENIQUE Trecis positi, per nosmetipsos cognovimus, qualiter Vvipertus episcopus, devotus filius noster, te a proprio episcopo, atque abbate, per dimissoriam acquisivit, tua potius interveniente petitione. Quapropter convenit tibi ex die illo, & deinceps, tamquam proprio obedire, eumque ut proprium pastorem sequi non prætermittas. quia, quod non optamus, si aliter feceris, vinculum excommunicationis super te rationabiliter extendemus. Data *ut supra.*

A

CXXXIX. AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

Præcipit ut quoties episcopus Ticinensis eos ad synodum vocaverit, accedant.

Omnibus sanctissimis & reverendissimis confratribus & coepiscopis, tam Mediolanensi archiepiscopo cum suis suffraganeis, quam Ravennati nihilo minus cum suffraganeis suis.

SCRIPTUM etenim est: *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum.* & in euangelio: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum.* & item: *Si frater fratrem adjuverit, ambo consolabuntur.* His auctoritatibus fulti, vestræ omnium sanctitati mandamus, & apostolica auctoritate jubemus, ut quoties vos confrater & coepiscopus noster Ioannes Ticinensis, & post eum sui successores, vestrosque vocaverint, pro emergentibus quæstionibus eximendis, continuo beato Petro apostolo obedientiam exhibentes, simul convenire non differatis: quatenus redemptoris nostri gratia discussis animositatibus, vitiisque purgatis, in tranquillitate pacis ecclesia constituta, glorificetur Deus per Iesum Christum dominum nostrum. Sacerdotum, Levitarumque judicia, quandocumque necesse fuerit, cum prædicto episcopo, tamquam proprii episcopi decernite, ac diffinite freti nostra omnimodis apostolica auctoritate: quia onera nostra vobiscum partiendo reliqua tolerabilius sufferre valebimus. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data *ut supra.*

Psal. 88.
Prov. 18.
Matth. 18.

B

C

CXL. AD IOANNEM EPISCOPUM TICINENSEM.

Raptores uxoris cujusdam Ragiberti excommunicari jubet.

Reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Ioanni venerabili episcopo Ticinensi.

DENIQUE Ragibertus quidam nomine, Iudex cognomento, coram nobis veniens questus est super Gotfredum filium Ioannis comitis palatii, & Isilbertum subdiaconem, atque Heribaldum notarium filium Garibaldi, eo quod legaliter sibi filii sui nuptam Gausildam nomine contra canonum, & legum auctoritatem, per vim & per forciam abstulerunt, calcato illo præcepto, quo dominus ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* *Matth.* 19. Quapropter apostolica adhortatione zelum tui sacerdotii ad hortamen caritas Dei accendat, & quasi tuba exalta vocem tuam, & iniquis iniquitatem suam annuntiare non cesses, ne sanguis eorum de manibus tuis requiratur. Prædictosque transgressores omni Christiana communione privare non differas, donec legaliter emendent quod nequiter perpetrare ausi sunt. Quod si te audire neglexerint, perpetuo eos anathema esse decernimus. Data *ut supra.*

D

E

CXLI. AD IOANNEM EPISCOPUM PAPIÆ.

Ut sibi Taurinum obviam veniat, & epistolas a se scriptas quibusdam episcopis dirigat, ut ipsi ad concilium accedant.

Reverendissimo & sanctissimo Ioanni Papiæ episcopo.

SANCTITATI tuæ notum fieri volumus, quod nunc Taurinensi in civitate consistimus.

Ceterum dirigimus, ut continuo omni occasione postposita nobis venire ne differas obviam. Vide ne ab alicujus decipiaris instinctu fortasse, quæ minime credimus, pro parte Mediolanensis archiepiscopi, quoniam specialiter noster es, & manualis. Et quia de nullius nisi nostra ditione consistis * ut epistolam quam suffraganeis episcopis Ravennatis ecclesiæ, Paulo Placentinæ, & item Paulo Regiensi, atque Liudoino Mutinensi, cum celeritate mittere procuretis, ut statuto die Papiam veniant: quatenus de sanctarum item Dei ecclesiarum & communi, atque universali salute tractare valeamus. Data *ut supra.*

* *deest, jubeo vel quid hujusmodi.*

CXLII. AD VVIBBODVM, PAVLVM, ET PAVLVM AC LIVDOINVM EPISCOPOS.

Iubet ut Papiam ad synodum accedant.

Reverendissimis & sanctissimis Vvibbodo venerabili episcopo Parmensi, & Paulo Placentino, & Paulo Regiensi, & Liudoino Mutinensi episcopis.

SANCTITATEM vestram scire cupimus, quoniam octavo Kalendas Decembris Taurinum venimus, inde, Deo duce, Papiam veniemus, & ibi synodum pro statu Dei ecclesiarum celebrabimus. Quapropter mittimus apostolicaque auctoritate expresse jubemus, ut quarto nonas Decembris, ibi omni occasione remota, ad synodum esse debeatis. Et qui primo hanc epistolam legerit, alio sub omni festinatione transmittat. Videte ne aliter faciatis: quoniam si aliter feceritis, canonico feriemini vigore. Data *ut supra.*

CXLIII. AD OMNES FIDELES.

Præcipit ne quispiam monasterio sancti Augentii quidquam detrimenti afferat.

Omnibus fidelibus ecclesiæ.

SOLICITUDINEM omnium ecclesiarum nos habere oportet, & singulorum causas æquitatis judicio allevare; quapropter, cum de omnibus agere hæc eadem convenit, præcipimus atque præsenti decreto sancimus, ut de abbatia sancti Augentii, quam divæ memoriæ Carolus imperator fideli suo, & filio ecclesiæ nostræ ante jure beneficiario tribuit, nullus de ipsis rebus aliquid injuste auferre presumat: nec prædicto episcopo, & monachis ipsius loci aliquam in distrahendo illicite inferre molestiam. Quod si quis ab hinc agere præsumpserit, separetur a communione fidelium ecclesiæ: quod si pertinaciter perstiterit, & emendare noluerit, judicio sancti Spiritus anathematis vinculo feriatur. Data *ut supra.*

CXLIV. AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

Rescribit de indulgentia eorum qui contra Paganos pugnantes occubuerant.

Omnibus reverendissimis & sanctissimis venerabilibus coepiscopis per totum regnum carissimi filii mei Hludovici.

QUIA veneranda fraternitas vestra modesta interrogatione sciscitans quæsivit, utrum hi, qui pro defensione sanctæ Dei ecclesiæ, & pro statu Christianæ religionis ac reipublicæ in bello nuper ceciderunt, aut de reliquo pro ea re casuri sunt, indulgentiam possint consequi delictorum, audenter Christi Dei nostri pietate respondemus, quoniam illi, qui cum pietate Christianæ religionis

A in belli certamine cadunt, requies eos æternæ vitæ suscipiet, contra Paganos atque infideles strenue dimicantes, eo quod dominus per prophetam dignatus est dicere: *Peccator quacumque hora conversus fuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius:* *Ezech. 18.* & venerabilis ille latro in una confessionis voce de cruce meruit paradisum. *Luc. 23.* Manasses quoque impurissimus quondam rex captus, carcerique arctissimo religatus, ibi pœnitentiam agens, cum perfectione indulgentiæ, etiam regni pristini, propter domini misericordiam, quia immensa est circa genus humanum, adeptus est solium: *2. Paral. 33.* nostra præfatos mediocritate, intercessione beati Petri apostoli, cujus potestas ligandi atque solvendi est in cælo & in terra, quantum fas est, absolvimus, precibusque illos domino commendamus. B Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere. Data *ut supra.*

CXLV. AD VVIFREDVM EPISCOPVM VENCIENSEM.

Episcopum, qui cum excommunicatis communicarat, missarum celebratione prohibet.

Vvifredo venerabili episcopo sanctæ Venciensis ecclesiæ.

AUCTORITATE domini nostri Iesu Christi, & sancti Petri apostolorum principis, nostrique apostolatus, quia cum excommunicatis communicasti, ut literæ tuæ manifestant, omni te missarum celebratione privamus, C donec in nostram cum eisdem hominibus occurras præsentiam: & si, quod non optamus, amplius præsumptor extiteris, denuntiamus te omni sacerdotio fore nudatum. Data *ut supra.*

CXLVI. AD ODONEM EPISCOPVM BELLOVACENSEM.

Decernit impuberes, qui alium occiderant, post peractam pœnitentiam ordinari posse.

Hodoni venerabili episcopo Belvacensi.

RELATU didicimus quorumdam monachorum sancti Dionysii cœnobii, quod quibusdam pueris impuberi adhuc ætate inter se rixantibus, hominum illorum instigatione unus ex illis D est interemptus. Quapropter mandamus, ut si inculpabiles post peractam pœnitentiam legitimi vigoris secundum canones reperti fuerint, gradatim ad ecclesiasticos ordines eos provehere non differas, servatis in omnibus patrum regulis, & canonum institutis. Data *ut supra.*

CXLVII. AD AIMARVM ET VVIDONEM EPISCOPOS.

Vt Rostagni uxorem ad se venire jubeant, illiusque adjutores, nisi resipuerint, communione privent.

E *Aimaro & Vvidoni reverendissimis episcopis.*

HORTAMUR sanctitatis vestræ fraternitatem, sacerdotalemque zelum vestri vigoris apostolica auctoritate incitamus; Bertildi Rostagni illustris viri conjugi, quæ spreto Dei timore, ac lege tori, fugabunda per vestras parochias incedens, multoties ab episcopis & synodo vocata, surda aure venire distulit, omnem necessitatem imponite veniendi coram nostra præsentia, ut ejus causa legaliter finem accipiat. Illiusque in tam perverso opere adjutoribus aditum atque communionem totius sanctæ ecclesiæ tamdiu intercludite, donec ab omni se sequestrent prædictæ Bertildis consortio.

Inter

Inter quos Achetium mœchum eumque consortio A private, vestroque zelo percutite. Quæso, moneo, hortor, fratres carissimi, citissime amplectendam exhibete præsentiam. iterum iterumque jubemus, omni postposita occasione ad nos festinanter venite: quatenus Christo domino miserante, in hoc & aliis negotiis, communi consilio terminum salubriter imponere valeamus. Data *ut supra*.

CXLVIII. AD VVALAM EPISCOPVM METENSEM.

Ne cogatur sponsus uxorem ducere ab alio corruptam.

Reverendissimo & sanctissimo Vvaleno venerabili episcopo Metensi. B

PRÆSENTIVM portitor literarum, Alpertus nomine, lacrymabiliter coram nobis veniens questus est desponsam suam, nomine Vvalatam, adhuc in parentum domo manentem, adulterino concubitu a presbytero quodam prægnantem repertam. Quæ confessa de crimine, libenter ab eo se vult dissociare: sed tua fraternitas pro quadam parentelæ affinitate, coacte eum cogit eamdem sumere in conjugium, contra regulas patrum, atque institutionem. Quapropter, si ita est, requisitis super his legum & canonum institutis, quid de talibus præcipiant promulgate absque personarum acceptione. Data *ut supra*.

CXLIX. AD IOANNEM EPISCOPVM TICINENSEM. C

Vt cum quodam, qui pœnitentiam quinquennio egerat, remissius agat.

Ioanni venerabili episcopo Ticinensi.

LATOR præsentium coram nobis veniens dicit, se a prædecessore vestro Liuttefredo venerabili episcopo, quinquennio exacto jam anno, pœnitentiæ fuisse submissum, pro quodam, eo quod interfuit, fure a femina interempto: qua de re vestra fraternitas solerter prospiciat. Et, si ita est ut hic asserit, propter domini misericordiam, quoniam magna est, cum eodem consultius agat, & prout ordo causæ dictaverit, frenum canonici vi D goris remittite. Vel si quidquam, quod non optamus, impossibile perpensum fuerit; id nostro judicio vestra fraternitas studeat lenitate spiritus reservare. Data *ut supra*.

CL. AD AGINVLFVM EPISCOPVM GABALITANVM.

Vt præsentium latoribus ablata restituenda curet.

Ioannes Aginulfo venerabili episcopo Gebaldanensi.

PRÆSENTIVM latores questi sunt ab hac sede plebem suam eisdem sublatam. Quapropter apostolica auctoritate tuæ fraternitati præcipimus, E ut inquisita rei veritate, quod justum est, unicuique reddere sacerdotali solicitudine pervestiget: & quæ ipse diffinire non poteris, [referre ad nos] modis omnibus non prætermittas.

CLI. AD BISVNTINENSEM ARCHIEPISCOPVM.

Significat se Fulcardum, ejusque conjugem ab excommunicatione absolvisse.

Theodorico venerabili episcopo Bisuntinensi.

NOTVM sit sanctitati vestræ, quia Fulcardum, & Berelindam uxorem ejusdem, ab excommunicationis vinculo absoluimus, donec canonica regula exacte reperiamus judicium. Vnde a vobis in communionem eos recipi mandamus. Optamus fraternitatem vestram bene valere. Data *ut supra*.

CLII. AD OMNES EPISCOPOS.

Monet ut sua instituta observent, justeque judicent.

Allocutio pontificis & exhortatio ad omnes episcopos.

ECCE sanctissimi sacerdotes præmissis precibus fraternitatem vestram cum pia exhortatione convenio, & per divinum nomen obtestor, ut ea quæ a nobis de Deo, & de sacris ordinibus, vel sanctis moribus fuerint dicta, cum omni pietate suscipiatis, & cum summa reverentia perficere intendatis. Quod si forsitan aliquis vestrum aliter quam dicta fuerint, senserit, sine aliquo scrupulo contentionis in nostrorum omnium copulatione, ea ipsa de quibus dubitaverit, conferenda reducat; qualiter, Deo auxiliante, aut doceri possit, aut doceat. Deinde simul vos obtestatione conjuro, vel obsecro, ut nullus vestrum in judicando, aut personam accipiat, aut quolibet favore, vel munere pulsatus, a justo judicio scienter avertatur aut discedat: sed tota pietate eum, qui cœtui nostro se judicandum intulerit, retractate. Vt nec discordans contentio ad subversionem justitiæ inter nos locum inveniat; nec in perquirenda æquitate vigor vestri ordinis vel solicitudo tepescat. Data *ut supra*.

CLIII. AD ROMANVM ARCHIEPISCOPVM RAVENNATEM.

Præcipit ut Romam ad synodum cum suffraganeis accedat.

Reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Romano archiepiscopo sanctæ Ravennatis ecclesiæ.

CANONICIS sanctorum patrum jubentibus regulis bis per annum concilia episcoporum esse omnimodis celebranda; nos ob id pro multiplicibus ecclesiarum Dei utilitatibus, & necessitatibus, synodum octavo Kalendas Maias, domino annuente celebrare cupimus. Ideo jubemus dilectioni vestræ, ut omni mora postposita, vos cum omnibus suffraganeis vestris episcopis prædicto tempore Romam venire studeatis: quatenus eamdem synodum nobiscum æqualiter celebretis, ac de communi salute consideretis. Data III. Nonas Martias.

Nicæni cõcilii cap. 5. synodus bis in anno celebranda.

CLIV. AD EVMDEM.

Vt Luponem presbyterum in Sarsennati ecclesia episcopum ordinet.

Reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Romano archiepiscopo sanctæ Ravennatis ecclesiæ.

RELATIONE quorumdam comperimus, quod eum, quem vobis ordinandum episcopum sanctæ Sarsennati ecclesiæ Luponem videlicet venerabilem presbyterum, * postposito nostræ voluntatis, & jussionis mandato consecrare postponatis; sed alium pro eo cupiatis nihilo minus ordinare: quod sane, si verum est, valde miramur, vos a sponsione, quam nobis polliciti estis, quolibet modo, vel occasione velle retrahere. Vnde more paterno

* *f. deest* mandavimus,

dilectionem vestram his nostris apostolicis monemus, hortamur, atque jubemus apicibus, ut vestræ promissionis memores, præfatum Luponem presbyterum, sicut vobis commisimus, continuo, ac præsentialiter jam dictæ ecclesiæ antistitem ordinationis initio vos a nostræ voluntatis decreto subtrahere cognoverimus; canonicis correctionibus, velut inobedientem corripere nullatenus prætermittemus.

CLV. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Vt Romam ad synodum celebrandam cum suffraganeis accedat, ubi de imperatoris electione agetur. jubet, ne quemquam regem excipiat, antequam ipse imperatorem elegerit. nisi paruerit, eum excommunicat.

Reverendissimo & sanctissimo Ansperto archiepiscopo sanctæ Mediolanensis ecclesiæ.

QVANTÆ necessitatis assidue sustinuerimus incommoda, quantæque perturbationis nunc usque passi simus, & quotidie patiamur adversa, fraternitatem vestram nosse luce clarius non ignoramus. pro quibus nimirum malis sedi apostolicæ ab inimicis nequiter illatis, per procellas & periculosa maris itinera ire, & defensionis auxilium nos quæsisse mecum pariter scitis. Sed quia humanum præsentialiter subsidium non reperimus, divinum ut potius quæramus, communique voto ut a domino flagitemus, frater mi, necesse est. Propter quod fraternum sanctitatis vestræ collegium his nostris apostolicis literis more præcessorum nostrorum vocamus, & in consortium nostræ solicitudinis apostolica dumtaxat auctoritate ascíscimus; & quasi membrum capiti suo adhærens ad Kalendas Maias hujus duodecimæ indictionis ad synodum, auxiliante domino, nobiscum celebraturos cum omnibus suffraganeis vestris episcopis Romam venire jubemus, ut superna gratia freti, ea quæ necessario sunt amputanda ecclesiastico resecemus mucrone: & quæ utiliter sunt statuenda, communi, Deo propitio, statuamus decreto; ne per vestram absentiam, atque desidiam regnum hoc amplius in perturbatione persistat, & fiat scandalum pejus priore. Et quia Carolomannus corporis, sicut audivimus, incommoditate gravatus, regnum retinere jam nequit, ut de novi * regis omnes pariter consideremus, vos prædicto adesse tempore valde oportet: & ideo antea nullum absque nostro consensu regem debetis recipere. Nam ipse, qui a nobis est ordinandus in imperium, a nobis primum, atque potissimum debet esse vocatus atque electus; quoniam & nos una cum vestra fraternitate cupimus pertractare & de hoc, & quo tenore vel ordine communes causas, & utilitates ecclesiarum Dei nobis commissarum ordinemus & jure canonico statuamus: quatenus tantorum malorum onera, quæ sustinemus, procul abjicere, & leve jugum Christi lætis ut condecet possimus cervicibus ferre. Quapropter nullam in veniendo excusationem habeatis, sed alacri mente occurrere, & ad jam dictam synodum venire procuretis, quam sane & canonica sanctorum patrum regula bis in anno fieri jubet, & instantis temporis necessitas magna compellit. Nos enim paterno vos affectu diligentes pro communi utilitate vocamus, quamvis jam tertio jampridem dilectio vestra vocata ad synodum venire contempserit. Pro quo dignam debueratis correctionis sustinere censuram, cum a sede apostolica vobis semper fuisset collatum præsidium, & vos nullum in quibus oportebat studeretis præbere solatium: nunc autem, si ad eamdem synodum venire contempseritis, scitote canonicam a nobis in vos velut inobedientes promulgari sententiam.

* f. deest electione Imperator a summo pontifice eligitur.

CLVI. AD GAIDERIM PRINCIPEM BENEVENTANUM.

Consolatur eum de damnis ab Agarenis illatis. auxilium pollicetur, seque in ejus partes venturum.

Dilecto filio Gaideri glorioso principi Beneventanorum.

EPISTOLAS sane a vestra dilectione transmissas cum parte gratulationis, fateor etiam & mœroris accepi; quantoque in eis gaudens exultavi vestram devotionem intimo mentis affectu circa obsequium sanctorum apostolorum Petri & Pauli compertam, tanto nihilo minus triste pastorali solicitudine tuli, pressuris, atque Agarenorum deprædationibus terræ vestræ auditis: quapropter cum vase electionis compellor dicere, & lacrymabiliter exclamare: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non uror?* sed inter hæc meminisse debemus illius qui ait: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quoniam ego vici mundum:* & apostolus: *Major est qui in nobis est, quam qui contra nos est.* Quocirca dilectissime fili, hortor, admoneo, apostolica auctoritate suadeo, interim patienter domini misericordiam deprecando continuis obsecrationibus malorum sufferre gravamina. Quoniam nos, Christo opitulante, ad patriæ vestræ liberationem pro virium facultate tantum præ ceteris mortalibus habebitis adjutorem enixius, quantum attentius compatimur. quod rebus ipsis præsentialiter * sub redderemus, nisi in itinere penitus hoc tempore equorum pabula defecissent, quibus statim gressus movere in veniendo prohibemur. Sed redemptoris nostri gratia duce, peracta solennitate paschali, venire ad vestras partes accelerabimus; & una vobiscum positi, quidquid consilii, quidquid solatii, atque adjutorii pro Christiani populi liberatione adinvenire poterimus, libentissime procurabimus. Optamus gloriam culminis vestri in Christo semper bene valere. Data *ut supra.*

2. Cor. 11. Ioan. 16. 1. Ioan. 4.

* f. abundat.

CLVII. AD AIONEM EPISCOPUM.

Commendat ejus erga se observantiam. certiorem eum de sua incolumitate reddit, tum consolatur de obitu fratris.

Reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Aioni venerabili episcopo.

QVOD veneranda fraternitas tua pro sanctarum Dei ecclesiarum sublevatione longe ab urbe aliquamdiu nostram absentiam benigna animi compassione condoluit. viscera mentis suæ repleta Christi caritate patenter ostendit, & debitam, imo mutuam dilectionem sanctis Dei apostolis per nos condigne studuit conservare, a quibus procul dubio meritorum retributionem in finem recipiet. Sospitatem, quam in nobis vestra sitibunde atque ardenter requirit fraternitas, domino donante, eam parte corporis aliquatenus habere videmur; sed inter tot fluctus mundi, tantasque undarum procellas, quæ salus istius vitæ potest esse saltem ad momentum tranquilla? præsertim morte vestri germani

germani audita, vestris filiorumque carissimorum tam crebris tribulationum angustiis. Sed inter hæc nos convenit toto conamine mentis ad illam patriæ cælestis vitam corda sustollere, in qua pax semper inest, & vera securitas: quoniam *quamdiu sumus in corpore*, juxta apostolum, *peregrinamur a domino*, vobis vestræque patriæ, secundum officium a Deo nobis collati ministerii, pro virium possibilitate inhianter cupimus impertiri solatium. Data *ut supra*.

2. Cor. 5.

CLVIII. AD DAFERIUM COMITEM.

Consolatur Daferium eique opem pollicetur.

Dilecto filio illustri nobili viro Daferio comiti.

PERFECTIONEM cordis Gaideris principis consanguinei vestri, vestramque in Deum valde gaudemus, obsecrantes, ut qui cœpit in vobis operetur, atque perficiat opus bonum usque in finem. Tribulationibus, atque angustiis vestris in tantum compatimur, ut vestros dolores manu cogitationis in nostro corde tangamus: sed confidimus in æterni conditoris misericordia, quia in proximo aderit ejus auxilium, qui per prophetam admonet dicens: *Invoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & magnificabis me*: nos etenim in tantum paratos habetis in vestrum adjutorium, ut cum opportunum tempus fuerit, pro fratribus animam ponere non recusemus. Equum quem nobilitas vestra petiit, cum vestros fines attigero, dare me vobis libenter denuntio. Data *ut supra*.

Psalm. 49.

CLIX. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Ut sibi indicet locum, ubi simul possint de communis patriæ salute colloqui.

Reverendissimo & sanctissimo dilectoque confratri, & consiliario nostro Athanasio episcopo sanctæ Neapolitanæ ecclesiæ.

SCIENTES vos procul dubio fideles in omnibus, atque devotos esse sanctæ sedi apostolicæ, nostræque paternitati totis præcordiis nostris fraternitatem vestram oppido diligimus & amamus: quamobrem, pro multiplicibus instantis temporis necessitatibus, atque communibus utilitatibus vobis cum speciali præsentia loqui cupimus: quatenus vestro consilio, communique tractatu ea quæ necessario sunt consideranda, perspicaciterque tractanda, salubriter, domino annuente, ordinare, statuereque possimus. Quoniam nostræ ac vestræ terræ salutem, totius videlicet populi pretioso Christi cruore redempti, pastorali dumtaxat more desideramus perficere, & idcirco, ut pertinax inimicorum comprimatur audacia, vobiscum pariter cupimus convenire. Quapropter volumus, ut locum etiam nostræ collocutioni, quem aptum esse cognoscetis, nostro præsulatui, vestris sub celeritate significetis apicibus. Quia nos, Deo propitio, illuc sine mora properare, & una vobiscum alacriter loqui non prætermittemus. Data *ut supra*.

CLX. AD CAROLUM REGEM.

Hortatur ut legatos mittat, & in auxilium ecclesiæ Romanæ veniat.

Carolo regi.

REGALIS excellentiæ vestræ literas recipientes, atque relegentes, ut in eo, quod antea nostro

A præsulatui direxistis, vestro videlicet amore, dilectioneque maneremus, non solum, ut jam olim retulimus, verum etiam magis ac magis nostræ voluntatis affectum ad vestræ exultationis cumulum ampliare magnopere cupimus, atque in omnibus ceu carissimum filium vos retinere procul dubio satagemus. Tantum ut quo celerius, sicut mandasti, vestros idoneos legatos ad nos dirigere potestis, aliquatenus non prætermittatis; cum quibus sane & exaltationem sanctæ sedis apostolicæ, & istius terræ salutem, vestrumque honorem * profligare, considerareque firmissime valeamus. Et ideo vestræ magnitudinis gloriam exhortamur, ut præcingentes quasi vir lumbos tuos, & potentiæ Dei brachio adversus inimicos potentissime robo-

* f. investigare,

B rati, jam ipsis venire non dubitetis; quoniam si tantæ calamitatis pressuram, quam sancta Romana mater vestra ecclesia, & ipsius terra quotidie ab inimicis patitur, cognovissetis, nobiscum utique pariter doleretis. Quapropter fili carissime, antequam inimicorum insidiæ plus accrescentes prævaleant, nostram devotionem, atque consilium pio intuitu attendere nullo modo desinatis, sed more parentum vestrorum ea, quæ necessaria sunt nobis, instantissime peragatis; quia nostri apostolatus ulnis extensis alacriter amplecti regalem præsentiam vestram desideramus. Tertio Nonas Aprilis, indictione XII.

CLXI. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

C

Commendat ejus erga se observantiam. de suo incolumi reditu certiorem ipsum facit. hortatur ad perseverantiam, donec simul conveniant.

Reverendissimo & sanctissimo Athanasio episcopo Neapolitano.

QUIA non solum tuis præcipue actibus, quibus devotionem sanctitatis tuæ circa nos fidelissimam ostendisti existere; verum etiam nobis longe pro ecclesiæ statu manentibus quomodo eam illibatam in omnibus conservaveris, fidelium nostrorum relatione didicimus. Quamobrem dignas

D tuæ dilectioni referimus grates, innotescentes sane nostri præsulatus reversionem juxta desiderium tuum esse, Deo favente, prosperam, atque incolumem. Ideo more apostolicæ paternitatis almitatem tuam monemus, cum apostolo dicentes: *Confortare in domino, & in potentia virtutis ejus: quoniam fidelis est Deus, qui non deseret sperantes in se tentari supra quam possunt, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Tua igitur reverentia in his instantis adversitatis casibus aliquatenus non frangatur: quin potius in Deo confidens roborata consistat, donec, Christo adjuvante, nos vobiscum speciali præsentia juncti simul loquamur. Quia tunc, Deo permittente, cuncta quæ necessario statuenda sunt communi eloquio, atque consensu pertractata provenire credimus in salutem.

Ephes. 6.
1. Cor. 10.

E Tamen nostræ voluntatis affectum per Petrum venerabilem diaconum tuum, communemque fidelem, tuæ dilectioni innotescendum mandavimus; quoniam te quasi proprium filium diligentes in omnibus nostris volumus habere consortem. Data *ut supra*.

CLXII. AD EUMDEM.

Ejusdem argumenti.

Reverendissimo & sanctissimo Athanasio episcopo sanctæ Neapolitanæ ecclesiæ.

MULTAS gratiarum actiones, atque salutes almitati vestræ his nostris apostolicis referimus literis: quia nobis pro communi utilitate longe consistentibus, quasi præsentibus sinceritatem devotionis, & fidei vestræ circa sanctam Romanam ecclesiam matrem vestram, nostrumque pontificium, atque circa fideles nostros promptam in omnibus ostendere procuratis. Quamobrem nulla inimicorum versutia, vel calliditas, vos a bono mentis proposito in aliquam sinistræ cogitationis, aut voluntatis partem inclinet: sed sicut cœpistis, perficere omnimodo satagite: quia & meritum, & condigna retributio vobis, Christo favente, proveniet. Nam licet inimicorum nos præpediente fraudulenta nequitia, non omnia quæ volebamus ex toto potuissemus perficere; nunc tamen, annuente domino, quod ad honorem sanctæ Dei ecclesiæ, & istius terræ salutem, vestramque defensionem pertinet, jam cœptum habemus, credimus nos incunctanter acturos. Proinde hortamur nihilo minus & monemus dilectionem vestram, ut sicut hactenus, ita deinceps viriliter ac firmiter consistatis, donec speciali præsentia adjuncti simul loquamur, & pro communi salute pariter laborantes, totis conatibus desudemus. Quoniam velut carissimum te filium retinere cupientes, benigne amplectimur, & tecum in omnibus congratulari feliciter cupimus: quia, ut dictum est, pro certo scias te dignam a nobis compensationem esse procul dubio recepturum. Hunc vero diaconum tuum, qui pro tuo amore in nostro servitio tanto tempore fideliter mansit, sanctitati vestræ in omnibus commendamus, ut dignum a vobis recompensationis honorem percipiat. Data *ut supra.*

CLXIII. AD ARCHIEPISCOPOS, EORUMQUE SUFFRAGANEOS.

Ne Bicbertinum ante causæ discussionem excommunicent.

Reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris, Aureliano, & Otteramno, nec non & Theodorico, & universis coepiscopis vestris.

OMNIUM vestrum sanctitati notum esse volumus, venisse Bicbertinum deferentem imperatoris præceptum, & commutationis chartulam de rebus quas carius cum Amulo archiepiscopo dudum celebraverunt. Insuper nostro apostolatui intimavit, ut eum sine ratione discussa excommunicare vultis. Quapropter apostolica auctoritate jubemus, ut nemo vestrum eum excommunicet, antequam ad legis examen proveniat. Scitote, quemadmodum in centesimo capitulo Africani concilii legitur, similiter in secundo novellarum Iustiniani libro, ut nemo episcopus aut presbyter aliquem excommunicet, antequam causa probetur. Qui excommunicatus majorem sacerdotem adeat, & ille qui injuste excommunicavit, ab ipso juste patiatur. Et nemo vestrum, aut quilibet laicorum, præfati res ante legis sanctionem invadere audeat. Nam, quod non credimus, si quis contra hanc nostram apostolicam auctoritatem ire tentaverit, sciat se anathematis vinculo innodandum. Data *ut supra.*

A

CLXIV. AD BOSONEM COMITEM.

De incolumi ejus prosperitate gratulatur. se tum eum, tum Angelbergam imperatricem caros habere ostendit. rogat ut Adelberto & illius conjugi Rotildæ bona, quæ in provincia possederant, retinere permittat.

Dilecto filio Bosoni glorioso principi.

QUIA literis nobilitatis vestræ relectis vos incolumes cum optata prosperitate vigere didicimus, plurimum sumus læti effecti: nam in vestræ dilectionis amore apostolica semper cupi-
B mus benignitate manere devoti, & ea quæ vobis utilia, vel proficua esse videntur, alacri dumtaxat mente perficere, nec pro aliquo homine vestram nobis dilectam amicitiam relinquamus: sed pio potius intuitu in omnibus conservare illæsam. De parte autem spiritalis filiæ nostræ Angelbergæ imperatricis carissimæ matris vestræ pro certo scitote, quoniam paterno eam affectu semper dileximus, & quamdiu, auxiliante domino, viximus, diligere nostroque apostolico subsidio adjuvare, utrique magnopere desideramus: nec non & quasi carissimam & spiritalem filiam gloriosius retinere. Porro de vestræ voluntatis actione, quam dicitis exhibere, nos sine dubio in vestra amicitia constantes habebitis. De parte quoque Adelberti gloriosi mar-
C chionis, seu Rotildæ comitissæ conjugis ejus, cognoscat nobilitas vestra, quod vobis in omnibus fideles, & devotos amicos eos esse cognoscimus: ideo rogamus, ut eorum comitata in provincia posita, sicut jam tempore longo tenuerunt, ita deinceps pro nostro amore securiter habeant. Optamus gloriam vestram nunc & semper in Christo manere perpetuam. Data *ut supra.*

CLXV. AD LIUDTEFRIDUM COMITEM, EIUSQUE CONIUGEM.

Excommunicat eos, quia monialem e monasterio rapuerant.

Liudtefrido comiti & conjugi suæ.

QUIA contra divina, & legum præcepta temerarie agere non erubuistis, ita ut calcato
D Dei timore Garelindam sacro velamine tectam, & in monasterio Angelbergæ dilectæ filiæ nostræ imperatricis Augustæ, sub professione regulari diutissime conversatam, quod Placentiæ situm est, abstrahere fraudulentissima suasione ausi fueritis; tam diu te, tuamque conjugem auctoritate sancti Spiritus domini nostri a corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi separamus, & a consortio Christianitatis, donec prædictam feminam Garelindam, loco unde degannastis, restituatis. Quod si hoc neglexeritis, anathematis vos vinculis innodamus. Data *ut supra.*

CLXVI. AD VVIBERTUM EPISCOPUM.

E Arguit eum, quod bis vocatus ad se venire neglexerit. præcipit ut veniat objectis responsurus.

Reverendissimo & sanctissimo VVilberto venerabili episcopo.

IAM enim sanctitati tuæ bis misimus ut ad nos venires, sed ignoramus qua temeritate non obedias: itemque mittimus, ut omnibus tuis posthabitis feriis, ad nos præsentialiter acceleres: quoniam multi supra te reclamant, maxime hic senex, qui

qui ob hoc jam Romam venit pro suo monasterio. Ceterum sapias, si venire distuleris, te excommunicandum, si perseveraris in tua * etiam a communione alienandum. Data *ut supra.*

* *f. deest* obstinatione,

CLXVII. AD BERENGARIUM COMITEM.

Declarat suam in eum benevolentiam. commendat ejus erga Romanam ecclesiam observantiam. rogat ut Stephanum episcopum in tuendis ecclesiæ suæ juribus adjuvet.

Dilecto filio Berengario glorioso comiti.

QUIA præcessores nostros sacros videlicet pontifices imitantes, qui gloriosos progenitores vestros dignis semper honoribus glorificaverunt, vos quasi dilectum & spiritalem filium paterno cupimus affectu diligere, & gloriosum in omnibus retinere. Nam sicut per Demeum eximium ducem, & fidelem nostrum nobis intimando mandastis, quod erga sanctam sedem apostolicam, & nostram paternitatem, vos in omnibus devoti, & obedientes esse deberetis, omnemque nostram voluntatem, quasi filius carissimus adimpleretis, multum fuimus gavisi: sed quia iterum per Petrum venerabilem episcopum, & Ioannem insignem ducem vobis mandavimus, ut adjutores fuissetis Stephano venerabili episcopo, quem nos in Comiaclo prçordinavimus, quatenus vestro auxilio adjutus ecclesiæ suæ jura, & possessiones, atque ipsius curam ducatus retineret securus, & vestro minime audivimus adjutum esse auxilio, valde miramur. Quapropter rogamus nobilitatem tuam, ut tale jam dicto episcopo nostro adjutorium faciatis, per quod suam ecclesiam, & ministerium sibi commissum securiter retinere, atque disponere valeat. Et si forte, quod non credimus, vestra est circa nos voluntas mutata, ut audire nos de hoc non cupiatis; petimus ut pro amore Dei & nostro omnes vestros homines prohibeatis aliquam ibi nostris contrarietatem facere, ut absque illorum impedimento nobis illos liceat secundum nostram possibilitatem castigare veluti rebelles & inobedientes nostræ apostolicæ jussioni, ne censum, quem his annis transactis duobus exinde perdidimus, & istius anni perdamus. Data *ut supra.*

CLXVIII. AD PANDENULFUM COMITEM.

Rogat ut legatis imperatoris per ejus regionem transituris auxilium prestet. condolet de Paganorum in eum incursione. excusat se cur ad eum non eat. hortatur ut sit animo forti, promittitque subsidium.

Dilecto viro Pandenulfo glorioso † comiti.

† *comiti Capuano, ut ex sequenti epistola constat. ejus meminit Leo in chronico Cassinensi lib. I. c. 45.*

MULTIPLICES nobilitati vestræ his nostri præsulatus apicibus gratias agimus, quia vestram devotionem atque dilectionem, quam nostræ voluntatis præceptis parendo alacriter ostendistis, in omnibus sinceram & obedientem fore incunctanter agnoscimus, cum præsentem hunc Græcum imperialis bajuli hominem nostris direxistis obtutibus præsentandum incolumem. Sed quia imperiales missi, ceu in ipsius bajuli reperimus literis, per vos transituri sunt: quatenus ad nostram apostolicam præsentiam veniant, petimus nobilitatem vestram, ut pro nostro amore, & ipsos vestro auxilio munitos, prospero, annuente domino, nobis itinere dirigatis. Quod autem multiplici Paganorum incursione vos gravatos asseritis, condolemus; maxime quia vestri concives circumquaque positi cum eisdem perditionis filiis fœdus inire procurant: quamobrem nostram his vestris in partibus necessario præsentiam præstolamini affuturam. Nos vero sicut jampridem mandavimus, pro communi dumtaxat utilitate atque salute, omni annixu venire magnopere cupimus, quamvis & de assidua corporis incommoditate, & de peracto jam Franciæ itinere adhuc maneamus defessi. Nunc igitur ante prædictorum imperialium missorum adventum illuc properare nequimus: cum vero eorum legationem nobis delatam congruis, Deo propitio, responsionibus utentes audierimus; tunc quid utilius agendum sit, pro viribus agere omnino curabimus. Vos tamen in domino confidentes animo estote constanti, qui non deserit confidentes in se, ut inter ceteros vestros proximos atque vicinos efficaciores ac potiores in omnibus appareatis: quoniam nostro apostolico vos præsidio, prout opportunum fuerit, quasi carissimos filios adjuvabimus. Data *ut supra.*

CLXIX. AD GREGORIUM PRIMICERIUM.

Commendat ejus studium erga ecclesiam & imperatores. significat se ad Constantinopolitanæ ecclesiæ perturbationes sedandas paratum esse. ostendit imperatoris legatos honorifice se excepturum, quos etiam a comite Capuano recipi, & ad se mitti jam antea mandarat.

Dilecto viro Gregorio glorioso primicerio, & imperiali bajulo.

LITERAS tuis, quas nobis per Stephanum candidatum fidelem tuum direxisti, relectis devotionis tuæ sinceritatem & fidem, quam circa ecclesiam Dei, & gloriosissimos imperatores habes Augustos, enucleatius agnoscentes, plurimum collaudamus. Et ideo sacris orationibus nostris, sicut supplici voto postulasti, te domino commendare, ut & a visibilibus & invisibilibus securus, ac victor existas, omnino studemus. Et quia magno imperatori tuo ecclesiam Dei pacificari volenti, nos ut favere debeamus hortaris; id juxta nostri officii magisterium prompta dumtaxat agere voluntate divinitus adjuti curamus: quoniam, dicente apostolo, ecclesiarum Dei omnium nobis solicitudo incumbit. Quapropter more prædecessorum nostrorum pontificum, Constantinopolitanam ecclesiam multiplicibus scandalis nunc perturbatam, prout justum est atque possibile, sedare volumus, & pacem perpetuam stabilire. Præterea legati imperiales, quos ad nostra apostolica fastigia dicis esse directos, si venerint, competenti a nobis recipientur honore, & Augustalem per eos nobis delatam legationem clementer recipiemus; atque ipsius legationis textum, & ordinem cognoscentes, una cum sedis apostolicæ nobis commissæ assensu, quantum fas est, pro ecclesiæ Dei pace imperiali voluntati favere omnino studebimus. Pro quibus etiam missis, Pandenulfo Capuano comiti scripsimus, ut eos venientes recipiat, & pro nostro amore prospero nobis itinere domino annuente, dirigere studeat. Nunc ergo iidem missi præsentialiter Romam venire procurent: quia nos aliis causis impediti, istas in partes modo, sicut dispositum habuimus, properare non possumus. Data *ut supra.*

CLXX.

CLXX. AD THEODOSIUM PATRIARCHAM HIEROSOLYMITANUM.

Excusat tardum legatorum ejus reditum, per quos quædam munera ad eum mittit, rogans ut pro se assidue Deum deprecetur.

Reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Theodosio patriarchæ sanctæ Hierosolymitanæ ecclesiæ.

NOTUM esse volumus sanctitati vestræ quia præsentes monachi vestri, Theodosius videlicet, David, & Saba venientes Romam ad limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli, demorati sunt ibi eo quod nos pro nostræ ecclesiæ causis B & utilitatibus Franciam perrexeramus. At ubi, Deo volente, reversi sumus incolumes, eis ad vestram paternitatem revertendi licentiam dedimus, per quos nimirum, causa caritatis, aliquam licet modicam beati Petri apostoli benedictionem fraternitati vestræ mandavimus. Quam petimus, ut pro Dei, & ipsius apostolorum principis amore, nostraque dilectione benigne recipiatis: quoniam nimia Paganorum oppressione gravati, plura, ut volebamus, dirigere non potuimus. Rogamus præterea sanctam vestram in domino caritatem, ut in sanctis orationibus vestris nostri semper memores existentes, pro nobis preces Iesu Christo domino nostro quotidie fundere alacri animo dignemini C carissime frater. Data VI. Nonas Maii.

CLXXI. AD CAROLOMANNUM REGEM.

Vt in Vercellensi ecclesia Gospertus diaconus constituatur episcopus.

Dilecto ac spiritali filio Carolomanno glorioso regi.

MULTORUM relatione didicimus, quod ecclesia Vercellensis nunc valde turbata, & quotidianis commota scandalis consistat, dum in duas partes populus pro episcopi electione divisus, alii unum, alii vero alterum eligere, habereque contendant & cupiant; electumque enormiter de- D fendere uterque procuret. Sed quia juxta nostri ministerii apostolicum officium & solicitudinem omnium ecclesiarum Dei, nobis in ipso apostolorum principe commissam, juxta canonicam etiam sanctorum patrum regulam dicentem: Si divisio clericorum vel populi extiterit, & de futuri electione pontificis contentio fuerit oborta, nullum ex his duobus in throno episcopali esse aliquatenus consecrandum, sed alterius electionem fieri debere sacerdotis ecclesiæ proprio destitutæ rectore, & ob id perturbatæ, jura pacis ferentes subvenire debemus. Regiam excellentiam vestram rogamus, ut pro amore Dei & sancti Petri, ac nostræ paternitatis dilectione, ipsum Vercellensem episcopatum huic nobilissimo viro Gosperto videlicet venera- E bili diacono, vobis bene cognito, communique fideli nostro ac vestro, quem pro ecclesiasticis utilitatibus in servitium vestrum direximus, placido de præsentia modo tribuatis. Quoniam vere cognoscimus hunc in omnibus tam civilibus, quam etiam ecclesiasticis causis strenuum atque utilissimum fore, nobisque non mediocriter fidelissimum. Quapropter ad vestræ præsentis, & futuræ gloriæ augmentum, hoc vos nobis concedere petimus, hanc primam nostri pontificii justam petitionem vestra regalis alacriter perficiat magnitudo; ut & nos vestram libenti possimus animo perficere voluntatem, carissime fili. quoniam sic veræ dilectio- A nis unanimitate, pioque amoris affectu videbimur manere conjuncti, si nos ea quæ cupitis, apostolica dumtaxat perfecerimus auctoritate; & vos item vestro regali jure nostri desiderii preces audire cum jucunditate procul dubio studueritis. Talem namque progenitores vestros invictissimos imperatores Augustos circa decessores nostros, sanctos videlicet Romanæ sedis antistites, habuisse dilectionem recolimus, ut quidquid ab alterutra parte petebatur, omni postposita occasione mox efficaciter compleretur. Ita vero & nostra nunc pontificalis a Deo conservata majestas, & vestra regia magnitudo, sibimet debent placide favere vicissim. Data *ut supra.*

CLXXII. AD CAROLUM REGEM.

Hortatur ut quamprimum contra infideles & ecclesiæ oppressores auxilio veniat.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

MIRAMUR quia vos sæpius exhortantes ut ad exaltationem sanctæ Dei ecclesiæ, vestrumque honorem, & totius terræ nostræ defensionem venires vocavimus, & hactenus distulisti. Credere namque nobis potestis, quod nimia undique tam Paganorum quam malorum Christianorum persecutione gravati, undique concussi, talia quæ jam a longo tempore patimur, sufferre nequimus: & ideo iterum admonemus, ut toto conamine, sicut vobis mandavimus, procul dubio attendatis. Nam pro certo scire debetis quoniam pro nullius hominis lucro, vel blandimento, sive terrore a vestro nos consortio, & vestræ amicitiæ fœdere separabimus: idcirco tantum viriliter agere ea, quæ nobis ac vobis proficua sunt, nullatenus dubitetis. Sed præstolando vestrum adventum, diuque tardantem putavimus, ne forte Carolomanni gloriosi regis, germani vestri prędicti, aliquo impedimento jam venire nequissetis: unde illi nostram apostolicam direximus epistolam, admonentes, quia si hoc regnum amplius taliter occupatum ac inordinatum, & sine defensione tenuerit, animæ suæ detrimentum omnimodis fiet; nullumque vobis pro ecclesiæ Dei defensione venientibus impedimentum aliquod facere præsumat. Quapropter quod agendum est vestra regalis excellentia agere nullo modo desinat: nam si per vos sancta Romana ecclesia fuerit exaltata, atque defensa, vester honor, & gloria hic, & in futuro sine dubio coram domino multiplicata manebit. Data *ut supra.*

CLXXIII. AD VVIBBODUM EPISCOPUM.

Vt una cum legatis, quos ad Carolomannum mittit, eat, vel aliquem vice sua mittat. arguit, quod bona Angelbergæ diripi non prohibuerit. hortatur ut ea recuperanda curet.

Vvibbodo episcopo.

QUONIAM præ omnibus, qui in his videntur consistere partibus, Deo dilectis sacerdotibus, te utpote carissimum filium, & fratrem unanimem specialius diligimus, & pro tanta tuæ sinceritatis devotione, quam circa nos, & sedem apostolicam habere dignosceris toto mentis affectu amplectimur; & idcirco reverentiam tuam pio nobis amore conjunctam cupimus apostolica semper benignitate fovere, auctoritate fulcire. Nunc igitur dilectioni tuæ notum esse volumus quia pro tot

&

& tantis calamitatibus, quas, ſicut ipſe bene cognoſcis, aſſidue patimur, hos præſentes miſſos noſtros direximus per te quaſi per quoddam oſtium intraturos ſpirituali filio noſtro Carolomanno glorioſo regi, cum quibus ſane, aut ipſe in ſervitium ſancti Petri alacri mente ire, omnemque noſtræ voluntatis cauſam, & neceſſitatem apud eumdem regem perficere ſtudeatis, aut fideliſſimum & idoneum a latere tuo virum dirigas, qui vicem tuam in omnibus ſagaciter poſſit explere. Nam tuo conſilio, & adjutorio... eoſdem legatos noſtros muniaş hortamur, quatenus ſedis apoſtolicæ legationem, prout dignum eſt, & inſtantis temporis neceſſitas exigit, Deo propitio, perficere poſſint. Et quia eos ſine tarditate ire, ac reverti præcipimus, ne ultra tres dies illos penes te retinere procures; ſed habito mox conſilio quatenus ſalvi & ſecuri ad jam dictum regem proficiſcantur, aut nullatenus demorentur. Quod ſi fortaſſe ad Carolomannum pro ejus corporea infirmitate ire non poſſe contigerit, ad Carolum regem ipſius germanum eos quocumq; modo proficiſci facito. Præterea veridico multorum relatu longe lateque reſonante didicimus, quod res & poſſeſſiones dilectæ ac ſpiritualis filiæ noſtræ, & ſancti Petri commendatæ Angelbergæ imperatricis ſint a quibuſdam malefactoribus omnimodis deprędatæ, non ſolum quæ foris extitere in agris & villis, ſed etiam quæ intus per venerabilia, & non violanda loca ſanctorum monaſteriorum repoſitæ fuerant: pro quo ſcilicet tam immani ſcelere, nefandoque piaculo ſanctimoniam tuam merito redarguimus. Quoniam ſacerdotii tui officium eſt, male agentes auctoritate divina corrigere, verbiſque ſalubribus cohibere, ne tacendo tales, proh dolor! imitari potius quam prohibere videaris. Eſt enim ex hoc peſſima fama univerſum diſcurrens per orbem, quod dominam quondam, & imperatricem veſtram, cui veſtram fidem per jusjurandum dediſtis, male tractatis, cui priſtinum honorem, dignamque reverentiam ſemper exhibere debueratis. Nunc itaque pro amore ſancti Petri, ſub cujus ſpeciali defenſione conſiſtit, eam adjuvare non prætermittas, quouſque ſua omnia quæ injuſte perdidit, * poſſit. Data *ut ſupra*.

* f. deeſt recuperare

CLXXIV. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Hortatur ut ad obedientiam Romanæ eccleſiæ, a qua ſeductus receſſerat, cum ſua gente revertatur.

Dilecto filio Michaeli regi Bulgarorum.

QUIA vos omnipotens Deus dono gratuitæ miſericordiæ ſuæ, gentemque veſtram ad cognitionem ſui nominis vocare dignatus eſt, meminiſſe debebatis hoc quod dominus beato Petro apoſtolo dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*: cui vos in primordio Chriſtianitatis veſtræ ad regendum commiſiſtis, ejuſque ſucceſſoribus ad obediendum. Sed neſcio qua ratione ab ejus magiſterio, calliditate quorumdam eſtis abducti, ita ut cum apoſtolo dicamus: *Quis vos faſcinavit ei non obedire, cui dudum colla ſummiſiſtis?* aut illis crediđiſtis, ut pace Gręcorum loquamur, qui quotidie novis, & variis diſciplinis, atque dogmatibus confunduntur? Sed quęſo, fili cariſſime, ad ſanctæ matris veſtræ Romanæ eccleſiæ ſinum, quæ caput eſt, inſtituente Deo, omnium eccleſiarum in toto orbe diffuſarum, relictis ſuperfluitatibus, & ſeductionum ſcandalis; vos gentemque veſtram amore mentis, ſine mora reducite. Quia in tantum vos affectione paterna diligimus, ut in viſceribus Chriſti Ieſu eſſe cupiamus. Et ecce parati ſumus, ut vos lucrifaciamus, & quidquid legatorum noſtrorum offuſcatione nuper offenſum eſt, ad purum corrigere, & omnia maturiſſime redintegrando curare, & ſi contigerit non ſolum compati, & condolere vobiſcum, ſed etiam pro ſalute animarum veſtrarum mori non recuſabimus, dicente Ioanne apoſtolo: *Quoniam Deus pro nobis animam ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere.* Veſtræ tamen dilectioni convenit monitis paternis benigno amore ſemper prębere aſſenſum, & admonitionibus noſtris accommodare auditum: quia ille, cui a domino claves regni cælorum ligandi, atque ſolvendi collatæ ſunt, quotidie & indeſinenter expandit brachia, & vos revertentes ad ſe gratulanter expectat; quatenus vos æterno paſtori reddat compotes æternæ beatitudinis, a quo accepit miniſterio ſui apoſtolatus animas veſtras redimere. Data *ut ſupra*.

Matth. 16. — Galat. 3. — 1. Ioan. 3.

CLXXV. AD CONSILIARIOS MICHAELIS REGIS BULGARORUM.

Ejuſdem argumenti.

Petro, Cerbulæ, & Sundicæ, ceteriſque optimatibus, & conſiliariis dilecti filii noſtri Michaelis regis Bulgarorum.

DENIQUE moneo veſtram omnium dilectionem, ut continuis adhortationibus, atque ſuggeſtionibus dilecto filio noſtro Michaeli glorioſo regi ſeniori veſtro annuntietis, voſque cum eo ad ſinum ſanctæ Romanæ eccleſię, quæ vos æternæ beatitudinis cupit eſſe participes, redeat, ac redeatis; ne diutius quorumdam perverſi dogmatis ſuaſionibus perniciem, ac detrimentum, quod abſit, animæ veſtræ patiamini. quoniam nos in tantum amorem ſuper vos ducimur, ut quidquid juſte, & ſecundum Deum petieritis, a nobis impetrare valeatis, veſtriſque petitionibus irrefragabiliter velimus effectum annuere. Hoc iterum iterumque monemus, & in verbo Chriſti edicimus, ut redire ad nos omnino feſtinetis; quia, ſicut nos peccare timemus ſi vos ad ſinum ſanctæ matris veſtræ non reducimus, ita vos in Deum peccabitis ſi noſtram vocem audire omittatis. Data *ut ſupra*.

CLXXVI. AD SEDESCLAVUM COMITEM.

Præcipit, ut legato, quem ad regem Bulgarorum mittit, iter tutum præbeat, ac neceſſaria ſuppeditet.

Dilecto filio Sedeſclavo glorioſo comiti † Sclavorum.

QUIA fama tuæ dilectionis, atque bonitatis, & religionis in Deum ad nos uſque pervenit, confidenter gloriæ tuæ præcipimus, atque mandamus, ut pro amore ſanctorum apoſtolorum Petri ac Pauli protectorum veſtrorum, præſentem legatum, quem ad gentem Bulgarorum dirigimus, ſalvum atque incolumem venire faciatis uſque ad dilectum filium noſtrum Michaelem glorioſum regem eorum; & quæcumque ei ſunt neceſſaria ad victum & veſtimentum, illi pro Dei amore adminiſtrate, quia dominus dicit in euangelio; *Quamdiu feciſtis uni de minoribus iſtis, mihi feciſtis*: & apoſtolus: *Hoſpitales in invicem ſine murmuratione. Quia per hanc latuerunt quidam angelis hoſpitio ſuſceptis.* Agat, fili cariſſime, de hoc tua dilectio, ut æternæ vitæ præmia percipere valeat. Data *ut ſupra*.

† De Sclavis hiſtoria Miſcellanea lib. 17. in Mauricio l. 19. & 23. Aimoinus lib. 4. c. 26. & 81. Cedrenus in Mauricio, Nicephorus lib. 18. cap. 28.

Matth. 25. — 1. Petr. 4. — Hebr. 13.

CLXXVII.

Excommunicat Anspertum, quia ad synodum vocatus venire contempserat.

ANSPERTUM Mediolanensem archiepiscopum quem Papiæ existentes, & postmodum ad synodum Romæ pro multis ecclesiarum Dei necessitatibus collectam vocavimus, nec per se occurrere, nec excusationem suam secundum sacros canones in tractoria scriptam nobis, & sancto concilio, causa temeritatis, & inobedientiæ dirigere nolentem, virtute sancti Spiritus, & principum apostolorum Petri ac Pauli, nostraque auctoritate, cum consensu sanctæ synodi, corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi privamus, quousque suam nobis præsentiam exhibere procuret. Data *ut supra*.

CLXXVIII. AD GREGORIUM PRIMICERIUM.

Rogat ut legatos Constantinopolitanos ad se mittat. pollicetur, cum Francorum rex Romam venerit, se ad eum auxilio iturum.

Dilecto filio Gregorio primicerio ac bajulo imperiali.

RELIGIONEM tuæ caritatis in Christo, & in ejus ecclesia collaudamus; & ut magis ac magis in bono opere proficias exhortamur. Legatos ab urbe Constantinopolitana ad nos directos, per Beneventum, deinde per Capuam dirige: quoniam jam habemus præordinatum, qualiter, Deo volente, ad nos salvi atque illæsi perveniant. De nostro ad vos adventu, quod tua, fili carissime, dilectio perscrutatur, pro certo deliberatum habuimus; sed rex Francorum ad nos properans suppliciter deposcit, ut ab urbe non discedamus quoquam, donec ipse perveniat. Qui cum, domino protegente, venerit, cum valida manu, prout temporum dictat necessitas, illuc omni mora postposita studebimus omnimodis properare, pro totius sanctæ Dei ecclesiæ, & omnium Christianorum salvatione. Data VI. die Maii, indictione XII.

CLXXIX. AD VVIBBODUM EPISCOPUM.

Vt apud Carolomannum, vel Carolum ejus fratrem, de ecclesia Dei a Paganorum infestationibus defendenda agat: & si archicapellanus Caroli Romam venerit, ipse quoque veniat; sin minus, eorum regum voluntatem sibi literis aperiat.

Reverendissimo VVibbodo episcopo, & dilecto consiliario nostro.

CUM assidue vos quasi carissimum filium in nostro cupiamus habere obsequio, placeret nunc nobis pro instantis temporis multiplicibus causis, vestro sagaci consilio frui: sed quia industriam vestram ea quæ ad honorem sanctæ Dei ecclesiæ, ac nostrum pertinent, semper ubique agere fideli devotione velle, procul dubio credimus, nunc ad nostram apostolicam venire præsentiam non gravamus. Quapropter vestræ innotescimus dilectioni, quoniam assidua & supra modum gravi Paganorum infestatione gravati, cujuslibet regis jam cupissemus habere solatium. Vnde si Carolomannum posse incunctanter agnoscitis, apud illum; sin autem, apud germanum & æquivocum ejus, Carolum videlicet gloriosum regem, causas & utilitates sanctæ sedis apostolicæ prudenti dumtaxat A consilio agere: &, Deo auxiliante, ad perfectum deducere satagatis; quatenus pristinum ejus honorem, atque vigorem ipsius, regia majestas, more videlicet parentum suorum, conservet in omnibus. Præterea si talis archicapellanus jam fati Caroli regis, sicut nobis mandastis, venerit, ad nostraque apostolica vestigia missus properare quæsierit, volumus ut cum eo ad nos pariter veniatis; ut communi tractatu, quid pro ecclesiæ Dei exaltatione agendum sit, pariter consideremus. Sin autem ipse Romam non venerit, eo diligenter inquisito, causas & voluntates, atque devotiones vel Carolomanni, vel ipsius germani jam dicti regis, nobis literis vestris sub omni certitudine præsentialiter innotescatis, ut quid prospere agendum sit, luce clarius B agnoscamus. Hujus quoque textum epistolæ, ut nullus agnoscat, cum legeritis statim igne comburite. Data *ut supra*.

CLXXX.

Scribit se tacitum tenere quod secreto ex ipso audierat, & auxilium, quod promiserat, ab eo omnino expectare: præterea se bene valere.

SECRETUM, quod, Deo auxiliante, vobiscum Trecis existentes habuimus, immutilatum, ac fixum nostro apostolico pectore, quasi quoddam thesaurum reconditum, procul dubio retinemus, & totis, vita comite, nisibus illud, quantum in nobis est, alacriter optamus perficere. Quapropter, si C excellentiæ vestræ libet, jam hoc ipsum ad effectum debetis perducere. Quia juxta sanctum apostolum admonentem: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*: quibus, favente domino, vestra potestis efficaciter desideria explere. Nos enim sponsionem vestram nimium præstolantes, sed usque adhuc minime contemplantes, tristes existimus, eo quod assiduas & supra modum graves Paganorum infestationes omnimodis patiamur: & idcirco pro instanti necessitate alio dirigere, auxiliumque opportunum prætermisimus quærere. Vnde, si placet agere, quod agendum est agite; sin autem, nobis remandare sine mora satagite. Quia vero de salute nostra soliciti gaudetis, vestræ innotescimus magnitudini, quia & prosperum, Christo D duce, revertendo iter habuimus, & nunc corporea sanitate bene valemus. Data *ut supra*.

2. Cor. 6.

CLXXXI. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Arguit eum, quod tertio vocatus ad concilium non venerit. præcipit ut ad synodum celebrandam cum suis episcopis accedat, & cum Francorum regibus, qui in Italiam fuerant ingressi, placitum non faciat. aliter excommunicationem minatur.

Reverendissimo & sanctissimo Ansperto archiepiscopo Mediolanensi.

E MULTÆ inobedientiæ atque perniciosæ temeritatis procul dubio reperiris obnoxius: cum nobis pro ecclesiarum Dei omnium juxta apostolum commissa solicitudine, populique salute, in hoc periculoso tempore, necessitate scilicet nimia agente, strenue decertantibus, nullum, ut oportebat, præbere assensum, nullumque veluti capiti tuo compatiendo, studuisti conferre solatium. Missis etiam apostolatus nostri secundo, ac tertio per fratres, & coepiscopos nostros literis, in consortium solicitudinis nostræ te more præcessorum nostrorum,

nostrorum, utpote idoneum comministrum primum quidem in Gallia, & postmodum Papiæ consistentes canonice vocavimus, sed minime occurrere voluisti. Regulari etiam, & nostra apostolica vocatione jussimus, ut Romam pro tam multiplicibus necessitatibus in commune pertractandis, ac synodice deliberandis negotiis venire absque quolibet obtentu satageres: sed neque secundum canonicam sanctionem, excusationem tuam in tractoria scriptam, nobis & sanctæ synodo per idoneum a latere tuo ministrum dirigere, neque ipse potius venire, improvida dumtaxat mente, curasti: ut una nobiscum, qui vestrum omnium onera portamus, juxta præceptum apostoli, ea portare omni annixu studeres. Pro quibus videlicet tot evidentissimis culpis, & temerariis præsumptionibus a te peractis, una cum veneranda synodo ante sacratissimum beati Petri apostolorum principis corpus habita, secundum immutilatam Africani concilii regulam, te ad concilium nostrum non occurrentem, neque excusationem tuam in tractoria subscribentem, neque justam rationem impedimenti tui apud nos omnium vestrum primatem reddere curantem, omni prorsus ecclesiastica communione, sancti Spiritus auctoritate, privavimus, quousque tuam specialem præsentiam nobis, & sedi apostolicæ exhibere curaveris. Nunc itaque, quoniam constanter tenentes justitiam, benigne debemus semper præbere clementiam, his iterum nostris apostolicis literis dilectioni tuæ præcipimus: ut quia jam ad præfatam synodum non venisti, ad eam quam rursus juxta canonis apostolici capitulum tricesimumquartum, erimus quarto Idus Octobris, auxiliante domino, celebraturi, omni postposita occasione cum suffraganeis episcopis tuis devotus occurras. Vel si aliqua evidenti necessitate te non posse venire claruerit: eximios a latere tuo dirigas viros, qui tunc nobis & sancto concilio idonee faciendo, & causam tuæ impossibilitatis veraciter intiment, & ea, quæ pro ecclesiarum Dei utilitate peragenda sunt, nobiscum sagaciter valeant deliberare. Nam si & hanc quartam nostræ apostolicæ auctoritatis vocationem parvipendens, ad jam denuntiatam synodum ipse venire, vel tuos mittere contempseris; scias pro certo, quoniam majori te judicii ecclesiastici vinculo velut inobedientem incunctanter ligabimus. Præterea hoc etiam tibi, tuisque suffraganeis omnibus admonitione nostra denuntiamus, atque præcipimus, ut cum eo, qui de regibus Francorum, Deo favente, Italiam fuerit ingressus, nullum absque nostro consensu, & unanimitate placitum facere præsumatis; apostolorum canone capituli tricesimiquinti ita jubente atque dicente: Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, & quem velut caput existiment, & nihil amplius præter ejus conscientiam gerant, quam illa sola singuli, quæ parochiæ propriæ, & villis quæ sub ea sunt, competunt: sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid; sic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto. Propter quod & nos vestro communi tractatu, atque consensu, ea quæ ad communem & necessariam utilitatem ecclesiarum Dei nobis commissarum agenda sunt, omnimodis agere cupimus. Non enim aliter, dicente sancto Leone, unus grex & unus pastor sumus, nisi quemadmodum apostolus docet; Id ipsum dicamus omnes: Simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Data XIV. Kalendas Iunii, indictione XII.

Concilium Africanum c. 43. Carthaginense V. c. 10.

1. Cor. 1.

CLXXXII. AD EUMDEM.

Ejusdem pene argumenti.

Ansperto archiepiscopo.

CUM universi, qui Christiano censentur vocabulo, ab ipso religionis exordio, fide & meritis Petri Romanam ecclesiam sublimatam omni veneratione sequi, omnique reverentia honorare studuerint; & contra eam, nisi qui de se voluit judicari, nullus obices manus habuerit; valde miramur, cur adeo vestri ordinis ministerium excedatis, ut cujus auctoritatis, cujusque privilegii eadem sancta sit Romana ecclesia, fuco ignorantiæ non advertatis, & ei quæ vos genuit dolenti, ac injurias patienti, nullo filiorum affectu compati studeatis. Quin potius in contemptum religionis, non solum possibilia adjutoria nobis præbere contemnitis: sed etiam nuper a Galliis remeantibus, ut saltem clamorem & laborem nostrum, quem pro omnibus patiebamur, audiretis & doleretis, apud Ticinum nobis occurrere distulistis, ubi etiam diutius immorantes, ut ad synodum veniretis, vos literis nostris vocavimus. Sed inobedientiæ atque temeritatis audacia freti, nec tunc vestram nobis præsentiam exhibere curastis; postremo generali synodo Romæ præteritis Kalendis Maii celebratæ, a nobis rursum vocati, interesse penitus distulistis. Hujus rei gratia juxta apostolum in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, digna correptione canonicis vocibus vos perferiremus, nisi misericordia apostolicæ sedis nostrum animum temperaret. Vos autem carissimi tanta nostra patientia non abusi, redite ad cor, & deponentes omnem temeritatem, pro communi salute, & pace regni nobis hærete; adeo ut quæ recipimus recipiatis, & quæ respuimus respuatis: ut idipsum dicamus omnes & eadem sapiamus: quia & ego solicitos vos pro communi salute ac statu regni & pace libenter audio, sicut econtra aliud quam tenemus tenentes non libenter admitto. Iam vero quia multoties ad synodum convocati, venire hactenus contempsistis, sicut prætulimus, omni temeritate atque inevitabili occasione deposita, ad aliam synodum, quam gratia divina opitulante, quarto Idus Octobris futuræ tertiædecimæ indictionis, celebraturi sumus, occurrite. Quatenus ea, quæ ad utilitatem sanctæ Dei ecclesiæ pertinent, communi tractatu, communi voto atque consensu, cum domini adjutorio exequamur. Quod si forte & tunc venire contempseritis, sciatis vos, & de præteritis, & de futuris negligentiis canonice judicandos: ita ut ecclesiarum vestrarum communione juxta sacros canones sitis contenti, qui non vultis ecclesiasticis acquiescere disciplinis. Data XIII. Kalendas Iunii, indictione XII.

Concilium Africanum 43. Carthaginense V. c. 10.

CLXXXIII. AD THEODOSIUM ELECTUM EPISCOPUM NONENSEM.

Laudat ejus erga Romanam ecclesiam observantiam, & præclaras ejus virtutes. testatur suam in eum benevolentiam. monet ut a se consecrationem episcopalem accipiat.

Theodosio venerabili diacono, & electo sanctæ ecclesiæ Nonensis.

DILECTIONIS tuæ literis receptis atque perlectis, devotionis & fidei tuæ sinceritatem, quam circa ecclesiam B. Petri apostoli, & circa nostrum pontificium habes, luce clarius agnovimus.

Et quia nostram gratiam & benedictionem humili A prorsus affectu expetere studuisti, valde sumus gavisi. nam & Ioannes venerabilis presbyter de vestra parte veniens, multa nobis tuæ bonitatis, & patientiæ viva voce præconia retulit, quæ in sacerdote Christi magnopere sunt habenda. Vnde te quasi dilectum corporis Christi membrum & spiritalem filium nostri apostolatus ulnis extensis amplectimur, paternoque amore diligimus, atque apostolica semper volumus benignitate fovere. Ideo monemus sagacitatem tuam, ne in quamlibet partem aliam declines,& contra sacra venerabilium patrum instituta episcopatus gratiam recipere quæras; audiens illam desiderabilem summi judicis vocem

Matth. 25. dicentis: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca* B *fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium domini tui.* Sed toto corde, totaque voluntate ad gremium sedis apostolicæ, unde antecessores tui divinæ legis dogmata melliflua, cum sacræ institutionis forma, summique sacerdotii honorem sumpserunt, redeas: quatenus & ipse ab apostolica sede, quæ caput & magistra est omnium ecclesiarum Dei, episcopalem consecrationem per nostræ manus impositionem, Christo annuente, percipias: quatenus secundum pristinum morem sancti Petri & nostra semper auctoritate atque tuitione munitus, populum domini tibi commissum strenue ac securiter regas, & in conspectu altissimi veniens venias cum exultatione, portans manipulos tuos, dicereque domino possis ovanter: Ecce ego, & C pueri, quos mihi dedisti; & ob hoc cum Deo valeas sine fine gaudere. Data IV. die mensis Iunii, indictione XII.

CLXXXIV. AD BRANIMIRUM.

Suscipit eum ad Romanæ ecclesiæ gremium redeuntem. monet ut in Dei amore perseveret. impartitur benedictionem apostolicam, quam petierat. hortatur, ut permittat legatum suum epistolam Bulgarorum deferre.

Dilecto filio Branimir.

RELEGENTES nobilitatis tuæ literas, quas per Ioannem venerabilem presbyterum communem fidelem nobis mandasti, quantam fidem & sinceram devotionem circa ecclesiam sanctorum D apostolorum Petri, ac Pauli, ac circa nos habeas, luce clarius novimus. Et quia, Deo favente, quasi dilectus filius sancto Petro, & nobis, qui per divinam gratiam vicem ejus tenemus, fidelis in omnibus, & obediens esse cupias, humiliter profiteris; tuæ nobilitati dignas valde gratias his nostri apostolatus literis agimus, paternoque amore, utpote carissimum filium, ad gremium sanctæ sedis apostolicæ matris tuæ, de cujus videlicet purissimo fonte patres tui melliflua sanctæ prædicationis potavere fluenta, redeuntem suscipimus, & spiritalibus amplectimur ulnis, atque apostolica volumus benignitate fovere; ut gratiam, benedictionem Dei sanctorumque Petri, ac Pauli apostolorum principum, & nostram super te habens diffusam, a visibilibus, & invisibilibus hostibus, qui saluti humanæ insidiari, & impedire non cessant, salvus semper, ac securus existas, optatamque de inimicis victoriam facilius possis habere. Nam quanto ipse te Deo humiliter subdere, sanctisque ipsius obedire præceptis studueris, atque ipsius sacerdotibus & ministris honorem debitum pro amore domini exhibueris; tanto super omnes inimicos tuos & rebelles adversarios eris procul dubio victor & potens.

Et ideo monemus industriam tuam, ut in omnibus tuis actibus Deum semper præ oculis habeas, timeas, & toto diligas corde, quoniam dicente psalmista: *Beatus est vir qui timet dominum, in mandatis* Psal. III. *ejus cupit nimis: potens in terra erit semen ejus.* Et ipse Ioan. 14. in euangelio: *Qui me, inquit, diligit, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quod cum ita sit, si tuis bonis operibus in præsenti lucentibus Deum glorificaveris, gloria eris sempiterna in futuro sine dubio decoratus: quoniam ipse per Moysen hoc se facere testatur, dicens: *Glorificantes* 1. Reg. 2. *me glorificabo.* Sicut autem nostro præsulatui per jam fatum presbyterum tria suggessisti: quatenus nostro tibi ore apostolico benediceremus pro tuæ salutis augmento, id ipsum libenter fecimus. Nam in die ascensionis domini inter sacra missarum solennia super sacrum altare S. Petri apostoli celebrantes, elevatis sursum manibus benediximus tibi, & omni populo tuo, omnique terræ tuæ, ut hic & in æternum corpore simul & anima salvatus, & principatum terrenum, quem habes, prospere ac securiter regere possis, & in cælesti regione post mortem cum Deo feliciter gaudeas, & in perpetuum regnes. Et quia hunc ipsum Ioannem presbyterum tibi & nobis verum fidelem in omnibus esse cognoscimus, dedimus illi nostram apostolicam epistolam deferendam regi Bulgarorum. Ideo petimus, ut pro amore sancti Petri, & nostro, cum tua ipse licentia legationem hanc nostram sine tarditate perficiat, ut & propter hoc tuæ dilectioni multiplices gratias habeamus. Data VII. die mensis Iunii, indictione XII.

CLXXXV. AD SACERDOTES ET POPULOS BRANIMIRO SUBJECTOS.

Excipit eos ad Romanæ ecclesiæ gremium redeuntes. monet ut perseverent.

Omnibus venerabilibus sacerdotibus, & universo populo.

CUM literas principis vestri Branimir, quas nobis per Ioannem venerabilem presbyterum ipse direxit, legeremus, non solum illius devotionem, sed etiam fidei vestræ sinceritatem & dilectionem, quam circa sanctum Petrum apostolorum principem, & circa nos habetis, cognovimus. Et quia velut carissimi filii ad sanctam Romanam ecclesiam, unde parentes vestros melliflua sanctæ prædicationis dogmata suscepisse agnoscitis, toto animo, totaque voluntate redire cupiatis, nostram apostolicam gratiam & benedictionem habere magnopere desiderantes, magna sumus repleti lætitia. Et ideo brachiis extensis vos amplectimur, paternoque amore recipimus, & apostolica volumus semper benignitate fovere, si vos hanc voluntatem,& sponsionem vestram usque ad finem sinceriter habueritis, & fideliter tenueritis: quia, dicente domino, *qui perseveraverit usque in finem, hic* Matth 10. *salvus erit.* & apostolo id ipsum dicente: participes Hebr. 3. E enim Christi facti estis, si tamen initium fidei usque ad finem firmum retineatis. Quapropter estote fideles Deo,& sancto Petro, sicut mandastis, usque ad mortem, & accipietis coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nos enim sacris orationibus nostris memoriam vestri coram domino assidue facientes, manibus sursum ad dominum elevatis, omnipotenti Deo vos una cum dilecto filio nostro principe vestro commendamus, & omni benedictione spiritali vobis benedicimus in Christo Iesu domino nostro, ut hic & in æternum corpore simul

simul & anima benedicti existatis, & in perpetuum domino gaudeatis. Data VII. die mensis Iunii, indictione XII.

CLXXXVI. AD CAROLOMANNUM REGEM.

Hortatur ad ecclesiæ Romanæ defensionem; quæ a Sarracenis multis afficiebatur detrimentis. rogat ut legatos benigne excipiat, & fidem illis adhibeat.

Dilectissimo ac spiritali filio Carolomanno gloriosissimo regi.

QUIA more prædecessorum nostrorum pontificum regiam excellentiam divinitus exaltatam pio mentis affectu diligimus, ad honorem & exaltationem sanctæ Dei ecclesiæ eam sitibundo pectore videre desideramus: quatenus vestræ magnitudinis triumphali certamine sedis apostolicæ vigor, & honor, quem progenitorum vestrorum, gloriosissimorum videlicet imperatorum tempore habuisse recolimus, vobis regnantibus maneat illibatus & integer, ut & vestræ regalis gloriæ decus vigeat indiminutum, & æternæ mercedis vobis munus superna gratia tribuatur. Nunc igitur pro tot & tantis calamitatibus ac necessitatibus, quas a Paganis assidue, atque a malis patimur Christianis, licet pro multitudine scribere non valeamus, & vestram excellentiam ignorare non credamus; pastorali solicitudine moti, ponentes animas nostras in manibus nostris, ingentes labores non solum marini, sed itineris etiam terreni omnimodis sumpsimus. Testamur namque Deum, cui occulta omnium manifesta existunt, quod vestro desiderabili honore, nullius hominis, nisi vestrum præpotens adjutorium avida mente quærere voluimus: sed malorum hominum, quos ipsi scitis præpediti insidiis, hoc agere non valuimus. Quapropter dilectissime fili nostra apostolica exhortatione monemus gloriam vestram, ut pro amore sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ defensionis laborem indubitanter assumere non prætermittatis: unde vobis honor & salus hic & in æternum accrescat. Et ideo petimus, ut pro Dei, & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli amore nostris apostolicis monitis toto conamine attendatis: quatenus aut per vos, aut per saluberrimum consilium vestrum citius nobis subvenire omnimodo satagatis. Quoniam tanta istius terræ perditione undique aggravati, undique concussi talia jam sufferre minime valemus. Nam si, quod absit, per vos forte remanserit. ut ecclesia Dei in præsenti defensionem non habeat, & taliter turbata consistat; videte ne ante tribunal Christi, & coram apostolorum principum præsentia, vestræ animæ patiamini detrimentum: quia nos paterna vos admonitione hortantes, secundum ministerii nostri officium ea, quæ Dei sunt, & saluti vestræ proficua, agere incunctanter convenimus. Misimus autem ad vos præsentes missos nostros Ioannem & Paschalem venerabiles episcopos dilectos fideles nostros, quos petimus ut pro nostro amore benigne recipiatis, & eis locum familiaritatis tribuatis, atque ea, quæ vobis de nostra parte dixerint, libentissime attendatis. Data VII. die mensis Iunii, indictione XII.

CLXXXVII. AD EUMDEM.

Ut in Vercellensi ecclesia Conspertus creetur episcopus.

Dilecto ac spiritali filio Carolomanno glorioso regi.

MISIMUS cum his præsentibus missis nostris hunc venerabilem diaconum nomine Conspertum, vobis, ut credimus, notum, in servitium magnitudinis vestræ: quem petimus, ut pro nostro amore benigne recipiatis; & quia nobis ac vobis fidelis existit, rogamus excellentiam vestram, ut episcopatum Vercellensis ecclesiæ placido animo tribuatis. quatenus, Deo auxiliante, per nostram, ac vestram munificentiam episcopali dumtaxat honore potitus, nobis omnibus existere devotior, atque fidelior possit. Data VII. die mensis Iunii, indictione XII.

CLXXXVIII. AD ANSELMUM EPISCOPUM LEMOVICENSEM.

Non separandum virum ab uxore, qui filium suum necessitate urgente baptizavit.

Anselmo episcopo Lemovicinæ ecclesiæ.

AD limina beatorum Petri & Pauli apostolorum principum hic præsens homo, nomine Stephanus, orationis causa veniens, nostro præsulatui suggerendo innotuit, quod filium suum in extremo vitæ positum, nec baptismatis unda lotum, absentia scilicet sacerdotum necessitate cogente baptizasset, eumque ipse propriis manibus retinendo suscepisset, atque pro hujus rei negotio notitiæ tuæ patefacto, reverentia tua, quasi zelo rectitudinis flagrans, præfatum hominem a sua judicaverit conjuge separandum. Quod fieri nullatenus debet, dicente scriptura a Deo junctam viro esse uxorem, &, *quod Deus conjunxit homo non separet.* Unde & dominus in euangelio neminem posse dimittere uxorem suam, nisi causa fornicationis apertissime jubet. Quapropter & nos, tantæ auctoritatis jussione præcipue freti, dicimus omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Nam baptizandi hoc opus etiam laicis fidelibus, juxta canonicam sanctionem, si necesse fuerit, facere libere conceditur. Unde si prædictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam morte perpetua pereuntem dimitteret, sacri baptismatis unda lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi jam regeneratum indubitanter mitteret, bene fecisse laudatur. Et idcirco cum sua uxore sibi jam olim legitime sociata impune, quamdiu vixerint, judicamus manere conjunctum, nec ob hoc contra præfatas auctoritates divinas aliquatenus separari debere. Data VII. die mensis Iunii, ind. XII.

30. quæst. I. Ad limina. Prov 19. juxta 70. Matth. 19.

CLXXXIX. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Agit Deo gratias, quod legatos ad se miserit, doctrinam ecclesiasticam & canonica instituta recepturus. hortatur ut ad Romanam ecclesiam redeat. & si ei placuerit, se legatum missurum pollicetur.

Dilecto ac spiritali filio Michaeli glorioso regi Bulgarorum.

QUANTÆ pietatis & miserationis suæ largitate vos omnipotens Deus dilexerit, narrare quis sufficiat carissime fili? Quando per infusionem sancti Spiritus sui in cor vestrum unigenitum Filium suum, per quem omnia visibilia & invisibilia condidit, vobis clementer revelare dignatus est;

 men-

mentemque vestram claritatis suæ lumine irradiare, & de tenebris ad veram voluit perducere lucem, veræque fidei dogmate suo docere. Ipsius etiam gratia vobis revelante, ad sedem beati Petri apostolorum principis, quæ caput, & magistra omnium ecclesiarum Dei existit, & a qua omnes reges & principes verbum veritatis acceperunt, legatos vestros, Petrum scilicet cognatum vestrum, & Joannem atque Martinum, prædecessoris domni nostri Nicolai beatissimi præsulis tempore direxistis, ut & vos inde doctrinam ecclesiasticam atque canonica instituta reciperetis, ubi totius ecclesiæ Christus posuit principatum: quod nimirum, secundum vestram voluntatem, ab eadem sancta Romana ecclesia promeruistis. Nunc igitur vos, quasi propriam gregis dominici ovem nobis in ipso apostolorum principe commissam, utpote carissimum filium nostrum his nostri apostolatus literis visitamus, & nostris apostolicis spiritualiter amplectimur ulnis; assidue vos cum omni populo vestro sacris orationibus nostris domino commendantes, ut ipse, qui vobis gloriosum in terris tribuit principatum, tribuat & post mortem cæleste regnum, & gloriam sempiternam. Quapropter monemus gloriam vestram, ut ad sanctam matrem vestram Romanam ecclesiam devota mente, libentique animo redeatis; ut apostolorum sanctorum precibus adjuti tam visibiles inimicos * facile superare possitis. & quia vos, ut prædictum est, multum diligimus, nostrum ad vos volumus cum sedis apostolicæ visitatione dirigere legatum, visitareque vos, sicut pastor visitat gregem domini sui sibi commissum: si tamen cognoverimus voluntatem vestram, quod nostram cupiatis recipere legationem, & apostolicam visitationem. Quod si volueritis, per hunc Ioannem venerabilem presbyterum fidelem nostrum, nobis sub certitudine literarum vestrarum remandare curate dilectissime, atque amantissime fili. Omnipotens Deus; qui vobis viam veritatis ostendit, & lumine suæ claritatis cor vestrum illustrare dignatus est, nunc & semper cum omni prosperitate & salute vos conservare dignetur incolumem. Data VI. Idus Iunias, indictione XII.

* f. deest quam invisibiles

CXC. AD SALONITANOS CLERICOS.

Monet ut ad gremium Romanæ ecclesiæ revertantur; & electus ab eis archiepiscopus consecrationem & pallium a se, & non ab alio accipiat, utque legato quædam verbis relaturo fidem adhibeant.

Reverendissimis & sanctissimis episcopis Vitali Adransi, Dominico Absorensi, ceterisque episcopis Dalmatinis, seu Ioanni archipresbytero sanctæ sedis Salonitanæ, omnibusque sacerdotibus & senioribus populi habitatoribus Spalatensis civitatis, atque Zadarensis, ceterarumque civitatum.

PASTORALI solicitudine moti, vos quasi oves dominicas nobis in beato Petro apostolorum principe commissas dicente domino: *Si diligis me Simon Petre? Pasce oves meas*; licet pro assidua gentium persecutione nunc usque impediti, his modo apostolatus nostri literis visitare curavimus, admonentes fraternitatem vestram, ut more præcessorum vestrorum, ad sedem beati Petri apostoli, quæ caput & magistra est omnium ecclesiarum Dei, & ad nos, qui ei divinitus præsidemus, toto animo, libentique voluntate reverti studeatis: quatenus inde summi honorem sacerdotii, & totius in- A stitutionis ecclesiasticæ formam sumatis, unde parentes, ac præcessores vestros mellifluа sanctæ prædicationis & doctrinæ apostolicæ potasse fluenta recolitis. Reminisci namque debetis, quanta eosdem præcessores vestros prospera evidentissimè comitabantur, quando ad limina Petri cælestis regni clavigeri devoto pectore, quasi proprii filii confluebant; & quanta postmodum nunc usque sustinueritis adversa, cum ab ea vos quasi alienos separare non dubitastis. Quapropter vos plurimum diligentes, non ea quæ vestra, sed vos quærentes, paterna benignitate monemus, atque hortamur, ut, sicut diximus, ad gremium sanctæ Romanæ matris vestræ redire ovanter attendatis, ut electus a vobis canonice archiepiscopus una cum vestro B omnium consensu, & voluntate ad nos veniens gratiam episcopalis consecrationis, sacrumque pallium a nobis more pristino incunctanter percipiat; ut gratiam & benedictionem sancti Petri, ac nostram habentes, a malis omnibus liberi, & bonis universis repleti, & hic in præsenti sæculo gaudeatis, & in futuro cum domino sine fine procul dubio exulteris. Porro si aliquid de parte Græcorum vel Sclavorum super vestra ad nos reversione, vel consecratione aut de pallii perceptione dubitatis; scitote pro certo, quoniam nos secundum sanctorum patrum, decessorumque nostrorum pontificum statuta, vos adjuvare auctoritate curabimus. Quod si forte hanc nostram apostolicam admonitionem, imo canonicam præceptionem, pro nihilo ducen- C tes ad sedem apostolicam Romanæ ecclesiæ redire, & inde secundum antiquam normam, consecrationem episcopalem sacrumque pallium recipere contempseritis, omni ecclesiastica vos communione scitote penitus excommunicandos. Interim tamen auctoritate Dei, & sancti Petri vobis præcipimus, ut non habeatis licentiam aliunde consecrationem, palliumque recipere, Nam si feceritis, quasi transgressores, & inobedientes vos sine dubio judicabimus. Hanc autem nostri apostolatus epistolam fraternitati vestræ per hunc præsentem Ioannem venerabilem presbyterum fidelem familiarem nostrum direximus, cui scilicet aliqua injunximus vobis verbo tenus referenda: & ideo illi omnia quæ de parte nostra dixerit vobis, credere D nullatenus dubitetis. Ipsamque epistolam, ut ad omnium vestrum notitiam ferant, bulla nostra jussimus in calce signari. Data X. die mensis Iunii, indictione XII.

CXCI. AD TRES ARCHIEPISCOPOS.

Ut Nemausensem episcopum a monasterii cujusdam iniqua invasione removeant, & si non paruerit, excommunicent.

Rostagno archiepiscopo Arelatensi, Sigibodo archiepiscopo Narbonensi, Rotberto archiepiscopo Aquensi, a paribus.

E

VERACIUM relatione comperimus, Gibertum Nemausensem venerabilem episcopum, quod quoddam monasterium nostrum, quod super eumdem episcopum acquisivimus, ipse Gibertus temere invaserit, omnesque res ipsius monasterii per suos homines distribuerit, & illius monachos inde contra sacras regulas omnino expulerit. Quod tantum nobis displicuit, quantum sicut ipse nobiscum advertis, calcata reverentia venerandorum canonum, contra privilegium apostolicæ sedis eum fecisse non ambigis. Quapropter fraternitati tuæ dirigimus, ut vice nostra cum confratribus & coepiscopis

Ioan. 21.

episcopis nostris junctus, eumdem Nemausensem episcopum ad commune colloquium convocetis, & ex auctoritate nostra conveniatis, ut ab omni invasione ipsius monasterii tam se quam suos removeat, & ulterius nec res ejus, nec monachos illic domino famulantes molestare præsumat. Quod si ipse surda aure, quod absit, per vos monita nostra audierit, tunc ex auctoritate beati Petri apostoli cui idem monasterium pertinet, simul & nostra, illum a ministerio sacerdotali excommunicando suspende, quousque dum aut ab ipsa invasione se subtrahat, aut ad sedem apostolicam, vel ad nostram præsentiam nobis satisfacturus occurrat. Agat in his sanctimonia tua sicut illam agere decet, ut B & nos Deo laudes, & tibi gratias referamus. Data XVIII. Kalendas Iulias, indictione XII.

CXCII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

De legatione ac muneribus missis gratias agit. dolet eum defecisse ab ecclesia Romana, ad quam monet ut revertatur. ostendit Græcos Bulgarorum diœcesin, cum sit Romani pontificis, contra canones detinere.

Dilecto ac spiritali filio Michaeli glorioso regi Bulgarorum.

MULTAS regiæ excellentiæ vestræ gratias C agimus, quia sicut carissimus filius divino repletus amore paternitatem nostram per Functicum eximium fidelem vestrum visitare, missisque donis honorare curasti; per quem tuæ salutis incolumitatem, omniumque fidelium tuorum audientes prosperitatem, valde sumus gavisi. Nos autem, & nostris assiduis precibus ante sacratissimum beati Petri apostolorum principis corpus adstantes, & te, & omnes principes tuos, omnemque populum tuum Iesu Christo domino semper commendare studemus, & benedicimus tibi, & omni populo tuo, omnique regno tuo, ut & a visibilibus, & invisibilibus hostibus liberatus, Deique auxilio adjutus, inimicorum tuorum semper victor existas, D & ad palmam supernæ vocationis gloriosus pertingas. Vt ipse, qui gratiæ suæ largitate & regnum tibi terrenum concessit, & illuminando oculos mentis tuæ viam veritatis ostendit, & de tenebris ad veram lucem perduxit, usque ad finem in eadem sancta fide, & bonis operibus perseverantes salvos & incolumes dignetur perducere, ut post finem præsentis vitæ, per intercessiones sanctorum apostolorum Petri & Pauli, regnum valeas cæleste percipere; in quo illa omnia bona, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, cum sanctis omnibus simul accipias, quæ diligentibus se, ab origine mundi præparavit omnipotens dominus. Sed non modica nos tristitia, o fili carissime replevisti, quia sedem beati E Petri cælestis regni clavigeri, qui tibi in manifesta visione apparuit, & opportunum auxilium præbuit, reliquisti; cum ipsa sedes caput, & magistra sit omnium ecclesiarum Dei, ad cujus auctorem
Ioan. 21. beatum Petrum a domino dictum est: *Pasce oves meas*, & cui traditæ sunt claves regni cælorum, ut
Matth. 16. quæcumque ligaverit super terram, ligata maneant & in cælis: & quæcumque solverit super terram, sint soluta & in cælis. Revertere jam fili amantissime ad sanctam matrem tuam Romanam ecclesiam, quæ te religioso utero genuit, & per quam totius religionis, & justitiæ formam sancto prædecessore nostro Nicolao præsule mittente, suscepisti: & quę A omnium gentium retinet principatum, & ad quam totius mundi, quasi ad unam matrem, & unum caput, conveniunt nationes. Noli amplius deserere matrem tuam, quia illa tui non obliviscitur: quin potius quasi unicum diligit, & semper memoriam tui coram domino facit. Non enim licitum fuit Græcis alterius parochiam usurpare, sanctis hoc patribus apertissime prohibentibus. Et idcirco ipsi contra canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, nostras retinent diœceses. Quos si pro tuo nobis non esset amore, jam per apostolicę sedis sententiam inde compellere emus exire. Data *ut supra*.

CXCIII. AD ANASTASIUM ABBATEM.

Pręcipit ut cellulam Gauderico episcopo reddat.

Anastasio religioso abbati.

MONEMUS religionem tuam, & expresse præcipimus, ut omni remota occasione, & dilationis inventione cellulam sancti Valentini in Sabinis positam, quam a Gauderico venerabili episcopo abstulisti, ei continuo reddas, usque in nostram præsentiam, ut nec suum laborem perdat, nec pro eo, quod ex hinc nos adiit, sibi obesse, quin potius prodesse cognoscat: quod etiam tibi faciendum per pręsentem cubicularium nostrum mandamus, ut aliter nullo modo facias: cum autem te nobis exhibueris, si merito sua negligentia fortasse ipsam cellulam amisit, nos eum contra justitiam defendere nolumus; sicut nec illum innocentem perpeti damna permittimus. Data *ut supra*.

CXCIV. AD TUVENTARUM DE MARAUNA.

Hortatur, ut omnem falsam doctrinam rejiciens in Romanæ ecclesiæ fide maneat. miratur Methodium aliter, quam fuerat professus, docere: & propterea a se vocatum fuisse significat.

Tuventaro de Marauna.

SCIRE volumus, quia nos qui per Dei gratiam beati Petri apostolorum principis vicem tenemus, pio amore vos quasi carissimos filios amplectimur, & paterna dilectione amamus; nostrisque assiduis precibus vos omnes Iesu Christo domino commendamus, orantes semper pro vobis, ut Deus omnipotens, qui corda vestra illuminavit, & ad viam veritatis perduxit, in bonis operibus confirmet, & usque ad finem in recta fide bonaque actione decoratos vos, atque incolumes dignetur perducere. Quod autem, sicut Ioanne presbytero vestro, quem nobis misistis, referente didicimus, in recta fide dubitetis; monemus dilectionem vestram, ut sic teneatis, sic credatis, sicut sancta Romana ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit, tenuit, & usque in finem sæculi tenebit, atque per totum mundum quotidie sanctæ fidei verba rectęque prædicationis semina mittit, & sicut antecessores nostros sanctos videlicet sedis apostolicę præsules, parentes vestros ab initio docuisse cognoscitis. Si autem aliquis vobis, vel episcopus vester, vel quilibet sacerdos aliter annuntiare aut prędicare præsumpserit, zelo Dei accensi omnes uno animo, unaque voluntate doctrinam falsam abjicite, stantes & tenentes traditionem sedis apostolicæ. Quia vero audivimus, quia Methodius vester archiepiscopus ab antecessore nostro Hadriano scilicet papa ordinatus, vobisque directus, aliter doceat,

doceat, quam coram sede apostolica se credere verbis & literis professus est valde miramur: tamen propter hoc direximus illi, ut absque omni occasione ad nos venire procuret; quatenus ex ore ejus audiamus, utrum sic teneat & credat, sicut promisit, aut non. Data *ut supra*.

CXCV. AD METHODIVM ARCHIEPISCOPVM PANNONIENSEM.

Præcipit ut ad se veniat, ut de ejus doctrina cognoscere possit. Missas Sclavonica lingua celebrari prohibet.

Reverendissimo Methodio archiepiscopo Pannoniensis ecclesiæ.

PRÆDICATIONIS tuæ doctrinis populum domini tibi quasi spiritali pastori commissum salvare instruereque cum debeas, audivimus, quod non ea, quæ sancta Romana ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit, & quotidie prædicat, tu docendo doceas, & ipsum populum in errorem mittas. Vnde his apostolatus nostri literis tibi jubemus, ut omni occasione postposita, ad nos de præsenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus, & cognoscamus utrum sic teneas, & sic prædices, sicut verbis & literis te sanctæ Romanæ ecclesiæ credere promisisti, aut non; ut veraciter cognoscamus doctrinam tuam. Audimus etiam quod missas cantes in barbara, hoc est, in Sclavina lingua; unde jam literis nostris per Paulum episcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua sacra missarum solennia celebrares; sed vel in Latina, vel in Græca lingua, sicut ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa, & in omnibus gentibus dilatata cantat. Prædicare vero, aut sermonem in populo facere tibi licet, quoniam psalmista omnes admonet dominum gentes laudare, & apostolus: *Omnis* inquit, *lingua confiteatur, quia dominus Iesus in gloria est Dei Patris.* Data *ut supra*.

Psal. 116. *Philip. 2.*

CXCVI. AD ANSPERTVM ARCHIEPISCOPVM MEDIOLANENSEM.

Arguit quod sedi apostolicæ obediens non fuerit, ejusque legatos injuriose tractarit, & excommunicatus missas celebrarit. Ideo monet, ut ad synodum se purgaturus quamprimum vel per se, vel per legatos accedat.

Ansperto archiepiscopo Mediolanensi.

TANTIS, heu proh dolor! transgressionibus inveniris obnoxius, quantis nullus de ecclesia Mediolanensi aliquo modo est inventus: in primis quod nostri operis, atque laboris noluisti socius esse ac particeps, sed apostolicæ sedi proterve, inobedienter, ac procaciter resultasti; deinde legatos nostros Ioannem Ticinensem, & Vualpertum Portuensem episcopos e latere nostro ad te directos non suscipiens, præ foribus portæ diu tibi nostræ commonitionis verba facientes, quatenus nobis, aut per te, aut per legatum tuum, tuam more prædecessorum tuorum condignam obedientiam exhibere debuisses, irreverenter stare fecisti; nullamque illis reverentiam, vel auditum accommodare dignatus es: sed sicut aspis surda contra caritatis affectum viscera cordis & aures valide obturasti. Pro quibus, & his similibus te tamdiu communione privavimus, missarumque celebratione, donec nobis occurreres*, & aut per te, aut per vicarium tuum cuncta errata corrigeres, & sic te demum personaliter in nostrum consortium admitteremus. Sed in despectum, & injuriam paternorum canonum excommunicatus a nobis, sacrum ministerium agere, missamque celebrare præsumpsisti; de quo solicite voluimus parcere tuæ senectuti perquirentes: sed adeo verum esse deprehendimus, ut * præsentium videtur, videlicet presbyter lator non fuerit ausus coram collegio coepiscoporum pro vobis hoc satisfacere. Quapropter, quia domino auxiliante, secundum statuta canonum circa autumni tempus synodum sumus celebraturi, ad quam te volumus omni occasione postposita sine mora venire, aut legatos dirigere: & dum, Christo opitulante, perpetrata transgressionis purgaveris, te in communionem omnimodis recipiemus. Data *ut supra*.

Nicæn. c. 5.

CXCVII. AD LVDOVICVM REGEM.

Gratias agit de propensa voluntate erga Romanam ecclesiam. hortatur ut ad eam a Paganorum incursionibus defendendam veniat; eique tacite imperium pollicetur.

Dilecto ac spirituali filio Ludovico glorioso regi.

VESTRÆ regiæ serenitatis mellifluis relectis apicibus, quos per Astaldum insignem comitem vestrum nobis mandastis, quantam devotionem, ac sincerissimam voluntatem exaltandi & defendendi ecclesiam Dei, more videlicet parentum vestrorum gloriosissimorum imperatorum habeatis, luce clarius novimus. Vnde valde gavisi existentes, maximas excellentiæ vestræ agimus gratias, quia nobis inter tot angustias, & persecutiones, quas a Paganis assidue supra modum patimur, vestræ invictæ potentiæ auxilium, defensionisque solatium pia dumtaxat animi devotione conferre omnimodis cupiatis. Ideo fili carissime, nostræ apostolicæ admonitioni aurem clementiæ vestræ ut accommodetis, obnixe precamur, ut citius nobis vestro potenti brachio subvenire studeatis: quatenus sanctam Dei ecclesiam in magna nunc fluctuatione positam, ad portum salutis, & tranquillitatis efficaciter perducatis, & terram perditam per vos, Deo propitio, ad pristinam revocetis incolumitatem, ut ex hoc, & apud omnipotentem dominum dignam valeatis mercedem recipere, & in præsenti sæculo laudabile nomen omnimodo acquiratis. Quapropter scitote pro certo, quia nullus parentum vestrorum tantam gloriam, & exaltationem a præcessoribus nostris percepit, quantam nos vobis, si veneritis, totis multipliciter viribus desideramus impendere. Porro de hoc, quod mandastis, ut pro eventu regni Ludovici piæ memoriæ nepotis vestri præpediti existatis, pro multo, quod circa vos videndi desiderium habemus, turbati manemus; sed vestra sibi benignitate petimus, ut omni cura remota, pro amore Dei & sanctorum apostolorum Petri, & Pauli, nostræ petitionis solicitudinem pio pectore vestro alacriter assumatis: ut sicut sedes apostolica, quæ caput est omnium ecclesiarum Dei, vos magno desiderio, quasi unicum & carissimum filium præstolatur, vestra speciali visione celeriter perfruatur: quoniam si, Deo favente, Romanum sumpseritis imperium, omnia regna subjecta existet. Nam si pleniter sciretis quanta nos undique mala, quæ pro multitudine scribere nequivimus opprimunt, & affligunt; tantum in vestra cognoscimus sapientia, quod per vestram magnitudinem jam maneremus defensi. Deus te incolumem custodiat carissime fili. Data *ut supra*.

CXCVIII.

CXCVIII. AD AIRARDUM ARCHIEPISCOPUM AUSCENSEM, ejusque suffraganeos.

Hortatur ad depravatos populi mores corrigendos, præcipue incesta matrimonia. ne quis relicta uxore aliam ducat, aut simul cum uxore concubinam habeat, ut res immobiles ecclesiæ nemo sibi usurpet, & ut clerici sub episcopi sint potestate.

Reverentissimis & sanctissimis, Airardo archiepiscopo, & Involato Convenensi, Vvainardo Conserano, Sarstono Bigorrensi episcopis.

MULTAS prævaricationes contra totius Christianitatis religionem, atque sanctorum patrum venerabiles sanctiones, his vestris in partibus a pravis fieri Christianis veridica multorum relatione didicimus. Quos vero nec piæ admonitionis vestræ blandimento, nec debitæ excommunicationis vinculo, nec etiam apostolicæ constitutionis verbo, aliquatenus a tantorum malorum operum infestatione ac perpetratione prohibere, nec penitus valeris compescere. Et ideo dolemus pariter vobiscum, fratres mei, super temeritate populi talia præsumentis, & nullam ex his pœnitudinem fructuosam in præsenti agere volentis, vestramque salubrem correptionem pro nihilo ducentis. Igitur quia nostro apostolatui humiliter suggessistis, ut apostolica fulti auctoritate, populum gravem & plenum iniquitate libere possetis corrigere; quando ex divino eloquio docemur, ut aliquando conversi fratres nostros aliqua sæculi fluctuatione inefficaces confirmare debeamus; (Luc. 22.) vos cum Doctore gentium convenimus dicentes, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, arguite peccantes, obsecrate protervos, & increpate inique agentes, cum omni imperio. (1. Thess. 5.) Vobis namque populus ipse sicut grex ovium domini pastoribus est commissus: & nisi eos ita nunc temporali increpatione correxeritis, ut spiritu salvi sint in die domini nostri Iesu Christi, sanguis eorum de vestris procul dubio manibus requiretur. Sin autem vobis annuntiantibus non obedierint, ipsi in suis iniquitatibus deficient, vos vero animas vestras liberastis. Præterea unum valde illicitum & execrabile malum contra venerabilia sanctorum patrum decreta eosdem vestros parochianos committere audimus: hoc est ut nulla generis consanguinitate custodita, nulla propinquitatis parentela observata, unusquisq; suam propinquam in quocumque fuerint gradu, accipiat uxorem, atque incesto & nefario se conjugio copulent. Quod licitum facere Christianis non est, dum usque se generatio cognoverit. Unde sanctissimi prædecessores nostri, Stephanus videlicet, Eugenius, atque Leo, synodali decreto tale nefandum conjugium fieri prohibuerunt, dicentes: ut consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam quamlibet de propria cognatione, nullus præsumat sibi in conjugio copulare: quia scriptum est in lege domini: (Levit. 18.) *Turpitudinem uxoris patris tui, sive uxoris fratris tui, atque sororis tuæ non revelabis, turpitudo enim tua est.* Et si Deus Hebraico populo ante incarnationem unigeniti Filii sui hæc servanda mandavit, quanto amplius nos, qui Christianæ religionis documenta tenemus, ab illicitis connubiis observare debemus, ne demersi in voraginem ignis æterni concrememur incendio? Si quis

A vero in hoc nefario conjugio inventus in eo permanere voluerit, aut nunc ab uxore solutus hoc agere tentaverit, sciat se auctoritate apostolica anathematis vinculo esse innodatum, & nullus sacerdos illi tribuat communionem: & si inclinatus ab illicita se copula diviserit, pœnitentiæ submittatur, ut sacerdos loci consideraverit. Hoc etiam cum illis pariter jubemus, ut nullus propriam relinquat uxorem, & illa vivente alteram sibi sociare præsumat; nec liceat ei uno tempore duas habere uxores, uxoremve & concubinam. Iubemus etiam, ut nulli sacerdotum, nullique laicorum liceat res immobiles sub qualibet occasione a piis & venerabilibus locis subtrahere, B & in proprio usu habere. Qui vero præsumpserit, canonicis subjaceat correctionibus. Statuimus etiam, ut omnes presbyteri & clerici sub proprii potestate consistant episcopi, & nihil sine ipsius conscientia gerant, secundum regulam a patribus constitutam. Si quis sane sacerdotum aut clericorum aliter agere præsumpserit, a suo canonice redarguatur episcopo: laicus quoque, si de potestate episcopi clericum quemlibet subtrahere præsumpserit, excommunicatus existat. Hæc, fratres carissimi, pro vestra supplicatione & honorificentia in auctoritatem habenda descripsimus vobis: quatenus his nostræ constitutionis muniti præceptis, digna Deo nostro C possitis securiter deferre obsequia, debitasque persolvere laudes. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data Idibus Iunius, indictione decima.

CXCIX. AD BASILIUM CONSTANTINUM, ET ALEXANDRUM IMPERATORES.

Imperatorum precibus commotus, ut pax sit ecclesiæ Constantinopolitanæ, dispensat cum Photio, ut in Ignatii locum Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarcha subrogetur, statuens ne deinceps quisquam ad patriarchalem dignitatem, nisi per gradus ecclesiasticos ascendat, D jubet patriarcham Constantinopolitanum Bulgarorum diœcesim sub ecclesiæ Romanæ jurisdictione relinquere. monet omnes ut patriarchæ debitum præstent obsequium. præcipit ut ad ecclesiæ communionem eos, qui a Methodio, & Ignatio initiati fuerant, admittant. excommunicat illos, qui cum Photio noluerint communicare.

Dilectissimis ac excellentissimis spiritualibus filiis nostris Basilio, Constantino, & Alexandro, gloriosissimis imperatoribus semper Augustis.

(Hæc epistola a Photio est corrupta, locis infra designatis.)

INTER claras sapientiæ mansuetudinis vestræ laudes, o Christianissimi principes, E aliquod cum puriore luce summæ devotionis longe lateque resplendet, quod amore fidei, quod caritatis studio, disciplinis ecclesiasticis edocti, Romanæ sedi reverentiam more prædecessorum vestrorum piissimorum imperatorum conservatis, & ejus cuncta subjicitis † auctoritati: ad cujus auctorem, hoc est apostolorum omnium principem, domino loquente, præceptum est: *Pasce oves meas.* (Ioan. 21.) Quam esse vere omnium ecclesiarum Dei caput, & beatorum patrum præcipuæ regulæ, & orthodoxorum principum statuta declarant, & pietatis vestræ reverendissimi apices attestantur. Nihil est enim, quod lumine clariore præfulgeat, quam pia devotio, & recta fides in principe. Et quia pontificii nostri seve-

(† Ista de auctoritate Romanæ ecclesiæ Photius in sua translatione non posuit.)

reverentiam hoc ardore mentis, hoc religionis A studio luculenter vestris mellifluis literis exornatis: id nos ratione, seu temporis necessitate inspecta, cum sedis apostolicæ nobis commissæ consensu & voluntate perficere jure apostolico decet.

Igitur petistis a nobis, quatenus sede apostolica suæ pandente viscera pietatis, Photium reverendissimum in patriarchatus honore, in summi sacerdotii dignitate & in ecclesiastici collegii societate reciperemus, nostræque communionis participem faceremus, ne ecclesiam Dei tanto jam tempore perturbatam pateremur amplius manere divisam, scandaloque commotam. Nos itaque serenitatis vestræ preces congrua ratione admittentes, quia † Ignatium piæ memoriæ patriar- B cham de præsenti vita jam migrasse cognoscimus: temporis ratione perspecta, hoc modo decernimus ad veniam pertinere, quod nuper de ipso Photio, licet ipse absque consultu sedis nostræ officium sibi interdictum † usurpaverit, gestum constat fuisse.

† Nomen Ignatii sustulit Photius, alia attexens.

† Mutavit hæc in contrariũ sensum Photius, ut vim passum se recepisse hanc sedem ab imperatoribus dicat.

Nos statutis apostolicis non præjudicantes, nec beatorum patrum regulas resolvẽtes, quin potius earum auctoritatibus freti, qui Nicæni cõcilii capitulo secundo apertissime dicũt: Quoniam plura ante per necessitatẽ, aut alias cogentibus hominibus adversus ecclesiasticã facta sunt regulã. Hinc & Gelasius papa dicit, quod ubi nulla perurget necessitas, constituta patrum inviolata serventur. C Et sanctus Leo eodem spiritu præcipit, omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Inde & Felix præsul, decessor noster in sua decretali epistola voce consona dicit, aliter tractandam esse necessitatis rationem, & aliter voluntatis. Inde etiam sanctum concilium apud Africam gestum capitulo trigesimoquinto jubet, ut clerici Donatistarum in ecclesia, propter ecclesiæ pacem & utilitatem, si correcto consilio ad catholicam unitatem transire voluerint, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur, non ut concilium quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur, in quo videlicet concilio statutum est, ut D ordinati in parte Donati, si ad catholicam partem transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis. De hoc etiam beatus papa Innocentius dicit capitulo quinquagesimoquinto, quod ii qui a Bonoso hæretico ordinati sunt, propterea sint recepti, ne scandalum remaneret ecclesiæ.

Gelasius epistola 6. Necessitatis tempore locum habet dispensatio.

Epist. 27.

Nunc itaque aliis patriarchis, Alexandrino videlicet & Antiocheno & Ierosolymitano, atque omnibus archiepiscopis, metropolitis, episcopis & sacerdotibus, cunctoque clero Constantinopolitanæ sedis, qui de ordinatione B. Methodii & Ignatii reverendissimorum patriarcharum existunt, una voluntate, parique voto consentientibus, eumdem † Photium satisfaciendo, mi- E sericordiam coram synodo secundum consuetudinem postulantem, in vera dilectione fratrem, in pontificali officio comministrum [atque coram synodo misericordiam quærendo] in pastorali magisterio consacerdotem, pro ecclesiæ Dei pace & utilitate, amodo, Christo favente, recipimus & habemus.

Photius restituitur.

† Omnia ista delevit Photius, de venia coram synodo petenda.

Quia & vos Christianissimi imperatores Augusti, qui sanctæ reipublicæ clementissimo affectu gubernatis imperium, pro Christo fungi legatione videmini, dum pro pace rogatis ecclesiæ, & nos † quibus, secundum apostolum, omnium ecclesiarum Dei solicitudo incumbit, controversiam aliquam in ecclesia Dei amplius remanere nolentes: hunc ipsum patriarcham cum omnibus sive episcopis, sive presbyteris, seu ceteris clericis & omnibus laicis, in quos judicii fuerat censura prolata, ab omni ecclesiasticæ sanctionis vinculo absolvimus, sanctæque Constantinopolitanæ ecclesiæ judicamus recipere sedem, dominicique gregis esse pastorem, illa scilicet potestate fulti, quam ecclesia toto orbe diffusa credit nobis in ipso apostolorum principe a Christo Deo nostro esse concessam, eodem salvatore beato Petro apostolo præ ceteris specialiter delegante: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Sicut enim ex his verbis nihil constat exceptum, sic per apostolicæ dispensationis officium, & totum possumus procul dubio generaliter alligare, & totum consequenter absolvere, præcipue cum ex hoc magis præberi cunctis oporteat apostolicæ miserationis exemplum.

2. Cor. 5.
2. Cor. 11.
† Omnia ista a Photio sunt prætermissa usque ad sequens caput.

Matth. 16.

Nam & legati sedis apostolicæ ab antecessore nostro Hadriano videlicet almifico præsule Constantinopolim directi, synodo ibidem peractæ usque ad voluntatem sui pontificis vigilanti studio subscripserunt .... nec ab apostolico manere: quia sedes beati Petri cælestis regni clavigeri potestatem habet, ligata quælibet pontificum congrua æstimatione absolvere. Quippe cum constet multos jam patriarchas, hoc est, Athanasium & Cyrillum Alexandrinos, Flavianum & Ioannem Constantinopolitanos, & Polychronium Ierosolymitanum synodice damnatos per apostolicæ sedis postmodum absolutionem restitutos incunctanter fuisse.

Eo tamen tenore ista statuentes, apostolica dumtaxat auctoritate & sanctorum patrum venerabilibus institutis decernimus, ut post hujus patriarchæ obitum, nullus de laicis vel curialibus in patriarchatus eligatur vel consecretur honore, nisi de cardinalibus presbyteris & diaconibus Constantinopolitanæ sedis, secundum sacros canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos; quia nec præpropere contra canones ecclesiasticos, decretaque majorum cito quilibet lector, cito acolytus, cito diaconus, cito sacerdos vel episcopus fiat: qui in minoribus officiis sic diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequium comprobetur, ut per tempora a majoribus instituta, comprobatis prius moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad summum sacerdotium postmodum veniant. Quoniam non est subito præripiendum vel usurpandum, quod vita diu probata meretur accipere. Nam si in quibuslibet ecclesiæ gradibus providenter curandum est, ut in domini domo nihil sit inordinatum; quanto magis elaborandum est, ut in electione ejus qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non sit in capite; & inde fiet, ut omnis ecclesiastica disciplina resolvatur, omnis ordo turbetur. Et ideo hoc, quod nos modo pro ecclesiastica unitate & pace, quam Christus dominus noster nobis dedit habendam, utcumque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit.

Hoc etiam modo ista, excellentiæ vestræ precibus moti, fieri jubemus, si ipse patriarcha Bulgarorum diœcesin, quam piæ memoriæ Nicolaus præcessor noster, Michaele ipsorum rege petente, aposto-

Bulgari sub Romanam diœcesim revocãtur.

apostolicis doctrinis docuit, & per venerabiles A episcopos suos lavit unda baptismatis, omnique ecclesiastica regula & disciplina prout oportebat instruxit; amodo suo juri vendicare, vel remittere nullo modo præsumpserit, nec aliquam cujuscumque honoris ibidem ordinationem fecerit .... ibidem sunt illicite ordinati episcopi vel sacerdotes ..... archiepiscopo, vel episcopis qui ibidem videntur existere ...... sacrum pallium quo inter sacra missarum solennia uti pontificibus solitum est, ipse patriarcha mittere præsumpserit.

Photii nimia laus.

Porro pro tantis perturbationibus, quibus ecclesia vestra longo jam tempore manet turbata vestræ Augustali pietati obnixe suggerimus, ut Constantinopolitanum patriarcham digno honore venerantes, quasi patrem spiritalem, & utpote inter vos & Deum mediatorem præcipuum, divina vobis, per quæ ad regnum perveniatis æternum, sedule annuntiantem, pio semper affectu colatis, & ut condecet in omnibus honoretis: quia pro temporali, quem illi exhibetis, honore, vos & hic temporalem honorificentiam habebitis, & in æternum multiplicem procul dubio recipietis ab illo nempe, qui glorificantes se glorificare testatur. (1. Reg. 2.) Nec eorum verba falso prolata, qui scandalorum zizania super conspicuam segetem domini seminare non cessant, vestra imperialis dignetur audire majestas, nec pro talium susurrationibus hominum, qui semper student scindere unitatem Dei, vestem domini, ecclesiam Christi, quique linguis suis semper dolose agere non cessant, venenum aspidum portantes sub labiis suis, (Psal. 13.) animum clementiæ vestræ adversus eum aliquatenus commoveatis, & summum sacerdotem vestrum Dei providentia in ecclesiæ Christi regimine constitutum sic facile exhonoretis, quod nimirum sancto vestro imperio valde inhonestum & indecens esse videatur.

Recipiendi qui ab Ignatio fuerunt ordinati.

Præterea mandamus etiam ut omnes episcopos & sacerdotes, seu cujuscumque ordinis clericos, qui de consecratione Ignatii bonæ memoriæ patriarchæ consistunt, sive in ipsa regia urbe manentes, sive alicubi extra, longe seu prope retrusos, clementi animo ad gremium & unitatem sanctæ ecclesiæ revocetis, & ulnis extensis paterno affectu recipiatis & amplectamini, propriasque unicuique illorum jubeatis reddere sedes: ut sicut una est fides, unum in nobis baptisma, & omnes unum sumus in Christo; ita & isti qui ad unitatem & societatem ecclesiæ Dei, & corporis Christi redierint, & idipsum dicentes, perfectique existentes in eodem sensu, in eadem scientia, unus grex efficiantur, & unus pastor; nec audeant amplius dicere: *Ego quidem sum Cephæ, ego Pauli, ego autem Apollo*, (1. Cor. 1.) sed unius Christi veri Dei nostri, qui est pax nostra, & fecit utraque unum, veniensque cælestia cum terrenis pacificare dignatus est. *Qui idcirco semel pro peccatis nostris mortuus est, ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* (Genes. 18.) Nec enim poterit unitatis eorum firma esse compago, nisi eos ad inseparabilem soliditatem vinculis caritatis astrinxerit: quatenus, Deo favente, absque omni perturbatione, vobis regnantibus salvi & securi persistentes, pro salute vestra & pro statu reipublicæ, jugibus semper votis dominum valeant deprecari.

Excommunicantur

Quod si forte quidam extiterint cum eodem patriarcha communicare nolentes, admoneantur secundo & tertio, ut sanctæ ecclesiæ se unire procurent. Quod si acquiescere noluerint, in sua pertinacia manere volentes, sacra eos communione, his præsentibus nostris una cum synodo, jussimus privari, quousque ad suum redeant patriarcham, & ad sanctæ ecclesiæ unitatem, cum præcipue ipsi eos in consortium suum receperit, aliquamve cum eis communionem habuerit, simili modo eumdem patriarcham cum ipsis episcopis ecclesiastica communione judicamus esse privatum. Data mense Augusto, die decima sexta, indictione duodecima.

qui cum Photio communicare nolũt.

Missa per Petrum presbyterum.

B

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Epistola.*] Qua occasione hanc de Photii absolutione & restitutione epistolam pontifex scripserit, diximus supra in notis ad vitam Ioannis papæ VIII. circa annum domini 879. Hæc in codice Vaticano charactere Longobardo exarato, atque jam haud pridem, sed mendose nonnihil cuso, scripta est.

Summa plane Dei providentia factum est, ut ejusmodi Ioannis octavi papæ literæ in nostrum usque tempus in ejus regesto, sive ut dicunt vulgo, registro integræ servarentur, nec sicut aliorum plurium pontificum epistolæ perderentur: ut ex his etiam sicut ex Nicolai & Hadriani epistolis Photius millies possit redargui imposturæ, & falsitatis convinci. Ad usitatam impostor artem rediit falsandi literas Romanorum pontificum, & fingere nova scripta: nam præter ea quæ plus satis de ipso dicta sunt sub Nicolao & Hadriano pontificibus, & in synodo universali sunt proclamata, novæ rursus ab impostore C prodiere falsitates: ut plane acciderit de his Ioannis papæ literis, quod de suis ab eodem Photio falsatis, Nicolaus in epistola ad Michaelem imperatorem exclamat, cum ait: *Ex his*, inquit, *quæ ibidem ex ea lecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiuntur, & per omnia talis a vobis effecta est; ut aut nihil aut parum aliquid nos per eam de crebro acti commimistri Ignatii disposuisse causa videamur.* Hæc tunc Nicolaus, quæ etiam nunc ab ipso Ioanne repetenda essent, si vivens videre potuisset, ut Nicolaus, quomodo suas missas Constantinopolim literas Photius addendo, minuendo, atque mutando, male, pessimeque habuisset.

Sed quorsum hæc ipse? dices. Voluit scelestus quasi ex Ioannis papæ literis non solum suam restitutionem firmam, roboratamque monstrare; sed & falsatis illis probare etiam auctoritate ejusdem pontificis octavam synodum D œcumenicam esse damnatam, probatam vero recentem ab ipso adversus eam Constantinopoli celebratam; octavamque pariter nominatam in abolitionem legitimæ octavæ œcumenicæ sub Hadriano pontifice celebratæ. Ex quo grande malum illud evenit, ut pro germana octava, a Græcis maxime, accepta sit synodus Photiana; ut factum inter alios a Zonara est videre, qui in sua canonum collectione & interpretatione posuit loco octavæ œcumenicæ synodum Photianam sacrilegam, quam ipsam & Theodorus Balsamo universalem appellat, cujus & tres canones recitat: sic & reliqua Græcorum schismaticorum colluvies. Tu igitur, lector, hic, amabo te, sede arbiter veritatis, atque ex literis Ioannis papæ in Græcum a Photio redditis & recitatis in secunda actione suæ pseudosynodi, revocatis vero ad Latinitatem a Friderico Metio origine Græco, sed pietate catholico atque fide Latino, modo ob virtutum atque doctrinæ præstantiam creato Thermarum episcopo, veteratoris malas artes inE telligе. Extat ipsa integra Photiana pseudosynodus Græce in scripto codice bibliothecæ Columnensis, quæ fuit Cardinalis Sirleti, nota numeri quadragesimi, in quo sub actione secunda eadem epistola Ioannis papæ recitatur ad imperatorem scripta adeo mutata, ut vix quis cognoscat eamdem esse Ioannis, quam nuper recitatam audisti. sic enim se habet:

Ioannes servus servorum Dei, serenissimis dilectis filiis nostris spiritalibus & Deo caris Basilio, Leoni, & Alexandro victricibus imperatoribus & æternis Augustis.

PURITAS & splendor vestræ rectæ fidei, & morum probitas & benignitas perfecta, o Christianissimi & maximi imperatores Romanorum, luminum instar in medio terræ micantes usque

Fermè totum principium a Photio immutatum.

quod enim visum sit exile præconium imperatoris, voluit illud gloriosius prædicari.

usque ad omnes fines, ad quos universus orbis, extenduntur & splendent. Non enim sola recta fide præstantes, in aliis rebus vos oscitanter habetis, sed potius super vestram irreprehensibilem fidem superædificatis non lignum aut herbam, aut arundinem, sed preciosos lapides, aurum & argentum, & ut breviter dicam, omnia alacri studio perficitis, quibus cognoscitis Deo rem gratam facere. Nihil vero Deo gratius esse dignoscitur, quam ut universæ ejus ecclesiæ quascumque sol respicit, recta fide & mutua inter se dilectione & caritate viventes, illi singulis diebus gratias agant. Quapropter hanc unionem etiam in vestra Dei ecclesia conspici & vigere vos percupientes, Romanam sanctam ecclesiam per vestros legatos, & sacras literas adjutricem assumpsistis, pro certo habentes, eam vobis futuram præsto ad id quod optastis. Neque vos primi id agere cœpistis, ut hanc rem excogitaretis, sed vestigiis prædecessorum vestrorum inhærentes; in quanam schola, quærere est etiam dignum: a principe videlicet apostolorum Petro, quem dominus omnium ecclesiarum caput constituit, inquiens illi: *Pasce oves meas*; nec non a sacris & orthodoxis sanctorum patrum decretis atque doctrinis, quemadmodum sacræ & piæ vestræ literæ testantur: id vero propterea facitis, quo magis vestræ fidei firmitas celebrata eluceat, & erga Deum dilectio sincera & efficax pateat.

Ioan. 21.

Nihil enim aliud aptius & dignius contingere potest illis qui maximis dignitatibus & principatibus sunt constituti, quam rectæ fidei splendore, & Dei dilectione præstare contendere; & curare ut omnes, qui cum eadem fide Deum venerantur, dilectionis etiam vinculo uniantur, & constringantur. Quapropropter vestris literis obsequentes nos, & mellifluis verbis deliniti, ignis instar accensi, cum universa nostra sanctissima Romanorum ecclesia, unanimes & concordes surreximus ad ea omnia quæ a vobis scripta sunt, prompto & alacri animo peragenda. Scripsistis nobis, noster dilecte fili, ut nostra apostolica viscera misericorditer aperiremus, & omnes quotquot fuerint, qui in vestra ecclesia vel propriis chirographis, vel alio quovis pacto prævaricati sunt, & canonicis censuris obnoxii sunt effecti, reciperemus, & pacis & unionis curam haberemus. Quin etiam ante omnia Photium religiosissimum episcopum nostræ communionis heredem & participem, & comministrum facientes, ad magnum episcopatus culmen, & dignitatem patriarchalem iterum constitueremus, ne ecclesia Dei multo tempore schismatum Deo exosorum, & malorum scandalorum fluctibus agitata permaneat.

Nos vero vestræ serenitatis preces accipientes, ut rationales & justas & Deo acceptas, & tempus jam præsto esse, quod antea quærebamus, & invenire, Deum precabamur; rationi etiam congruum censentes, ecclesiam Dei tranquillam reddere: misimus propterea † legatos qui vestram perficerent voluntatem. Et licet pietas vestra Photio vim inferendo nos prævenit, in illo restituendo videlicet, antequam nostri legati isthuc venissent: hæc tamen nos supplemus non auctoritate nostra, licet hoc etiam facere possimus, sed apostolicis constitutionibus & sanctorum patrum decretis horum demonstrationem afferentes, neque ecclesiæ regulas jamdiu traditas solventes, sed eas in quibuscum-

† Addidit ista Photius, & mutavit in contrarium sensum quę de seipso habebatur.

A que, dum harum nimis exacta & immutabilis observantia servatur, divellit, & destruit totam compagem corporis ecclesiæ, ad quod conducit trahentes, ab ipsamet ecclesia edocti. Secundus enim canon Nicænæ synodi hæc habet: Quoniam frequenter vel a necessitate, vel alio quovis pacto coguntur homines ecclesiasticos canones transgredi: & quæ sequuntur. Nec non papa Gelasius de seipso inquit, quod ubi vis non apponitur, sanctorum patrum statuta inconcussa maneant. Similiter etiam sanctissimus papa Leo in eodem spiritu præcipit, dicens: Ubi vis non præcedit, immobilia permaneant sanctorum patrum statuta; ubi vero necessitas & vis reperitur, B ibi ad id quod convenit ecclesiis Dei, ille qui potestatem habet dispenset. Ex necessitate enim, juxta divinum apostolum, etiam legis fit mutatio. Felix præterea papa consona etiam dicit: De hoc enim oportet animadvertere, ut ubi necessitas contigerit, sæpenumero etiam constitutiones patrum transgredi liceat. Sancta etiam synodus Carthaginensis ait trigesimoquinto capite: Mandamus ut Donatistarum clerici iterum ad ecclesias revertantur, licet etiam a synodo fuerint damnati. Synodus etiam synodum abrogasse reperitur propter unionem ecclesiæ & concordiam. Et Innocentius papa ait: Isti a Bonoso ordinati hæretico recipiantur, ne iterum scan- C dala in ecclesia Dei oriantur.

Neque solum istis, licet tales essent, ut ex illis fuissent ut hæretici damnati, apostolica tamen sedes ecclesiæ pacis curam gerens manus adjutrices porrexit; verum etiam orthodoxis episcopis & patriarchis ad ipsam confugientibus, sicut nunc religiosissimus Photius, & auxilium implorantibus opem tulit. Nostis omnino magnum Athanasium episcopum Alexandrinum & Cyrillum & Polychronium Hierosolymorum, Ioannem quem dilectio vestra Chrysostomum appellat, Flavianum etiam Constantinopolitanum: hos enim a synodis damnatos & reprobatos, cum ad sanctam Romanam ecclesiam confugissent, D apostolica sedes hæc nostra confirmavit, & ad priorem dignitatem restituit. Si igitur ex Donatistis, & ex Bonoso ordinationem acceperunt, & ab ecclesiæ catholicæ limitibus fuerunt ejecti a synodo numerosa, iterum ab alia synodo recipiuntur, & in sacerdotum numero collocantur, ut ecclesia Dei indivulsa, & a schismatibus integra & libera permaneat, (nihil enim oculis Dei magis execrandum & abominabile conspicitur, quam is qui schismatum auctor in ecclesiis extiterit; & nihil jucundius vel carius etiam bonitati, quam ecclesiam suam integritatem, perfectum erga Deum amorem, & erga proximum dilectionem conservare,) multo magis viros or- E thodoxa fide illustres, & vitæ gravitate & rerum peritia celebres, non oportet illos contemne † obnoxios pœnitentiæ jugo gravari, sed ad priorem dignitatem restituere.

† Ex se hęc addidit Photius.

† Multa hic a Photio prętermissa noscuntur, quibus sedis apostolicæ auctoritas prædicatur, & Hadriani prædecessoris legatio memoratur.

Cum enim † semel apostolica hæc sedes claves accepisset regni cælorum a primo & magno pontifice Iesu Christo per principem apostolorum Petrum, cum illi dixisset: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque solveris super terram: erunt soluta & in cælis: & quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis*; habet facultatem omnes ligandi atque solvendi; & juxta prophetam Ieremiam, evellendi & plantandi. Hac de causa nos auctoritate usi principis apostolorum Petri, cum universa ecclesia † affirmamus vobis, &

Matth. 16.
Ierem. 1.

† Hæc omnia addita a Photio impostore.

& per vos etiam ſanctiſsimis fratribus & comminiſtris patriarchis, Alexandrino, Antiocheno & Hieroſolymitano, & reliquis epiſcopis & ſacerdotibus, & univerſæ Conſtantinopolitanæ, nos convenire & conſentire vobis, vel potius Deo in omnibus quæ a nobis vos petiſtis. Et primum quidem nos recipere Photium admirabiliſſimum & religioſiſſimum archiepiſcopum & patriarcham fratrem noſtrum, & communionis cum ſancta Romanorum eccleſia conſortem & participem, & heredem, non ſolum propter alias virtutes quibus ille præſtat, verum etiam propter ſcandala e medio tollenda, & pacem Dei, & dilectionem adinvicem inter nos firmandam. Recipite etiam ipſum vos certo & firmo animo, & caritate & fide, omne iniquitatis & malitiæ venenum, & duplicitatem & ambiguitatem de cordibus veſtris avellentes, ſicut ipſum recepit Romana eccleſia.

Addita-
entum
em eſt
npoſtoris
otum quod
quitur.

Didicimus † enim fere ab omnibus qui huc veniunt ex illis qui iſtic verſantur, Photium omnibus prærogativis præſtare coram Deo, non ſolum ſapientia & prudentia circa res divinas & humanas, verum etiam circa omnes virtutes morales, & curam divinorum præceptorum, tanquam irreprehenſibilem operarium celebrari. Neque juſtum duximus, talem virum otioſum & inutilem permanere, sed in altum in veſtra eccleſia iterum elatum, & lucentem conſueta ſibi & Deo dilecta opera exercere, tum erga ſacerdotes, tum etiam erga epiſcopos. Quapropter eumdem reſumentes ſermonem, vobis dicimus: Suſcipite virum iſtum abſque ulla dubitatione.

Sunt iſta
hotii ad-
itamenta
ontra ſy-
odos in
ſum cele-
ratas.

Nec † aliquis pro ſui excuſatione adducat injuſtas ſynodos adverſus ipſum habitas, neque, ut multi ſtupidiores opinantur, decreta prædeceſſorum noſtrorum beatorum pontificum, Nicolai videlicet & Hadriani adverſus Photium lata accuſet: non enim recepta fuerunt ab ipſis quæ contra ſanctiſſimum Photium geſta fuerunt. Nullus per chirographa veſtra occaſionem ſumat ad ſchiſmata fovenda cum illo & adinvicem: omnia enim jam ſedata ſunt & abrogata, omnia quæ contra Photium geſta ſunt, irrita, & nulla per nos minimos in manibus principis apoſtolorum repoſita ſunt, & per eum in humeros Ieſu Chriſti agni Dei qui tollit peccata mundi.

† Ejuſdem
alſarii
unt hæc
erba ſup-
oſita.

Recipite † igitur ipſum apertis ulnis, fratrem videlicet noſtrum comminiſtrum. Recipite epiſcopum & Dei & irreprehenſibilem. Recipite patriarcham veſtræ eccleſiæ. Confirmate erga illum dilectionem, fidem, & cum obſervantia obedientiam, & per hunc erga ſanctam Romanam eccleſiam eamdem confirmate. Qui enim illum non recipit, nec ea quæ a nobis & ſancta Romanorum eccleſia de illo decreta ſunt, recipit; nec is adverſus nos bellum ſuſcipit, ſed adverſus ſanctum Petrum apoſtolum vel potius adverſus Chriſtum ipſum Filium Dei, qui ita honoravit & glorificavit apoſtolum ſuum ut ipſe ab eo haberet facultatem ligandi atque ſolvendi.

† Adjunxit
t omnia
ſta quæ
ub hoc ca-
ite conti-
entur ad
ecuritatem
ui patriar-
hatus fal-
itatis ar-
hitectus
hotius.

Hoc † etiam rogamus pietatem veſtram, ut in memoriam revocetis, ex quo tempore ſcandala & ſchiſmata in veſtram eccleſiam ingreſſa ſunt, & eam integritatem corruperunt; horum malorum nullam aliam fuiſſe cauſam, niſi quod vos imperatores admiſiſtis blaſphemias & calumnias adverſus pontifices & patriarchas veſtros, ac reliquos Dei ſacerdotes; nec non quod

A vos parvipendiſtis dilectionem & fidem & honorem & obſervantiam erga illos. Rogamus itaque divinam potentiam veſtram, ut exnunc aures obturetis imperii veſtri a Deo electi calumniis & obtrectationibus adverſus pontifices quas pravi illi homines & malis ſolum gaudentes, vobis ſuggerere ſolent, & eos tamquam piacula & abominationes, iniquas verborum illorum ſagittas repellere velitis: patriarchas autem veſtros in honore habere, & quaſi proprios patres exiſtimare, tamquam Dei & hominum mediatores venerari. Ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, & quæ pro ſalute veſtra faciunt vobis a Deo ſemper deprecantur; nec non B ut par eſt, pro iis, quibus vos Deum offendiſtis errantes, ſacrificia ipſi offerunt, ut vobis Deum placent, benevolum illum vobis reddentes. Neque id ſolum, verum etiam pro tranquillitate & duratione potentiæ veſtræ, & pro victoria adverſus hoſtes obtinenda Deum noſtrum miſericordem orant. Doctores etiam & magiſtri vobis exiſtunt, dum vos admonent ut ea faciatis, quibus regnum cælorum acquiratis.

Præterea vos præ aliis diligere noſcuntur; non enim adulatorum amicitiam ſectari ſciunt vobiſcum, & adulatorum inſtar vos diligere, ſed potius caritatem, quam ipſos docuit Chriſtus Ieſus per ſanctos apoſtolos ſuos. Non oportet C igitur veſtros patriarchas a vobis contemni, tum propter ea omnia quæ prædiximus, tum etiam, ut juxta domini præceptum illos diligatis. Nec vos lateat, quod ſi hoc feceritis, non ſolum honores illorum conſequemini, quos vos honoratis & colitis, ſed illum potius qui eorum manibus in altari miniſtratur, videlicet Chriſtum, qui pro peccatis omnium, Deo offertur: qui enim illos honorat, Deum honorat; & qui illos averſatur & reſpuit, Deum ipſum reſpuit. Falſas itaque detractiones & obtrectationes, per quas zizania & ſchiſmata & ſcandala in eccleſia Dei oriuntur, & dividunt inconſutilem Chriſti veſtem, tamquam D venenum aſpidum, veſtrum imperium vitet; & potius ſanctiſſimo Photio fratri & comminiſtro noſtro opem ferat in omnibus quæ ab eccleſiæ bonum regimen faciunt.

Eos † etiam qui ipſum non quo par eſt, honore habent, argue, ut corrigantur; ſæpe enim quos Dei timor, & erga divina religio & pietas non correxit; imperatorum & principum indignatio in eos irruens modeſtiores reddit: Idque ſi feceris, regnum tibi cælorum comparare certo ſcito, & ſempiternam imperii tui durationem, & pacis confirmationem. Si vero id minus feceritis, pro certo habeatis, quod nunquam ſchiſmata deerunt in eccleſia Conſtantinopolitana.

† Conſuit & iſta Photius ſui cauſa.

E De † hoc etiam legem condere, tuum imperium a Deo cuſtoditum monemus, ut poſt obitum ſanctiſſimi Photii comminiſtri & fratris noſtri nullus e ſæculari ordine ad pontificalem dignitatem eligatur & ordinetur, ſed potius ex preſbyteris cardinalibus, ex iis videlicet, qui catholicæ eccleſiæ ſunt adſcripti, vel ex ejus diaconis, vel aliis ſacerdotibus, qui exiſtunt ſub ſede Conſtantinopolitana, juxta ſacros canones, ut ne contra eccleſiaſticam regulam & ſanctorum patrum canones res veſtræ peragantur. Procedere autem hunc volumus per ſingulos gradus eccleſiæ ſatis probatum, † primum lectorem, deinde acolytum, poſtea diaconum, deinde preſbyterum, & tandem epiſcopum, ſi tamen

† Sunt ex Ioannis epiſtola, licet habeat aliq ia verba a Photio addita, ut illud: *Poſt obitum ſanctiſſimi Photii, &c.*

† Cum prętermiſſos audis oſtiarium &

exorcistam a Latinis omnibus inter primos quatuor ordines annumeratos, scias a Græcis corruptum locum.

tamen bonum habuerit testimonium de se, de pietate, & scientia; quoniam dum in inferioribus gradibus aliquod temporis spatium immoratur, ejus virtus & probitas agnoscit, & hoc pacto oportet vestros patriarchas progredi, non ex tempore præoccupare singulos gradus, ut in domo domini nihil inveniatur incompositum & inordinatum. Qui enim supra omnes gradus collocatur, reprehensibilis in omnibus oportet reperiatur.

† Sunt addita ista a Photio quæ hoc capite continentur.

Nec † quia nos vestræ ecclesiæ paci & quieti consulentes, Photium religiosissimum fratrem nostrum recepimus, sicut & papa Hadrianus Tarasium ejus avunculum, hoc jam vobis pro consuetudine & regula usurpetur: quæ enim raro bona sunt non possunt lex fieri multis, & pro lege sumi. A domino enim nostro Iesu Christo edocti, etiam nos viscera misericordiæ recipientes, condonavimus vobis petitionem vestram tum de Photio, tum de aliis sacerdotibus ex altera ordinatione existentibus indultum concessimus. Quicumque vero in futurum ausus fuerit id iterum committere, pœnitentia ex canone a nobis absque ulla remissione, & damnatio illi irrogabitur.

† Sunt Ioãnis, sed nonnulla miscuit Photius.

† Rogamus etiam hoc pietatem vestram, ut neque frater & comminister noster Photius sanctissimus, nec alius quispiam successorum ejus in futurum in Bulgaria ordinationes habeat, neque per pallium illuc missum, neque per defensorem prædictam provinciam Bulgarorum ut propriam ministret. In alieno enim solo non decet alios ædificare. Prædecessor enim noster Nicolaus felicis recordationis precibus principis Bulgariæ Michaelis apostolicis doctrinis gentem illam educavit, & per religiosos suos episcopos omnes ecclesiasticas regulas & canones, & quæcumq; ad Christianam religionem pertinent cum illis tradidisset, eos perfecit: licet nonnulli audacter surripuerint nobis prædictam provinciam, quæ ad eos non attinebat; ordinationes etiam & consecrationes ecclesiarum, & omnia quæcumque facere minus oportebat, peregerint. Quapropter præter prædicta, & hoc etiam vobis notum facimus, ut, si aliquando episcopos ibi degentes contra nos aliquid delinquere deprehendemus, & canonicis pœnis illos subiiciemus, non habeant vos ad quos confugiant, sed potius vos inveniant in hoc nobis concordes, nec dissentientes.

† Delevit impostor vocem, *Mandamus*, & nomen Ignatii, & posuit *Oramus*, &c.

† Oramus præterea imperium vestrum Christo dilectum, ut congregetis episcopos & presbyteros cujuscumque ordinis ecclesiastici & civilis qui a nobis dissentire videntur, ubicumque fuerint intra terminos vestros, eosque ad vos ducendos curetis, & moneatis, ut ipsi uniantur ecclesiæ Dei, & Photio sanctissimo patriarchæ fratri & cõministro nostro nobis unito. Proprias pontificales & sacras vestes; gradus etiam illis restituite, & viscera misericordiæ illis aperite: ut quemadmodum unus Deus, unum baptisma, una fides, ita & nos ipsi unum etiam in Christo, & per vestram piam doctrinam unum pariter nobiscum sint, & in ecclesiæ Dei perfectione coordinati & conjuncti nobiscum in Christi sanctissimum corpus, ut in eadem mente & in eadem voluntate permanentes, Deum omnium glorificemus. Nec aliquis in posterum dicat; *Ego quidem sum Cephæ, ego vero Pauli;*

1. Cor. 1.

sed ut omnes hoc dicamus, quod Christi sumus crucifixi & mortui pro nobis, qui per A suam passionem quæ in terris sunt, & quæ in cælis, invicem conciliavit; & nos Deo conjunxit & Patri per seipsum, & mutua dilectione & communione. Si vero a vobis eos advocatos monentes & hortantes & orantes, ad unionem ecclesiæ convenire vobiscum semel & iterum & sæpius obedire illi noluerint, neque nostris literis obtemperare & suammet lucrari salutem, sed in priori sua pertinacia & temeritate permanserint istiusmodi homines, præcipimus ab immaculati corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi perceptione alienos fore, quousque uniantur sanctæ Dei ecclesiæ & Photio sanctissimo patriarchæ fratri & com- B ministro nostro. Et postea: Hoc peracto quæ sequuntur justam illorum damnationem, in his literis non scripsimus, ne amplius prorogaretur oratio præter modum, sed in commonitorio conscripsimus religiosissimi Petri presbyteri & cardinalis nostri legati, una cum Eugenio & Paulo religiosissimis episcopis, ut cum ipsis præsidens in synodo una cum sanctissimo Photio fratre & comministro, Dei oculum qui omnia videt, & semper vigilat, ante suos oculos habentes, & inevitabilem divinam justitiam & suam conscientiam immaculatam & inculpatam conservantes, omnes res Constantinopolitanæ ecclesiæ, & quæcumque indigent C correctione, & quæ, ut par est, declinare debent; ut id quod melius est, & conducibilius Dei ecclesiæ peragatur. Cælestis imperator piam potentiam tuam custodiat.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Hucusque ex Photiana versione Ioannis papæ epistola. Cur autem in titulo Ioannis epistolæ non insit Constantini nomen, id accidit, quod, sicut ex Niceta dictum est, mortuus inter hæc fuerit Constantinus ipse Augustus primogenitus Basilii imperatoris.

Vidisti imposturas, lector, veritatis amator & cultor, & execratus es procul dubio, quas in profano etiam homine, nedum sacerdote, & episcopo & patriarcha, sed & in ethnico, omnisque divinæ & humanæ legis experte barbaro improbare non possis, totque falsitates admixtas literis non D privati alicujus & ignoti hominis, sed ab apostolica sede ex episcoporum concilio datis; nec ad vilem aliquem terræ filium, sed ad ipsam orientis imperatorem, nec otiose vel leviter de rebus nullius momenti conscriptis, sed quæ maximi omnium ponderis essent; ut merito tanti auctorem sceleris improbare, & execrari, ipsumque facinus abominari, atque horrere tamquam funestum aliquid ab imis inferis proditum a principe tenebrarum per filium tenebrarum nomine tenus lucis angelum mentientem Photium, omnino debeas.

[a] CC. AD CLERICOS CONSTANTINOPOLITANOS.

Ejusdem argumenti.

E *Reverendissimis & sanctissimis omnibus episcopis, & confratribus ecclesiæ Constantinopolitanæ sedem respicientibus, seu tribus principalibus ecclesiis Hierosolymitanæ.*

QUORUMDAM sane vestrum, fratres carissimi, scripta suscipientes, unanimitatem, atque consensum in parte Photii in eis plene reperimus, indeque obnixe optantes, ut quod particulariter hactenus, hoc canonice semper & generaliter, atque secundum ea, quæ sunt Christi Iesu, & non quæ vestra, pia animi devotione, id ipsum, ut non sit in vobis schisma, sapiatis quærere, pulsare, & invenire; nos autem moderatione sedis apostolicæ, sicut divisa contentione, atque dolemus scissa errore, ita gaudemus in vinculo pacis, ac caritatis compagine

A pagine ſoliditatis fraternitatem veſtram ſine intermiſſione inviolate perſiſtere, juxta apoſtolum, idem ſapite, & Deus pacis erit vobiſcum. Quod vero ſolicita intentione veſtra petit dilectio, uti auctoritate beati apoſtoli principis apoſtolorum Petri, vobis Photium patriarcham in regia urbe Conſtantinopolitana fore conſentiamus, illud animo luce clarius retinetis, quod in euangelio primo paſtori dominus ait: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* His hortatibus ſuccenſi, imo potius coroborati, in quantum ſine gravi offenſione valemus auxilium ferre, tam cunctis domini ſacerdotibus, quam univerſo in orbe terrarum Chriſtiano populo, nunquam deſinimus, ſequentes prædeceſſorum exempla, de quibus ſanctæ memoriæ Hadriani papæ in Taraſii nuperrime regiæ urbis patriarchæ confirmatione, hæc interim ponimus verba. inter reliqua inquit: Ipſe enim Taraſius regiæ urbis patriarcha miſit nobis ſynodicam priſcam amplectens conſuetudinem, quam ſuſcipientes, & liquidius indagantes, & tam de faſſione rectæ fidei ejus, quam dogmatum ſanctarũ ſex ſynodorũ, & venerandarum imaginum ovantes, nimis iterum conturbati ac contriſtati ſumus, quia ex laicorum ordine, & imperialibus obſequiis deputatus, repente in patriarchatus culmen electus eſt, & * apocaligus contra ſanctorum canonum cenſuram factus eſt patriarcha. Et quod dicere pudet, & grave tacere eſt, qui regendi adhuc, & docendi, ſunt doctores, nec erubeſcunt videri, nec metuunt, ducatumque animarum impudenter aſſumunt, quibus via omnis ignota doctoris eſt, quo vel ipſi gradiantur, ignari ſunt. Quod quam pravum, quamve ſit temerarium, ſæculari ordine, & diſciplina monſtratur: nam dum dux exercitus non niſi labore & ſolicitudine expertus eligitur, quales animarum duces eſſe poſſunt, qui in epiſcopatus culmen immatura cupiunt feſtinatione conſcendere? Hujus ſaltem rei comparatione conſiderent, aggredi repente inexpertos labores abſtineant; quippe qui non didicerint quod doceant. Unde canonica inſtituit cenſura nequaquam ex laico ad ſacerdotium repente tranſire. Et niſi per ejus fidelem concurſum pro ſanctarum imaginum erectione ejus conſecrationi aſſenſum omnimodo tribuere nequivimus. Porro & nos ac vos fratres cariſſimi, lege conſtringimur, ut ſi deinceps apud cunctam eccleſiam, quæ in vobis eſt, a paternis regulis per ſimilem prævaricationem nunquam ſpondeatis delinquere, id eſt, ne neophytum repente ad honorem aſcendere*. Et ſi parochiam Bulgaræ gentis, quæ Deo auctore beati Petri apoſtoli interceſſione, atque deceſſorum noſtrorum labore, ad Chriſtum converſa eſt, ſubducta quam ibi feciſtis illicitam ordinatione, reddideritis; & abjectos quoſque fratres, ac diſcordantes veſtro labore * ſtudio cum prædicto Photio quem patriarcham in regia urbe deſideratis habere, aliiſque piis operibus offenſionem, quam coram Deo, & ſanctis canonibus contraxiſtis in hac parte, recompenſaveritis. Venerabilem fratrem Photium coram ſynodo miſericordiam quærendo, & patriarchatus honore fungi volumus, & noſtræ communionis, imo & beatorum apoſtolorum, ſeu omnis eccleſiæ fore, domini miſeratione, participem. Hoc exemplo roborati maxime, quo egregius prædeceſſor noſter Innocentius ſanctiſſimus papa Photinum reſtaurare dignatur, dicens? Veniam nunc ad maximum quaſi quoddam thema, Photinum; & inter alia. Quia res ad ſalutem redit veniæ, hunc in tantum vobis annitentibus, poſt condemnationem more apoſtolico ſubrogamus, tantiſque veſtris aſſertionibus, vobiſque tam bonis, tam caris non dare conſenſum, omnibus duris rebus durius arbitramur. Pro veſtra ergo approbatione fratres cariſſimi, & ſententia, ac poſtulatione epiſcopum Photinum habetote. Licitum eſt ita conſtituere ut deprecamini; & noſtram in melius converſam ſententiam, labore vel teſtimonio veſtro, compotes voti ſuſcipite. Solicitos enim B vos pro ſalute libenter admitto: cui manum porrigitis, vobiſcum porrigo; cui porrigo, mecum porrigite. Hæc enim eſt ad Corinthios apoſtolica declarata benignitas, ut in uno ſpiritu ductam, ac reductam ſententiam boni ſemper indifferenter ſequantur.] Data menſe Auguſto, indictione duodecima.

[Margin notes, left: 2. Cor. 13. — Luc. 22. — Ex epiſtola Hadriani ad Conſtantinum, & Irenen imperatores. — In epiſtola Hadriani * a caliga militari. — * aliquid deeſt. — * f. deeſt conciliatitis.]

[Margin note, right: Epiſt. 22. num. 7. Tomo II. p. 1176. A.]

Miſſa per Petrum presbyterum.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Epiſtola* cc.] Hanc ſicut ceteras recitatas paſſam eſſe perditiſſimi hominis Photii impoſturam, patet ex verbis iſtis: *Venerabilem fratrem Photium coram ſynodo miſericordiam quærendo, & patriarchatus honore fungi.* Quæ profeſ- C ſionem humilitatis inſinuantia ſuperbus & profanus homo plane abraſit, & loco illorum (ut in ceteris fecerat) iſta poſuit: *Photius patriarcha ſanctiſſimus & religioſiſſimus frater noſter, non dedignetur in conſpectu ſynodi gratiam & ſtudium noſtrum, quin potius viſcera miſericordiæ Romanorum eccleſia prædicare, quod ab ea ſit receptus.*

a CCI. AD PHOTIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

Photium patriarcham Conſtantinopolitanum conſtituit, dummodo in ſynodo veniam poſtulet. decernit ne deinceps ullus e laicis in eadem eccleſia ſtatim epiſcopus ordinetur. jubet Bulgaricam diœceſin eccleſiæ Romanæ reſtitui.

D *Photio patriarchæ Conſtantinopolitano.*

Experientia tuæ prudentiæ literis pontificio noſtro delatis ſatis ubertim comperta, altitonantem dominum, piiſſimas ei grates agentes, laudavimus, qui poſtulatus dat omnibus ſapientiam, & in domo faciens, unanimes habitare, ſalvat omnes in ſe ſperantes, & protegit ſe in veritate quærentes, quique neque probos, reos, neque facit pios, tyrannos: tamen juſte judicans, beatis quibuſlibet æterna præmia, & infelicibus, reſervato interim pœnitudinis tempore, niſi E reſipuerint æterna confert ſupplicia. Prædictis quoque literis præconia noſtra legentes, affectum tuum cognovimus, & quam ſis nunc erga nos devotus, ſatis evidenter reperimus: verum in quo noſtra merita non ſuffragantur, Deo dimittimus; & in quo nos humanis laudibus quicumque mortalium elevare conantur, fragilitatem naturæ noſtræ cum ſumma formidine, eodem Deo præ oculis habito, contemplamur. Scimus enim, ipſo dicente, *quia qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.*

[Margin notes, right: Hanc epiſtolã Photius locis infra notatis corrupit. — Matth. 23.]

Quod dicitur autem, ſanctam Conſtantinopolitanam eccleſiam in te convenire, teque privatam ſedem recipere: miſſos vero noſtros tecum minime conſecrare: de adunatione omnium

nium Deo gratias agimus; sed missis nostris ideo de hoc mandatum non dedimus, quia nil certitudinis, qualiter ipsa sedes haberet, antea comprobavimus. Nunc vero, sicut de pace & adunatione ipsius ecclesiæ valde gaudemus; ita & de dissensione nolentium acquiescere contristamur, quia* Salomone testante, *quasi peccatum ariolandi est repugnare, & sicut genus idololatriæ nolle acquiescere.*

* leg. Samuele. 1. Reg. 15.

Verum† super receptione privatæ sedis nos debuimus ante consuli. Tamen quia abeunte fratre & coepiscopo nostro Ignatio, te Constantinopolitano throno præsidere audivimus: tantum ut pax augeatur, & jurgia cessent multimodas Deo gratias agimus. Tu autem omnium mentes demulcens, omnes paternis ulnis amplectere, omnes dispersos congregare non desinas, omnes colligere solicite stude; quia sicut sanctus papa Leo magnus scribit, sedis apostolicæ, inquiens, moderatio hanc temperantiam servat, ut severius agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis.

† Ista de consulenda sede apostolica Photius detruncavit in sua trãslatione.

Et cum non sit reprehensibilis erga correctum quantacumque miseratio, si satisfaciens coram synodo† misericordiam secundum consuetudinem postulaveris, ac si evidenti correctione utaris, & peritiæ non obliviscens, nullius damna moliaris, quin potius auxilia eorum, qui tibi non velle consentire dicuntur, studiose dissolveris, eosque suis ecclesiis & honoribus restitueris: & si, quia spiritalis filius noster Basilius Christianissimus imperator apud nos pro te multis precibus intervenit, omnes uno voto, uno cosensu & una concordia in tua restitutione convenerint: veniam pro pace sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ tibi concedimus, communionem quoque & gradum, coram† synodo misericordiam quærendo, nihilo minus reddimus, & ut sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ præesse debeas, consentimus, ita tamen ut deinceps de laicis in eadem ecclesia episcopus contra sanctorum patrum statuta nullatenus ordinetur, & omnis illa mala consuetudo abinde penitus amputetur, juxta capitulum quod super hac re in venerabili synodo, tempore scilicet decessoris nostri Hadriani junioris papæ Constantinopoli habita, est congruentissime promulgatum.

† Hæc de misericordia quærenda coram synodo abstulit Photius, hic & alias inferius.

† Hæc quatuor verba itidem decurtavit Photius.

Reliqua vero, quæ literæ tuæ a nobis fore censenda, expectando, dato commonitorio nostris legatis, Petro venerabili presbytero cardinali nostro, deliciosisque consiliariis nostris quædam scriptis, quædam autem verbis injunximus, qui juxta censuram nostri apostolatus instructi de omnibus, cuncta, Deo præ oculis habito, contemplantes, & admittenda ubi fas est admittere studeant, & corrigenda sub æqualitatis libramine corrigant.

Præterea sicut vestra pars suum velle conatur accipere, ita &† diœcesin nostram Bulgariam, quam apostolicæ recordationis sanctissimique domini papæ Nicolai certamine sedes apostolica recepit, ac Hadriani æque beatissimi præsulis tempore possederat, summa nobis celeritate restitui volumus, & de cetero omnem ordinationem ecclesiasticam ab ecclesiæ Constantinopolitanæ præsulibus in eadem diœcesi Bulgarica, auctoritate apostolica amputamus; ipsos autem ordinatos ibidem episcopos, & omnes alios inferioris ordinis clericos, ut inde se subtrahant, & ab invasione Bulgaricæ nostræ diœcesis se omnino compescant, decertare procures. Quibus si tu aut pallium dederis, aut quamcumque illis ordinationem feceris, vel donec nobis obediant, cum eis communicaveris, pari excommunicatione cum eis teneberis annexus.

† Hæc de Bulgarica diœcesi detruncavit Photius omnino.

Nota Severini Binii.

a *Epistola* cci.] Hæc est altera quam a pontifice Ioanne VIII. acceptam Photius a se Græce translatam, & ad perfidiam suam occultandam addendo, mutilando, subtrahendo & expungendo in pseudosynodo sua octava legi ac promulgari fecit.

Porro ille sciens quanta inesset in apostolicis literis auctoritas, lecturus cum esset eas in synodo, ad persuadenda quæ vellet, addidit & abstulit pro arbitrio quæ sibi sunt visa. Quænam autem ista fuerint, ex recitatione ipsius epistolæ ex secunda ejusdem actione depromptæ, Latinitatique ab eodem Metio redditæ, satis intelliges. sic enim se habet.

Ioannes episcopus servus servorum Dei Photio sanctissimo fratri & comministro patriarchæ Constantinopolitanæ ecclesiæ.

SAPIENTIAM & prudentiam fraternitatis tuæ in literis cum perspexerimus, instar† tonitrui cælitus missi ex Deo resonantem & omnes terminos terræ suo strepitu replentem, pias Deo gratias & excelsas laudes retulimus, qui omnibus petentibus juxta eorum petitionem largitur sapientiam, & qui habitat in concordiæ domo, & fovet & protegit omnes qui veritate spem suam in ipsum collocant: quia quique nec malos in finem rejicit, neque bonos ut iis tyrannidem aliquam incidant, supra eorum vires permittit; sed potius justitiæ æqualitate, ac judiciorum æquilibrio omnes res humanas dirigit, & feliciter ducit. Et beatus ille qui alacri animo, præsenti tempore per pœnitentiam lapsos erigit: in cælis enim iste thesauros sibi thesaurizat: hic etenim in hac felicitate permanés, fruetur sempiternis futuris bonis, cum revelabitur futura gloria. Tuas itaque prædictas humanissimas literas cum accepissemus, & laudes nimias quibus nos exornas, & qua animi alacritate erga nos te habes, agnovimus, & quomodo pie & sane te geris: licet laudes quas nobis tribuis, longe a nobis absint. cum enim mortalem & mutabilem naturam nacti simus, non sunt laudes satis tutæ: & magno timore afficimur illius videlicet qui omnia videt, & omnia prospicit, tum occulta tum aperta, ne aliquo pacto aliter ab hominibus nos habiti, aliter in conspectu Dei reperiamur, & pro laudibus & optata gloria perpetuum dedecus lucremur. Sed hæc permittamus interea Deo, qui novit omnia, & quem nihil nostrum latet. Novimus enim ipsum, dicere: *qui se exaltat, humiliabitur.*

† Photius versipellis flectit in laudem suã quod in Dei laudem Ioannes dixerat de altitonante Deo.

Matth. 23.

Scripsisti nobis, quod sanctissima Dei Constantinopolitana ecclesia in te recipiendo, concors & unanimis facta est: & quod† sedem recepisti, quæ tua erat, & qua fueras orbatus. his de rebus de ecclesia videlicet, & de tua restitutione, qua es ad propriam sedem restitutus, Deo ex corde, & pro virili gratias agimus. Habebant etiam literæ pietatis tuæ quod nostri legati noluerunt quam primum tibi comministrare. Et hoc factum dicimus, quia nondum illis permiseramus, ut ea facerent, quæ præceperamus. Si enim mandatum nostrum habuissent, nulla ipsis fuisset dubitatio, nec alicujus mœstitiæ causam pietati tuæ præbuissent. Nec

† Tacet hic Photius quod de privata sede, nempe quam in Magnaura erexerat, vivente Ignatio.

Nec nos ſatis certi eramus de fraternitate tua, quod ad tuam ſedem te Deus reſtituiſſet, & jam ipſam obtinuiſſes: ſi enim hoc reſciviſſemus, miſiſſemus procul dubio, ut par erat, gratulatori tibi pro tuæ ſedis receptione.† Ne igitur interea iniquo feras animo: quod enim antea defuit, jam ex ſuperabundantia completum eſt.

† Aliqua addit, & detruncat aliqua, quæ ſuperius octavimus e confuenda apoſtolica ſede liis.

Didicimus præterea, quod ſunt inter vos nonnulli ſchiſmatici, qui non quieſcunt, ſed in vanum laborant, & certamen diabolicum certant, juxta prophetam dicentem: Diviſi ſunt contriti, ut evellant & evertant ad ſe nonnullos ſimpliciores. Et quemadmodum gaviſi ſumus pro tua reſtitutione, quam Deus operatus eſt, & unione facta eccleſiæ: ita triſtati ſumus pro ſchiſmaticorum illorum interitu.

Iſta de ludibus is Photius addit.

Tu † vero qui præſtas ſapientia & prudentia & gratia a Deo tibi largita, (quid enim habes quod non accepiſti: & ſi accepiſti, novimus te non gloriari quaſi non acceperis,) omnes tibi devincire humanitate contendas eos, qui a te procul ſunt ſegregati & diſperſi, miſericordiæ viſcera illis aperiendo, & benignitate illos complectendo, ſimul congregare ne graveris: ut, quemadmodum ſanctiſſimus papa Leo magnus ſcribit, eos qui quærunt humiliari in conſpectu Dei, & unionem vobiſcum quærere, ſuſcipiamus. Sicut econtra adverſus eos qui duro ſunt corde, fortitudine & conſtantia & patientia illos vincamus, duritiæ etiam cordis illorum obſiſtamus. Similiter illis qui pœnitentiam quærunt, quæ lapſos ſublevat, manus adjutrices præbeamus. Non enim eſt deſperatio pœnitentibus, & petentibus miſericordiam non eſt confuſio.

Quapropter fraternitatem tuam rogamus, ut Chriſti mores imitando, præcipue vero ejus humilitatem quam ſuſtinuit pro ſalute generis noſtri, non te † pigeat in ſynodo prædicare Dei erga te miſericordiam & auxilium, nec non ſanctiſſimæ Romanorum eccleſiæ protectionem & tutelam, & laborem, quem pro tua dilectione ſuſtinuit, ut hoc pacto ædifices omnes pro communione noſtra & animorum noſtrorum concordia. Quandoquidem quæcumque ab illa petiiſti, obtinuiſti etiam. Et ſicut illi mos eſt, ut omnibus qui injuſte patiuntur opem ferat, ita ejus auxilio tu non caruiſti, ſed divina ope & hujus ſanctæ ſedis labore & ſtudio ad ſedem tuam es reſtitutus.

Ioannes non iſta habet, ſed ut ſe miſericordiam coram ſynodo poſtulet. quæ Photius ſtulit hic inferius illi de ad-odum.

Quapropter rationi congruum duco, ut hujus conſueti auxilii necnon benignitatis, quam ipſis operibus ſingulis diebus experiris, de illa in omnem terram ſonum emittere non obliviſcaris, ſed etiam ipſam ſequere, & inſtar illius nulli damnum inferas, nec aliquem a viſceribus miſericordiæ tuæ repellas. Si qui uſque adhuc unionem cum tua pietate amplecti noluerunt, neque tecum convenire, ne deſiſtas, ſed potius laborem & certamen ſuſtine, cum docendo, tum etiam ſermocinando, & longanimi admonitione, nec non alacri & benevolo vultu, ut juxta apoſtolum, vel omnes vel pleroſque lucrari ſtudeas, & tibi conciliare; ac per te ipſi Deo accedentes, illos ad te, & per te ad Deum ſuſcipere dignare. Sacerdotales etiam honores, & eorum eccleſias illis reſtitue.

Et quemadmodum ſpiritalis filius noſter imperator Baſilius pro te nos ejus petitioni rationabili & juſtæ & Deo gratæ obſequentes, fecimus cum tua pietate, quod imperator petierat: eodem pacto te rogamus, ut tu etiam obliviſca-

A ris malorum quæ adverſus te commiſerunt, qui a te fuerant abalienati. † Qui ſi revertantur ex corde, tua pietas honore inſignita apertis nimis illos recipere dignetur, ut omnes feliciter conſentientes, ad converſionem & reſtitutionem tuæ ſedis commune gaudium & diem feſtum & lætitiæ peragamus.

† Detruncavit hic iterum quæ Ioannes habet in ſua epiſtola de quærendo miſericordiam coram ſynodo.

Hoc etiam rogamus fraternitatem tuam, ut nobiſcum decernas, ut in poſterum nullus ſæcularis ex tempore ad pontificalem ſedem aſſumatur, ſed ſecundum gradum & ordinem procedens, & proprium unuſquiſque in ſuo gradu progreſſum virtutis oſtendens, ita pontificalis ſedis gradum obtineat. Qui enim aliter aſcendit, B eccleſiaſticis noſtris canonibus contraria facit. Et volumus morem hunc, qui non eſt probandus, ab initio in veſtra eccleſia inventum, in poſterum irritum abolere. Hoc † autem dicimus juxta canonem editum in ſynodo tempore Hadriani ſanctiſſimi papæ & Taraſii beatæ memoriæ patriarchæ Conſtantinopolitani.

†Hic falſarius & impoſtor aſtutiſſime convertit ad Hadrianũ primum quod dixit Ioannes de Hadriano II ſatis expreſſe. At id ea de cauſa ab eo factũ, quod per illa verba Ioannes probare ſe ſignificaret ſynodum octavam ſub Hadriano habitam juniori.

Synodum † vero contra pietatem tuam ibidem habitam irritavimus & annullavimus, imo & abjicimus, tum propter alia, tum etiam quod beatus papa Hadrianus prædeceſſor noſter illi non ſubſcripſit. Reliqua vero omnia de eccleſiaſticis rebus quæ tua epiſtola nobis inſinuavit, ſcribere omittimus, quoniam de illis in commonitorio C ſcripſimus, cui etiam ſubſcripſimus omnes pro tua reſtitutione, & illud Petro religioſiſſimo presbytero cardinali & legato noſtro dedimus, quem miſimus, & una cum Eugenio & Paulo religioſiſſimis epiſcopis legatis noſtris Dei timorem præ oculis habentes, & ſuam conſcientiam immaculatam conſervantes, omnino vobiſcum faciant, quæ veſtræ eccleſiæ conferre noverint. Deus te conſervet uſque ad finem, dilecte frater reverendiſſime & comminiſter noſter.

† De abrogatione ſynodi cõtra Photium facta nihil penitus in literis Ioãnis, appoſuit hęc impoſtor, ut quaſi apoſtolicæ ſedis auctoritate damnaret, (quod poſtea idem fecit) octavam ſynodum ſub Hadriano habitam. Porro cum hæc impoſtor appoſuit, decurtavit quæ in conditione appoſita Ioannes habet de reſtituẽda diœceſi Bulgarorum.

NOTA SEVERINI BINII.

Ecce tu jam vidiſti, & conferens utraque exemplaria cognoviſti, lector, quo tandem progreſſa impoſtoris D audacia, & auſa ſit falſarii animoſa procacitas, ut tribus verſibus iſtis ad epiſtolam Ioannis ultimo loco additis, tantam molem illam; œcumenicam, inquam, octavam ſynodum, quam occidens & oriens, pontifex & imperator una cum epiſcopis & magiſtratibus tanto labore ſunt conati erigere & ſtabilire, quantum in ipſo fuerit, Photius mendaci ſtylo ſit demolitus. Vt plane iterum rependendæ, quin & aliæ innumeræ ſint agendæ Deo gratiæ, quod ad tam immane periculum evitandum, & immenſum ſcandalum antevertendum, voluerit divina providentia remanere integra exemplaria Ioannis epiſtolarum, unicum remedium ad falſitatem hominis perditiſſimi arguendam & impoſturam aperiendam. Quo nomine pariter, ut vidimus, & ipſe de quo egimus, pontifex Nicolaus ſummas gratias Deo rependit, quod ad convincendas falſitates eaſdem Photii in ſuis literis impudenter admixtas, earum exemplaria Romæ ſervaverit, ſic dicens E in epiſtola ad Michaelem imperatorem: *Veruntamen nos quomodocumque falſitati vel depravationi eadem ſit epiſtola ſubmiſſa, grates innumeras agimus Deo, cujus inſpiratione & fidelia illius exemplaria penes nos retinuimus, & cujus permiſſu qui hæc vel authenticam ipſam ſcripſere, ſupereſſe noſcuntur.* hæc ipſe. Sed nos dupliciter Deo gratias rependere obligamur, & quod Ioannes, ſicut & Nicolaus, miſſarum a ſe literarum exſcripſerit & retinuerit exemplaria, & quod eadem cum codice, quem regeſtum vocant, ſint in hanc diem in Vaticana bibliotheca integra poſt tot naufragia Romanæ eccleſiæ conſervata; ut quod earum tranſlatio facta per Photium fraudulenter poſſet argui falſitatis, cum in multis aliis, tum iis, quæ operatus eſt ad demoliendam funditus œcumenicam octavam ſynodum, tam quod citationem ejuſdem ſynodi octavæ ſub Hadriano habitæ, qua convincitur eam recipere & comprobare Ioannem, omnino eraſit atque penitus abolevit; quam etiam quod diſertis verbis addiderit, ab eodem Ioanne pontifice jam illam prorſus damnatam, irritam, ut ait, ac nullam redditam eſſe.

In hoc ipſum enim totus incubuit homo profanus, A ut adverſum ſe collectam œcumenicam ſynodum, in qua cubitalibus literis, ut ita dixerim, ejus ſcelera multipliciter nota eſſent, abolendam, extinguendamque penitus, ut nec nominaretur amplius, laboraret. Sed & quod ſcitetur teſtificatione hiſtoricorum Græcorum, tum Latinorum, octava ſynodus œcumenica celebrata eſſe Conſtantinopoli: ipſe eodem in loco haberi, eodemque quoque nomine appellari voluit ſuam pſeudoſynodum, quam ſupponeret pro legitima octava œcumenica habita per Hadrianum, uſus ad decipiendos omnes recitatis ſuperius ad ipſum ſcriptis, ſed ab ipſo falſatis literis Ioannis papæ, ex quibus pariter deregas alias ejuſdem nebulonis verſutiſſimi impoſturas. Quamvis enim idem Ioannes pontifex, tum in ipſa epiſtola ad Photium ſcripta, tum in recitata ſuperius ad imperatorem citando dictam œcumenicam ſynodum, ut dictum eſt, eam viſus eſt comprobaſſe; & nihilo minus in additamentis Photii idem ipſe ejus damnator aſſeritur: non iſta ipſi ſatis ſunt viſa, ſed & ab illo falſatum eſt commonitorium ab eodem pontifice datum Petro legato. De quo infra in notis concilii Romani ſub Ioanne VIII.

CCII. AD CONSTANTINOPOLITANOS.

Iubet eos ſchiſmate ſedato ad eccleſiæ unitatem redire, & Photio communicare.

Eximiis viris Ioanni, Leoni & Paulo patriciis, atque Stiliano, Ioanni, & Metrophani reverendiſſimis metropolitis, & ceteris ſacerdotibus, ſeu cujuſcumque ordinis clericis, ſeu laicis.

OMNIUM eccleſiarum Dei ſecundum apoſtolum ſolicitudinem habentes, & paſtoris gregis dominici nobis in ipſo apoſtolorum principe curam commiſſam gerentes, domino di-
Ioan. 21. cente: *Si diligis me Simon Petre? paſce oves meas*, condolemus vobis: quoniam multis jam labentibus annis uſque ad præſens, in diſcordiæ diviſione, & in ſcandalorum perturbatione vos videmus promptos manere, nec per caritatis cuſtodiam ad unitatem eccleſiæ reverti. Quam videlicet unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, Patris & Filii fidem non tenet, vitam non tenet, nec ſalutem. Hoc denique unitatis ſacramentum, hoc concordiæ vinculum inſeparabiliter cohærens oſtenditur, quando in euangelio tunica domini noſtri Ieſu Chriſti non dividitur omnino, nec ſcinditur, ſed ſortientibus de veſte Chriſti quis potius Chriſtum indueret, integra veſtis accipitur, & incorrupta, atque indiviſa tunica poſſidetur. Poſſidere enim non poteſt indumentum Chriſti, qui ſcindit & dividit eccleſiam Chriſti. Quis ergo ſic ſceleratus, & perfidus? Quis ſic diſcordiæ furore veſanus? Quis aut credat ſcindi poſſe, aut audeat ſcindere unitatem Dei? veſtem domini? eccleſiam Chriſti?
Ioan. 16. Monet ipſe in euangelio ſuo dicens: *Et erit unus*
1. Cor. 1. *grex, & unus paſtor.* Apoſtolus autem Paulus hanc eamdem nobis inſinuans unitatem, hortatur dicens: *Obſecro vos per nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Et iterum dicit:
Ephes. 4. *Suſtinentes invicem in dilectione, ſatis agentes ſervare unitatem ſpiritus in conjunctione pacis:* quoniam nec habere pacem cum Deo poterit, qui cum fratribus pacem per zeli diſcordiam non habuerit. Quam igitur ſibi pacem promittunt inimici fratrum? quæ ſacrificia celebrare ſe credunt ſacerdotes, caritatis Dei qui non ſunt veſte induti?
Ioan. 14. Pacem nobis Chriſtus dedit; *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo vobis*: concordes, atque unanimes eſſe præcepit: dilectionis, & caritatis fœdera incorrupta, atque inviolata mandavit. Et ideo veſtram ſalutem cupientes, monemus, & apoſtolica benignitate jubemus, vos omnes ſanctæ eccleſiæ uniri, veſtroque patriarchæ, Photio videlicet, quem pro eccleſiæ Dei pace, & unitate recepimus, adhærere, communicareque ſtudete. Nam ſi hæc noſtra apoſtolica monita tantis ſupradictis teſtimoniis divinis firmata audire contempſeritis, in veſtra pertinacia manere volentes; ſcitote quia miſſis noſtris præcepimus tamdiu vos omni eccleſiaſtica communione privare, quamdiu ad unitatem corporis Chriſti, & ad veſtrum contempſeritis redire pontificem. Nec aliquis B veſtrum hanc habeat in redeundo excuſationem, pro ſcripturis de hac cauſa compoſitis; quia divina poteſtate, quam accepit eccleſia Chriſti, cuncta ſolvuntur vincula, quando per paſtoralem auctoritatem, quæ fuerant ligata ſolvuntur: quoniam ſicut dicit ſanctus papa Gelaſius, nullum eſt vinculum inſolubile, niſi circa eos, qui in errore perſiſtunt. (In tomo de anathematis vinculo.) Data menſe Auguſto, indictione XII. die XVI. *Miſſa per Petrum preſbyterum.*

CCIII. AD PAULUM ET EUGENIUM EPISCOPOS.

Conſtituit eos una cum Petro preſbytero legatos, ut, ſicut illos monuerat, pacem in C eccleſia Conſtantinopolitana conficiant.

Reverendiſſimis Paulo Anconitano, Eugenioque Oſtienſi epiſcopis.

QUAMVIS contra noſtram egeretis voluntatem, & Conſtantinopolim venientes, inquiſita cauſa eccleſiæ pacis & unitatis, Romam reverti, nobiſque omnia ſub certa relatione debebatis referre. Et quia primam legationem vobis commiſſam idonee non peregiſtis, ſecundam vobis ideo committere non debebamus: tamen apoſtolicæ miſerationis benignitate utentes, & in hac ſecunda legatione fideliter perficienda, vos D huic Petro religioſo preſbytero cardinis noſtri, familiarique noſtro ſociamus: quatenus ea, quæ pro pace & unitate eccleſiæ Dei agenda ſunt, ſecundum apoſtolicos noſtræ auctoritatis apices, & ſecundum [a] commonitorii noſtri tenorem capitulatim deſcriptum, ſagaci valde intuitu ſimul agatis; & ita definiatis, ut gratiam noſtram, quam prius inobedienter agendo exaſperaſtis, nunc fideliori devotione operando, placabilem habere poſſitis. Data menſe Auguſto, indictione duodecima.

NOTA SEVERINI BINII.

E a *Commonitorii noſtri.*] Commonitorium ipſum, cujus hic fit mentio, reperitur recitatum, ſed a Photio falſatum, in actione ſecunda ſynodi Photianæ, octavæ mendaciter dictæ. Quod etſi non inveniatur inter Latine ſcriptas epiſtolas ipſius Ioannis, ut ex autographo poſſit argui falſitatis; tamen ex multis aliis idipſum conſequi facile poſſumus, ut patebit infra in notis concilii Romani ſub Ioanne VIII.

CCIV. AD ANGELBERGAM AUGUSTAM

Significat ſe modo abſolvere nolle Anſpertum archiepiſcopum, ſed ſi in ſynodo crimina, quæ objiciebantur, diluerit, tunc eum excommunicatione abſoluturum. ait ſe pro Ludovico imperatore in anniverſario ejus die ſacra facturum.

Dilecta

Dilectæ ac spiritali filiæ Angelbergæ imperatrici.

PIo affectu petitionis vestræ preces, quibus nos super absolutione excommunicationis Ansperti Mediolanensis archiepiscopi precata es exaudire, secundum collatam nobis ligandi solvendique divinitus potestatem, non prætermitteremus: & maxime propter annuam commemorationem divæ memoriæ domini Ludovici, quondam imperatoris Augusti, quæ in proximo celebranda est. Sed quia synodali eum decreto pro suis negligentiis, & præsumptionibus, sicut ipsa bene cognoscis, excommunicavimus, absque eorumdem fratrum, & coepiscoporum nostrorum, cum quibus in eum excommunicationis sententiam promulgavimus, consensu & voluntate nunc absolvere nolumus; ne ab his, qui vel desiderio, vel negligentia ecclesiasticam disciplinam contemnunt, & multa non presumenda præsumunt, canonicum parvipendatur judicium. Porro cum ad nominatam synodum, quam secundum sacros canones Spiritu Dei conditos quarto Idus Octobris, domino annuente, celebraturi erimus, vel ipse venerit, vel e latere suo venerabiles confratres & coepiscopos suos direxerit, qui nobis, & sanctæ synodo de his, quæ illi objecta sunt, idonee satisfaciant: tunc post veram satisfactionem, ab omni eum excommunicationis nexu proculdubio absolvemus, & quasi fratrem, & comministrum, in nostræ communionis consortio incunctanter habebimus: & ideo pro prędicta annua commemoratione ipsius domini & senioris vestri ne turbemini, quod modo vos pro absolutione præfati archiepiscopi non audivimus. Nam in eodem die, quo ipse de sæculo migravit, pro animæ illius requie sempiterna, sacrificium erimus domino oblaturi: etiam & pro anima Supponis fraterna moti compassione omnipotentem dominum deprecamur, ut suorum absolutionem valeat percipere delictorum.

[Sa]crificia, [or]ationes pro de[fu]nctis.

CCV. AD LANDVLFVM ET LANDONEM.

Scribit Trajectum se iturum, & quæ paci eorum conducant, curaturum: ibique cum de aliis, tum de Landulfo Capuanæ ecclesiæ episcopo electo acturum.

Dilectis viris Landoni filio Landonis, & fratribus ejus, seu Landulfo filio Landenulfi, ejusque germanis.

RECEPTIS atque perlectis literis vestris, quas nostro pontificio direxistis, quanta pace, & concordia vos post obitum Landulfi bonæ memoriæ Capuani episcopi, cum Pandenulfo conjunxissetis, & jusjurandum fraterno ac indivisibili fœdere inter vos habito firmassetis, luce clarius novimus: sed suadente humani generis inimico, & zizaniorum inter vos semina diffundente, omnem concordiam, & unanimitatem, quæ inter vos divino respectu extiterat, videmus corruptam atque confusam. Pro quo videlicet tantæ inimicitiæ malo, vobis jam literis nostris per dominicum venerabilem episcopum nostrum ad vos delatis, innotescentes, mandavimus quoniam Deo propitio, pro vestrum omnium salute ac pace volumus Kalendis Octobribus Trajectum venire, ibique vobiscum, & cum Guaiferio glorioso principe, atque cum Capuanis, ceterisque vestratibus loqui, & ordinare primum ea quæ nobis & vobis sunt necessaria, vestræque paci & utilitati proficua; quatenus totius discordiæ scandalo de medio vestri ablato, & recepta Dei pace, quæ superat omnem sensum, in fraterna dilectione, & in pristina devotione omnes concordes, & unanimes manere valeatis: & tunc sive de Landulfo venerabili presbytero, quem omnium Dei sacerdotum, & judicum, seu totius Capuanæ plebis voto, parique consensu electum habetis, sive de aliis necessariis causis, vestram secundum sacros canones adimplebimus voluntatem; & idcirco grave non videatur nobilitati vestræ nostrum, ut dictum est, specialem præstolari adventum. Philip. 4.

CCVI. AD GVAIFERIVM PRINCIPEM SALERNITANVM.

Eadem quæ in superiori. præterea arguit, quod contra Capuanos arma sumpserit. rogat ut mancosos sibi ab Amalfitanis restitui curet.

Dilecto filio Guaiferio glorioso principi.

SICUT nobis literis vestris mandastis, quod devotam circa nos amicitiam, & sinceram conservetis dilectionem, hoc multis jam evidentibus documentis luce clarius agnoscimus & tenemus: unde & noster apostolicus animus circa nobilitatem vestram, utpote circa carissimum filium, benignus existit, cupiens honorem, & gloriam vestram semper immutilatam conspicere & audire. De electo autem Landulfo, videlicet venerabili presbytero Capuanæ ecclesiæ, pro quo jam toties nostro pontificio suggessistis, non aliquo malæ voluntatis affectu vos nunc usque audire pretermisimus, sed sola pacis veræ causa, & inter proximos augendæ dilectionis. Nam sicut vobis nunc literis nostris per Dominicum episcopum ad vos delatis mandavimus, cupimus, Deo propitio, pro vestrum omnium salute, concordia, & unanimitate Kalendis Octobribus Trajectum venire, ibique vobiscum & cum Capuanis, ceterisque vestratibus loqui, & ordinare primum ea, quæ nobis & vobis sunt necessaria, & vestræ paci, utilitatique proficua; & tunc sive de prefato electo, sive de aliis necessariis causis, vestram adimplebimus voluntatem: quia vestro sagaci consilio, communique consensu, quæ pro pace fraterna, & pro terræ nostræ, ac vestræ defensione sive Sarracenorum perditione consideranda & perficienda sunt, peragere cupimus. Quapropter, sicut nos vestrum volumus desiderium & honorem alacri mente implere, ita quoque & vos illa quæ nostro apostolico culmini sunt decentia, devota mente debetis peragere: quamvis in hoc reprehensione non modica digni videamini, quod sumptis armis contra Capuanos inter assiduas Paganorum persecutiones consistentes, persequi & impugnare præsumpseritis, antequam eorum culpas nobis veraciter cognitas fecissetis. Porro de mancosis, quos pro defensione terræ sancti Petri dedimus te presente Amalfitanis; volumus ut eosdem mancosos ipsi Amalfitani deferant secum navigio usque in portum urbis Romanæ, quoniam salvi & securi ibi manebunt; & tunc accepta a nobis prius securitatis sponsione, ipsos nobis mancosos reddere procurent: quatenus nostra recipientibus nobis, nullam pro his de cetero patiantur calumniam.

A

CCVII. AD LEONEM EPISCOPUM.

Dolet Capuæ discordias esse excitatas. significat se Trajectum iturum, ibique de Landulfo episcopo electo, cujus confirmationem petierat, acturum.

Reverendissimo & sanctissimo Leoni episcopo.

SACERDOTALEM curam & solicitudinem, quam pro ecclesiæ Dei utilitate, populique concordia, & pace peragere procul dubio debent domini sacerdotes, literis tuis relectis, te luciflue habere cognoscimus; dum Dei, proximique dilectione solicitus, doles Capuanos nobiles scilicet viros, fraterno fœdere per jusjurandum inter eos habito nequiter corrupto ad veram discordiam & inimicitiam pervenisse; & adhuc in ea improvida mente consistere, atque pro Landulfo venerabili presbytero, & electo a vobis, & omni sacerdotali cœtu, nobiliumque caterva, cunctoque populo Capuanæ civitatis, pontificio nostro supplicas, quatenus eum non differamus sacræ plebi Capuanæ antistitem ordinare. Nos autem pastorali solicitudine moti, vobiscum similiter condolemus fratres, & propinquos pro sæculi cupiditate in tantam discordiæ & inimicitiæ voraginem demersos; pro quibus sane, Deo propitio, pacificandis, volumus Kalendis Octobribus Trajectum venire, & ibi cum Guaiferio principe, atque vobiscum, & cum Capuanis, ceterisque vestratibus loqui, & ordinare primum ea, quæ nobis & vobis sunt necessaria; & tunc de seipso electo vestram secundum sacros canones adimplebimus voluntatem: & idcirco grave non videatur dilectioni vestræ nostrum, ut dictum est, specialem præstolari adventum. *Unam talem Adelchisi episcopo: & alteram Lupeno episcopo.*

CCVIII. AD LANDULFUM PRESBYTERUM.

Laudat eum, quod ad propinquorum suorum insidias evitandas Capua fuerit egressus, & in discordiis sedandis elaboret. significat Trajectum se iturum, ibique de ejus electione deliberaturum.

Landulfo venerabili presbytero, & electo.

QUIA discordantium parentum tuorum insidias declinando, & ex urbe Capuana egrediendo, in antiqua sanctæ ecclesiæ Capuanæ sede, nomine videlicet S. Stephani protomartyris refulgente, nunc habitare te asseris, atque cum vicinis episcopis assidue decertas, ut male divisos adunare atque discordantes pacificare, Deo favente, possis, gratum recepimus. Quia & ante susceptum officium ea quæ sunt boni pastoris peragis, in quo scilicet, ut perseveres hortamur, usque ad nostrum specialem adventum; quoniam, Deo propitio pro vestrum omnium salute, concordia & pace, Kalendis Octobribus volumus Trajectum venire, ibique cum Guaiferio glorioso principe, & cum aliis eximiis parentibus tuis loqui, & ordinare primum ea, quæ nobis & vobis sunt necessaria, vestræque paci & utilitati proficua, & tunc provectionem tuam, secundum sacros canones, omnibus pacificatis, peragere.

CCIX. AD PULCAREM PRÆFECTUM.

Arguit, quod nec fœdus cum Paganis ictum ruperit, nec ditionem sancti Petri, sicut promiserat, defenderit. præcipit, ut pecuniam pro ea re datam ad se remittat.

Dilecto viro Pulcari præfecto.

PRO salute animæ tuæ, ac pro defensione totius Christianitatis, quæ te cum Paganis pactum habente, quotidie deprædatur, atque in diram ducitur captivitatem, multa tibi, & populo tuo, quæ postulasti, fecimus bona. Insuper decem millia mancosorum argenti dedimus tibi, ut terram sancti Petri rupto fœdere Paganorum defenderes; quod tu cum tuis per jusjurandum facere promisisti, sed timore judicii Dei postposito, neque pactum iniquum disrumpere voluisti, neque propter jusjurandum litora nostra defendere, sed potius deprædari diabolico jam juri subjectus, permittis, & in animæ tuæ perditionem consentis, oves pretioso Christi cruore acquisitas duci captivas. Et ideo dignum est, ut ipsos mancosos, quos tibi pro defensione terræ nostræ dedimus, recipiamus. Quapropter volumus, ut eosdem mancosos per tuos fideles Amalfitanos usque in portum urbis Romanæ nobis navigio venientes remandes; quoniam ipsi Amalfitani salvi & securi ibi manebunt: & tunc accepta prius a nobis securitatis sponsione, præfatos mancosos nobis reddere procurent; quatenus nostra recipientes, nullam tibi, vel populo tuo inferamus calumniam. Nam & dromonibus nostris præcepimus, ut nullo modo aliquam populo tuo faciant contrarietatem, si tamen nobis ipsos mancosos salvos reddideris.

CCX. AD MONACHOS PULTARIENSIS COENOBII.

Dolet de eorum calamitatibus, & significat se ipsorum causa Bosoni principi, atque Hugoni abbati scripsisse ut eos tuentur. exemplar etiam testamenti Gerardi fundatoris Ansegiso archiepiscopo, & Conrado comiti misisse.

Sanctæ congregationi summi apostolorum principis Petri cœnobii nostri Pultariensis.

COGNOSCAT pro certo fraternitas vestra, nos relectis literis vestris, pro tantis adversitatibus, quas ab iniquis quotidie sustinetis hominibus, valde tristes existere: quoniam sicut de vestra prosperitate gaudemus, ita quoque & de vestra tribulatione tristamur. Unde volentes sanctam congregationem vestram, ut pote dominicum gregem in ipso apostolorum principe nobis commissum; salvam & quietam habere, direximus secundum petitionem vestram nostras apostolicas literas Bosoni glorioso principi, & Hugoni nobilissimo abbati, petentes quatenus pro Dei sanctorumque apostolorum principum Petri ac Pauli amore, nostraque dilectione, suæ defensionis auxilium vobis impendant, & contra Dei atque omnes vestros adversarios manum suæ potentiæ extendant, ut quiete ac securiter degentes, debitas domino laudes persolvere, ac pro nobis & omni populo Christiano valeatis omnipotentem dominum deprecari, & res sancti nostri monasterii tranquilla mente disponere,

regere,

regere, ac secundum dominum dispensare possitis. Porro exemplar ipsius testamenti, per quod Gerardus bonæ memoriæ comes, una cum Berta quondam conjuge sua ipsas res principibus apostolorum Petro & Paulo tradidit, bulla nominis nostri munitum, Ansegiso archiepiscopo, & Conrado comiti in cujus comitatu ipsæ res continentur, per præsentem nuntium vestrum direximus. Vos itaque videte, si de his omnibus adjuti fueritis, an non, & nobis renuntiate, ut quali consilio meliori potuerimus, vos libentissime adjuvare curemus. Fraternitatem vestram orantem pro nobis dominus dignetur conservare incolumem.

CCXI. AD HVGONEM ABBATEM.

Vt monasterium Pultariense tueatur.

Dilecto filio Hugoni nobilissimo abbati.

QVANTA vos dilectione, quantoque nostræ paternitatis quasi unicum filium dilexerimus affectu, ex eo quo vestram sublimem cognovimus sagacitatem, & gloriam, ipsi abundanter recolitis: quoniam & vestra nos excellentia, veluti patrem spiritalem, in omnibus colere & honorare animo tranquillo curavit. Quo videlicet mutuæ dilectionis fœdere illibato confisi, monasterium sancti Petri, quod appellatur Pultariense, & Gerardus quondam comes de rebus suis perfecit, atque dotavit, & sancto Petro tradidit, petimus ut vestra in omnibus tuitione adjuvetur: quia fratres qui nunc in eo consistunt, & sedulas Deo laudes persolvunt, orantes pro salute omnium in Christo credentium, ab inimicis vicinis perturbantur, omnisque illorum, imo nostra familia crudeliter assidue vexatur & opprimitur. Ita sane ut neque arare, neque cetera quæ ad terræ culturam pertinent, possit exercere. Quapropter & vestrum auxilium eidem sancto loco impendatis, & contra Dei atque ejus adversarios manum vestræ potentiæ, pro amore Dei, & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli, nostraque dilectione, extendatis, quatenus vestro potenti brachio freti, salvi in omnibus & securi consistant: ut & in præsenti dignas a nobis retributiones, & in futuro multiplicem a domino valeatis mercedem cum sanctis recipere.

CCXII. AD HVGONEM ET RADVLFVM.

Quod Vendoaram villam sancti Petri Pultariensis nulli concesserit, & Arembertum, qui a Bosone eam accepit, excommunicari jusserit, nisi ab ea abstineat.

Hugoni & Radulpho fidelibus nostris.

COGNOSCAT pro certo fidelitas vestra, quia nos ipsam villam nostram Vendoaram, quam dicitis esse invasam a Bosone comite, quasi nos eam cum illo commutassemus accipientes alteram ab eo, neque beneficiali more, neque alicujus commutationis tenore, neque alio quocumque modo, cum eodem Bosone, vel alio quocumque homine, dedimus, neque commutavimus. Ideo in fidelitate & servitio sanctorum apostolorum Petri ac Pauli devota mente permanentes, ipsam villam sub nostro jure tenentes, defendite, & cum domini auxilio gubernate, nec alicui homini credatis nos aliquando præfatam villam quolibet modo daturos.

A Direximus vero, pro nostro adjutorio ac defensionis auxilio, literas nostras jam dicto Bosoni comiti, ut pro amore Dei, & S. Petri, ac nostro, & suos homines inde removeat; & ipsam villam nullatenus invadere, nec invasam retinere præsumat: quin potius suo vos brachio tueatur, & ab omnibus erga vos male agentibus dignetur defendere, si gratiam Dei & principis apostolorum cupit habere. Arembertum autem vasallum ejus, cui ipsam villam beneficio dederat, omni ecclesiastica communione per Isaac venerabilem episcopum jussimus esse privatum, si in eadem villa ulterius temere intrare, aut aliquam ibi contrarietatem facere præsumpserit.

B

CCXIII. AD BOSONEM COMITEM.

Vt Arembertum & quosvis alios a Vendoara villa removeat, eamque Pultariensibus restituat, & monasterium ipsum tueatur.

Dilecto filio Bosoni glorioso principi.

QVANTA vos dilectione, quantoque nostræ paternitatis dilexerimus affectu ex eo quo vestram sublimem cognoverimus gloriam, ipsi abundanter recolitis quoniam & vestra nos excellentia, veluti patrem spiritalem, in omnibus colere & honorare animo tranquillo
C curavit. Quo videlicet mutuæ dilectionis fœdere confisi, ea quæ sub jure sanctorum apostolorum principum Petri ac Pauli per totius Galliæ provincias immobilia loca consistunt, cum hominibus, omnibusque sibi pertinentibus, ut vestro potenti brachio defensa manerent rogavimus, vestroque auxilio secura consisterent, quod vos pro amore Dei & S. Petri, nostroque honore, nobis libenter facere promisistis. Nunc autem, sicut audivimus, villam nostram Vendoaram absque nostro consensu & voluntate occupatis, & uni vestro vasallo, nomine Aremberto, in beneficium dedistis, &, si verum est, non bene, sicut vos decebat, egistis. Ideo rogamus, fili ca-
D rissime, celsitudinem tuam, ut propter amorem domini, & S. Petri cælestis regni clavigeri, ipsam villam nostris, qui ibidem resident, hominibus sub nostro jure, sicut nos eam ordinavimus, liceat habere securiter: omnesque vestros, vel alienos homines ab ejusdem villæ habitatione vel dominatu removeatis: nec vestris diebus aliquam a quocumque homine contrarietatem patiamur. Simili etiam modo petimus, ut monasterium S. Petri, quod appellatur Pultariense, & Gerardus quondam comes de rebus suis perfecit, atque dotavit, & sancto Petro tradidit, vestra in omnibus tuitione adjuvetur: quia fratres qui in eo consistunt, & sedulas Deo laudes
E persolvunt, orantes pro salute omnium in Christo credentium, ab inimicis vicinis perturbantur, omnisque illorum, imo nostra familia crudeliter assidue vexatur & opprimitur, ita sane ut neque arare, neque cetera, quæ ad terræ culturam pertinent, possit exercere. Quapropter & vestrum auxilium eidem sancto loco impendatis, & contra Dei atque ejus adversarios manum vestræ potentiæ, pro amore Dei, & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli, nostraque dilectione extendatis, quatenus vestro potenti brachio freti, salvi in omnibus & securi consistant, ut & in præsenti dignas a nobis retributiones & in futuro multiplicem a domino valeatis mercedem recipere.

A

CCXIV. AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Monet ut a molestiis desistat, quas Capuanis inferebat. significat se in ejus regiones iturum, & discordias sedaturum.

Nobilissimo viro Guaiferio glorioso principi.

RELATU quorumdam didicimus, quod suadente humani generis inimico, qui totius inimicitiæ, & mortis est auctor, cupiatis multiplicia damna, & adversa inferre Capuanis; & propter discordiæ malum, quod sæculi quotidie livore generatur, & inter propinquos, atque B amicos accrescit, cogitetis generale discrimen præbere, unde scilicet non modica turbatio his vestris in partibus oriatur, & longi temporis scandalum maneat. Et dum non desint extranei hostes, cum quibus assidue luctamen habeatis, vultis contrarietatis discrimina præbere propinquis, quos in auxilium vobis opportunum poteratis habere fautores. Nos idcirco, more paterno, vos quasi dilectum filium admonemus, & ex Dei omnipotentis auctoritate, beatorumque apostolorum Petri & Pauli potestate, prohibemus, ut non habeatis licentiam super præfatos Capuanos ire, neque aliquam illis contrarietatem inferre usque ad nostrum specialem adventum. C Quoniam, Deo auxiliante, cum hujus æstivi temporis fervor transierit, pro omnium vestrum salute, concordia & unanimitate, has vestras in partes veniemus: quatenus, nobis præsentibus, omnis vis sopiatur, omneque scandalum, quod ex vipereo semine inter vos & illos accrevit, de medio vestri auferatur. Nos namque salutem vestram ne in æternum pereatis, cupimus: & ideo volumus, ut ea, quæ pacis sunt, sectemini semper. Nam pro vestro cum venerimus amore, ipsum quem vultis Capuanæ plebi, domino favente, antistitem ordinabimus, ut vester principalis honor indiminutus permaneat. Quod si forte aliter vos facere cognoverimus, scitote D quia nostræ vos non habebimus communionis consortes.

CCXV. AD PANDENULFUM CASTALDUM.

Significat se Guaiferio scripsisse ut ab inferendo Capuanis damno desisteret.

Nobili viro Pandenulfo glorioso castaldo.

RELECTIS industriæ tuæ literis, quas per talem fidelem hominem tuum nobis mandasti, ea quæ nostro pontificio supplicare studuisti apostolica dumtaxat benignitate audivimus, ac, prout ratio exigebat, partim complevimus. Direximus namque nostri apostolatus E literas Guaiferio, & admonendo, increpando, atque excommunicando eum non habere licentiam ex Deo, & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli, nostraque auctoritate permissum venire contra urbem Capuanam, neque aliquam in omnibus suburbanis, & finibus ejus contrarietatem inferre, nullasve moliri insidias, usquequo istas in partes, auxiliante domino, post hujus æstivi temporis fervorem veniremus.

CCXVI. AD CAROLUM REGEM.

Scribit se literis eum, ut ad imperium promoveret, ad urbem advocasse, Ravennam usque ad eum processisse, sperasseque se auxilium ab eo adversus Romanæ ecclesiæ hostes recepturum: quæ spes ita eum frustrata est, ut nunquam hostes magis sævierint. petit ut ecclesiæ opem ferat, & dum iter parat, legatos ad se mittat: suosque legatos commendat.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

QUOD bene vestra regalis cognoscit sublimitas, a longo jam tempore vos pro utilitate & exaltatione sanctæ sedis apostolicæ matris vestræ ad culmen imperii, Deo propitio, volentes perducere, auctoritatis nostræ literis missis vocavimus, ac postmodum præ magnitudine amoris vestri, relicta nostra ecclesia inter sævas hostium non solum Paganorum, sed etiam malorum Christianorum manus, ad vos Ravennam pervenimus: quod nullus antecessorum nostrorum gloriosissimis progenitoribus vestris aliquando fecisse recolitur, sperantes scilicet omnem honorem, pristinumque vigorem sanctæ Romanæ ecclesiæ per vos ad augmentum perfectum perducere, atque inimicorum sanctæ Dei ecclesiæ, & nostrorum ferocem severitatem omni modo comprimere, facileque superare putabamus. Sed quia de his omnibus nihil apud magnitudinem vestram, ut volebamus, peregimus; revertentes prioribus pejora reperimus. Nam inimici nostri majori audacia elevati, non solum ea, quæ sancti Petri sunt, diripere, sed etiam homines nostros in sua potestate recolligere, & retinere non dubitant. Quapropter fili carissime pro certo scitote, quia nos vestrum honorem & gloriam toto conamine desideramus perficere: & ideo vos ea, quæ utilitati, & exaltationi sanctæ sedis apostolicæ proficua sunt, pio intuitu, menteque devota debetis peragere. Unde obnixe precamur, ut nobis dirigatis Luithbardum venerabilem episcopum, Manigoldum filium Adelberti, & Adelbertum protopincernam vestrum, qui antequam vos has in partes veniendi iter sumatis, nos & sanctam matrem vestram Romanam ecclesiam certificent, & ad vestrum honorem & gloriam placabiles, & lætos efficiant: quatenus Deo auxiliante, vobis venientibus Romam, unum de pactis, & privilegia sanctæ Romanæ ecclesiæ, more parentum vestrorum, renovare &confirmare studeatis: & petimus, ut de hoc, quod pro honore Dei, & sanctæ ecclesiæ, seu vestro vos facere monemus, aliquid inimicis nostris non credatis, neque his, qui magis ea quæ sua sunt, quam vestram gloriam quærunt, eo quod honor & exaltatio sanctæ Romanæ ecclesiæ vestra protectio est in omnibus, vestraque contra omnes inimicos defensio. Hos autem missos nostros, Marinum videlicet, venerabilem episcopum, & arcarium sedis nostræ, atque Petrum æque episcopum Senogalliensem vobis direximus, quos ut benigne recipiatis rogamus, & ea, quæ vobis verbo tenus dixerint, quasi nobis credere non dubitetis. Data *ut supra.*

Imperator a Romano pontifice eligitur.

CCXVII. AD EUMDEM.

Dolet se non posse cum eo colloqui. Arnulfum legatum ad eum mittit, petens ne Romanam ecclesiam ab hostibus lædi patiatur, ideoque ejus legatum cum Arnulfo ad se mitti jubet.

Dilecto ac spirituali filio Carolo glorioso regi.

AUDIVIMUS quod debeatis nunc Alpes transire, atque cum carissimo fratre vestro communi eloquio frui: unde valde turbati existimus, eo quod secundum commune placitum sperabamus nos vobiscum simul convenire, & magnum ac proficuum opus exaltationis sanctæ B Romanæ ecclesiæ matris vestræ, vestrique honoris, & totius terræ sancti Petri salutis peragere. Idcirco direximus vobis hunc carissimum nepotem nostrum Arnulfum deliciosum consiliarium nostrum, per quem vestræ regali suggerimus magnificentiæ, ut nullo modo prætermittatis ita ordinare, atque disponere terram S. Petri: quatenus salva, & defensa non solum a Paganis, sed etiam a malis Christianis, quos ipsi procul dubio scitis, permaneat: donec Deo auxiliante, revertentes ad gremium sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ veniatis; quia si hoc prætermiseritis, tanta undique adversa vix ferre valemus. Quapropter vestra regalis magnitudo prævideat, ne vestris diebus eadem ecclesia aliquam minuitatem patiatur, sed per vos magis augmentetur, quoniam ipsius augmentum vester est honor. Ideo petimus, ut cum præsente jam dicto nepote nostro idoneum e latere vestro nobis dirigatis legatum, qui ad salutem, & justitiam terræ nobiscum interim pariter & promptissime in omnibus, prout opus fuerit, desudet; ut & nos omnem vestrum honorem libentissime valeamus perficere: cui ea, quæ vobis dixerit, quasi nobismetipsis credere non dedignemini. Quamobrem rogamus, ut libenti animo hoc facere, & secundum promissum vestrum adimplere omnimodis satagatis: nam certos vos esse volumus, quia vestrum honorem, & gloriam tota mente desideramus perficere.

CCXVIII. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM.

Miratur, quod injuriis lacessitus ad se non confugerit. nuntium Ravennam mittit, qui omnia contra eum gesta diligenter inquirat: & eos, qui injuriam intulerant, Romam venire compellat; quibuscum ipse ad synodum proficiscatur, ubi ejus causa agetur: eumque arguit, quod in sua ecclesia non resideat;

Reverendissimo & sanctissimo Romano archiepiscopo sanctæ ecclesiæ Ravennatis.

AUDIENTES tales vobis a quibusdam insidias, & injurias accidisse, mirati sumus, quomodo ad Romanæ ecclesiæ gremium, & ad nostram apostolicam non statim veneritis præsentiam; nam si venissetis, pro certo scire potestis, quia nos diligenter inquisitis omnibus, omnem tuam causam ad optatum, & prosperum finem, Deo favente, omnimodo perduceremus. Nunc autem pro hujus rei causa missum prudentem dirigimus Ravennam, cui ea, quæ nobis mandastis contra te acta fuisse, diligenter inquirere jubemus, ut eos qui talia, ut asseritis, A egerunt, sub fidejussore, talique legato obliget; quatenus ipsi de præsenti Romam compellantur venire. Quibus sane venientibus, volumus ut & vos pariter veniatis Kalendis Octobris, sicut tibi pro celebranda etiam synodo præceptum est, quia in præsentia nostra causam tuam volumus deliberare: quoniam nos, secundum datam nobis divinitus potestatem, more prædecessorum nostrorum vos adjuvare omnino curabimus; nam volumus ut honor sanctæ Ravennatis ecclesiæ semper indiminutus permaneat. In hoc tamen redarguendus es, quia dimissa ecclesia tua Ravennæ, per alienas ecclesias contra tuam sponsionem discurris, & resides: nam pro his quæ tibi evenisse dicis. Data *ut supra.* Deest aliquid.

CCXIX. AD OMNES FIDELES.

Præcipit ut Ticinensi episcopo, cui potestatem excommunicandi tribuerat, obediant.

Omnibus reverendissimis & sanctissimis episcopis, seu eximiis marchionibus cunctisque sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus.

HABENTES omnium ecclesiarum Dei, secundum apostolum, solicitudinem, dignum duximus vestram industriam his apostolatus nostri literis admonere, atque apostolica benignitate C magnopere exhortari: quatenus potentiæ munus, quod divina largitate habetis, utilitati ecclesiæ, & honori sacerdotali prodesse debeat semper. Ticinensi ecclesiæ quæ speciali quodam modo sedi apostolicæ pertinere videtur, ejusque antistiti Ioanni videlicet confratri nostro cui vice nostra transgressores excommunicandos commisimus, eo videlicet tenore, ut quos ipse excommunicaverit, ipsi excommunicati existant, ut ei auxilium alacriter impendatis, monemus, nullam contrarietatem, vel invasionem in rebus, vel hominibus ipsius ecclesiæ quamlibet facere permittatis: quin potius vestro eos solatio tueri pro D Dei, nostroque amore diligentissime studeatis; sed & clericos illius nemo vestium in commendatione, aut sub alicujus defensionis obtentu, absque prædicti episcopi sui licentia recipere præsumat. Quod si contra hoc nostrum apostolicum statutum aliquis suorum clericorum agere tentaverit, ecclesiastica sit tam acceptor, quam acceptus communione privatus. Data *ut supra.*

2. Cor. 11.

CCXX AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut Romam ad synodum veniat.

E

Reverendissimo & sanctissimo archiepiscopo sanctæ ecclesiæ Ravennatis.

SICUT jam olim vestræ præcepimus reverentiæ, ut pro multis ecclesiarum Dei necessitatibus quarto Idus Octobris Romam venientes, synodum pariter celebraremus; nunc iterato his apostolatus nostri literis fraternitati vestræ jubemus, ut omni mora, vel occasione postposita ad denominatam synodum, quam Deo auctore, in prædicto tempore celebraturi erimus in ecclesia beati Petri principis apostolorum, cum suffraganeis tuis episcopis occurrere nullatenus prætermittatis: quia nos omnium ecclesiarum Dei utilitati & exaltationi, sicut oportet, pari

pari consensu & decreto more prædecessorum A nostrorum consulere volumus. Et ideo vestram, secundum sacros canones unanimitatem adesse volumus: quatenus ecclesiæ Dei vigor, Christo favente, per synodalem censuram illibatus permaneat. Quapropter si in veniendo nunc aliquam moram, vel negligentiam admiseritis, scitote quoniam canonica vos redarguemus censura. Optamus sanctitatem tuam. & Data XI. Kalendas Octobris, indictione XIII.

CCXXI. AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

Præcipit ut in locum Ansperti archiepiscopi in Romana synodo privati alium a se consecrandum sufficiant. mittit legatos, qui una cum ipsis electioni intersint, quibus in omnibus obediri jubet.

Omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & omni clero sanctæ ecclesiæ Mediolanensis.

DEO dilectæ unanimitati vestræ fraternitatis, carissimi, notum esse volumus, quia nos una cum sancta synodo Idibus Octobris in ecclesia beati Petri apostoli peracta; Anspertum dudum archiepiscopum vestrum pro suis negligentiis, ac multiplicibus præsumptionibus, jam in priori synodo, post secundam & tertiam vocationem, atque post canonicas sibi datas inducias pro se satisfaciendo nolentem occurrere, virtute S. Spiritus, & auctoritate SS. Petri ac Pauli apostolorum principum, & canonica, atque synodica sanctione episcopali honore privavimus: quia ante audientiam communicare pertinaciter præsumpsit, & ante legitimum suæ purgationis examen, ministerium sacrum contra statuta majorum temere agere non dubitavit. Et ideo præsenti vobis statuto jubemus, ut omnes uno animo, unoque voto convenientes, atque convocantes pastores, vel populum civitatis, de electione alterius, qui de cardinalibus presbyteris, aut diaconibus dignior fuerit repertus, cum Christi solatio, ad archiepiscopatus honorem promoveatis: quo scilicet decreto solenniter facto, atque ad hanc urbem transmisso, ne antea quislibet episcoporum aliquem ibidem ordinare præsumat, antequam nobis omnia fuerint renuntiata, cum, Deo favente, nos ibi secundum morem pristinum, & secundum regiam concessionem, velimus archiepiscopum consecrare. Nam si aliter præsumpseritis, ecclesiastica vos communione privabimus; & qui contra hoc nostrum statutum fecerint, apostolico judicio erunt omnino correpti. Sane reverendissimos fratres & coepiscopos nostros Ioannem Ticinensem, & Vveltonem Ariminensem illuc vice nostra dirigimus, qui vobiscum pariter eamdem electionem faciant; quos nemo vestrum impedire in aliquo præsumat, si quidem justum fore cernitis, ut nobis in omnibus obedire procuret: cui quisquis hoc superbiendo resistens agere tentaverit, a Christianorum collegio separatus erit. * Et quia nondum a vinculis excommunicationis absolutus in Vercellensi ecclesia episcoporum enormiter, ac pervicaciter ordinare, contra regiam etiam voluntatem præsumpsit. Data *ut supra*.

* Hæc verba superius transferēda videntur.

CCXXII. AD CAROLUM REGEM.

Significat Anspertum dudum archiepiscopum Mediolanensem in Romana synodo privatum, ac Iosephum, quem ille in Vercellensi episcopum ordinaverat, depositum. rogat ut Conspertum in Vercellensi ecclesia episcopum a se consecratum tueatur.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

REGIÆ magnitudini vestræ notum esse volumus, fili carissime, quia Anspertum Mediolanensem archiepiscopum, in prima quidem synodo in ecclesia beati Petri apostoli habita B pro suis evidentissimis negligentiis, & præsumptionibus, una cum reverendissimo episcoporum cœtu regulariter excommunicavimus. sed mentem suam in superbiam erigens, non solum pro perpetratis veniam humiliter non quæsivit; verum etiam ante audientiam, & nostram apostolicam absolutionem, sacrum præsumpsit ministerium celebrare, atque contra sacros canones, contraque regiam, & nostram apostolicam voluntatem, episcopum in Vercellensi ecclesia enormiter consecrare præsumpsit. Pro quibus videlicet tantæ temeritatis præsumptionibus, & ipsum Anspertum dudum archiepiscopum in ea, quæ nuper acta est synodo, omni episcopali honore C privavimus, & eum, quem illicite ordinavit episcopum, decrevimus synodali judicio depositum esse ab ordine episcopatus: intuitu tamen misericordiæ in pristinum quo erat antea gradum reverti. Porro nos, secundum voluntatem, & petitionem dilecti filii nostri Carolomanni gloriosi regis hunc Conspertum reverendissimum, de quo jam olim vobis per vestrum fidelem missum innotuimus, in eadem Vercellensi ecclesia, consentientibus omnibus comprovincialibus episcopis, antistitem consecravimus, quem petimus obnixe, ut pro amore Dei, & sancti Petri, ac nostro, vestræ potentiæ brachio tueamini, &, prout ei opus fuerit, dignum semper D in omnibus præbeatis solatium. Regalem excellentiam vestram dominus conservet incolumem carissime fili. Data *ut supra*.

CCXXIII. AD VERCELLENSES.

Præcipit ut Conspertum a se illis episcopum constitutum recipiant, & congruo honore colant. Iosephi invasoris acta nulla esse declarat.

Omnibus presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & omni clero, ac primatis, omnique populo Vercellensi.

HIS nostris apostolicis literis vobis cognitum E facimus, quia Anspertum dudum archiepiscopum Mediolanensem pro suis multis præsumptionibus & negligentiis jam olim una cum sancta synodo sacra communione privavimus. sed ipse contra canonica statuta, & contra nostrum apostolicum synodicumque judicium agens, ante audientiam, & absolutionem ministerium sacrum agere, atque adhuc excommunicatus in hac Vercellensi ecclesia vestra, quemdam virum Ioseph nomine, ut audimus, contra regiam & nostram apostolicam voluntatem, episcopum ordinare temere præsumpsit. Ideo & eumdem archiepiscopum, & hunc ipsum Ioseph invasorem, ac præsumptorem, non intrantem per ostium, sed aliunde quasi furem ingredientem in ovile domini,

domini, cum virtute, sancti Spiritus, & auctoritate beatorum Petri ac Pauli apostolorum principum, nostroque apostolico judicio una cum synodali cœtu reverendissimorum episcoporum omni episcopali honore decrevimus esse privatos & alienos: tamen intuitu misericordiæ, decreto synodali statuimus, jam fatum Ioseph invasorem ecclesiæ vestræ, de ordine episcopali dejectum in gradum & ordinem, quo prius extitit, omnimodo reverti. Nam cum prædictus Anspertus dudum Mediolanensis archiepiscopus esset regulariter excommunicatus, aliquam vel inimicorum in ecclesia Dei consecrationem graduum facere nullo modo potuit: quia quod non habuit, dare profecto nequivit. Quare omnium cognoscat sagacitas, & laudanda fidelitas; quoniam dilectus, ac spiritalis filius noster Carolomannus gloriosus rex istius Italici regni, ipsum Vercellensem episcopatum, more præcessorum suorum regum, & imperatorum, concessit huic Consperto viro nobilissimo, præsentibus missis nostris, nostramque apostolicam clementiam suis est literis deprecatus, ut eum vobis episcopum consecraremus. Nos autem ejus precibus inclinati, nolentes vos diu sine proprii ac legitimi esse cura pastoris, hunc ipsum sanctæ Vercellensi ecclesiæ vestræ apostolica dumtaxat auctoritate episcopum consecravimus, dedimusque vobis pro invasore illo istum pastorem, pro mercenario ignavo providum satis rectorem, qui scilicet nostris vos apostolicis doctrinis admonitus, quasi populum domini sibi commissum more veri pastoris pabulo vitæ perpetuæque salutis pascere, atque in virga æquitatis & mansuetudinis regere vigilanti semper cura & sollicitudine solerter procuret. Quem itaque vos omnes uno voto, & pio affectu quasi patrem, & rectorem animarum vestrarum, utpote carissimi filii, ut recipiatis præsenti statuto nostro jubemus; & abjecto ac reprobato supradicto invasore, hunc, quem ordinavimus vobis, habetote episcopum. Nam magna vos laude dignos fore videmini, quod de beati Petri apostoli consecratione meruistis habere antistitem: & hoc in augmentum honoris ecclesiæ Vercellensis sine dubio proveniet, si vos devota mente nostris obtemperatis præceptis. Nos enim vestram cupientes salutem, ideo monemus, ut mente & corpore salvi esse possitis. Iubemus etiam omnes scripturas, vel dationes cujuscumque tenoris, quas fecit de plebibus, casalibus, & villis ipsius ecclesiæ Vercellensis, nullam habere firmitatem; sed omnia quæ fecit, esse judicamus vacua & inania, quia legitimus ipse non fuit episcopus, & ideo quippiam dare non potuit: eum vero, qui ex his, quæ fecit, aliquid firmum esse dixerit, Ananiæ & Sapphiræ anathemate feriendum fore censemus. Nam si cujuslibet consilio, vel hortatu, aliter facere, non de præsenti ipsum invasorem abjicere studueritis, atque hunc, quem nos consecravimus vobis, alacri cum voluntate non receperitis, omni ecclesiastica vos communione privabimus, dignoque anathemate feriemus. Data *ut supra.*

CCXXIV. AD NOTINGUM NOVARIENSEM EPISCOPUM.

Monet, ut res Angelbergæ restituat; sin minus, denuntiat illi excommunicationem, nisi intra duos menses ad reddendam de his rationem Romam veniat.

Notingo Novariensi episcopo.

AUDIVIMUS te res spiritalis filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ injuste tenere, quas volumus, & apostolica auctoritate præcipimus, ut continuo reddere studeas: & quod tibi retinere debere nulla lege conceditur, sub omni celeritate dimittas, ut ei, cui pertinere videntur, his perfrui modis omnibus liceat. Nam si continuo præfatas res non reddideris, monemus, & apostolica auctoritate præcipimus, ut intra spatium duorum mensium Romam ad reddendam pro his rationem occurras, & coram nobis congruam satisfactionem exhibeas: alioquin tamdiu excommunicatus existas, quamdiu huic nostræ commonitioni obtemperans, hæc quæ statuimus adimplere procures. Data XIV. Kalendas Novembris, indictione XIII.

CCXXV. AD AMALFITANOS.

Significat se eos excommunicasse, donec se à Paganis separent. minatur illis alias pœnas, nisi quamprimum pareant.

Reverendissimo & sanctissimo Petro episcopo, seu Pulcari præfectorio, atque universo populo Amalfitano.

NOTUM esse volumus dilectioni & unanimitati vestræ quia contra divina statuta, & nostra apostolica monita, quibus frequenter monuimus, & ex auctoritate Dei, & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli præcepimus, ut nullum cum impia Sarracenorum gente pactum haberetis, habitumque omnimodo rumperetis, in tali scelere, & in consortio inimicorum Dei manere non formidatis: virtute sancti Spiritus, & auctoritate sancti Petri, cui ligandi & solvendi in cælo, & in terra a domino est concessa potestas, omni sacra communione, sancto videlicet corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi, vos una cum totius apostolicæ sedis consensu privavimus, & ab ecclesiæ Dei societate separavimus, ut in eadem excommunicatione maneatis, donec resipiscentes ab impia vos Paganorum præda separetis: & nisi puro corde, & devota voluntate citius fueritis conversi ad gremium sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ, majoris damnationis sententia vos procul dubio feriemus. Vestram denique nos salutem quærimus, vestras cupimus in conspectu domini animas apostolica benignitate salvare, & quasi oves dominicas ad pascua salutis æternæ desideramus perducere: si tamen bonis operibus dediti nostra solatia, voluntatem, jussionem & admonitionem studueritis perficere, & in tali placito nequitiæ contempseritis manere. Optamus vos in Christo bene valere. Die XXIV. mensis Octobris, indictione XIII.

CCXXVI. AD THEODORICUM, HEODICIUM, &c.

Ostendit mulierem, quæ vi, minisque coacta religiosum habitum susceperat, ad vota servanda non teneri; hujus tamen causam illis definiendam committit. Quod si qua oriatur difficultas, eos vel eorum legatos cum ipsa muliere ad se venire jubet.

Theodorico Teatino, Heodicio Firmano, Ioanni Aprutiensi, & Helmoino Pinnensi episcopis.

QUÆDAM vestrarum diœceseon femina, A nomine Theoderona de Vivelata, relicta quondam Tresigii, sedem apostolicam, nostrumque simul pontificium adiens, questa est nobis, quod viro suo defuncto, velamen sibi sacri habitus ab ejusdem viri sui fratris dumtaxat germani vi, non scilicet dilectione vitæ spiritualis, sed ambitione prędiorum ducti, impositum fuerit, & ipsa plurimum renitens contra propriam sponsionem, pollicitationem, expetitionem, electionem, propositum, votum, atque spontaneum judicium sine benedictione sacerdotis idem velamen susceperit. Cujus professionem coram coepiscopis & fratribus nostris conferentes, inquisivimus etiam idoneos viros Oteramum, Scattoinum, Ersemarium, Amedeum & Cerisium, vicinos scilicet ipsius feminæ, qui casu pręsentes aderant, utrum se ita res haberet, an non. Sed illi B non solum ita fuisse testificati sunt, verum etiam parati extiterunt omnem super hanc causam satisfactionem præmittere. Nos igitur habentes eumdem quem & patres nostri spiritum fidei, & per gratiam Christi, zelum justitiæ, eadem super legitime velatis quæ & illi sentimus, eademque omnino decernimus; & quod non propria voluntate, non arbitrio, non voto, non expetitu, vel spontaneo judicio, quin potius coacte admittitur, cassandum esse sancimus: præcipue cum hæc eadem femina non nisi minis perterrita, plus minus C diebus xv. idem velamen gestasse se dixerit, & nullo sacerdote benedictionem tribuente hoc violenter susceperit. Quod licet ad hujus absolutionem sufficere posse speremus: quia si ita est, totius violentiæ ac necessitatis vinculis absoluta, suum licenter & impune sequi debet arbitrium, & quod non elegit, ut perferat, non est cogenda: tamen sanctitati vestræ committimus, ut in unum convenientes, ipsius feminæ causam secundum Deum discutiatis, & omnem super hac querimonia veritatem subtili indagatione reperientes, ad liquidum finiatis. Verumtamen dignum non esse sancimus, ut jugum, cui non-suo proposito mota, sed ambitione & violentia oppressa subacta est, D portare cogatur: quia & sanctus papa Gregorius in epistola ad * Athanasium presbyterum Isauriæ, inter cetera ita refert: Quamquam ea quæ vi impulsionis fiunt, canonum minime censura recipiat, & jure habeantur infirma: quia ipse ea dissolvit, qui injustum fateri compellit, sed magis illa est suscipienda & amplectenda confessio, quæ ex spontanea monstratur voluntate procedere. Et rursus scriptum est: *Voluntarie sacrificabo tibi.* & alias: *Voluntaria oris mei beneplacita fac domine.* Porro jam fato Ioanni reverendo Aprutiensi antistiti etiam verbis injunximus, ut ascita vestra fraternitate, omne de hac re negotium vobiscum pariter ventilet, & canonice, sicut prędiximus, diffinire procuret. Super quo si aliqua ambiguitas fortassis emerserit, tunc jubemus, ut aut vos, aut vestri legati vices vestras agentes, cum eadem femina nostris pręsentialiter obtutibus pręsententur, ut coram nobis jam diligentius omnis rei veritas inquiratur, & æquitatis regula terminetur. Postremo, si præfatæ feminæ aliquod invidiose objectum crimen quoquomodo fuerit, vos Deo præ oculis habito, hoc non admittatis; & si accusator illius in sua obstinatione permanserit, tam accusata, quam accusator in nostram cum vestris pariter missis accelerent properare pręsentiam. Verumtamen, si accusator ejus defuerit, jam illa crimine illo coram nobis veniens non tenebitur, secundum Carthaginensis concilii nonum decimum capitulum, ita inquiens: Accusator ejus si nunquam diebus causæ dicendæ defuerit, a communione non removeatur: restituto in communione accusato, ipse removeatur a communione accusator. Data XII. Kalendas Decembris, indictione XIII.

S. Gregor. epist. lib. 5. epist. 67. *al Anastasium

Psalm. 53. Psal. 118.

Concil. Carth. 3. cap. 7.

CCXXVII. AD ATHANASIUM, PULCAREM, &c.

Præcipit ut fœdus cum Sarracenis ictum rumpant; quod nisi Kalendis Decembris fecerint, eis excommunicationem minatur. Pulcarem monet, ne Pandenulfo Capuano judici molestiam inferat.

Athanasio episcopo Neapolitano, Petro episcopo, seu Pulcari præfectorio Amalfitano, episcopo Caietano, seu Decibili, & Ioanni, gloriosis hypatis, a paribus.

PUDET, ut ita dixerim, pontificium nostrum vos jam commonere super hoc quod tam multoties a nobis commoniti resipiscere noluistis, & cum Deo odibilibus Sarracenis habitum pactum dissolvere hactenus contempsistis. Verum quia quanta crudelitatum genera, ac desolationum terræ istius calamitatum nimis ex hoc mala lugenda provenerint, atque proveniant, exaggerare differimus, ne interim, quod dignum est, judicare cogamur. Adhuc obsecramus, adhuc sicut spiritales filios exhortamur, & paternis visceribus vos amplecti conantes, Dei, ac principum apostolorum Petri ac Pauli auctoritate præcipimus, ut jamjamque disciplinam percipientes, ab eisdem iniquis, & ancillæ filiis Sarracenis vos separetis, & pactum cum eis habitum modis omnibus dissolvatis, si vel nostræ communionis, vel ipsius Christianitatis vultis esse participes; in quos jam daremus ecclesiastici mucronis sententiam, nisi nos apostolica patientia retineret. Idcirco vobis inducias usque Kalendas Decembrias istius tertiædecimæ indictionis ad idem pactum cum Sarracenis frangendum largimur, & tam vos, quam Caietanos atque Amalfitanos lucrari volentes, si usque ad idem tempus omnem Sarracenorum amicitiam, nec non & omne fœdus dissolvere solito contempseritis, utrosque sententiæ ecclesiasticæ jaculis feriemus, & perpetuo anathemati submittemus, ut qui socii disciplinæ esse non vultis, communionis quoque nostræ non sitis participes. *Hoc addendum est in epistola ad Pulcarem.*

Postremo nobilitatem tuam monemus, ut Pandenulfo judici Capuano in nullo molestus existas; & quod nobis ipse devotus est, tu ei devotione & amicitia copulatus, in quo posse tibi fuerit, contra adversitates illius te murum opponas; E quatenus patris illius, qui proprio genitore salvando * suffigit, reminiscens pro utriusque amore, si de nobis tibi cura est, ipsius Pandenulfi profectibus potius hæreas, quam obviare quoquomodo videaris.

CCXXVIII. AD HELMOINUM EPISCOPUM PENNENSEM.

Arguit quod ad synodum non accesserit. jubet statuta die ad se venire, & interim quemdam absolvere, quem injuste excommunicaverat.

Reverendissimo & sanctissimo Helmoino episcopo Pennensi.

SECUNDUM sacros venerabilium patrum canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia

reverentia consecratos, pro ecclesiasticis dumtaxat necessitatibus, atque utilitatibus ad eas, quas nuper statutis diebus celebravimus synodos, missis ex more auctoritatis nostræ literis, fraternitatem tuam debere occurrere modis omnibus decrevimus: sed quia ceteris devote valde venientibus, te minime venisse, neque excusationem tuam in tractoria regulari tenore conscriptam nobis & sanctæ synodo, causa videlicet temeritatis, & inobedientiæ, ut etiam evidenter apparet, non direxisse comperimus; ne dilectionem tuam de hoc indiscussam preteriisse videamur, hoc nostro apostolatus statuto jubemus, eam infra octavum diem Decembris mensis, sine aliqua mora, vel ambiguitate ad nos debere venire, nostrisque se obtutibus presentare. Nam & Oteramus filius qui Corvini cum aliis suis concivibus, nostris apostolicis, coram venerabili episcoporum cœtu super te questus est, auribus, quod dum a te ipse impetitus ecclesiastice de contemptione, post prestito sacramento, se cum suis sacramentariis purgasset, tua eum fraternitas, sicut professus est, quasi perjurum excommunicaverit; regula canonica precipiente, quod hanc episcopus sibi cognitionem nullo modo debeat vindicare, dominoque dicente ad Moysen, ad unius testimonium neminem condemnari oportere. Quod si ita est, quia temere illum excommunicare non debuisti, precipimus, ut eum de presenti absolvas, tuæque communioni restituas: nam si ausu improbo aliter feceris, nos quidem eum auctoritate apostolica procul dubio absolutum esse jubemus. Et si hanc jussionem nostram parvipendens, temerario ausu presentiæ nostræ adesse contempseris, ecclesiastica te communione, velut inobedientem esse noveris privandum; quousque pro tuis negligentiis dignam veniens nobis satisfactionem humiliter feceris. Data XIII. Kalendas Decembris.

CCXXIX. AD ARPALDUM EPISCOPUM ASCULANUM.

Arguit quod ad synodum non venerit. jubet ad se venire, ut iis, quæ a suis clericis objiciebantur, respondeat.

Reverendissimo & sanctissimo Arpaldo episcopo Asculano.

SECUNDUM sacros venerabilium patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, pro ecclesiasticis dumtaxat necessitatibus ad eas quas nuper statutis diebus celebravimus synodos, missis ex more auctoritatis nostræ literis, fraternitatem tuam debere occurrere modis omnibus decrevimus. Sed quia ceteris devote valde venientibus, te minime venisse, cum etiam & auditu didiceris nos synodum celebrare, neque excusationem tuam regulari tenore in tractoria conscriptam, nobis & sanctæ synodo, causa temeritatis, & inobedientiæ tuæ, ut evidenter apparet, non direxisse comperimus; ne dilectionem tuam de hoc indiscussam præteriisse videamur, hoc nostræ auctoritatis statuto jubemus, eam de præsenti sine aliqua mora, vel ambiguitate ad nos debere venire, nostrisque se obtutibus præsentare. Nam & clerici tuæ nos ecclesiæ adierunt, reclamantes, multa se a tua perpessos fraternitate enormiter adversa, & contra regulam ecclesiasticam injuste fore oppressos; quorum videlicet obje-ctionibus coram nostro præsulatu assistentem te oportet procul dubio respondere. Et ideo hac jussione nostra percepta occurrere studeas, antequam ecclesia tua majus schisma, vel scandalum patiatur: quoniam si venire jam modo contempseris, dignam excommunicationis a sede apostolica prolatam sustinebis omnino censuram. Data VIII. Kalendas Decembris.

CCXXX. AD CAROLUM REGEM.

Miratur, quod cum Papiam venerit, ubi simul convenire debebant, legatos ad se non miserit. petit illos destinet, ut se ad eum conferre possit.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

SICUT nostro præsulatui vestris jam olim regalibus direxistis apicibus, ut his Kalendis Novembribus jam transactis, vobis Papiam obviam venire deberemus: quatenus communi simul tractatu ea quæ sanctæ ecclesiæ Dei utilia sunt, & regni stabilitati proficua, pariter considerassemus, stabilitateque perpetua firmassemus; hoc quidem avida extunc perficere mente parati existimus: sed quia vos in Italiam introisse audimus, valde mirati sumus quamobrem vestrum nobis adventum, per excellentiæ vestræ mellifluos apices, & idoneos legatos, cognitum minime feceritis: nam paterno vos affectu diligentes, speciali dumtaxat intuitu magnitudinem vestram cernere desideramus, filiorum carissime. Nunc itaque, si omnino verum est jam Papiam venisse, volumus ut eximios ex latere vestro nobis dirigatis legatos, honorificas sedi apostolicæ literas deferentes: quibus videlicet perspectis, ad vestram properare serenitatem, communeque colloquium indubitanter valeamus: quia cum, Deo propitio, vobiscum fuerimus conjuncti, omnia quæ ad exaltationem sanctæ sedis apostolicæ matris vestræ, & ad vestrum ac nostrum videntur pertinere honorem, Deo favente, facile poterimus perficere. Pro quibus vobis, & in hoc sæculo gloria multipliciter augeatur a domino, & in cælesti postmodum regione merces perpetua procul dubio tribuetur. Data *ut supra.*

CCXXXI. AD EUMDEM.

Gratias agit, quod cum a se fuerit Conspertus ecclesiæ Vercellensis episcopus ordinatus, ejus ordinationi libenter acquieverit. se excusat, quod Anspertum archiepiscopum Mediolanensem ejus precibus non absolvat.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso ac excellentissimo regi.

MULTIPLICES gratias vestræ referimus magnitudini, quia pro Vercellensi episcopatu, in quo nos Conspertum una cum synodi decreto episcopum ordinavimus, nostram libenter perfecistis voluntatem. De cetero autem, hoc est Mediolanensi archiepiscopatu, o fili carissime, sicut nobis nunc mandasti, ut Anspertum archiepiscopum, quem in synodo pro nonnullis suis negligentiis & præsumptionibus judicavimus, reconciliare deberemus. Quod quidem nos pro vestro amore alacri mente omnimodo perficeremus, si sententia damnationis, quam in eumdem archiepiscopum protulimus, sub tenore aliquo non fuisset prolata. Dictum est enim, tamdiu eum fore ab honore & ministerio sacerdotali suspensum, donec, auctore Deo, suam

suam specialem nobis ad satisfaciendum exhiberet præsentiam. Et quia ecclesiæ Dei privilegium nos decet immutilatum solenniter conservare, ne in aliquo patrum terminos præterire videamur, contra statuta majorum agere nequivimus. Vnde benignitatis vestræ excellentiam paterno affectu monemus, ut ob hoc quod irreprehensibiliter agere non possumus, nullo modo turbemini: quoniam vestram in omnibus cupimus pro honore perficere voluntatem. Data *ut supra.*

CCXXXII. AD PAVLVM EPISCOPVM.

Iubet ecclesiam in villa Carpana sitam restitui, ibique sacerdotem constitui, & sacrum chrisma annuatim in eamdem mitti.

Reverendissimo & sanctissimo Paulo episcopo sanctæ ecclesiæ Regiensis.

DILECTIONI tuæ venerandis sanctorum patrum regulis edoctæ mandamus, atque his præsulatus nostri literis jubemus, ut ecclesiam Dei positam in villa Carpana, jam nuper incendio crematam restaures, atque in pristinum decorem, & ordinem restituere nullatenus prætermittas, atque sub propriu cura sacerdotis eam constituas, qui sedulas ibi domino laudes quotidie persolvat, ac pro salute fidelium omnipotentem dominum valeat exorare, sacrumq; illic, Deo propitio, annue chrisma mittere indesinenter procures; quod est totius Christianitatis salus, & perfectio vera. Nam si forte aliter feceris, nos ex apostolica auctoritate alteri episcopo præfatam ecclesiam ad restaurandum, & canonice ordinandum procul dubio committemus. Data XIII. Kalendas Decembris.

CCXXXIII. AD IOANNEM EPISCOPVM TICINENSEM.

Præcipit, ut ecclesiam in Carpana villa sitam; quam Paulus Regiensis episcopus reficere neglexerat, restituat, ibique sacerdotem proprium constituat, & sacrum chrisma annuatim mittat.

Reverendissimo & sanctissimo Ioanni episcopo Ticinensi, dilectoque confratri.

QVIA Paulus Regiensis ecclesiæ episcopus, & canonicis admonitus institutis, & nostris apostolicis præceptionibus exhortatus, ut ecclesiam Dei positam in villa, quæ dicitur Carpana, igne crematam restaurare, ibique suum, secundum jus ecclesiasticum, omne officium, vel ministerium rite peragere debuisset, temere contempsit, nostræque salubri præceptioni obedire contempsit, nec debitum in hoc Deo nostro reddidisse videtur honorem. Præcipientes igitur ex apostolica auctoritate dilectioni tuæ jubemus, ut de præsenti, & absque omni protelatione ipsam ecclesiam restituas in pristinum decorem & ordinem, atque sub propriu cura sacerdotis eam constituas, qui sedulas ibi domino laudes quotidie persolvat, ac pro salute fidelium omnipotentem dominum valeat exorare, sacrumque illic, Deo propitio, annue chrisma mittere indesinenter procures, quod est totius Christianitatis salus, & perfectio vera. Data *ut supra.*

CCXXXIV. AD EGILBERTVM EPISCOPVM.

Arguit eum, quod cum excommunicatis a sede apostolica communicarit. jubet ne cum Liutfredo & Odebrico excommunicatis communicet.

Reverendissimo & sanctissimo Egilberto episcopo.

BEATISSIMI apostoli præcepto jubemur deponere veterem hominem cum actibus suis, & induere novum, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis: *Ephes. 4.*
propter quod dilectionem tuam audientes cum eis, qui a sede apostolica, in qua beatorum Petri ac Pauli semper auctoritas vivit, pro suis manifestis sceleribus excommunicati merito existunt, contra jus ecclesiasticum ante audientiam, & veram in reddendo satisfactionem, communicare, non mediocri animi dolore turbati existimus; cum idem de talibus cavendis doctor egregius dicat: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo.* *2. Thess. 3.*
Hinc etiam & coapostolus ejus Ioannes, hujusmodi nec Ave dicendum concedit: *Si quis*, inquiens, *venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domino, nec Ave ei dicite. Qui enim dixerit ei, Ave, communicat operibus illius malignis.* *2 Ioan.*
Item beatus Clemens Iacobo fratri domini scribens, ita de se apostolum Petrum populum admonuisse commemorat: Si inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse; quibus videlicet salubribus exemplis, & canonicis etiam institutis edocti, ne simul pariter cum eis excommunicatus existas, ex apostolica tibi auctoritate jubemus, ut nullam deinceps cum Liutfredo, & Odebrico a nobis regulariter excommunicatis, vel in communi eloquio communionem habere præsumas: si debitam in te non vis provenire sententiam, * sane ut infra dies triginta post hujus nostræ apostolicæ epistolæ denuntiationem, reddant ipsi omnia eidem dilectæ filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ, quæ violenter, ac fraudulenter auferre præsumpserunt. ** forte cave*

CCXXXV. EGIFREDO, SVPPONI, &c.

Rogat ut bonorum Angelbergæ imperatricis curam sustineant.

Nobilissimis viris dilectis filiis Egifredo, Supponi, Eripaldo, Berardo Bonifacii filio, & Cotephredo gloriosis comitibus.

SCIENTES profecto ea, quæ sagacitati vestræ committimus, vos pro amore Dei, & sanctorum principum reverentia, nostraque dilectione, pio mentis affectu perficere: ideo pro parte dilectissimæ, ac spiritalis filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ his apostolatus nostri literis gloriam vestram magnopere deprecamur, ut omnium rerum ejus ubicumque consistentium curam & solicitudinem maximam habeatis: quatenus vestro prudenti consilio, ingentique solatio ejus omnia salva & indiminuta, secura & defensa consistant; ita sane ut nulli easdem res invadere, ac deprędare sinatis. Quia & nos eum, qui facere, vel favere facienti præsumpserit, spiritali procul dubio gladio feriemus: quatenus ex hoc,

hoc, & nos secundum collatum nobis divinitus apostolicum magisterium, dignas, atque multiplices nobilitati vestræ gratias habeamus, benedicentes vobis omni benedictione spiritali in Christo Iesu domino nostro, & vestræ fidei laudabilis rumor per ora fidelium semper ubique resonet ad augmentum vestræ perpetuæ remunerationis. Data *ut supra*.

CCXXXVI. AD TEUTMARUM ARCHIEPISCOPUM.

Miratur eum morari, & ad se non venire. monet ut statim veniat.

Reverendissimo & sanctissimo Teutmaro archiepiscopo dilecto confratri nostro.

SICUT nobis dilectus ac spiritalis filius noster Carolomannus gloriosus rex suis regiis direxit apicibus, ut vos ad nostram apostolicam venire debuissetis præsentiam, vestrum quotidie præstolantes adventum miramur cur tantum moremini: nos enim almitatis & prudentiæ vestræ favore repleti, fraternitatem vestram pio cupimus jam contemplari intuitu. Unde his nostris apostolicis literis vos monemus, & exhortamur, ut libenti ad nos animo properare omnimodis studeatis: quatenus una vobiscum ea quæ sanctæ Dei ecclesiæ utilia sunt prout necesse fuerit, pariter ordinare valeamus. Data *ut supra*.

CCXXXVII. AD ANTONIUM EPISCOPUM ET BERENGARIUM comitem.

Liutfredum comitem, quia monialem, quæ e monasterio effugerat, suscepit, & bona Angelbergæ imperatricis diripuit, excommunicat, nisi statuto tempore satisfecerit. monet ne quisquam cum eo communicet.

Reverendissimo Antonio episcopo Brixiensi, & nobilissimo viro, dilectoque filio Berengario glorioso comiti.

QUIA dilectus ac spiritalis filius noster Carolomannus gloriosus rex suis regalibus literis, & missorum nostrorum verbo, nostro præsulatui pio mentis affectu commisit, ut nos curam hujus Italici regni haberemus, tam pro divinitus nobis commissa pastorali solicitudine omnium Christi ovium, quam etiam pro præfati regis vice cura concessa, illa quæ contra Deum, & jura legis alicubi cognoscimus præsumptione commissa, omni volumus conamine compescere, & unam ovem morbidam gladio percutere spiritali, ut ad salutem quoquomodo anima vulnerata perveniat, antequam totus grex unius contagione maculetur. Audientes igitur, veraciterque scientes, Liutfredum comitem suscepisse quamdam sanctimonialem nomine Gerlindam de Placentino monasterio fuga lapsam, & post nostram super hac caussa admonitionem, salubremque prohibitionem, eam detinuisse, atque cum propria uxore, suisque illi pariter communicasse; nobilitati vestræ paterna dumtaxat dilectione mandamus, ut & tam pro eadem sanctimoniali, † quam facultatibus dilectæ filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ, cui debitam omnino debuit fidem conservare, latenter recepit: & hactenus contra nostrum ei reddere distulit interdictum; quamque etiam, qui cortes ipsius sub

A nostra apostolica tuitione, ac defensione perenniter susceptas, deprædari temere præsumpsit: nos eum a communione fidelium sequestramus; ita scilicet, ut si infra Italicum regnum consistit, intra dies triginta habeat omnia sub vera satisfactione reddita, quæ violenter abstulit: & si extra regnum Italicum esse videtur, infra dies sexaginta; ac deinde, si hæc omnia parvipenderis in sua pertinacia manere, nihilque studuerit emendare, anathematis vinculo sit innodatus, donec ad nostram apostolicam præsentiam venerit, & pro illicitis his omnibus veram coram nobis satisfactionem facere studuerit. Idcirco volumus, ut nullatenus ei communicetis, si no-
B stro apostolico vultis, ut dilecti filii, consortio frui. Data *ut supra*.

CCXXXVIII. AD EUNIBERTUM COMITEM.

Minatur illi excommunicationem, nisi res sancti Petri, & Angelbergæ imperatricis restituat.

Eunimberto glorioso comiti.

VERACI relatione comperimus, te res sancti Petri apostoli, quas spiritali filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ concessas habemus, cum aliis ejusdem filiæ nostræ proprietatibus,
C contra legem invadere, ac retinere: & ob hoc tu ipse admonitus ab invasione illa non te subtraxeris: quin potius hactenus in hac eadem pravitate persistere nequaquam omiseris. Idcirco tibi præcipimus, ut omni occasione postposita te compescens easdem res omnino relinquas, & te sive tuos ab ipsis removeas: quatenus eidem filiæ nostræ liceat omnes illas suo dominio vindicare, atque disponere; & ut ei libitum fuerit, sub nostro speciali mandeburdio retinere: alioquin noveris te apostolica nostra auctoritate sancta communione privatum; & quousque sub congrua satisfactione, quæ alterius sunt restituas, a Christianorum consortio separatum.
D Data *ut supra*.

CCXXXIX. AD GISULFUM ABBATEM.

Ejus curæ monasterium Angelbergæ imperatricis committit.

Gisulfo venerabili abbati monasterii sanctæ Christinæ.

AUCTORITATE sanctæ sedis apostolicæ, tuæ reverentiæ committimus, ut curam perspicuam, & solicitudinem habeas monasterii dilectæ filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ
E siti in civitate Placentia, sicut idoneus Christi minister, & gregis domini provisor eximius; quatenus secundum regulam sancti Benedicti, jure abbatis quæ ordinanda vel disponenda sunt disponas & ordines: & quæ corrigenda perspexeris, subtili dumtaxat indagatione, ut domino placeas, ex nostra auctoritate corrigere procures. Data *ut supra*.

CCXL. AD GREGORIUM, THEOPHYLACTUM, ET DIOGENEM, &c.

Gratulatur de victoria contra Sarracenos parta. miratur cur Romam non venerint. mandat ut contra Sarracenos sibi auxilio veniant.

[margin note, cut off] eest ali- d.

Dilectis viris Gregorio spathario, Theophylacto turmacho, atque Diogeni comiti imperialibus.

AUDIENTES vos per Dei auxilium, & secundum spiritalis filii nostri imperatoris voluntatem, Neapolim venisse, ac multitudinem Sarracenorum ibi consistentem potenti brachio superasse; læti sumus effecti, & statim debitas omnipotenti domino gratias egimus super victoria vestra, & inimicorum contritione. Sed iterum mirati sumus, quia Romam venire, nostramque apostolicam neglexistis videre præsentiam, ut pro vestri laboris certamine multiplicem B gratiam, & benedictionem a nobis, & a sede apostolica super vos reciperetis effusam: quatenus sanctorum apostolorum Petri & Pauli orationibus adjuti, omnique spiritali benedictione muniti, contra eosdem perditionis filios victrici semper dextera valeretis efficaciter dimicare: quod tamen ut salubriter facere possitis, ut terra, marique de inimicis, & infidelibus victores feliciter existatis: ideo mandamus vobis, ut cum aliquantis dromonibus pro honore jam dicti spiritalis filii nostri Augusti, has nostras in partes iterum venire omnimodis satagatis: quatenus contra eosdem nefandos Agarenos congruum nobis adjutorium præbere possitis, ut ex hoc C laus & merces imperatori accrescat, & a nobis dignas retributiones sine dubio recipiatis. Quapropter monemus, & hortamur vos, ut nostris monitis libenti animo attendatis, & quidquid acturi estis, per vos velociter cognoscamus. Data *ut supra.*

CCXLI. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Commendat ejus erga sedem apostolicam observantiam. hortatur, ut sicut promiserat, pactum cum Sarracenis ictum frangat. Amalfitanos per legatum suum ea de re admonitos, D si parere neglexerint, excommunicandos significat.

Reverendissimo & sanctissimo Athanasio episcopo Neapolitanæ ecclesiæ.

SANCTITATIS vestræ devotionem semper in omnibus circa sedem apostolicam, & nostram paternitatem sinceram, atque præclaram esse cognovimus: quod etiam & præsentis legationis vestræ tenore inspecto, nobis est h c clarius manifestum. Quamobrem his apostolatus nostri literis multiplices almitati vestræ gratias agimus, paterno vos affectu monentes, ut juxta indultum vobis officium in his, quæ Dei sunt, & E ecclesiæ Christi utilia, toto conamine desudare non desinatis: ac sicut nobis per legatos vestros mandastis, quod sive ruperint Amalfitani pactum cum Sarracenis, sive non, vos omnino frangetis, volumus ut indesinenter id agere studeatis. Nam & missum nostrum, Dominicum videlicet venerabilem episcopum illuc direximus, eos admonentes, ut patienter nostram in hoc perficiant voluntatem: quod si ipsi nostram in hoc fuerint voluntatem secuti, habeamus eos complices, & amicos: sin autem, velut exteros inimicos, non solum visibili sed etiam invisibili gladio pariter persequamur, ut & a nobis, & ab omnibus Christianis perpetuo digni odio habeantur. Nam A & per præfatum missum nostrum Dominicum episcopum, eos obaudire nolentes præsentialiter excommunicare præcepimus, ac postmodum nos ipsi digno anathemate feriemus. Vos igitur estote nobiscum, & pactum iniquum corrumpite: quia & nos vobiscum in omnibus erimus, & quod jam dare promisimus, auxiliante domino, annis singulis vobis procul dubio tribuemus: quia si vos fœdus cum Sarracenis non habueritis, nil, domino juvante, de Amalfitanorum perfidia curabimus, quos videlicet gladio poterimus spiritali persequi, & facile humiliare. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

CCXLII. AD AMALFITANOS.

Monet ut rupto cum Sarracenis fœdere ad ecclesiæ gremium revertantur, & eam ob rem singulis annis decem millia mancosorum, & eo anno mille daturum se promittit. nisi paruerint minatur excommunicationem.

Reverendissimo Petro episcopo, seu Pulcari præfectorio, & omnibus sacerdotibus, ac clericis, atque universo populo Amalfitanæ civitatis.

MULTA vobis bona facere, alacrique mente tribuere sæpe promisimus, decertantes, ut pactum, quod cum impia Sarracenorum gente habetis, omnimodis rumperetis, ne ex consortio gentis malignæ, ecclesia Dei per vos sic crudeliter affligeretur, & animabus vestris non solum temporale exinde discrimen, sed etiam æternum acquireretis supplicium. Nunc autem vos, quasi filios dilectos corpore & spiritu salvare volentes, his apostolatus nostri literis monemus & hortamur unanimitatem vestram, ut relicta nunc penitus Sarracenorum societate, corruptoque fœdere, quod cum eis ad perditionem animarum vestrarum, & terræ sancti Petri habetis, alacri mente, piaque devotione, jam modo ad gremium sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ matris vestræ revertamini, & ad societatem & communionem nostram redire studeatis. Et dabimus vobis nunc, & per singulos annos, sicut inter nos statutum fuit, decem millia mancosorum argenti; & isto præsenti anno damus vobis pro benedictione supra mille mancosos, & teloneum quod in portu nostro dare debetis, vobis concedimus. Quod si in tali impio scelere, diabolo suadente, amplius permanere præsumpseritis, & ipsum pactum de præsenti non corruperitis, præcipimus huic episcopo nostro Dominico, ut vice nostra omni ecclesiastica vos communione privare procuret: ipsoque revertente, synodice vos iterum perpetui anathematis vinculis alligabimus: & omnium terrarum aditus, in quibus negotiari soliti estis, vobis omnino claudemus; ut illic nulla possitis exercere negotia. Sane si de aliis civitatibus dubitatis, quod pactum non rumpant, credimus quia nostram facient voluntatem: nam modo per vos habent excusationem. Et si aliqua de illis fuerit, quæ sicut vos, facere voluerit, una vobiscum ejus perditionem ordinabimus. Porro scitote quia Leonem presbyterum vestrum penes nos retinuimus. Data *ut supra.*

CCXLIII. AD CAROLVM CRASSVM REGEM ITALIÆ.

Rogat regem, ut Hieronymum episcopatum Lausanensem pacifice retinere permittat, & Hubonem res ecclesiæ Bisuntinæ ablatas reddere jubeat.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

MAGNITVDINEM vestram ingenti nobis amore dilectam nosse volumus, quia Hieronymus sanctæ Lausanensis ecclesiæ episcopus, apud B. Petrum apostolorum principem, nostrumque pontificium veniens, humilitatis devotione petiit, quatenus Lausanensem ecclesiam, quam jam olim regendam susceperat, ei deinceps vobis foventibus habere liceret. Nos autem ejus precibus moti, juxta quod omnium ecclesiarum Dei curam habemus commissam, & quia nostra exhortatione illum vobis fidelem in omnibus, propriumque, sicut ceteri regni vestri episcopi existunt, esse cupientes agnovimus, his apostolatus nostri literis excellentiæ vestræ suggerimus, ut eum pro amore Dei & sancti Petri & nostro, & benigne recipiatis, & jam dictum episcopatum Lausanensem, sibi divinitus concessum, nostraque apostolica etiam auctoritate commissum, sub omni integritate recipere, habereque securiter permittatis: ne amplius eadem ecclesia contra statuta patrum sine proprio rectore consistat. Nam regulariter illum electum, & proprio archiepiscopo causa infirmitatis prebente consensum, & episcopos consecratores illius literis, quas nobis ostendit, rogante, consecratum fuisse jam dictæ ecclesiæ episcopum, incunctanter agnoscimus. Et idcirco volumus & rogamus, ut absque temporis protelatione, vel aliqua contradictione, suum, ut diximus, episcopatum habeat, teneat, atque cum Dei reverentia disponat, quoniam nos in alterius hominis electione vel consecratione isto vivente consentire nullo modo patiemur, eo quod præcipua sanctorum patrum auctoritas jubeat, duos simul in una civitate non debere esse episcopos. Quamobrem, carissime fili, hortamur nihilominus & obsecramus regiam gloriam vestram, ut Deo auxiliante ipsa ecclesia, proprio nunc recepto pastore, sub vestræ clementiæ tutamine pacifica jam & quieta consistat: ut ejus precibus adjuti, post hoc regnum terrenum vobis concessum, sempiternum percipere mereamini. Præterea & Theodoricus sanctæ Chrysopolitanæ sedis archiepiscopus, multas nostris apostolicis auribus super Hubonem fidelem vestrum querelas direxit, eo quod res ecclesiæ illius invaserit. Pro quo etiam precamur, ut easdem res ecclesiasticas jam dicto archiepiscopo sub integritate reddere faciatis pro amore Dei & nostro, & nulla deinceps ei permittatis adversa vel contraria inferre. Data xx. die mensis Iunii, indictione XIII.

CCXLIV. AD LIVTVVARDVM EPISCOPVM VERCELLENSEM.

Vt Hieronymi episcopi Lausanensis causam apud Carolum regem procuret.

Reverendissimo & sanctissimo Liutvuardo episcopo sanctæ ecclesiæ Vercellensis.

DILECTIONI vestræ familiari quodam modo, pioque affectu, veluti fidelissimo nobis, mandantes committimus, ut recipientes hanc nostri apostolatus epistolam, legatione nostra dilecto ac spiritali filio nostro Carolo excellentissimo regi, pro Hieronymo videlicet Lausanensi episcopo directa fungamini: vestroque ingenti certamine, prudentique consilio, ipsius regis magnitudinem admonere atque exhortari magnopere studeatis, quatenus eumdem Lausanensem episcopatum, illi jam olim divinitus concessum, pro amore Dei & nostro, de præsenti reddere, & securiter quasi suo fideli habere permittat. Nam eo vivente in alterius electione, vel episcopali consecratione, assensum nullo modo præbebimus: quin potius apostolica hoc fieri auctoritate modis omnibus inhibebimus, ne contra statuta patrum duo in una videantur civitate esse episcopi. Quapropter nobis justa mandantibus omni annisu & voluntate favere nullo modo prætermittatis, quo minus nostræ voluntatis legatio apud serenissimum regem salutis & pacis ecclesiasticæ per vestrum certamen effectum obtineat: quatenus eadem ecclesia Dei, proprio recepto pastore, salva in omnibus & quieta consistat. Data xx. die mensis Iunii, indictione XIII.

CCXLV. AD THEODORICVM ARCHIEPISCOPVM BISVNTINENSEM.

Significat se de ipsius causa Carolo regi scripsisse; ac de Hieronymo episcopo Lausanensi hortatur, ut adjuvare illum studeat.

Reverendissimo & sanctissimo Theodorico archiepiscopo Chrysopolitanæ ecclesiæ.

PRO tot & tantis perturbationibus, & calamitatibus, quas ab iniquis & Deum non timentibus viris ecclesiam tibi commissam quotidie pati vestris literis referentibus agnoscimus, plurimum condolemus, & congruum cupimus, Deo favente, vobis præbere solatium, quatenus sedis vestræ vigorem pristinum indiminuto jure feliciter obtineatis. Nam dilecto ac spiritali filio nostro Carolo glorioso regi pro tuæ causa utilitatis, proque vestræ plebis salute suggessimus, ut pro amore Dei & nostro, suo vos auxilio ac defensione in omnibus tueatur, & de his qui res ecclesiæ vestræ invadere præsumpserunt, justitiam facere dignetur, resque ipsas sub integritate vobis restitui jubeat. Vos tamen, more boni pastoris, sicut in prosperis humiles, ita quoque in adversis fortes existite, ut populum domini tibi commissum pro malorum infestatione, quam patimini, strenue regere non omittatis. Pro ipso etiam Hieronymo episcopo eidem regi direximus, ut Lausanensem episcopatum illi divinitus concessum, & nostra apostolica auctoritate largitum, securiter amodo retinere permittat. Et ideo vestra fraternitas eum in hoc adjuvare pro viribus non prætermittat. Data xx. die mensis Iunii, indictione XIII.

CCXLVI. AD CAROLVM REGEM.

Commendat ejus erga Romanam ecclesiam observantiam, rogat ut legatum sibi auxilio mittat.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

MVLTIPLICES regiæ magnitudini vestræ his nostris apostolicis literis gratias agimus pro vestra tam ingenti cura & solicitudine, quam

quam circa sanctam Romanam ecclesiam matrem A vestram habetis; atque pro vestræ devotionis sinceritate, qua nos puræ mentis affectu more parentum vestrorum diligitis, & in omnibus adjuvare alacriter cupitis. Et quia pro exaltatione, atque utilitate sedis apostolicæ, totiusque terræ sancti Petri defensione, vos prompta mente desudare velle cognoscimus: in quo scilicet vestri desiderii affectu piissimo, & divinam circa regiam gloriam vestram habebitis adjutricem & placabilem majestatem, & dignam non solum in hoc sæculo, sed etiam in cælesti postmodum regione retributionem procul dubio recipietis. Quod vero mandastis, ut marchiones vestri, qui circa nos existunt, ad defensionem necessariam B peragendam nobiscum pariter decertare debuissent; hoc autem sine vestræ majestatis præsentia, vel sine idonei optimatis vestri nullo modo, sicut oportet, proderit nobis: eo quod ipsi marchiones homines de civitatibus, & propriis finibus nostris, cum quibus territorium sancti Petri poteramus satis defendere, in suo assiduo servitio habent, & nonnullos eorum potentia sua defendunt: & ita impediunt, ut nostrum servitium secundum voluntatem nostram minime perficere valeant. Vnde precamur excellentiam vestram, ut pro amore Dei, & principis apostolorum honore, talem nobis de præsenti missum dirigatis, C cum quo per vestræ auctoritatis potentiam, ea quæ sanctæ Dei ecclesiæ, & nobis pertinent, incunctanter valeamus perficere: quatenus eosdem homines nostros, qui nobis sublati sunt, omnimodis recipiamus, ut omnis honor, & vigor sanctæ ecclesiæ vestris diebus in omnibus integer accrescat, & indiminutus permaneat; quoniam ipsius honor, & exaltatio, vestra hic & in æternum est salus & gloria. Nam & nos ea, quæ vestræ gloriæ proficua sunt, libentissime perficere cupimus, & nostris assiduis precibus vos domino commendare, apostolorum suffragantibus meritis, semper satagimus. Hæc itaque pro utilitate sanctæ ecclesiæ modo fieri petimus, ut D cum vestrum gloriosum adventum, favente domino, conspexerimus, optata & ingenti pariter lætitia exultare valeamus. Data die XXIII. Mensis Iunii, indictione XIII.

CCXLVII. AD SFENTOPVLCRVM COMITEM.

Gratulatur de ejus & subditorum illius observantia erga sedem apostolicam. recipit eos in fidem suam. ostendit Methodium archiepiscopum orthodoxam fidem fuisse professum, cujus jura & privilegia confirmat, eumque ad eos regendos mitti. Nitrensis ecclesiæ episcopum consecratum significat, & alium ad se vult mitti, quem alii ecclesiæ præficiat. jubet omnes ipsi archiepiscopo obedire. concedit ut divina officia Sclavonica lingua recitari possint, dummodo euangelium Latina prius recitetur.

Dilecto filio Sfentopulcro glorioso comiti.

INDVSTRIÆ tuæ notum esse volumus, quoniam confratre nostro Methodio reverendissimo archiepiscopo sanctæ ecclesiæ Moravensis, una cum Semisisno fideli tuo, ad limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli, nostramque pontificalem præsentiam veniente, atque sermone lucifluo referente, didicimus tuæ devotionis sinceritatem, & totius populi tui desiderium, quod circa sedem apostolicam & nostram paternitatem habetis. Nam, divina gratia inspirante, contemptis aliis sæculi hujus principibus, beatum Petrum apostolici ordinis principem, vicariumque illius habere patronum, & in omnibus adjutorem ac defensorem pariter cum nobilibus viris fidelibus tuis, & cum omni populo terræ tuæ, amore fidelissimo elegisti, & usque ad finem, sub ipsius & vicarii ejus defensione colla summittens, pio affectu cupis, auxiliante domino, utpote filius devotissimus, permanere. Pro qua scilicet tanta fide ac devotione tua & populi tui, apostolatus nostri ulnis extensis, te quasi unicum filium amore ingenti amplectimur; & cum omnibus fidelibus tuis paternitatis nostræ gremio, veluti oves domini nobis commissas, recipimus, vitæque pabulo clementer nutrire optamus, atque nostris assiduis precibus omnipotenti te domino commendare studemus: quatenus sanctorum apostolorum suffragantibus meritis, & in hoc sæculo adversa omnia superare, & in cælesti postmodum regione, cum Christo Deo nostro valeas triumphare. Igitur hunc Methodium venerabilem archiepiscopum vestrum interrogavimus coram positis fratribus nostris episcopis, si orthodoxæ fidei symbolum ita crederet, & inter sacra missarum solennia caneret, sicuti sanctam Romanam ecclesiam tenere, & in sanctis sex universalibus synodis, a sanctis patribus, secundum euangelicam Christi Dei nostri auctoritatem, promulgatum, atque traditum constat. Ille autem professus est, se juxta euangelicam & apostolicam doctrinam, sicuti sancta Romana ecclesia docet, & a patribus traditum est, tenere & psallere. Nos autem illum in omnibus ecclesiasticis doctrinis & utilitatibus orthodoxum & proficuum esse reperientes; vobis iterum ad regendam cōmissam sibi ecclesiam Dei remisimus, quem veluti pastorem proprium ut digno honore & reverentia lætaque mente recipiatis jubemus: quia nostræ apostolicæ auctoritatis præcepto archiepiscopatus & privilegium confirmavimus, & in perpetuum, Deo juvante, firmum manere statuimus, sicuti antecessorum nostrorum auctoritate omnium ecclesiarum Dei, jura & privilegia statuta & firmata consistunt: ita sane, ut juxta canonicam traditionem, omnium negotiorum ecclesiasticorum curam habeat ipse, & ea, velut Deo contemplante, dispenset. Nam populus domini illi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus erit rationem: ipsum quoque presbyterum nomine VVichinum, quem nobis direxisti, electum episcopum consecravimus sanctæ ecclesiæ Nitrensis, quem suo archiepiscopo in omnibus obedientem, sicuti sancti canones docent, esse jubemus: & volumus ut pariter cum ipsius archiepiscopi consensu & providentia, alterum nobis apto tempore utilem presbyterum, vel diaconum dirigas, quem similiter in alia ecclesia, in qua episcopalem * vestram noveris esse necessariam, ordinemus episcopum, ut cum his duobus a nobis ordinatis episcopis præfatus archiepiscopus vester, juxta decretum apostolicum, per alia loca, in quibus episcopi honorifice debent & possunt existere, postmodum valeat ordinare. Presbyteros vero, diaconos, seu cujuscumque ordinis clericos, sive Sclavos, sive cujuslibet gentis, qui intra provinciæ tuæ fines consistunt, præcipimus esse subjectos, &

* f. sedem

& obedientes in omnibus jam dicto confratri nostro archiepiscopo vestro, ut nihil omnino præter ejus conscientiam agant. Quod si contumaces & inobedientes existentes, scandalum aliquod, aut schisma facere præsumpserint, & post primam & secundam admonitionem se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab ecclesiis, & finibus vestris auctoritate nostra præcipimus esse procul abjiciendos, secundum auctoritatem capitulorum, quæ illi dedimus, & vobis direximus. Literas denique Sclavonicas a Constantino quodam philosopho repertas, quibus Deo laudes debite resonent, jure laudamus; & in eadem lingua Christi domini nostri præconia & opera ut enarrentur, jubemus. Neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis dominum laudare auctoritate sacra monemur, quæ (Psalm. 116.) præcipit, dicens: *Laudate dominum omnes gentes,* (Act. 2.) *& collaudate eum omnes populi.* Et apostoli repleti Spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cælestis quoque (Philip 2.) tuba insonat, monens: *Omnis lingua confiteatur, quia dominus noster Iesus Christus in gloria est* (1 Cor. 14.) *Dei Patris.* De quibus etiam linguis in prima ad Corinthios epistola satis, & manifeste nos admonet; quatenus linguis loquentes ecclesiam Dei ædificemus. Nec sane fidei, vel doctrinæ aliquid obstat, sive missas in eadem Sclavonica lingua canere, sive sacrum euangelium, vel lectiones C divinas novi & veteris testamenti bene translatas, & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia psallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam, scilicet, Græcam & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem & gloriam suam. Iubemus tamen, ut in omnibus ecclesiis terræ vestræ propter majorem honorificentiam euangelium Latine legatur; & postmodum Sclavonica lingua translatum in auribus populi Latina verba non intelligentis, annuntietur; sicut in quibusdam ecclesiis fieri videtur. Et si tibi, & judicibus tuis placet missas Latina lingua magis audire, præcipimus ut Latine missarum tibi solennia celebrentur. Data mense Iunio, D indictione XIII.

CCXLVIII. AD LANDVLFVM EPISCOPVM SVRICORVM.

Objurgat quod violaverit quæ ipse inter eum & Landenulfum Capuanum episcopum de frugibus illius ecclesiæ decreverat. minatur illi excommunicationis pœnam, nisi suis decretis pareat. præcipit ut si se læsum sentiat, cum eodem episcopo causam dicturus ad se veniat.

Reverendissimo & sanctissimo Landulfo episcopo Suricorum.

E (forte Vera *) NOSTRA relatione comperimus, quod quidquid tempore consecrationis tuæ in nostro conspectu de frugibus illius ecclesiæ congrua deliberatione fuerat inter te & Landenulfum Capuanum episcopum diffinitum, tu ingenti usus temeritate violaveris: & quod nos juxta temporis qualitatem moderari decreveramus, tu adimplere neglexeris. Quo audito valde noster animus est commotus, quod tam audacter nostra præcepta parvipenderis, & terminos paternos excesseris. Quapropter hujus nostri pontificii auctoritate ab hujuscemodi te factione compescere volentes; præcipimus, & modis omnibus tibi injungimus, ut omni obstinatione deposita,

A quidquid nos illic positi inter te & eumdem episcopum, vel illius fratrem Pandenulfum fidelem nostrum de divisione, vel frugibus illius ecclesiæ deliberavimus, sine mora adimplere procures. Hoc sciens, quia si aliter agere præsumpseris, sicut invasorem rerum sacrarum te canonicis jaculis feriemus. Quod si aliquam querimoniam, aut justam excusationem te habere confidis; tunc cum eodem episcopo causam dicturus, jubemus, ut nostram petas præsentiam. Nam & nos præsenti legato nostro Vualperto reverendissimo episcopo dilecto consiliario nostro præcipimus, ut si nostra salubria monita adimplere contempseris, ex nostra auctoritate te excommunicare B procuret: quatenus, sicut prædiximus, Romam in nostra *. Data XV. Kalendas Augusti, indictione XIII.

(* f. præsentia venias, deest.)

CCXLIX. AD CAROLVM REGEM.

Gratulatur de ejus erga Romanam ecclesiam observantia, cujus eum defensorem elegit. monet ne adversariis fidem habeat. laudat quod ditionem sancti Petri ab hostili incursu defendi jusserit. Bosoni tamquam tyranno auxilium se non daturum affirmat. optat ejus adventum, & rogat ut legatos mittat.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

REGIÆ magnitudinis vestræ receptis apicibus, ac diligenter perlectis, quia more Christianissimorum principum parentum vestrorum admonitionis & exhortationis nostræ doctrina repleri vos velle cognoscimus, nostroque consultu ea, quæ pro sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ, & totius Christianitatis defensione salubria ac utilia esse videntur, animo libenti cupiatis perficere; valde gratulamur, & immensas domino gratias referimus: & optamus ut cuncta circa vos semper prospera, divina favente gratia, existant. Ea etenim, quæ de vestris causis, & eventibus vestris nobis literis non retulistis, fideli relatione communis fidelis, & reverendissimi episcopi Vuibbodi luculenter didicimus; eique omnem familiaritatis aditum pio affectu præbentes, vestræ voluntatis arcana cognovimus, per quem & nos celsitudini vestræ aliqua verbo tenus intimanda direximus. De oppressionibus autem Græcorum (sicut vobis a quibusdam æmulis nostris nuntiatum est) nos aliquid nullo modo scimus; si vero certissime sciremus, dilectioni vestræ cum omni devotione celeriter nuntiassemus: quoniam Dei omnipotentis procul dubio inspiratione, & voluntate, vos præ omnibus eligere, & inclytum in omnibus negotiis sanctæ sedis apostolicæ, nostrisque profectibus patronum; ac defensorem habere omnino curavimus: & ideo, vita comite, longa per tempora optamus possidere. Quapropter inimicis nostris, quos nobis adversarios, & zizaniorum seminatores esse cognoscitis, aurem clementiæ vestræ nullatenus accommodetis. Nam inimicus semper contraria loquitur: tamen bene vos fecisse laudamus, quod omnibus episcopis, & comitibus, qui circa nos consistunt, auctoritate vestra mandastis, atque jussistis; ut terminum sancti Petri ab hostili nempe incursu, nostro pariter instructi mandato, defendere debeant. Valde necessarium est, ut non solum a malis Christianis, verum etiam & a Saracenis ubique diffusis, ubique & undique nos sine inter-

(Aimoinus lib. 5. c. 39. & 40 Regino lib. 2.)

intermiſſione deprædantibus, & more furum noſtra deſipientibus, tueri procurent. Pro qua videlicet neceſſitate, quam ſupra modum patimur, ipſius Vvibbodi epiſcopi hortatu, in quamdam cortem noſtram exivimus, & una cum Vvidone comite Lamberti filio loqui voluimus hujus rei cauſa: ſed ipſe adeſſe prætermiſit, ſicut jam dictus fidelis noſter ac veſter vobis poterit enarrare. De Boſone quoque certos vos eſſe volumus, quia neque aliquem familiaritatis locum, aut receptionis noſtræ auxilium apud nos habebit, neque poterit invenire: eo quod vos, ut prælibavimus, amicum, & adjutorem quæſivimus, & loco cariſſimi filii retinere toto mentis conamine volumus. Nam nihil nobis de parte ipſius pertinere videtur, qui talem tyrannidem præſumpſit committere. De veſtro quoque adventu, quem, Deo favente, adeſſe mandaſtis, valde ſumus gaviſi effecti, & pro tantis calamitatibus, quibus circumdati & oppreſſi exiſtimus, optamus, & vehementer rogamus veſtram ſpecialem citiſſime, Deo propitio, contemplari præſentiam. Ioannem vero reverendiſſimum epiſcopum Tritienſem penes nos hac vice retinuimus, ut ſi aliquid novi nobis evenerit, & neceſſe fuerit per eum veſtris mandare fidelibus, ac per ordinem quæ opportuna fuerint, ſignificare poſſimus. Pro juſtitiis autem faciendis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ut idoneos & fideles viros e latere veſtro nobis de præſenti dirigatis, obnixe depoſcimus, qui nobis pariter cum miſſis noſtris proficiſcentibus, de omnibus juſtitiam pleniſſimam faciant, & veſtra regali auctoritate male agentes corrigant & emendent: præterea, ſicut veſtro proprio nobis ore fili cariſſime promiſiſtis, ut in hoc dumtaxat opere veſtram voluntatem, veſtræque mentis affectum circa nos puriſſimum fore luce clarius agnoſcamus, ut & nos veſtrum deſiderium pio ſemper valeamus affectu perficere. Data *ut ſupra.*

CCL.

Gratulatur de concordia eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. miratur multa, quæ ſtatuerat, mutata eſſe. approbat quæ Conſtantinopoli in concilio pro cauſa Photii acta ſunt, ſi tamen legati contra ſua mandata non egerint.

Videtur miſſa Photio.

HOC noſtri ſemper certaminis & laboris fuit; hoc noſtri voti exiſtit, ut pro orthodoxæ fidei integritate, ſeu pro ſtatu, & pace omnium Dei eccleſiarum, quarum cura conſtringimur, adeo operam demus, quatenus diſperſa congregentur, congregata conſerventur, & ut quidquid inhoneſtum, vel aliter quam ſe rectitudo habet, per providentiam Dei, ſanctorum apoſtolorum meritis ſuffragantibus corrigatur, omni conamine, juxta officium nobis commiſſum, ſpeculando ſatagimus. Hujus rei gratia more apoſtolico ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ miſereri volentes, decrevimus, ut unius incrementum, nullius fieret detrimentum; quin potius omnium manifeſtum exiſteret adjutorium. Convocata noſtra eccleſia, quantum ad præſens tempus coegit neceſſitas, auctoritate, & poteſtate apoſtolica dictæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ conſuluimus, & legatis noſtris directis, ut inoffenſo pede incederent, inſtituimus. De cujus ſcilicet unitate pacis, ſive concordia gratulamur, & cunctipotenti domino laudes innumeras referentes, licet ei, qui tanta bona A ſervis ſuis largitur, condignas grates agere non poſſimus, hunc benedicimus, & aſſiduis vocibus glorificare ſtudemus. Gloria namque ſit illi, & omnis laus, ac virtus, cujus majeſtate, & ſemper perlaudabili gratia * certata ad rectitudinem reducuntur, prava diriguntur; contumacia retunditur, humilitas exaltatur, zizania quandoque velluntur, ſcandala amputantur, & omnis bonitas augmentatur: unde non in nobis, ſed in eodem domino gloriemur, jocundemur & exultemus in miſericordia ejus qui dicit: *Confidite, quia ego vici mundum.* & in alio loco: *Sine me*, inquit, *nihil poteſtis facere;* ſed cum nos ſcriptis & verbis miſericorditer tecum ſpecialiter B agendum eſſe decreverimus; mirandum valde eſt, cur multa, quæ nos ſtatueramus, aut aliter habita aut mutata eſſe noſcantur; & neſcimus, cujus ſtudio, vel neglectu variata monſtrentur. Ceterum ſcribens ſubintuliſti, quod, te innuens, non niſi ab iniqua gerentibus miſericordia ſit quærenda; quod & nos de his, qui Deum ſe ſcire non fantur, licet diſpenſatorie fatemur; tamen nos, quod lectum eſt, exaggerare nolumus, ne quod dignum eſt, judicare cogamur; ideoque talis excuſatio ſileat, ne hoc dicentes illa ſententia tangat, qua dicitur: *Vos eſtis qui juſtificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt, abominabile* C *eſt apud Deum:* igitur laudabilis tua prudentia, quæ dicitur humilitatem ſcire, non moleſte ferat, quod ab eccleſia Dei miſerationem juſſa eſt poſtulare: quin potius ſe, ut exaltetur, humiliet, & fraternum diſcat erga ſui miſerentem ſervare affectum. Quia nos, ſi tu debitam devotionem & fidelitatis incrementa erga ſanctam Romanam eccleſiam, & noſtram parvitatem obſervare ſtudueris, & ut fratrem amplectemur, & ut cariſſimum proximum retinebimus. Nam & ea, quæ pro cauſa tuæ reſtitutionis ſynodali decreto Conſtantinopoli miſericorditer acta ſunt, recipimus: Et ſi fortaſſe noſtri legati in eadem ſynodo contra apoſtolicam præceptionem egerunt, nos D nec recipimus, nec judicamus alicujus exiſtere firmitatis.

*f. curvata

Ioan. 16.

Ioan. 15.

Luc. 16.

CCLI. AD IMPERATORES AVGVSTOS.

Commendat eorum ſtudium in eccleſiæ concordia ſtabilienda. monet, ut in eo perſiſtant. agit gratias de dromonibus auxilio miſſis. de monaſterio ſancti Sergii, & de Bulgarorum diœceſi ſedi apoſtolicæ reſtituta. rogat ut Dei eccleſiam tueatur. demum ea quæ pro Photio in ſynodo Conſtantinopoli acta ſunt, ſe approbare ſignificat, ſi tamen legati contra ſua juſſa non egerint.

E

Imperatoribus Auguſtis.

POST innumeras ſolicitudines, quibus nimirum oneratur imperiale faſtigium, laudabile clementiæ veſtræ cognoſcimus Chriſtianiſſimi imperatoris eſſe propoſitum; per quod ſummotis omnibus diſcordiarum, atque zizaniorum ſeminibus, quæ in agro dominico humani generis inimicus aſperſerat, ſanctæ catholicæ eccleſiæ piiſſimo mentis affectu conſulere voluiſtis. In quo ſcilicet animi voto, ac deſiderio, quantum rebus humanis favere providentia divina dignetur, ſolicitudo clementiæ veſtræ Spiritu Dei incitata demonſtrat, quæ in catholica eccleſia miſericordem per auctoritatem & judicium ſedis apoſtolicæ, quæ Chriſto domino delegante, totius

totius ecclesiæ retinet principatum, nihil impacatum, nihil voluit esse diversum: cum omnes schismatica pravitate divisos, vel zelo quolibet separatos, atque dispersos, clementi affectione, vel studio ad veræ pacis soliditatem, concordiæque sincerissimæ unanimitatem revocare, & in uno Christi ovili cum proprio pastore, Photio videlicet confratre & comministro nostro, aggregare curavit. Pro quibus videlicet nostri pastoralis magisterii officium est, apud serenitatis vestræ Augustalem clementiam assidua semper solicitudine omnimodis intercedere; ut vestræ pietatis majestas, more Christianissimorum imperatorum, benigna circa omnes existat; & quasi Deo contemplante, populum domini sibi commissum felici regat semper & gubernet intuitu, nec amplius patiatur eos aliquibus sæculi hujus procellis illidi, aut malignis perturbationibus concuti: quatenus post hoc vitæ præsentis, imperium cæleste adipisci, & in æternum cum domino retinere valeatis. Nunc itaque pro tanta devotione, animique vestri sinceritate, quam non solum verbis, sed lucifluis etiam operibus circa ecclesiam sancti Petri, & nostram paternitatem ostendistis, immensas post Deum serenitati vestræ gratias agimus. Primo quidem, quod dromones vestros, qui pro defensione terræ sancti Petri in nostro manerent servitio, nobis misistis. Secundo autem, quod monasterium sancti Sergii intra vestram regiam urbem constitutum, quod sancta Romana ecclesia jure proprio quondam retinuit, divina inspiratione repleti, pro honore principis apostolorum nostro præsulatui reddidistis. Tertio vero vobis grates multas referimus, quia Bulgarorum diœcesin pro amore nostro gratanti animo sancto Petro, ut justum erat, permiseritis habere. Vnde obnixe petimus, ut vestro potenti solatio sanctam Romanam ecclesiam in hoc periculoso tempore in omnibus adjuvare, defendereque non dedignemini: quatenus ex hoc vestra imperalis gloria apostolicis suffragantibus meritis, per cunctas mundi partes magis ac magis accrescat, & apud omnipotentem dominum dignam retributionem percipiat. Et iterum humiliter petimus, ut in hujus bonæ voluntatis ac pietatis affectu, quem pro amore Dei circa ecclesiam Christi habetis, immobiles permaneatis: quoniam nos Augustalem excellentiam vestram ulnis extensis amore paterno amplectimur, & honore debito veneramur, atque assiduis orationibus nostris, juxta sacrosancta beatorum apostolorum Petri ac Pauli corpora fusis, omnipotenti domino commendare studemus, ut pro tantis beneficiis, quæ sancto Petro impenditis, ipse vobis, & in hoc præsenti sæculo vestrum sanctum imperium cum omni prosperitate magis ac magis conservet incolume, clarisque semper dignetur ubique decorare triumphis; & in cælesti postmodum regione sempiternam gloriam & beatitudinem cum sanctis & electis suis habere concedat. Nam & ea, quæ pro causa restitutionis reverendissimi Photii patriarchæ synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus: [a] Et si fortasse nostri legati in eadem synodo contra apostolicam præceptionem egerint, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis. Data Idibus Augusti, indictione decimatertia.

Nota Severini Binii.

a *Et si fortasse nostri legati.*] Hanc synodum pseudo-octavam a Ioanne VIII. ceterisque ejus successoribus pontificibus & a concilio Florentino reprobatam fuisse; præter alia, de quibus infra, indicant ista verba. Vide quæ notavimus in conciliabulo Constantinopolitano, sub Ioanne papa VIII. infra, verbo *Reprobatum*.

CCLII. AD CAROLUM REGEM.

Gratias agit de ejus erga sedem apostolicam observantia. suam erga eum benevolentiam testatur. adventum ejus pro ecclesiæ necessitatibus expectat, monetque ut aliquem legatum mittat. queritur de Georgio quodam excommunicato, qui ipsius imperatoris auctoritate fultus bona Romanæ ecclesiæ invaserat. rogat ut promissa auxilia mittat.

Excellentissimo & dilecto filio Carolo glorioso regi.

Relegentes regalis excellentiæ vestræ literas, devotionem vestram quam circa sanctam ecclesiam matrem vestram, & circa nostrum pontificium habetis, luce clarius novimus; unde multiplices gloriæ vestræ gratias referimus. Nam & nos vos semper quasi dilectum & spiritalem filium retinemus, & pro mentis affectu desideramus amplecti, & pro augenda gloria vestra assidue soliciti incunctanter existimus. Quod autem nobis mandastis, ut vestrum optatum præstolaremur adventum, pro eorum adversitatibus emendandis; qui nobis contraria inferre, & qui a nostra ditione homines nostros subtrahere præsumunt; nos quidem vestrum adventum toto desiderio pro tantis ecclesiæ Dei necessitatibus, quæ ad augmentum gloriæ vestræ sunt emendandæ, omnimodo optamus inspicere. Sed sicut vobis nostris jampridem apostolicis literis suggessimus, ut vestrum idoneum missum nobis direxissetis, cum quo aliquid de ecclesiasticis utilitatibus potuissemus perficere; pro qua causa non eum miseritis, miramur. Quamobrem petimus, ut eumdem missum, antequam veniatis, nobis dirigere non omittatis: ut cum, Deo auxiliante, veneritis, nobis simul convenientibus, vera inter nos dilectio, utpote inter spiritalem patrem & carissimum filium possit existere. Præterea postquam Georgius excommunicatus & anathematizatus cum homine Vvidonis est a vobis reversus, assiduo sumus mœrore turbati; eo quod audacter veniens, quasi vestra fultus auctoritate, in proprietates olim suas, quæ ad jus sanctæ Romanæ ecclesiæ, (Carolo divæ memoriæ imperatore patruo vestro concedente,) non legaliter pervenerunt; (& nunc usque juri nostro defendebamus & tenebamus,) temere pariter cum aliis introivit: & nostros, qui in circuitu homines existunt, affligere, & deprædari non cessat. Vnde obnixe rogamus vestram magnitudinem, ut sicut nobis ore proprio promisistis, & per epistolam vestram, atque legatos nostros, Liutvvardo venerabili sanctæ Vercellensis ecclesiæ episcopo mediatore existente, mandastis, præsentialiter nobis adimplere satagatis: quia nos ea, quæ vobis promisimus, omnimodis adimplebimus, aut eosdem infideles nostros procul a nobis expellatis, ut nulla nobis adversa, vel contraria valeant aliquatenus moliri, quousque Deo propitio vos veneritis. Quarto Idus Septembris, indict. decimaquarta.

CCLIII. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Iubet eum Romam ad synodum causa dissolvendi quasdam quæstiones advenire.

Romano archiepiscopo Ravennati.

QUIA bellica, imo Sarracena impediente angustia, juxta sacros canones, quarto scilicet idus Octobris, synodum sicut volueramus celebrare nequivimus; opportune, valdeque necessario sane prævidimus, ut hanc eamdem VI. Idus Novembris istius quartædecimæ indictionis, adjuvante domino, convocemus. Quapropter sanctimoniam tuam hortamur, ut ad idem tempus sine omni mora, imo omni occasione postposita, Romam occurras; quatenus ea quæ ad honorem, sive utilitatem sanctæ Dei ecclesiæ pertinent, nobiscum ordines & diffinias, & sancti Spiritus gratia revelante, voto communi decernas. Interea negotium viri illustris Deusdedit gloriosi ducis, qui nostrum pontificium adiit, dicens, se a tua solertia pro conjugio suæ uxoris, quam illius consanguineam fateris existere, communione privatum, est procul dubio ventilandum; ut quidquid rei veritas hinc demonstraverit, omnimodis exequamur. Qui pro eo quod tam diu apud nos est immoratus, & de tua parte, qui rationem redderet, non est inventus; rationabiliter erat a nobis interim absolvendus: tamen quia in proximo, sicut diximus, synodum, (qua hoc cum unanimitate aliorum consacerdotum, fratrumque nostrorum, & tua, est inter alia pertractandum,) celebrare debemus, dignius judicavimus (quod & ipsæ res expetunt) tuum præstolari adventum: ut hoc synodali discutiamus collegio, & alterna visione congratulantes, pari sententia decernamus: in qua etiam quidquid supra generum suum habueris, similiter diffiniri jubeamus. Præterea jam dicti viri conjux, Maria nomine, libellum suæ reclamationis per Paulum legatum suum nostro præsulatui dirigere procuravit, asserens tuam sanctitatem in nuptiis per consensum patris de ea habitis, consciam extitisse; & tam virum suum, quam se, postquam una caro effecti sunt, tam ad spiritalem, sive dominicam, quam etiam ad communiorem mensam, sæpe non solum admisisse, sed etiam invitasse. Sed & hoc per eumdem suum libellum reclamando innotuit, quod Moioranus, qui & Maginpertus diaconus dicitur, in nece sui patris consenserit, petens a nobis ex hoc convenientem justitiam, & obnixe postulans hoc indiscussum non derelinqui, quem videlicet sæpissime Bononiensis episcopus suæ ecclesiæ famulum quærere studuit. Hujus rei gratia præcipimus ipsum diaconum tecum nobis omnimodis exhiberi, ut quidquid rationis ordo poposcerit, adjuvante domino, canonice ventilemus, & synodice statuamus. Data III. Kalendas Octobris, indictione XIV.

CCLIV. AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

Ut Romam ad synodum adveniant.

Omnibus episcopis per ducatum Spoletanum, & Camerinensem, & ad omnes episcopos per diversas provincias constitutos.

NOLUMUS ignorare vestram fraternitatem, quia pro multiplicibus sanctæ Dei ecclesiæ necessitatibus, VI. Idus Novembris istius quartædecimæ indictionis synodalem conventum, domino adjuvante, celebraturi sumus: & cum diversis, præcipue Sarracenorum, impedimentis implicati essemus, nequivimus eum suo tempore congregare, dignum duximus ad augmentandas, atque perficiendas ecclesiasticas utilitates, vel præfato tempore non prætermitti, quo minus tanta necessitas sine consultu aliorum confratrum nostrorum indiscussa non remaneret, ut vestris salubribus consiliis fulti, quidquid ad honorem Dei, & communem utilitatem pertinet; communiter perficere satageremus. Quapropter hujus nostræ commonitionis sanctitatem vestram exhortamur apicibus: ut solita desidia deposita, ad eamdem synodum Romam venire non differatis: quatenus, sicut diximus, ea, quæ agenda sunt, Christo juvante, communiter peragamus, & quæ juxta nostri ministerii officia statuenda sunt, salubriter statuamus. Videte itaque ne solito negligenter agatis, ne si per vos ea quæ honori & statui sanctæ Dei ecclesiæ sunt proficua inordinata remanserint, &, quod non oportet, venire contempseritis, canonicis ictibus non immerito feriamini. Data pridie Kalendas Octobris, indictione XIV.

CCXLV. AD CAROLUM REGEM.

Lætatur de ejus incolumitate, Deumque orat, ut omnia ei prospere eveniant. nuntiat Sarracenos a Græcis victos, seque a Sarracenis, & aliis etiam valde premi: quare petit, ut sibi quam citissime auxilio veniat.

Carolo glorioso regi.

SUSCEPTIS gloriæ vestræ, spiritalis atque desiderabilis fili, nobis directis apicibus, atque relectis, quia vos, Deo gratias, sanitate vigere cognovimus, ineffabili, & ultra quam dici possit jucunditate refecti, in domino gratulati sumus: & ut magis ac magis vobis dominus Deus noster prosperitatem tribuat, triumphum de adversantibus concedat, & felicia tempora ad regnum pacifice, atque justissime disponendum multiplicet, continuis votis eumdem dominum deprecamur. Quia nihil est omnino, fili carissime, nobis dulcius, nihilque amabilius, quam ut vos semper ad defensionem, & exaltationem sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ cognoscamus esse promptissimos; & eis qui eam diversis modis impugnant, libera correctionis, ac disciplinæ sententia contraire. Nos autem licet in innumeris infirmitatibus, atque angustiis constituti, Deo gratias, utcumque valemus: sed tunc potius nostra sanitas erit, si vos omni prosperitate, ut diximus, pollere cognoverimus; & ad nobis conferendum solatium festinanter occurrere, ut alterna visione loquamur, non pati moras advertimus. Ceterum, quod dicitis ut Liutvvardum venerabilem episcopum communem fidelem nostrum ad nos præmittatis, valde in domino gratulamur: & cum eum pro communi utilitate semper desudare cognoverimus, magnum nobis gaudium in adventu illius nascetur, eo quod in ipsius præsentia vestram intuebimur excellentiam. Postremo, fili carissime, quod sciscitamini de Græcis, atque Ismaelitis, & ceteris quibusque exteris nationibus, vel concivibus, qualiter res agatur,

agatur, breviſſime reſpondemus. Sed ut hæc omnia ex intimo corde, atque dolenter advertatis, omni mentis conamine exhortamur: tamen Deo ſint grates & laudes, quia Græcorum navigia in mari Iſraelitarum victorioſiſſime ſtraverunt phalanges, & eos, prout dominus voluit, debellati ſunt. Sed nos tamen tam ipſi jam dicti Iſmaelitæ, quam alii concives noſtri impugnant, ac perſequuntur, ut extra muros urbis nullatenus, vel qui labore manuum ſuarum vivere valeant, vel qui, ut ita dixerim, Chriſtianitatem ſuam, ſicut decet, obſervent, egredi libere poſſint: ac per hoc, imo pro his omnibus, ſi citiſſime, & omnibus occaſionibus, omnibuſque excuſationibus poſtpoſitis, & contemptis, ad omne nobis, & huic regioni valde afflictæ conferendum ſolatium non veneritis; procul dubio ſcire poteſtis, quia ad peccatum veſtrum, & damnum omnium hæc terra peribit. Vnde pro Deo feſtinanter iter ad nos veniendi aſſumite, & ut bella domini vice illius præliemini, ad beatorum apoſtolorum limina, Deo præduce, pro Chriſtianorum omnium auxilio properate. Data III. Kalendas Novembris, indictione XIV.

CCLVI. AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Inobedientiæ eum arguit, præcipitque, ut Rhodoaldum, & Vvarlenum monachos, quos injuſte in carcerem conjecerat, ad eorum monaſterium honorifice remittat.

Anſperto archiepiſcopo Mediolanenſi.

DECUERAT te, frater cariſſime, pura animi ſinceritate eam reverentiam, eumque honorem ſanctæ ſedi apoſtolicæ, cui Deo auctore præſidemus, quotidie impendere, quæ uſque ad tua tempora omnes tui prædeceſſores laudabiliter viventes, huic eccleſiæ obtulerunt prona mentis devotione. Pro qua re ejus gremio ſuſcepti, quidam præ nonnullis amore dilecti ſunt: ſed ecce, quod ſine dolore dici non poteſt, neſcio qua antiqui hoſtis fraude, a die ordinationis tuæ, & tempore ſenectutis, contra ſanctam Romanam eccleſiam matrem tuam non deſtitiſti nunc inobediens, nunc doloſus te patefacere: qua neceſſitate compulſi, te corripere apoſtolico flagello operæ pretium duximus, ſed iterum paterna miſeratione te ad nos reducere non prætermiſimus, ſperantes in te de reliquo nullum veſtigium circa nos culpæ aliquo modo reperire, quia & profeſſio tua hoc coram nobis jurejurando ſpoponderat. En bone vir, aliquid deterius committere non formidaſti, cum quoſdam monachos noſtros nomine Rhodoaldum, & Vvarlenum Roma ad ſuum monaſterium Pultarienſe iter carpentes, comprehenſos juſſeris diu ſub cuſtodiæ vinculis reſervari. Quod quanti piaculi ſit ſano intellectu ipſe perpende, quantumque dedecus ſedis apoſtolicæ, quæ, Chriſto auctore, etiam in barbaras nationes libera ſemper viſa eſt fungi legatione: quod nefas malum ſub omni celeritate te emendare hortamur, & prædictos Dei famulos cum omnibus ſuis illæſos abire patiaris ad locum, miſerante Deo, ſuæ habitationis. Et ſicut tuo conſilio pro certo eos cognovimus eſſe innocenter cuſtodiæ mancipatos: ita, te faciente, ſciamus eoſdem funditus, & cum competenti honore dimiſſos. Data menſe Novembri, indictione XIV.

CCLVII. AD SALOMONEM PROCURATOREM PAPIÆ.

Ejuſdem argumenti.

Salomoni procuratori Papiæ.

APOSTOLICA tibi auctoritate præcipimus, ut monachos noſtros, id eſt Rhodoaldum, & Vvarlenum, quos, ſpreto Dei timore, a liminibus ſanctorum apoſtolorum ad ſuum monaſterium revertentes, & ſimpliciter per viam gradientes, comprehendere auſus fuiſti, & in cuſtodia retinere; ſine omni mora, & dilatione dimittas cum omnibus ſuis reverti ad ſuum monaſterium ſanos atque illæſos. Quia tantum ſcelus & injuriam pro hac re in ſedem apoſtolicam commiſiſti, pro quibus juſte carere debueras conſortio omnis Chriſtianitatis: & fatemur, ſi hoc continuo non emendaveris, a perceptione corporis & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti, & introitu eccleſiæ te prohibebimus. Data menſe Novembri, indictione decimaquarta.

CCLVIII. AD ADELBERTUM MARCHIONEM.

Ab excommunicatione eum abſolvit, ejuſque homines, ſi ſpatio quindecim dierum intra menſem Martium eccleſiæ ſatisfecerint.

Adelberto marchioni.

TE vero quia converſum & fidelem circa ſanctam Romanam eccleſiam & nos cognovimus, abſque tenore ab omni excommunicatione abſolvimus; hominibus tuis ſub eo tenore ſacram reddimus communionem, ut omnem emendationem, ſicut promiſſum eſt, facere ad quindecim dies intra menſem Martium omnino accelerent. Quod ſi hoc facere neglexerint, omnes ſub eadem excommunicatione permaneant, donec iterum de perpetratis malis plenam faciant ſatisfactionem. Data ut ſupra, indictione XIV.

CCLIX.

Monet ut perficiat quæ per legatos mandavit.

SUSCEPTIS literis gloriæ veſtræ, quibus vos plena intentione monſtratis ad limina apoſtolorum feſtine, imo potius præcipiti greſſu & velle convolare; quapropter attoniti, vel magis ſtupefacti miramur decentiam veſtram terminos patrum tranſcendere, & lineam generis veſtri ſuperbo ſpiritu conculcare, & in deterius, non in melius prorſus convenire. Et ecce dolenter cum apoſtolo compellor dicere: *In noviſſimis temporibus inſtabunt tempora periculoſa, in quibus erunt homines ſemetipſos amantes, & quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti.* 2. Tim. 3. Sed nos, fili cariſſime, in viſcere Chriſti plurimum diligentes, ad ea te provocare geſtimus, quæ animæ veſtræ proficiant ad ſalutem. Legatos ſane e latere noſtro plene inſtructos direximus, quibus omnia ad purum credere non ambigatis in his, quæ verbo tenus, & ſcriptis capitulariter dedimus in mandatis. Qua de re paterno affectu monemus, ut omnia ſicut vobis direximus, per eoſdem legatos adimplere omnino curetis. Ideoque ſcitote, quoniam ſi pleno jure cuncta quæ deſtinavimus non adimpleveritis; nos enimvero quantum in nobis eſt, zelo Dei ſuccenſi ea quæ ad honorem ſanctæ Romanæ eccleſiæ pertinent exagge-

exaggerare penitus satagemus. a quibus nos nulla ferocitas, nulla malorum hominum comminatio, donec spiritus reget artus, poterit sequestrare. Quod jussionem nostri pontificii ingenti presumptione absurdā posuisti, omnimodis temetipsum proprio jaculo reverberasti, & velut aspis surda saluti tuæ congruentibus aurem non accommodasti. Sed quid plura? iterum atque iterum inhibendo apostolica auctoritate præcipimus, terminum S. Petri ad ingrediendum animum vestrum non incitetis: quousque prædicti legati nostri ad nos revertantur, omnia nobis renuntiaturi, itemque alios ad nos transmittere cures. Data octavo Kalendas Februarii, indictione XIV.

CCLX. AD ANSPERTUM MEDIOLANENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Confirmat Iosephi episcopi Astensis ordinationem, qui alias contra canones Vercellensis ecclesiæ fuerat episcopus constitutus.

Ansperto Mediolanensi archiepiscopo.

CONSULTATIONIS tuæ qua nos super Ioseph, nuper in Vercellensi ecclesia ordinati, nova nunc electione, vel ordinatione in ecclesia Astensi, consulere voluisti, perspectis suggestionibus, quibus super hoc nostræ auctoritatis consultum requiris, canonicum judicavimus, & nostris tibi decretis convenienter, propitia divinitate, respondimus. Fuerat autem de illo primum, ut ipse mecum advertis, quoddam irregulariter institutum: sed nos apud beatum Petrum apostolum cum sancta synodo residentes, salubri potiti consilio, & animositatem illius correximus, & misericordiæ fomenta, gratia sancti Spiritus revelante, protinus adhibuimus; scilicet, ut eo in pristinum ordinem reducto, si alium episcopatum ei concedere voluisses, & cleri, vel populi vota hunc sibi concorditer in episcopum expeterent, & eligeretur, & sicut qui nihil ab ordinatore prius acceperit, in episcopum crearetur. Interea accidit, ut Astensis ecclesiæ rectore proprio obeunte, permissu Caroli gloriosi regis idem Ioseph post electionem cleri, & expetitionem populi, in eadem ecclesia deberet ordinari episcopus, tua fraternitas, tam nostra absolutione, quam etiam ipsius regis exhortata monitionibus, hoc libenter admisit, & canonice jussa complere conata est. Quod quia nunc sententiam nostram tu quoque secutus, & regalem permissionem devote, sicut condecet, es amplexatus, præfatum Ioseph presbyterum sanctæ ecclesiæ Astensi episcopum præfecisti, & ordinationem illius ratam haberi decernimus, & omnium ora contra hoc quoquo modo mussitantia apostolica auctoritate obstruimus: quia sicut de irregulariter quibuslibet habitis, nos ad hæc corrigenda zelus justitiæ excitat; ita de bonorum virorum laudabilibus factis
Epist. 15. gratia divina lætificat. Nam & sedes apostolica, juxta quod sanctus Leo papa scribit, hanc temperantiam servat, ut & severius agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis: & ideo his omissis, de prælibati Ioseph iterata creatione sanctitas tua, in nullo penitus hæsitet: quia hanc & nos approbatam admittimus, & ab omnibus admittendam esse mandamus: quia quod non ostenditur factum per impositionem manus illius, qui tempore suæ legationis, quod dare visus est, ut ita dixerim, non habuit, ratio non sinit, ut videatur iteratum. Data XV. Kalendas Martii, indictione XIV.

CCLXI. AD ANSELMUM MEDIOLANENSEM ARCHIDIACONUM.

Minatur illi excommunicationis pœnam, nisi ad sui archiepiscopi obedientiam redeat.

Anselmo archidiacono Mediolanensi.

MISSA præsulatui nostro suggestione Anspertus sanctæ Mediolanensis ecclesiæ reverendissimus archiepiscopus, cujus minister esse videris, super te questus est, quod inter ceteras perturbationis molestias a te sibi temere illatas, & post rerum suarum damna non modica, nunc propria derelicta ecclesia, ab ejus te obsequio & consortio separare, & velut schismaticus, per alienas parochias contra canonica statuta commorari præsumpseris; nec non & apud principalem potentiam properando, noxias illi præparare insidias callida persuasione decertas. Vnde his nostris apostolicis literis dilectionem tuam paterno affectu convenimus, nihilo minus & cum omni jubemus imperio, ut de præsenti ad sinum & gremium sanctæ Mediolanensis ecclesiæ matris tuæ, quam furibundo animo reliquisti, valde devotus redire festines, atque sub proprii pastoris regimine, vel præsentia esse omni mentis alacritate decertes, &, utpote idoneus minister, humili prorsus devotione debitum, juxta ordinis tui locum, reverenter impendas obsequium, & obedientiæ famulatum: quatenus ejus, gratia potitus, omnipotenti domino de officii tui assiduitate semper placere valeas. Quod si aliter contra præcipuas & non violandas sanctorum patrum institutiones, atque contra hanc nostram saluberrimam jussionem agere præsumpseris, & ad tuam ecclesiam, tuumque pastorem, sicut regula ecclesiastica docet, redire contempseris; scias te Dei omnipotentis virtute, & beati Petri apostolorum principis, nostraque auctoritate, atque canonico patrum judicio, fore omni ecclesiastica communione privatum: quousque, ut prædictum est, ad tuam ecclesiam redire, tuoque pastori humilitatis colla subdere omnino studueritis, quoniam ferro necesse est ut abscindantur vulnera, quæ ut illis manum adhibueris, fomentorum non senserint medicinam.

CCLXII. AD ATTONIUM.

Excommunicat eum, nisi ecclesiæ Mediolanensi bona quæ abstulerat restituat, & ad obedientiam sui archiepiscopi cum sociis redeat.

Attonio excommunicato.

MISSA præsulatui nostro ab Ansperto sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopo relatione, atque suggestione didicimus, te multa per horrendæ temeritatis impudentiam, sive audaciam egisse illicita, & in contemptum beati Ambrosii, atque ipsius antistitis contrarietatem, in locis, & rebus ei pertinentibus mala, & quæcumque poteras enormiter una cum filiis tuis commisisse adversa. A quorum scilicet perpetratione assidua, te quasi ovem gregis dominici, multis jam vicibus arguendo, obsecrando, & increpando convenire, atque removere curavit, ne antiqui hostis callida persuasione semel deceptum

deceptum in profundum mortis barathrum lapsum jacere omitteret. Sed quia te sanctæ admonitionis verbis salubribus humili prorsus devotione non obedire, neque aurem cordis (velut aspidem surdam) inclinare, vel acquiescere nolle aspiciens, post tot correptiones una cum venerabilium coepiscoporum cœtu a sacrosancti corporis & sanguinis domini secundum institutionis paternæ censuram, communione separavit; & ab ecclesiæ Dei societate merito removit. Et adhuc in eadem sorde iniquitatis fœtidum & vulneratum te dolet jacere, cordeque impœnitenti nolle ad te percutientem reverti aspiciens, clamat, ut per salutis medicamenta animi tui valeat vulnera male inflicta sanare. Unde & nos pastorali solicitudine, atque confratris nostri archiepiscopi præsenti dilectione commoti auctoritatis nostræ statuto jubemus, ut tanta perversitate, & cordis duritia jam procul abjecta, quoniam hactenus Dei timore postposito, multos tuæ iniquitatis lepra coinquinasti, & tantorum malorum auctor esse non dubitasti, præcipimus te cum omni celeritate reverti ad veram præfati pontificis tui satisfactionem cum filiis, & tuis omnibus complicibus: quorum incentor adhuc malorum post tantas correctiones esse non timuisti, & ejus salubribus monitis subditus, & subjectus existas. Omnibus tamen ecclesiæ deprædationibus in integrum restitutis, & secundum ipsius ecclesiæ privilegium emendatis, atque solutis: quod si post hujus nostræ præceptionis relectam epistolam in tua iniqua obstinatione perdurans, ut dictum est, ad præfatum pontificem tuum redire satisfaciendo contempseris, ex auctoritate Dei Patris, & Filii, ac Spiritus sancti virtute, beatorumque apostolorum Petri ac Pauli, & omnium sanctorum patrum, nostraq; apostolica sanctione secundum jam dicti dilecti confratris nostri archiepiscopi, & episcoporum sententiam jam olim in te prolatam, jubemus te cum filiis & complicibus tuis omni ecclesiastica esse communione privatum, & a cœtu, atque societate omnium Christianissimorum, utpote tantorum malorum perpetratores inconvertibiles; seclusos & damnatos existere; quousque omnia, quæ perperam gessistis, emendando, canoniceque satisfaciendo, veniam condignam percipere mereamini. Data xv. Kalendas Martii, indictione xiv.

CCLXIII. AD LUDOVICUM ET CARLOMANNUM REGES.

Rogat ut cum Carolo imperatore consentiant de revocanda & Romam mittenda Angelberga: ubi eam ita se custoditurum pollicetur, ut contra ipsos moliri nihil possit.

Ludovico & Carlomanno regibus, & Hugoni abbati.

NOSSE volumus vestram dilectionem, quia spiritalem filium nostrum Carolum serenissimum imperatorem Romæ nobiscum degentem rogavimus, ut spiritalem filiam nostram Angelbergam Deo devotam, quæ se sancto Petro apostolo, & nobis, cum suis omnibus commendaverat; quam etiam conjux illius divæ memoriæ Ludovicus Augustus adhuc vivens nostræ tuitioni specialiter submiserat, ab exulatu reduceret, & apud nos eam Romam, ubi nulla jam de illa sinistra suspicio oriri posset, pro amore Dei,

A & Christi clavigeri ipsius beati Petri apostoli simulque nostro dirigeret. Quod ille libenter se facturum promittens, quantum comperimus, vestrum super hoc præstolatur assensum. Et quidem nos de communi dilectione & pace sive concordia vestra gaudemus, & Deo pro hoc innumeras grates referimus. Sed tantum de ipsius spiritalis filiæ nostræ recuperatione & reditu vos deprecamur, quantum, si ipsa ad nos reducta fuerit, ut nihil penitus jam, vel contra eumdem imperatorem, vel contra vos agere possit, nostris vos attestationibus certissimos reddimus. Idcirco juncta vestra devotio cum ejusdem Augusti obedientia, absque omni protelatione, jam B dictam Deo devotam feminam, quam ad limina apostolorum, a quorum confessione altarium nostro semper tuendam præsidio suscepimus, pro amore Dei & nostro remittere, quantum in vobis est, non omittatis. Quia si hic apud nos rediens habitaverit, tanta custodia circumspecta, nobis credite, erit, ut nec Bosoni, nec alii homini, ad perturbationem imperii, sive regni, quodlibet adjutorium vel auxilium verbis aut scriptis præbere quoquomodo valeat. Verumtamen unum est, quod vobis veraciter, & unde occasionem vos ad nos contemnendum non possitis assumere, hoc ecce proponimus: scilicet, si eamdem Angelbergam vel in modico contra im- C perialem aut vestram voluntatem adversi quippiam moliri aut velle manifestis cognoverimus indiciis, præsentialiter illam reddere ac remittere imperialibus satagenus obtutibus: quatenus quæ disciplinam forte recipere, quod nec optamus, distulerit, non solum mundana vestra judicia non evadat, verum etiam nec nostram miserationem, quæ delinquentibus parcere consuevit, inveniat. Ideoque, carissime fili, estote in hoc nostri cooperatores & adjutores, & audiat nos continuo excellentia magnitudinis vestræ, ut & vos a domino exaudiri mereamini, & per felicia tempora regni gubernacula moderantes, cum Christo regnum, quod finis nullus angustat, intercedenD tibus beatis apostolis, capessere valeatis. Data iv. Idus Martias, indictione xiv.

CCLXIV. AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

Recipit Hadericum sub tutela sedis apostolicæ, & excommunicat omnes, qui illi, vel ejus ecclesiis molestiam intulerint.

Omnibus reverendissimis episcopis & sacerdotibus seu clero, ac populo sanctæ Mediolanensis ecclesiæ.

E BONI patrisfamilias, quem bene & fideliter laborantes remunerasse cognoscimus, informati exemplo, & apostolicæ auctoritatis & miserationis magisterio, seu benevolentia, omnibus, quos pro ecclesiæ Dei utilitatibus fideliter desudare conspicimus, subvenire debentes, opportunum ac necessarium nos oportet præbere auxilium. Igitur quia te Hadericum venerabilem presbyterum, & abbatem sacrorum monasteriorum beatorum scilicet Gervasii & Protasii, atque Simpliciani, nec non ex xenodochii * sanctorum Cosmæ & Damiani, quod Romanorum dicitur, & alia tua beneficia, vel patrimonia intra vel extra civitatem Mediolanensem constituta fideli devotione, totoque mentis conamine pro pristino statu & vigore atque restitutione sanctæ

* *aliquid deest.*

sanctæ Mediolanensis ecclesiæ ter quaterque in obsequio Ansperti reverendissimi archiepiscopi tui atque confratris nostri devotum atque in omnibus fidelissimum permanere, atque decertare omnino, & evidenter comperimus, & legationem Ambrosianæ ecclesiæ catholica fide, te & prout vires suppleverunt, ardentissimo ardore explere, crebro cognovimus. Et ob hoc aliquos contumaciæ livore adversum tuam commotos esse dilectionem, vel ob alias causas invidiæ, qui & modo labiis dolosis zeli contra te concitati, & postmodum callidis argumentis nocivam tibi moliuntur, nostro statuto decernimus, atque Dei omnipotentis auctoritate, beatique Petri apostolorum principis, & nostra sanctione statuimus. nulli unquam archiepiscoporum, vel sacerdotum, aut cujuslibet ordinis clericorum ejusdem sanctæ Mediolanensis ecclesiæ, nec aliarum ecclesiarum, neque alicui magnæ parvæque personæ, cuiuscumque honoris præditę dignitate esse licitum, pro tuæ laudabilis devotionis affectu & pro tuæ fidei sinceritate, atque caritatis certamine, quod pro ipsius ecclesiæ utilitate nostris te diebus habuisse cognovimus, aliquam tibi quocumque modo, vel sub ecclesiasticarum rerum obtentu, inferre calumniam, aut his præfatis, quæ pro tui digni laboris merito retines beneficiis, & patrimoniis, vel a quibus propriis rebus mobilibus privare: sed diebus vitæ tuæ, secundum auctoritatis nostræ decretum, pro amore Dei, & mercede animæ nostræ, tuaque fidelitate, quam tuæ te novimus habere ecclesiæ, liceat tibi sub apostolicæ sedis, successorumque nostrorumque tutamine, cum propriis beneficiis, & cum omnibus tuis hominibus utriusque ordinis, manere quietum, atque securum. Porro quicumque contra hoc nostrum statutum, temerario ausu agere, teque pro hujusmodi negotio calumniare præsumpserit, omni eum ecclesiastica judicamus communione carere, quousque per congruam satisfactionem, in nostra successorumque nostrorum præsentia, quod perperam læserat, emendare curaverit. Et ideo nostra etiam apostolica auctoritate præcipimus, te nusquam cujuslibet episcopi, vel sacerdotis subjacere judicio, quousque in nostram, vel successorum nostrorum libere, ac securiter sine alicujus obstaculo, vel impedimento præsentiam venias. Data *ut supra*.

CCLXV. AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Arguit eum, quod non fregerit fœdus, quod cum Sarracenis fecerat, cum promiserit illud rumpere. ostendit multa mala ejus causa a Sarracenis, Christianis fuisse inflicta. minatur illi excommunicationem nisi fœdus illud rumpat.

Athanasio episcopo Neapolitano.

IAM quia te lactantium, & ab ipsis cunabulis educantium sanctę matris tuæ Romanæ ecclesię oblitus es uberum; vel nostræ benevolentiæ non debueras oblivisci: quam tibi paternaliter exhibentes, & salutis tuæ consulta prævidimus, & in temporalibus commodis juxta qualitatem temporis, præsidia quæque contulimus. & quoniam cooperatorem nostrum in his, quæ Dei sunt, te habere volumus; nimisque tuam sanctimoniam diligimus, monemus ut vel nunc ad cor redeas; ut prava quæque juxta tuum ministerium diluas, & inimicorum Christianorum nominis fœdus execrando devites: quatenus & animæ tuæ lucrum acquiras, & nostris magis ac magis affectibus perfrui valeas, & blasphemiis ac maledictionibus reliquiarum populi Christiani, divinitate propitia careas. Memento quæso quid es; memento, quid, si non resipueris, eris; & judiciorum domini memor esto, ne pro tantis Deo rationem reddere cogaris, quanti per tuam desidiam interempti sunt, & captivi ducti diversis mortibus perierunt. De quorum crudelitate quid dicere possumus? Cum tanta hinc flenda sint & lugenda, ut si scribere velimus, & lacrymarum rivuli crescent, & primum charta quam verba deficient. Denique apud Caietam olim nobis necessario constitutis, legati tui promiserant, ut intra spatium viginti dierum, non solum cum Agarenis habitum pactum dissolveres; verum etiam Sarracenos caperes, & nobis eos transmitteres: sed ecce, quod promissum est, fide hactenus caruit, & omnium sponsionum tuarum dicta cassata sunt, & ut apparet, frustrata. Unde, sicut diximus, cesset jam, cesset hæc immanissima pestis, ut reliquiæ Christianæ funditus non depereant, & tu animæ tuæ dispendia non incurras: quia si populo Dei compassus fueris, & Deum tibi propitium facies, & nostram paternitatem solito more percipies, & ministerium tuum custodies: alioquin non solum nostra tibi non dimittemus, sed etiam canonicam in te sententiam juxta nostrum ministerium jaciemus. Sed & hoc nostri apostolatus auctoritate monemus, & excommunicando modis omnibus interdicimus, ut quia *ecce tempus acceptabile est. ecce nunc dies salutis*, nullam seditionem, nullam commotionem, nulla discrimina, vel læsionem cum his, qui in Berolassi commorantur, aut facias, aut facientibus omnino consentias: quatenus pacem sectando, ab omni nequitia purgatus, munus Deo immaculatum offeras, & caritatem Dei in tuo vase diffusam cohabitare permittas: quia nos, quibus de omnibus cura est, Deo juvante, congruenter illuc properabimus, & inter vos, te potissimum cooperante, pacem & amicitiam reformabimus. Data pridie Idus Martii, indictione XIV. 2. Cor. 6.

CCLXVI. AD ADELCHISIUM EPISC. TRIDENTINUM.

Arguit eum quod bona Veronensis episcopi invaserit. ejus causam quibusdam episcopis se commisisse significat. monet ut eorum acquiescat sententiæ.

Adelchisio episcopo Tridentino.

SUGGERENTE coepiscopo nostro Adelardo Veronensi episcopo didicimus, sanctitatem tuam aliter egisse quam se canonica, imo Christiana observantia habere videtur. Quia scilicet contempto præcedentium patrum judicio, cui ipse interfuisse dignosceris, res quasdam ad sanctam Veronensem ecclesiam pertinentes invasisse diceris; & contra manus tuæ subscriptionem te egisse quodammodo suspicaris: in quarum diffinitione, si sedis apostolicæ legati non interessent, speraremus adhuc posse nos aliorum certificari super hoc attestationibus. Sed quia hoc non esse oportunum prævidimus, Ioanni Boniniensi, Egilulfo Mantuano, Eicardo Vicentino, & Viatori Ferrariensi venerabilibus episcopis, ad hoc secundum

dum Deum providendum, & quantum ad contemptum inobedientium pertinet, rursum diffiniendum, vicem nostram super hac quæstione commisimus; ut in id ipsum convenientes, hoc litigium cum sanctitate tua determinent; & irreprensibiliter, Deo præ oculis habito, diffinire procurent. Quapropter fraterno te amore monemus ut in hoc ita peragas, quatenus a nobis merito reprehendi non possis, & canonicam sententiam non excipias: verumtamen ad locum, quem prædicti venerabiles episcopi tibi significaverint, occurrere non omittas. Et de eisdem rebus Asianæ villæ respondeas, ut ex hoc jam nulla quæstio prorsus remaneat, vel renascatur. Data *ut supra*.

CCLXVII. AD IOANNEM, EGILVLFVM, *&c.*

Causam inter Tridentinum & Veronensem episcopos versantem eis committit. monet ut eam jure definiant, & ad se sententiam mittant, ut eam confirmare possit.

Ioanni Bononiensi, Egilulfo Mantuano, & Eicardo Vicentino, & Viatori Ferrariensi episcopis.

SANCTITATEM vestram nolumus ignorare quoddam olim inter sanctam Veronensem ecclesiam, & Tridentinam de quibusdam rebus Asianæ villæ exortum fuisse litigium, quas Veronensi ecclesiæ pertinuisse probavimus, sicut a legatis nostris, qui tempore illo in Italiæ partibus legationis nostræ fungebantur officio, veraci relatione comperimus: quorum & judicii diffinitionem vidimus, & eorum subscriptiones manuum lectione percurrimus; quo manifestius declaratur easdem res ad sanctam Veronensem ecclesiam juste pertinuisse, & eas in perpetuum possidendas diffinitum fuisse. Sed quia sæpe contentio solet generare discordiam, nunc, sicut dicitur, Adelchisius venerabilis Tridentinus episcopus, contra diffinitionem ipsam peragens, atque contra professionem, manusque suæ subscriptionem movere præsumpsit, reverentiæ vestræ super hoc negotio vicem nostram committimus, ut ad illas partes accedentes cum Adelardo, & eodem Adelchisio venerabilibus episcopis, hoc litigium, (licet hoc, quia cum legatis nostris deliberatum est, superfluum judicemus,) rursum audientes deliberetis, & ad legitimum finem perducere modis omnibus satagatis: quo rite, & secundum seriem scripturarum suarum peracto, quidquid illud fuerit, nostro apostolatui scriptis vestris volumus intimari; ut nos & libenter accipiamus, & nostra auctoritate stabilire non omittamus. Quia & primum coram apostolicis missis, aliisque reverendissimis episcopis in synodo Ticinensi, & post in Tridentina ecclesia, nihilo minus coram nostris legatis & aliis imperialibus judicibus, de hoc judicatum fuit, & legaliter diffinitum. Data IV. Nonas Martii, indictione XIV.

CCLXVIII. AD METHODIVM ARCHIEPISCOPVM.

Gratulatur de orthodoxæ fidei cultu, & de ejus erga religionem studio & cura. precatur in dies spiritualem profectum majorem, eumque consolatur.

Methodio archiepiscopo, pro fide.

A PASTORALIS solicitudinis tuæ curam, quam in lucrandis animabus fidelium domino Deo nostro exhibes, approbantes, & orthodoxæ fidei te cultorem strenuum existere contemplantes, nimis in eodem domino jucundamur, & ei immensas laudes, & gratias agere non cessamus: quia te magis ac magis in suis mandatis accendat, & ad sanctæ suæ ecclesiæ profectum ab omnibus adversitatibus clementer eripiat. Verum auditis per tuas literas variis casibus, vel eventibus tuis, quanta compassione tibi condoluerimus, ex hoc advertere poteris, in quo te coram nobis positu, sanctæ Romanæ ecclesiæ doctrinam, juxta sanctorum patrum probabilem traditionem,
B sequi debere monuimus, & tam symbolum, quam rectam fidem a te docendam & prædicandam subdidimus; nostrisque apostolicis literis glorioso principi Sfentopulcro, quas ei asseris fuisse delatas, hoc ipsum significavimus, & neque aliæ literæ nostræ ad eum directæ sunt, neque episcopo illi palam, vel secreto aliud faciendum injunximus, & aliud a te peragendum decrevimus: quanto minus credendum est, ut sacramentum ab eodem episcopo exegerimus, quem saltem levi sermone super hoc negotio allocuti non fuimus. Ideoque cesset ista dubietas, &, Deo cooperante, sicut euangelica & apostolica se habet doctrina, orthodoxæ fidei cultum fide-
C libus cunctis inculca, ut de labore tui certaminis, domino Iesu Christo fructum afferas abundantem; & gratia ejus remuneratus, mercedem recipias competentem. Ceterum de aliis tentationibus, quas diverso modo perpessus es, noli tristari? quin potius hoc, secundum apostolum, omne gaudium prorsus existima. Quia si Deus pro te, nemo esse poterit contra te: tamen cum Deo duce reversus fueris, quidquid enormiter adversum te est commissum, quidquid jam dictus episcopus contra suum ministerium in te exercuit; utramque audientiam coram nobis discussam, adjuvante domino, legitimo fini trademus, & illius pertinaciam judicii nostri sententia cor-
D ripere non omittemus. Data decimo Kalendas Aprilis, indictione decimaquarta.

CCLXIX. AD CAROLVM IMPERATOREM.

Nuntiat imperatori se iis malis a Sarracenis affici, ut amplius sustinere non possit. rogat eumdem, ut sibi subsidio exercitum mature mittat; eique palmam cum benedictione mittit.

Carolo imperatori.

MVLTARVM oppressionum nostrarum, fili carissime, vobis oblivisci non conve-
E nit, & calamitatum nostrarum, quas sancta mater vestra Romana ecclesia patitur, oportet vos reminisci, & tunc demum ad aliquam consolationem nostram manum vestræ pietatis porrigere, & auxilium nobis præbere quantocius debetis: Scitis namque quæ, quanta & qualia, præcipue a Paganis mala, quantasque etiam miserias patimur; & in nobis commissis, quantum quotidie affligamur, & vos estis experti, & nos partim vestræ clementiæ paulo ante significavimus. Et cum quotidie hæc eadem mala non minui, sed magis ac magis crescere ac dilatari cernamus, dolor & gemitus, ac fine fine tristitia imminet, ac per hoc libet magis mori, quam, proh dolor! jam talia tolerare. Proinde spiritalis fili, semper-

Carolus ejus nominis tertius Crassus dictus cujus supra in epist. 41. facta est mentio.

ſemperque Auguſte, gloriam veſtram ſummò-pere deprecamur, ut pro amore Dei omnipotentis, & reverentia principum apoſtolorum Petri ac Pauli * hoſtilem exercitum, quem iſtas in partes venturum eſſe dixiſtis, moram perpeti non ſinatis, ſed cum omni velocitate, ad auxilium noſtrum, quæſumus, dirigatis: ut, domino adjuvante, ad reſpirationem noſtram Agarenos expugnet, & nobis quantulamcumque de ipſis Paganis tranquillitatem valeat ferre. Sed & e latere veſtro, qui eidem exercitui præeſſe poſſit, tam ſtrenuum, tamque idoneum miſſum modis omnibus tribuatis, qui & ductor exercitus veſtri exiſtat, & quam defenſionem, vel adjutorium nobis faciant, ipſe prævideat; & quidquid veſtra vice eſt peragendum, poteſtateve perficiat. Alioquin non ſolum ex hoc maxima negligentia erit, & omnis veſtra utilitas deperiet, ſed etiam noviſſima noſtra erunt pejora prioribus; & vos quantum ex hoc habeatis peccatum, dici non poteſt. Ideoque propter Deum ſuccurrite nobis, ſuccurrite, ut non dicant in circuitu nationes: Ubi eſt imperator eorum? Pręterea honorificentiæ veſtræ cum benedictione apoſtolica palmam, per quam ſignum datur victoriæ, ecce ex more direximus, exoptantes, omnipotentemque Deum deprecantes, ut hanc cum lætitia vos in die tantæ ſolennitatis geſtare faciat, atque permittat. Et ad omnium noſtrum utilitatem & profectum, aures præcordiorum veſtrorum divinitus inclinare dignetur. Data IV. Kalendas Aprilis, indictione XIV.

*f. veſtrū

CCLXX. AD DIVERSOS EPISCOPOS.

Athanaſium Neapolitanum epiſcopum, qui ſæpe monitus, nunquam, ſicut promiſerat, fœdus cum Sarracenis ictum rumpere voluit, a ſe cum omnibus ei conſentientibus excommunicatum ſignificat.

Omnibus epiſcopis Caietam, Neapolim, Capuam, Berolaſſim, & Amalfim, Beneventum, & Salernum incolentibus, a paribus.

QUÆ & quanta ab Athanaſio Neapolitano epiſcopo Chriſti eccleſia patiatur adverſa, optaremus vobis non eſſe dicturos, niſi eſſent ſupra modum gravia. Ecce enim, ut ipſi jam ex maxima parte non ignoratis, ad perditionem totius Chriſtianitatis, a multis retro temporibus cum filiis Iſmael & Deo ſcilicet odibilibus Sarracenis pactum faciens, omnem iſtam terram ita ad nihilum redegit, ut jam non ſit, qui eam prorſus inhabitet. Super quo ſcelere eum ſæpiſſime commonuimus, & corpori noſtro omnimodo non parcentes, uſque Neapolim properavimus, multumque argenti ei contulimus, & rogavimus, ut ab eorum ſe ſocietate divideret, ut tandem aliquando reſipiſcens, tantam peſtem deleret. Qui, ut ita dixerim, importunitatem noſtram licet ficte non tolerans, promiſit ſe ita eſſe facturum, & pactum cum Sarracenis habitum ſoluturum, ſub ea dumtaxat conditione, ut ſi deinceps hoc malo ſe quocumque modo miſceret, & ſacerdotio eſſet privatus & anathemati ſubjaceret. Sed, heu, pro turpis lucri commodo, quod ab ipſis Sarracenis, de præda eorum partes recipiendo, hujus promiſſionis oblitus, noluit adimplere, quod multis coram poſitis ſcriptis & verbis promiſit. Rurſum nobis non modici argenti adauctis ponderibus, & apud Caietam pervenientibus, per ſuos legatos ei mandavimus, ut ſi intra triginta dierum ſpatia cum Sarracenis habitum fœdus nonrumperet, aut ea quæ nobis tergiverſando abſtulerat, non retranſmitteret, noſtro judicio iterum ſententiam, quam ipſe in ſe pertulit, prorſus exciperet: ſed tam varia juramenta, quam abſolutas promiſſiones poſtponens, nos de die in diem deluſit, & foris omnibus diſſipatis, intus vero per ſuam calliditatem multis noſtris ablatis, hactenus nec cum Sarracenis habitum pactum diſſolvit, nec reliquiæ Dei populi voluit miſereri. Quin potius cum ipſis converſans, de ipſis malis in pejus crevit, & Dei mandata contemnens, ſacerdotii etiam ſui oblitus non ſolum ſimilis illis effectus eſt, ſed etiam in multis deterior. Hujus rei gratia apud beatum Petrum apoſtolum ſynodice in eum ſententiam protulimus; & cum omnibus ſibi conſentientibus, ſive faventibus, omni eccleſiaſtica communione ſub anathematis interpoſitione privavimus. Modus autem excommunicationis hic eſt: Athanaſium Neapolitanum epiſcopum ſæpiſſime admonitionibus, & multis argenti ponderibus datis, ut pactum cum Sarracenis habitum diſrumperet, admonuimus. Ille autem idem pactum ſe omnimodo ſoluturum, & ab eorum ſocietate ſeparaturum eſſe promittens ſub ea conditione, ut ſi denuo cum illis quolibet modo fœdus habuiſſet, omni eſſet ſacerdotali honore privatus, & anathematizatus: ſed hæc omnia parvipendentem, & ad perditionem Chriſtianorum cum eis pactum habentem, & nos ſæpiſſime deludentem, & de præda eorum partem recipientem, judicio & auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum apoſtolorum Petri ac Pauli ſimul & noſtra, cum omnibus ſequacibus ſuis, & omni eccleſiaſtica communione privamus, & quouſque ſe ab ipſis Sarracenis penitus ſeparaverit, velut totius Chriſtianitatis inimicum anathematizamus. Data menſe Aprili, indictione XIV.

CCLXXI. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Arguit quod Albericum comitem Ravennam aſciverit, & nobiles Ravennates contra jusjurandum ſibi præſtitum vexarit. cum Neapoli reverſus fuerit, ait ſe ea omnia curaturum. jubet Dominicum archidiaconum Faventinæ eccleſiæ epiſcopum conſecrari.

Romano archiepiſcopo Ravennati.

EA quæ noſtro præſulatui pro utilitate & neceſſaria ſanctæ Ravennatis eccleſiæ reſtitutione perficienda mandaſti, luciſluis anteceſſorum noſtrorum informati exemplis, congruum & opportunum eidem eccleſiæ libenter volumus, Deo favente, præbere ſolatium, & defenſionis auxilium: præcipue cum ipſius nos tibi commiſſum habeamus regimen. Sed quia multi nobilium Ravennatium, crebris dumtaxat querimoniis apoſtolatus noſtri aures pulſare non deſinunt, circa te clementiæ noſtræ benevolentia commota non immerito habetur. Nam ut cetera omittamus, quia Albericum comitem quaſi ex parte imperiali Ravennam adſciſcere, & nobiles cives ipſius nobis inconſultis auſu temerario diſtringere enormiter coegiſti, miramur, eo quod te adverſum tuam promiſſionem jurejurando coram nobis, & ſede apoſtolica prolatam, penitus

egiſſe

egisse cognoscimus. Pro quo nimirum te valde cavere oportet, ne pro talibus tua te sententia velut transgressorem ulciscatur. Nos enim te gregem domini pascere, non perturbare, salvare, & non perdere statuimus. Tamen cum nos, Deo volente, Neapoli, quo nunc proficiscimur, fuerimus reversi; & aut tu, secundum nostram tibi jussionem directam, Romam veneris, aut nos vel missus noster istas in partes venerimus, plenariam de omnibus, quæ tuæ ecclesiæ cognoverimus esse necessaria, justitiam omnimodo faciemus. Defuncto præterea ecclesiæ Faventinæ episcopo prævidimus hunc Dominicum venerabilem archidiaconum, sedis ipsius honore episcopali dignum existere. Hoc auctoritatis nostræ statuto præsenti dilectioni tuæ præcipimus, ut absque omni mora, vel protelatione eumdem archidiaconum studeas secundum morem episcopum consecrare. Nam si aliqua temeritate depravatus, hoc contra tuæ sponsionis juratoriam paginam præsentialiter facere contempseris, pro certo scias quia nos ipsius ecclesiæ curam & sollicitudinem habentes, jam fatum archidiaconum ad nos ex nostra præceptione illico revertentem episcopum consecrabimus. Data *ut supra*.

CCLXXII. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Arguit eum, quod alterius legitimam uxorem raptori tradi consenserit, & Romanæ ecclesiæ ausus fuerit adversari: has ob causas illum a conferendis sacris ordinibus suspendit, donec a synodo, ad quam eum jubet venire, ejus causa cognoscatur.

Romano archiepiscopo Ravennati missa per Deltonem venerabilem episcopum.

INTER cetera quæ de te audivimus, veniens Deusdedit dux retulit nobis, quod uxorem illius, de qua legaliter diffinitum est, ad te callide venire fecisses, & alteri viro raptori in stupro utique tradidisses: quod nimirum tanti flagitii scelus te, juxta tuum ministerium, omnimodis prohibere, ac funditus resecare oportebat: tu autem consensum illicite præbuisti. Cognoscimus etiam multis indiciis, quod ausu temerario contra sanctam & dominam tuam Romanam ecclesiam recalcitrare, & contra tuæ juratoriæ sponsionis tenorem luculentissime agere nullatenus dubitasti. Unde auctoritate Dei & beati Petri, nostraque tibi præcipimus, & præsenti statuto jubemus, ut nullam omnino sacerdotalem ordinationem pro talibus, quibus es irretitus criminibus, facere quoquomodo præsumas, donec VIII. Kalend. Octobris futuræ quintædecimæ indictionis, ad synodum, quam, Deo favente, pro ecclesiasticis videlicet utilitatibus, secundum sanctorum patrum statuta celebraturi erimus, omni postposita occasione venire procures: quatenus synodali decreto ea, quæ de te didicimus, examinata canonicum finem percipiant. Data *ut supra*.

CCLXXIII. AD EUMDEM.

Iubet Placentinos clericos, quos sine commendatitiis literis ad eum confugientes receperat, ad eorum episcopum remitti; ejusdem etiam ecclesiæ clericos absolvi, donec cum eis ad synodum veniat.

A

Reverendissimo & sanctissimo Romano archiepiscopo Ravennati.

INTER ceteras proprii affectus rationes incongruas, quibus teipsum quotidie mente improvida * insertiri non dubitas, Paulo carissimæ Placentinæ ecclesiæ antistite ad aures apostolatus nostri humiliter reclamante didicimus, quod clericos ipsius ecclesiæ regulæ normam sectari nolentes, & idcirco sine commendatitiis utique literis ad te confugientes, contra sacra beatorum patrum statuta recepisses, receptosque tibimet famulari decernas. Quod nimirum propter multam perturbationem, & seditiones, quæ B sæpe fiunt, auctoritate apostolica, & sanctorum patrum præcipua institutione amputare volentes, reverentiæ tuæ jubemus prædictæ ecclesiæ * Faventinæ clericos, quos penes te enormiter habere videris, & præcipue Gausum diaconum, de præsenti suo reddere, vel dirigere procures episcopo. Quia non licet quemlibet clericum in duarum civitatum conscribi simul ecclesiis, & in qua ab initio extitit, & ad quam confugit, quasi potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem: & ideo eos ad suam ecclesiam revocari decernimus, & de illis amplius nullo modo recipias. Te autem aliquid amplius agere cavere prorsus oportet, ne sanctorum patrum judicio, quod contra hu- C jus regulæ transgressores prolatum est, damnari omnino merearis. At si aliquid inter eos adversi exortum fuerit, canonice inter eos diffinias: salvo sedis apostolicæ honore, atque vigore, salvoque tuæ ecclesiæ privilegio. Et præterea sacerdotes, & clericos Placentinæ ecclesiæ, quos excommunicatione absolvas, quousque tempore congruo tu cum eis Romam ad synodum pariter veniatis. Data Mense Iulio, indictione XIV.

* *f. irretiri*

* *Placentinæ ut supra.*

CCLXXIV. AD CONSTANTINUM SACERDOTEM.

Excommunicat eum, quod absque sua licentia ab archiepiscopo Ravennate ad Faventinæ D ecclesiæ episcopatum promotus fuerit: prohibetque eum illius ecclesiæ administrationem attingere, donec ad synodum Romanam veniat.

Constantino sacerdoti ecclesiæ Faventinæ de plebe sancti Petri Transilvani.

AUDIENTES te esse quasi ad episcopalem honorem a Romano Ravennate archiepiscopo, sine nostri pontificii auctoritate, seu licentia, & absque canonicæ institutionis regula enormiter promotum; his apostolatus nostri literis E ex Dei omnipotentis, sanctorumque Petri ac Pauli apostolorum auctoritate, nostroque apostolico jure, te excommunicamus, ut nullo modo habeas licentiam aliquid de episcopali officio peragere, aut ipsam Faventinam ecclesiam quoquomodo invadere, neque in plebibus, vel rebus, seu hominibus ipsius ecclesiæ, aliquod dominium agere præsumas, usque quo cum eodem Romano archiepiscopo tuo, * octavo Kalendas Octobris quam, Deo favente, celebraturi Romæ erimus, tuam specialem rebus præsentiam exhibere procures. Nam si contra hanc nostram apostolicam jussionem, & post hujus nostræ excommunicationis sententiam, aliquid de ipso episcopali ministerio agere præsumpseris, vel in omnibus, quæ ad eumdem episcopatum pertinent, teme-

* *aliquid hic deest.*

temerario te ausu intromittere tentaveris, atque ad denominatam synodum occurrere postposueris; scias pro certo, quia non solum omni ecclesiastica te communione privabimus, sed etiam synodali decreto a sacerdotali honore te sanciemus alienum existere. Data XVI. Kalendas Augusti, indictione decima quarta.

CCLXXV. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM.

Ad synodum Romam sub pœna excommunicationis venire jubet, ut ad ea, quæ objiciebantur, respondeat.

Reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Romano archiepiscopo.

QUIA jampridem missis tibi per Ioannem venerabilem episcopum Montis Feretrani, apostolatus nostri literis, ad synodale te collegium pro ecclesiasticis dumtaxat utilitatibus nobiscum pariter celebraturum occurrere jussimus, & tuam nobis contempsisti præsentiam exhibere; nunc multis te criminibus irretitum, multorumque hominum accusationibus horrendis impetitum, & præcipue manifesto perjurio esse pollutum, agnoscentes, hac secundæ vocationis nostræ auctoritate ad venerabilem synodum, quam Deo favente, octavo Kalendas Octobris futuræ quintæ decimæ indictionis, erimus celebraturi, omni occasione, vel mora postposita, una cum omnibus suffraganeis tuis episcopis venire jubemus: quatenus ibi coram fraterno, & venerabili episcoporum cœtu, pro omnibus tibi objectis rite examinatis, ore proprio valeas respondere, & te innoxium demonstrare; nam si aliqua temeritate tumidus, vel inobedientiæ stimulis motus hanc nostram apostolicam & canonicam vocationem, quam tibi primitus per Deltonem, seu & modo per Ioannem Callensem venerabiles episcopos direximus, parvipendendo ad præfatam synodum venire contempseris; scias pro certo, quoniam omni te communione ecclesiastica privabimus, & fugiendo, tuæ damnationis sententiam, tuique honoris patieris jacturam. Data VI. Kalendas Augusti, indictione XIV.

CCLXXVI. AD EUMDEM.

Deusdedit Ravennatem injuste excommunicatum absolvit. confirmat illius cum Maria uxore conjugium. jubet eum defendi.

Reverendissimo & sanctissimo Romano archiepiscopo Ravennati pro causa Deusdedit, Ravennatis, & Leoni venerabili episcopo misso & apocrisiario summæ sedis nostræ apostolicæ, nec non quibusvis missis imperatoris & omnibus judicibus, & populis Romani territorii constitutis, cunctisque fidelibus sanctæ ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris.

OMNIUM reverentiam, omniumque industriam scire hortamur, quod Ravennas Romanus archiepiscopus, & ore, cum Ravennæ fueramus, dixerit, & scriptis transmiserit, quod nonnulla incesta conjugia in sua parochia fuissent, & quotidie fierent. Deinde per suum legatum, Dominicum videlicet presbyterum, ut ipsi triginta & duo essent, dicendo significavit, suggerens, ut nostra auctoritate ipsi eos liceret canonice omnes judicare. Qui omnibus dimissis, quos etiam nominatim dixerat, & sola inductus invidia ut remur, & postea in sancta patuit synodo, Deusdedit fidelem nostrum (qui, dum Ravennæ fuimus, ipse penes nos quotidie fuit, & coram me, & ipso archiepiscopo causas, ut debuerat judicavit,) postquam sedem apostolicam appellavit, excommunicare non formidavit. Ipse Deusdedit vero dux pro nostra fidelitate his obedivit, & ad apostolicam præsentiam venire modis omnibus festinavit. Nos suam causam audientes, & qui eum accusare non debuerant, ex parte archiepiscopi non invenientes, poteramus ipsum absolvere, sed noluimus, usquequo archiepiscopo misissemus, imo cui misimus, dicentes: ut ipse archiepiscopus pro statutis sanctarum Dei ecclesiarum, VI. Idus Novembris ad synodum celebrandam veniret, deferens secum accusatores & testes: quatenus his delatis negotium Deusdedit inter alia canonice finissemus. Qui pro se sui cardinis Dominicum presbyterum, & Ioannem diaconem misit, transmittens cum illis scriptas accusationes: quibus scriptis coram sancta synodo lectis; ad ea Deusdedit respondit, & se incestum, atque nefarium commisisse negavit; sed coram omnibus se innocentem ostendit, & divini mundanique juris auctoritate se conjugatum probavit. Quapropter una cum sancta synodo illum absolvimus, & eum communioni nostræ recepimus, & Mariam conjugem suam illi uxorem esse legitimam firmavimus, cum benedictione Dei omnipotentis, & nostra: & si præfatus archiepiscopus, aut ministri ejus in rebus suis suorumque hominum invasionem, & fortiam facere voluerit; vos Ravennates pro ipso illum in suis defendite. Data *ut supra*, indictione decima quarta.

CCLXXVII. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Petrum & Zachariam legatos ad eum mittit, causa corrigendi mala, quæ se, eo regnante, perpessum queritur.

Carolo imperatori.

QUIA nunc eadem omnibus vobis, jam Deo favente, per humilitatis nostræ officium regnantibus, ubique patimur, & sustinemus adversa, quæ ante vestræ imperialis gloriæ provectionem nos sustinuisse quotidie recordamur: his apostolatus nostri apicibus directis dignum duximus Augustali serenitati vestræ pro utilitate, ac multiplici necessitate ecclesiæ universalis, cui per Dei gratiam præsidemus, suggerere, atque cognitum omnimodis facere, quoniam secundum commune placitum atque decretum direximus Petrum, insignem palatii nostri, super ista delitiosum consiliarium nostrum, communemque fidelem, cum Zacharia venerabili episcopo, & bibliothecario sedis nostræ, pro recipiendis de omnibus, quæ hactenus perperam acta fuerant, justitiis, & emendationibus, ac pro totius terræ S. Petri salute, pristinaque restitutione: quatenus in præsentia missorum vestrorum ea, quæ necessario emendanda & corrigenda erant, jure legitimo corrigerentur, ut tam diuturnum malum finem acciperet.

CCLXXVIII.

CCLXXVIII. AD RAVENNATES.

A

Præcipit ut se a Ravennatis archiepiscopi in synodo excommunicati communione separent, quousque eum absolutum cognoverint.

Omnibus venerabilibus sacerdotibus & clero atque universis judicibus populoque Ravennati.

NOSSE volumus fidelitatem & unanimitatem vestram quia Romanum archiepiscopum vestrum pro perjurii reatu manifeste pollutum, aliisque nefandis criminibus impetitum, & idcirco ad synodum pro sui purgatione vocatum, occurrere contemnentem; omni ecclesiastica communione una cum sanctæ synodi decreto privavimus, quousque suam specialem studuerit nobis exhibere præsentiam. Quamobrem his apostolatus nostri literis vobis jubemus, & ex auctoritate Dei, & beati Petri apostolorum principis, & nostra præcipimus, ut omnes vos ab illius consortio & communione modis omnibus separetis, donec per nostræ apostolicæ miserationis officium, ab hujus excommunicationis vinculo eum cognoveritis absolutum existere. Quicumq; autem ei ante audientiam, absolutionem nostram aliquatenus communicare præsumpserit, eodem excommunicationis laqueo, secundum sanctorum patrum institutionem, maneat irretitus, usque dum a nobis fuerit misericorditer absolutus. Data mensis Octobris die quarta, indictione * duodecima.

*decima-quarta.

CCLXXIX. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Gratulatur de ejus incolumitate. gaudet ipsum adventurum esse statim in Italiam. hortatur ut mature Romanæ ecclesiæ auxilio veniat, & Guidonem prædatorem ab ecclesiæ finibus ejici jubeat.

Carolo imperatori.

COGNOSCENTES de vestra incolumitate, quod oppido videbamus, Deo gratias egimus, & ut magis ac magis prosperitatibus, & innumeris gaudiis fulciamini, majestatem divinam supplicibus votis omnimodo flagitavimus, scientes & multis experimentis discentes, quod vos eadem vultis, eadem quippe desideratis. quoniam si nostra mediocritas viguerit, & valuerit illa vos facturos hortabitur, unde & sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ defensio augmentabitur, & vobis copiosa merces in cælo in perpetuum reponetur. Quod autem dicitis, ut postpositis ceteris, iter vestrum in Italiam recto itinere ordinatum habeatis; grato animo suscepimus, & ut utinam non solum Papiæ, verum etiam propius essetis, necessitas maxima deposcit. Ideoque quod cœpistis, cum Dei adjutorio: velociter vestra sublimitas perficere studeat; & ad defensionem, imo securitatem sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ, sicut dixistis, ceteris curis postpositis, mente & brachio potenter occurrat: quia quantis affligatur & conculcetur angustiis, jam dicere non valemus. Ceterum de Vvidone Rabia, invasore scilicet, & rapaci, vestra gloria subveniat, & eum de finibus nostris, ut aliquantulum populus noster relevari valeat, ejicere modis omnibus jubeatis. Data III. Idus Novembris.

CCLXXX. AD LIUTVVARDUM EPISCOPUM.

Gratias agit, quod dederit operam, ut imperator in Italiam ad ecclesiæ defensionem veniret.

Liutvvardo episcopo.

STUDIO tuo (quod cum spiritali filia nostra imperatrice, sicut asseris, ut domnus imperator pro defensione sanctæ Romanæ ecclesiæ ingrederetur Italiam, habuisti (, gratias agimus, & ut quod deest, stet quod te minime latet, tua instantia perficiat, multum hortamur: quia tan-
B tum nobis necesse est, quantum docere non valemus. Unde ita age, ut tibi magis ac magis gratias referamus, & in temporalibus commodis vicissitudinem reddere invitemur.

CCLXXXI. AD GENEVENSES.

Præcipit ut Optando episcopo a se consecrato obediant.

Clero & populo Genevensi.

DILECTISSIMI filii nostri Caroli imperatoris, principumque ipsius relatu, vestram ecclesiam viduatam cognoscentes pastore,
C & propter dissensionem Bosonis, cui sociatus ejusdem sedis videtur metropolitanus, ordinationem electi vestri Optandi differre, auctoritate & potestate apostolica, secundum deprecationem ejusdem serenissimi imperatoris, filii scilicet nostri spiritalis Caroli; atque optimatum ejus, præcognita vestra omnium in eodem Optando electione, & qualiter idem serenissimus imperator eidem ecclesiæ electionem perenniter de proprio clero donaverat, diutius ipsa ecclesia ne viduata maneret pastore, consecravimus eum sancti Spiritus gratia, & ad regendum vos pastoraliter instructum direximus, quem devote & unanimiter suscipientes, obe-
D dientes ei, utpote proprio patri spiritali sitis in omnibus; salvo deinceps ejusdem loci privilegio antiquo propriæ metropolis, sancimus, ut quicumque huic nostræ auctoritati, & apostolicæ deliberationi contra stare, aut resistere, aut non obedire, vel, quod absit, electionem ipsius ecclesiæ aliquando pervertere, aut infringere, quam, Deo propitio juste est assecuta, tentaverit; gladio utique canonicæ disciplinæ noverit se feriendum, atque omnipotentis Dei vindictam non evasurum, si digna celeriter non fuerit satisfactione sanatus. Confirmamus denique nostri apostolatus auctoritate, omnes res ejusdem ecclesiæ pacifice, ac quiete perpetuali-
E ter possidere. Et quicumque easdem invadere ac dissipare ausus fuerit, postquam a proprio episcopo canonice admonitus fuerit, si secundum divinas & humanas leges non emendaverit, sub anathemate sit damnatus.

CCLXXXII. AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ET COMITES ITALIÆ.

Hortatur dent operam, ut Carolus imperator Angelbergam Romam venire patiatur, quam se ita custoditurum promittit, ut nihil contra ipsum Carolum cum Bosone moliri possit; & si quid tentaverit, se eamdem remissurum pollicetur.

Omnibus reverendissimis, & sanctissimis archiepiscopis & episcopis hujus Italici regni, & omnibus gloriosis comitibus filii nostri imperatoris.

SI ea quæ saluti & utilitati proximorum necessaria sunt, secundum solicitudinem & curam gregis dominici nobis ad bene regendum commissi, divinæ pietatis memores agere studemus; omnipotentem Deum in his, quibus & ipsi ex humana infirmitate quotidie indigemus, habebimus omnino propitium, & in bonis omnibus procul dubio adjutorem. Igitur sanctitatem vestram nosse volumus quoniam missis, & apostolatus nostri literis, dilecti ac spiritalis filii nostri Caroli gloriosissimi imperatoris clementiam obnixe rogavimus, ut Angelbergam filiam nostram, quam divæ memoriæ Ludovicus rex pater imperatoris, & Ludovicus imperator vir ejus nobis Veronæ commendaverunt, ac postmodum ipsa se sancto Petro tradidit, & de ipsius altaris confessione tuendam recepimus, de loco in quo nunc esse constat, pro amore Iesu Christi domini nostri, & pro sanctorum apostolorum Petri ac Pauli reverentia, nostraque paterna dilectione præsentialiter reduci, & ad nos eam dirigere jubeat. Vnde vos fratres & comministros pio mentis convenimus atque hortamur affectu, quatenus in hujus feminæ reversione, vel salute nobiscum cooperari, pariterque desudare studeatis; ut vestro consilio, vestroque instanti hortatu, ipse Augustus nostræ petitionis effectum more parentum suorum libenti perficiat voluntate. Nam sicut illud regnum, in quo nunc illa sub custodia manet, ejus est, ita & istud: & sicut ibi custoditur, ne aliquod solatium, vel consilium dare, facereque possit Bosoni: ita & nos eam in tali loco habitare faciemus, quo nihil adversi moliri, nihilque valeat machinari contrarium ad hujus regni, & imperii perturbationem. Et si contra ejus ac nostram voluntatem aliquatenus eam agere, aut velle cognoverimus; illico ad imperialem remittemus præsentiam, nec nostro erit amplius adjuta consilio. Quod nimirum, ut nobis sine omni dubitatione credatur, unum ex his legatis nostris venerabilibus episcopis, quos pro ea imperatori direximus satisfaciendo, repromittere jussimus ita nos esse incunctanter facturos. Neque enim, sicut cum coepiscopis, & primatibus ejus promissum est, nullum temporale adjutorium & consilium jam fato se fore præbituram Bosoni: & quod, sicut prædiximus, diligentissime custodita, non poterit de his omnibus quidquam agere. Idcirco per dominum vos adjuramus, ut toto conamine in hoc opere nobiscum pro amore Dei desudare, eique manum porrigere procuretis, ut & nos in vestris proficuis utilitatibus & necessitatibus esse prompti possimus: & cui manum porrigere vobiscum omnimodis porrigamus, dignasque vestræ Deo dilectæ sanctitati pro vestro labore, atque devotione gratias habere valeamus.

CCLXXXIII. AD VVILLIBERTVM ARCHIEPISCOPVM AGRIPPINENSEM.

Commendat ejus vigilantiam, & presbyterum quemdam excommunicatum, nunc ipsius testimonio longa pœnitentia purgatum, ejus precibus commotus absolvit, & sacerdotali ministerio restituit. causam Gedeonis adulteri ei committit, ut sententiam canonice ferat.

Reverendissimo & sanctissimo Vvilliberto archiepiscopo Agrippinensi.

ALMITATIS tuæ prudentiam sacerdotali vigilantia, pro gregis dominici sibi commissi salute, atque de fauce hostis maligni, qui semper incautos ad æternæ mortis profunda pertrahere avide certat, liberatione, juxta pastorale magisterium reverentiæ tuæ divinitus delegatum solicitam fore, literis vestris inspectis luculenter agnoscentes laudamus, cum apostolicæ sedis privilegium perspicaci mentis intuitu conservando hunc tuæ diœceseos presbyterum, nomine Tal, * Ingeltrudæ Bosonis quondam comitis uxori torum conjugalem, contra divinæ legis præcepta relinquenti. Et idcirco ab antecessore nostro beatæ memoriæ papa Nicolao legitime excommunicatum improvide communicasse reperiens, sacra jam olim communione privasti. Quem scilicet, cum tuæ fidelis devotionis attestatione nostro præsulatui dirigens, professus es per annos undecim illatam sibi excommunicationis sententiam humiliter sustinuisse: & quod ex pollutæ consortio feminæ venenum attraxerat, longa pœnitentiæ satisfactione purgasse, a vinculo suæ obligationis ut absolveremus mandasti. Nos vero misericordiæ intuitu, precibus tuis inclinati, interni arbitrium judicis sequentes, ab ipsius excommunicationis vinculo, si ita est, eum absolvimus: & omne officium vel ministerium sacerdotale, juxta præcedentem consuetudinem, jubemus solenniter, ac libere cum domini semper timore peragere. Præterea de Gedeone, cujus uxorem cum germano istius adulterium perpetrasse fateris, ex parte dubii existentes, utrum verum sit quod de hoc dicitur necne, dilectioni tuæ committimus, ut omni ex parte, diligentique cura, rei hujus veritate comperta, quid super hoc excellentissimus doctor beatus Augustinus in libris de adulterinis conjugiis ad Pollentium dixerit; quidque beatus Innocentius papa vigesimo sexto capitulo statuerit, relegens, secundum horum sanctionem ita diffinire procuret; quatenus animabus eorum per pœnitentiæ remedia subveniri possit, & corpora per tuæ sanctitatis providentiam secundum Deum in omnibus dirigantur.

* aliqua desunt.

Epist. 2.

CCLXXXIV. AD BARNIMERVM COMITEM, SACERDOTES, &c.

Ostendit sibi gratissimam fuisse eorum in sedem apostolicam observantiam. hortatur ad perseverantiam: jubet legatos ad se mitti, quibus revertentibus legatum suum se missurum pollicetur, cui ipsi fidelitatem juxta ecclesiæ ritum promittant.

Excellentissimo viro Barnimero glorioso comiti & dilecto filio nostro atque omnibus religiosis sacerdotibus, & honorabilibus judicibus, cunctoque populo pax, & gratia a domino Iesu Christo.

AVDITA per Theodosium venerabilem episcopum vestrum fide & devotione, quam circa sedem beati Petri apostoli, & nostri pontificii vos habere cognoscimus, immensas Deo gratias referentes, magno gaudio sumus repleti; qui vos nunc ad tantam gratiam perducere, & inter oves suas connumerare dignatus est,

est, secundum quod dominus ipsi principi apostolorum commisit, dicens: *Si diligis me Simon Petre, pasce oves meas.* Vnde vestram fidelitatem, & Christianissimam devotionem, his nostris apostolicis literis admonemus & exhortamur, ut sicut divina inspiratione agere cœpistis, usque ad finem perficere, & observare non prætermittatis: quatenus qui sub ala & regimine, atque defensione beati Petri apostoli, & nostra, toto conamine vos subdere, atque in ejus servitio perseverare, quasi dilecti filii procurastis, apertius hoc ostendatis, atque impleatis, ut dominus in euangelio dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Et ut ita hoc per orbem terrarum vestræ sponsionis diffametur, ut auxiliante domino, & sanctorum apostolorum suffragantibus meritis, ea quæ saluti & utilitati omnium vestrum proficua sunt, possimus ad honorem & exaltationem sanctæ sedis apostolicæ incunctanter perficere, sicut nomine vestro scripta nobis mandastis, ita in libro cælesti scripta nobis permaneant. Quapropter mandamus, ut revertente ad vos dilecto episcopo vestro, idoneos legatos vestros præsentialiter ad nos dirigere non prætermittatis, qui pro parte omnium vestrum nos & sedem apostolicam consulant de his quæ mandastis, ut nos cum illis missum nostrum dirigamus ad vos, quibus secundum morem & consuetudinem ecclesiæ nostræ, universus populus vester fidelitatem promittat. Interim monemus, ut constantes permaneatis, quoniam scriptum est: *Melius est votum non vovere, quam post votum promissa non implere.* Spiritus domini, qui orbem terræ replevit, repleat vestrum cor omni pace & gaudio in Christo Iesu domino nostro.

[Ioan. 21.] [Matth. 5.] [Eccles. 5.]

CCLXXXV.

Laudat ejus studium erga sedem apostolicam, eumque monet, ut perseveret. pollicetur eum a se in amicorum numero referri. præcipit ut Romam veniat.

Sicut nobis per literas tuas, & verbo tenus, per Deusdedit religiosum presbyterum tuum mandasti, ut fidem & devotionem, quam circa sedem apostolicam habere debes, te velle toto conamine conservare indiminutam asseras, gratanter suscepimus. Vnde te omnimodis admonemus, & his apostolicis literis exhortamur, ut nulla inimicorum calliditas, vel seductio amplius a nostra fidelitate quoquomodo valeat te removere; sed secundum sponsionis tuæ tenorem in ea devotissime permanere procures. Quapropter scito quia sine omni dubietate inter dilectos nostros te retinere volentes, volumus etiam & præcipimus, ut & pro necessitate ecclesiæ tuæ, causa utilitatis, Romæ ad nostram apostolicam præsentiam præsentialiter venire indubitanter procures: quia & statum sanctæ Ravennatis incolumem conservare, tuumque profectum & honorem perficere, auxiliante domino, cupimus.

CCLXXXVI. AD IMPERATOREM.

Gratulatur de ejus observantia erga Romanam ecclesiam. lætatur ipsum Ravennam venire velle, ut de ecclesiæ & imperii statu agat. rogat ut ante diem, quem præstituerat, accedat.

A

Ad imperatorem.

Receptis serenitatis vestræ literis, atque perlectis, ac sicut nobis per Ioannem Venticmensem episcopum verbo tenus mandastis: quia cognovimus vos honorem sanctæ Romanę ecclesiæ matris vestræ, & salutem terræ ipsius toto conamine velle perficere, exultantes sumus animo gavisi. Porro sicut mandastis ut die purificationis beatæ Mariæ semper virginis Ravennæ venientes simul conjuncti fuissemus pro ad considerandum, cum Dei auxilio, & peragendum profectum sanctæ Dei ecclesiæ, & statum imperii vestri; nos autem & hoc libenti

B animo recipientes, volumus quarto die ante jam dictam festivitatem vos ibi adesse, quia & nos ita desideratissime cupimus vobiscum simul conjungi, & vestram petitionem libenter adimplere, si, domino annuente, sanitas corporis divinitus concessa fuerit. Et quoniam, sicut audivimus, vos laborem atque certamen pro ecclesiarum Dei statu, & imperii vestri incolumitate, atque communi Christianorum salute, pio affectu cupitis perficere; his apostolatus nostri literis admonemus & exhortamur ut magis ac magis in hoc vestra imperialis solicitudo proficiat: hoc gloriam vestram obsecramus, & magnitudinem vestram, ut cum in has partes venire cœ-

C peritis, Supponem gloriosum comitem, & communem fidelem vobiscum venire jubeatis.

CCLXXXVII. AD MICHAELEM REGEM BVLGARORVM.

Miratur quod legatos non miserit, quemadmodum jamdiu promiserat. monet ut id quamprimum faciat.

Dilecto ac spiritali filio Michaeli glorioso regi Bulgarorum; gratia vobis, & pax a Deo patre, & domino Iesu Christo.

D Miramur quod tanto jam tempore transacto missos vestros ad sanctam Romanam ecclesiam matrem vestram, & ad nos non transmisistis. Modo vero (sicut nobis retulit Theodosius venerabilis episcopus) missos tuos cum eo dirigere promiseras: sed pro qua causa eos dirigere prætermiseris, ignoramus. Vnde vos jam recognoscere oportebat, etiam ad pastorem & pontificem animarum vestrarum reverti tota devotione debueratis: unde his nostris apostolicis literis; vos quasi carissimos filios admonemus & exhortamur, ut de præsenti vestros idoneos missos nobis transmittere non dubitetis: quatenus ab uberibus matris vestræ sanctæ videlicet Romanæ ecclesiæ satiemini, om-

E nique bono repleamini. Quia nos more paterno ulnis extensis vos amplecti, & quasi oves Christi nobis commissas alere & salvare parati existimus, secundum quod dominus dicit beato Petro: *Pasce oves meas*: quidquid enim vobis dirigimus; credere omnino potestis quia pro salute vestra semper agere ac perficere incunctanter cupimus. Optamus vos in Christo nunc & semper bene valere. [Ioan. 21.]

CCLXXXVIII. AD OTERAMVM VIENNENSEM EPISCOPVM.

Arguit quod faveat sociis Bosonis, idque a se imperari asserat. præcipit ut Romam accedat, ut crimina quæ ipsi objiciuntur diluat.

Oteramo

" Ottramno qui sæpe postea occurret.

Oteramo " Viennensi episcopo.

INTER eximios nuncusque Christi Dei nostri sacerdotes te habere, tenereque omnino volumus: sed quia ecclesiasticę paci & utilitati contraria agere audimus, valde miramur, nihilominus & turbati existimus, eo quod, sicut fidelium relatu comperimus; his, qui cum Bosone præsumptore, & regni perturbatore tyrannidem exercere non cessant, ausu temerario favere, eorumque malis operibus communicare præsumas, & in superbiam eorum sequax existens, falsa opinione sanctam nostram Romanam ecclesiam infamare non dubitas, quod ad talia peragendum ipsius auctoritatem habere te certifices; quod quam evidenter ostendere non poteris*, pro qua scilicet Romana ecclesia te murum opponere omnibus iniqua agentibus debueras. Pro quibus nimirum tot malis, tantisque præsumptionibus tibi ex auctoritate Dei, & sanctorum apostolorum ac nostra præcipimus, ut de præsenti Romam ad limina sanctorum apostolorum, nostramque præsentiam venire procures, ut de talibus te criminibus secundum auctoritatem sanctorum patrum coram nobis & sede apostolica satisfaciendo purgare valeas: quatenus te inter fratres & consacerdotes retinere valeamus. Nam, quod non credimus, si aliter feceris, & venire distuleris, donec hanc nostram jussionem impleveris, scias te omni episcopali officio esse privandum.

CCLXXXIX. AD LEONEM, LANDULFUM ET LANDONEM.

Ut Auxentii filium ab Attinulfo captum, patri restituendum curent.

Leoni episcopo Teanensi, item Landulfo episcopo, & Landoni Gastaldio patri eius.

AUDITU certiori comperimus, quod filium Auxentii Capuani, nostrum dumtaxat proprium hominem, Attinulfus caperet, & non bene tractans eum violenter teneret, quod admodum admiramur: & quod tale quid præsumpserit agere, moleste quippe accepimus. Unde vobis nostri apostolatus literis injungere dignum duximus, ut omnem operam detis, & ex nostra parte ipsi Attinulfo tamdiu insistatis, quousque eumdem Auxentii filium, hominem scilicet nostrum, patri suo salvum restituat, & cum suis hominibus reddat illæsum. Alioquin sententiam nostram evadere non poterit, qui nostrum hominem tam simpliciter ambulantem affligere non contempsit. Vos tamen rogamus, tam strenue agite, ut vobis gratias referamus, & majora vobis committere invitemur.

CCXC. AD LUDOVICUM ET CAROLOMANNUM REGES.

Gratias agit de ipsorum erga Romanam ecclesiam affectu, & mutuum studium pollicetur.

Dilectissimis filiis Hludovico & Carolomanno gloriosissimis regibus.

AUDITA per venerabilem episcopum devotione vestra, quam circa sanctam Romanam ecclesiam habere, totoque conamine exercere cupitis, maximas Deo & vobis gratias agimus. Unde a nostra parte vos certos existere volumus, A quia sicut dominus Carolus divæ memoriæ imperator avus vester, ac postmodum genitor vester Hludovicus rex, sub protectione Romanæ ecclesiæ, nostraque apostolica tuitione vos commendaverunt, ita nostrum apostolicum affectum circa vos in omnibus ostendere, vosque adjuvare ac protegere paterna dilectione atque amore semper parati existimus. Præterea de his, quæ per jam dictum episcopum verbo tenus mandastis, ita vobis per eum dictis respondendo direximus. Nam ea quæ nostro consilio reperimus, & vobis innotescendo mandavimus, ad vestrum honorem proficua esse omnino credite.

B CCXCI. AD HUGONEM ET ALIOS COMITES,

Gratias agit de fide, quam Ludovico & Carolomanno regibus servabant.

Hugoni eximio abbati, seu Bernardo, Guitoni, & aliis regni gloriosis comitibus.

AUDIENTES bonam famam de vobis, quod protectores, defensores, atque fideles Hludovico & Carolomanno excellentissimis regibus, qui nobis a progenitoribus suis commissi sunt, in omnibus existitis, gratias referimus maximas. Quapropter his apostolicis C nostris literis magnificentiam vestram exhortamur, ut more fidelium parentum vestrorum, magis ac magis circa eos vestram sincerissimam devotionem ostendatis, quoniam & nos, Deo propitio, in eorum adjutorio vobiscum pariter in omnibus prompti existimus: ut dignam exinde vos, non solum a Deo & a nobis, verum etiam & ab illis retributionem percipere mereamini.

CCXCII. AD ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM.

Arguit quod detruso in carcerem Optando episcopo, alium in ecclesia Genevensi D constituerit. præcipit ut illum sedi suæ restituat, atque ad synodum veniat ad diluenda ea quæ ipsi objiciebantur.

Oteramo Viennensi archiepiscopo.

RELATU veraci didicimus, sanctimoniam vestram in Genevensi ecclesia episcopum consecrasse, cui nos, necessaria temporum qualitate perspecta, jam primum clericis ejusdem ecclesiæ suggerentibus, auctoritate apostolica præfeceramus episcopum nomine Optandum. Quo audito, audaciam & temeritatem vestram nimium admirantes, ob id maxime turbati su-E mus: eo quod non solum super ordinationem nostram obices manus habuistis, sed etiam ad contemptum & injuriam sedis apostolicæ præfatum episcopum turpiter capientes arcta custodia retrusistis, & rebus, omnibusque supellectilibus ejus direptis, hactenus retrusum affligitis, & contra omne ministerium vestrum, quod nulli Christiano licet, sacerdotem domini tetro carcere maceratis: non habentes præ oculis scilicet, quod sacerdotes domini sacra scriptura aliquando deos, aliquando angelos nominet, & qui eos tangit, tangat pupillam oculi domini. Quapropter auctoritate Dei omnipotentis, & principum apostolorum Petri & Pauli, simulque nostra, vobis præcipimus, ut accepta hac nostra epistola, Zach. 2.

aut

aut quoquomodo tenore illius audito, si intra octo dierum spatia jam dictum episcopum propriæ sedi, proprioque honori & dignitati reddere, restituereque contempseritis, a corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi, cum omnibus vobis in hoc facto faventibus, sitis prorsus extorres, quousque juxta hanc nostram dispositionem perficere sategeritis. Et quia alia multa vobis a quibusdam objiciuntur, quæ synodali discussione sunt corrigenda, decernimus ut omni excusatione remota VIII. Kalendas Octobris futuræ primæ indictionis Romam ad synodum occurrere non omittatis: ut tunc & de vobis objectis rationem reddatis, & si adversus eumdem episcopum a nobis consecratum aliquam querimoniam habetis, canonico valeamus, quidquid illud fuerit, Deo juvante libramine diffinire. Hoc etiam scientes, quia si ad eamdem synodum præfato tempore venire distuleritis, canonicæ in vos censuram sententiæ proferemus.

CCXCIII. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Queritur multa bona ecclesiæ Romanæ a Vvidone quodam marchione erepta. rogat ut ecclesiam defendat, & ipsemet adjutor veniat.

Ad imperatorem Carolum.

CUM & ante susceptum imperium, & post Augustale sceptrum, per humilitatis vestræ ministerium vobis divinitus attributum, nos quidem multoties pro innumeris necessitatibus, & multiplicibus oppressionibus, quas sancta mater vestra Romana ecclesia quotidie patitur, ingenti mœrore afflicti reclamassemus: nullum usque adhuc optatæ consolationis valuimus promereri auxilium vel defensionis solatium: quia de omnibus immobilibus rebus territorii sancti Petri, quas nobis Ravennæ consistentibus, in præsentia serenitatis vestræ, uterque Vvido marchio pro reinvestitione reddidit, nec unum recepimus locum; sed ipsi & homines eorum contra jus & æquitatem omnia retinere præsumunt: nam nobis in Pentapoli, hoc est in urbe Fano consistentibus, Adelardus reverendissimus episcopus, & deliciosus vester, communisque fidelis, secundum vestræ delegationis jussum advenit, & ibi præfati Vvidonis, & satellitum ejus, qui nostra violenter tulerunt, ac retinuerunt, præsentiam prestolati sumus: quatenus vel inde omnis emendationis, & justitiæ cœpto initio, per ceteras urbes, de omnibus juxta clementiæ vestræ decretum, recipiendo coram legato vestro justitias, pariter proficisceremur: sed illo semper fugiente judicium, & vestræ jussionis piissimam sanctionem callide declinando, non veniente, quia nobis sine profectu aliquo per ipsas civitates, quæ illorum gravamine opprimuntur, proficisci evidenter extitit manifestum; direximus cum eodem Adelardo venerabili episcopo misso vestro, Valpertum reverendissimum episcopum, & fidelem consiliarium nostrum, qui vice nostra recepisset consolationem justitia nobis in vestra præsentia reddita, & legitimam de aliis emendationem, qui videlicet ptofecti nullum justitiæ fructum recipientes, ad nos reversi sunt. Nos autem omnem excusationis eorum defensionem penitus auferre volentes, decrevimus eos iterum mittere, ut saltem post- A modum reciperemus justitiam. Qui cum ad prædictum Vvidonem rursum abiissent, nihil emendationis, nihilque redditionis ab eo, vel sequacibus ejus, sicut promissum fuerat, recipere potuerunt Sed ut antea sine aliquo ad nos effectu reversus est, & vester ad vos absque justitiæ contemplatione omnimodo redut: quamvis ingenti & fideli devotione ipse confrater noster Adelardus ad justitiam exigendam multimodis decertasset. Nunc igitur pro certo scientes, nullam nos de tantis malis posse habere justitiam & emendationem per quemlibet celsitudinis vestræ legatum, nisi per vestram imperialem præsentiam; rogamus obnixe, atque per omnipo- B tentem dominum adjuramus, ut ad defendendam & liberandam de manibus malefactorum, qui eam atrociter devorant, ecclesiam beati Petri apostolorum principis vobis commissam, quæ vos divino nutu adjutores ac defensores in omnibus elegit habere, ipsi, Deo auxiliante, venire libenter dignemini: quatenus Dei, & vestro solatio freta, quæ sua sunt valeat securiter retinere cum pristinæ dignitatis decore, ad laudem, & perpetuam animæ vestræ mercedem.

CCXCIV. AD ATHANASIUM EPISC. NEAPOLITANUM.

C Ab excommunicatione eum absolvit, & ministerio sacerdotali restituit, dummodo pactum cum Sarracenis initum, sicut promiserat, rumpat, & ex eis aliquos, ceteris jugulatis, captos mittat, nec deinceps cum eis fœdus feriat.

Athanasio episcopo Neapolitano.

BONI pastoris eximio informati exemplo, qui venit quærere & salvare quod perierat, tanto tempore te per devia errantem, abjecto Christi levi jugo, cum infidelibus jugum obscœna cupiditate ducere non dubitantem, quamvis sero ad te percutientem reverti velle mandasti, alacriter recipimus, & inter ceteros consa- D cerdotes nostros præcipue honorabilem cupimus retinere; prout ipse nos jam olim fecisse procul dubio reminisceris. Sed quia tua exigente sceleris tanti audacia, sancti Spiritus judicio te a consortio nostro divini mysterii jure submovimus; nunc secundum preces tuas, & relationem Petri venerabilis diaconi tui, si modo pactum quod hactenus cum impiis Agarenis habuisti, manifesta devotione fregeris, & ab eorum nequissima societate toto conamine te separaveris; atque si præsentibus his nostris, Marino videlicet reverendissimo episcopo & sanctæ sedis nostræ arcario, & Siconi egregio viro, majores Sarracenorum quantos melius potes, quos no- E minatim quærimus, cum aliis omnibus ceperis, & jugulatis aliis, eos nobis direxeris, a vinculo excommunicationis absolvimus, & juxta præcedentem consuetudinem episcopale officium reddimus. Eo scilicet modo, vel tenore, ut captis & traditis antea, ut dictum est, Sarracenis, deinceps nullum cum eis ulterius fœdus quoquomodo inire præsumas. Nam si cum illis iterum pactum aliquod facere tentaveris, in eadem te excommunicatione manere sancimus, & auctoritate Dei omnipotentis, & beati Petri apostolorum principis & nostra, omni episcopali honore te privandum, & perpetuo anathemate damnandum esse decernimus.

CCXCV. AD OTERAMUM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Agit de Optando episcopo, ejus literis respondens: & de literis, quas scribit episcopo Mauriennensi, ut Romam veniat.

Oteramo Viennensi archiepiscopo.

SUSCEPTIS vestræ fraternitatis apicibus, quod essent alicujus, ut ita dixerim, rectitudinis zelo compositi, satis ubertim cognovimus: quia post plurima in ecclesia Genevensi fatemini vos consecrasse episcopum, & ut quidam Optandus nomine clericus advenerit, qui in ecclesia Genevensi nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterat, ecclesiam illam invaserit. Multipliciter admiramur, cur illa nescire vos dicitis, quæ totus ut remur occidens non ignorat. Præcedenti siquidem tempore nobis fuerat nuntiatum, ut vos in eadem ecclesia episcopum consecrare contempseritis: ideo nos, necessaria temporum qualitate perspecta, clericis ejusdem ecclesiæ suggerentibus, auctoritate apostolica illic episcopum Optandum nomine consecravimus. Qua ex re non bene vos fecisse probamus, qui super ordinationem nostram obices manus habuistis, & alterum episcopum ibidem ordinastis. De hoc autem quod dicitis, quod ipse Optandus in Genevensi ecclesia nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterit, interim silentio est tegendum, eo quod, cum caritate vestra loquamur, nihil horum habens vestra sanctitas in Viennensi ecclesia est consecrata. Verumtamen his interim necessario prætermissis, sanctimoniam vestram jam dudum literis nostris monuimus, ut quia quædam vobis a quibusdam objiciuntur, quæ synodali discussione sunt corrigenda, omni excusatione remota, VIII. Kalendas Octobris futuræ indictionis primæ, Romam ad synodum occurrere studeretis. Nihilo minus autem iterato decernimus, ut eodem tempore apostolicæ nostræ vos præsentetis præsentiæ: ut tunc & de vobis objectis rationem reddatis, & si adversus eumdem episcopum a nobis consecratum aliquam querelam habetis, nos canonico valeamus, quidquid illud fuerit, Deo juvante, libramine diffinire. Ceterum Adalberto Mauriennensis ecclesiæ episcopo auctoritatis nostræ literas, quas ei a vobis dari mandamus, ecce transmisimus, ut cum Bernario Gratianopolitanæ sedis episcopo eodem VIII. Kalendas Octobris Romam occurrat: quatenus de his, quæ ei irreverenter tam temerario ausu sui ordinis immemor intulit, coram nobis plenissimam satisfactionem exhibeat.

CCXCVI. AD ADALBERTUM EPISC. MAURIENNÆ.

Iubet ut Romam veniat cum episcopo Gratianopolitano, quem ignominiose tractarat.

Adalberto Mauriennensi episcopo.

TRISTIS nos nuntius perculit, quando audivimus, quod tu ordinis tui immemor Bernarium Gratianopolitanæ sedis episcopum, hora matutinali in ecclesia sua publice agentem officium, cum multitudine populi, & armata manu, absque reverentia ecclesiam ingrediens, nulla ab eo tibi culpa illata, irreverenter tecum A abstuleris, & ignominiose tractaveris. quod tantum nobis displicuit, quantum te temere egisse modis omnibus comprobamus. Ideoque nostri apostolatus literis tibi mandamus, ut omni excusatione remota VIII. Kalendas Octobris futuræ primæ indictionis, cum eodem Bernario venerabili episcopo Romam ad synodum nostram occurras: ut quidquid inter vos litigii est exortum, nos æquitatis regula potiti, Deo juvante, discutere & diffinire aliquomodo studeamus.

CCXCVII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

B Hortatur ut ad fidem & obedientiam Romanæ ecclesiæ redeat, & legatos mittat.

Michaeli regi Bulgarorum.

CUM non tam initia sint in bonis laudanda, quam finis, Deo omnipotenti factori omnium visibilium, & invisibilium, gratias agimus, qui vestrum bene velle hactenus in soliditate veræ fidei solidavit, & sui amatorem efficiens, tamquam re vera ex tenebris olim lumen splendescere fecit, & ad salutem multorum benignissimum cor vestrum gratia suæ potentiæ illustravit: sed & hinc devotioni vestræ dignum duxi-
C mus congruas grates referre, quod partim finis ostendit, quam fidelitatem erga sanctam Romanam ecclesiam omnium terrarum matrem & caput observare curetis. Cum hanc & initio vestræ conversionis quæsieritis, & ad præsens auxiliatricem habere perpetuam scilicet vestram salvationem monstrare non omiseritis, sanctos videlicet apostolos visitando, & eorum, ut diximus, suffragia postulando. Igitur absurdum valde est, ac inconveniens, quod pia vestra voluntas aliter se post habere voluit, quam, sicut omnibus notum est, primum. Vos enim divinitus inspirati matri omnis religionis, sanctam quippe Romanam ecclesiam ductricem, & viam per quam ad
D æternitatis pascua duceremini, merito expetistis: & illa, quia omnibus fidelibus viscera materna præbet, ac præbuit, vos expansis ad Deum ulnis, Christo gratias agens, recepit; consequens fuit ut a recti gressu itineris, in partem non flecteremini, nec manum mittentes in aratrum, retro aspicere cujuscumque forte suasionibus niteremini. Numquid non fili carissime sanctum euangelium surda aure auditis, quo legitur: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit?* aut si audistis, & obauditis: *Redite ad mentem vestram, redite ad cor?* Et vestræ sponsionis reminiscimini. Quia plus amor & timor Dei vos fecit esse credulum apostolici privilegii, quam,
E ut ita dixerim, exempla multorum. Si enim quod quicumque Deo vovit, hoc debet & reddere, valde oportet, ut vos quod sanctæ Romanæ ecclesiæ sponte vovistis, fine tenus reddere studeatis: non ignorantes quod B. Petrus apostolus regni cælestis claves a domino Iesu Christo acceperit, & quibusque fidelibus aperiendi, aliis autem claudendi promeruerit potestatem. Hac igitur (sicut & nostri prædecessores) nos potestate, licet indigni utentes, cogimur, si non emendaveritis quod gessistis, & ad præsens vos in hoc sæculo digne corripere, & ut in futuro, quantum in nobis est, maledictionibus repleamini, non prɇterire. Hujus rei gratia, fili carissime, festinate corrigere quod inique gessistis: & omni occasione, omnique

Matth. 10. Isai. 46.

omniqué mora postposita nobis per vestrum legatum quidquid super hoc emendare vultis, mandate: quia nos, Deo juvante, omnem voluntatem vestræ correctionis implebimus, & vos anima & corpore salvos existere cupientes causam secundum Deum ordinare studebimus.

CCXCVIII. AC RICCARDEM AVGVSTAM.

Queritur nullam sibi contra Sarracenorum excursiones opem ferri. rogat ut ab imperatore celeriter postulet auxilium. legatum suum commendat. petit det operam, ut Angelberga ab exilio revocetur, & Romam mittatur.

Riccardi Augustæ, seu Liutvvardo Vercellensi episcopo, a paribus.

TANTA cordis angustia, tantusque dolor & gemitus hinc & inde cum irriguis lacrymarum rivulis nostram ætatem quatiunt, & conquassant, tantusque etiam luctus pro desolatione terræ istius, quam jam funditus a Christiani nominis inimicis, & Deo odibilibus Sarracenis deprędatam cernimus, nos afficit, & intima nostra dissolvit; ut & somnus ab oculis, & a gustu cibus effugiat. Etiam cum Ieremia decantare compellar: *Quis dabit capiti meo aquam? aut oculis meis fontem lacrymarum?* & reliqua. Siquidem expectavimus lucem, & ecce tenebras; quæsivimus adjutorium, & muros urbis egredi non audemus. Nam ante vestrum Romam adventum qualiscumque nobis erat tranquillitas: modo vero intolerabilis, & importabilis persecutionis extat tempestas: quia neque spiritalis filius noster Augustus, neque alicujus alterius gentis homo nobis confert auxilium; & nisi divinitas summa subveniat, aut in desperationem aliquam lapsi, (quia non solum duplum, sicut dominus dicit, sed etiam triplum, & quadruplum exercitum contra vos venire conspicimus) ea quæ pacis sunt, postulabimus. Aut certe non solum jugo illorum coacti subdemur, sed etiam ab eis capti impie jugulabimur. Quia, sicut scitis, sæpissime reclamavimus, & neque ipse Augustus, ut prætulimus, qualemcumque defensionem nobis exhibuit, neque homines civitatum nostrarum, qui contra Deum, & contra omne privilegium nostrum ab alienigenis, ac si nostri non fuerint, detinentur, ad servitium sanctæ Romanæ ecclesiæ faciendum, sicut solitum erat, ab eorumdem alienigenarum jugo subtraxit. His ergo, carissima filia, clamoribus, ac ululatibus nostris auditis; quia sapientibus loquimur, continuo propter Deum, & propter sanctos ejus apostolos, jam dicto spiritali filio nostro Augusto flexo poplite suggere, ut omnibus omnino necessitatibus, aut omissis, aut certe suspensis, sanctæ matris suæ calamitati subveniat, & conculcationem imo perditionem illius advertens, antequam pereamus, citissimum conferat adjutorium, aut congruum sine mora donet consilium: quia vita nostra nobis non prodest, & in extremo positi, etiam si non optaremus, jam mors se palam præbet videndam. Præsenti quoque Petro venerabili episcopo valde nobis credulo, & dilectissimo familiari nostro, summam benevolentiam quæsumus exhibe, & ei utpote a tanta sede directo, familiaritatis locum apud domnum Augustum congruentissimum tribue, atque ut nobismetipsis illi credulitatem penitus adhibens, ea, quæ verbis retulerit, studio tuo operibus impleantur. Sed & hoc deprecamur, A ut pro eo, quod apud Ticinum eodem episcopo ea, quæ nos illi commiseramus, ipsi Augusto necessaria exponente, animus illius contra hunc est turbatus, tua instantia quidquid illud fuerit omnino aboleatur. Et ad hunc eumdem episcopum pie tractandum imperialis animus placabilis in cunctis reddatur: quoniam non hæc contumaciter, aut contra Augustalem dignitatem protulerat; sed zelo Dei ductus ad nos inefficax redire nolebat. Postremo Christi cultrix, & Deo amabilis filia, moleste accipimus, cur multoties deprecantes spiritali filiæ nostræ Angelbergæ, nullam per vos potuimus conferre medelam; ut dissoluto exilio ad sanctum Petrum apostolum eam B reducere faceremus. Vnde etiam nunc summopere deprecamur, ut pro amore Dei, & nostro, sancta sedes apostolica de hoc honoretur. Et sicut jam dictus Augustus vobiscum pariter repromisit, a captivitate, qua frustra tenetur, salva & incolumis reducatur. Quia postquam nobis, quibus fuerat commendata, & defensioni sancti Petri apostoli protectoris sui commissa, reddita fuerit, nullam de ea sinistram quis habere poterit, crede nobis, suspicionem.

Ierem. 9.

CCXCIX. AD ANSELMVM ARCHIEPISCOPVM MEDIOLANENSEM.

C Mediolanensis ecclesiæ privilegia confirmat. hortatur ut in Romanam ecclesiam sit fidelis. narrat Sarracenorum & iniquorum Christianorum injurias. rogat ut pro ecclesia ad dominum preces effundat.

Anselmo archiepiscopo sanctæ Mediolanensis ecclesiæ.

PRIVILEGII sane auctoritati ecclesiæ vestræ, eo quo fraternitas tua poposcit modo, pernecessario apostolica fulti moderatione, libenti annuimus animi caritate, simulque optantes ut semper ea, quæ ad animæ tuæ salvationem, tuique gregis custodiam sunt congrua, atque proficua, Spiritus sancti infusione postulare, quęrere, D atque operari ...... ne desinas. Vt ante tribunal æterni judicis dignam (gratia suæ misericordiæ cooperante) ratiocinationem positurus, meritum perennis vitæ cum sanctis accipias. Inter hæc dilectionem tuæ fraternitatis hortamur, sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ, quæ pro vobis omnibus, vestraque salute utpote caput pro suis membris laborare non cessat, toto annixu mentis, omnique devotione fideles existere omnimodis satagatis: quoniam in ejus exaltatione, atque incolumitate, sicut ab initio, erit omnium vestrum apud Deum & præsens sæculum certa salvatio. Nos enim in hac terra tam Paganorum, quam malignantium Christianorum tantas persecutio- E nes patimur, ut has verbis explicare non valeamus. Inter innumeras rapinas, deprædationes, & mala quam plurima, ad augmentum doloris nostri quidam sceleratus Longobardus nomine, homo Vvidonis marchionis, octoginta tres homines cepit: manibus singulis detruncatis apud Narniensem civitatem, plures ex tali sunt incisione sine mora perempti. Vnde communi ad dominum prece supplicamus, ut ille ecclesiam suam sanctam de præsentibus malis eripiat, pro qua unigenito filio suo non pepercit. Nosque pastorali solicitudine baculum in manibus tenentes, lupis rapacibus, domino protegente, resistere non omittemus. Data mense Augusto, indictione * XII. *f. XV.

CCC. AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut Ioannem diaconum benigne excipiat, & res ei ablatas restituat.

Reverendissimo & sanctissimo Romano archiepiscopo Ravennati.

QUIA non solum tempore ordinationis tuæ, te scriptis & verbis secundum morem, & canonicam sanctionem, sed postmodum sæpissime admonere curavimus; quatenus cum filiis, & membris sanctæ tuæ ecclesiæ tranquilla semper mente, & alacri affectione, ceu idoneus pastor existeres: valde miramur dilectionem tuam, monita nostra contemnendo, eis præjudicium, sicut audivimus; & importabiles gravitates inferre minime recusasse. Vnde iterum præsenti apostolatus nostri statuto jubemus fraternitati tuæ, ut huic Ioanni venerabili diacono commendato nostro, qui ad nostram apostolicam sedem confugiens præjudicium a te sibi illatum ferre non valens, nostro se petiit apostolico præsidio adjuvari, & ideo nos solita misericordia moti apostolica tibi benignitate mandamus, ut eum in gremio sanctæ tuæ ecclesiæ benigne recipias, & monasteria, seu res quas illi tui occupaverunt ministri, libenti animo pro amore nostro præsentialiter reddas. Et quæ de ipsis rebus a tuis ablata sunt, modis omnibus restituas. Ita sane, ut ei deinceps ad nostras apostolicas aures non fit necessarium reclamare. Simili etiam modo tibi mandamus, ut Ioanni venerabili diacono, & chartulario ecclesiæ tuæ monasterium sancti Martini, quod a te dudum promeruit obtinere, de præsenti reddere studeas: nos enim hoc patienter ad te peragendum apostolica benignitate dreximus. Verum, quod non credimus, si aliter fraternitas tua peregerit, hi nostri legati nostra apostolica fulti auctoritate, hoc proculdubio explere studebunt: quoniam justum fore decernimus, eos post longa obsequia, & diuturna servitia, quæ in sancta Ravennate ecclesia peregerunt, non solum digna remuneratione non privari, sed potius acquisitis beneficiis alacriter gratulari: & in hoc ita peragat fraternitas tua, ut quæ a nobis pro ecclesiæ tuæ utilitate petieris, assequi omnimodis valeas. Data quinto Kalendas Septembris, indictione decima quinta.

CCCI. AD CLERUM RAVENNATEM.

Vt Maimbertum quemdam, quem alias ab ecclesia Ravennate expelli jusserat, comprehensum, legato suo & Ioanni duci tradant, & ad se mittendum curent.

Omnibus venerabilibus sacerdotibus, seu subdiaconibus, & universo clero sanctæ Ravennatis ecclesiæ.

AUDITA sæpe afflictione atque miseria vestra, quam per Maimbertum Bononiensem clericum incessanter patimini, jam pridem nostram apostolicam misimus vobis auctoritatem per Ioannem diaconum & chartularium præcipientes, ut omnes uno animo constantique devotione prædictum Maimbertum manifestissimum zizaniorum seminatorem ab archiepiscopo, & a vestra sancta ecclesia, tamquam ovem

A morbidam expelleretis; sed miramur quare hactenus a vobis hoc prætermissum sit; unde nunc vestra iterum petitione moti, & divino amore succensi, per hanc nostram apostolicam auctoritatem vobis omnibus præcipimus, ut relecta priori epistola unanimiter juncti, & cum præsenti misso nostro fideliter conglobati, eumdem Maimbertum adversatorem vestrum, si sponte venire ad nos contempserit, vel in partem aliquam ire voluerit, audacter comprehendere studeatis: & huic misso nostro seu & Ioanni duci fideli nostro ad exigendum ab eo, secundum nostram jussionem, nobis ad deducendum contradite, sicut gratiam Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum & nostram vultis habere.
B Nam si quis vestrum in hoc se quoquomodo subtrahens pro cujuslibet rei gratia hanc nostram jussionem pro statu & pace sanctæ Ravennatis ecclesiæ directam gratanter ad effectum perducere contempserit, & ex Dei omnipotentis sanctorumque apostolorum Petri & Pauli, & ex nostra apostolica auctoritate a vino & cocto, etiam & a proprio ministerio suspensus maneat usque ad nostram præsentiam. Data v. Kalendas Septembris, indictione xv.

CCCII. AD IOANNEM, MARTINUM, &c.

C Ejusdem argumenti.

Ioannes episcopus servus servorum Dei Martino, Ioanni, seu Demetrio, atque Romano gloriosis ducibus, necnon & aliis fidelibus nostris.

OMNIUM vestrum noscat fidelitas, quia sæpissime Romanum archiepiscopum tam per venerabiles episcopos, quamque etiam nostris apostolicis literis admonuimus, ut Maimbertum Bononiensem clericum a sua superstitiosissima familiaritate separasset, & ad propriam ecclesiam, ut canonicum est, remisisset, & ipse Maimbertus multoties, ut recederet, a nobis
D est protestatus: sed minime acquiescere nostræ voluerunt apostolicæ jussioni. Idcirco præcipientes præcipimus, & jubentes expresse jubemus, ut unanimes juncti simul cum isto fideli misso nostro, omni occasione postposita, & dilatione remota, prædictum Maimbertum comprehendatis, & vi coactum ab archiepiscopo separetis, & huic nostro misso simul & Ioanni duci ad exigendum secundum nostram apostolicam auctoritatem validissime contradatis. Quod si in hoc negligentes vos, quorum nomina suprascripta sunt, fueritis, & ipse quoquomodo effugerit a vobis; scitote, per unumquemque vestrum centum aureos dabitis nostræ parti.
E Insuper ex Dei omnipotentis sanctorumque apostolorum Petri & Pauli, & nostra apostolica auctoritate a vino & cocto suspensi manete usque ad nostram præsentiam: ceteri vero, si hoc, quod jubemus, assequi noluerint, aut subtrahendo quoquomodo se huc illuc diverterint, & usque ad effectum rei non perseveraverint, superiori excommunicationi subjaceant. Data v. Kalendas Septembris, indictione xv.

CCCIII. AD IOANNEM DUCEM.

Vt Maimbertum captum ad se ducat, & mulieres, quæ apud ipsum sunt, detineat, & Romano archiepiscopo epistolam deferendam curet.

Ioanni

Ioanni duci deliciosso fideli sen & misso nostro.

GRATULATOS nos non modice credas, eo quod fidelitas tua erga sanctam Romanam ecclesiam nostrumque apostolatum constanter reperimus" vigilare: & ideo per hos nostros apostolicos apices tuæ fidelitati jubemus, ut de Maimberto modis omnibus sicut misisti, pariter cum isto misso nostro explere decertes, ut nullo modo effugere possit, sed separatum ab archiepiscopo vi coactum, postquam ab eo omnia sua constanter exegeritis, ad nostram præsentiam districtum deducere studetote: etiam & illas mulieres, quas nunc in sua mansione collectas detinet, in nostro rectorio retinere jubemus usque ad nostram notitiam. Epistolam vero, quam Romano archiepiscopo mittimus, ut res, aut monasteria, quæ ab isto Ioanne diacono fidele commendato nostro quoquomodo occupavit, restituere & investire eum in omnibus studeat; & quæ de rebus ejus sui famuli abstulerunt, reddere huic per omnia faciat, ipsi archiepiscopo deportate, & coram sacerdotibus, & judicibus ipsam legere facite; similiter autem & monasterium sancti Martini secundum nostram jussionem, Ioanni diacono, & chartulario pro nostro reddat amore. Nam & mansionem, quam Maimbertus ab ipso diacono suam per fraudulentiam abstulit, simili modo eum cum Petro nepote suo investire studete. Data *ut supra*, indictione XV.

" repetitur

CCCIV. AD RAVENNATES.

Dolet eorum antistitis morte. monet, ut electum ab eis archiepiscopum congruo prosequantur honore: ecclesiam Ravennatem, & Deusdedit & Ioannis ducum bona defendant.

Sacerdotibus & senatui populoque Ravennati fidelibus nostris.

RAVENNATIS antistitis, vestri videlicet patris obitum audientes, valde dolemus; pro quo ut oretis hortamur: solitam vero, tantamque fidelitatem vestram erga nos unitate vigere cernentes, imo gaudemus, & ut omnipotens intercessione apostolorum principum vos patre desiderato recuperet, vestro pro velle decertabimus. Ceterum monentes hortamur, & expresse jubemus, ut jam quem unanimiter, quomodo scripsistis, elegistis, unanimiter cum electum teneatis, diligatis, & vestro de more honoretis: & usquequo, Deo annuente, præsentia pontificii nostri desiderio vestro illuxerit, Ravennatem ecclesiam ab omnibus hostibus defendite, deprædationibus pro posse levate, ne ipsa ecclesia aliquam deprædationem sustineat: quoniam nos hoc inultum nunquam dimittemus, & prædatores prædatorumque receptores legali vigore modis omnibus feriemus. Porro præcipimus, ut res mobiles, & immobiles, sesque moventes, Deusdedit, & Ioannis gloriosorum ducum nostrorum consiliariorum salvare, & in illas, quas hactenus invasas habuerunt, nullam invasionem facientes, illorum hominibus defendite: jam quia nostro utuntur servitio, nostra modis omnibus debent perfrui defensione, servatori hujus jussus, gratia corruptoris pro jussu erit nihilo minus compositori.

[Lo]cus cor[ru]ptus.

CCCV. AD HUGONEM ABBATEM.

Hortatur suadeat Ludovico regi ut ad se veniat. monet etiam, ut se a quorumdam communione separet.

Hugoni strenuo, nobili, regali prosapia edito, atque excellentissimo abbati.

QUANTO vos, carissime fili, amore diligimus celeberrima vestri boni operis circumquaque accensi, explicare verbis nullatenus possumus. Quapropter, ut nostro desiderio præsentiæ vestræ capiamus effectum, mature volumus hortemini Ludovicum regem filium nostrum, vosque cum eo ad nos concite properare: quatenus, Christo cooperante, exaltationem totius Christianitatis communiter operemur. Sic agat vestra dilectio, ut tristitiam, quam animo de vestra absentia nuper Papia intulistis, lenire moderatissime valeatis. Inter hæc ab omni te consortio Formosi anathematizati optamus, fili carissime, separare, Ioannis archiepiscopi * Rodomensis", Adelardi Turonensis, Frotarii Bituricensis. Data *ut supra*.

* *al.* Rodonensis, " *id est*, Rotomagensis, *nec quicquam mutandum*.

CCCVI. AD CAROLUM REGEM.

Embolum ut Carolomannum regem in ecclesia Romanæ dilectione confirmet.

IAM quod te, carissime fili, tantæ devotionis, tantæque fidelitatis erga vestræ matris Romanæ ecclesiæ pontificium esse videmus, tamquam utero natum monentes rogamus, flagitantes hortamur, ut pro amore apostolorum principum, quasi vestro proprio consulto, nec repræsentaliter, Carolomanno glorioso regi mittatis, consilium dantes, ut antiquos honorans amicos, fruens caritate, ad parentum consilium redeat, & de epistolis, quas illi ex maritimo itinere remisimus, respondeat, & Romanam ecclesiam, quæ vobis utrisque omnibus decus regale & imperiale intulit, venerando diligat, mittens præsentialiter ipsis anathematizatis Lamberto & Adelberto. Data *ut supra*.

CCCVII. AD SUPPONEM COMITEM.

Mandat ut ad montem" Cinisem obviam sibi veniens, imperatricem Angelbergam; & præsules Mediolanensem & Parmensem idem facere moneat, ut simul quæ ad utilitatem ecclesiæ pertinent tractare valeant.

" Cinisium.

Dilectissimo filio Supponi glorioso comiti.

QUIA nos, in quibus, Deo dispensante, fines sæculorum devenerunt, pro sanctarum Dei ecclesiarum statu variis motibus ducimur, diversisque fluctuum procellis impellimur, sed tamen non destituimur propter eum, qui nos confortat Christum Iesum, servata prædecessorum nostrorum fide proli Francorum, ad Gallias properantes idcirco venimus, ut pacis, atque unitatis vinculo regum corda connecteremus. Sed completum videmus, quod in euangelio legimus: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescit caritas multorum.* Quapropter vestræ dilectioni fidentissimæ, & probatæ fidei mandamus, ut nobis cum officio decentiæ vestræ, ad montem Cinisem obvii quantocius veniatis, ut pariter convenientes, quæ ad utilitatem congruunt,

Matth. 24.

grunt, domino permittente, tractare valeamus. A Simulque hoc precamini dilectam filiam nostram Angelbergam imperatricem, atque Anspertum archiepiscopum Mediolanensem, Vvibbodumque Parmensem episcopum, aliosque fideles atque amicos. Data *ut supra*.

CCCVIII. AD IOANNEM EPISCOPUM FICOCLENSEM.

Visitationem Faventinæ ecclesiæ pastore destitutæ, ejusque curam ei committit, donec novus pastor eidem præficiatur.

Ioanni episcopo Ficoclensi.

OBITUM Romani Faventinæ civitatis antistitis directa dudum relatio patefecit: quapropter visitationis destitutæ ecclesiæ fraternitati tuæ operam solenniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de * provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud est in patrimonio eodem, a quoquam præsumatur ecclesiæ; & ideo * ecclesia tua ad prædictam ecclesiam ire procuret, ut quidquid utilitati illius congruit, interim solerti cura prævideat, quousque, qualiter se habeat electio, vel ordinatio succedentis episcopi coram nobis synodali discutiatur examine, & apostolica terminetur, Deo juvante, censura. Data XIII. Kalendas Augustas, indictione XIV.

* *forte* proventibus

* fraternitas

CCCIX. AD ALDEFONSUM " REGEM.

Ovetensis ecclesia Gallæciæ metropolitana efficitur.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, Aldefonso regi Christianissimo, seu cunctis venerabilibus episcopis, abbatibus, vel orthodoxis Christianis.

"Hic inchoatur appendix epistolarum in editionibus Biniana & Luparæa.

QUIA igitur in cura nos totius Christianitatis B. Petri apostolorum principis sempiterna providentia efficit successores, ea domini nostri Iesu Christi constringimur adhortatione, qua beatum Petrum apostolum monuit, dicens quadam * voce ' : *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum*, & reliqua. Hinc rursus imminente domini nostri articulo gloriosæ passionis, inquit: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ideoque quia vestræ notitiæ fama per hos fratres limina apostolorum lustrantes, per Severum ' & Desiderium presbyteros nobis miro odore bonitatis est revelata, paterna vos adhortatione commoneo, in cœptis bonis operibus, gratia duce, perseverare, quatenus copiosa vos beati Petri protectoris vestri & nostra protegat benedictio. Et quotiescumque, filii carissimi, ad nos venire quilibet vestrum, aut transmittere voluerit, tota cordis exultatione & animi gaudio de ultimis Gallæciæ finibus, cui vos præter me dominus rectores constituit, tamquam jure filios nostros, vos colligimus: & ecclesiæ Ovetensi, quam vestro consensu & assidua petitione metropolitanam constituimus, omnes vos subditos esse mandamus. Et concedimus etiam prædictæ sedi, ut ea quæ reges, seu ' fideles juste obtulerunt, vel in futurum, domino opitulante, contulerint; rata, firma, & inconcussa manere in perpetuum præcipimus. Hos quoque latores literarum nostrarum omnes hortor ut habeatis commendatos. Bene valete.

* vice ' privilegii *Matth.* 16.

Luc. 22.

' presbyterum & Synderedum

' quilibet fidelis

CCCX. AD ALDEFONSUM " REGEM.

Monet ecclesiam sancti Iacobi consecrari.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, dilecto filio ' Aldefonso glorioso regi Gallæciarum.

" Hæc & superior epistola habeatur in historia Sampiri

' *Adefonso*

LITERAS devotionis vestræ suscipientes, quia devotum vos esse cognoscimus erga vestram sanctam ecclesiam, gratias vobis multiplices referimus, dominum exorantes, ut vigor regni vestri * abundet, de inimicis vestris victoriam vobis concedat. Nam nos, fili carissime, sicut petistis, sedulas preces domino fundimus, B ut regnum vestrum gubernet, vos salvos faciat, custodiat, & protegat, & super inimicos vestros erigat: ecclesiam autem B. Iacobi ab Hispanis episcopis consecrari facite, & cum eis concilium celebrate. Et nos quidem, gloriose rex, sicuti vos, a Paganis jam constringimur, die ac nocte cum illis bella committimus; sed omnipotens Deus * dat nobis de illis triumphum. Hujus rei gratia rogamus dilectionem vestram, & * animum deprecamur, ut quia, ut diximus, valde a Paganis opprimitur, aliquantos utiles & optimos Mauriscos cum armis, quos Hispani cavallos Alpharaces vocant, ad nos dirigere non omittatis. Qualiter nos recipientes, dominum collaude-C mus, vobis gratias referamus, & per eorum portatorem de benedictionibus sancti Petri vos remuneremus. Bene vale, dilectissime fili & clarissime rex.

* abundet

* det

* nimium

CCCXI. AD CLERUM SALERNITANUM.

Ioannes VIII. clero & ordini Salernitano.

DE illis presbyteris qui tempore sanctissimi decessoris nostri domini papæ Nicolai excommunicati sacrum ministerium contingere præsumpserint, ipsi in se damnationis, sicuti sancti canones statuunt, sententiam incurrerunt. Tamen quia miseratio apostolica veniam solet D præstare correctis, ob multitudinem misericordiæ illis hanc indulgentiam exhibemus, ut sancta communione saginati studeant tribus continuis annis per hebdomadam omni secunda & sexta feria, aut a vino, aut a " cibo penitus jejunare, & ultra lugenda nequaquam committere.

" *f.* cocto, *ut alibi legitur*

CCCXII. AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Ioannes VIII. Michaeli regi Bulgarorum.

SI ab his quos excommunicatos habebamus sacramenta quæcumque suscipitis, constat quia idololatriam, non ut catholici essetis, sed ut E schismatici efficeremini, deliquisse videmini.

CCCXIII. AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

Vices suas in Gallia & Germania committit Ansegiso archiepiscopo Senonensi.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, omnibus sanctissimis episcopis per Gallias & Germanias constitutis.

VESTRÆ omnium innotescimus sanctitati, quia pro alleviandis multiplicibus oneribus ecclesiasticis, quibus quotidie satis abundeque deprimimur, quibus maxime super negotiis ex Galliarum & Germaniarum partibus nobis assidue

assidue destinatis arctamur, [1] Ansegisum fratrem & coepiscopum nostrum Senonensis ecclesiæ præsulem, qui quoties utilitas ecclesiastica dictaverit, sive in vocanda synodo, sive in aliis negotiis exercendis per Gallias & Germanias vice nostra fruatur. Et volumus, ut decreta sedis apostolicæ per ipsum vobis manifesta efficiantur, & rursus quæ gesta fuerint ejus nobis relatione, si necesse fuerit, pandantur: ut majora negotia ac difficiliora quæque suggestione ipsius a nobis disponenda & enucleanda quærantur. Quapropter vos huic piæ sanctioni omnimodis intendentes, quæ super hoc apostolica auctoritate decernimus unanimes admittite. Talem quippe illum agnovimus, talemque circa sedem apostolicam devotum & in commisso fidelem reperimus, ut merito ei talia committi posse ducamus: quin & his majora conferri debere illi sine cunctatione credamus, pro sua scilicet sanctitate, & fidei merito, atque divinitus sapientiæ dono concesso. Optamus vos bene valere. Data IV. Nonas Ianuarias, indictione IX. *Recitata in synodo Pontigonensi.*

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

1 *Ansegisum fratrem.*] Quem ex abbate S. Michaelis in episcopatu Bellovacensi ad Senonensem cathedram evectum didicimus, anno DCCCLXXI. Romanæ ejus legationis, cum adhuc abbas esset, meminit Aimoinus lib. V. cap. XXVII. Perverse autem faciunt, qui hunc cum altero antiquiore Ansegiso confundunt abbate Lobiensi, qui Caroli Magni & Ludovici Pii capitula in quatuor libros digessit anno DCCCXXVII.

CCCXIV. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Ut in locum Hincmari ordinetur episcopus in ecclesia Laudunensi.

Ioannes episcopus servus servorum Dei Hincmaro archiepiscopo Rhemensi.

QUAMVIS de sanctitatis tuæ judicio nihil dubitassemus, quia tamen carissimus filius noster Carolus invictissimus imperator, a nobis diligentissime percunctatus, circumstantiam judicii a beatitudine tua, coepiscopisque suis, in Hincmarum dudum Laudunensem episcopum prolati apostolatui nostro retulit, agnovimus justum fuisse omnino judicium. Neque enim tantus princeps nisi veritate fultum quidquam poterat affirmare. Unde nefas esse duximus ejus relationi non præbere incunctanter auditum. Noli ergo jam nunc ecclesiam Laudunensem viduatam, & sine regimine pastorali dimittere: sed indifferenter electum, & de Laudunensis ecclesiæ clero, virum idoneum, & in quo omnium vota consentiant, eidem ecclesiæ præfice prorsus episcopum. Cui electioni volumus etiam missum præfati piissimi imperatoris interesse, ut sine sæcularium strepitu omni latere talis eligatur, qui aptus sacris canonibus esse modis omnibus approbetur. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. *Data est Romæ Theodorico, jussu papæ Ioannis, & domni Caroli novi imperatoris, per manus Anastasii bibliothecarii, in secretario ecclesiæ sancti Petri, anno incarnationis dominicæ* DCCCLXXVI. *Novis Ianuarii, indictione* IX. *Et delata est ab eodem Theodorico in civitate Rhemis Hincmaro Rhemorum archiepiscopo, eodem anno, & eadem indictione*, V. *Idus Martii.*

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Quamvis de sanctitatis tua.*] Superstite Hincmaro Laudunensi alium in ejus locum subrogari jubet, Carolo imperatori de illius depositione assentiens, quam Hadrianus improbarat. Itaque tertio post mense electus est Hedenulfus.

CCCXV. AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI REGIS BAIOARIÆ constitutos.

Arguit eos quod Ludovicum regem ab invadendo Caroli fratris absentis regno non cohibuerint, monetque ut legatis, quos ad examinanda inter utrosque negotia mittit, satisfacere studeant.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, omnibus reverentissimis & sanctissimis archiepiscopis & episcopis in regno Hludovici gloriosi regis Bajoariæ constitutis.

APOSTOLICÆ moderationis ordinem sequimur, si ecclesiarum Dei solicitudinem retinentes, pro domo spiritalis Israelis murum correctionis opponimus; & concordantes animos, aut sub ecclesiasticæ pacis unione complectimur, aut discordes ad concordiæ gratiam revocamus, aut certe inter nos & illos qui apostatæ angeli, zizanii scilicet seminatoris, fraudibus irretiti, sanctæ sedi apostolicæ concordare despiciunt, sartaginem ferream juxta Ezechielis prophetæ magisterium collocamus. *Ezech. 4.* Reversurus enim ad Patrem dominus pacis bonum discipulis attentius commendavit; eamque quasi testamentum firmissimum futuris heredibus dereliquit, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* *Ioan. 14.* & beatus apostolus Paulus ait: *Soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* *Ephes. 4.* quia videlicet ad unam vocationis spem nequaquam pertingunt, si non ad eam cum proximis unita mente curratur. Quapropter sicut filii Dei, qui ex testamento ejus sibi per apostolos derelicto pacem custodiunt, ita nimirum diaboli sunt filii, qui pacem confundunt. Ille quippe ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit, ejusque invidia, sicut scriptum est, mors introivit in orbem terrarum. *Sap. 2.* Nam dum protoplastis invidens, deceptionis laqueum jam deceptus utique a semetipso composuit, mortis poculum mortalibus propinavit; & quos immortales obedientiæ merito futuros noverat, inobedientiæ venenis infecit, sicque in omnes homines mortis sententiam vitæ hostis induxit. Denique eisdem laqueis, quibus protoplastos deceperat, adhuc Adæ filios jugulat; & odio suæ ambitionis fraterna corda dissociat: ita ut quos unum patris femur tenuerat, jam Galliæ omnes non capiant, fraternis provectibus frater invideat, & quem monitis apostolicis sepius etiam in durissimis casibus obsequentem sequi despexerat, hunc a sede apostolica sibi prælatum doleat, imo ut Cain fratris hostia, scilicet obedientia, stimulatus, contra fratrem frendens occurrat: fideles ejus fraudibus diversis inficiat; ad pejerandum terribilis Dei nomen impellat, pacem regni diuturno fratris studio radicatam corrumpere gestiat, & lactatus a peccatoribus, suis dumtaxat complicibus acquiescens, pedes suos ad malum currere faciat, madentibus adhuc campis Fontanicis, quos in juventute sua humano

humano sanguine tinxerat, in senectute decrepita, minarum & cædis spirans, ad fundendum Christianorum multorum sanguinem pro sua singulari ambitione discurrat. Et qui amore fratris a sede apostolica obedientiæ suæ merito benedictionem sperare, suumque piis operibus propagare debuerat, alterius regnum pervicaciter sibi suis armis subjugare desiderat, scilicet ut quos armis acquirit, ditione possideat, & colla vetustæ libertatis ingenua nova servitute prosternat. Quis hoc, dilectissimi nobis, nisi antiquus humani generis adversarius, inter tales ac tantos fratres, quos nos pari spiritus amore complectimur, per suos satellites operatur? qui dum bonorum provectibus invidet, in agro sanctæ Dei ecclesiæ semper zizania seminare contendit. Quis hoc, carissimi, nisi diabolus operatur? qui Caroli virtutibus ab ineuntis ætatis principiis invidens, ejusque religiosum propositum longius propagari pavescens, levibus primo jaculis, quamquam frequentibus, lacessivit: deinde adversitatibus multis, quasi durissimis arietibus stimulavit: fideles ejus frequentissime rebellare suasit: in procinctu contra Northmannos pro ecclesiæ Dei liberatione pugnanti, & inimicos crucis Christi usque ad ultimam deditionem constringere satagenti, senioris vestri utrimque animum ad invasionem relicti imperii suscitavit: ipsos familiares, ipsum postremo filium, ad ejus extinctionem hostiliter provocavit. Et ne quandoque ad imperium, quod ei constat non humano collatum beneficio, licet per nostræ mediocritatis ministerium, sed divino, pertingere potuisset, tota fraudulentiæ suæ virtute prohibuit, tota consilii sui versutia debellare contendit. Sed Deus omnipotens, cujus providentia per mutabilium rerum principes mundi latitudo gubernatur & regitur, hunc flagellis erudiri voluit, deprimi penitus, sicut vobis est cognitum, nunquam permisit. Et afflictiones sanctæ suæ ecclesiæ per eum specialiter, sicut divinitus revelatum fuerat, & nunc veraciter credimus, tandem aliquando relevare contendens, hunc, a decessoribus nostris, reverendæ scilicet memoriæ Nicolao & Hadriano pontificibus, diu quidem desiderari voluit: tandem usque ad hæc periculosissima tempora, quibus a Belial filiis pene tota vallatur Italia, misericorditer reservavit, angelicis ductibus vias ejus per invia loca direxit, frustratis insidiis ei compositis liberavit, paludes lubricas equitabiles reddidit; vada profundorum fluminum multis sæculis incognita transmeabilia demonstravit. ei elementis contra naturam cedentibus diffidentium corda perterruit. non solum sine sanguine, verum etiam cum magnis honoribus, hinc inde gaudentibus populis, Italiam penetrare permisit, & per apostolicæ sedis privilegium, cunctorum favoribus approbatum sceptris imperialibus sublimavit. ut qui per tot annos, communibus peccatis merentibus, pro defectibus sanctæ Dei ecclesiæ diversis modis affligimur, per ejus solicitudinis expertam prudentiam consolemur, per quem Gallicanarum ecclesiarum status, & totius religionis vigor illis in partibus plausibiliter refloruisse cognoscitur. Hæc itaque hostis humani generis futura prospera præcavens, dilecti filii nostri Hludovici gloriosi regis vestri, si tamen filius dici meretur, qui apostolicæ sedis monitis per antecessores nostros, perque nos ipsos prolatis, semper inobedientissimus extitit, si gloriosus dici debet, cui

A contra Christicolas bella geri placuit nullos habitura triumphos, si rex dici potest, qui semet ipsum regere noluit, quo minus contra fratris absentiam inglorius pugnavisset, animos incitavit, ut neque divinum timorem præ oculis retinens, neque imminens sibi judicium provectæ senectutis agnoscens, neque sanguinis affinitatem fraternaque pacta perpendens: sed neque Christianæ religionis disciplinam custodiens. tam decessorum nostrorum scripta, quam recentia nostra monita religiosorum principum, & quod est mirabilius, contra consuetudinem tyrannorum veterum, parvipendit, & indictum sibi a nobis tempus cum mediantibus nobis cum fra- B tre jure pacisceretur, præripiens, quantum in se fuit, per vestram negligentiam sive condescensionis audaciam, fratris absentis regnum pervasit, ac per hoc totius ecclesiæ Dei pulchritudinem maculavit, pacem corrupit, religionem fugavit, & ut cum Terentio compendiose dicamus, dum in alieno bonorum extortor & legum contortor apparuit, cunctis criminibus licentiam relaxavit. Nos etenim, quamvis illum, quem interim filiolitatis amore complectimur, oppido reprehensibilem non negemus, vos tamen multo reprehensibiliores agnoscimus, qui in illis partibus sacerdotali magisterio præditi, & apostolatus nostri recentibus monitis instituti, C dum ex officio vestro restitisse libere nunquam videmini, procul dubio consensisse probamus, & vos qui pastores dicimini, gregem vobis creditum quia non retraxistis, utique ad præcipitium provocastis. Et ubi est, quæsumus, quod vicem Christi in ecclesia fungimur, si pro Christo contra insolentiam principum non luctamur; præsertim cum secundum apostolum non *Ephes. 6.* sit nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates? Ubi est quod episcopi dicimur, si de sublimibus ecclesiasticæ discretionis speculis gladium venientem non cernimus, cernentes ut devitetur annuntiare diffugimus? Enimvero sacerdotes D non ad gratiam, sed ad pompam immerito dici cognoscimur, si quos docere debuimus sequi contendimus, si quos corrigere debuimus, saltem verbis pastoralibus non terremus. Hinc dominus per Isaiam prophetam sacerdotum taciturnitates increpat dicens: *Canes muti, non valentes latrare.* *Isai. 56.* Hinc per Ezechielem sacerdotum negligentias arguit dicens: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die domini.* *Ezech. 13.* Ex adverso quippe ascendere est, pro defensione gregis libera voce hujus mundi potestatibus contraire: & in die domini in prælio stare est, pravis decertantibus ex justitiæ amore resistere. E Quod rursum per eumdem prophetam deterret inquiens: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram.* *Ezech. 3.* Quid ad hæc dicemus, fratres? Forsitan ideo vos excusabiles creditis, quia regem non arguendum dicitis, sed monendum. Ad hæc apostolica tuba respondet: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* *Actor. 5.* & Paulus Timotheo: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* *2. Tim. 4.* Item Tito: *Divitibus hujus sæculi præcipe non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum suarum.* *2. Tim. 6.* Aut persecutionem quamlibet præcavistis. Sed a domino jussum est ita: *Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Aut mortem, quæ cunctis ultima pœna est,

est, timuistis. Sed idem redemptor noster in euangelio nos hortatus est dicens: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* (Matth. 10.) Verum quia nihil horum, quia nec inferendum vobis ab aliquo fuerat, timuistis, restat procul dubio, quia non solum secundum prohibitionem sedis apostolicæ compatriotas vestros ab invasione regni alterius sacerdotaliter non vetuistis, imo cupiditati eorum vestri favoris conniventiam sociantes, quasi pulvillos sub cubito eorum manuum consuistis, & illud Væ vobis propheticum maturastis, quo dicitur: (Ezech. 13.) *Væ his qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Quasi enim pulvillo cubitus: vel cervicalibus caput jacentis excipitur, dum correctionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla contradictionis asperitas pulsat. Sed hæc rectores qui semetipsos diligunt, his procul dubio, juxta quod beatus prædecessor noster Gregorius meminit, exhibent, a quibus se minus posse studio gloriæ temporalis timent. Quid igitur, fratres, si tamen adhuc fratres dici meremini, qui sedis apostolicæ salubria monita contemnentes pro Christo legatione functi non estis, vobis agendum est, nisi ut tandem aliquando, cum sancta sede apostolica sentientes, tam dilectum filium nostrum Hludovicum regem vestrum, quem paternis affectibus adhuc complectendum decernimus, quam cunctos illius regni subditos, voce libera moneatis, & ab invasione sive oppressione imperii dilecti filii nostri Caroli semper Augusti penitus compescatis? nunquamque de reliquo, sive blandimentis, sive terroribus, consensum quemlibet favoremve præstetis ad funestum prælium conserendum, & Christianorum sanguinem profundendum, si non vultis, amissis sacerdotalibus infulis, ab apostolica communione præsentialiter sequestrari, & perpetuis anathematis vinculis, quod nunquam cupimus, obligari? Nam cujuscumque sit gradus, ordinis, sublimitatis, sive professionis, qui cum præsentibus legatis nostris, Ioanne Siculensi, itemque Ioanne Tuscanensi, venerabilibus episcopis, quos vice nostra illas in partes ad examinanda simulque diffinienda canonice sive legaliter, quæ hoc anno inter utrosque emersere negotia, convenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum Petri & Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps noverit denegari. nec amodo communionis nostræ, ut verbis sanctissimi nostri prædecessoris utamur, futurum esse consortem, quisquis esse noluerit disciplinæ. Optamus sanctitatem vestram sedis apostolicæ monitis obsequentem semper in Christo bene valere. *Recitata in synodo Pontigonensi.*

CCCXVI. AD COMITES IN REGNO LUDOVICI REGIS BAIOARIÆ constitutos.

Arguit eos, quod Caroli regnum pervadere tentarint; monetque ut Ludovicum regem ab ea mente revocent, & ut legatis, quos mittit, satisfacere non detrectent.

A *Ioannes episcopus servus servorum Dei, omnibus gloriosis comitibus in regno Hludovici regis Baioariæ constitutis.*

MINISTERII nostri est, universalis ecclesiæ Dei sollicitudinem, secundum beati Pauli apostoli sententiam, circumferre, & quid in qualibet mundi parte congruat, sive non congruat, censoria gravitate depromere: quatinus oves dominicæ, quæ vocem pastoralis nostræ sollicitudinis cognoscentes, pastorum principem humiliter audiunt, in ovile dominicum recognitæ collocentur, & oves morbidæ, quæ pervicaciter negligunt, ab ovili domini- B co, ne sanas vicini pecoris contagio lædat, quia nimirum multa corporibus transitione nocent, per apostolicæ auctoritatis ministerium repellantur. Scriptum quippe est: *Si separaveris carum a vili, quasi os meum eris.* (Ierem. 15.) & iterum: *Auferte malum de medio vestri.* & dominus in euangelio præcipit, ut si oculus, pes, vel manus scandalum nobis generat, abscidatur atque projiciatur. (Matth. 5.) & illud post alia: *Si ecclesiam non audierit, sit sicut ethnicus & publicanus.* (Matth. 18.) Item apostolus: *Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo.* (2. Thess. 3.) Quibus testimoniis evidentissime provocamur, ut vos, quos contemptis apostolicæ C sedis epistolis, regnum dilecti filii nostri Caroli Christianissimi imperatoris, contra interdictum nostrum, imo contra Dei omnipotentis timorem, pervadere, sicut audivimus, pacemque sanctæ Dei ecclesiæ corrumpere tentavistis, a corpore totius ejusdem ecclesiæ, quam per antecessores nostros, perque nosmetipsos, vos suis epistolis commonentem audire hactenus noluistis, sequestrari præsentialiter debeatis. Sed quoniam sanctæ sedis apostolicæ miseratio vos interim filiorum dilectione complectitur, & dissimulare peccata vestra magis quam punire velle cognoscitur, has iterum caritati vestræ sanctæ Dei ecclesiæ literas destina- D mus, hortantesque instamus, ut divini judicii memores, & fraterni fœderis recordantes, imminentemque vestræ vocationis diem ultimum præcaventes, fraudem diabolicam, per quam mors introivit in orbem terrarum, effugiatis: discordiam, quæ nutrix est cunctorum criminum, quasi venenum pestiferum declinetis: ne similes ei efficiamini, de quo Salomon ait; *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & in omni tempore jurgia seminat.* (Prov. 6.) Pacem & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, diligatis. quoniam sicut pacifici sunt a domino non so- E lum beati, sed etiam filii Dei vocati: ita satanæ sunt filii, qui pacem confundunt. Nam discordes tamdiu nullum boni operis Deo sacrificium immolant, quamdiu a proximorum caritate discordant. Vnde per Matthæum præcipitur: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.* (Matth. 5.) In qua dominica præceptione pensandum est, quorum hostia respuitur, quorum intolerabilis culpa monstratur. Cum enim mala præterita bonis operibus diluantur, pensare debetis, o prudentissimi comites, quanta sunt mala discordiæ, quæ nisi extincta

extincta fuerint, bonum sacrificii subsequi non permittunt. Quis itaque, dilectissimi, vos ad tantæ discordiæ crimina, nisi antiquus humani generis adversarius, provocavit? qui ex angelo factus apostata bonæ messi semper zizania superseminare laborat. De cujus aviditate per apostolum dicitur: *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* Et certe fides sine operibus mortua est. & beatus Paulus, collatis multis virtutibus, caritatem, quæ multitudinem peccatorum operit, prætulit dicens: *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur:* & infra: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc, major autem his est caritas.* Vnde bene per Ioannem dicitur: *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Constat ergo quia qui in Deo non manet, in diabolo manet, cujus membra sunt omnes qui jurgia seminant, & ecclesiasticam disciplinam recusant, quibus veraciter dicitur: *Vos ex patre diabolo estis.* Qui videlicet Caroli virtutibus ab ineuntis ætatis principiis invidens, ejusque religiosum propositum longius propagari pavescens, multis adversitatibus lacessivit: fideles ejus frequentissime rebellare suasit, in bello contra Northmannos pro ecclesiæ Dei liberatione pugnanti, eosque usque ad ultimam deditionem compellere satagenti, senioris vestri, parentum quoque, sive vestrum animum ad invasionem relicti ejus imperii, sicut & modo fecisse dignoscitur, suscitavit. Ipsos familiares, ipsum postremo filium, ad ejus exterminium hostiliter provocavit: & ne quando ad imperium, quod ei constat non humano collatum beneficio, licet per nostræ mediocritatis ministerium, sed divino, pertingere potuisset, tota fraudulentiæ suæ virtute prohibuit, tota consilii sui versutia debellare certavit Sed Deus omnipotens, cujus providentia permutabilium rerum principes totius mundi latitudo gubernatur & regitur, hunc flagellis erudiri frequentibus voluit, deprimi penitus, sicut a vobis crebro probatum est, nunquam permisit. ut scilicet futurus imperator in regni potestate disceret, quantum timere dominum in prosperis, quantum in adversis Deo confidere debuisset. Et quidem reprehensibilis esset, si metas sui regni ingrediens fines alterius usurpasset, si fideles alterius solicitans, ad perjurium, sicut vos fecisse probamini, compulisset, si pacem regni, sicut vos facitis, temerasset. Nunc vero, cum divinitus præscitus & prædestinatus, non a semetipso, sed ab ecclesiæ Dei filiis invitatus advenerit, sine sanguine, sola sua benevolentia hujus Italiæ fortissimos sibi duces devinxerit, angelico munere vias suas per invia loca directas inspexerit, frustratis insidiis ei compositis divinitus liberatum se senserit, paludes invias sibi pervias factas invenerit, vada profundorum fluminum, velut alter dux Israeliticus, exercitibus suis pene sicca repererit, miramur & obstupescimus, cur eum a domino prælatum non intelligitis vos, qui sensibiles estis, quem elementa insensibilia sensisse videntur. Miramur & obstupescimus, cur parricidalia contra eum arma sustollitis, quem ab ipsa sua infantia multis adversitatibus fatigatum vidistis, superatum vero protegente domino minime cognovistis. Miramur, inquam, & obstupescimus, cur eum, quem obedientiæ suæ merito vobis divinitus prælatum cognoscitis, non sicut revera imitabilem sequimini, sed sicut detestabilem, quantum in vobis est, persequi laboratis. Cum si exemplo illius obedientiæ vos sancta sedes apostolica sibi aliquoties devotiores cognosceret, benedictionis suæ vos & in hoc sæculo gratia debriaret, & in futuro ad hereditatem regni cælestis admitti suis continuis precibus impetraret. Sed quando sanctæ sedi apostolicæ debitam vos obedientiam servaturos putabimus, quos contra Dei omnipotentis ordinationem tam manifestis indiciis rebellare videmus? Neque enim contra Carolum est murmur vestrum, sed contra dominum, cujus est regnum, & cui voluerit ipse dat illud, qui etiam per Salomonem dicit: *Per me reges regnant.* item per doctorem gentium testatur dicens: *Non est potestas, nisi a Deo.* & iterum: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Redite igitur prævaricatores ad cor, & quia mors non tardat, nolite differre de die in diem. Nolite socialia bella committere: nolite parricidales gladios in perniciem vestri sustollere. Nolite Fontanicum detestabile prælium revocare. quia sicut qui pro ecclesiæ Dei defensione moritur, suo sanguine coronatur: ita qui contra Dei ecclesiam pugnans ut refuga Christianitatis perimitur, procul dubio condemnatur. Nolite, carissimi, pro brevibus vitæ commodis æternæ remunerationis vobis januam claudere. Nolite pro rebus transitoriis æternorum bonorum commoda præterire. Quia juxta beati Marci sententiam, *nihil prodest homini si lucretur totum mundum, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* Hujus rei gratia generalitatem vestram, quam paterno affectu complecti volumus, his apostolicæ auctoritatis literis identidem hortamur ac obtestamur, ut tandem aliquando nobiscum pariter sentientes, tam dilectum nostrum Hludovicum gloriosum regem vestrum, (si tamen filius dici meretur, qui apostolicæ sedis monitis semper inobedientissimus extitit, si gloriosus dici debet, qui adhuc in senectute decrepita Christiani sanguinis effusionem desiderat, si rex dici debet, qui neque vos, neque semetipsum regere valuit, quominus absentis fratris regni pacem corrumperet,) quam cunctos vestri regni homines, voce libera moneatis, & ab invasione sive oppressione imperii dilecti filii nostri Caroli semper Augusti funditus retrahatis: nunquamque de reliquo, sive blandimentis, sive terroribus, assensum quemlibet, favoremve præstetis ad funestum prælium inferendum, & Christianorum sanguinem, quod dominus averterit, effundendum. Nam cujuscumque sit sublimitatis, dignitatisve persona, quæ præsentibus legatis nostris, Ioanne Siculensi, itemque Ioanne Tuscanensi, venerabilibus episcopis, quos vice nostra illas in partes, ad examinanda simulque diffinienda canonice, sive legaliter, quæ hoc anno inter utrosque fratres emersere negotia, convenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum principum Petri & Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps noverit denegari, nec amodo communionis nostræ futurum fore consortem, qui socius esse noluerit disciplinæ. Optamus gloriam vestram apostolicis monitis obsequentem semper in Christo bene valere.

1. Petr. 5. — 1. Cor. 13. — 1. Ioan. 4. — Ioan. 8. — Prov. 8. — Rom. 13. — Matth. 8.

CCCXVII.

CCCXVII. AD EPISCOPOS ET COMITES IN REGNO CAROLI constitutos.

Laudat illos, quod in fide constantes erga Carolum perstiterint: & de legatis, quos ad componenda dissidia mittebat in Galliam.

BENEDICTUS Deus & Pater domini nostri Iesu Christi, qui vestræ sinceritatis fideique constantiam duriorem, ut ita dixerimus, adamante erga fidelitatem invictissimi principis domni Caroli spiritalis filii nostri, semperque Augusti, hactenus non indebite fecit persistere, & quanti caloris in vobis caritas vigeat, dono gratiæ largitatis suæ clarius demonstravit: quatenus notam faceret gentibus virtutem gloriæ suæ, & divitias bonitatis suæ, ad profectum fidelium, & ad correctionem infidelium, omnibus revelaret. Ostendistis enim, carissimi, quantum sit erga pacis & concordiæ cultum vestræ benevolentiæ benignus affectus, & implestis opere quod ipse a vobis exigit Christus, dicens in euangelio: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* & apostolus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Vnde noster apostolatus immensæ lætitiæ repletus tripudio, primum quidem Deo omnipotenti sufficientes ac laudes debitas, quia nihil sine eo facere possumus, retulit, & vobis, qui studiose tanto imperatori fidem immaculatam servastis, multimodas gratiarum actiones agere, dignisque vos efferre laudibus non omittit. Siquidem, dilectissimi, satis vobis prudenter consuluistis, quando aliis, quod flentes dicimus, vel sponte, vel callide ac fraudulenter deceptis, vos, sicut diximus, fidei calore utentes, & Deum præ oculis habentes, noluistis iniquorum vel tyrannorum fascibus onerari vel maculari. Quin potius restitistis, pravitatibus eorum non consensistis, & peccatis alienis minime communicastis. Idcirco libere dicere valebitis: Non adhæsit mihi cor pravum: quoniam nulla pars fidelis cum infideli, Christi ad Belial, justitiæ ad iniquitatem, vel lucis ad tenebras. Ergo, quia ita est, state in fide, & viriliter agite, seniorique vestro domino imperatori fidem specialiter repromissam, sicut cœpistis, inconvulsam servate, & in melius confortati ejusdem honori seu profectui providete: ac ne pro temporalibus æterna, pro corporalibus spiritalia, pro terrenis cælestia gaudia amittatis summopere decertate; scientes quia adjuvante illo qui dicit: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, & posse vobis cælitus dabitur, & perseverantia tribuetur: opeque summæ divinitatis vestrum cor confortabitur, imo & ad omnes inimicorum insidias reprimendas confortabit dominus mentes vestras in caritate & gratia, & tuebitur vos in sæcula sæculorum: ut iterum atque iterum benedicatur dominus & Pater domini nostri Iesu Christi, & a nostro pontificatu, imo ab universis Christi fidelibus, vobis innumeræ gratiæ referantur. Porro, si qui adhuc, quod minime credimus, in aliquo læsi quicumque vestrum reperti fuerunt, hortamur ut resipiscant, & dignam emendationem se corrigendo exhibeant. Nam cujuscumque sit sublimitatis, dignitatis, vel ordinis, qui cum præsentibus legatis nostris, Ioanne videlicet & Ioanne venerabilibus episcopis, dilectis quoque familiaribus nostris, quos vice nostra illas in partes ad examinanda, simulque diffinienda canonice, sive legaliter, quæ hoc anno inter utrosque fratres emersere negotia, convenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum principum Petri & Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps noverit denegari, nec amodo communionis nostræ futurum fore consortem, qui socius esse noluerit disciplinæ. Optamus sanctitatem vel gloriam vestram in Christo bene valere. Data XIII. Kalendas Martias, indictione IX. *Recitata in synodo Pontigonensi.*

Matth. 7. Iacob. 10. Matth. 10.

CCCXVIII. AD EPISCOPOS, QUI A CAROLO DESCISCENTES, Ludovico regi adhæserant.

Increpat eorum infidelitatem, monetque ut resipiscant, ac legatos a sede apostolica missos benigne suscipiant.

I RELATIONE vera didicimus, quod dilecto ac spiritali filio nostro Carolo gloriosissimo imperatore Augusto, seniore vestro, ad limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli principum veniente, ibique, ut Christianissimum decet ecclesiæ Christi patronum, vota sua prisco jam tempore præoptata domino Deo humiliter exolvente, Augustaleque diadema, sibi divinitus sine dubio collatum, per humilitatis nostræ ministerium accipiente, fratri ejus, Hludovico scilicet regi, si tamen rex jure dici debeat, qui mentis suæ motus in abruptum impietatis cadentes non rexit, in regnum ipsius collecta populi nefandi multitudine intranti, & Paganorum more ecclesiam Dei, populum videlicet pretioso Christi cruore redemptum, in pace positum conturbanti, relictis vestris concivibus atque sodalibus, qui Deo & seniori suo fideles procul dubio esse videntur, hærere, atque cum eo adversus dominum, gentem, & populum vestrum, ab statu vestræ fidelitatis, & promissione divinorum sacramentorum, contra sacri ministerii vestri officium, & contra sponsionis ac fidei vestræ jusjurandum, arma cum hostibus elevare, pariterque nefanda & impia committere præsumpsistis. Heu pro dolor! quare tantæ iniquitatis scelus sponte committere, quare tantæ infidelitatis malum mundo universo, sicut Iudæ Iscariotæ, execrabile in exemplum ostendere non dubitastis? Quæ gens hoc audens vos non odiat? quod regnum vos exosos fore non judicet? quando etiam gentibus, quæ Deum verum utique ignorant, tale committere nefas videtur incongruum. Quarum pro terrenis lucris vel minis eos, quos societate & unanimitate vestra defendere, salvareque ut vosmet debuistis, appetere, & cum inimicis persequi non contempsistis? cum dicente domino, *majorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis*, in quo scilicet vos eam, quæ per dilectionem operatur, caritatem, sine qua impossibile est placere Deo, in qua totam legem & prophetas pendere scimus, nullatenus constet habuisse, qum potius Cain fratricidam diu mente gessisse. Nonne lux mundi, & sal terræ, Veritate attestante, vos estis, qui verbis pariter & exemplis, quasi luminaria mundo lucere omnibus, atque insulsas hominum mentes sapientiæ cælestis sale condire instantissime debetis? Nonne vos posuit Spiritus sanctus

Ioan. 15.

A ſanctus epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo? Nonne magis veſtrum erat docere populum, non autem in tam perverſis rebus aſſenſum præbere? Dolemus itaque de vobis, quaſi de membris corporis Chriſti, dicentes cum propheta: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, ſenſus cordis mei turbati ſunt.* & iterum: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plangam populum iſtum die ac nocte?* Quapropter monemus, hortamur, & ſaluti veſtræ volentes pro affectu conſulere magnopere ſuademus, ut reſipiſcentes, tantæ iniquitatis auctore ſceleſto relicto, ad Deo dilectum imperatorem ſeniorem veſtrum Auguſtum toto animo fidelique voluntate reverti, ac deinceps ei B fideliores exiſtere omnibus modis procuretis. Nam veſtrum erat pacem annuntiare his qui prope & his qui longe ſunt, dicente domino: *Supra montem excelſum aſcende tu qui evangelizas Sion. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* veſtrumque erat annuntiare populo ſcelera & peccata ſua, ne ſanguis eorum de manu veſtra a domino requiratur, non, ut dictum eſt, ſequi. Et ideo contaminati eſtis ſecundum prophetam dicentem: *Væ quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* & communicantes pravis eorum ſceleribus, infructuoſiſque operibus vos reprehenſibiles oſtendiſtis. Tamen quia ſci- C mus procul dubio late patere viſcera pietatis Dei, revertimini, & nolite de cetero jugum cum infidelibus ducere. Nolite amplius imitari eos, qui pacis ſanctæ fœdera violant, unitatem dividunt, & in agro dominico zizania ſuperſeminare ad propriam infelicitatem præſumunt. Revertimini & ſectamini chariſmata meliora, nec iterum antiqui hoſtis verſutiis pareatis: ſed ſicut Dei miniſtri, domini præcepta ſequentes, in omnibus cum jam dicto imperatore cariſſimo filio noſtro perfecte ſtare ſatagite. Quia ſi cum præfato rege Hludovico, vel aliquo filiorum ejus, ad ſcandalum & regni perturbationem manere, aut eis aliquod adjutorium modo quolibet præ- D bere tentaveritis, & non potius ad eumdem dilectum filium noſtrum Cæſarem Auguſtum certiſſime redieritis, atque cum eo adverſus ejus inimicos viribus totis fideliter non ſteteritis, ſcitote vos per auctoritatis noſtræ legatos anathemati ſubmittendos. Præſentes autem miſſos noſtros, Ioannem videlicet & Ioannem venerabiles epiſcopos, dilectoſque familiares noſtros, benigne admittite, injunctam ſibi legationem intelligenter audite, & efficaciter obaudite. ut in hoc quam vere ſitis filii pacis cunctis detur intelligi, & neminem poſſit latere mortalium. Pro Chriſto enim, qui eſt pax noſtra, legatio- E ne funguntur, cum procul dubio a ſede apoſtolica pro pace mittuntur. Optamus vos in Chriſto nunc & ſemper bene valere. *Recitata in ſynodo Pontigonenſi.*

Ierem. 4.

Ier. 9.

Iſaia. 40.

Iſai. 6.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Relatione vera.*] Eorum qui tunc a Carolo deſcivere princeps fuit, Aimoino teſte, Ingelramnus nuper camerarius, regique intimus, nunc Ludovico Germaniæ regi auctor fraterni regni invadendi. De his ergo ᵃAimoinus idem lib. v. cap. XXXII. *Ad obſiſtendum*, inquit, *Ludovico primores regni Caroli, jubente Richilde regina, ſacramento ſe confirmaverunt, quod non ſervaverunt: ſed ex ſua parte regnum Caroli peſſumdantes hoſtili more devaſtavere. Similiter & Ludovicus cum ſuo exercitu idem regnum peſſumdedit.*

ᵃ Imo ejus cõtinuatur ex annalibus Bertinianis ad an. 875.

CCCXIX. AD UNIVERSOS GALLOS ET GERMANOS.

De damnatione Formoſi epiſcopi, Gregorii nomenclatoris, & aliorum, qui Romæ in ſynodo fuerant excommunicati.

Ioannes ſervus ſervorum Dei reverentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, ſacerdotibus, cunctiſque judicibus, & univerſo populo, per omnes Gallias & Germanias conſtitutis.

ZELO Chriſtianæ religionis eccleſia Dei quæ penes nos eſt, inſtinctuque dilecti filii noſtri ſereniſſimi imperatoris, imo ſpiramine Spiritus ſancti commonita, pro diverſis eccleſiæ Dei referendis incommodis, contra Gregorium nomenculatorem, & Georgium generum ejus, duo ſcilicet iniquitatis vaſa contra excelſi Dei religionem pugnantia, tam præterito menſe Februario præſentis nonæ indictionis, per Petrum venerabilem Foroſempronienſem epiſcopum penes præfatum ſpiritalem filium lacrymabilem ſuggeſtionem depoſuit; quam noſtram quoque pontificalem ſuggeſtionem pridie Kalendas Aprilis die contra eoſdem per ſemetipſam offerre curavit. Quapropter nos per Zachariam & Gaidericum venerabiles epiſcopos, & Chriſtophorum ſedis apoſtolicæ primicerium, eis ſuggeſtionum conteſtationem emiſimus, admonentes atque jubentes, ut ſi aliquid de conſcientiæ ſuæ puritate confiderent, ad condictum venire ſtuderent examen. At illi mollibus ſermonibus, & exquiſitis adinventionibus, ſe quidem venturos, & ad voluntatem noſtram cuncta ſe emendaturos dixerunt: ſed de die in diem ſub obtentu ægritudinis tamdiu judicii diem diſtulerunt, donec aut nos cum fidelibus eccleſiæ Dei potuiſſent perimere, aut Sarracenos, quos jam per ſuos familiariſſimos æque Sarracenos invitaverant, in Romanam urbem ad perditionem omnium intromittere valuiſſent. Cumque nos contra utramque fraudem juvante domino præparatos vidiſſent, & imminere ſibi judicii ſtatutum diem cognoſcerent, decepti ſe cum quibuſdam ſuis complicibus, videlicet Formoſo epiſcopo, Stephano ſecundicerio, & Sergio magiſtro militum, & Conſtantino nomenculatoris filio, quos non noſtræ conventionis judicium, ſed reatus propriæ conſcientiæ ſtimulabat, contra ſalutem reipublicæ & regni dilecti filii noſtri Caroli ſereniſſimi principis, cui ſemper infideles fuerunt, & cujus provectioni ſemper detraxerunt, conſpirantes, neſcimus quo profecturi, noctis ſilentio cum adulterinis clavibus portas urbis, quæ vocatur ſancti Pancratii, aperuerunt, & cum ſuis complicibus, cumque omnibus theſauris ſanctæ Dei eccleſiæ, Sarracenis undique populantibus, diffugerunt: portaſque patentes relinquentes, multis margaritis fugiendi, & Sarracenis ingrediendi aditum, niſi nos divina cuſtodia tueretur, procul dubio reliquerunt. Itaque obſtupeſcentes in talibus, Dominicum & Grimoldum venerabiles epiſcopos ad evocandum eos direximus. Qui revertentes nuntiaverunt ſibi a ſatellitibus ſuis fuiſſe reſponſum, neſcire ſe quonam profecti fuiſſent. Iudicio ſane in diem alterum protelato, cum eos iterum ſynodice ſimulque & legaliter quæreremus, & habere minime valeremus,

remus, cum omni Dei ecclesia in basilica sanctæ Dei genitricis, quæ ad martyres vocatur, synodum vocavimus. & post regulares allocutiones, sententias in eos protulimus, quarum exempla secundum ecclesiasticum morem generalitati vestræ direximus, ne vobis communicandi cum eis occasionis aditus tribuatur. Quæ scilicet sententia ita se habet: Formosum Portuensem episcopum, qui a beatæ memoriæ domno prædecessore nostro papa Nicolao in Bulgarorum patriam destinatus, noviter in Christo regenerati regis animos adeo suis calliditatibus vitiavit, ut terribilibus sacramentis eum sibi obstrinxisse testatus sit, ne se vivo quemlibet episcopum a sede apostolica susceppisset, seque eidem terribilibus nihilo minus juramentis, ut ad eum quantocius reverti debuisset, obstrictum fuisse professus sit, quique a nobis proficiscendi illuc licentiam, literas & necessaria adjutoria impetravit: quoniam jamdudum per ambitionem a minori ecclesia in majorem, videlicet sanctam sedem apostolicam, prosilire conatus, plurimos sibi consolatores effecit, & nunc per repertam hypocrisin retrorsum rediens, sine licentia vel conscientia nostra, propriam parœciam deseruit, urbe discessit, & contra salutem reipublicæ dilectique filii nostri Caroli a nobis electi & ordinati principis, cum suis fautoribus conspiravit: nisi amodo intra diem decimum, id est III. Kalendas Maii præsentis nonæ indictionis, præsentiam suam nobis satisfaciendo monstraverit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctoque apostolorum principum Petri & Pauli, omni ecclesiastica communione privatum esse decernimus. Decernitis & vos ita? Responderunt omnes: Decernimus. & nisi post diem decimumquintum, id est IV. Nonas Maii præsentis IX. indictionis, resipiscens satisfacturus nobis occurrerit, auctoritate & judicio sancti Spiritus qui semper effugiet fictum, omni sacerdotali ministerio penitus denudatum fore judicamus. Iudicatis & vos ita? Responderunt omnes: Iudicamus. Qui si nec hujus dilationis miseratione commotus, humiliter se post diem XX. id est VII. Idus ejusdem Maii mensis, præsentiæ nostræ reddiderit, vel si in ecclesia Dei in aliquo conturbare præsumpserit, si contra hanc communem omnium nostrum sententiam agere vel resultare tentaverit, anathema sit a Patre, & Filio, & Spiritu sancto, nunquamque in ulla synodo recuperationis spem, aut satisfactionis aditum sibi noverit reservatum. Gregorium nomenculatorem, Theophylacti quondam nomenculatoris filium, qui jusjurandum fidei suæ diverso modo corrumpens, puritatem sanctæ Dei ecclesiæ suis fraudulentiis, avaritiis, rapinis, cupiditatibus, simulque calliditatibus, per octo ferme annorum curricula maculans, summum Romanæ urbis pontificium, conjurantibus sibi dudum suis complicibus, factiose præripere affectavit; & de multis palam recitatis capitulis, tam primo penes dilectum filium nostrum Carolum serenissimum imperatorem, quam postea penes nos ad generalitatem sanctæ Dei ecclesiæ, per nonnulla suggestionum capitula noxius diffamatur, & pro eisdem criminibus a nobis per Zachariam & Gaudericum venerabiles episcopos, & Christophorum primicerium sanctæ sedis apostolicæ, cum fratre & genero, suisque complicibus, juridice contestatus, examini se

A præsentandum fore & cuncta, quæ ecclesiis, vel piis locis, aliisque hominibus abstulerat, sub jurisjurandi interpositione restiturum promisit: deinde conventum nostrum de die in diem fraudulenter, (usquequo nos vel fideles hujus ecclesiæ interimere, vel hostes Christiani nominis, id est, Sarracenos, quos per suos familiarissimos Sarracenos, jam invitaverat, intra Romanam urbem introducere potuisset,) elusit: & præfinitum diem, quo canonice sive legaliter audiri debuisset, fraudulenter præripiens, cum Georgio & Sergio magistris militum, nec non & Stephano secundicerio, aliisque suis complicibus, nocturno silentio portas hujus sacræ ur-
B bis, Sarracenis circumquaque imminentibus, cum clavibus adulterinis aperuit, seque contra salutem reipublicæ simulque quietem imperii præfati filii nostri serenissimi Augusti, contra leges conspirando, fraudulenter proripuit, & cum omnibus pene thesauris ecclesiæ Romanæ, dubium quo profecturus excessit Simulque Stephanum secundicerium, qui diversas ecclesias spolians per avaritiam, turpisque lucri compendia, tributa vetera multiplicavit, & in omnibus perversitatibus superius nominatis fratri complex & consentaneus extitit. Necnon & Georgium Gregorii primicerii filium, qui germani proprii concubinam subripiens, eum ve-
C neno necavit: deinde post execrabiles Christianis incestus, vivente nepte sanctissimæ recordationis Benedicti papæ, cujus opibus de paupertate surrexerat, præfati nomenculatoris Gregorii filiæ se fornicario more commiscuit. propter quam pene publice jam dictam legitimam uxorem peremit. De cujus homicidio, a principibus adulterinos missos eruens, adjudicante conscio socero nefandus gener impunitus exiliit. Quique post diversa homicidia, deprædationis & malignitatis genera, tam patriarchium, quam vestiarium sedis apostolicæ sibi commissum, non tantum auro, argento, vel palliis, verum etiam æreis signis, vasisque privavit: &
D in omnibus impietatibus socerum sequens, imo prævemens, Sarracenis undique sævientibus, portas urbis cum eo fraudulenter aperuit, & cum sibi conspirantibus contra salutem reipublicæ demigravit. Simulque Sergium magistrum militum, Theodori magistri militum filium, qui reverendæ memoriæ domno Nicolao, cujus neptem in conjugium suscipiens, ita ingratus ac inhumanus extiterat, ut vivente eo, & in extremis posito, eidem thesauros suos ad eleemosynas faciendum cum præfatis suis complicibus abnegasset. Quique eadem sua conjuge, propter quam de maxima paupertate convaluerat, derelicta, cum Valuisindula concubi-
E na, præstito jurejurando ut eam nuptialiter sumeret, nuper effugit, & in omnibus iniquitatibus cum nominatis suis complicibus conspiravit. Sed & Constantinam præfati Gregorii nomenculatoris filiam, quæ primo per consensum patris, sub conditione jurisjurandi, legaliter Cessario Pipini potentissimi vestararii filio copulata, deın consumptis omnibus soceri sui divitiis, viventem & valentem sponsum suum sine ulla legali disquisitione deseruit, & ad Gratiani Gregorii magistri militum filii nuptias publice convolavit: postremum cum alio fugere gestiens incestum commisit, ex quo prægnans inventa prædictum Gratianum Gregorii filium maritum suum relinquens, cum rapacibus, perjuris, sacri-

facrilegis, mœchis, fornicatoribus turpiter fornicatura discessit. Nisi intra diem decimum, id est III. Kalendas Maii præsentis nonæ indictionis, præsentiam suam nobis præfati, videlicet Gregorius, Stephanus, Georgius & Sergius, simulque Constantina, congrue satisfacientes exhibuerint, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum principum Petri & Pauli omni Christiana communione privatos, cum omnibus communicatoribus & fautoribus suis permanere decernimus. Et nisi post diem quintumdecimum, id est IV. Nonas Maii jam dictæ præsentis indictionis, simpliciter & humiliter nobis, imo ecclesiæ Dei, sæpedicti scilicet Gregorius, Stephanus, Georgius, Sergius, & Constantina, purificaturi occurrerint, eos auctoritate & judicio S. Spiritus, cum cunctis sibi communicantibus, perpetuo anathemate condemnamus. Hi vero qui ab omni se societate removentes ad unitatem sanctæ apostolicæ sedis redierint, communionis & benedictionis nostræ gratiam sibi reddendam esse confidant. His itaque auctoritate sancti Spiritus promulgatis, omnium vestrum generalitatem his apostolicis literis exhortamur, ut has literas per omnes diœceses vestras publice relegentes, & ad vicinas parœcias dirigentes, præfatorum depositorum, excommunicatorum, & anathematizatorum consortia, quasi venenum pestiferum declinetis: neque cum eis communicantibus in cibo, potu, sive colloquio communicetis. scientes eumqui eis, sivec ōmunicantibus eis, se in oratione, cibo, potu colloquio quemiscuerit, eadem excommunicationis & anathematis censura juxta canonicum capitulum modis omnibus obligatum, nunquamque a nobis sine digna satisfactionis pœnitētia sibi fore communicandum. Optamus sanctitatem vestram in Christo nunc & semper bene valere. Data XI. Kalendas Maii. *Recitata in synodo Pontigonensi.*

[a] CCCXX. IOANNIS PAPÆ VIII. NOMINE SCRIPTA AD PHOTIUM.

De processione Spiritus sancti.

Joannes episcopus servus servorum Dei, Photio reverendissimo & catholico fratri patriarchæ Constantinopolitano, gratiam desuper ad opera salutarem.

NON ignoramus quod nonnulli eorum, qui apud vos sunt pacis parum studiosi de nostra ecclesia & de nobis ipsis, veritate neglecta, male loquuntur. Resque eo progressa est, ut parum absit, quin tua fraternitas de nobis, & de iis qui nobis sunt subditi, male sentiat. Et illi quidem nacti sunt occasionem sicut etiam ego ipse affirmarem hujusmodi proposito satis congruam, veritas tamen ipsa, uti se habet, nullo pacto est adulterata, neque vitiata, ut procedens sermo rem manifestam faciet, & Deus hoc ipsum nobis suo testimonio desuper confirmabit. Verum illi instar eorum, qui vinum aqua miscent & adulterantur, nonnulla a seipsis falsa fingentes & excogitantes adhibent. Oportet enim ut dæmon qui ab initio mali opifex fuit & inter nos & Deum inimicitias posuit, ac deinde nostrum primum parentem a Dei amore separavit, & creatori suo inimicum illum constituit, etiam nunc aliquos habeat sui ministros & hos ipsos impellat, ut inter ecclesias scandalum aliquod concitent.

A Ego vero ad Deum potius auctorem & largitorem oculos dirigens, qui inimicitias etiam in cruce sua morti tradidit, pro viribus illorum hominum qui malis delectantur, ora obstruere contendo. Et hac de causa etiam antequam tua fraternitas aliquid mihi significet, hæc tibi manifesta facere decrevi, ut de rebus nostris satis edoctus, aures minus præbeas iis, qui contendere & convitiari student: sed ipsos rejicias potius & respuas, efficias præterea, ut alii eorum verbis fidem non adhibeant.

Novit etiam tua fraternitas, quod cum nuper ad nos accessit qui a te missus est, & de sancto symbolo nos consuluit, quomodo invenit B nos illud inconcussum, sicut nobis ab initio traditum est, conservare, neque aliquid addidisse, vel detraxisse, cum recte noverimus, quod eos qui talia facere audent gravis condemnatio expectat. Reverentiæ itaque tuæ iterum significamus, ut de hac additione in symbolo (ex Filio scilicet) tibi satisfacimus, quod non solum hoc non dicimus, sed etiam quod eos qui principio hoc dicere sua insania ausi sunt, quasi transgressores divini verbi condemnamus, sicut theologiæ Christi domini eversores, & sanctorum pontificum, & reliquorum sanctorum patrum qui synodice convenientes sanctum symbolum nobis tradiderunt, & una cum Iuda illos col- C locamus, quod eadem ipsa quæ ille patrare non sunt veriti; non quia dominicum corpus morti tradiderunt, sed quia Dei fideles, qui sunt ejus membra, schismate segregarunt, & invicem diviserunt; & ita æterno igni illos præcipites dantes, & multo magis seipsos, ut fecit prædictus Iudas indignus Christi discipulus, suffocarunt.

Arbitramur autem tuam reverentiam recte nosse, cum sis sapiens & doctrina præditus, quod dum, ut reliqui nostri episcopi nobiscum idem sentiant, totis viribus contendimus, non mediocrem id nobis molestiam affert. Et revera rem adeo gravem tam cito commutare, nullus D id facere posset, licet brevi tempore ortum habuerit, nec multorum annorum spatio fuerit confirmata. Et hac de causa rationi congruum nobis visum est, ne violenter aliquis cogatur a vobis additionem illam dimittere, quam ipse adjecisse symbolo se noverit, sed potius mansuetudine aliqua hujusmodi homines admonere, & paulatim a blasphemia revocare. *Pascite,* inquit summus apostolorum Petrus, *qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis.* Qui igitur ita nos accusant, ac si talia male sentiamus, non jure nos accusant. Tuam itaque decet fraternitatem, neque E scandalum aliquod adversus nos pati, neque a reliquo ecclesiæ corpore proscindi, sed potius nobiscum fidei agones sustinere cum prudentia & longanimitate; & alios qui a veritate declinaverunt, ad illam amplectendam revocare, ut pro his eamdem nobiscum mercedem recipias. Vale in domino, reverendissime & catholice frater.

1. Petr. 5.

NOTA SEVERINI BINII.

Calumnia de processione Spiritus sancti a Photio Ioanni papæ objecta refutatur.

a *Epistola*] Photius inter alias etiam hanc Ioanni papæ affingens calumniam, quasi eadem cum Græcis de Spiritus sancti processione senserit, finxit hanc epistolam sub nomine Ioannis papæ VIII. ad se Photium scriptam de processione Spiritus sancti: quam vel ab ipso Photio, vel alio quodam effictam esse oportet. His enim temporibus

in

in Romana ecclesia absque aliqua ambiguitate usu receptum fuisse, ut Spiritus sanctus a Patre Filioque procedere diceretur, post alias ea imprimis ratione manifeste probatur, quod Ioannes sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus scribens ad hunc ipsum Ioannem pontificem quatuor a se elaboratos libros vitæ sancti Gregorii papæ, ubi agit de dialogis ab eo scriptis, & in Græcum a Zacharia papa translatis, juste queritur, quod cum ipse sanctus Gregorius in eis asseruerit disertis verbis, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, illi textum corruperint, illaque verba *Filioque* abradendo inde abstulerint; illos magnopere redarguens, quod audacter nimis sicut & impudenter sancti Gregorii textum ita corruperint: plane significans Romanam ecclesiam nihil diversum ab ipso sancto Gregorio sentire, nec Ioannem, ad quem scribit, ab ea sententia discrepare. Vide quæ dicam infra in notis conciliabuli pseudooctavi, verbo *conciliabulum*.

FRAGMENTA QVÆDAM ALIARVM EPISTOLARVM IOANNIS PAPÆ VIII.

Quod sacerdos homicida non potest in sacerdotio manere.

Cennemoco episcopo Venetensi.

.t. ro. Mi- r minus.

MIROR minus doctam scientiam tuam sacerdotem putare post perpetratum homicidium posse in sacerdotio ministrare: imo, quod est pejus, nobis suadere velle, ut ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens, tamque perversi sensus, tale quid æstimaret, vel post quantamcumque pœnitentiam concedendum, cum omni sit canonicæ disciplinæ contrarium? Debet ergo sacerdotio privatus lacrymarum fonte flagitium tam immane diluere: ut talibus saltem remediis curatus, salutis possit invenire suffragium.

Communione privetur sponsa, nisi raptorem deserere, & ad sponsum suum redire voluerit.

Rostagno archiepiscopo Arelatensi.

c qu. 2. ho præ- .tuum.

Atho præsentium lator, dum in nostro servitio fideliter excubaret, quemdam virum feminam sibi desponsatam queritur rapuisse. Et ideo fraternitas tua, auctoritate nostra suffulta, suffraganeos suos episcopos præsentialiter convocet: sicque unanimi sententia, si sponsam huic raptor non reddiderit, tam idem, quam rapta, si ad sponsum pristinum remeare noluerit, omni communione priventur.

De examinanda causa cujusdam presbyteri.

Sigibodo archiepiscopo Narbonensi.

patt. cap. 26.

Præsentium literarum gerulus, sedi apostolicæ præsentatus, se presbyterum esse querula & lamentabili voce perhibuit, & a sanctitati tuæ subjectæ diœceseos episcopis ab officio presbyteratus suspensum, & aliis quibusdam epitimiis usque ad speciale judicium nostrum submissum, pro eo quod, inquit, facto tumultu, quidam se apprehensum, & a terra brachiis sublevatum, in proprium fratrem forti jactaverit impetu, ut idem germanus suus tanti * operis male impulsus in terram ruerit, & prostratus atque oppressus vitæ flatum violenter amiserit. Denique illi reverendi antistites, cum sibi, ut iste retulit, res in dubium veniret, utrum commisso sibi, dudum carere, nec ne, penitus debuisset officio, non ipsi hanc deliberare, sed nostro decerni & diffiniri judicio voluerunt. Sed tunc hoc solenniter agerent, si primum ipsi plenario, & ex canonibus in causa presbyteri delegato judicio, quatuor deputatis ex venerandis decretis & le-

g. pon- s malo.

gibus personis præsentibus, hanc ventilassent, & subtili examine discussissent: ut ita facta scripto relatione, si quid dubium sibi seu difficile ingessisse videretur, nostrum super hoc more prisco decretum exposcerent. At ubi nobis & persona relatoris incognita, & nullo episcoporum scripto commendatio approbata est, & rursus ubi nulla est accusatoris objectio, nec accusati reatus confessio, nec fidelium comprobatio testium, nos nec illius solius narrationi creduli esse possumus, nec rursus in eum definitivam damnationis sententiam proferre valemus. Ergo saltem nunc fraternitas tua metropolitani jure potita, ex episcopis sub se degentium vel vicinorum sex, una cum episcopo, cujus est iste parœciæ, sibi socians, tantum negotium subtili ventilet discussionis ventilabro, & invento quod justum est canonice decernat, & communi fratrum censura diffiniat.

Pallium, nisi post consuetam fidei professionem, dari non debet.

Vvilsberto Colonensi archiepiscopo.

Optatum tibi pallium nunc conferre nequivimus, quia fidei tuæ paginam minus, quam oporteat, continere reperimus: cum videlicet in ea nullam sanctarum universalium synodorum, in quibus fidei nostræ symbolum continetur, nec decretalium pontificum Romanorum constitutorum, secundum morem, feceris mentionem: sed nec illam propria subscriptione munieris, nec aliquem qui hanc jurejurando firmaret miseris. Dist. 100. cap. Optatum.

CONSTITVTIO IOANNIS PAPÆ VIII.

De jure cardinalium.

Itemque ex nostra præsenti constitutione bis in mense vel eo amplius, vel apud illum vel illum titulum, sive apud illam vel illam diaconiam, sive apud alias quaslibet ecclesias vos convenire mandamus. Et ob vestram & inferiorum clericorum vitam, & mores, & qualitates, & habitus vestium perscrutandum, & qualiter quilibet præpositi se erga subditos habeant, vel quod subditi suis præpositis non obediant, & ad quæque illicita amputanda, clericorum quoque & laicorum querimonias, quæ ad nostrum judicium pertinent, quantum fieri potest, definiendas. Quippe cum sicut nostram mansuetudinem Moysi, ita & vestram fraternitatem septuaginta seniorum, qui sub eodem causarum negotia dijudicabant, vicissitudinem gerere, certum habeamus. Item monasteria abbatibus viduata & abbatum, nostra præcedente conscientia, substitutionem his qui sunt inter " nos, vel fuerint monasticæ professionis, disponenda committimus. " vos

Propter solicitudinem autem ecclesiarum & clericorum earumdem disciplinam, sive laicorum querimonias definiendas, bis in hebdomada ad sacrosanctum palatium, juxta decreta prædecessoris nostri Leonis quarti, vos convenire mandamus.

Item sancimus de parochiis nostris, quantumque pontifici competit, pontificali beneficio vos in perpetuum possidere, & in principalibus ecclesiis juxta primatum vestræ consecrationis vicissim officia divina peragere, & earum oblationibus, salva semper cardinalium diaconorum prisca consuetudine, æqualiter participare tam propter usum vestrum, quam in ecclesiarum vestrarum luminarium concinnationes.

APPENDIX

APPENDIX EPISTOLARUM IOANNIS PAPÆ VIII.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S.I.

Polliciti sumus in nostra conciliorum historica synopsi nos fragmentis epistol. Ioannis papæ VIII. corollarium aliquod σὺν Θεῷ adjecturos, ac ne lectores diutius differremus prægustandam ipsis promulsidem obtulimus ex codice ms. viri clarissimi Claudii Hardy senatoris Parisiensis, hoc est diploma ad Vvalonem Metensem episcopum, cui & alia nonnulla deinceps subjungemus aliunde a nobis accersita.

I. AD VVALAM SEU VVALONEM METENSEM EPISCOPUM.

Concedit illi pallium certis diebus deferendum.

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, Vvalæ venerabili episcopo Mediomatricorum ecclesiæ, quæ & Mettis vocatur, in honore scilicet sancti Stephani primi martyris.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, ac ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore quantaque cura debemus esse pervigiles, nos qui pastores animarum dicimur? Attendamus ad susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter ceteros judicamur. Palleum autem fraternitati tuæ ex more ad missarum solennia celebranda concessimus, diebus vitæ tantummodo: quod tibi, non ecclesiæ tuæ, aliter privilegiis in suo statu manentibus, uti concedimus. Quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur ut ei morum tuorum ornamenta conveniant; quatenus auctore Deo utrisque possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula. In ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum post dominum videatur esse, bene quod vixerint. Corrigant, ne prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant; sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincant. Nullum apud te locum odia, nullus favor indiscretus inveniat. Sub ea videlicet ratione concedimus fraternitati tuæ, ut a secretario usque ad sacrum altare, & ab altari usque ad secretarium, sicuti prisca extitit palleatis consuetudo, indui debeas. Auctoritate autem beati Petri apostolorum principis licentiam diebus vitæ tuæ sub jure & ditione nostra, ut diximus, habeas. Nullum usum vel consuetudinem successoribus tuis per hoc nostrum tibi concessum apostolicum privilegium habere censuimus. Et neque episcopus, archiepiscopusque adversus te pro hoc altercationis contentionem commoveat. Ita domino regente & gubernante cor tuum, commissam exequi gubernationem studeas, ut adepto hujus honoris officio, dignitate & probitate morum amplius procures adornari. Scriptum per manum Georgii scriniarii S. R. E. in mense Septembrio, indictione XII. Data VIII. Idus Septembris per manum Vvalperti humillimi episcopi sanctæ Portuensis ecclesiæ, anno domino propitio pontificatus domni nostri Ioannis summi pontificis & universalis papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto, indictione XII." *Hoc est anno* 878. *verum aut September in Octobrem, aut indictio* 12. *in* 11. *mutanda: quod ex privilegiis Floriacensi, Cabilonensi, aliisque disces: & nos fusius alias explanabimus, licet non diffiteamur in antiquis diplomatibus indictionem nonnumquam usque ad natalem Christi diem aut pridie Kalendas Ianuarii protendi ab incuriosis tabellionibus librariisve.*

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S.I.

Auctor historiæ Trevericiæ nondum quod sciam editæ, cujus exemplar calamo exaratum penes me est, hujus a Ioanne papa concessi Vvalæ privilegii, turbarumque inde exortarum meminit hisce verbis;

Anno quinto Bertolfi moritur Adventius Metensis episcopus: Vvalo ei substituitur, cui ordinationis suæ anno secundo transmissum est pallium a Ioanne papa cum literis docentibus quibus in festis esset usurus. Bertulfus vero metropolitanus audiens Vvalonem in die sancto paschæ cum pallio procedere, missis literis Treveris evocatum percunctatus est, quando, vel quomodo vel a quo procedere cum pallio sibi fuerit concessum. Vvalo lecto in auribus omnium qui aderant quod sibi a papa transmissum fuerat de usu pallii privilegio asseruit non se primum, sed quintum fuisse, quem apostolica sedes hoc honore dignata sit sublimare: salva tamen in omnibus metropolitano subjectione. I. Vrbicium. II. Pipini regis ex sorore nepotem Crodegangum. III. Angelramum. IV. Drogonem Caroli Magni imperatoris filium. Bertulfus his assertionibus non satisfactus capitulo canonum lecto quo asseritur nulli suffraganeorum novum & quod non ab omnibus in ecclesia sua prædecessoribus non habebatur absque metropolitani sui consilio & licentia præsumendum, interdixit ei per sanctam quam in omnibus ecclesiasticis negotiis deberet obedientiam, ne ulterius nisi ab eo petita & concessa licentia pallio uteretur. Cumque Vvalo apostolicam auctoritatem prætenderet, archiepiscopus vero metropolitanorum privilegia defenderet, grandis utrimque conflata est inimicitia. Hincmarus igitur reverendissimus Remorum archiepiscopus & eloquentia clarissimus audiens hanc diffidentiam, epistolam Vvaloni transmisit sapientiæ ac sacri concilii sale conditam, per quam eum ad metropolitani sui instruxit obedientiam & restituit concordiam, &c.

Meminit ejusdem dissensionis Flodoardus libri tertii historiæ Rhemensis cap. 23. scriptamque testatur ab Hincmaro ad Vvalonem epistolam de pallio a sede Romana obtento, & Bertulfum literas papæ noluisse suscipere. Eadem quoque narrat paulo fusius chronicon sancti Trudonis libri II. primæ partis cap. 13 cujus fragmentum recitat pag. 275. historiæ Metensium episcoporum F. Meurissius O. M. episcopus Madaurensis, ac Metensis episcopatus suffraganeus.

II. AD GEILONEM ABBATEM TORNUTIENSEM EIUSQUE monachos.

Illorum omnia, vel regia, vel episcopalia privilegia, pontificia auctoritate sancit, anno Christi 876. quibus addit exemptionem ab omni cujuslibet antistitis jurisdictione.

Ex autographo " in philyra, literis uncialibus Gotticis descripto, longo pedes circiter XII. *lato duos.*

" Edidit R. P. Chiffletius S. I.

Ioannes

Joannes episcopus servus servorum Dei, Geiloni inclyto abbati, dilectisque filiis nostris in Tornutio monasterio, a spirituali filio nostro, glorioso Carolo imperatore Augusto, sanctæ & intemeratæ semperque virgini Dei genitrici Mariæ, atque pretioso confessori Christi Philiberto largito, sub regula sancti Benedicti religiosa conversatione degentibus, nunc, & futuris temporibus.

QVANDO ab ea quæ catholicorum imperatorum corda pontificalibus sunt monitis provocanda, ita ardenti desiderio divina præveniente gratia tam succenduntur, ut ab eis ultro poscantur, tanto alacri & læto sunt animo concedenda, quanto & ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde juxta scripta petitoria filii nostri, præcellentissimi imperatoris Caroli, hujusmodi privilegium præsentis auctoritatis nostræ decreto, eidem venerabili monasterio vestris futurisque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus: ut sicut ipse gloriosissimus filius noster, divino ductus amore, de villis ac facultatibus, seu stipendiis specialiter monachorum & ecclesiæ ornamentorum, vel luminariorum, ac matriculariorum, seu hospitum, atque pauperum usibus servata, vel emeliorata seu aucta ordinatione præcepto suæ auctoritatis firmavit privilegium quod venerabilibus fratribus ac filiis nostris episcopis illarum regionum fieri & confirmari fecit; ita sicut in eodem privilegio, atque præceptis, in primis filii nostri Caroli exinde factis continetur, perpetuo inconvulsa permaneant. Quamvis enim fama fuerit hoc tenuisse ad episcopatum Matisconensem, nullaque ibi auctoritate qua teneri possit adjunctum longo interveniente tempore fuerit, melius, multoque sanctius apostolicæ discretioni nostræ visum fuit, ut monasticis utilitatibus in prædicto monasterio confirmetur, quam laicalibus sine aliqua acquisitione sanctorum locorum depopulationibus indulgeatur. Constituimus alia auctoritate beati Petri, ut nullus regum, nemo antistitum vel abbatum, seu quilibet quacumque præditus dignitate, de his qui in præfato privilegio, seu in præceptis ipsius filii nostri Caroli ex his quæ præmisimus factis continentur, vel in futuro, ab eo vel a quibuslibet aliis de proprio fuerint his specialibus usibus jure collata, sub cujuslibet causæ occasione sive speciei, quicquam minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione præsumat concedere. sed cuncta quæ præfatis usibus monachorum, & ecclesiæ ornamentorum, vel luminariorum, matriculariorum, hospitum, & pauperum oblata sunt, vel offerri contigerit, perenni tempore inlibata & inconvulsa, ac sine aliqua inquietudine, eorum usibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura permaneant. Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam vobis quam cunctis qui in eo quo estis ordine locoque successerint, in perpetuum conservanda decernimus. Salva in omnibus quæ hujus decreti pagina continentur, auctoritate & honore sanctæ Romanæ ecclesiæ, & sedis apostolicæ privilegio. Placet etiam ut per futura tempora, ipsi monachi ex scriptis habeant licentiam eligere abbatem. Si quis autem temerario ausu, magna parvaque persona, contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, & a regno Dei alienum, & cum omnibus impiis, æterni incendii supplicio condemnatum. Qui autem verus custos & observator hujus confirmationis extiterit, benedictionem, & gratiam, & cælestem misericordiam a domino consequi mereatur. Scriptum per manum Anastasii notarii regionarii, & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Octobrio, indictione decima. Bene valete.

Subscriptum Idus Octobrias, per manum Christophori primicerii sanctæ summæ sedis apostolicæ, imperante domino piissimo principe Augusto Carolo, a Deo coronato, magno imperatore anno primo, & post coronationem ejus anno primo, indictione decima.[a]

[a] Anno Christi 876.

III. AD CAROLUM IMPERATOREM, GEILONEM ABBATEM TORMUTIENSEM, ejusque monachos.

Cellæ Godith, a desiderio principe fundatæ sua jura confirmat: quibus addit immunitatem ab omni episcopali jurisdictione anno Christi 877.

Joannes[a] episcopus servus servorum Dei, spirituali filio nostro glorioso Carolo imperatori Augusto, ac Geiloni inclyto abbati, dilectisque filiis in Trenorchio monasterio sanctæ & intemeratæ, semperque virgini Dei genitrici Mariæ, atque pretioso confessori Christi Filiberto largito, sub regula sancti Benedicti degentibus nunc & futuris temporibus.

[a] Ex autographo in philyra idem edidit R. P. Petrus Franciscus Chifflettius S. I.

POSTQUAM enim auxiliante Christo ecclesiæ cœpit origo, semper impiorum flatibus agitatur. Sed quia nostris temporibus alis imperialibus sustollitur, nos in quantum valemus, apostolicis auctoritatibus confirmare debemus. Proinde juxta petitionem filii nostri præcellentissimi imperatoris Caroli, privilegium hujusmodi auctoritatis nostræ, eidem monasterio vestris futurisque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus; ut sicut ipse gloriosissimus filius noster, per deprecationem Desiderii principis, cellam quæ vocatur Godith in pago Vallavensi, in loco qui dicitur Vallis angusta, loco prædicto, necne præscriptis sanctis, cum villis ac facultatibus seu stipendiis concessit, & præcepto suæ auctoritatis roboravit, atque privilegio fratrum & filiorum nostrorum episcoporum illarum regionum confirmari fecit: ita sicut in eadem charta nobilitatis quam fecit Desiderius, & præcepto filii nostri Caroli continetur, inconvulsa permaneant: ut nullus regum, nemo antistitum vel abbatum, seu quilibet quacumque præditus dignitate, de his quæ in hoc privilegio vel in præceptis ipsius filii nostri Caroli continentur, quicquam exinde minuere vel auferre præsumat; sed cuncta quæ præfatæ ecclesiæ Godithi oblata sunt vel offerri contigerit, inconvulsa & illibata permaneant. Constituimus alia auctoritate beati Petri, ut ecclesia in valle prædicta constructa, & in honore salvatoris, ejusque genitricis dicata, immunis habeatur ab omni dominatione terrena; quia injustum decernimus ut gloriosa mundi regina,

Q

regina, quæ cum Filio juncta, exaltata est super choros angelorum, humanis subdatur potestatibus. Anathematizamus igitur, ut nemo antistitum locum sibi vindicare audeat, seu qualibet occasione absolutionis, atque excommunicationis, vel sacræ ordinationis adire præsumat, nisi ab abbate loci, vel a monachis ibi Deo servientibus fuerit invitatus. Ceterum ab omni sæculari persona decernimus esse liberum & quietum, ut in præceptis Filii nostri Caroli continetur. Si quis autem temerario ausu, magna parvaque persona, contra hoc nostrum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, & a regno Dei alienum, & cum impiis æterno incendio condemnatum. Scriptum per manum Anastasii notarii regionarii, & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Iunio, indictione [a] quinta. Bene valete. *In plumbo Ioannis papæ.*

[a] decima. an. scilicet 877.

IV. PRIVILEGIVM A IOANNE VIII. PAPA, ANNO CHRISTI DCCCLXXVIII. in concilio Trecensi Geiloni abbati & monasterio Trenorchiensi datum, & patrum ejusdem concilii auctoritate firmatum.

ANNO dominicæ incarnationis, &c. *Vide paulo post Cabilonensem conventum anno* 875.

V. RESCRIPTVM DE ANSEGISO SENONENSI ARCHIEPISCOPO apostolicæ sedis legato. [b]

[b] f. idem cum epist. 513. supra pag. 220 E.

ILLVD perhibetur fuisse ms. in bibliotheca Antonii Augustini Tarraconensis archiepiscopi. *Videant qui Scorialensem in Hispania thesaurum servant, an inde quid sperare liceat reipublicæ literariæ.* Sapientia enim absconsa & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque. *Ecclesiastici* XX. 32.

VI. PRIVILEGIVM MONASTERIO FLORIACENSI S. BENEDICTI ad Ligerim concessum.

IOanne. *episcopus*, &c. Quoniam ex apostolica. *Vide sis ad annum* 878. *sectionem seu caput* XIII. *concilii Tricassini II.*

VII. COMMONITORIVM AB EODEM IOANNE VIII. PAPA DATVM LEGATIS Paulo & Eugenio ac Petro sed ad impostore Photio falsatum.

CVM primum, &c. *Vide infra concilium Romanum III.*

" ** Iis vero non pigebit subjungere.

EPISTOLAM EPISCOPORVM GERMANIÆ AD IOANNEM PAPAM VIII. a Ioanne Cordesio post Hincmari opuscula & epistolas anno 1615. excusam Parisiis cum jam ab anno 1611. Monachii in appendice chronici monasterii Reicherspergensis in Bajoaria opera Christophori Geuvoldi cum pluribus aliis antiquis diplomatibus prodiisset.

Epistola episcoporum Germaniæ ad Ioannem papam VIII. [c]

[c] In notis docebo ad Ioan. IX. scriptam fuisse.

De Slavis ad fidem Christianam conversis & eorum archiepiscopo & episcopis.

Summo pontifici & universali papæ domino Ioanni Romanæ sedis magnifico gubernatori, humillimi paternitatis vestræ filii, Theotmarus Iuvanensis ecclesiæ archiepiscopus, Vvaldo Frisingensis, Erchenpaldus Eystatensis, Zacharias Sabonensis, Tutto Ratisponensis, Richarius Pataviensis ecclesiæ episcopus, nec non & universus clerus, populusque Christianus per totam Noricam, quæ & Bavaria vocatur, prosperum in salvatore nostro provectum, catholicæ pacis augmentum, & regnum optamus æternum.

ANTECESSORVM vestrorum decretis, & sanctorum patrum institutis plenissime instruimur in omnibus nostro sacerdotali ministerio obstantibus & aversantibus Romanum appellare pontificem, ut quod ad unitatem concordiæ, & ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, sed ab ipso summa provisione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, ut de illa sancta & apostolica sede, quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, & origo Christianæ religionis, profluxerit quippiam perversitatis, sed doctrina & authoritas ecclesiasticæ rationis. Sed venerunt, ut ipsi promulgaverunt, de latere vestro tres episcopi, videlicet Ioannes archiepiscopus, Benedictus & Daniel episcopi, in terram Slavinorum, qui Moravi dicuntur, quæ regibus nostris & populo nostro, nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fuerat, tam in cultu Christianæ religionis, quam in tributo substantiæ sæcularis, quia exinde primum imbuti, & ex paganis Christiani sunt facti. Et idcirco Pataviensis episcopus civitatis, in cujus diœcesi sunt illius terræ populi, ab exordio Christianitatis eorum, quando voluit & debuit, illuc nullo obstante intravit, & synodalem cum illis, & cum suis, & etiam inibi viventibus conventum frequentavit: & omnia, quæ agenda sunt, potenter peregit, & nullus ei in faciem restitit. Etiam & nostri comites illi terræ confines placita sæcularia illic continuaverunt, & quæ corrigenda sunt correxerunt, tributa tulerunt; & nulli eis restiterunt, usque dum incrassante corda eorum diabolo Christianitatem abhorrere, & omnem justitiam detrectare, belloque lacessere ac obsistere sævissime cœperunt: adeo ut via episcopo & prædicatoribus illuc non esset, sed libitu suo egerunt quæ voluerunt. Nunc vero, quod nobis grave videtur & incredibile, in augmentum justitiæ jactitant, se magnitudine pecuniæ egisse, vos eosdem præfatos episcopos ad se direxisse, & in eodem Pataviensi episcopatu talia egisse, qualia de illa apostolica sede nunquam exisse, neque canonum decreta sanxisse, ut tantum schisma una pateretur ecclesia. Est enim unus episcopatus in quinque divisus. Intrantes autem prædicti in vestro nomine, ut ipsi dixerunt, episcopi, ordinaverunt in nostro eodemque episcopatu unum archiepiscopum (si in alterius episcopatu archiepiscopus esse potest) & tres episcopos ejus suffraganeos, absque scientia archiepiscopi, & consensu episcopi, in cujus fuerunt diœcesi: cum in concilio Africano capite 20. decretum fit,

[Eo tectior & damnabilior calumnia, quæ sub aliena persona diffunditur.]

Vt

Ut plebes, quæ in diœcesibus ab episcopis retinentur, quæ nunquam episcopos habuerunt, nec nisi cum voluntate ejus episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores & episcopos. Item in eodem concilio cap. 65. *Ut plebes quæ nunquam habuerunt proprios episcopos, nisi ex concilio plenario uniuscujusque provinciæ, & primatis, atque consensu ejus, ad cujus diœcesim eadem plebs pertinebat, episcopos minime accipiant.* In decretis papæ Leonis cap. 15. scriptum est: *Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui a provincialibus episcopis, cum metropolitani judicio non consecrantur.* Item cap. 49. *Ut si indignis quibusque, & longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium & gubernatio ecclesiæ detur: non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen.* Et in eodem cap. post pauca inquit, *Difficile est, ut bono peragantur exitu quæ malo sunt inchoata principio.* Et in decreto papæ Cælestini antecessoris vestri capite decimoseptimo continetur, *ne alicui locus concedatur sacerdoti in alterius injuriam*: Antecessor vester Zuentibaldo duce impetrante, Vvichingum consecravit episcopum, & nequaquam in illum antiquum Pataviensem episcopatum transmisit, sed in quamdam neophytam gentem, quam ipse dux bello domuit, & ex paganis Christianos eos esse patravit. Cum autem eisdem Slavis locus familiaritatis apud legatos vestros dabatur, accusabant & diffamabant nos in multis, & verbis mendacibus instabant, quia nemo eis vera respondebat, dicentes, nos cum Francis & Alemanis scandalum & discordiam habuisse: cum hoc falsum esse ex hoc convincitur, quia amicissimi nostri sunt, & charitativi cooperatores; Et etiam cum ipsis impacatos esse accusabant. Quod non nostra culpa exigente, sed sua potentia faciente, ita fatemur esse. Quia quando Christianitas illis cœpit vilescere, & insuper debitum tributum senioribus nostris regibus, & principibus eorum solvere respuerunt, belloque resistere, & gentem nostram cœperunt lacessere, orta est seditio inter illos. Et quoniam armis sibi eos defenderunt, in servitium redegerunt; idcirco jure proprio tributarios habere debuerunt, & debent; & sive velint, sive nolint, regno nostro subacti erunt. Quapropter oportet nos ab alto speculari, & moderaminis temperiem præ omnibus tenere, ne pejor pars confortetur, & melior infirmetur. Progenitores namque serenissimi senioris nostri Hludovici, videlicet imperatores, & reges ex Christianissima Francorum gente prodierunt: Moravii vero Slavi a paganis & ethnicis venerunt. Illi potentia imperiali Romanam rempublicam sublimaverunt, isti damnarunt: illi Christianum regnum confortaverunt, isti latibulis & urbibus occultati fuerunt: illorum consilio apostolica sedes pollebat, istorum persecutione Christianitas dolebat; in omnibus his juvenculus rex noster, nulli prædecessorum suorum secundus, nulli & inferior, sed secundum virtutem a Deo sibi datam, sanctæ Romanæ ecclesiæ, & vobis summo Patri, cum omnibus regni sui principibus, adjutor optat esse fortissimus. Omne namque regnum divinitus sibi commissum, ad Dei servitium, suumque adjutorium, unum vult & operatur. Unde & pace viget & con-

A cordia gratulatur, atque ad vestram paternitatem, sicut patres sui, se pertinere lætatur. Quod nos præfati Slavi criminabantur cum Ungaris fidem catholicam violasse, & per canem seu lupum, aliasque nefandissimas & ethnicas res sacramenta, & pacem egisse, atque ut in Italiam transirent, pecuniam dedisse, si vobis coram posito ratio inter nos agitaretur, ante Deum, qui cuncta novit antequam fiant, & coram vobis qui vicem ejus apostolicam tenetis, eorum falsitas manifestaretur, & nostra innocentia probaretur. Quia enim Christianis nostris, longe a nobis positis, semper imminebant, & persecutione nimia affligebant, dona-
B vimus illis nullius pretiosæ substantiæ pecuniam, sed tantum nostra linea vestimenta, quatenus eorum aliquoties ' virilitatem mulceremus, & ab eorum persecutione ' quiescere faceremus. Talia namque, ut præscripsimus, juxta malitiam cordis sui argumentantes, & pontifices vestros ad injuriam nostram incitantes, adeo ut directa nobis epistola quasi ab apostolica sede hæc omnia improperabant, & diversas injurias ingerebant, atque inter alia divino gladio feriendos dignos dicebant. Impletur enim in nobis quod quidam sapiens ait: *Justus tulit crimen iniqui.* Ipsi enim crimen, quod nobis falso semel factum imposuerunt,
C multis annis peregerunt. Ipsi Ungarorum non modicam multitudinem ad se sumpserunt, & more eorum capita suorum pseudo-christianorum penitus detonderunt, & super nostros Christianos immiserunt, atque ipsi supervenerunt, & alios captivos duxerunt, alios occiderunt, alios pessima carcerum fame & siti perdiderunt, innumeros vero exilio deputaverunt, & nobiles viros, ac honestas mulieres in servitium redegerunt, ecclesias Dei incenderunt, & omnia ædificia deleverunt, ita ut in tota Pannonia nostra maxima provincia tantum una non appareat ecclesia, prout episcopi a vobis destinati, si fateri velint enar-
D rare possunt, quantos dies transierint, & totam terram desolatam viderint. Quando vero Ungaros, Italiam intrasse comperimus, pacificati cum eisdem Slavis, teste communi Deo, multum desideravimus, promittentes eis propter dominum omnipotentem, ad profectum indulgere omnia mala contra nos nostrosque facta, & omnia reddere, quæ de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis securos nos facerent, & tamdiu spatium darent, quandiu Longobardiam nobis intrare & res sancti Petri defendere, populumque Christianum divino adjutorio redimere, liceret: & nec ipsum ab eis obtinere potuimus. Et post tanta
E maleficia habent beneficia & sunt falsi accusatores, qui semper fuere Christianorum persecutores. Si quis in toto mundo aliorsum nos oberrasse, & justitiæ restitisse conetur, veniat præsens, & eum ludificasse, & nos de hac re sentietis purissimos esse. Idcirco singuli omnesque admonendo precamur, ne ullo modo alicui falso de nobis aliquam suspicionem referenti creduli sitis, antequam oportunitas exigatur, ut hujus rei gratia missus de vestra celsitudine nobis, aut a nostra parvitate directus appareat vobis. Communis gemitus, & generalis dolor angustat quos Germania & tota tenet Norica, quod unica ecclesia dividitur scissura.[h] Ideo

' feritatem ' quiescemus.

[h] Est enim, ut præmisimus, unus episcopatus in quinque divisus.

Ideo si quid fraus maligna Slavorum calliditate adduxerit, justitia avertat: vosque ex alto virtute induti & apostolica potestate armati, juxta prophetam, *quod fractum est alligate, quod infirmum consolidate, quod abjectum reducite*; ut deinceps populus & fidei integritate gratuletur, & sancta ecclesia tranquilla devotione lætetur. Theotmarus indignus archiepiscopus, & apostolicarum rerum procurator promptissimus, Pecuniam vestro juri debitam, propter infestam paganorum sævitiam, nec per se perferre, nec per alios poterat transmittere: sed quia Dei gratia liberata est Italia, quantocyus potero, vobis transmitto, Precatur nostra humilitas, ut dignetur vestra sublimitas respondere per singula ad transmissa cum epistola.

Alme pater mundi, dignus prænomine Petri,
Nomine quem sequeris, utinam virtute sequaris;
Sisque tuis famulis protector verus, & ipsos
Commendes domino, cælo qui præsidet alto.

ANNO CHRISTI 873.

" ** CONCILIVM OVETENSE IN HISPANIA.

Anno Christi non 872. sed 873. aut aliquo proxime sequenti, die XVIII. Kalend. Iulii æra non 910. sed 911. aut alia quavis consequente, si vere, ut aiunt Hispani scriptores, celebratum fuit sub Ioanne VIII. papa, & Adelfonso Galliciæ rege.

Ex Sampiri Asturicensis episcopi historia a Prudentio Sandovallio episcopo Pompeiopolitano edita cum aliis quatuor Hispanicis scriptoribus iisdemque episcopis.

CVM tantis triumphis (Adelfonsus III. rex) lætatus est nimis & velociter presbyteros suos Severum & Synderedum Romam ad papam Ioannem cum literis suis misit, & reversi a domino papa una cum Raynaldo gerulo suo & cum subscriptis epistolis licentiam consecrandi ecclesiam beati Iacobi apostoli, sive & concilium celebrandi cum Hispanis episcopis.

Hanc epistolam asportatam de urbe Romense a duobus presbyteris Severo & Synderedo mense Iulio æra " DCCCCIX.

" Scribendum fuit DCCCCXI. hoc est an. Christi 873.

Ioannes episcopus, &c. *Vide supra pag.* 219. C. *hujus IX. tomi.*

Item alia epistola ab eodem papa Romense directa per Raynaldum gerulum mense Iulio æra " DCCCCIX.

" Scribendum est DCCCCXI.

Ioannes episcopus, &c. *Vide supra pag.* 220. A.

Visis itaque rex epistolis, magno gaudio gavisus est, tunc constituit diem consecrationis jam dictæ ecclesiæ, sive & concilium celebrandum apud Ovetum cum omnibus episcopis qui in illius erant regno, ii sunt.

Episcopi qui affuerunt.

Ioannes Ocensis, Vincentius Legionensis, Gomerus Asturicensis, Hermegildus Ovetensis, Dulcidius Salmanticensis; Iacobus Cauriensis, Naustus Conimbriensis. Argimirus Lamecensis, Theodemirus Vessensis, Gumadus Portugalensis, Argemirus Bracharensis, Didacus Tudensis, Egila Auriensis, Sisnandus Iriensis, Recharedus Lucensis, Theodesindus Britonensis, & Elecca Cæsaraugustensis episcopus ibi interfuit.

Comites totius regni Adelfonsi.

Igitur auxiliante domino venit rex ad statutam diem cum uxore sua, & filiis, & cum prædictis episcopis, & cum universis potestatibus, sive & cum subscriptis comitibus suis pernominatis, Alvarus Egunensis comes, Veremundus Legionensis comes, Sarracinus Astoricæ, & Berizo comes, Veremundus Torrensis comes, Betotus Indeza comes, Ermegildus Tude, & Portugalle comes, Arias filius ejus in Minio comes, Pelagius Bregianciæ comes, Ordarius Castellæ & Auseæ comes, Sylus Prucii comes, Erus in Lugo comes & cum istis omnibus omnis plebs catholica, ubi facta est turba immodica ad videndum, sive & audiendum verbum domini in prima die, quod erat nonas Maii anno incarnationis domini æra DCCCCLXXIX. secunda feria deducebat animum ad lunæ cursum IV. luna XI. consecratum est jam dictum templum a prædictis pontificibus hoc ordine subscripto. In primis consecraverunt altare in honorem servatoris nostri Iesu Christi, & ad dextrum prædicti altaris consecraverunt altare in honorem apostolorum Petri & Pauli, & ad læva jam dicti altaris consecraverunt altare in honorem sancti Ioanni apostoli & euangelistæ. In altari quoque quod est super corpus beati Iacobi apostoli, quod consecratum fuerat a septem discipulis ejus, quorum nomina sunt hæc, Calocerus, Basilius, Pius, Grisogonus, Theodorus, Athanasius, Maximinus, tamen nemo ex dictis episcopis ausus fuit aliquid in eo agere, nisi tantum orationem, missamque cantare.

ANNO CHRISTI 873. Consecratum est templum divi Iacobi a 7. die Maii.

At æra Cæsaris hic adscripta aliique temporum characteres videntur mendosi, ut excutiemus in notis.

Peracta dies dedicationis prædicti pontificis jussu regis secus flumen Vlliain, montemque qui ab antiquis vocatur Ilianarius consecraverunt ecclesiam in honorem sancti Sebastiani martyris, & ab illa die usque hodie vocatum est nomen ejus mons sacratus. His peractis abierunt omnes.

Transactis itaque XI. mensibus prædictus rex una cum uxore & filiis, & cum prædictis episcopis, sive & comitibus, & potestatibus venerunt Oveto, ad celebrandum concilium cum auctoritate domini papæ Ioannis, & cum consilio Caroli principis Magni. Memorati itaque episcopi rege præsente & universalis Hispaniæ concilium illis faventibus Ovetensem urbem metropolitanam elegerunt sedem, & in ea Hermegildum consecraverunt archiepiscopum. Et dixerunt:

Ovetensis ecclesia metropolis erigitur post nativitatem domini ab incarnatione 873.

Infestatione namque, & incursione gentili extra Asturiarum montes, nonnullis præsulum a suis penitus sedibus pulsis; Nos vero in nostris nimium inquietati ad ipsam domum domini & salvatoris nostri Iesu Christi de hostium faucibus confugimus erepti, ubi ipsius protectione muniti ad ejus laudem, qui nobis præsideat constituimus archipræsulem, quo præsenti concilio præmisso triduano jejunio decernimus unumquemque nostrum pastorali cura secundum canonum instituta regere populum sibi commissum. ad hoc sancimus ut consilio regis, & optimatum regni & ecclesiæ plebis eligamus archidiaconos boni nominis viros, qui per monasteria, & parochiales ecclesias eundo bis in anno concilia celebrent, & lolium extirpando ad gregem domini prædicationis semina ministrent, ipsaque monasteria, sive ecclesias ita disponant, quatenus nobis fideliter rationem reddant. Si vero quispiam eorum negotium sibi commissum indigne & fraudulenter tractaverit, canonis sententiæ subjacebit.

Tunc inquit prædictus rex, rogandus est, itaque ipse dominus noster Iesus Christus, ut omnes istas sedes supradictas tam populatas, quam etiam a gentibus diruptas pia miseratione restituat, eisque tales episcopos conferat, qui ei placeant, sedemque Ovetensem metropolitanam

ANNO CHRISTI 873.

nam & præsidium habeant. Tunc inquiunt prædicti episcopi. Nunc igitur quicumque in præfatis sedibus fuerunt episcopi ad concilium vocentur, eisque in Asturiis mansiones singulæ de sede sancti salvatoris dentur, quibus quisque sua necessaria teneat, nedum ad concilium tempore statuto venerit victus supplementum ei deficiat. Asturias enim patria tantum terrarum spatio, & districta, ut non solum Christi episcopis in ea singulæ mansiones possint attribui, verum etiam sicut prędictus princeps Magnus Carolus per Theodulfum episcopum nobis significavit, Christi præsulibus ad vitæ subsidia valeant impendi singula loca, cum ad concilium celebrandum venerint.

princeps Magnus Carolus quis hic sit?

Tunc rex inquit iterum. Vos ergo venerandi pontifices in solitudinem redactas restaurate sedes, & per eas ordinate antistites; quia qui domum Dei ædificat semetipsum ædificat; unde Daniel loquitur dicens. *Qui ad justitiam erudiunt multos: & quasi stellæ in perpetuas æternitates.* & dominus in euangelio ait. *Gratis accepistis, gratis date.* In Asturiarum vero circuitu posuit montes firmissimos, Deus, & dominus est custos in circuitu populi sui, ex hoc, nunc & usque in sæculum; infra quorum montium ambitum, qui quidem vix x. dierum spatio valet circui, possunt Christi episcopi, mansiones singulas datas vobis ex sede sancti salvatoris obtinere, vestrisque sedibus extra honeste providere.

Tunc iterum inquiunt prædicti pontifices. Roma namque ab hominibus ædificata, simili modo plures habet episcopos, qui foris præsunt & provident decenter suis sedibus, quæ eis necessaria ministrant in civitate morantibus, & Romano pontifici famulantibus, cujus Romani pontificis Ioannis jussu & consilio congregati Oveto sumus. Quo sane loco, ut præmisimus, montium munimine, manu domini salvatoris nostri, ejusque gloriosæ genitricis Mariæ virginis, necnon & duodecim apostolorum, quos ipse dominus jussit euangelium prædicare, & ecclesiam suam toto orbe terrarum congregare vera humilitate & fideli devotione convenerimus; quemadmodum super ipsos apostolos spiritus sanctus in igne descendit, eosque linguis variis magnalia Dei loqui edocuit. Itaque ita procul dubio idem Spiritus sanctus super nos veniet, qui nos doceat, & ignem suum cordibus nostris infundat, & gentes, quæ nos infestant, reprimat, nosque ad cælorum regna perducat. Si quis autem nostrum se obliviosus concilii unitate substraxerit; a vera & integra societate sanctorum segregatus, paritérque anathemate cum Iuda domini proditore, cum diabolo & angelis ejus in perpetuum sit damnatus. Modo ergo nos episcopi vel reliqui sacerdotes Ovetensem sedem quam Deus elegit, metropolitanam colligimus, ac pro posse nostro fideliter erigimus, & sicut superius diximus, locis qui nobis ab ipsa sede per Asturias adtribuuntur, rei nostræ rectos procuratores ponimus, & prædiffinito tempore ad concilium Oveto recurramus.

Dationem istam in fine libri hujus invenies eam, ea videlicet ratione manente, ut per ipsas sedes, quæ foris sunt communi consilio laboremus: in hac civitate videlicet Asturiis, quam Deus fortissimam fundavit, substantiam nostram reponamus, & contra hostes sanctæ fidei concordi mente dimicemus: nam dominus & salvator noster ad suorum fidelium refugium, & A ecclesiæ firmamentum, eam firmissimam elegit: in qua si omnes caritatis vinculo vincti fuerimus, ipso auxiliante adversariis nostris resistere, campósque defendere, ex quibus intus victum poterimus habere: scriptum quippe est; *Civium concordia in hostes est victoria.*

Tunc inquit Hermegildus Ovetensis ecclesiæ archiepiscopus. Hoc ergo reverendi episcopi una cum Romanis epistolis, unusquisque vestrum diligenter scribite, & per concilia celebrate, legiteque. Quod si aliter feceritis & a nostro præcepto alienos vos habueritis, videte (quod absit) ne in judicium domini incurratis. His peractis jam dictus rex surrexit, & faventibus B cunctis, qui aderant in concilio tam ecclesiasticus ordo quam secularis, subscriptam diœcesim jure perpetuo tradidit Ovetensi ecclesiæ. In Gallecia Suarnam cum possessionibus sancti Martini, & sanctæ Mariæ de Villavolf cum omnibus suis appenditiis, Vallem longam, & possessionem sanctæ Mariæ cum omnibus suis appenditiis. Neram cum possessionibus sancti Martini de Asperella, & sancti Iacobi de Corias cum omnibus appenditiis earum: Flaniosam, & possessionem sancti Martini de Perelinos cum omnibus suis appenditiis; Totam Sarriam, & possessionem sanctæ Mariæ de Corvella cum omnibus suis appenditiis. Paramum usque ad flu- C men Mineum, totam Lemostum, Vintio, & Veresino, & Saviniano, & Froiane usque ad flumen Sylum. Totam Luncam cum ecclesiis de Patraio quæ ædificatæ sunt, vel fuerint inter Ornorium flumen, & Sylum, terminum montis Baron, & per aquam Zore, usque in fluvium, & fundum Arnoie; & per ipsum discursum usque in flumen Mineum. In Veza usque in Portellam de Vanati: & ecclesias de Sallar inter Arnoiam, & Sylum cum ecclesiis de Barrosa Castellani, & possessiones sancti Salvatoris de Ilbasmœsas cum Saucam, Barvantes, Aura, & Avion, Asina, Camba, Aviancos, & possessionem ecclesiæ sanctæ crucis de Soto se- D natori cum omnibus suis appenditiis, sicut prædictam sedem hæreditaverunt nostri prædecessores, & Vandali reges stabilierunt, ita nos eam præcipimus stare & confirmamus.

Ovetensis ecclesiæ diœcesis.

Tunc omnes, qui erant in concilio una voce dixerunt: Placet, placet omnibus.

Deinde tractaverunt ea, quæ pertinent ad salutem totius regni Hispaniæ; his peractis, solutoque consilio abierunt unusquisque in sua cum gaudio.

Solvitur concilium.

Actum concilium XVIII. Kal. Iulii æra " DCCCCX.

" imo DCCCCXI. aut aliqua sequenti.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

Supra jam monuimus æram illam Hispanicam corruptam esse, atque Amanuensis incuria excidisse saltem unitatis E notam, scribendumque esse DCCCCXI. aut DCCCCXII. neque enim Ioannes VIII. Hadriani II Kalendis Novembris anni 872. defuncti in pontificia dignitate successor electus duntaxat die XIV. Decembris ejusdem anni duas ad Adelfonsum, quæ initio concilii memorantur, epistolas mense Iunio, Iuliove scribere potuit antequam pontifex fieret, neque concilium ab eo indictum celebrari, nisi vel anno 973 aut aliquo ex proxime sequentibus: Sandovalius in notis meminit diplomatis Callisti papæ II. anno 1122. concessi in hæc verba: *Ecclesiam Ovetensem pro qua nos exorasti, cujus privilegia, regaliaque testamenta & diœcesis determinationes nobis præsentare studuisti, sicut rex Adelfonsus Ordonii filius & omnes illius temporis episcopi Hispanienses cum auctoritate* (sic enim legendum, non *ante*) *prædecessoris mei bonæ memoriæ domini Ioannis papæ constituerunt, & confirmaverunt eis in perpetuum stare præcipimus & apostolica auctoritatis privilegio sancimus* Ceteros temporum characteres qui in historia Sampiri mendosi apparent excutientur a nobis accuratius alio in loco.

ANNO CHRISTI 873.

CONCILIUM CABILONENSE, IN ECCLESIA SANCTI LAURENTII trans Ararim celebratum anno Christi DCCCLXXIII.

Synodi hujus meminit Petrus a sancto Iuliano in historia rerum Cabilonensium, ad eamque convenisse narrat Remigium Lugdunensem & Adonem Viennensem archiepiscopos, Liudonem Æduensem, Girboldum Cabilonensem, & Bernardum Matisconensem episcopos, Leuboinum item chorepiscopum Lugdunensem, cum abbatibus & clericis ac monachis permultis. Meminit & decreti ab ea conditi de ecclesia sancti Laurentii, in qua synodus agebatur, cum de ea quæreretur, liberane ac sui juris esset, an sancti Marcelli ecclesiæ, quod ista contendebat, potestati obnoxia. Qua de re quid statutum sit a synodo, non declarat. Decreto autem appositam fuisse notam testatur anni Caroli Calvi regis in Lotharii nepotis sui regno tertii, qui incidit in annum regni ejus XXXIII. *Christi* DCCCLXXIII.

" Ex Chartulario S. Marcelli Cabilonensis edidit R. P. Claudius Perry S. I. in probationibus hist. Cabil.

" ** CARTA RESTITUTIONIS ECCLESIÆ SANCTI LAURENTII CABILONENSIS factæ canonicis sancti Marcelli a concilio episcoporum habito in eadem ecclesia sancti Laurentii XII. Kal. Iunii anno Christi DCCCLXXIII. Caroli Calvi in Burgundia tertio post mortem Lotharii regis.

REMIGIUS sanctæ Lugdunensis sedis archiepiscopus, & cum eo Ado reverendissimus archiepiscopus Viennensis, Liudo quoque Augustodunensis episcopus, nec non & Girboldus Cabilonensis; Bernaldus etiam Matiscensis reverendi episcopi, sed etiam Leubonius " chorepiscopus Lugdunensis, simulque acceptabilis multitudo canonicorum monachorum, archidiaconorum, abbatum, ac reliquorum ordinum, secundum Dei voluntatem in suburbio Cabilonensi nobiscum congregata, apud basilicam sancti Laurentii, quæ juxta monita civitatis ejusdem constructa est. Omnibus Christum per orbem quadrifidum adorantibus, pacis, concordiæque " munus. Notum sit cunctis, quod nobis residentibus in eadem ecclesia, antefati martyris nomine insignita, anno dominicæ incarnationis DCCCLXXIII. regni domini Caroli tertio post mortem nepotis sui Lotharii, in Burgundia; venit in ipso concilio quidam presbyter, nomine Leuterius, præpositus & advocatus canonicorum sancti Marcelli martyris. Et stans in medio synodi, monstravit nobis per privilegia ejusdem loci, ipsam ecclesiam in qua residebamus sancto Marcello a regibus ipsius loci constructoribus, ex consensu episcoporum Cabilonensis civitatis fuisse tributam: eamque injuste per incuriam & negligentiam " prædictorum canonicorum sancti Marcelli, ab episcopis prædecessoribus usurpatam. Qua de re dominum & fratrem nostrum, præclarum videlicet virum, Girboldum episcopum interrogantes quid ei placeret; ut justis rebus fuit semper annuens, dixit. Si hæc a nostris antecessoribus jam dicto loco donata, ut suprema nobis patescerent limina; hæc ipsa ex nostra parte dare debuissemus ei donaria. Sed quia hujusce causæ nobis evidentia monstrantur scripta, quod eatenus a nobis ipsa tenetur ecclesia; decernat sanctitas vestra quid nos conveniat agere. Cujus verba audientes, ex ipsius, cunctæque illius congregationis, & canonicorum consensu, judicavimus sancto Marcello ipsam ecclesiam reddi, atque ut deinceps illi servientes possiderent. Cunctum concilium judicium nostrum per has litteras laudavit, & firmavit, ac in ipso nemo contradixit, ut quicumque clericus vel laicus contrariari præsumpserit, humanis legibus " coactus, etiam divinis usque ad emendationem sub anathemate foret. * Hanc autem scripturam fieri præcepimus: ac ut in futuris temporibus teneatur, manibus roboravimus.

Remigius humilis episcopus.
Ado Viennensis episcopus.
Liudo sanctæ Eduensis ecclesiæ episcopus.
Bernaldus Matiscensis episcopus.
Girboldus Cabilonensis episcopus.
Leuboinus " chorepiscopus.
Heriboldus monachus.
Herpinius abbas.
Eudo humilis abbas.
Theodbertus diaconus.
Gontranus " presbyter.
Bertrannus " diaconus.
Gontardus abbas.
Levisingus " archidiaconus.

Data anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIII. regni domini Karoli tertio in Burgundia. XII. Kal. Iunii. Marcellus non meritus levita scripsit, & roboravit in Dei nomine feliciter. Amen.

" sit animis

" perditam haberent

" convictus *

" Leubonius

" Guntrannus.
" Bertradus
" Penefingus sive Leutfringus.

ANNO CHRISTI 873.

" ** CONCILIUM COLONIENSE, SIVE MONUMENTUM SYNODI MAGNÆ anno incarn. dominicæ DCCCLXXIII. indict. VIII. " sub piissimo rege Ludovico, anno imperii ejus XXXIII. apud Coloniam Agrippinam collectæ VI. Kalend. Octobris ex pervetusto bibliothecæ Gelenianæ codice scripto manu Hermanni de Vvelalia V. Cl. quem Fridericus III. Cæsar sancti Severini Coloniæ, & beatæ Mariæ virginis Aquisgrani canonicum fecit.

" corrige VII. quæ biduo ante cœpit die 24. Septembris vide subscriptiones.

IN nomine " sanctæ & individuæ trinitatis Vvillibertus divina prædestinante clementia Coloniensis civitatis archiepiscopus.

Noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter Guntharius sedis nostræ venerabilis pastor divino ductus amore, una cum consensu & voluntate suorum clericorum ac laicorum nostræ " matricis ecclesiæ rebus privatim singulis monasteriis ad hunc pertinentibus ac canonice in eis commorantibus sumptuum suorum necessaria habenda delegavit atque contradidit, quatenus deinceps videlicet eadem monasteria & iidem canonici futuris temporibus perpetualiter inde consistere quivissent absque alicujus sumptus indigentia. Præterea quidem & hoc quisque ecclesiæ amator agnoscat qualiter jam fatus vir pastoralis (sumptibus necessariis, ut prælibatum est, in præsignatorum jus clericorum ex donatione ordinabiliter atque regulariter delegatis atque distributis) illis concessit atque donavit ultra licitum fore cum secura potestate & libero arbitrio inter se ordinare & facere tam de sua electione, quam de omnibus suis rebus absque ejus consultu & imperio. similiter vero cunctis innotescat, quod idem supra memoratus pastor in futurum præcavens ne prælati ordine regiminis confuse utendo aliquando inter se fortem dissensionem inde incurrerent, ac ne ob hoc

" Editum ad calcem libelli de suffraganeis Coloniensibus missi ad nos a R. P. Ioanne Gamans S. I. presb.
" matris

Licentia proprietatis.

Libertas electionum.

hoc statu tum clerici tādem instabiles denuo sicut prius absque correctionis & increpationis timore huc illucque vagabundi liberius discurrerent, decrevit, ut præposito in sibi subjectis nullus nec prælatione nec potestate superponeretur, sed idem potius in ambobus super omnes præstantissimus haberetur, ac insuper eorumdem subjectorum res communes interius exteriusque ipse solus cum consilio prudentum benevolentiumque fratrum gubernans, diligenterque providens, totum in suam assumeret reservandum custodiam, quicquid ex his debite proveniret, & sic postea summa cura atque diligentia idipsum in illorum utilitatem ministrando dispensaret. Nihilominus, scilicet ipse idemque beatæ & dignæ memoriæ vir & divini consilii inspiratione admonitus firma ac perpetua lege sancivit, ut nullus unquam pontifex sine illorum conscientia sive consensu de ipsa substantia, minimam unquam præbendam alicui per potentiam tribueret, aut item in domibus sive ædificiis in urbe vel exterius circa urbem sibi jam a quibuslibet in eleemosynam datis seu deinceps donandis, aut usquam alibi in ceteris universis illorum locis in omnibus rebus absque consensu, & communi cunctorum voluntate, quidquam eis per potentiam sive per aliquam vim destrueret, illorum donationem seu traditionem quam inter se in claustro de qualibuscumque suis rebus, testibus adhibitis fecissent, hoc illis quasi in jus hereditarium firmiter concedens, quatenus quisque illorum sive nobilis sive ignobilis esset, usque in sempiternum liberum haberet arbitrium suam mansionem cum ceteris quibuscumque rebus donare seu etiam tradere cuicumque suo confratri voluisset, post obitum suum possidendum absque ullius episcopi consultu sive contradictione. Hujus itaque ordinationis ac concessæ electionis atque memorialis decreti præsens conscriptum ob memoriam & eleemosynam nostri fieri volentes, jussimus illud in conspectu totius synodalis conventus publice recitari, quem simul nobiscum hodierno die collectum habuimus ob nostræ ecclesiæ dedicationem faciendam & ob plurima divina tractanda negotia, id est, coram Luitberto sancto viro Moguntinensis ecclesiæ archiepiscopo, nec non Bertolpho Trevirensis ecclesiæ archiepiscopo ac coram plurimis aliis episcopis tam suis quam nostris suffraganeis, nec non coram ceteris omnibus sacri ordinis viris præsto habitis, quatenus illorum communi examinatione probaretur, si esset a nobis recipiendum nec ne. Cunctis autem unanimiter dijudicantibus, non solum recipiendum fore, verum etiam digne & juste & secundum regulam adimplendum, eo quod regulariter atque rationabiliter in omnibus ordinatum haberetur, tam nostra manu subtus id firmavimus quam etiam propriis singulorum manibus roborari fecimus. Unde juxta illorum judicii authoritatem una cum ipsis proferre damnationis sententiam firmissime decrevimus, quisquis quasi ecclesiastici ordinis violator & contemptor hoc in perpetuum ausu temerario vel infringere vel disturbare aggrederetur. Et ideo quicumque successorum nostrorum id scienter facere præsumpserit, omnibusque consiliariis ejus, quorum consilio hoc nefas egerit, Deus conteret dentes eorum & in ore ipsorum molas confringet dominus. Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens convertantur ad vesperam, & famem patiantur ut canes. Ac propter hæc opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum sit. Pedes eorum ad malum currant: cogitationes eorum inutiles: vastitas & contritio in viis eorum. Viam pacis nesciant, & non sit judicium in gressibus eorum, semitæ eorum incurvatæ sint, in tenebris ambulent & palpent sicut cœci parietem, & quasi absque oculis attrectent. Salus elongata sit ab illis, multiplicatæ sint iniquitates eorum coram te domine. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur in æternum domine. Fiant corruentes in tempore furoris tui domine, & duplici contritione contere eos domine Deus noster, amen. Decidant a cogitationibus suis, convertantur dolores eorum in caput ipsorum, & in verticem eorum iniquitates eorum descendant. Pones eos domine in clibanum ignis, in tempore vultus tui: fructum eorum de terra perdes, erubescant & conturbentur & deducantur in infernum; muta fiant labia eorum. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti: fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, veniat mors super illos. Destrue illos in finem, & disperge illos in virtute tua domine. Evelle eos de terra & radicem eorum de terra viventium. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum; obscurentur oculi eorum ne videant: effunde super eos iram tuam. Fiat habitatio eorum deserta: appone iniquitatem super iniquitatem eorum. Deleantur de libro viventium. Fiant cum illis qui dixerunt domino Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Imple facies eorum ignominia, erubescant & conturbentur in sæculum sæculi. Fiant dies eorum pauci & anni eorum non memorentur amplius. Maledicti sint in agro, maledicti in domo, maledictus fructus eorum. Habeant oculos & non videant, aures & non audiant, nares & non odorentur, gustum & saporem nesciant, sensum ut non intelligant, tactum inutilem atque insensibilem præstante te Iesu Christe, qui vivis & dominaris per cuncta sæcula. Amen.

His ita rite peractis prostraverunt se in terram adorantes dominum atque laudantes dicebant: *Benedictus dominus quod suæ sanctæ ecclesiæ talem dignatus est conferre pastorem.* Tunc surgentes in medio Luitbertus atque Bertolphus archiepiscopus dixerunt: *O sanctissimi patres licet nobis adhuc de authoritate sanctorum patrum parvam damnationis sententiam inferre:* Respondentibus omnibus: *Licet:* Luitbertus archiepiscopus dixit: Quisquis, ut antedictum est vel ecclesiastici ordinis violator & contemptor hoc perpetuum infringere aggredietur, vel quicumque successorum nostrorum id potestative seu qualicumque modo vel ingenio irritum facere præsumpserit, fiat ei juxta apostoli sententiam dicentis: *Qui nos conturbat, portabit judicium quicumque est ille:* & iterum. *Utinam abscindantur, qui nos conturbant* Insuper sciat se irrevocabili anathemate innexum haberi, & in extremæ ultionis die, cum diabolo & angelis ejus cruciandum, juxta hoc quod S. Basilius de pastoribus ecclesiæ dixit: Si is qui præest fecerit, aut cuiquam quod a domino prohibitum est facere jusserit, vel quod præceptum est prætericrit, aut potestative mandaverit sancti apostoli Pauli sententia ingerenda est ei dicentis: Etiamsi nos aut angelus de cælo euangelizaverit vobis præterquam quod euangelizavimus vobis anathema sit.

Si

[Margin notes, partly cut off: "...tempore ...bus cu... præpo..."; "...entia te... ...udi."; "...odus ...bita pro... ...e dedi... ...onem ...acra ne... ...zia."; "...nodales ...sonæ."; "...ullibet... & alii ...scripse... ...t."; "...aledi... ...iones ...nodales."]

ANNO CHRISTI 873.

Si quis prohibet nos facere quod a domino præceptum est, & a sanctis patribus traditum est: vel rursum imperat fieri, quod dominus & SS. PP. fieri prohibent, execrabile sit Deo & omnibus qui diligunt dominum. Item de eodem de cujus supra episcopus dixit: qui clero præest si præter voluntatem Dei præterquam quod in scripturis sanctis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid vel imperat tanquam falsus testis Dei aut sacrilegus habeatur. Actum Coloniæ in supradicta civitate V. Kalendas Octobris die, sub piissimo rege Ludovico anno imperii illius XXXIII. Anno dominicæ incarnationis DCCCLXXIII. Indictione septima.

Ego Vviliberus prædictæ civitatis Coloniensis archiepiscopus, qui hoc præsens regularis electionis conscriptum fieri jussi consentiens subscripsi.

Ego Luitbertus Moguntinensis ecclesiæ archiepiscopus consentiens subscripsi.

Ego Bertolphus Trevirensis ecclesiæ archiepiscopus consentiens subscripsi.

Ego Bernardus Virdunensis ecclesiæ episcopus similiter.

Ego Alfridus Hildinisheimensis ecclesiæ episcopus similiter.

Ego Theodoricus Mimidonen. ecclesiæ episcopus similiter,

Ego Gerolphus Firdensis ecclesiæ episcopus similiter.

Ego Luithardus Paderborn. ecclesiæ episcopus similiter.

Ego Hildigrimus Halverstad. ecclesiæ episcopus similiter.

Ego * Hodolfus Mimigernafurdensis ecclesiæ episcopus similiter.

Ego * Lubertus Osnaburgensis ecclesiæ episcopus similiter.

*al. Odolfus, & Hedolfus & Holdolfus. *al. Hebigebre Chnaburgensis.

Lutbertus presbyter similiter.

Sibaldus presbyter & præpositus similiter.

Euerardus presbyter similiter.

Hundolphus presbyter similiter.

Reginhardus presbyter similiter.

Ego Adelvvinus indignus diaconus ad vicem Adeloldi presbyteri atque cancellarii subscripsi.

Et manu Vviliberti:

Miserere domine; miserere misero Vviliberto indigna agenti & digna patienti: assidue peccanti & tua flagella quotidie sustinenti. Memento mei Deus in bono, Deus ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei & in ceremoniis ejus. Amen.

Corroboratio gloriosissimorum archiepiscoporum domini Vviliberti Coloniensis, Luitberti Moguntinensis, Bertolphi Trevirensis, nec non & aliorum episcoporum ac suffraganeorum suorum cum ceteris sacri ordinis viris quam plurimis ac nobilibus laicis, de sumptibus canonicorum & de electione perpetualiter habenda, ac regiminis regularis ordinatione, ut si qui eam infringere conentur, sicut infra scriptum, teneantur summo anathemate usque in perpetuum, nisi pœnitendo resipiscant; extinguaturque lucerna eorum in perpetuum. Amen. *Hactenus ms.*

In eadem synodo ab iisdem episcopis confirmata est fundatio illustrissimi parthenonis Assindiensis; cujus hæc est clausula:

Anno dominicæ incarnationis DCCCLXXVII. (lege III.) sub piissimo rege Ludovico anno imperii ejus XXXVI. (lege III.) apud Coloniam civitatem v. Kalen. Octob. in ipsa die dedicationis basilicæ S. Petri. Ego Alfridus episcopus hoc privilegium coram domino Vviliberto prædictæ civitatis archiepiscopo recitavi, necnon coram Luitberto Moguntiacensi archiepiscopo, & Bertolpho Trevirensi archiepiscopo &c. (*eodem quo supra ordine*) Episcopis, necnon coram aliis compluribus sacri ordinis viris, qui ob supradictæ ecclesiæ dedicationem convenerant. Prælecto itaque hoc privilegio in omnium supradictorum conspectu acclamantibus omnibus hanc constitutionem salubriter atque ordinabiliter institutam, ut non modo addi verum etiam aliquid minui damnosum videretur, omnes unanimiter hujus conscripti aliquo malo ingenio violatorem in perpetui anathematis foveam detrusimus. Vniversis mecum uno ore clamantibus: Ex authoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti, & SS. apostolorum excommunicamus & anathematizamus omnes, qui sua præsumptione vel aliquo malo ingenio hanc constitutionem scienter violare præsumpserint.

Fundatio Essendiensis.

Hactenus clausula ex copia fundationis & confirmationis Assindiensis in membrana conscriptæ, cui appensum est plumbum exhibens crucem decussatam ab una parte, & ab altera signum Alfridi episcopi nomen ejus exprimens. Porro in eadem synodo vel certe tempore hujus synodi videtur erecta & stabilita fuisse dotatio Gerrisheimensis parthenonis, ita enim suadent, personæ nominatæ in dotationis forma quam eidem parthenoni in honorem S. Hippolyti martyris a S. Gerico duce fundato, dedit B. Regenberga dotatrix ejusdem parthenonis, cujus hæc est clausula.

Gerrisheimensis fundatio.

Monarchiam imperii gubernante Ludovico imperatore Augusto & sanctæ ecclesiæ Coloniensi fideliter præsidente Vviliberto archiepiscopo Regenberga indigna Christi famula, & militis Gerici filia pro spe & requie futura beatæ vitæ, ea quæ ad me hereditario jure pervenerunt jura mancipiorum, prædia & ecclesias quasdam ad cœnobium patrio nutu ac sumptu in Gerresheim pro remedio cælestis patriæ constitutum & a venerabili supradicto archiepiscopo dedicatum tradidi, atque sub testimonio & auxilio archicancellarii Luthardi, nec non archicapellani Lotberti, atque advocati hujus præscripti loci Hatheboldi patruelis nostri, sub authoritate regali atque pontificali firmavi ...... coram archiepiscopo Vviliberto, necnon principibus, quam multis clericis atque laicis, ea lege.............

Hactenus monumenta synodalia, de quibus insignem, qui posset attexi commentarium, relinquo " avunculo meo R. D. Ægidio Gelenio historiæ Coloniæ perverstigatori, illud solum dicam.

" editoris Colon. verba sunt.

1. Guntharium cujus hic mentio honorifica habetur, etsi ob consensum datum in repudium Lotharii imperatori sit suspensus, & causam Romæ agere debuerit, uti apud Baronium Miræum & imprimis Brovverum in Trev. histor. legimus, non tamen ita esse abdicatum, ut papa in novi episcopi electionem consentiret: ut patet ex jure canon. dist. 63. cap. 4. & epist. mox citanda, nec ita malum fuisse ut continuo nihil boni operis in eo posset reperiri, Annal. Franc. a Pithæo editi Gantherum pœnituisse dicunt.

Aliqua Guntharii defensio.

2. Vvilibertum successorem Gunthari anno 869. electum, teste Reginone, & a Luitberto Mogunt. archiepiscopo anno 870. consecratum in quadam synodo quæ ab antedicta diversa est, & de qua annales Pithœani, Herm. contractus a Canisio editus, Sigebertus vero ad an. 871. & alii meminerunt: qui errore lapsi noscuntur in hoc quod synodum in qua est consecratus Vvilibertus cum synodo altera dedicationis confuderint, & æris diversis utendo lectorem implicuerint, & quamquam Hadrianus PP. indict. 3. 5. Kal. Iul. (id est anno 870.) in literis ad Ludovicum regem Germ. scribat.

Diversæ synodi Colonienses.

Miramur

ANNO CHRISTI 873.

A Miramur præterea gloriam vestram pręficiendo episcopum Agrippinæ Coloniæ, tam indiscrete prębuisse consensum, cum evidentissime scires, quod apostolicæ sedis judicio atque consensu ibidem debuerit ordinari antistes, cujus censura nuper fuerat eadem ecclesia suo privata rectore. Et quidem quod post judicium sedis apostolicæ factum est, dure suscepimus, sed quod tua super hoc devotio, quam circa nos habere probaris omnimodis tacuit, durius æstimamus. Præcipue quia Guntharii dudum archiepiscopi causam antequam in locum illius substitueretur episcopus, nos iterum audituros & vocem ejus admissuros fore spopondimus: Præfatam quippe ordinationem nec confirmamus, nec ratam habere decernimus, quo usque ille qui ordinatus est nostræ exhibeatur præsentiæ, & utraque pars coram nobis discussa conventus synodalis perpendatur audientia.

Quamquam hæc Hadrianus PP. rescripserit, Vvilibertus tamen in episcopatu permansit, & eodem anno (circa Augusti mensem in Italia defuncto Gunthario, in synodo Coloniensi est consecratus. Eidem tamen pallium negavit successor Hadriani Ioannes eo quod id consueto modo non petierit: ut est in jure can. dist. 100. cap. 4. qui etiam ad Vvilibertum hunc plures dedit epistolas videlicet 106. 283. V. synodum Pontiniac. in conc. Gallicanis & Binii.

3. Ex catalogo episcop. qui synodo Coloniensi subscripserunt, restaurandos esse catalogos Monasterii Osnab. Mind. & Paderbon. episcoporum & eorum historiam illustrandam, quo ad martyres qui an. 879. vel 880. in Ebekestorff in inferiore Saxonia martyrio sunt coronati: ex quo perspicuum fit Gerricum ducem Gerrishemensem fundatorem, non esse illum qui in Ebbekestorff cum antedictis episcopis a Normannis est occisus, quippe cujus corpus sub ducis Lotharingiæ titulo virgines apud se asservant, cum illorum martyrum corpora in cumulum congesta & tabo infecta dignosci nequiverint. plura de his Crantzius cum in epistola quadam, tum in historia Saxonica consultus docebit.

Illud tamen non prætermittam dicere, quod ad hæc tempora spectet Vverdensis monasterii cum ecclesia consecratio, quam Vvilibertus archiepiscopus una cum Hildegrimo Halberstadensi episcopo peregit teste Cleinsorgio. Et forte evenit ut pars episcoporum, uti Colonia cooperata fuerat, Gerrisheimium, & inde Vverdenam sit cum Vvilibertο profecta, quo eidem suffragaretur in pontificio ritu; ut vel idcirco synodus hæc intermitti non debuerit, quin suffraganeis nostris jungeretur, præterquam quod eadem synodus erit auctarium quoddam tribus conciliorum Gallicanorum tomis a P. Sirmondo S. I. nuper utilissime & ad historiam ecclesiasticam optatissime editis Parisiis.

Cum autem ut supra dictum est Vvilibertus novam sancti Petri basilicam a B. Hildebaldo cœptam in vestigio Castelli Vbiorum collocasset & dedicasset, necesse fuit ecclesiam, unde metropolitica dignitas transferebatur, quæque a sancto Materno in honorem B. Mariæ & S. Petri anno 94. dedicata fuerat, ac postea sanctæ Eugeniæ dicta, alio titulo decorari, idcirco idem Vvilibertus ei ecclesiæ titulum sanctæ Cæciliæ indidit, & collegio virginum honoravit, quod cum nomine manet ad præsens tempus unum e præcipuis collegiatis urbis ecclesiis. Ipsa vero Vvilibertina ædes pridem diruta est in gratiam augustioris illius molis, quæ parte sui perfecta miraculum mundi octavum præferre videtur.

Denique Vvilibertus hic ita episcopatum gessit, ut licet Ioannes PP. ei pallium dignitatis ecclesiasticæ (ob nescio quas causas) negaverit, ut est dist. 100. cap. 4. gloriæ tamen cælestis decore ornatus in sanctis catalogis passim recenseatur, & locum habeat in martyrologiis Ferrarii, Canisii & aliorum 11. Septembr. sedit (si septem annos quibus sedes Colon. ob Guntharium vacavit ei accenseas) 26. annis, alias 20. & obiit anno 890.

1 CONCILIVM SILVANECTENSE,

IN QVO EPISCOPI DVARVM PROVINCIARVM, Senonensis ac Rhemensis, Caroli regis jussu congregati, Carlomannum ejus filium clericum, ob varias grassationes & perduellionem, diaconi gradu dejecerunt, laicæque communioni reddiderunt, anno Christi DCCCLXXIII.

CAROLOMANNVM *Caroli Calvi regis filium, Meldensis ecclesiæ diaconum, in custodiam propter rebellionem & insidias in patrem, apud Silvanectensem urbem missum anno* DCCCLXX. *fuisse supra dictum est ex Aimoino lib.* V. *cap.* XXIV. *Eum inde deprecantibus Hadriani papæ legatis solutum, patremque in expeditione Gerardum sequi jussum, idem est auctor cap.* XXV. *At fuga mox elapsus in Belgicam, quod direptionibus omnia fœdaret; patris jussu primum ab episcopis per encyclicas literas excommunicatus, tum deinde synodi apud Silvanectum, ubi iterata custodia tenebatur, sententia diaconi gradu exauctoratus, atque in laicorum ordinem rejectus est. Qua de re in hæc verba* B *idem Aimoinus cap.* XXIX. Quia multi erant, *inquit*, in regno Caroli, & in aliis regnis, qui expectabant ut per Carlomannum filium ejus adhuc rediviva mala remergerent, episcopos apud Silvanectensem civitatem; in qua idem Carlomannus morabatur, convocavit, ut secundum sacros canones episcopale ministerium exequerentur. Quod sane ipsi feecrunt, deponentes illum secundum sacras regulas ab omni gradu ecclesiastico, laica sibi communione servata. *Synodi hujus acta non habemus: fuisse aliquando constat in codice sancti Laurentii Leodicensis, in quo hærent adhuc singularum synodi partium tituli, quinque capitibus distincti, id est:*

C I. Proclamatio diversarum querimoniarum Caroli adversus Carlomannum, scripta ad Ansegisum archiepiscopum, & Hildegarium Meldensem episcopum, conclusa in capitulis XV.

II. Epistola ejusdem Caroli regis de eodem Carlomanno.

III. Recapitulatio prioris epistolæ, scilicet ad Ansegisum & Hildegarium, ac ceteros episcopos ex duabus provinciis Senonum & Rhemorum, qui sacro conventui apud Silvanectis adfuerunt.

IV. Sententiæ judiciariæ in Carlomannum prolatæ: sed & subscriptiones episcoporum simul D insertæ.

V. Tria capitula a rege Carolo episcopis data, ubi accusatio adversus Carlomannum, & quæsitio consilii de eo tenendi continetur.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Concilium Silvanectense.*] Ex synodi hujus actis, post indicem quem descripsimus, restabat in veteri codice initium proclamationis Caroli regis hoc titulo: *Carolus gratia Dei rex Ansegiso & Hildegario ac ceteris episcopis, qui in Christi nomine congregati huic sancta synodo interestis:* Omnibus negotiis divinæ res pręponendæ sunt. *& cetera,* usque ad finem pagellæ. Reliqua enim ad delendam, ut reor, funesti judicii memoriam, jam olim excisa.

E 1 CONCILIVM DVZIACENSE II.

ANNO CHRISTI 874.

ADVERSVS INCESTA CONIVGIA, & rerum ecclesiasticarum pervasiones, apud Duziacum villam, Idibus Iuniis, indictione VII. celebratum, anno Christi DCCCLXXIV. Ioannis papæ VIII. anno II. Caroli Calvi regis XXXV.

Epistola synodica concilii ad episcopos Aquitaniæ.

SANCTA synodus plurimarum provinciarum, nutu divino, & sanctione domni Caroli regis gloriosi, apud Duziacum secus municipium Mosomum Rhemensis parochiæ, in Dei nomine anno incarnationis dominicæ

R DCCCLXXIV.

ANNO CHRISTI 874.

DCCCLXXIV. indictione VII. Idibus Iuniis convocata, dilectis fratribus & venerabilibus consacerdotibus nostris, in provinciis Aquitanicæ regionis sanctas Dei ecclesias gubernantibus, plurimam in salvatore salutem. Sicut ad humilitatem nostram non incerta relatione atque exinde consultatione perventum, quamplures, & maxime carne nobiles, & honore temporali sublimes, inter alia Deo & suæ saluti contraria, incestis conjunctionibus, & rerum ecclesiasticarum pervasionibus, pestilentia exitiosa in regionibus illis depereunt: assumentes de incesti pollutione velamentum securitatis quorumdam prava & perversa doctrina, de hoc quod S. Gregorius, sanctæ catholicæ atque apostolicæ Romanæ primæ sedis ecclesiæ pontifex, Augustino primo Anglorum episcopo interroganti usque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi conjugio copulari, & si novercis & cognatis liceat conjugio copulari, rescripsit dicens; Quædam terrena lex in Romana republica permittit, ut sive fratris & sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Vnde necesse est, ut jam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam secunda, quam diximus, a se omnimodo debet abstinere. Cum noverca autem misceri, grave est facinus, quia & in lege scriptum est: *Turpitudinem patris tui non revelabis.* Neque enim patris turpitudinem filius revelare potest. Sed quia scriptum est: *Erunt duo in carne una*, qui turpitudinem novercæ, quæ una caro cum patre fuit, revelare præsumpserit, profecto ejus turpitudinem revelavit. Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quia per conjunctionem priorem caro fratris fuerat facta. Pro qua re etiam Ioannes Baptista capite truncatus est, & sancto martyrio consummatus. cui non est dictum, ut Christum negaret, sed pro Christi confessione occisus est: & quia isdem dominus noster Iesus Christus dixerat: *Ego sum veritas*, quia pro veritate Ioannes occisus est, videlicet pro Christo sanguinem fudit. Quia sunt multi in Anglorum gente, qui dum adhuc in infidelitate essent, huic nefando conjugio dicuntur admixti, ad fidem venientes admonendi sunt, ut se abstineant, & grave hoc etiam peccatum cognoscant. Tremendum Dei judicium timeant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re sacri corporis & sanguinis domini communione privandi sunt, ne in eis illa ulcisci videantur, in quibus se per ignorantiam ante lavacrum baptismatis adstrinxerunt. In hoc enim tempore sancta ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat, atque ita portat & dissimulat, ut sæpe malum, quod aversatur, portando & dissimulando compescat. Omnes autem qui ad fidem veniunt, admonendi sunt ne tale aliquid audeant perpetrare: si qui autem perpetraverint, corporis & sanguinis Christi communione privandi sunt. Quia sicut in his qui per ignorantiam peccaverunt, culpa aliquatenus toleranda est, ita in his fortiter insequenda, qui non metuunt sciendo peccare. Sed non est mirum, si juxta beati apostoli vocem indocti & instabiles hæc intellectu perverso depravant, sicut & ceteras scripturas, ad

(Respons ad interrog. 6. — Levit. 2. — Genes. 2. — Ioan. 14. — Resp. ad int. 7. — 2. Petr. 3.)

A suam ipsorum perditionem, & fiunt magistri erroris qui noluerunt fieri discipuli veritatis, introducentes sectas perditionis, magistri mendaces, promittentes scientiam falsi nominis, & circa fidem excidentes. Sed & de his, qui talium doctrinam potius, quam veritatem sequi ad suam salutem diligunt, egregius prædicator dicit: *Erit*, inquiens, *tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus: & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Et item: *In novissimis*, inquit, *diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus in-* B *obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; & hos devita.* Si enim prava hinc unde agitur exitiabiliter docentes, & libenter obaudientes veritatem magis quam falsitatem, & salutem magis quam perditionem suam quærere & sequi studerent, non de salubri antidoto spiritalis medici B. Gregorii neophytis confecto potionem sibi veneficam temperarent. legentes, & non negligentes, quæ hinc Felix Siciliensis episcopus, & B. Gregorio connutritus, ad eumdem papam scripsit. Ait enim C inter cetera in epistola sua præfatus Felix ad beatum Gregorium: Perlatum est ad nos a quibusdam Roma venientibus, vos Augustino consodali nostro, per venerabilem sanctitatem vestram postmodum episcopo Anglorum genti ordinato, & illuc directo, atque Anglis scripsisse, quos olim ad fidem conversos per vos cognovimus, ut quarta progenie conjuncti non separentur. Quæ consuetudo dudum illis aut istis in partibus, quando una vobiscum ab infantia nutritus atque edoctus fui, non erat, nec in ullis prædecessorum vestrorum decretis, aut reliquorum generaliter vel specialiter patrum institutis legi, aut hactenus ab ullis sapientibus esse concessum didici: sed semper D usque septimum originis suæ gradum hæc a sanctis antecessoribus vestris, & ceteris sanctis patribus, tam & in Nicæna synodo, quam & in aliis sanctis conciliis congregatis, servari debere reperi, & a recte viventibus ac Deum timentibus hominibus studiose provideri cognovi. Vnde beatus Gregorius inter cetera eidem Felici rescripsit: Quod, inquiens, scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo, alumno videlicet, ut recordatus es, tuo, de sanguinitatis conjunctione, ipsi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat metuendo austeriora recederet, specialiter, & non gene- E raliter ceteris me scripsisse cognoscas, unde & mihi omnis Romana civitas testis existit; nec ea intentione hæc illis scriptis mandavi, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, aut intra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem conjungantur. Sed adhuc illos neophytos existentes, sæpissime eos prius illicita esse docere, & verbis & exemplis instruere, & quæ post de talibus egerint, rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam juxta apostolum qui ait: *Lac vobis potum dedi, non escam*, ista illis modo, non futuris, ut præfixum est, temporibus tenenda indulsimus, ne bonum, quod infirma adhuc radice plantatum erat, exureretur, sed cœptum firmaretur, & usque ad perfe-

(ANNO CHRISTI 874. — 2. Tim. 4. — 2. Tim. 3. — Epistola ultima Felicis episcopo Messanæ. — 1. Cor. 3.)

ANNO CHRISTI 874.

perfectionem custodiretur. Sane si in his secus quam debuimus aliquid egimus, non propter ipsa in futurum servanda, sed commiserando actum esse cognoscas. *& quæ sequuntur, usque* præmia mercedis acquirant. *Et post aliquanta.* Progeniem vero suam unumquemque de his qui fideliter edocti, & jam firma radice plantati stant inconvulsi, usque ad septimam observare decernimus generationem: & quamdiu se cognoscunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere societatem. Nec eam, quam aliquis ex propria consanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli profecto Christianorum licet, vel licebit: quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis Deo & cunctis hominibus. Incestuosos vero nullo conjugii nomine deputandos a sanctis patribus dudum statutum esse legimus. Ideo nolumus nos in hac re a vobis, sive a ceteris fidelibus reprehendi: quia quod in his Anglorum genti indulsimus, non formam dando, sed consideratione, ne Christianitatis bonum quod cœperant imperfectum dimitterent, egimus. Paterna ergo vos dulcedine salutantes hortamur, ut propositas opportunitatis occasiones in vestra efficacia enixius elaborare debeatis, atque id modis quibus possibile fuerit, omni studio agere contendatis, quatenus prædicabile desiderium nostrum in auxilium omnium adjuvante domino compleatis. Nec hoc quoque in hac solicitudinis parte relinquimus, quod omnes incestuosi a liminibus sanctæ ecclesiæ sunt separandi, quo usque per satisfactionem precibus sacerdotum canonice eidem sanctæ ecclesiæ catholicæ reconcilientur. *& reliqua, usque* plures conveniunt sacerdotes? Sic & sancta catholica & apostolica ecclesia, secundum sanctarum tramitem scripturarum, prædicationemque majorum, diffinivit, quia omnis illicitus concubitus incestus sit: multo magis concubitus cum propinquis, Deoque dicatis feminis, habetur incestus. Qui enim vel cum Deo sacratis, vel cum sanguine propinquis miscentur, incesti, id est incasti, judicantur. Tamdiu vero, ut Christiana religio & auctoritas sanctæ ecclesiæ sancit, conjugia inter proximos vitanda sunt, quamdiu necessitudinum nomina perseverant: quoniam nunquam Christianis convenit, ut duæ aut tres necessitudines, ut beatus ait Augustinus, in homine uno fiant. Auctoritate quippe Dei sancta ecclesia, quam ab apostolis sibi traditam creditur observare, cui refragari fas non est, & mundanæ legis censura, nec non & ipsius naturæ honestissimo ordine perdocetur, propinquitatis conjugia usque ultra septimum gradum differenda. Unde sanctus Augustinus in libris de civitate Dei dicit, ne ipsa propinquitas longius abeat, & esse desistat, hanc matrimonii vinculo rursus colligari, & quodammodo fugientem revocari. Isidorus itaque de consanguinitate sic loquitur: Cujus series septem gradibus dirimitur hoc modo. Filius & filia, nepos & neptis, pronepos & proneptis, abnepos & abneptis, adnepos & adneptis, trinepos & trineptis, trinepotis filius, & trinepotis filia. Hæc consanguinitatis dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens usque ad ultimum gradum sese subtraxerit, & propinquitas esse desierit, eam rursus lex matrimonii vinculo repetit, & quodammodo revocat fugientem. Et arbor juris legis Romanæ, ecclesiasticis concordans legibus, a præcedentibus & subsequentibus, dextra lævaque, usque ultra

[margin: de civitate Dei lib. 15. — lib. 15. c. 16. — lib. 9. c. 6.]

A septimum gradum neminem nemini legaliter sociari permittit: & filii, qui ex tali conjugio nascuntur, in hereditatem secundum legalem censuram legitime non admittuntur. Sciendum est etiam, quia propinqui filii vel filiæ ex parte patris agnati vocantur, ex parte autem matris cognati appellantur: & patris frater, vel soror, patruus & amita, patrui vel amitæ filius, patruelis, patrui vel amitæ filia, amitina, & sic agnatio ex parte patris usque ad septimam generationem vadit. Frater matris, avunculus dicitur, soror matris, matertera, avunculi vel materteræ filius, consobrinus: avunculi vel materteræ filia, consobrina, consobrinæ filius sobrinus, consobrini vel con-B sobrinæ filia, sobrina, & sic cognatio ex parte matris usque ad septimam generationem procedit. Patris pater avus, avi pater proavus, proavi pater abavus, abavi pater atavus, atavi pater tritavus, tritavi pater, pater tritavi vocatur. Matris mater avia, aviæ mater proavia, proaviæ mater abavia, abaviæ mater atavia, ataviæ mater tritavia, tritaviæ mater, mater tritaviæ dicitur. Avi frater propatruus, propatrui filius, propatruelis, & sic ex parte avi cognatio usque ad septimam vadit generationem. Aviæ frater, major avunculus, aviæ soror, matertera magna, avunculi filius, proprius sobrinus, materteræ filia propria sobrina, inde sobrini & sobrinæ, & sic usque ad septimam ge-C nerationem cognatio ex parte aviæ vadit. Proinde necesse est, ut unusquisque fidelis hujusmodi incesta conjugia caveat: ne id quod licite potest cum aliis, illicite gerendo cum propinquis, & peccati lapsum incurrat, & apostolico anathemate percellatur: sicut beatus junior papa Gregorius ante corpus beati Petri synodali definitione sub anathematis vinculo hec quæ sequuntur decrevit, dicens: Si quis presbyteram duxerit in conjugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis diaconam duxerit in conjugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in con-D jugio duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis commatrem spiritalem duxerit in conjugio anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis fratris uxorem duxerit in conjugio anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis neptem duxerit in conjugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis novercam, aut nurum suam duxerit in conjugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis consobrinam duxerit in conjugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis de E propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, vel consentientes ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis virginem, nisi desponsaverit, furatus fuerit in uxorem, vel consentientes ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis ariolis, aruspicibus, vel incantatoribus observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit. Et responderunt, omnes tertio, anathema sit. Et sanctum Ilerdense concilium decrevit, dicens: De his qui se incesti pollutione commaculant, placuit ut quousque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseverant, usque ad missam tantum

[margin: Concilium Romanum sub Gregorio II. — Can. 4.]

ANNO CHRISTI 874.

ANNO CHRISTI 874

catechumenorum in ecclesia admittantur. Cum quibus etiam nec cibum sumere ulli Christianorum, sicut apostolus jussit, oportet. Et hinc Toletanum concilium: Nam & hæc salubriter præcavenda sancimus, nequis fidelium propinquam sanguinis sui, usquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari. *& cetera, usque* habeatur extraneus. Et venerabilis synodus Agathensis hinc decrevit hoc modo: De incestis conjunctionibus, nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero, nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus: Si quis relictam fratris, quæ pene prius soror exstiterat, carnali conjunctione violaverit: si quis fratris germanam uxorem acceperit: si quis novercam duxerit: si quis consobrinæ, sobrinæve se societ. Quod ita præsenti tempore prohibemus, ut ea, quæ sunt ante nos instituta, non dissolvamus. Si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur, aut patrui filiæ, vel privignæ suæ conjugio polluatur. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. De his autem, qui ex hujusmodi piaculis egerunt pœnitentiam, & eam minime servaverunt, S. papa Siricius ad Himerium Tarraconensem episcopum scripsit hoc modo: De his, inquiens, qui acta pœnitentia, tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint, a dominicæ autem mensæ convivio segregentur: ut hac saltem districtione correcti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandum esse censemus.

1. Cor. 5.
Concilium Toletanum II. can. 5.
Concilium Agath. can. 61.
Siricius ep. 1. cap. 5.

De pervasione siquidem rerum ecclesiasticarum, in epistola episcoporum XIV. provinciarum, a synodo in Dei nomine congregata in villa Tusiaco Tullensis parochiæ Aquitanis directa, sufficienter de sacris auctoritatibus collectum habetur. De quibus quædam hic repetere non nobis est pigrum, quia experientia didicimus necessarium. Vnde sanctus papa Anacletus, ab ipso beato Petro apostolo presbyter ordinatus, postea in sede Romana successor illius factus episcopus, cum tertius mundi sacerdotibus judicavit: Qui abstulerit, inquiens, aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit: mater vero nostra ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida ante conspectum justi judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam & res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & ut sacrilegus judicandus est. Item S. Vrbanus papa & martyr: Res & facultates ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia domino offeruntur, & vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ & Sapphiræ, & oportet hujusmodi tradere satanæ, ut spiritus salvus sit in die domini. Item sanctus Lucius papa: Rerum ecclesiasticarum ac facultatum raptores, *& cetera, ut supra in concilio apud Tusiacum, usque* ambulare cum Deo tuo. His rite perpensis, quicumque vult ab excommunicationis anathemate, incestis, vel rerum ecclesiasticarum pervasoribus judicio sancti Spiritus intentato, esse immunis, eis post euangelicam commonitionem non communicet, donec separatione & pœnitentia congrua, ab hac contagione pollutionis vel sacrilegio se purificent, obaudientes apostolum, imo per apostolum loquentem dominum: *Nolite*, inquit, *communicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem & redarguite.* Quam sententiam ita beatus Augustinus exponit: Duobus, inquit, modis non te maculat malus; si non consentias, & si redarguas. Quia enim parum erat non communicare, id est non consentire operibus tenebrarum, si sequeretur negligentia disciplinæ, ait apostolus, *magis autem & redarguite*, domino item in scriptura dicente: *Anathema in medio tui: non poteris stare coram inimicis tuis.* Hæc, fratres & filii, in quocumque ordine & dignitate quisque sit Christianus, ad vos ex domini mandato dirigimus, qui de omnibus hominibus omni episcopo dicit: *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me. Ex me*, inquit, & non, Ex te. Nos enim non nostra, nec nova cudimus, vel condimus, sed vetera per sanctos veteres patres Spiritu Dei condita vobis annuntiamus. Propterea hæc sicut domini mandata suscipite, cujus potentiæ non potestis, & voluntati atque mandato non debetis resistere, si non vultis ut vestri proprii inimici saluti vestræ obsistere. Nos autem talia vobis tacere nec possumus, nec audemus: quia dominus nobis per prophetam dicit quod si non annuntiaverimus vobis, sanguinem vestrum de manu nostra requiret; & ab illis patribus & prædecessoribus nostris, quorum vices tenemus in terris, coram domino degradamur in cælis, si non exequimur quæ illi statuerunt regulis divinitus inspiratis. quoniam sicut beatus Leo papa sancto Spiritu inspirante dicit, subditorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Propterea si vos ab his, unde commonemini, quantocius non correxeritis, sicut illi in cælo, & nos in terra, una cum apostolicæ sedis præsule, & omni sacerdotum unanimitate, vos a Christi & fidelium ejus consortio segregabimus. Quod ne nos agere compellatis, vos pro Christo & vestra salute obnixius deprecamur. Vos autem si mandatis dominicis obedire studueritis, & vestram salutem præsentem scilicet & futuram agetis, & gloria atque corona nostra coram domino eritis, qui de vobis reddemus illi in die judicii rationes, sicut & vos de omnibus vobis commissis rationem estis sine dubio reddituri. Quod tunc erit, si modo a diabolicis & malis operibus, atque a perversis hominibus vos segregaveritis, vindicantes contra diabolum & vitia atque peccata honorem vestrum, qui homines ad imaginem Dei

Concilium apud Tusiacum.
Ephes. 5.
Iosue. 7.
Ezech. 3.
Ezech. 3.

Dei facti estis. Ad hoc enim, sicut scriptum est, ut Deum timeat & mandata ejus custodiat, factus est omnis homo, propter quem factus est Deus homo, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

DIFFINITIO EJUSDEM SYNODI.

De quadam monacha nomine Duda sacrilege corrupta: sed & de ejusdem sceleri consentientibus Berta & Erpreda.

CAUSAM sceleris inter Dudam monacham, partu convincente vix tandem confessam se de Huntberto presbytero concepisse ac peperisse, & eumdem Huntbertum hoc pertinaciter spe denegantem, quia putat se juramento iniquitatem suam posse abscondere, jurando cum presbyteris complicibus, qui juxta quod scriptum est, umbra ejus umbram protegunt, videlicet defensione illius iniquitatis, cum de hujusmodi fuerint interpellati, suam nequitiam abscondendo se posse protegere, & inter monachas Bertam & Erpredam huic sceleri consentientes, quæ hinc interrogatæ facile dicuntur fuisse confessæ, secundum tramitem scripturarum, prædicationemque majorum, per sacras leges ac regulas, quas conjunctim multoties in decretis suis ad causas diffiniendas beatus papa Gregorius ponit, rationaliter diffiniri posse putamus.

I.

Primum quidem attendendum est in Huntberto presbytero, de peccato manifesto se excusante, quod beatus Gregorius in regula pastorali dicit: *Ibi habuit foveam ericius.* Ericii quippe nomine impuræ mentis seseque callide defendentis duplicitas designatur. quia videlicet ericius cum apprehenditur, ejus & caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur: sed mox cum apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, & intra tenentis manus totum simul amittitur, quod totum simul antea videbatur. Sic nimirum, sic impuræ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur. Caput enim ericii cernitur, quia quo initio ad culpam peccator accesserit, videtur: pedes ericii conspiciuntur, quia quibus vestigiis nequitia sit perpetrata, cognoscitur: & tamen adductis repente excusationibus impura mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit: caput subtrahit, quia miris defensionibus nec inchoasse se malum aliquod ostendit: & quasi sphæra in manu tenentis remanet, quia is qui corripit, cuncta quæ jam cognoverat subito amittens, involutum intra conscientiam peccatorem tenet: & qui totum jam reprehendendo viderat, tergiversatione pravæ defensionis illusus totum pariter ignorat. Unde necesse est, ut ex alia sua actione quam negare non potest, idem Huntbertus conveniatur, sicut idem sanctus Gregorius in præfata regula docet: Nonnulla, inquiens, sunt subtilia occulte perscrutanda, ut quibusdam signis erumpentibus rector in subditorum mente omne quod clausum latet inveniat, & interveniente correctionis articulo ex minimis majora cognoscat. Unde ecce ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis, fode tibi parietem.* Ubi mox isdem propheta subjunxit: *Et cum perfodissem parietem, apparuit ostium unum, & dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt.* Hic notandum itaque est, quia prius foramen in pariete, ac deinde ostium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonstratur. Quia nimirum uniuscujusque peccati prius signa forinsecus, deinde janua apertæ iniquitatis ostenditur, & tunc demum omne malum, quod intus latet aperitur.

II.

Dicitur namque quod præfata Duda aspirans ad regimen abbatissæ, ascivit sibi familiarem Huntbertum presbyterum, qui scribebat breviculos, quos ipsa Duda contra regulam suæ professionis per diversos mittebat, ut satagerent quatenus abbatissa fieret: decernente B. Benedicto*, ut nullatenus liceat monachæ, neque a parentibus suis, neque a quoquam hominum, nec sibi invicem literas, vel culogias, vel quælibet munuscula accipere, aut dare, sine præcepto abbatissæ. Quæ autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subjaceat. Et adeo latens malum excrevit, ut ipse Huntbertus contra abbatissam, cui fidelitatem juravit, sed & contra præpositum suum, falsos breves scripserit, ut abbatissa deposita, Duda regimen posset assumere. Quos breves usque ad præsentiam & inquisitionem regiorum missorum protulit, & de mendacio, ac infidelitate, seu perjurio, exinde in præsentia illorum revictus fuit, ac per hoc calumniatoris crimen incurrit. Unde sacræ leges, quibus una cum sanctis regulis sancta moderatur ecclesia, dicunt: Calumniatores sunt, qui falsa deferentes contra cujuscumque innocentis personam, principum animos ad iracundiam commovere præsumunt, qui omnes infames effecti in exilio detrudentur. Et item: Non est ratio, qua manifesti calumniatoris supplicium differatur. Nec enim patimur frequentia iterari, quæ consistere prima accusatione nequiverunt, atque alienam innocentiam securitatemque sine crimine damnabili appetitione [illegible]. Et item: Quicumque scripturam in audientiam protulerit, veritatem ejus probare jubeatur: quia hoc in omnibus causis statutum est, ut scripturam prolator affirmet. Nam si is qui scripturam protulit, ejus non adstruxerit veritatem, ut falsitatis reum esse retinendum. Inter decem quippe præcepta, quæ dominus in monte Sina per famulum suum Moysen Israelitico populo dedit, falsum testimonium specialiter prohibuit: *Non falsum*, inquiens, *testimonium dices.* Hi namque, qui contra justitiam falsitatem opponunt, ut catholici doctores tradunt, similes sunt falsis testibus, qui in passione Christi falsum contra eum dixerunt testimonium. De falsis quoque testibus in libro Deuteronomii ita jubetur: *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante dominum in conspectu sacerdotum & judicum, qui fuerint in diebus illis. Cumque diligentissime perseverantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddant ei sicut fratri suo facere cogitavit. Et auferes malum de medio tui, ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere, & non misereberis ejus.* De falsis quoque testibus Salomon ait: *Testis falsus non erit impunitus.* Et alibi, in sex quæ se Deus odisse dicit, testem

Left margin notes: ...40. / ...34. / ... Pa... parr. ...12. / ...8.

Right margin notes: Interpretatio. / Codice Theod. De calumniat. 1. / Interpret. l. 7. codice Theod. De fide testium, &c. / Exod. 20. Matth. 19. / Deut. 19. / Prov. 19. / Prov. 6.

ANNO CHRISTI 874.

testem fallacem & proferentem mendacia annumerat. Testis falsidicus tribus est personis obnoxius. primum Deo, quem pejerando contemnit: sequenter judici, quem mentiendo fallere cupit: postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. In sancta quoque sua lege dominus specialiter falsum testimonium & perjurium atque mendacium prohibuit. Quicumque igitur unum ex his transgressus fuerit, dominici præcepti prævaricator sine dubio existit. Et de his tribus præfatis presbyter Huntbertus convictus ante missos regios fuisse dicitur. Quapropter vocem non habet, ut sacramento de hoc sacrilego adulterio se, vel singulariter, vel cum suis complicibus, valeat expurgare. decernente hinc sacra lege, quam probat ecclesia: In convictum reum, qui de objecti criminis veritate convincitur, sive torqueri possit sive non possit, judex quod ei visum fuerit judicabit. Et Africano decernente concilio: Quotiescumque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cetera jam non admittatur. E contra Huntbertus presbyter, qui de præfatis comprobatus dicitur atque convictus, ad se purgandum de objecto sacrilego adulterio, sicut & præcedens lex manifestat, non habetur idoneus.

Interpretatio.

Cap. 97.

III.

Quia vero lex dicit: Criminum discussio ibi agitanda est, ubi crimen admissum est. nam alibi criminum reus prohibetur audiri. & Carthaginense concilium dicit, ut accusatus vel accusator in eo loco, unde est ille qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, ubi causa finiatur. Et Africanum concilium illic jubet agitari judicium, ubi testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multa alia impedimenta adduci valeant. Et quia quæ testificantur adversus eum de sacrilego adulterio, a monasterio rationabiliter longius abduci non possunt, vicarii synodi cum missis regiis ad idem accedant monasterium, & subsequenti modo causam diffiniant.

Concilium Carthaginense canone 30.

IV.

Separentur ab invicem monachæ, & singillatim interrogentur, si forte suam sententiam immutabunt, vel in eadem qua prius permanebunt sententia. Et interrogetur Duda de temporibus, & locis, & horis, quando hoc nefarium scelus cum Huntberto commisit presbytero. Et ostendatur ei quam graviter peccatum super peccatum addet, si de alio aliquo concepit & peperit, & falso Huntbertum de crimine ipso insimulat. Et allegetur ei, ut secundum professionis suæ regulam veritatem ex corde & ore proferat: quia pura confessio etiam a morte liberat, & justificationem per indulgentiam confitenti apud Deum misericordiam impetrat, dicente scriptura: *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris. Prior,* inquit, quia si ipsa non dixerit, diabolus in judicio coram omnibus sanctis & peccatoribus dicet. Propterea melius illi est, ut hic puram confessionem faciat, & indulgentiam accipiat, quam in conspectu angelorum & hominum omnium in futuro judicio confundatur, & perpetuis flammis tradatur. Et si puriter fuerit confessa, levior illi erit pœnitentia. Deinde consentientes nequitiæ illius sorores singillatim interrogentur,

A & similiter de sententia sua experientia colligatur. Deinde isdem presbyter securetur, quia juramento nec singulariter, nec cum aliis presbyteris, se poterit expurgare, quia vocem propter præmissa non habet, ut se idoneum reddere valeat. Et si facile ac puriter confessus fuerit, veniant simul in conspectu congregationis idem presbyter & complex illius Duda & consentientes eis, & coram omnibus singillatim confiteatur. Si autem idem presbyter negaverit, veniat coram synodi vicarius, & missis regis, ac presbyteris & clericis ipsius monasterii, & coram abbatissa & congregatione, & veniat ipsa Duda, & consentientes eis, & revincant ipsum presbyterum, computantes tempora, & loca, & horas, secundum quod de crimine conscia quæque illarum existit. Et si ipse presbyter se concrediderit, facilior ei erit pœnitentia: sin autem in pertinacia sua perstiterit, convincatur hoc modo.

V.

Leges dicunt: Iudex criminosum discutiens non ante sententiam proferat capitalem, quam aut reus ipse fateatur, aut convictus vel per innocentes testes, vel per conscios criminis sui, aut homicidium, aut adulterium, aut maleficium commisisse manifestius convincatur. Et item: In criminibus eruendis quæstio quidem adhibetur, sed non statim a tormentis incipiendum est. Ideoque prius argumentis quærendum: & si suspicione aliqua reus urgeatur, adhibitis tormentis de sociis & sceleribus suis confiteri compellatur. Et item: Vnius facinoris plurimi rei ita audiendi sunt, ut ab eo primum incipiatur, qui timidior, & teneræ ætatis esse videatur. Et item: Testes prius quam de causa interrogentur, sacramento debere constringi, ut jurent nihil falsi se esse dicturos. Quia vero juratio non nisi in necessitate utenda est, ostendit dominus: *Sit,* inquiens, *sermo vester, est est, non non, quod amplius est, a malo est.* Id est, jurare cogeris; scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Quæ infirmitas utique malum est. Vnde quotidie nos liberari deprecamur, cum dicimus: *Libera nos a malo.* Ideoque non dixit, Quod amplius est, malum est, sed a malo est, illius, cujus infirmitate jurare cogeris. Secundum quod præmissa lex dicit, super sacrosancta euangelia & cetera divina mysteria juret prius Duda, & postea illæ, quæ suo facinori consenserunt, de causa interrogata se nihil falsi esse dicturas. & post juramentum, proferant testimonia adversus Huntbertum presbyterum. Post prolatum autem testimonium, quia lex dicit, quod dominus in euangelio approbat, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. & apostolus ad Timotheum scribit: *Adversus presbyterum accusationes noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus.* & *: peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.* &, ut præmisimus, leges dicunt ut criminosus vel per innocentes testes, vel per conscios criminis sui, aut homicidium, aut adulterium, aut maleficium commisisse convincatur: & sacri Nicæni canones diffiniunt, ut si aliquod delictum animæ circa personam neophyti episcopi reperiatur, & a duobus vel tribus testibus arguatur, a clero talis abstineat: vel confessus, vel convictus Huntbertus presbyter, tribus testibus criminis sui consciis, auctoritate sacrarum legum ac regularum, synodali judicio a vicariis synodi deponatur, & per missos regios

ANNO CHRISTI 874.

B C D E

Matth. 6.

Matth. 6.

1. Tim. 5.

Cap. 2.

ANNO CHRISTI 874.

regios in longinquam terram ac perpetuum exilium, juxta imperatorum & regum antiquas & consuetudinarias leges deducatur & aliquo monasterio ipsius exilii sub pœnitentia retrudatur, laica tantum sibi communione servata. De hujusmodi enim degradatione sanctus Innocentius decrevit, dicens: Eos qui talia perpetrasse dicuntur, jubebitis in medio collocari, discussisque objectionibus, quæ ipsis presbyteris impinguntur, si convinci potuerint, a sacerdotali removeantur officio, quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt, atque alieni efficiantur a ministerio, quod vivendo illicite polluerunt. De perpetuo namque exilio in longinqua terra, & sacræ leges, & epistolæ Leonis atque Gregorii ostendunt, quia longius a loco, quem fæce suæ iniquitatis infecit, amoveri debeat & abduci. De retrudendo autem eo in monasterio sanctus Leo decrevit dicens: Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore, aut diaconii gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi. Quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo?* Vnde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. Et sanctus Gregorius ad Sabinianum episcopum: Presbyterum, inquit, de quo nos fraternitas tua latoris præsentium relatione consuluit, nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere aut revocari posse cognoscas, sed in monasterio sub pœnitentia retrudatur. Et canones Neocæsarienses: Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. De non excommunicando autem eo a communione corporis & sanguinis Christi, item canones dicunt: Episcopus, presbyter, aut diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur. non tamen communione privetur. Dicit enim scriptura: *Non judicabit dominus bis in idipsum.*

Decret. c. 33. — Decret. c. 16. — Reg. 2. — epist. — c. 1. — Apostol. can. 25. — Num. 1.

VI.

De Duda siquidem monacha sacrilege corrupta sanctus Siricius ad Himerium diffinivit, dicens: Præterea monachorum quosdam atque monacharum, abjecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, velut sub monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint: postea vero in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus libere filios procrearint: quas & publicæ leges, & ecclesiastica jura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu, ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere: ut eis vel ad mortem saltem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subveniri. Et hinc sanctus Innocentius: Quæ Christo spiritaliter nubunt, & a sacerdote velantur, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur,

Decret. c. 6. — Decret. c.

A ut quæcumque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus ex his fuerit defunctus, quanto magis de illa tenenda est, quæ antea se immortali sponso conjunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigravit? Et sanctus Leo: Propositum monachi, proprio arbitrio aut voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet & reddere. Vnde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est: quia etsi innocens militia, aut honestum potest esse conjugium, electionem meliorum deseruisse, transgressio est. Et sanctus Gelasius: Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere. quos protinus æquum est a sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi: aut his certe viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.

ANNO CHRISTI 874. — Decret. cap. 26. — Decret. cap. 20.

VII.

Hæc a sanctis canonibus, antequam sanctus Spiritus per B. Benedictum eodem spiritu, quo & sacri canones conditi sunt, regulam monachorum ediderit, de hujusmodi sunt decreta: C sicut & ea quæ sancti Ambrosius & Hieronymus de lapsu virginis Deo sacratæ, & B. Augustinus de sancta virginitate & lapsu monachi scripserunt. Quæ Dudæ attentius & sæpius sunt relegenda, ut intelligat quantam dignitatem amiserit, & ad quantam vilitatem devenerit, unde exciderit, & quo ceciderit: & agat pœnitentiam cum fletus & abjectionis humilitate quamdiu vixerit. Quæ pœnitentia sit illi, ut scriptum est, in velamentum oculorum, memoreturque se deprehensam. Et cum sermonem beati Augustini de lapsu monachi legerit, sciat se, licet imparem sexu, parem professione: & quæ de monacho dicit, de se monacha dictum intelligat. Ceterum D quoniam eadem regula, sancto Spiritu promulgata, & laudis auctoritate beati papæ Gregorii inter canonicas scripturas, & catholicorum doctorum scripta, est teneri decreta: sæpefata Duda sacrilego adulterio corrupta, secundum eamdem regulam ea temperantia, ut cum sacris canonibus judicium regulare conveniat, est judicanda. Quia monachus, vel monacha, juxta eamdem regulam collum non excutit de sub jugo regulæ, si quod contra regulam commisit, per regularia judicia suæ professionis studuerit emendare. Quapropter, quia multis modis ipsa Duda contra regulam admisit, pro quibus graviori vindicta, vel virgarum castigatione castigari, sicut E actiones illius produnt, & qui regulam norunt intelligunt, (quæ hic omnia inserere superfluum duximus) jubetur, coram abbatissa sua, vel sororibus, ut ceteræ metum habeant, nudo dorso, remota virorum præsentia, virgis flagelletur, si se humiliaverit, cum misericordia, sicut scriptū est: *Corripiet me justus in misericordia:* ut caro quæ delectabiliter illam traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam, & sanguine carnis virgis elicito, sanguinem animæ, videlicet profusas lacrymas, flagello producat a mente. Si autem durior fuerit, faciat abbatissa secundum caput regulæ, in quo scriptum est: Improbas, inquiens, & duras, ac superbas, vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens

Psal. 140.

ANNO CHRISTI 874.

ſciens ſcriptum : *Stulta verbis non corrigitur.* & iterum : *Percute filiam tuam virga, & liberabis animam ejus a morte.* Prov. 23. Et quia ſacri canones hujuſmodi pœnitentia publica jubent multari, ſecundum capitulum xxv. regulæ, quod ſententiæ Pauli apoſtoli, & canonum diffinitioni concordat, judicium pro gravi culpa ſuſcipiat. In quo judicio tribus annis immoretur. & abbatiſſa ſolicitudinem de illius pœnitentia & conſolatione ſecundum capitulum xxvii. regulæ diligenter adhibeat Et alios tres annos, ſecundum capitulum xlix. regulæ, ſororibus in oratione communicet, non tamen in choro cum ſororibus, ſed retro oſtium ſtans vel orans, ſecundum canones ſacros, ſive in loco conſtituto ſibi a matre monaſterii, ut ab omnibus poſſit videri, ſicut & regula de ea dicit, quæ tarde ad divinum venit officium, eam ſtare & ſatisfacere jubet. Septimum vero annum, ſecundum cap. xxix. regulæ, in ultimo loco degens, in oblatione ſororibus ſecundum canones ſacros communicet. Et poſt ſeptem annos communionem corporis & ſanguinis Chriſti, ſi pœnituerit digne, percipiat; de cetero uſque ad ultimum vitæ ſuæ finem permanens in omni regulari ſubjectione. Et ſicut ipſa regula dicit, præterita peccata ſua cum lacrymis vel gemitu quotidie domino in oratione confiteatur, reducens ante oculos quantos gemitus in partu habuit, quem cum delectatione concepit, & quanta ſuſpiria etiam ante partum emiſit, timens deprehendi, ſicut & eſt deprehenſa : & hos gemitus, atque ſuſpiria, ſeu profuſas lacrymas emittat in ſceleris pœnitentia, de qua dicit pſalmus : Psal. 47. *Ibi dolores ut parturientis. Ibi*, id eſt, in contriti cordis pœnitentia, ſunt dolores ut parturientis. Dolor enim pœnitentis, quaſi dolor eſt parturientis : quia confitendo in oratione cum gemitu ac fletibus a ſe emittit, quod male ac voluptuoſe in voluntate concepit. Psal. 99. Hinc & alius pſalmus dicit : *Introite portas ejus in confeſſione, atria ejus in hymnis : confitemini illi.* Cum peccata noſtra per lacrymas confitemur, anguſtæ viæ portas ingredimur. Sed cum poſt hæc ad æternam vitam perducimur, portæ noſtræ atria in confeſſione laudis intramus. Quia ibi jam anguſta via non erit, cum nos lætitia æternæ ſolennitatis aſſumpſerit. Propter quam confeſſionis noſtræ anguſtiam Veritas dicit : Matth. 7. *Intrate per anguſtam portam.* Et cum ſe pſalmiſta recipi in latitudine gaudii æterni præſumeret, Psal. 30. dicebat : *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* Quapropter providendum eſt his qui peccata ſuorum operum deplorant, ut conſummata mala perfecta diluant lamentatione, ne plus aſtringantur Psal. 79. in debito perpetrati operis, & minus ſolvant in fletibus ſatisfactionis, ſicut ſcriptum eſt : *Potum dedit nobis in lacrymis in menſura.* ut videlicet uniuſcujuſque mens tantum pœnitendo compunctionis ſuæ bibat lacrymas ; quantum ſe a Deo meminit aruiſſe per culpas. Debet ergo majorem in ſe quiſque ſeveritatem exercere, ut a ſeipſo judicatus peccator, vel judicata peccatrix, non judicetur a domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta & Deo acceptabilis, ſi aſcenderit homo adverſum ſe tribunal mentis ſuæ, & conſtituerit ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat, ſicut comminatur Deus peccatori. * f. judex Atque ita conſtituto in corde judicio adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, * juſta ratio, carnifex timor. deinde ſanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Poſtremo ab ipſa A mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum vel indignam peccator ſive peccatrix judicet participatione corporis & ſanguinis domini. Verſetur ante oculos imago futuri judicii, ut cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipſe vel ipſa non accedit, cogitet quam ſit contremiſcenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam. Servatis quoque, quantum humana fragilitas patitur, regularibus xi. gradibus * humiliatis, juxta xii. gradum corpore humiliatam videntibus ſe ſemper indicet, id eſt, in opere, in oratorio, in monaſterio, in horto, in via, in agro, vel ubicumque, ſedens, orans, & ambulans vel B ſtans inclinato ſit ſemper capite, defixis in terram aſpectibus, ream ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimans, jam ſe tremendo judicio repræſentari exiſtimet, dicens ibi in corde ſemper illud quod publicanus ille euangelicus fixis in terram oculis dixit : Domine non ſum digna ego peccatrix levare oculos meos ad cælum. Luc. 18. Et item cum propheta : *Incurvata ſum, & humiliata ſum uſquequaque.* Psal. 118. Imitans meretricem mulierem pedes domini lacrymis rigantem, & capillis ſuis tergentem, & unguento unguentem : cui dimiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Geſtet denique inceſſanter fœtorem luxuriæ in naribus mentis ſuæ, & depictum ſacrilegium Deo C dicati corporis ſui, & inceſtum adulterium a ſe commiſſum, quæ Chriſto ſpiritaliter nupſit, in corde ſuo dicens cum lacrymis ex viſceribus intimis : *Amplius lava me, domine, ab iniquitate mea ; & a peccato meo munda me.* Psal. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.* Et increpante ſe rea conſcientia dicat, Peccavi domino, ut transferat dominus peccatum ſuum, & non moriatur in æternum. Sacrificium enim Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit, qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, & allevat omnes qui corruunt, D & erigit omnes eliſos. Poſt lacrymas quoque, tam nocturnas, quam diurnas, non ad inanem lætitiam, vel mortiferam triſtitiam, ſeu pravas & turpes cogitationes cor ſuum redire permittat, & lucrum compunctionis per incuriam fluxæ cogitationis perdat. Sed quotieſcumque turpes & fluxæ cogitationes illi ſubrepſerint, ſignet frontem ſuam & cor ſuum ſigno crucis Chriſti, petens ut crucifixa mundi ſalus crucifigat carnem ſuam & mentem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis. & aſſidue illi in memoria maneat, quod ſancta femina Anna ideo obtinere meruit quod popoſcit, quia ſe poſt lacrymas in eodem mentis vigore ſervavit. De qua nimirum E ſcriptum eſt : *Vultus ejus non ſunt amplius in diverſa mutati.* 1. Reg. 1. Quia igitur non eſt oblita quæ petiit, non eſt privata munere quod popoſcit. Et in his omnibus ſecundum ſacros Nicænos canones propoſitum & ſpeciem pœnitentiæ in ea convenit explorari. Si autem antea infirmaverit. & deſperata fuerit, viatico munere non privetur. Et ſi convaluerit poſt communionem, ſit inter eas quæ communionem orationis tantummodo conſequuntur, uſquedum decreto modo præfixos compleat annos. Meminerit autem abbatiſſa ſecundum cap. xxiv. regulæ, calamum quaſſatum non conterendum, & ne quid nimis : ne dum cupit eradere æruginem, frangatur vas, ſuamque fragilitatem ſemper ſuſpecta ſit. In quibus non

ANNO CHRISTI 874.

* humiliatis,

ANNO CHRISTI 874.

non dicimus, ut permittat nutriri vitia, sed prudenter, & cum castitate ea amputet, prout viderit cuique expedire.

VIII.

Sicut est discretio in peccatis peccantium, & in medela eorum, ita est discretio in correctione peccantium, & in manifestatione ac medela peccatorum peccantium. De quibus omnibus ne prolixior sermo legentibus sit onerosus, de his tantum quæ ad hoc unde agitur pertinent, succincte dicamus. Beatus gratia & nomine Benedictus sancto Spiritu inspiratus, consona sacris scripturis, & aliorum orthodoxorum patrum prædicationibus, in regula sua dicit: Si quis in labore quovis, vel in quocumque loco aliquid excesserit, & non veniens continuo ante abbatem vel congregationem ipse ultro satisfecerit, vel prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi. Si animæ vero peccati causa fuerit latens, tantum abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera non detegere & publicare. Quæ & in monacharum cœnobiis erga sui sexus spiritales monasterii matres oportet monachas observare. Ceterum omnes tam clerici, quam laici, vel feminæ confitentes secreta confessione sacerdotibus peccata sua, & ea dignæ pœnitentiæ satisfactione deflentes, nequaquam sunt prodendi, & peccata eorum nulli a sacerdote quacumque sunt significatione manifestanda, nisi soli domino in secreta oratione, pro quibus sicuti & pro suis jugiter intercedat peccatis. De peccatis vero, quæ frater in fratrem admiserit, euangelicum documentum est prorsus sequendum, quo dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum*, & reliqua, usque dum dicit, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Quod autem conscii alienorum peccatorum, nisi aut ea correxerint, aut emendationis gratia his quorum interest manifestaverint, in discrimen adducantur, sancta scriptura tam veteris quam novi testamenti demonstrat, dicens in Levitico per Moysen: *Si peccaverit*, inquit dominus, *anima, & audierit vocem jurantis, testisque fuerit, quod aut ipse viderit, aut conscius est, nisi indicaverit, portabit iniquitatem ejus*, sine dubio qui aut egit aliquid, aut juravit quod non debuit. Hoc etiam, ut majores nostri exponunt, juxta historiam nos ædificat, & docet ne unquam in peccatis alterius polluamus conscientias nostras, nec consensum male agentibus præbeamus. Consensum autem, non solum pariter agendo, sed etiam quæ illicite gesta sunt reticendo, quæ secundum euangelicam regulam manifestare debemus. Hinc & Paulus apostolus dicit: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem & redarguite*. Quam sententiam ita B. Augustinus exponit: Duobus, inquiens, modis non te maculat malus: si non consentias, & si redarguas. hoc est non communicare, non consentire. Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ, addidit: *Magis autem & redarguite*. Unde sciendum est, sicut catholica tenet ecclesia, quod si quis ea videt in delicto proximi, vel proximæ suæ, & non indicet secundum regulam superius datam, vel in testimonium vocatus, vel vocata, non quæ vera sunt dixerit, peccatum quod commisit ille vel illa, quem aut quam celat, ipse vel ipsa suscipiet, & pœna commissi revolvetur ad conscium, vel ad consciam, protestante sancto Spiritu per psalmistam: *Videbas*, inquit, A *furem & concurrebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*. Et per apostolum: *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus mala, digni sunt morte*. Quapropter Berta & Erpreda conscientes tantæ nequitiæ, non indicantes eam, juxta libri Levitici, & euangelii, & apostolicæ doctrinæ regulam, ac per hoc peccatum committentium suscipientes, quarum gravioris lepræ immunditia, sicut & Dudæ, in apertum prorupta, juxta legis præceptum sacerdotali est purificanda judicio, post mensuratam virgarum castigationem, quia interrogatæ dicuntur facile fuisse confessæ, per tres annos & dimidium prætaxato Dudæ modo pœniteant. B Quæ si infirmaverint, prætaxato modo viaticum munus suscipiant, & si convaluerint, ordine præfinito ad perfectionem restitutionis perveniant, & usque ad finem vitæ suæ, sicut de Duda scripsimus, in omni subjectione & humilitate regulari, & confessione peccatorum suorum permaneant. Debuerant enim & Duda, & ejus sceleri consentientes, duplicem annorum numerum in pœnitentia duplicare, quia & monacha cum presbytero sacrilegum commisit adulterium, & suæ complices huic sacrilego adulterio consenserunt. Sed quia & sexus est fragilis, & apostolus dicit: *Ne abundantiori tristitia quæ hujusmodi sunt absorbeantur*, & C patrum est decreta sententia, quoniam apud Deum non est tam mensura temporis, quam doloris, nec abstinentia ciborum, quam mortificatio vitiorum: credimus per hanc pœnitentiam, si tamen districte ac digne illam egerint, eas domino satisfacere posse, cujus misericordiæ, ut Leo scripsit, nec modum possumus ponere, nec tempora diffinire. apud quem nullas patitur veniæ moras vera confessio, dicente Dei Spiritu per prophetam: *Mox ut ingemueris salvus eris*. &: *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris*. quia apud dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Sed & plagæ virgarum illis tempus pœnitendi usque ad communionis re- D stitutionem abbreviant. quia sicut scriptum est: *Livor vulneris abstergit mala, & plagæ in secretioribus ventris*. Mala, inquit Gregorius, livor vulneris abstergit, quia flagellorum dolor vel cogitatas vel perpetratas nequitias diluit. quia cum exterius percutimur, ad peccatorum nostrorum memoriam taciti afflictique revocamur, atque ante oculos nostros cuncta, quæ a nobis sunt male gesta, reducimus, & per hoc quod foris patimur, magis intus quod fecimus dolemus. Unde fit ut inter aperta vulnera corporis amplius nos abluat plaga secreti ventris, id est mentis: quia sanat nequitias pravi operis occultum vulnus do- E loris. Hoc medicamentum pœnitentiæ diversis modis conjectatum, quasi antidotum ex diversis pigmentis, contra venena diaboli, id est peccata, ex sanctis scripturis, & canonum ac regulæ sancti Benedicti constitutionibus, & orthodoxorum prædicationibus confectum, pro modulo nostro industriam patrum sequentes, quoniam, ut dicit Gregorius, ars artium est regimen animarum, non præjudicantes majorum statutis, condidimus: quatenus & ærugo eradatur, & vascula non frangantur, & juxta veritatis vocem calami quassati non conterantur, & quæ confracta sunt alligentur, & quæ diaboli suggestione, & propria fragilitate abjecta sunt, per pœnitentiæ satisfactionem ad sinum matris ecclesiæ reducantur.

Margin notes (left): Reg. cap. 46. — Matth. 18. — Levit. 5. — Ephes. 5. — Psal. 49.
Margin notes (right): ANNO CHRISTI 874. — Rom. 1. — 2. Cor. 2. — Prov. 20.

ANNO CHRISTI 874.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Concilium Duziacense II.*] In codice S. Laurentii Leodiensis, cui synodum hanc debemus, epistolæ synodicæ titulus est hujusmodi: *Epistola synodica episcoporum plurimarum provinciarum apud Duziacum Rhemensis parochiæ congregatorum, anno incarnationis dominicæ* DCCCLXXIV. *indictione* VII. *Idibus Iunii, ad episcopos provinciarum Aquitaniæ regionis, de incestis conjunctionibus a quampluribus, & maxime carne nobilibus viris, ibidem perpetratis, & de rerum ecclesiasticarum pervasionibus.* Generale placitum Idibus Iunius hoc anno a Carolo rege in villa Duzia celebratum auctor est Aimoinus lib. V. cap. XXXI.

" Edidit R. P. Petrus Franciscus Chiffletius in historia monasterii Tornutiensis.

" ** CONVENTUS CABILONENSIS ANNO CHRISTI DCCCLXXV.

Quo post Adalgisi Eduorum episcopi ordinationem confirmata sunt ab episcopis quæ ad monasterium Tornutiense pertinebant.

ANNO incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCLXXV. regnante piissimo rege Carolo, filio Hludouvici quondam serenissimi Augusti, anno XXXVI. factus est in suburbio Cabilonensi, S. Marcello, conventus venerabilium episcoporum, Remigio, Hisaac, Gerbaldo, & Fulcualdo archidiacono ad vicem Lamberti Matisconensis episcopi: Causa ordinationis Adalgerii Eduorum episcopi. Qua canonice peracta, residentibus nobis, idem Adalgerius ex parte gloriosissimi & orthodoxi supradicti Caroli regis intulit, ut monasterium Tornutium, ubi beatus Valerianus martyr corpore quiescit, in comitatu Cabilonensi, super fluvium Sagonnam, cum omnibus appendiciis suis: & in pago Matisconensi cellam S. Romani, cum omnibus appendiciis suis: & in comitatu Arvernico, cellam S. Portiani, cum omnibus appendiciis suis, quæ ipse solita pietate, causa confugii, monachis sanctæ & intemeratæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Filiberti inclyti confessoris, ob vitandam Marchomannicam severitatem contulerat: sive quæ ipse per alia loca, id est, Asinarias quæ est in pago Sanctonico, cum omni sua integritate: & in Pictaviensi territorio, cellam S. Prudentii, cum omni sua integritate: & in pago Cenomannico, Bussiolium, cum omni sua integritate: & in pago Valagio, cellam quæ vocatur Godet, quam Desiderius quidam vir pro remedio animæ suæ supradictis sanctis dederat, ut in monachorum usibus, & pauperum necessitatibus semper deserviret: privilegio nostræ auctoritatis (ne ab aliquo tyrannica ereptione tolleretur) illis confirmaremus, cum omnibus ad supradicta loca pertinentibus: sive quæ ipse per quæcumque loca præcepto suo, aut aliquis fidelium dederat; vel si Deo propitiante in reliquum ipse aut quicumque daturus fuerit. Quod decreti nostri scriptum apostolica potestas excellentia suæ auctoritatis roborare valeret. Cujus piissimo mandato eo libentius cessimus, quo etiam nos idipsum precaturos prospeximus amplius. Auctoritate ergo, quam a Christo Iesu domino nostro summo sacerdote in B. Petro accepimus, prædictum monasterium cum omnibus habitis & habituris, Geiloni venerabili abbati sanctæ genitricis Dei, & supradictis sanctis, futurisque post eum abbatibus, ad monasticum ordinem inibi Deo adjuvante excolendum delegamus, & delegantes jubente domno nostro piissimo rege, inviolabiliter & inseparabiliter, sine detractione, vel qualibet minoratione perpetualiter confirmamus. Abbates vero ex seipsis secundum regulam sancti Benedicti, sicut a piissimo domino nostro rege Carolo gloriosissimo, & præcessoribus ejus usque nunc licentiam habuerunt, ita & in antea ut perpetualiter eligant, inviolabiliter decernimus. Si quis autem temeraria præsumptione, cæcaque cupiditate, quod Dei æterna & nostra auctoritate firmamus, in aliquo infringere præsumpserit, æterna se sciens damnatione mulctandum, a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ habeatur extorris, quoad usque ab illicita præsumptione resipiscens, condigna pœnitentia & emendatione iram omnipotentis Dei, quam incurrere non timuit, placare procuret. Harum itaque sanctionum evidentissimam confirmationem, manibus sacrorum præsentium pontificum, subternotatam, absentium quoque consacerdotum nec minus idoneis stipulationibus, per Christum & in Christo fulciri postulamus.

ANNO CHRISTI 875.

Remigius Lugdunensis ecclesiæ humilis archiepiscopus subscripsi.
Adalgarius Æduensis eccl. humil. episc. subsc.
Isaac Lingonensis eccles. humilis episc. subscr.
Gerbardus Cabilonensis eccl. humil. ep. subsc.
Ado Viennensium eccl. humil. archiep. subscr.
Theodoricus Vesoncionensis ecclesiæ humilis archiepiscopus subscripsi.
Frotarius Burdegalensis archiepiscopus subsc.
Hincmarus Remorum episcopus subscripsi.
Gislebertus C. subscripsi.
Ansegisus Senonum episcopus subscripsi.
Sigebodus primæ Narbonensis humil. ep. subs.
Aurelianus exiguus archiepiscopus Lugdunensis in Christi nomine roboravi.
Lambertus Matisconensis eccl. humil. ep. subs.
Ratbertus Valenciæ ecclesiæ ac si indignus episcopus consensi & subscripsi.
Gibertus Nemausensis eccl. humil. episc. subs.
Bernarius Gratianopolitanus humil. ep. subsc.
Theotarius eccl. Gerundensis humil. ep. subsc.
Vvido Vellavorum episcopus subscripsi.
Frodoinus Barchinonensis eccl. humil. ep. subs.
Aganultus Gabalensis episcopus subscripsi.
Guilhelmus Cadurcensis episcopus subscripsi.
Abbo eccl. Magdalonensis * exilis ep. subscr. (* *lege* Magalonensis.)
Rodsteignus sanctæ Arelatensis ecclesiæ, consensi & subscripsi.
Etherius humilis Albiensium seu Vivariensium episcopus consensi & subscripsi.
* sanctæ eccl. Massiliensis ep. consensi & subs.
Vvalterus Aurelianensis eccl. episc. subscripsi.
Adaboldus archiepisc. Turonensis eccl. subsc.
Berno humilis Catalaunensis episc. subscripsi.
Hildeboldus sanctæ Suessonicæ eccl. ep. subsc.
Batfridus Avinianensium presul infimus assensum præbui & subscripsi.
Aurelius Diensis episcopus subscripsi.
Ottulfus sanctæ Augustæ Tricorum eccl. subs.
Geroldus sanctæ Ambianensis eccl. subscripsi.
Hincmarus Laudunensis ecclesiæ episcoporum minimus corroboravi.
Hedenulfus Lugduni Clavati episc. subscripsi.
Ioannes Camaracensis episcopus subscripsi.
Raganelmus Tornacensis eccles. episc. subscr.
Hildebertus Silvanectensis eccl. episc. subscr.
Alaricus exilis omnium servorum, Biterrensis episcopus consensi & subscripsi.
Abbo Nevernensis ecclesiæ episc. subscripsi.
Agilmarus humilis Arvernensium præsul, subs.
Ingilvvinus Parisiacæ ecclesiæ episc. subscripsi.
Guido Lugdunensis eccl. humil. archiep. subs.
Ericus Lingonensis episcopus subscripsi.
Rotmundus Eduensis episcopus subscripsi.
Ildeboldus Cabilonensis episcopus subscripsi.

" ** *Ioannis*

ANNO CHRISTI 878.

"** *Ioannis VIII. papæ confirmatio altera eorumdem bonorum monasterii Tornutiensis facta anno 878. die 29. Aprilis cum subscriptionibus plurium episcoporum.*

ANNO dominicæ incarnationis DCCCLXXVIII. indictione undecima, regnante piissimo atque gloriosissimo rege Hludovico, Caroli filio serenissimi Augusti, auxiliante domino nostro, in honore ejusdem Dei & domini nostri Iesu Christi. Ego Ioannes episcopus, servus servorum Dei, atque prędictus filius noster gloriosus rex Hludovicus, constituimus conventum venerabilium archiepiscoporum, necnon & præsulum totius regni Trecas civitate: quo interfuit memoratus rex piissimus: eoque peracto precatus est nos cum filiis & fratribus nostris episcopis jamdictus gloriosus imperator, ut Tornutium monasterium, quod fundatum est in comitatu Cabilonensi super Sagonnam fluvium, ubi martyr Christi Valerianus corpore quiescit, quod dudum pater ejus Carolus imperator, vel ipse postmodum per præceptorum seriem, monachis sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Philiberti inclyti confessoris, præsentibus & futuris, ob vitandam Marcomannicam severitatem contulerant; cum omnibus rebus ad ipsum locum aspicientibus, privilegio nostræ auctoritatis corroboraremus. Cujus piissimo mandato eo libentius cessimus, quo etiam nos idipsum precaturos perspeximus amplius. Igitur privilegio nostræ auctoritatis confirmamus eis omnia, quemadmodum in præceptis gloriosissimorum imperatorum sunt inserta, idest, prædictũ locum, & omnes res ei adjacentes, cum omni libertate. Et in comitatu Arvernico cellam S. Portiani, cum omnibus appendiciis. In pago quoque Sanctonico, Asinarias cum omni sua integritate. Et in Pictaviensi territorio cellam S. Prudentii, cum omnibus rebus adjacentibus. Et in pago Andegavensi, Cunaldum cum omni integritate. In pago vero Cenomannico, Bussiolium cum omnibus appendiciis. Et in pago Vallaico, cellam quæ vocatur Godittus, cum omnibus rebus ad se pertinentibus. Itaque in partes Burgundiæ, in pago Lugdunensi, Bisiacum villam cum ecclesia. Et in pago Matisconensi, cellam S. Romani, & Olcasiacum villam cum ecclesia, & omnibus appendiciis. Verum quia ob vitandam persecutionem Nortmannorum, Geiloni inclyto abbati, monachisque præsentibus & futuris, prædictum locum gloriosus rex, necne pater ejus contulerant, & pontificialis calliditas nimis eumdem locum subegerat, postulavit isdem rex ut tam larga eleemosyna, immunis atque libera haberetur ab omni pontificali potentia, nostra annuente clementia. Cujus petitionibus favens omnis episcopalis conventus, abnegare nequivimus quod tam pie postulabat imperator gloriosissimus. Auctoritate ergo quam in Christo Iesu domino nostro summo sacerdote in B. Petro accepimus, prędictum monasterium cum omnibus habitis & habituris, Geiloni venerabili abbati sanctæ genitricis Dei, & supradictis sanctis futurisque post eum abbatibus ad monasticum ordinem inibi Deo adjuvante excolendum delegamus, & delegantes jubente filio nostro piissimo rege, inviolabiliter & inseparabiliter sine distractione aut immutatione vel qualibet minoratione perpetualiter confirmamus. Anathematizamus igitur auctoritate B. Petri apostoli & nostra, ut nemo antistitum præsentiũ vel futurorum, locum adire præsumat, qualibet occasione excommunicationis; vel absolutionis, seu sacræ ordinationis nisi ab abbate vel monachis loci fidelibus fuerit invitatus. Quia injustum decernimus, ut gloriosa mundi regina, quæ exaltata est super choros Angelorum, humanis subdatur potestatibus. Ceterum ab omni sæculari potentia locum decernimus esse liberum & quietum: & ut caput habeatur omnium quæ prescriptis sanctis, vel loco oblata sunt, ac deinceps oblatum annuente Deo fuerit, ut in regum reperitur præceptis. Si quis autem temeraria præsumptione, cæcaque cupiditate, quod Dei & nostra auctoritate firmamus, in aliquo infringere præsumpserit: æterna se sciat damnatione mulctandum, & cum diabolo & angelis ejus perpetuo incendio cremandum: a liminibus quoque sanctæ Dei ecclesiæ habeatur extorris, quousque ab illicita præsumptione resipiscens, condigna pœnitentia & emendatione, iram omnipotentis Dei quam incurrere non timuit, placare procuret. Harum itaque sanctionum evidentissimam confirmationem, manibus sacrorum præsentium pontificum subnotari, absentium quoque consacerdotum nec minus idoneis stipulationibus, per Christum & in Christo fulciri postulamus.

Hincmarus Remorum episcopus in Christi nomine roboravi.

Ansegisus episcopus Senonensis.

Ottulfus episcopus. Gislibertus episcopus. Hildibaldus episcopus. Berno episcopus. Geraldus episcopus. Hincmarus episcopus Laudunensis. Edenulfus episcopus. Ioannes episcopus. Raganulfus episcopus. Ragenelmus episcopus. Adebertus episcopus. Adalardus archiepiscopus. Alericus episcopus. Abbo episc. Agilmarus episcop. Ingilvvinus episcopus. Acfredus episcopus.

Datum III. Kalendas Maii, per manum Christofori primicerii sanctæ summæ sedis apostolicæ, imperante piissimo Ludovico.

"** ODONIS EPISC. BELLOVACENSIS INSTITVTIO."

De rebus ecclesiæ S. Petri congregationi destinatis, & de quinquagenario in ea numero canonicorum.

" Prætermissam a regio collectore ex pag. 599. III. tomi conciliorũ Galliæ R. P. Sirmondi restituimus.

ODO gratia domini nostri Iesu Christi Bellovacensis ecclesiæ præsul. Notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, maximeque successoribus nostris, quoniam unanimis congregatio parique voto, scilicet canonici S. Petri jam fatæ ecclesiæ, cui Deo auctore deservio, expetiit nostram obnixe liberalitatem, quatenus res sibi a nostris prędecessoribus juxta confinia singularum concessas, pariterque nostra sibi solidatione firmatas, canonice, juxta aliarum morem ecclesiarum, dono liberalitatis, regisque præcepto, absq; ullius contradictione quietis, concessa disponerem. Enimvero videns excedere hujusmodi negotium meæ solummodo diffinitionis vires, pariterque gratia superni consilii præeunte providens jam dictæ congregationi sibi profutura quærere, & illis super hoc assensum præbendo, timens ne ovilia dominici gregis, quod absit, tyrannica irrumperentur aliquando infestatione, expetii consilium tam metropolitanæ Remorum provinciæ Hincmari, quam ceterorum venerabilium videlicet archiepiscoporum, seu coepiscoporum meorum, ut quorum sanctione ecclesiastica pertractantur negotia, eorum taxatio, inspirante gratia superni numinis, mihi nostræque ecclesiæ utile afferret ac salubre proventum.

ANNO CHRISTI 875. Quorumque consultu adii piissimi Caroli regis serenitatem, ut solita misericordia sua, sicut omnibus ubique supernæ majestati famulantibus, ita huic ecclesiæ mihi, nullis præcedentibus meritis, ad regendum commissæ profutura quiete prævideret, cum præceptione solidæ firmitatis. Ille vero, gratuita sua clementia precibus nostris pium præbens assensum, decrevit ordinatissima sua auctoritate stabile fore, quod nostra etiam prævidit benevolentia. Vnde necessitatibus jam dictæ nostræ congregationis destinamus canonica institutione villulas infra scriptas in pago Bellovacense, cum omnibus adjacentiis ad se pertinentibus, nec non & cum omnibus habitatoribus ad se legitime pertinentibus. Hoc est, Burcinas, Pretiosas, Velena, Havercíaco, Frotmaro-Curte, Hilgia, Cambariaco. In Ballicino valle de vinea Bunnar. IV. & arpennum I. In suburbio nostræ civitatis molendina duo & cambas II. & hortos cultos II. & curticulos X. pratum unum. Precariam ubi sunt mansi XXIV. S. quam Sigebertus tenet cum censu. Obsecrantes ut nullus successorum nostrorum, quod Deo auctore a nobis constitutum est, exinde aliquid minuendo subtrahat, nec suis propriis, suorumque usibus aliquid impertiatur. Sed hæc, quæ divino amore & animarum salute patravimus, inconcussa observent, æqualem & unam nobiscum a domino mercedem sperantes. Numerus vero canonicorum inibi degentium volumus, atque expresse consolidari nitimur, nisi res addantur, unde facultas subministretur, non transcendat quantitatem quinquagenarii numeri. Verum & cum quilibet divina vocatione decesserit, alius subrogetur, ne præfatus numerus minuatur. Et ut etiam nostræ devotionis auctoritas firmiorem obtineat vigorem, non solum præcepto magni & piissimi Caroli regis, verum etiam dominorum patrum, venerabiliumque coepiscoporum meorum, quorum consensu ista peregimus, canonica auctoritate roborare obnixe decrevimus.

Hincmarus sanctæ metropolis ecclesiæ Rhemorum archiepiscopus subscripsi.

Ansegisus Senonum archiepiscopus subsc.

Vvenilo Rotomagensium archiepiscopus subscripsi.

Hrothadus Suessonicæ ecclesiæ episc. subscr.

Immo Noviomagensis ecclesiæ episc. subscr.

Lupus Catalaunicæ civitatis episcopus subsc.

Folcoinus civitatis Morinensis episc. subscr.

Theodericus ecclesiæ Cameracensis episcopus subscripsi.

Ragenarius ecclesiæ Ambianensis episcopus subscripsi.

Erpoinus Silvanectensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Datum in ipsis Kalendis Martiis in civitate Suessionis, ante altare sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, anno XXXV. regni Domni Caroli regis gloriosi, qui hoc privilegium sua pietate consensit, & regia auctoritate roboravit, indictione VIII. " " Chr. 875.

SYNODVS TICINENSIS,

QVA IMPERIVM CAROLO COLLATVM confirmatur anno domini DCCCLXXVI. tempore Ioannis papæ VIII. indictione IX. mense Februario.

Hæc synodus inserta est concilio Pontigonensi sequenti, ubi confirmata fuit.

DECRETVM CLERI LAVDVNENSIS DE HENEDVLFO ELECTO EPISCOPO.

ANNO CHRISTI 876.

Domino reverentissimo & sanctissimo Hincmaro archiepiscopo, ceterisque nostræ diœceseos sanctis patribus & episcopis, clerus Laudunensis, cum totius parœciæ plebibus, & sibi conjunctis præsulibus, æternam in domino Iesu Christo salutem & pacem.

CANONICIS regulis & apostolicis institutionibus statutum esse recolimus, ut quoties quælibet civitas ministerio pontificalis dignitatis caruerit, proprioque pastore vacaverit, cum decreto electionis, singulorum petentium manibus roborato, metropolitanum adire pontificem debeant, ac de substituendo in loco ejus qui decessit pastore petitione supplici commonere: quatinus & civitas solicitudine pastorali destituta proprio recuperetur pontifice, & qui ordinandus est, gratiosius possit accedere: quia cui debet ab omnibus obediri, utique debet & ab omnibus eligi, ne civitas non optatum episcopum aut contemnat aut oderit, & fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuit habere quem voluit: hi vero qui ordinaturi sunt, in quem viderint omnium vota propensius concordare, promptius liberiusque illi manus imponere possint. Quapropter cum decreto nostræ electionis manibus singulorum nostrorum roborato, ad paternitatem vestram accedentes, * Hedenulfum ecclesiæ nostræ filium, & in ecclesia nostra suffragantibus stipendiorum meritis ad onus sacerdotale promotum, vita & moribus ac sancta conversatione idoneum approbatum, quem per licentiam vestram, favente Christianissimo imperatore Carolo, pari consensu ac concordi devotione, atque unanima voluntate elegimus, per manus vestras ac ceterorum vestræ diœceseos sanctorum episcoporum consecrari, nobisque & ecclesiæ nostræ doctorem atque pontificem institui imploramus, precamur, ac petimus. Eligimus autem eum nobis fore pastorem, quem apostolicæ formæ, qua episcopum ornatum beatus Paulus esse debere demonstrat, congruere, & sacris non obviare canonibus, Christi gratia cooperante confidimus. Oramus sanctam paternitatem vestram nunc & semper in Christo bene valere. Actum V. Kalendas Apriles in basilica sanctæ Mariæ genitricis Dei & domini nostri Iesu Christi, anno incarnationis ejusdem domini nostri Iesu Christi DCCCLXXVI. regni domni Caroli imperatoris XXXVI. ac imperii primo, indictione IX. " " Anno Christi 876.

* ita restituetur titulo.

CONCILIVM PONTIGONENSE,

IN QVO SYNODI QVOQVE TICINENSIS acta confirmata sunt ab episcopis Cisalpinis, præsente Carolo Calvo imperatore, & legatis sedis apostolicæ, celebratum mense Iunio ac Iulio, indict. IX. anno Christi DCCCLXXVI. Ioannis VIII. papæ anno IV. Caroli ejusdem regni anno XXXVII. imperii primo.

INDEX EORVM QVÆ AD CONCILIVM PONTIGONENSE PERTINENT.

ANNO CHRISTI 876.

III. *Canones, seu capitula* XV. *apud Ticinum edita, & apud Pontigonem iterum promulgata.*

IV. *Actorum concilii Pontigonensis editio altera, ex antiquis codicibus.*

V. *Libellus proclamationis ecclesiæ Rhemensis oblatus synodo adversus Ludovicum regem Baioariæ.*

VI. *Definitio synodi Pontigonensis de Adalgaudo presbytero informato.*

VII. *Consensus Leonis episcopi, missi & apocrisiarii sedis apostolicæ, cum post synodum discessurus esset.*

VIII. *Iuramentum, quod Hincmarus archiepiscopus edere jussus est apud Pontigonem.*

I.

Acta concilii Pontigonensis ut ab Aimoino " recitantur lib. V. *cap.* XXXIII.

[margin: " seu potius moini ... toriæ ... inciæ ... tinua... e, qui ... omnia ... scripsit ... annali... s Berti... nis ad ... 876. ... sio I.]

VNDECIMO Kalendas Iulii, indictione XI. episcopis & ceteris quibusque clericis vestibus ecclesiasticis indutis, & domo ac sedilibus palliis protensis, atque in gremio synodi & prospectu imperialis, sedis lectorio superpositis sacrosanctis evangeliis, venit domnus imperator Carolus in vestitu deaurato habitu Francico cum legatis apostolicæ sedis in synodum, & cantoribus antiphonam, Exaudi nos domine, cum versibus & Gloria Patri, cantantibus, post Kyrie eleeson data oratione a Ioanne Tuscanensi episcopo, resedit domnus imperator in synodo, & legit Ioannes Tuscanensis episcopus epistolas a domno apostolico missas, cum quibus & legit epistolam de primatu Ansegisi Senensis episcopi, ut quoties utilitas ecclesiastica dictaverit, sive in evocanda synodo, sive in aliis negotiis exercendis, per Gallias & Germanias apostolica vice fruatur, & decreta sedis apostolicæ per ipsum episcopis manifesta efficiantur: & rursus quæ gesta fuerint ejus relatione, si necesse fuerit, apostolicæ sedi pandantur. & majora negotia ac difficiliora quæque suggestione ipsius a sede apostolica disponenda & enucleanda quærantur. Petentibus autem episcopis, ut eis permitteretur ipsam legere epistolam quibus erat directa, non acquievit imperator; sed responsum quæsivit ab eis, quid de his jussis apostolici responderent. Quorum responsio talis fuit, ut servato singulis metropolitanis jure privilegii, secundum sacros canones, & juxta decreta sedis Romanæ pontificum ex eisdem sacris canonibus promulgata, domni Ioannis papæ apostolici jussionibus obedirent. Et cum imperator & legati apostolici satagerent, ut absolute archiepiscopi responderent se obedituros de primatu Ansegisi, sicut apostolicus scripsit, aliud nisi quod prædictum est responsum ab eis extorquere non potuerunt: excepto quod Frotarius Burdegalensis episcopus, quoniam a Burdegala ad Pictavos, indeque ad Bituricum favore principis contra regulas se contulit, per adulationem respondit quod imperatori placere cognovit. Tunc motus imperator dixit, quod domnus apostolicus ei suas vices commisit in synodo, & quod isdem præcepit, ille exequi studeret. Et accepit ipsam epistolam involutam, una cum Ioanne Tuscanensi & Ioanne Aretino, & dedit illam Ansegiso. Et jussit sellam plectilem poni ante omnes episcopos Cisalpini regni sui, juxta Ioannem Tuscanensem, qui ad dextram illius sedebat. & præcepit Ansegiso, ut super-

A grederetur omnes ante se ordinatos, & sederet in eadem sella, Rhemorum archiepiscopo reclamante, audientibus omnibus, hoc factum sacris regulis obviare. Imperator tamen in sententia sua permansit: & petentibus episcopis, ut liceret eis saltem exemplar sibi de epistola directa sumere, nec hoc ullo modo impetravere. Et sic soluta est synodus in die illa.

Decimo Kalendas præfati mensis iterum convenerunt episcopi. In quo conventu lectæ sunt epistolæ a domno apostolico laicis missæ: & lecta est electio domni imperatoris ab episcopis & ceteris Italici regni firmata. Sed & capitula quæ in palatio Ticinensi constituit, & ab omni- B bus confirmari fecit: quæ & episcopis Cisalpinis confirmare præcepit. & sic soluta est synodus in illa die. Sessio II.

Quinto Nonas Iulii convenerunt iterum episcopi sine imperatore: & habitæ sunt contentiones de presbyteris ex diversis parochiis clamantibus ad legatos apostolici. & sic soluta est synodus in hac die. Sessio III.

Quarto Nonas ejusdem mensis iterum convenerunt episcopi. & imperator in synodo residens audivit oratores fratris sui Ludovici regis, Vvillebertum archiepiscopum Coloniæ, & Adalardum ac " Menigardum comites, per quos petiit partem de regno Ludovici imperatoris, filii C Lotharii fratris eorum, sicut ei competeret ex hereditate, & illi firmatum erat sacramento. Et legit Ioannes Tuscanensis epistolam a Ioanne papa episcopis regni Ludovici directam, & dedit exemplar Vvilleberto archiepiscopo, ut deferret illud præfatis episcopis. & sic soluta est præfata synodus in illa die. Sessio IV. " Meingaudum

Sexto Idus Iulii convenerunt episcopi, & circa horam nonam venerunt legati domni apostolici, Leo episcopus & apocrisiarius ac nepos apostolici, atque Petrus Forisempronii episcopus, deferentes epistolas imperatori & imperatrici, & salutationes apostolici ad episcopos. & sic soluta est synodus in illa die. Sessio V.

D Quinto Idus Iulii convenientibus episcopis, lecta est epistola apostolici de damnatione Formosi episcopi, Gregorii nomenclatoris, & consentientium eis. Et præsentata sunt imperatori ab apostolico missa dona: inter quæ fuerunt præcipua, sceptrum & baculus aureus. Sed & imperatrici dona sunt ab eo missa, pallia, & armillæ cum gemmis. & sic soluta est synodus in illa die. Sessio VI.

Pridie Idus Iulii convenerunt episcopi, & misit imperator vicarios apostolici increpare durius archiepiscopos, qui pridie non venerant, sicut præcepit. Illis autem canonice rationabilem reddentibus rationem, sopita est increpatio. Et le- E cta est a Ioanne Tuscanensi iterum epistola, jubente imperatore, pro primatu Ansegisi, & quæsita est ab episcopis denuo inde responsio. Et respondentibus singulis archiepiscopis, quod veluti sui antecessores illius antecessoribus regulariter obedierunt, ita ejus decretis vellent obedire, tunc facilius est illorum admissa responsio, quam fuerat in imperatoris præsentia. Et sic iterum, post multas contentiones de presbyteris diversarum parochiarum reclamantibus ad legatos apostolici, lecta est proclamatio Frotarii Burdegalensis archiepiscopi, quia non poterat consistere propter infestationem Paganorum in civitate sua, ut liceret ei Bituricensem metropolim occupare. Cujus petitionibus unanimitas episcoporum nullatenus acquievit. Sessio VII.

Anno Christi 876. Sessio VIII.

Et jubentibus legatis apostolici, ut XVII. Kalendas Augusti convenirent episcopi; mane circa horam nonam venit imperator Græcanico more paratus & coronatus, deducentibus eum apostolicæ sedis legatis more Romano vestitis, ad episcopos ecclesiasticis vestimentis indutos, & ceteris secundum modum primæ horæ diei, quando inchoata est synodus, præparatis. & ut prius cantata antiphona Exaudi nos domine, cum versibus & Gloria, post Kyrie eleeson data oratione a Leone episcopo, resederunt omnes: & legit Ioannes Aretinus quamdam schedulam ratione & auctoritate carentem. Postquam legit Odo Belgivacorum episcopus quædam capitula, a legatis apostolici, & ab Ansegiso, & eodem Odone sine conscientia synodi dictata, inter se dissona, & nullam utilitatem habentia; verum & ratione & auctoritate carentia. Et ideo hic non habentur subjuncta. Iterum mota est interrogatio de primatu Ansegisi, & post multas ab imperatore & legatis apostolici contra episcopos querimonias habitas, tantum in novissimo quantum & in principio synodi exinde Ansegisus obtinuit. Posthæc perrexit Petrus episcopus Forisempronii, & Ioannes Tuscanensis ad cubiculum imperatoris: & adduxerunt imperatricem Richildem coronatam in synodum. Et stante illa juxta imperatorem surrexerunt omnes, & stantes quique in gradu suo inceperunt laudes Leo episcopus & Ioannes Tuscanensis episcopus. Et post laudes actas in domnum apostolicum & domnum imperatorem & imperatricem & ceteros, juxta morem, data oratione a Leone Gabinensi episcopo, soluta est synodus.

II.

SYNODUS APUD TICINUM

ACTA PALATIUM ANNO INCARNATIONIS dominicæ DCCCLXXVI. indictione IX. mense Februario, confirmata in synodo apud Pontigonem eodem anno & indictione, mense Iunio.

ELECTIO CAROLI IMPERATORIS

ab Italici regni episcopis & ceteris optimatibus confirmata.

Gloriosissimo & a Deo coronato magno & pacifico imperatori, domno nostro Carolo perpetuo Augusto, nos quidem omnes episcopi, abbates, comites, ac reliqui, qui nobiscum convenerunt, Italici regni optimates, quorum nomina generaliter subter habentur inserta, perpetuam optamus prosperitatem & pacem.

IAM quia divina pietas vos, beatorum principum apostolorum Petri & Pauli interventione, per vicarium ipsorum, domnum videlicet Ioannem summum pontificem & universalem papam spiritalemque patrem vestrum, ad profectum sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque omnium invitavit, & ad imperiale culmen sancti Spiritus judicio provexit: nos unanimiter vos protectorem, dominum, ac defensorem omnium nostrum eligimus. Cui & gaudentes toto cordis affectu subdi gaudemus, & omnia quæ ad profectum totius sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque omnium salutem decernitis & sancitis, totis viribus, annuente Christo, concordi mente & prompta voluntate observare promittimus.

Et subscripserunt illi qui in Italia adfuerunt.

Anno Christi 876.

Anspertus sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Ioannes sanctæ Aretinæ ecclesiæ humilis episcopus subscripsi.

Ioannes episcopus sanctæ Ticinensis ecclesiæ subscripsi.

Benedictus Cremonensis episcopus subscripsi.

Teudulfus Dertonensis episcopus subscripsi.

Adalgaudus Vercellensis episcopus subscripsi.

Azo Eporediensis episcopus subscripsi.

Gerardus exiguus in exigua Laudensi ecclesia episcopus subscripsi.

Hilduinus Astensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ratbornus sedis Augustanæ episcopus subscripsi.

Leodoinus Mutinensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Hildradus Albensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Bodo humilis sanctæ Aquensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Sabbatinus Ienuensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Eilbertus Comensis episcopus subscripsi.

Adelardus servus servorum Dei Veronensis episcopus subscripsi.

Ego Paulus sanctæ ecclesiæ Placentiæ episcopus subscripsi.

Ego Andreas sanctæ Florentinæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Raginerius abbas subscripsi.

Signum Bosonis inclyti ducis, & sacri palatii archiministri, atque imperialis missi.

Signum Richardi comitis.

Signum Vualfridi comitis.

Signum Liutfridi comitis.

Signum Alberici comitis.

Signum Supponis comitis.

Signum Hardingi comitis.

Signum Bodradi comitis palatii.

Signum Cuniberti comitis.

Signum Bernardi comitis.

Signum Airboldi comitis.

Acta sunt hæc in palatio Ticinensi anno domini DCCCLXXVI. regni domni imperatoris Caroli, Hludouvici Augusti piæ memoriæ filii, in Francia XXXVI. imperii primo, indictione IX." — "Anno Christi 876.

Confirmatio Cisalpinorum apud Pontigonem.

SICUT domnus Ioannes apostolicus & universalis papa primo Romæ elegit, atque sacra unctione constituit, omnesque Italici regni episcopi, abbates, comites, & reliqui omnes, qui cum illis convenerunt, domnum nostrum gloriosum imperatorem Carolum Augustum unanimi devotione elegerunt sibi protectorem ac defensorem esse: ita & nos, qui de Francia, Burgundia, Aquitania, Septimania, Neustria, ac Provincia, pridie Kalendas Iulii, in loco qui dicitur Pontigonis, anno XXXVII. in Francia, ac imperii primo, jussu ejusdem domni & gloriosi Augusti convenimus, pari consensu ac concordi devotione eligimus & confirmamus.

III.

INCIPIVNT CAPITVLA QVÆ DOMNVS CAROLVS LVDOVICI AVGVSTI piæ memoriæ filius, una cum consensu & suggestione venerabilium episcoporum, & illustrium optimatum, reliquorumque fidelium suorum, ad honorem sanctæ Dei ecclesiæ, & ad pacem & profectum totius imperii sui, fecit anno incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCLXXVI. regni vero sui in Francia XXXVI. imperii autem sui I. indictione IX. mense Februario, in palatio Ticinensi.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *Vt Romana ecclesia ab omnibus honoretur.*
II. *Vt Ioanni papæ honor obedientiaque ab omnibus exhibeatur.*
III. *Vt res ecclesiæ Romanæ proprias nemo diripiat.*
IV. *Vt ecclesiasticis honor & reverentia præstetur.*
V. *Vt imperatori honor ab omnibus observetur.*
VI. *Vt episcopi ministerium suum sine cujusquam impedimento & molestia peragant.*
VII. *Vt episcopi per se & presbyteros prædicationi insistant: & fideles diebus festis ad publicas stationes occurrant, domique suæ nullus missas celebret sine licentia episcopi.*
VIII. *Vt episcopi cum clero suo in claustris resideant: presbyteros vero ab ecclesiis suis abesse, aut ab eorum potestate dissilire non permittant.*
IX. *Vt sacerdotes a familiaritate feminarum, itemque a venatione, armis militaribus, & habitu non decenti abstineant.*
X. *Vt res ecclesiasticas nemo invadat, & quæ cum detrimento ecclesiæ a rectoribus distractæ sunt repetantur.*
XI. *Vt decimæ absque fraude offerantur, & a presbyteris episcopi arbitrio dispensentur: & de baptismalibus ecclesiis per earum filios restaurandis.*
XII. *Vt episcopi comites & vassos regios diligant ut filios, & hi episcopos honorent ut patres & ut episcopi in suis episcopiis missorum dominicorum potestate fungantur.*
XIII. *Vt episcopi & comites in pauperum domibus nisi rogati non diversentur: & ut prædas ac devastationes inhibeant.*
XIV. *Vt defuncti episcopi facultates nullus invadat: sed successori reserventur, vel pro illius anima erogentur.*
XV. *Vt infideles regi nemo celet, nec ullam eis sustentationem præbeat.*

CAPITVLA.

I.

VT sancta Romana ecclesia sicut est caput omnium ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur & veneretur. neque quisquam contra jus & potestatem ipsius aliquid injuste agere præsumat. sed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro universali ecclesia pastoralem exhibere curam, atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

A

II.

Vt honor domno & spiritali patri nostro Ioanni summo pontifici & venerabili universali papæ ab omnibus conservetur: & quæ secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conservetur.

III.

Et licet in omnibus id observare velimus, præcipue tamen sancimus, ut in B termino beatorum Petri & Pauli apostolorum principum, nemo in eundo & redeundo, vel ibi morando, aliquam vastationem & deprædationem facere præsumat: & quæ ipsius sanctæ Dei ecclesiæ propria sunt, nemo aliqua iniqua machinatione, sine voluntate ipsius sacri pontificis, sibi vindicare præsumat. Quod si quisquam fecerit, restitutis male præsumptis, immunitatem ipsius ecclesiæ persolvat, & bannum nostrum tripliciter componat.

C

IV.

Vt ecclesiasticus honor, & sacerdotalis atque clericalis reverentia, debita competentique sinceritatis religione ab omnibus amplectatur, & in omnibus custodiatur, sicut avi & genitoris nostri monent edicta.

V.

Vt imperialis honor ab omnibus fideliter observetur, & quæ ab eo, seu per epistolam, seu per legatos præcipiuntur, a nullo impune audeant violari.

D

VI.

Vt episcopi ministerium suum secundum sacros & sancto Spiritu promulgatos canones peragant. parochias suas absque alicujus impedimento, prædicando, corrigendo, & confirmando circumeant. & in hoc agendo nullus eis contraire, & quod ad ministerium illorum pertinet contradicere in ipsis parochiis audeat, vel eis exinde aliquam molestiam inferat: sed adjutor, si oportuerit, invitatus a pontifice quisque ecclesiæ filius existat, ut liceat eis criminalia scelera, & alia quæque corrigenda, inquirere, discutere, & dijudicare canonice. Quod qui temerare proterve præsumpserit, triplicem E legem, & triplex bannum nostrum persolvat.

VII.

Vt episcopi secundum sacram jussionem domini nostri Iesu Christi prædicationem per se vel per suos congruenter exerceant, & presbyteros suos ut similiter faciant instruere procurent. Et ut sæculares & fideles laici diebus festis, qui in civitatibus sunt, ad publicas stationes occur-

occurrant : & qui in villis & possessionibus sunt, ad publicum officium in plebem festinent. & nullus latibulosa missarum in suis domibus officia celebrare præsumat sine sui rationabili licentia episcopi.

VIII.

Vt episcopi in civitatibus suis proximum ecclesiæ suæ claustrum instituant, in quo ipsi cum clero secundum canonicam regulam Deo militent : & sacerdotes suos ad hoc constringant, ut ecclesias suas non derelinquant, & alibi habitare præsumant. Sint etiam subjecti episcopo proprio secundum canonicam auctoritatem, nec per contumaciam ab eorum potestate dissiliant. neque sæculari potestati ad hoc eis commendare se liceat, aut eos quilibet recipere audeat, ut contra canonicas leges & debitam episcopi potestatem quodammodo defensentur. Hujusmodi vero sacerdotes episcopalis illico censura disciplinis ecclesiasticis subdat. Nec fas est omnium eorum solicitudinem episcopos non gerere, quibus in committendis sacris ordinibus dignum visum est communicasse.

IX.

Vt in domibus sacerdotum, propter malæ opinionis famam, habitatio feminarum penitus tollatur, neque illi in domos earum intrare indiscrete præsumant, ne nomen Dei, quod absit, per illos blasphemetur, per quos laudari pie & jugiter debet. venationem quoque nullus tam sacri ordinis exercere præsumat. neque arma militaria pro qualicumque seditione portare audeat : aut habitum quemlibet tantum apicem sacerdotii non decentem assumat.

X.

Vt res ecclesiasticas, tam mobiles quam & immobiles, nemo invadere vel auferre præsumat. & quæ a rectoribus ecclesiæ hactenus, ob timorem vel favorem, alicui libellario vel emphyteuticario jure dolose, vel cum damni detrimento, ecclesiæ amissæ videntur, ad pristinum jus revertantur : quatenus liceat illis, quibus eorum cura commissa est, quieto & pacifico ordine eas tenere, & pro nobis ac regno nobis a Deo commisso orare, pauperibusque debita stipendia erogare, familiam ecclesiæ juste & rationabiliter regere & gubernare. Transgressoribus autem indicimus, injuste præsumpta restituere, & sicut superius præfixum est, triplicem legem & triplex bannum nostrum persolvere.

XI.

Vt decimæ collaborationum & animalium, secundum sacra præcepta, domino absque fraude & aliqua retractione offerantur, & in potestate episcopi maneat qualiter a presbyteris dispensentur canonice. & ut ecclesias baptismales, quas plebes appellant, secundum antiquam consuetudinem ecclesiæ filii instaurent.

XII.

Vt episcopi comites & vassos nostros, in parochia eorum manentes, paterno amore secundum ecclesiasticum ministerium diligant : ipsi comites & vassalli, seu reliqua generalitas, prædictos episcopos ut sanctos patres honorent & venerentur, & ad ministerium illorum peragendum, ubicumque potuerint, eos adjuvare decertent. Si vero, quod non optamus, eis infesti, quo minus quæ Dei sunt exercere possint, reperti fuerint, aut ipsi contra leges officia sua violaverint, & eos quos venerari debent inquietaverint, secundum capitulare avi & genitoris nostri emendent. qualiter quoque presbyteros ac reliquos gradus honorent, ipsius capitularis forma doceantur. Ipsi nihilo minus episcopi singuli in suo episcopio missatici nostri potestate & auctoritate fungantur.

XIII.

Vt episcopi & comites in suis ministeriis commorantes, in suis consistant domibus cum suis vassallis, neque præsumant occasione hospitii in pauperis cujuspiam vicini domo nisi rogati commorari : quia ob hoc maxime deprædationes & discordias hactenus pullulasse manifestum est. Prævideant quoque, secundum ministerium unusquisque suum, ne in potestate illorum prædæ & devastationes fiant : & si aliqui hoc facere tentaverint, omni sua virtute illis resistant. Et si ipsi per se constringere illos ad emendationem non potuerint, constitutis missis nostris renuntient, ut ipsorum judicio legaliter secundum capitulare avi & genitoris nostri emendetur. Quod si & ipsi hoc emendare nequiverint, ad nostram notitiam perducant.

XIV.

Vt quoties divinum judicium ecclesiæ præsulem a sæculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad suos usus transferat : sed erogatariis & eleemosynariis ecclesiasticis, cum ipsius ecclesiæ constituto œconomo, liberum sit canonico more juste rationabiliterque deputata successuro reservare, vel quibuscumque, sicut expedit, pro ejus spiritu distribuere.

ANNO CHRISTI 876.

Quod qui iniqua cupiditate transgredi præsumpserit, ut superius prælibatum est, irrefragabiliter multetur.

A

XV.

Vt nemo fidelium nostrorum quodammodo aliquem celet quem nostrum scierit infidelem esse : neque ei sustentationem quamcumque præstare pertentet, si eum ad nostram fidelitatem revocare nequiverit. Quicumque autem contra hoc fecerit, prædecessorum nostrorum & progenitorum judicium experietur.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Ioannes Tuscanensis episcopus, legatus sanctæ sedis apostolicæ & domni Ioannis summi pontificis, & universalis papæ, in his quæ supra scripta interfui, consensi & subscripsi.

Ansegisus Senonum metropolis episcopus, sanctæ & apostolicæ sedis per domnum Ioannem summum pontificem papam vicarius, interfui, consensi & subscripsi.

Ioannes Aretinus episcopus, sanctæ sedis apostolicæ legatus, interfui, consensi & subscripsi.

Hincmarus Rhemorum archiepiscopus subscripsi.

Aurelianus Lugdunensis ecclesiæ episcopus in Christi nomine roboravi.

Frotarius archiepiscopus consensi & subscripsi.

Ottramnus Viennensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Ioannes Rothomagensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Bertmundus Ebredunensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Rageneltnus Tornacensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Vvalterus humilis Aurelianensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Gerboldus Cabilonensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Gislebertus Carnotensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Hildeboldus Suessionensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Rostagnus sanctæ Arelatensis ecclesiæ humilis episcopus subscripsi.

Isaac Lingonensis ecclesiæ episcopus subscr.

Lantbertus Matiscensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ingelvuinus sanctæ Parisiacensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Geroldus Ambianensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Abbo Nevernensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ioannes Cameracensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Hadebertus Silvanectensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Odo Belgivacorum episcopus in Christi nomine subscripsi.

Ratbertus Valentinæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Bernarius Gratianopolitanæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Agenulfus Gabalitanensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Birico Vvapincensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Alduinus Avenionensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Vvido Vellavensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Hildebrannus Sagensis episcopus subscripsi.

Vvillebertus humilis Catalaunorum episcopus subscripsi.

Ragenfridus Meldensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Heirardus Lixoviensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Sigenandus Constantiensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

B

Ætherius Vivariensis episcopus subscripsi.

Erchambertus Baiocensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Hedenulfus Laudunensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Agilmarus Arvernensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Anselmus Lemovicensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Adalbertus Morinensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Vvillelmus Cadurcorum ecclesiæ episcopus subscripsi.

C

Lupus Albiensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ottulfus sanctæ Trecassinæ ecclesiæ humilis episcopus subscripsi.

Berardus Virdunensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Arnaldus Leucorum ecclesiæ episcopus subscripsi.

Franco Tungrensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Theodoricus Vesontionum ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Vvala Autisiodorensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

D

Adalgarius Augustidunensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Hemico Diensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Aimarus Ruthenensium ecclesiæ episcopus subscripsi.

Theotarius Gerundensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Hugo abbas.

Albustus abbas ex monasterio quod vocatur Bethlehem, sive Ferrarias.

Hilduinus abbas & bibliothecarius.

Vvlfardus abbas scripsit & subscripsit.

Gauzlenus abbas & archicancellarius.

E

IV.

Actorum concilii Pontigonensis editio altera, illa fortasse, quam cum legatis apostolicis dictasse, & in synodo legisse dicitur Odo episcopus Bellovacensis.

SANCTA synodus, quæ in nomine domini vocatione domni Ioannis ter beatissimi ac universalis papæ, & jussione domni Caroli perpetuo Augusti congregata est in loco qui vocatur Pontigonis, anno incarnationis dominicæ DCCCLXXVI. indictione IX. regni præfati invictissimi imperatoris XXXVII. imperii autem primo, XVII. Kalendas Augusti, hæc capitula quæ subter annexa sunt instituit.

I.

Obeunte Hludouvico, qui Romani imperii jura regebat, domnus Ioannes ter beatissimus papa per Gadericum Veliternensem, Formosum Portuensem, Ioannem Aretinum, venerabiles episcopos, domnum Carolum tunc regem ad limina beatorum apostolorum invitavit, eumque ecclesiæ ipsius defensorem ac tutorem elegit, imperialique diademate coronavit, eum præ cunctis solum & specialem eligens qui Romani imperii sceptra teneret. Cujus sacris institutionibus pro debito parentes, quod ipse instituit instituimus, & quod ipse confirmavit pari consensu omnes firmamus.

II.

Congregata igitur in Romana urbe sancta synodo, ante adventum prædicti domni imperatoris, misit cum consensu omnium epistolas Hludouvico regi, filiis quoque ipsius, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ac reliquis primoribus regni sui, monentes eos apostolica auctoritate more paterno servare quæ pacis sunt, ne videlicet aliquam " irreptionem in regno præfati Augusti facile tentarent, usque dum simul ad mutuum colloquium venirent, & ipse inter eos & de pace conservanda, & de jure regnorum secundum sibi a Deo ministerium creditum decerneret pariter & discerneret. Quas epistolas per Odonem Bellovacorum venerabilem episcopum sibi destinatas & bis delatas omnino recipere renuerunt.

" irruptionem

III.

Ipse vero apostolica & paterna monita parvipendens, & fraterna fœdera disrumpens, hostili manu tyrannico more fraternum regnum depopulando invasit: homicidia, adulteria, sacrilegia, & innumera mala quæ enumerari nequeunt, auctoritas facientium perpetravit.

IV.

Hæc mala audiens ter beatissimus papa perpetrata esse in regno spiritalis filii sui domni Caroli semper Augusti, tactus dolore cordis acceleravit mittere missos suos, Ioannem videlicet & Ioannem venerabiles episcopos, cum aliis suis epistolis, volens eum monere, ut a tanto malo pœnitudinem de præteritis ageret, & tandem fraternum regnum invadere desineret. Quorum legationem secundo commonitus necdum recipere voluit.

V.

Post hos denique misit iterum alios legatos, Leonem scilicet sanctissimum Gabinensem episcopum & sanctæ Romanæ ecclesiæ missum & apocrisiarium, pariterque & Petrum Forosemproniatem venerabilem episcopum, hæc eadem obsecrando, monendo protestans. Quorum monita utrum recipere velit, adhuc ambiguum constat.

VI.

Verum quia præfatus Leo Gabinensis reverentissimus episcopus, & sanctæ Romanæ ecclesiæ missus & apocrisiarius, seu & Petrus Forosemproniates episcopus, pro quibusdam utilitatibus ecclesiasticis morari hic diutius nequeunt, neque episcopos de longinquo venientes fatigare longius dignum est, decreverunt Ioannem Tuscanensem, & Ioannem Aretinum venerandos episcopos, qui legationem præfatorum pariter cum priori legatione suscipientes, ea quæ peragenda sunt, cum ceteris episcopis, quos communi consensu elegerint, vice omnium episcoporum, quidquid seu in evocanda synodo, seu in definiendo, seu in contemptoribus feriendis definierint, apostolica auctoritate libere definiant, & quidquid ipsi deliberaverint, domnus apostolicus cum omni sancta Romana ecclesia determinabit, & in perpetuum mansurum statuet & firmabit.

VII.

Sicut domnus papa Ioannes sanxit, connivente, & consentiente, & condecernente domno & gloriosissimo Carolo imperatore semper Augusto, Ansegisum venerabilem episcopum, Senonum archiepiscopum, suam vicem tenere, & primatum ei Galliæ & Germaniæ contulit in evocanda synodo, & definiendo canonice, si quælibet insurrexerint necessaria, & ut graviora ad ipsius notitiam referat: & nos unanimiter omni devotione laudamus; & ut ita ipse primatum teneat Galliæ & Germaniæ, decernimus & sancimus.

VIII.

Synodum, quam domnus Ioannes apostolicus & universalis papa super quorumdam depositionem, Formosi scilicet Portuensis episcopi, & Gregorii nomenculatoris, seu & Stephani secundicerii, & Gregorii vestararii, ceterorumque suorum complicum, sicut in epistola ipsius ad nos missa continetur, nuper instituit, & nos secundum jussionem ipsius, in nullo a capite diffidentes, consentiendo decernimus, omnibusque apostolicis illius sanctionibus per omnia parentes sicut decet obedimus.

IX.

Censuram vero, quam domnus apostolicus super nefandissima acta Hludovici regis, & complicum ejus, nisi resipuerint, & debitam obedientiam sedi apostolicæ exhibuerint, statuit & firmavit; omnes nos, qui ad præsentem synodum convenimus, unanimiter decernimus, atque firmamus.

Sequebatur post hæc in codice sancti Remigii confirmatio synodi Ticinensis, cum episcoporum subscriptionibus, ut supra.

V.

Libellus proclamationis ecclesiæ Rhemensis adversus Hludovicum regem Carolo imperatori oblatus in synodo Pontigonensi.

PATERNIS magisteriis instruimur, ut si qua majora negotia, vel majores causæ exortæ fuerint, ad sedem apostolicam, prout auctoritas docet, & mos antiquus obtinuit, semper referantur. Ideoque, quia imperialem excellentiam vestram synodo præesse, & vicarios sedis apostolicæ præsto nobis adesse gaudemus, calamitates & miserias ecclesiæ nostræ, ac filiorum nostrorum; quas hoc anno ab Hludouvico filio ejus, & complicibus eorum, cædes videlicet, & homicidia, adulteria, fornicationes, rapinas, sacrilegia, & cetera flagitia, quæ nullus enumerare potest, ecclesia nostra perpessa est, vestræ serenitati innotescimus, obsecrantes ut pro Dei omnipotentis amore, & pro ingenita vobis benignitate, ac pro ministerio imposito, nobis & ecclesiæ nostræ ac filiis nostris, secundum promulgatam omnibus vestram sapientiam, consulatis pariter ac succurratis: ne de cetero talia ac tanta mala ecclesia nostra ac regnum patiatur, qualia hactenus passum est.

VI.

ANNO CHRISTI 876.

VI.

Definitio synodi Pontigonensis de Adalgaudo presbytero infamato.

PRIDIE Idus Iulii, in loco qui vocatur Pontigonis, ita de Adalgaudo presbytero a legatis sedis apostolicæ, Leone apocrisiario sanctæ sedis Romanæ, Petro, Ioanne, itemque Ioanne legatis memoratæ sanctæ sedis, & Ansegiso vicario ejusdem sanctæ sedis, & ab omni concilio definitum est: ut illi propria ecclesia reddatur, & a præfatis Kalendis quatuor mensium dilatio ad famam suam purgandam illi concedatur. Si post quatuor menses purgare se canonice non potuerit, nulla ejus vox postea penitus audiatur.

VII.

Consensus Leonis episcopi missi & apocrisiarii, cum post synodum discessurus esset.

QVIA dominus noster Ioannes sanctissimus & ter beatissimus papa nos quidem, me scilicet Leonem Gabinensem episcopum & sanctæ Romanæ ecclesiæ missum & apocrisiarium, & Petrum venerabilem Forosempronitatem episcopum, ad hoc has in partes direxit, ut ceu pridem per venerabiles episcopos Ioannem videlicet & Ioannem mandaverat, vestra sanctitate aggregata, de negotiis, quæ inter utrosque fratres hoc anno emerserant, determinaremus. Sed nos ob quasdam sanctæ Romanæ ecclesiæ utilitates, & diutius morari nequivimus, & vestram beatitudinem longius fatigari nolumus: hos fratres nostros, Ioannem videlicet Tuscanensem, & Ioannem Aretinum, venerabiles episcopos vobiscum morari decrevimus, usque dum res unde agitur optatum finem divina favente gratia accipiat. qui quidquid seu in evocanda synodo, seu in definiendo, seu in contemptoribus feriendis definierint, auctoritate apostolica libere definiant. Quidquid ipsi deliberaverint, & domnus apostolicus cum omni sancta Romana ecclesia determinabit, & in perpetuum mansurum statuet & firmabit.

VIII.

Iuramentum, quod Hincmarus archiepiscopus edere jussus est apud Pontigonem.

SIC promitto ego, quia de isto die in antea isti seniori meo, quamdiu vixero, fidelis & obediens & adjutor, quantumcumque plus & melius sciero & potuero, & consilio & auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero, E absque fraude & malo ingenio, & absque ulla dolositate, vel seductione, seu deceptione, & absque respectu alicujus personæ. Et neque per me, neque per missum, neque per literas, sed neque per emissam vel intromissam personam, vel quocumque modo ac significatione, contra suum honorem, & suam, ecclesiæ, atque regni illi commissi quietem & tranquillitatem atque soliditatem machinabo, vel machinanti consentiam. Neque unquam aliquod scandalum movebo, quod illius præsenti vel futuræ saluti contrarium vel nocivum esse possit. Sic me Deus adjuvet & ista sancta patrocinia.

A **NOTÆ IACOBI SIRMONDI, S. I.**

ANNO CHRISTI 876.

1 *Concilium Pontigonense.*] Actorum hujus concilii hactenus perpauca, eaque mutila, & cum Ticinensibus confusa gestis habebamus. Nunc multis partibus auctiora, & notis quæque suis distincta prodeunt, adscitis etiam ex diversis exemplaribus epistolis pontificiis, quæ in hoc concilio recitatæ ferebantur, & plusculis aliis monimentis ad eamdem synodum spectantibus, quorum fit mentio fere omnium in synopsi " Aimoini. Constat ergo primum Romæ coronatum fuisse Carolum imperatorem die natalis domini sub finem anni DCCCLXXV. cujus coronationis, ut dixi, acta non extant. Tum deinde celebratum a novo imperatore conventum fuisse Ticinensem mense Februario DCCCLXXVI. in eoque ab episcopis & optimatibus regni Italici acclamatum susceptumque imperatorem, & condita capitula XII. Postremo in synodo Pontigonensi, mense Iunio ejusdem anni, susceptum pariter a Gallis imperatorem, & Ticinensia capitula confirmata. Itaque subscriptionum, quæ hic geminæ leguntur, priores, quæ Italicorum sunt præsulum & optimatum, ad synodum Ticinensem pertinent: posteriores: quæ Gallorum sunt, ad Pontigonensem referendæ, non ad Ticinensem, cui male antea tribuebantur.

" subjunctæ historiæ.

2 *Iuramentum.*] Apud Pithœum post XII. scriptores coætaneos inscribitur: *Generale omnium fidelium sacramentum* & verisimile est ab omnibus exactum fuisse. Sed Hincmarus in libello ad Carolum imperatorem quem in codice Leodiensi nacti sumus, singula juramenti hujus membra, ut inepta & aliena, exagitat, queriturque a se post tot annos requisitum esse, cum satis esse deberet professio, quam ut archiepiscopus ediderat. *Piæ*, inquit, *memoriæ pater vester ab episcopis, qui vel voluntarii vel inviti in sua dejectione consenserunt, sed nec ab ipso Ebbone, qui auctor & incentor ipsius dejectionis dumtaxat inter episcopos* C *fuit, non aliud sacramentum, nisi libellos professionis a se subscriptos, quos ego habeo, requisivit. Et a me, qui ante professionem & subscriptionem, & post professionem ac subscriptionem, professa & subscripta per tot annos a juventute usque ad hanc senectutem servavi, nunc juramentum aliud non debuisset requiri. sed non mirum est, si per bajulos invidia sine causa animus benignitatis vestræ commotus nunc a me requirit, quod nec pater vester in vita sua, qui mihi per octo circiter annos secreta sua indubitanter credidit, requisivit, nec vos per triginta & sex annos hactenus requisistis.* Hincmarum aliis episcopis auctorem fuisse, ut Ludovicum regem ex Germania venientem susciperent, indicat ejus epistola quinta.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium Pontigonense*] Sic dictum a Pontigono. Est autem " Pontigonum, vel Pontigedanum (ut habet Kalendarium sancti Ioannis Vallensis ad Carnutum urbem) D pagus Galliæ Celticæ in diœcesi Carnotensi vulgo dictus *Pontgoie.*

" Errat hic gravissime Binius. Vide geographiam nostram synodicam. Est enim in ad Catalaunensi.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

De eadem Pontigonensi synodo & concessis a Ioanne papa VIII. privilegiis Ansegiso Senonensi archiepiscopo nonnulla referunt historici Senonum Odorannus in chronico ad annum 876. Robertus S. Mariani Autissiodorensis monachus ord. Præmonstratensis in chronico & auctor chronici abbatiæ S. Petri Vivi Clarius sive quis alius editus tomo II. spicilegii a D. Dacherio O. B.

" ** *Sancta synodus, quæ in nomine domini vocatione domni Ioannis ter beatissimi, & jussione domni Caroli Augusti congregata est in Pontigone anno domini octingentesimo septuagesimo sexto, indictione nona, decimo septimo Kalendas Augusti, hæc capitula quæ subter adnexa sunt, instituit.*

OBEVNTE Hludovico qui Romani imperii jura regebat, Ioannes ter beatissimus papa, per Iaidericum Belitrensem, Ansegisum Senonensem, Formosum Portuensem, Ioannem Aretinum, venerabiles episcopos, domnum Carolum tunc regem ad limina beatorum apostolorum invitavit, eumque ecclesiæ ipsius defensorem ac tutorem elegit, imperialique diademate coronavit, eum præ cunctis solum eligens specialiter qui Romani imperii sceptra teneret. Cujus sacris institutionibus pro debito parentes, quod ipse confirmavit, pari consensu omnes confirmavimus.

* al. Alatrinum.

ANNO CHRISTI 876.

Sicut domnus Ioannes sanxit conveniente & consentiente, ac condecernente * domno ac gloriosissimo Carolo imperatore semper Augusto, Ansegisum venerabilem archiepiscopum Senonum suam vicem tenere, & primatum ei Galliæ & Germaniæ contulit, in evocanda synodo & definiendo canonice si quælibet insurrexerint necessaria [& ut quælibet graviora ad ipsius notitiam referat,] & nos unanimiter omni devotione laudamus, & ut ita primatum ipse teneat Galliæ & Germaniæ decernimus & sancimus; cunctique successores ejus in propria urbe Senonica.

* concedente.

* ista desunt apud Baronium an. 875.

Item invenitur in gestis episcoporum ecclesiæ Rhemensis de archiepiscopo Senonensi ita: Obtinuit domnus Ansegisus archiepiscopus Senonensis a beatissimo Ioanne papa, & a Carolo Augusto, ut esset primus post papam, & teneret primatum totius Galliæ & Germaniæ, & ut fortiora quæque & graviora dijudicaret, synodumque evocaret, si quælibet insurrexerint; cunctique ei obediant Galliæ & episcopi sicut episcopo Romano. Voluit autem ei resistere * Immarus archiepiscopus Rhemensis, sed minime potuit, convictus apostolica auctoritate. Suo etenim tempore ecclesia Senonica magno & pacifico viguit honore.

* Hincmarus.

ANNO CHRISTI 877.

[1] CONCILIVM ROMANVM I.

IN QVO ELECTIO CAROLI CALVI IMPERATORIS totius synodi sententia & subscriptionibus confirmata est, mense " Februario, indictione x. anno Christi DCCCLXXVII.

" Ita Sigonius atque Sirmondus: Chiffletius vero p. 113. historiæ Tornutiensis in excutem Maium differt, cujus mensis die 29. consignatum est diploma Adalgerio Eduensi ep. datum, supra excusum habes pag.

Sermo domni apostolici Ioannis in synodo episcoporum.

OMNIBUS generationibus, imo cunctis mortalibus liquet, qualiter omnipotens & creator universorum Deus in ecclesiæ suæ parte, quæ gemebunda peregrinatur in terris, per generationes & generationes electos suos, velut in cælorum ambitu sidera nova produxerit, ut miro quodam modo in ejusdem ecclesiæ cælo fixa, divino lumine radiantia, mœrentium animos illustrarent, depulsis tetræ mœstitiæ tenebris, & diversarum angustiarum dissipata caligine. Inter quas, tamquam clarissimum sidus, diebus nostris ecce nobis Carolum Christianissimum principem superna providentia, præscitum a se & prælectum ante mundi constitutionem, & prædestinatum, non nisi copiosissima miseratione circa nostram salutem mota, secundum placitum suum, juxta quod congruum erat, in isto periculoso tempore tribuit, nepotem videlicet illius quondam magni Caroli, qui rempublicam prælus auxit, victoriis dilatavit, sapientia decoravit. Qui cum omnes ecclesias sublimasset, semper hoc ei erat in voto, semper in desiderio, sicut in gestis quæ de eo scripta sunt legitur, ut sanctam Romanam ecclesiam in antiquum statum & ordinem reformaret. Unde & hanc multis honoribus extulit, multis munificentiis & liberalitatibus ampliavit, adeo ut amissas olim urbes ei restituisset, & ex regni quoque sui parte alias non modicas contulisset. Sed pauca dicta sunt, nisi quæ circa religionis incrementum gessit, magna & sublimia memorentur. Religionis quippe statum inter diversorum errorum & pravitatum vepres incultum inventum sacris literis erudivit, divina pariter & humana scientia perornavit, erroribus expurgavit, ratis dogmatibus saginavit, atque intra brevissimum tempus ita industria pietatis studio egit, ut novus quodammodo videretur mundus, magnis luminaribus venustatus, & variis vernantibus floribus adornatus. Cujus filius, divæ scilicet recordationis Hludouvicus maximus imperator, pater hujus a Deo electi principis Caroli semper Augusti, patrium solium adeo religione imitatus, pietate laudabiliter æmulatus est, ut & paterna divini cultus vota, & erga prælatam principalem ecclesiam liberalitatis insignia, pius natus æquipararet & roboraret, sed & uberioribus beneficiis, & dapsilibus munificentiis, ut heres gratissimus ampliaret. Verum iste hujus præfulgidus filius, Carolus videlicet, de quo nobis sermo est, serenissimus & tranquillissimus imperator, qui nobis, ut prætulimus, in quos fines sæculorum devenerunt, quique caliginosi temporis ex quadam parte tetras ærumnas & miserias sustinebamus, tanquam splendidissimum astrum ab arce polorum illuxit, non solum monumenta progenitorum, bonitatem electæ radicis ferens in ramo, alacriter æquiparavit; verum etiam omne prorsus avitum studium vicit, & universum paternum certamen in causa religionis atque justitiæ superavit: ecclesias videlicet domini diversis opibus ditans, sacerdotes ejus honorans, hos ad utramque philosophiam informans, illos ad virtutes sectandas adhortans, viros peritos amplectens, religiosos venerans, inopes recreans, & ad omne bonum penitus subsecutus, & omne malum medullitus detestatus. Quapropter & nos, carissimi fratres, tot ac tantarum dilectionum ejus atque virtutum audientes insignia, & laudabilium longe lateque diffusa morum ejus intuentes indicia, pietatisque illius affectus experti frequentissime ac multifarie viscera, non immerito intelleximus istum esse procul dubio, qui a Deo constitutus esset salvator mundi, multo profecto præstantius ac decentius ita vocatus, quam Ioseph, qui pene solam terram salvavit Ægypti. Unde ab universa sancta Romana plebe, voce almæ illius Annæ, sanctæ personam gestantis ecclesiæ, sterilis & fecundæ, prophetico quodammodo spiritu temulentæ, quotidie clamabatur: *Dominus dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu christi sui:* & iterum cum David orabat, rege pariter ac propheta, *Da,* inquiens, *potestatem, sive imperium puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ,* sanctæ videlicet catholicæ & apostolicæ ecclesiæ. Unde nos, tantis indiciis divinitus incumbentibus luce clarius agnitis, superni secreti consilium manifeste cognovimus. Et quia pridem apostolicæ memoriæ decessori nostro papæ Nicolao idipsum jam inspiratione cælesti revelatum fuisse comperimus, elegimus hunc merito, & approbavimus una cum annisu & voto omnium fratrum & coepiscoporum nostrorum, atque aliorum sanctæ Romanæ ecclesiæ ministrorum, amplique senatus, totiusque Romani populi, gentisque togatæ, & secundum priscam consuetudinem solenniter ad imperii Romani sceptra proveximus, & Augustali nomine decoravimus, ungentes eum oleo extrinsecus, ut interioris quoque Spiritus sancti unctionis monstraremus virtutem, qua unxit cum dominus Deus suus præ consortibus suis, christum hunc oleo lætitiæ delibutum extrinsecus faciens, & principem populi sui constituens: ad imitationem scilicet

1. Reg. 2.

Psal. 85.

ANNO CHRISTI 877.

scilicet veri regis Christi filii sui domini nostri, ita ut quod ipse possidet per naturam, iste consequeretur per gratiam. Deinde non hic perpetuus Augustus ad tanta fastigia se velut improbus intulit, non tamquam importunus fraude aliqua, vel prava machinatione, aut inhianti ambitione ad imperialem apicem aspiravit. Absit. Neque enim sibi honorem præsumptiose assumpsit ut imperator fieret: sed tanquam desideratus, optatus, postulatus a nobis, & a Deo vocatus, & honorificatus, ad defendendam religionem, & Christi utique servos tuendos, humiliter atque obedienter accessit, operaturus & roboraturus in imperio summam pacem & tranquillitatem, & in ecclesia Dei justitiam & exaltationem. Nisi enim nos talem ejus cognovissemus intentionem, numquam animus fieret noster tam promptus ad ipsius promotionem. Et hoc per sacerdotum domini manus, & ministrorum ejus officium, sicut David & Salomon, & nonnulli alii Christi domini, quos nimirum non esse tangendos Spiritus sanctus per psalmorum cantica protestatur. Quapropter, fratres carissimi, omnes unanimes idipsum sentientes benedicamus domino, & totis cordis ac corporis vocibus collaudemus, qui secundum quod pollicitus est, spernentes sprevit, & glorificantem se glorificavit: quique hunc tantum nobis talemque contulit, per quem mœrentium consolatio, & Paganorum contritio, & Christianorum procul dubio speretur cita redemptio. Summamque majestatem ejus & pietatem votis continuis obsecremus, ut confirmet hoc in eo, imo & in nobis per eum, quod operatus est in eo a templo sancto suo, quod est in superna Ierusalem. Nosque, quod jam in Romana ecclesia, quæ est magistra, mater, & caput ecclesiarum, auctore Deo, famulatus nostri ministerio gessimus, preces benedictionis fundentes, & coronam imponentes sceptri, & diadema imperii, etiam hic in sancta ac generali fraternitatis nostræ synodo, ad quam, Deo duce, pro innumeris necessitatibus & utilitatibus sanctæ Dei ecclesiæ convenisse dignoscimur, iterato cordis affectibus, & oris vocibus, & manus subscriptionibus roboremus. nec sint, quod absit, in nobis schismata, quæ apostolus medullitus execratur, nec animorum alicujus divisionis vel diversitatis dissensio.

[Psal. 104.] [Reg. 2.] [Cor. 1.]

Responsio episcoporum.

Ecce beatissime & apostolice domine papa Ioannes, luce clarius videmus mentem apicis vestri gratia sancti Spiritus illustratam, qui profecto quos repleverit ardentes pariter & loquentes facit. Nisi enim ipse cor vestrum irradians tetigisset, nec ad tantæ dilectionis erga nos flagrantiam accenderet, nec ad tot mellifluos & salutares affectus, quibus nos procul dubio pie & assidue instruitis, procul dubio moveretur. Spiritalem autem filium vestrum, dominum imperatorem Carolum, Christianissimum & mansuetissimum principem, tanto jure cupimus & desideramus Augustalia Romani sceptri gubernacula inconcussa & immutilata, imo augmentata & ampliata, fine tenus retinere, quanto liquidius non per hominem neque ab homine sublimatum, & ad tantum culmen potestatis evectum, superna gratia revelante cognovimus. qui nimirum cordi sacratissimo apostolatus vestri interius inspiravit, ut non vos prius eligeret, sed antea vos eum & eligeretis, & diligeretis. Sed & nos, o domine & coangelice papa, vestigia vestra sectantes, & salubria monita recipientes, quem amastis & amamus, quem dilexistis diligimus, quem elegistis eligimus: & quod in eo, auctore omnium bonorum Deo, sive divina benedictione, sive sacra unctione, sive coronæ imperialis impositione gessistis, viscerabili affectu sequimur, & celebri laude prosequimur, & digna honorificentia veneramur, atque totius sensus nostri nisibus ita permanere atque pollere semper optamus. Sed etsi necessitas fortassis exegerit, totis officii nostri conatibus adversus aliter sentientium molimina resistere satagemus. Cum enim, secundum apostolum, *non sit potestas nisi a Deo*, & hæc præcipue, quæ tam pio collata est, haud dubium quin Dei ordinationi resistat, qui isti ordinationi, quæ nobis ministrantibus cælitus facta est, obstinata mente resistit. apostolico quippe culmini, docente sancto Bonifacio papa, nemo unquam obices manus intulit, nisi qui de se voluit judicari. Durum est autem contra stimulum calcitrare, vel adversus impetus fluminis conari. [Rom. 13.]

Item summus pontifex. Quia igitur, fratres dilectissimi, inspiratio divina omnium nostrum corda in unum sensum, & in unum eumdemque deliberationis finem direxit, ut scilicet unum sentiamus & unum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, quæ in præfato piissimo & tranquillissimo imperatore spiritali filio nostro Carolo, auctore Deo sive preces benedictionis super caput ejus infundendo, sive sacræ unctionis oleo celsum ipsius verticem contingendo, sive coronam imperii conferendo gessimus, sententiæ prolatione, si unanimi generalitati vestræ videtur, & per manuum subscriptionem, etiam in præsenti hac venerabili synodo, sicut jam hortati sumus, iterato promulgemus & roboremus.

Sancta synodus respondit: Placet, & valde placet, in omnibus vestra sacratissima sectari vestigia. neque fas est ut a culmine apostolatus vestri in aliquo dissentiamus, quem videlicet ipse Christus dominus noster omnium nostrum ad vicem suam in terris esse voluit caput.

Tunc surgens summus pontifex sententiam protulit dicens: Piissimi & serenissimi spiritalis filii nostri, Caroli magni & pacifici imperatoris, ad imperialia sceptra electionem & promotionem, ante mundi quidem ordinem divinitus ordinatam, nuper autem, id est præterita nona indictione, per ministerium nostræ mediocritatis exhibitam, annuente Deo, ex tunc & nunc & in perpetuum firmam & stabilem decernimus permansuram. Responderunt omnes. Placet, placet. *Item.* Si quis tantæ rei divinitus actæ procul dubio institutionem superbia aut avaritia, vel certe aliquo pessimæ ambitionis instinctu, perturbare aut violare tentaverit, cujuscumque sit ordinis, dignitatis, aut professionis, tamquam Dei inimicus, & ordinationi ejus tyrannide sua resistens, & ecclesiæ Dei hostis, totiusque pacis & Christianitatis dissipator, anathemate usque ad satisfactionem teneatur omni tempore annexus. Responderunt: Fiat, fiat.

Item summus pontifex. Patratores & incitatores pessimi hujus consilii, qui profecto, cum ministri sint diaboli, sua quærunt, non quæ Iesu Christi, & in imperium subintroducere simultates & discordiam moliuntur, ac fraudulentum im-

ANNO CHRISTI 877.

immittere schisma, ad confundendam ecclesiæ A unitatem, regnique congruum statum & ordinem, reique publicæ utilitatem & tranquillitatem, conantur, si deinceps in talibus inventi fuerint, si quidem ecclesiastici viri extiterint, tamquam veri schismatici, & a capite dissidentes, omnimodis deponantur: Laici vero & monachi perpetuo anathemate feriantur. Et responderunt omnes tertio: Fiat, fiat, fiat. Subscripsit ergo domnus papa, & cum eo episcópi qui affuerunt.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Concilium Romanum I*] Iam monui Petrum Pithœum, qui hæc primus in lucem protulit, falsum fuisse, quod ea ad primam Caroli imperatoris coronationem pertinere existimavit. Non minus autem aberrarunt, qui ad Ticinensem postea synodum referenda censuerunt, ac synodo Ticinensi in Coloniensi conciliorum editione adscripserunt. Pertinent enim ad aliam synodum, quam Ioannes papa Romæ " Februario mense habuit, anno DCCCLXXVII. in eaque Carolo imperium, quod a Germanis disceptabatur, totius synodi consensu iterum confirmavit. Cujus synodi acta Adalgarius episcopus, qui ad eam missus a Carolo fuerat, in Franciam detulit, ut narrat Aimoinus lib. v. cap. XXXV. quod & in vetusto exemplari annotatum est his verbis: *Synodus, quam attulit Adalgarius episcopus de parte Ioannis papæ, alterumque episcoporum Carolo ad Vrbam civitatem, quando pergebat isdem Carolus Romam.*

" Aprili aut Maio

" ** IOANNIS PAPÆ VIII. SYNODVS RAVENNÆ HABITA CVM CXXX. episcopis anno Christi DCCCLXXVII. mense " Augusto, indictione X.

ANNO CHRISTI 878.

" Novembri scribere debuerat Holstenius, qui hanc synodum primus vulgavit; si vera Chiffletii sententia de tempore illius, quam alias expendemus.

Ad disciplinam & immunitatem ecclesiasticam restituendam.

HIERONYMVS RVBEVS HISTORIÆ RAVENNÆ libro V. ad annum DCCCLXXVII.

IOANNES *pontifex cum postulatum ab Carolo Calvo subsidium tardius expediretur, jam enim redierat in Galliam Carolus, Ravennam ire constituit. Itaque & eo indixit episcopis conventum, & ad Ioannem archiepiscopum scripsit, id se decrevisse, tum quod ab improbis Christi fidelibus vexaretur, tum quod multis in rebus indigeret emendationis ecclesia. Quoniam vero nullus esset ad hac peragenda locus Ravenna aptior, regare ut eo cum suis subjunctis episcopis accurrere velit ad* VIII. *Kalendas Iulias. Mox Vrsum Venetiarum ducem scriptis* VI. *Kalend. Iunias literis admonuit, ut eo adesset* XIII. *vero Kalend. Augusti se Ravennam omni spreto incommodo itineris significavit habendi conventus gratia concessisse, eumque Kalend. Augusti inchoaturum. Conventu inde peracto, cujus ad nós acta non pervenerunt, ut maturius Calvum de instanti bello consuleret, Ravenna egressus ad eum iter intendit.*

Videndæ Ioannis VIII. epistolæ LIII. LV. LVI. LVII. LIX. LX. quibus episcopi ad hanc synodum celebrandam convocantur.

CAPITVLA STATVTORVM.

I. *Vt metropolitani intra tres menses fidem suam apud sedem apostolicam exponant, & pallium petant.*

II. *Vt episcopi electi intra tres menses a metropolitano suo consecrentur.*

III. *Vt metropolitani non nisi statutis temporibus pallio utantur.*

IV. *Vt Duces episcopos non præsentent, nec ipsos aliasque ecclesiasticas personas concutiant.*

V. *Vt qui domum Dei violaverit, & inde quid abstulerit, communione privetur.*

VI. *Vt raptores nisi raptas restituant communione privati etiam anathemate percellantur.*

VII. *Vt homicidæ & incendiarii nisi publice satisfecerint post excommunicationem etiam anathematizentur.*

VIII. *Vt prædones, si bis terve admoniti non emendaverint, præter excommunicationem etiam anathemate feriantur.*

IX. *Vt excommunicatorum fautores & ipsi communione priventur.*

X. *Vt episcopi nomina excommunicatorum publice affigi curent.*

XI. *Vt ecclesiastico judicio obnoxiis refugium præstantes & ipsi excommunicentur.*

XII. *Vt nemo se parochiæ propriæ conventui ultra tres dies dominicos subtrahat.*

XIII. *Vt magistratus sæculares ab episcopis & clericis conventi, querimonias eorum diligenter examinent & corrigant.*

XIV. *Vt presbyter non nisi ad certum locum ordinetur.*

XV. *Vt nemo patrimonia Romanæ ecclesiæ petat, & si quis quomodolibet subtraxerit, anathema sit.*

XVI. *Item de eadem re.*

XVII. *Vt nemo res ecclesiæ Romanæ beneficiali more aut scripto petere vel retinere audeat.*

XVIII. *Vt sæculares in domibus ecclesiarum neque placitum neque hospitium sibi vindicent.*

XIX. *Quod decimæ tantum sacerdotibus parochiarum dari debent.*

ANNO CHRISTI 878.

INCIPIVNT STATVTA SYNODI APVD RAVENNAM.

I.

Quisquis metropolitanus intra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam palliumque suscipiendum ab apostolica sede nulla inevitabili necessitate immmente non miserit, commissa sibi careat dignitate; ita ut tamdiu episcopali illi sedi cedat, omnique consecrandi licentia careat, quamdiu in exponenda fide & in expetendo pallio priscum morem contempserit. Sit licentia metropolitanis aliis post secundam & tertiam commonitionem viduatis ecclesiis cum consilio Romani pontificis ordinando episcopum subvenire. Decrd. l. I. ap. 135.

II.

Si vero consecrandi episcopi negligentia provenerit, ut ultra tres menses ecclesia viduata consistat, communione privetur, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum præbere non differat. Quod si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam ecclesiam, neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat: imo metropolitani sui judicio cedat.

III.

Quicumque sane metropolitanorum per plateas vel in litaniis uti pallio præsumpserit, & non tantum in præcipuis festivitatibus, & ab apostolica sede indictis temporibus ad missarum solummodo solemnia, careat illo honore: & prout beatus papa Gregorius ad Ioannem Panormitanum episcopum, & Marinianum scribit Ravennatem episcopum, qui grave jugum atque vinculum cervicis non pro ecclesiastica, sed pro quadam sæculari dignitate defendit, permissa qua abutitur dignitate careat: quoniam jure privilegium meretur amittere, qui audacter usurpat illicita. lib. I. cap. 211.

IV.

Nulli Ducum liceat quemlibet episcopum in præsentiam Romani præsulis introducere, vel census ab eo sumptus publicos, seu dona quælibet

quælibet exigere : sed nec coram laicis episcopum objurgare concedimus. Clericos & sanctimoniales, pupillos & viduas sub tutela episcoporum esse decernimus, & eos ad sæcularia trahi modis omnibus interdicimus. Quemlibet autem ducem vel alium contra hæc agentem excommunicandum esse decernimus : perseverantem vero anathematis vinculo innodandum.

V.

Deusd. l. 3. c. 49. Ansel. l. 5. c. 52. Si quis domum Dei violaverit, & aliqua sine licentia illius cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit, vel ecclesiasticis personis injuriam fecerit, donec conventus & admonitus legitime satisfaciat, sciat se communione fore privatum. Si vero post secundam & tertiam conventionem coram episcopo satisfacere detrectaverit, sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur : ita ut secundum apostolum nemini fidelium misceatur. 1. Cor. 5. 11.

VI.

Quicunque sanctimonialem, sive quamcunque feminam in matrimonium vel concubinatum rapuerit, donec eam coram episcopo civitatis parentibus vel civibus restituat, cum omnibus fautoribus suis excommunicatum se esse cognoscat. Si vero post secundam & tertiam conventionem, quam rapuit sub satisfactione congrua non reddiderit, tanquam anathematizatus ab omni Christianorum consortio repellatur. Raptas enim nec immerito dicimus, quæ sine consensu parentum, vel civitatis episcopi, aut ipsæ ultro diffugiunt, aut nolentes ab aliis abducuntur.

VII.

Si quis homicidium, membrorum truncationem, domorum incendia fecerit, aut fieri jusserit, aut facienti consenserit, quousque de his legaliter vel amicabiliter coram episcopo civitatis, aliisque civibus non emendaverit, ab ecclesia privatum se esse agnoscat. Si ergo post secundam & tertiam conventionem cuncta in quibus arguitur non emendaverit, tanquam ethnicus & publicanus ab omni Christianorum collegio separetur.

VIII.

Porro de his, qui deprædationes fecerint, aut facere jusserint, vel facienti consenserint, instituimus; ut si ab episcopo civitatis admoniti minime resipuerint, XL. dies pane & aqua contenti, reliquis cibis & potibus sint omnino privati. Quod si hanc excommunicationem suspicati fuerint violasse, satisfaciant episcopo, quod illam non violaverint : sicque demum si convicti fuerint hanc violasse, non solum quod unicuique arguuntur fecisse emendent; sed etiam bis aut ter commoniti si se non correxerint, ab omni communione privati sint. Si vero post secundam & tertiam commonitionem cuncta, in quibus arguuntur, perfecte non emendaverint, anathematis sententia se noverint obligatos.

IX.

Hi sane qui ante audientiam communicare tentaverint, donec per pœnitentiam reatum suum defleant, ad communionem nullo modo reducantur, excepto mortis urgente periculo. Qui vero excommunicato scienter communicaverit, vel communicavit, & amodo saltem in domo simul oraverit, atque latebras defensionis ne cominus ad satisfactionem perducatur præbuerit, donec ab excommunicatore pœnitentiam suscipiat, corporis & sanguinis domini communione se privatum esse cognoscat. Quicumque ergo intra anni spatium humiliter, sive publice causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi audientiæ aditum clausisse videantur. Quod si obstinato animo sine communione defuncti fuerint, nos illorum causam juxta beati Leonis prædecessoris nostri sententiam divino judicio reservantes, quibus vivis non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

X.

Curæ sit omnibus episcopis excommunicatorum nomina omnino tam vicinis episcopis, quam suis parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus ecclesiæ cunctis convenientibus inculcare : quatenus in utraque diligentia, & excommunicatis ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur. Si quis sane venerabilium episcoporum vel sacerdotum in hac re districtissime non vigilaverit, & in aliquo conniverit, quo minus ecclesiasticæ severitatis invectio circa personas delinquentium conservetur, donec coram provinciali synodo satisfiat, a communione sciat se esse suspensum. Si vero post tertiam conventionem in sua negligentia manserit, canonico judicio subjacebit. Lib. 4. cap. 108.

XI.

Illos autem qui pro diversis suis excessibus se conveniendos legaliter timent, aliumque senioratum confugiunt, & ibi pejora prioribus operantur, jubet ut a nemine suscipiantur, donec sub prioris domini districtione satisfaciant cunctis, quibus deliquerant. Si vero prius suscepti fuerint, cum suo susceptore communione priventur.

XII.

Verum quia sunt plerique qui prolationem sententiæ subterfugere cupientes, a matricialibus ecclesiis vel baptismalibus se subducunt; placuit, ut hi intra regionem positi, si a publicis ecclesiarum se conventibus ultra tres dies dominicos voluntarie sententiam subterfugiendo subtrahunt, donec sub satisfactione se corrigendos adstruant, communione priventur. Lib. 3. cap. 50.

XIII.

Administratores plane sæcularium dignitatum, qui ad ecclesiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem, rapaciumque refrenationem constituti esse procul dubio debent, quotiens ab episcopis & ecclesiasticis viris conventi fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & secundum quod necessitas experierit, absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant. Quod si dei timorem præ oculis non habentes negligere post secundam & tertiam admonitionem inventi fuerint, omni se noverint communione usque ad condignam satisfactionem privatos. Lib. 4. cap. 51.

XIV.

Qui presbyterum ordinare necessarium ducit, deputet eum ecclesiæ in qua domino serviens jugiter perseveret.

XV.

Auctoritate summi judicis domini nostri Iesu Christi & principum apostolorum Petri & Pauli simul & omnium sanctorum præcipimus, decernimus, & modis omnibus interdicimus, ut amodo & deinceps nullus quilibet homo petat patrimonia sanctæ nostræ ecclesiæ : Appiæ videlicet, Deusd. l. 3. cap. 51. Ansel. l. 4. cap. 31.

ANNO CHRISTI 877.

cet, & Lavicanense, vel Campaninum, Tiburtinum, Theatinum, utrumque Sabinense & Tusciæ, porticum sancti Petri, monetam Romanam, ordinaria & actionarica publica, ripam, portus, & Ostiam. Sed hæc omnia in usum salarii sacri palatii Lateranensis perpetualiter maneant, ita ut solitos reditus & angarias perpetualiter absque illa contradictione persolvant. Et si quis hæc beneficialiter, vel alio quolibet modo subtrahere quovis tempore voluerit, anathema sit. *Et infra.* Exceptis his quos familiares vel nostros vel nostrorum successorum esse ratio proficua evidentissime demonstraverit. Quod si quisquam huic decreto nostro contraire præsumpserit, scilicet eadem patrimonia sanctæ Romanæ ecclesiæ beneficiali seu quolibet more sibi amodo dari petierit, aut volenti dare consenserit, & qui dat & qui recipit, anathema sit.

XVI.

Ibid. c. 53.

Si quis de massis sive de colonis eorumdem patrimoniorum sancti Petri apostoli, de quibus hactenus nulla concessionis conscriptio reperitur, aut præcepta sibi fieri postulaverit, aut postulanti aut suadenti consenserit; Ananiæ & Saphiræ, qui de propriis mentientes ante pedes apostolorum expiraverunt, pœna mulctetur. Et non solum is apud quem de prædictis rebus præcepti alicujus series inventa fuerit, res illas cum frugibus, quibus ex eis abusus est, ex toto restituat, sed & eadem scriptura cassata nihil per illum proficiat: verum etiam cum omnibus sibi consentientibus perpetuo anathemate perculsus, cum Iuda traditore domini nostri Iesu Christi æterni ignis incendiis exuratur.

XVII.

Lib. 3. cap. 54.

Item apostolica auctoritate præcipimus & sancimus, ut amodo & deinceps nullus cujuslibet gentis vel ordinis homo monasteria, cortes, massas & salas, tam per Ravennam, & Pentapolim, & Æmiliam, quam & per Tusciam Romanorum atque Longobardorum, & omne territorium sancti Petri apostoli constitutas, præsumat beneficiali more, aut scripto, aut aliquolibet modo petere, recipere, vel conferre: exceptis illis dumtaxat, quibus pro utilitatibus & speciali servitio sanctæ Romanæ ecclesiæ vel ducatus uniuscujusque loci habitatoribus præbetur, vel ad nostra dispensanda constituti sunt vel constituentur. Quod si quisquam huic nostro statuto contraire tentaverit, & de præfatis quibuslibet alicujus modi scriptum sibi fieri postulaverit, aut etiam beneficiali more ea retinere præsumpserit, excepta dispensatione apostolica, quæ ad augmentum & servitium sanctæ Romanæ ecclesiæ esse probatur, statuimus ut non solum scriptura illa cassata nullum robur obtineat firmitatis, sed etiam fruges ex eis quibus usus, omnino restituens nihil ex hac ambitione vel beneficiis ipsis lucratus anathemati subjaceat.

XVIII.

Decimas unumquemque fidelem illi sacerdoti dare censuimus in cujus parochia eum procul dubio constat sub episcopi proprii ditione, quia ad hoc recipiendum ab episcopo suo est constitutus, manere. Et ideo nullum alterius diœceseos sacerdotem aut levitam alteri jure canonum debita hujusmodi audere impudenter vel temere quærere aut accipere donationem. Eum vero qui aliter dare vel accipere præsumpserit, ecclesiastica communione tamdiu judicamus manere privatum, donec secundum hoc nostræ apostolicæ auctoritatis capitulum studuerit agere.

XIX.

In domibus ecclesiarum neque missus, neque comes vel judex, quasi pro consuetudine, neque placitum, neque hospitium vindicent: sed in publicis rebus domos restituant, in quibus placitum teneant, & secundum antiquam consuetudinem hospitentur.

Explicit synodus Ioannis VIII. Ravennæ habita.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S.I.

Ad hanc Ravennatensem synodum haud dubie pertinet diploma quod sequitur ab aliquot jam annis publicæ luci datum, tum a Ven. domno Georgio Violeo O. B. congregationis S. Mauri monacho anno 1653. in defensione sive vindiciis reliquiarum S. Reginæ virginis & martyris, tum a R. P. Petro Francisco Chiffletio S. I. in probationibus historiæ Tornutiensis monasterii anno 1664. Divione excusæ.

** EPIST. CONCILII RAVENNENSIS EPISCOPORVM LII. QVA PRÆSENTE Ioanne papa VIII. possessio Flaviniaci monasterii, & Tiliniaci villæ, Adalgario Æduensi episcopo, & ejus ecclesiæ confirmatur, mense" Novembri anni Christi 877.

" Augusto alii, aut Septembri

Ex tabulario ecclesiæ Æduensis.

ANNO dominicæ incarnationis octingentesimoseptuagesimo septimo, indictione" decima, nos episcopi Ravennæ in nomine domini apostolica auctoritate & imperiali decreto in sancta synodo congregati, præsidente eidem synodo sanctissimo & reverendissimo domino Ioanne summo pontifice & universali papa; cum ecclesiastica negotia & sollicitudines pro viribus annuente divina gratia tractaremus, affuit reverendissimus & confrater noster Adalgarius sanctæ Augustudunensis ecclesiæ episcopus, missus etiam imperialis, deferens nobis præcepta imperialia, & privilegio sedis apostolicæ roborata, ex quodam monasterio Flaviniaco nomine, quod est situm in pago Alsensi, in parochia jamdictæ Augustudunensis ecclesiæ: quod munificentia & liberalitate Christianissimi imperatoris & piissimi augusti Karoli jamdictæ matri ecclesiæ constat unitum, & indissolubili nexu commixtum, perpetuoque jure (sicut in præcepto, & privilegio, quæ coram nobis relecta sunt continetur) æternaliter subjectum. Et ex Tiliniaco villa præceptum imperiale, & apostolicum privilegium, quam constat fuisse dudum a beato Leodegario martyre & pontifice eidem ecclesiæ collatam, & tyrannica usurpatione pravorum hominum olim ab eadem ecclesia subtractam, & per idem præceptum memorati Augusti eidem sancto loco redditam & reformatam, itemque privilegio apostolicæ sedis ex integro corroboratam; humiliter petens, ut id quod factum fuerat etiam nostra auctoritate roboretur. Cujus petitioni, caritatis & fraternitatis gratia libenter annuentes, simul cum auctoritate & assensu jamdicti summi pontificis generali synodo præsidentis, statuentes decernimus, & decernentes statuimus, ut eadem præcepta & privilegia inconvulsam obtineant omni tempore firmitatem. Si quis autem præsumptor temerario ausu contra hoc quod sæpedictus augustus plenissima devotione pro animæ suæ,

" undecim tunc nume rabatur in Gallus a mense Septembri: imo & Romæ. Hic enim aberravit tabellio aut librarius, aut certe Decem ber mensis ex fine diplomatis expungendus.

ANNO CHRISTI 877.

suæ, suorumque salute eidem sanctæ Augustudunensi ecclesiæ contulit, & restaurando reddidit, & sedes apostolica privilegii auctoritate firmando roboravit; nec non quod modo nostra humilitas, & generalis totius synodi auctoritas promulgando totis viribus astipulatur, venire, infringere, contradicere, aut in aliquo imminuere tentaverit; anathematis vinculo a Patre & Filio & Spiritu sancto cognoscat se æternaliter obligatum: sed & cum Iuda traditore domini nostri Iesu Christi, ignis actoris incendiis concremandum; & in barathrum dæmonibus perenniter deputatum, ac sine spe recuperationis demergendum. Custodes autem & observatores hujus nostri decreti, benedictio & pax domini nostri Iesu Christi per æterna sæcula conservare dignetur. Amen.

Ioannes sanctæ Romanæ ecclesiæ summus pontifex & universalis papa subscripsi.

Anspertus Mediolanensis archiepiscopus subscripsi.

Ioannes Ravennensis archiepiscopus subscripsi.

Petrus patriarcha sanctæ Gradensis ecclesiæ subscripsi.

Adelardus sanctæ Veronensis ecclesiæ subscripsi.

Vvibododus Parmensis ecclesiæ subscripsi.

Leo missus & apocrisiarius sanctæ Romanæ ecclesiæ subscripsi,

Leodoinus Mutinensis episcopus subscripsi

Gauginus Voloterrensis episcopus subscripsi.

Petrus Elibertinensis episcopus subscripsi.

Galtericus Velitrenensis episcopus subscripsi.

Zenobius Fesulanus subscripsi.

Olchisus Pictoriensis episcopus subscripsi.

Gerardus Lucensis episcopus subscripsi.

Dominicus Bariensis episcopus subscripsi.

Vitalis Cumanus episcopus subscripsi.

Petrus Orbevetanus episcopus subscripsi.

Paulus Aquensis episcopus subscripsi.

Marinus Tiphernatensis episcopus subscripsi.

Odelgarius Eferniatensis episcopus subscripsi.

Adonius Pesaurienssis episcopus subscripsi.

Theodoinus Hadriensis episcopus subscripsi.

Theodulphus Tertonensis episcopus subscripsi.

Petrus episcopus Senogalliensis subscripsi.

Vvalpertus Portuensis episcopus subscripsi.

Zacharias Anagninensis episcopus subscripsi.

Ioannes Aretinus episcopus subscripsi.

Felix Spoletanus episcopus subscripsi.

Ioannes Ticinensis episcopus subscripsi.

Ioannes Populoniensis episcopus subscripsi.

Viator Ferrariensis episcopus subscripsi.

Ioannes episcopus Vrbinatis subscripsi.

Petrus Cæsenatis episcopus subscripsi.

Maximinus Feretranus episcopus subscripsi.

Dominicus Trivensis episcopus subscripsi.

Paschalis Amerinensis episcopus subscripsi.

Theodorus Gallesiensis episcopus subscripsi.

Marcus Fanensis episcopus subscripsi.

Benedictus Cremonensis episcopus subscripsi.

Adalgaudus Vercellensis episcopus subscripsi.

Antonius Brixianæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Azzio Regiensis episcopus subscripsi.

Gerardus Laudicensis episcopus subscripsi.

Ansigisus Genevensis episcopus subscripsi.

Vvalterius Sedunensis episcopus subscripsi.

Hilduinus Astensis episcopus subscripsi.

Hildradus Albensis episcopus subscripsi.

Garibaldus Bergomensis episcopus subscripsi.

Bodo Aquensis episcopus subscripsi.

Ratbornus Augustensis episcopus subscripsi.

Sabbatinus Genuensis episcopus subscripsi.

Heilbertus Comanus episcopus subscripsi.

Datum VI. Kalendas " Decembris, indictione decima, per manus supradicti Leonis missi & apocrisiarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, feliciter. Amen.

" sunt qui legere malint Septembris quod multa evincunt.

[a] CONCILIVM IN NEVSTRIA CELEBRATVM ADVERSVS HVGONEM Lotharii regis filium illegitimum anno domini DCCCLXXVII." tempore Ioannis papæ VIII.

" aut potius seq. 878.

[a] *Concilium.*] In hoc concilio legati Ludovici imperatoris " III. conquesti sunt, quod Hugo Lotharii regis defuncti filius nothus & illegitimus, post obitum Caroli imperatoris, collecta factiosorum hominum multitudine, ejusdem Ludovici regnum invasisset, & summopere devastasset. Quo cognito, synodus per Hincmarum Rhemensem archiepiscopum; qui concilii præses erat, literas commінatorias scripsit: quarum summarium Flodoardus lib. 3. historiæ Rhemensis cap. 19. & 26. scripsit. Ad hujus concilii causam conducunt plurimum quæ Vvilhelmus Gemmeticensis quingentis abhinc annis scripsit lib. 1. de ducibus Nortmannis c. 5. 6. 7. 8. & sequentibus.

" Binius Lud. Balbum Fræ regem minus vere imperatorem hujus nominis III. appellare solet.

ANNO CHRISTI 878.

[f] CONCILIVM TRICASSINVM II. AB IOANNE VIII. PAPA ET EPISCOPIS Gallicanis apud Tricassinam urbem, præsente Ludovico II. rege celebratum mense Augusto & Septembri, anno Christi DCCCLXXVIII. eorumdem Ioannis papæ anno VI. Ludovici Balbi regis primo.

INDEX EORVM QVÆ PERTINENT ad concilium Tricassinum II.

V I. ACTO-

ANNO CHRISTI 878.

I.

ACTORVM CONCILII TRICASSINI breviarium, sive, ut est in codice Virdunensi, ordo synodi, qualiter celebrata est, & exceptum quæ ibi facta sunt.

Regnante domino nostro Iesu Christo per infinita sæcula, anno incarnationis ejus DCCCLXXVIII. *indictione* XI. III. *Idus Augusti.*

ACTIO PRIMA IN ECCLESIA S. PETRI Tricassina.

DVM domnus Ioannes summus pontifex, & universalis papa Romanæ urbis pro quibusdam oppressionibus ecclesiarum in partes Galliarum devenisset, operæ precium ducens pro sublevatione earumdem ecclesiarum generalem synodum Christo opifice aggregare, ut purgatis gratia Christi unigeniti scandalis de medio, una concordia atque votum omnium fieret toto orbe terrarum domini sacerdotibus & regibus orthodoxis.

Allocutio pontificis. Domini fratres & consacerdotes, qualia in Romana ecclesia, quæ caput est omnium ecclesiarum, oppressionum perpessi sumus a quibusdam perversis hominibus, jam auditu clare percepistis. Quapropter unanimiter mihi omnium vestrum sanctitudo studeat vigilanti cura concurrere, ut malum noviter in ecclesia exortum valeamus funditus eradicare.

Venerabiles episcopi responderunt: Petimus inducias, donec confratres nostri reliqui & quod superna gratia inspiraverit generalitati nostræ, vobis respondere parati erimus.

ACTIO II.

Allocutio pontificis. Iam alii fratres & consacerdotes nostri audierunt causas necessitatis Romanæ ecclesiæ, volo ut vos similiter audiatis. Item interlocutio in medio antistitum locutionis, cum de Lantberto lectio legeretur, & de crudelitate quam in Romanam gessit ecclesiam, sancta synodus respondit: Secundum mundanam legem mori debet: qui talia in ecclesiasticis committere ausus fuit rebus, ecclesiastico dogmate insolubiliter est feriendus. Item sancta synodus inducias petens scriptis respondere suis, delata a pontifice Romano sententia est, in qua præfixum est, ut per omnes metropolitanas ecclesias conjunctis suffraganeis legatur excommunicationis atque damnationis malefactorum sententia, & sic ad notitiam omnium Christianorum perducatur.

Hincmarus archiepiscopus Rhemorum respondit: Secundum sacros canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, quos apostolica sedes per beatum & domnum nostrum papam, & sancta Romana ecclesia, omnium ecclesiarum mater, privilegio sancti Petri damnat damno, quos anathematizat anathematizo, quos excommunicat excommunicatos habeo, & quos privilegio beati Petri receperit & ego recipio: & quod in omnibus, secundum sanctarum scripturarum tramitem, sacrorumque canonum decreta, sedes Romana tenet, per omnia & in omnibus, pro scire & posse meo, juvante domino, perpetuum prosequor & teneo.

A Aurelianus similiter dixit, & ceteri episcopi similiter dixerunt.

Post hæc exurgens Rostagnus venerabilis episcopus Arelatensis libellum obtulit sanctæ synodo. Quo perlecto, inventum est de saltu migrandi de ecclesia ad ecclesiam episcopis vel presbyteris, & de conjugio relicto adhuc uxore vivente, & alia superducta.

Vvalbertus episcopus sanctæ Portuensis ecclesiæ venerabilem synodum interrogat dicens: Quid super hoc negotio nefarie in ecclesia perpetrato collegium vestræ sanctitatis censeat edicite. Hincmarus Rhemorum archiepiscopus vice synodi respondit: Poscimus inducias, B quatenus de hoc scripto canonica deferam capitula.

Theodericus Vesontionensis episcopus libellum obtulit super quadam femina modo velata, Versinde nomine, quæ nunc conjugium horrende sortita est.

ACTIO III.

Vniversi episcopi sanctæ synodi libellum concordiæ ac devotionis unanimitatisque confectum summo pontifici porrexerunt. Quem idem præsul benigne propriis manibus suscepit, & suum sub brevitate sancitum super auctoritate canonica & concordia coepiscoporum conjunctæ C synodo dedit. Posthæc libelli porrecti sunt summo pontifici & sanctæ synodo: quorum super Hincmaro Rhemorum archiepiscopo unus erat, alter vero super Rotfredo Avenionensi episcopo. Hincmaro Rhemorum archiepiscopo datæ sunt induciæ ad respondendum: Rotfredus ibidem non est inventus.

ACTIO IV.

Lecta est lectio consensus totius synodi, & sententia roborationis ejus data in pervasores ecclesiarum, & transgressores præceptorum Dei. Et statutum est, ut scriptiones manibus singu- D lorum roborarentur. Sancta synodus post hæc petiit, ut de singulis necessitatibus ecclesiarum denuo capitula fierent. Ad hæc pontifex concessit, & jussit ut in crastinum deferrentur. Summus pontifex sanctam synodum alloquens, ne ultra quilibet cum excommunicatis vel abjectis communicare præsumat statuit. Deinde promissio regum lecta est, & sacramenta, quæ Pippinus & Carolus obtulerunt beato Petro apostolo, lecta sunt. Posthæc lecta sunt capitula statuta a domno Ioanne summo pontifice Romano, quæ sancta synodus amplectenda recepit & confirmavit. Item anathematizati sunt Formosus quondam episcopus, & Georgius dudum Romanæ E sedis nomenculator, & Gregorius magister militum. Item lecta sunt capitula de accusatione fratrum, & repulsione Iudæorum.

ACTIO V.

Ottulfus venerabilis episcopus sanctæ Tricassinæ ecclesiæ libellum obtulit reclamationis super Isaac de villa Venderevensi, suamque dicebat eum obtinere parœciam. Theodericus Vesontionis item obtulit libellum super suffraganeos suos, qui synodice vocati audientiam præbere hactenus noluerunt. Item lecta sunt capitula canonica prohibentia ne episcopi audeant migrare de minori ad majorem ecclesiam.

ANNO CHRISTI 878.

II.

Allocutio Ioannis papæ ad synodum de Lantberti & Adalberti, aliorumque sequacium excommunicatione.

CARISSIMI, condolete mihi, & sedi apostolicæ, quæ caput & magistra est omnium ecclesiarum Dei, quæ & vos religioso utero genuit, reges terræ & omnes populi, principes & omnes judices terræ, sacrique confratres & consacerdotes Dei, venerabiles ecclesiarum Christi antistites, & totius sacrati ordinis viri, & mecum tantas injurias ecclesiæ sancti Petri apostolorum principis, cælestisque regni clavigeri, cui ligandi & solvendi data est a Deo potestas, simul flentes requirite, tantasque invasiones atque contumelias civitati Romanæ illatas cum ingenti dolore lugete, & mecum, qui curam & sollicitudinem omnium vestrum habeo, & secundum domini vocem, quoties causa exegerit, conversus vos in omnibus bonis debeo confirmare, ac necessariæ consolationis opem conferre, viriliter state, quærentes simul & judicantes tantæ patratores iniquitatis, tantæque temeritatis præsumptores, ut digna ultione temporaliter puniti, spiritu salvi sint in die domini nostri Iesu Christi quoniam eos prædictos Lantbertum & Adalbertum, sequacesque eorum, pro quibus tantis sceleribus, tantisque perjuriis patefactis, in ecclesia B. Petri apostoli, una cum coepiscopis & confratribus nostris Italicis, excommunicavimus, & quia in his perseveraverunt, Christianæ communionis immunes esse decrevimus. Quodque decretum in prædicta beati Petri ecclesia scriptum, ut ingredientes & exeuntes legant & doleant, eosque anathematizatos teneant, posuimus. Et vos, fratres carissimi, ut decrevimus, nostræ communionis alienos tenete, & anathematizatos fautores eorum mecum facientes consternite.

Responsio episcoporum qui affuerunt apud Trecas, de excommunicatis, quos domnus papa Ioannes apostolicus excommunicavit.

DOMINE sanctissime & reverendissime pater patrum, Ioannes catholicæ atque apostolicæ ecclesiæ videlicet Romanæ primæ sedis papa, nos famuli ac discipuli vestræ auctoritatis, Galliarum & Belgicarum episcopi, his quæ super vulnera dolorum vestrorum maligni homines ac ministri diaboli addentes, in sanctam matrem nostram ac magistram omnium ecclesiarum commiserunt, compatimur, & dolori vestro conflentes condolemus, atque judicium vestræ auctoritatis, quod privilegio beati Petri & sedis apostolicæ in eos, & complices eorum, juxta sacros canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, & secundum ejusdem Romanæ sedis pontificum decessorum vestrorum decreta protulistis, voto, voce, & unanimitate nostra, atque auctoritate sancti Spiritus cujus gratia in episcopali ordine sumus consecrati, gladio spiritus, quod est verbum Dei, eos interimentes persequimur. Scilicet quos excommunicastis excommunicatos tenemus, quos ab ecclesia abjecistis abjicimus, quos anathematizastis anathematizatos esse judicamus, & quos regulariter satisfacientes vestra auctoritas & apostolica sedes receperit recipiemus. Sed ut in sacra historia de plaga Ægyptiaca

A digne a Deo illata legimus, quia non erat domus in qua non jaceret mortuus, & non erat qui alium consolaretur, quoniam in domo sua unusquisque quod lugeret habebat, nos quoque in nostris ecclesiis lugenda lugemus. Et ideo vestra auctoritate nobis subveniri cum omni mentis humilitate deposcimus, petentes ut promulgetis capitulum vestræ auctoritatis, qualiter nos erga ecclesiarum nostrarum pervasores agere debeamus: ut censura apostolicæ sedis muniti, robustiores & promptiores deinceps, domino opem ferente, contra perversos ecclesiasticarum rerum ac facultatum raptores ac vastatores, sacrique ministerii episcopalis contemptores, nos successoresque nostri persistere
B concordi sententia valeamus: ut juxta egregii prædicatoris vocem, & vestræ auctoritatis promulgationem, traditi satanæ spiritu salvi fiant in die domini nostri Iesu Christi.

III.

Excommunicatio Ioannis apostolici, & ceterorum episcoporum qui affuerunt apud Trecas, de pervasoribus rerum ecclesiasticarum.

DE pervasoribus quippe rerum ecclesiasticarum, quos sacri canones, Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecra-
C ti, & decreta pontificum sedis apostolicæ, sub anathemate usque ad regularem satisfactionem esse debere constituerunt, sed & de raptoribus, quos apostolus Christo in se se loquente, regnum Dei non possidere testatur, & cum hujusmodi omni veraciter Christiano nec cibum sumere præcipit, quamdiu in ipso crimine permanent, per virtutem Christi, & judicio Spiritus sancti decernimus, ut si ante proximas Kalendas Novembris easdem res, quas quique usurpatores injuste pervaserunt, ecclesiis suis regulariter satisfacientes non restituerint, a communione corporis & sanguinis Christi, usque ad restitutionem rerum eccle-
D siasticarum & satisfactionem, alieni habeantur, & sacri episcopalis ministerii excommunicationis ecclesiasticæ contemptores, secundum euangelicam & apostolicam auctoritatem, ab episcopis quorum interest commoniti, si regulariter satisfacientes non resipuerint, anathematis vinculo innodati usque ad satisfactionem permaneant. Et si in ipsa pertinacia permanentes obierint, nemo corpora illorum cum hymnis & psalmis sepeliat, nec memoria illorum ad sacrum altare inter fideles mortuos habeatur, docente apostolo & euangelista Ioanne: *Est peccatum ad mortem: pro illo non dico ut*
E *quis roget.* Peccatum enim ad mortem est perseverantia in peccato usque ad mortem. Et sacri antiquorum patrum canones, de his qui sibi mortem voluntarie inferunt, & qui pro suis sceleribus puniuntur; sancto inspirante Spiritu decreverunt, ut cum hymnis & psalmis eorum corpora non deferantur ad sepulturam. Quorum decreta sequentes, ea quæ præmisimus de pervasoribus & raptoribus rerum & facultatum ecclesiasticarum, si non resipuerint, judicio Spiritus sancti decernimus, sicut beatus decrevit Gregorius, dicens quia tales Christiani non sunt, quosque & ego, & omnes catholici episcopi, imo & universalis ecclesia anathematizat.

1. Cor. 6.
1. Cor. 5.
Matth. 18.
1. Ioan. 5.

ANNO CHRISTI 878.

IV.

Ejusdem Ioannis papæ iterata excommunicatio adversus Formosum episcopum, Gregorium nomenculatorem, & Georgium magistrum militum.

AVCTORITATE apostolica parem sententiam iterato damus in Formosum nuperrime Portuensem episcopum, & Gregorium magistrum militum, anathematis & perpetuæ obligationis. Et quia non desinunt inquietare aures regum ac principum, & malis prioribus, juncti cum prædonibus & subversoribus ecclesiarum, nova & recentia mala addere quotidie student, insolubiliter vinculo perpetuo & irrecuperandæ spei, sancti Spiritus Dei nostri virtute damnamus, omnemque illis suspicionem obtinendæ indulgentiæ irreferabiliter excludimus, & omnes qui illis communicaverint, adjutoriumve præbuerint, de quocumque ordine, sive episcopali aut laicali, potentes, mediocres, ac pauperes, in eorum prolatis maledictionibus involvantur, quorum consortio uti non metuant, & nisi resipuerint, sint anathema maranatha.

V.

Statutum Ioannis papæ adversus laicos, qui viventibus uxoribus alias ducunt, & contra episcopos, qui de minore ad majorem ecclesiam ambitus causa demigrant.

INTER nonnulla necessitatum a sancta synodo reclamatum est, quod laicorum quidam, sortitis primo legaliter conjugiis, postposito Dei timore, secundi, vel tertii, adhuc uxore vivente, conjugii copulam contrahant. De quibus Otilo quidam intra parochiam Rostagni Arelatensis episcopi, & Eooldus intra Ottramni Viennensis archiepiscopi, talia fecisse multorum fama refertur. Ad augmentum quoque earum transgressionum, quod flebiliter dicimus, additum est, quod episcoporum quidam intra septem provincias Galliarum, calcato termino patrum, spretoque sancitu canonicæ auctoritatis, de minori ad majorem ambitus causa demigrant episcopalem cathedram. Quibus canones Spiritus sancti gratia conditi concorditer contradicunt. Nos quoque eorum, quos veneranter imitamur atque complectimur, quorumque statutis consentimus, ecclesiarumque gubernationem tenemus fulti virtute interdicimus, & inhærendo prohibemus, ne quisquam catholicorum taliter audeat amodo & deinceps agere. & si, ut non optamus, hactenus quidquam taliter actum est, digna pœnitudine ecclesiastica corrigatur. Denique hac auctoritate apostolica virtute Dei nostri intercedimus, ut episcopi ad pristinam sedem sine mora redeant, quia si tardaverint, continuo omni sacerdotali honore spoliabuntur: & laici redeant ad primum conjugium; sin autem, vinculo anathematis innodentur.

VI.

CANONES A IOANNE PAPA CONDITI ET A SYNODO TRICASSINA probati & recepti.

TITVLI CANONVM.

I. *De honore quem episcopis debent sæculi potestates.*
II. *Vt ecclesiarum possessiones ab episcopis non petant quibus non licet.*
III. *Vt capitula Ravennæ statuta observentur.*
IV. *Vt episcopi mutuo se in vexationibus adjuvent.*
V. *Vt a propriis episcopis excommunicati non suscipiantur ab aliis.*
VI. *Vt liberum alterius hominem contra leges nemo recolligat.*
VII. *Occultæ fratrum accusationes interdictæ.*

I.

VT episcopi cum omni reverentia a cunctis mundi potestatibus debite honorentur, atque coram eis sedere nullatenus audeant, nisi illis præcipientibus. & res ecclesiasticæ a laicis & popularibus præter præsulum eorum conscientiam nullomodo cõtingantur. Quod si post hanc nostram definitionem quis tentaverit, prius communione ecclesiæ repulsus, si non resipuerit, anathematis vinculo innodetur.

II.

Ecclesiarum sanctarum possessiones, id est monasteria, mansa, cortes, villas, patrimonia, omniaque quæ jurisdictionibus earumdem conveniunt, nullus suppetere a Romano seu reliquis pontificibus præsumat, nisi personæ quas canonica sancit auctoritas, ut est illud primo anno ordinationis nostræ " apud beatum Petrum apostolum constitutum. " 873.

III.

Vt illa capitula, quæ anno " præcedente apud Ravennam statuimus synodali collegio, inconvulsa ab omnibus observentur. " 877.

IV.

Vt episcopi nullomodo confratrum consacerdotumque suorum parvipendere audeant vexationes, ecclesiarumque pressuras: sed unanimiter conjuncti, baculo pastorali & apostolica auctoritate succincti, in prælio pro domo Israel, id est Christi ecclesia, stare communiter non prætermittant.

V.

Vt expulsi laici, vel quilibet de clero, pro quibusdam facinoribus a propriis episcopis, ab aliis juxta canonum statuta non suscipiantur: ut igne pœnitudinis decocti, misericordiam domini, prout poterunt, lacrymis fletibusque sibimet ante mortis obitum acquirant.

VI.

Nemo alterius liberum hominem, sicut jam in alia synodo constituimus, recolligere præsumat sine illis causis, quas leges mundanæ præcipiunt. Si quis deinceps contra hæc nostra statuta tentaverit, sciat se ab omni ordine ecclesiastico esse privandum.

VII.

ANNO CHRISTI 878.

VII.

Confratrum coepiscoporumque accusationes fieri occulte omni modo prohibemus: quia sæpe contingit ut innocentes a malis hujusmodi condemnentur. Sed si accusatio super persona cujuslibet episcopi ducitur, canonico sancitu in publicum prætendatur, quoniam scriptum est: *Cecidit de cælo accusator fratrum, qui accusabat eos ante conspectum agni.* & iterum: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* & : *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* His & talibus documentis instructi, si quis contra hoc Dei decretum tentaverit, episcopus, presbyter, & diaconus, proprio honore privetur, laicus vero cujuslibet dignitatis omni Christiana careat dignitate: & nisi utrique resipuerint, anathematis vinculo innodentur.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Ioannes apostolicæ Romanæ ecclesiæ primæ sedis episcopus huic decreto a nobis promulgato subscripsi.
Vvalbertus Portuensis episcopus subscripsi.
Petrus Forosempronii episcopus subscripsi.
Pascasius episcopus subscripsi.
Hincmarus Rhemorum metropolis episcopus subscripsi.
Ansegisus Sennensis archiepiscopus subscripsi.
Aurelianus Lugdunensis archiepiscopus subscripsi.
Sigebodus Narbonensis archiepiscopus subscripsi.
Rostagnus Arelatensis archiepiscopus subscripsi.
Adalardus Turonensis archiepiscopus subscr.
Theudericus Vesontionensis archiepiscopus subscripsi.
Ottramnus Viennensis archiepiscopus subscr.
Isaac Lingonensis episcopus subscripsi.
Gerboldus Cabilonensis episcopus subscripsi.
Agilmarus Arvernensis episcopus subscripsi.
Bernerus Gratianopolitanus episcopus subscripsi.
Abbo Nevernensis episcopus subscripsi.
Ottulfus Augustæ Tricorum episcopus subscripsi.
Gislebertus Carnotensis episcopus subscripsi.
Vvalefridus Vcetiensis episcopus subscripsi.
Hildebaldus Suessionensis episcopus subscr.
Teutherus Gerundensis episcopus subscripsi.
Ingelvvinus Parisiorum episcopus subscripsi.
Hedenulfus Laudunensis episcopus subscripsi.
Adebertus Silvanectensis episcopus subscr.
Berno Catalaunorum episcopus subscripsi.
Maricus Biterrensis episcopus subscripsi.
Item Abbo Magalonensis episcopus subscripsi.
Frodoinus Barcilonensis episcopus subscripsi.
Arnaldus Tullensis episcopus subscripsi.

VII.

LEX DE SACRILEGIS A IOANNE PAPA VIII. Gothicis legibus addita in concilio Tricassino.

A *Ioannes episcopus servus servorum Dei, omnibus episcopis, comitibus, vicecomitibus, centenariis, judicibus catholicis, in Hispania & Gothia provinciis degentibus, omnique populo occidentali catholico, salutem & apostolicam benedictionem.*

NOVERITIS dilectissimi filii, quia nos pro statu sanctæ Dei ecclesiæ jussimus congregari synodale concilium apud urbem Trecas. Vbi sedentibus nobis in corona, venit ante præsentiam nostram filius noster Sigebodus primæ sedis Narbonensis episcopus, cum suis suffraganeis episcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habebatur de sacrilegiis, & in B eisdem legibus scriptum erat, ut causæ, quas illæ leges non habent, non audirentur a judicibus illius patriæ: atque ita jus sanctæ ecclesiæ suffocabatur ab incolis Galliæ & Hispaniæ provinciis. Vnde nostra serenitas, cum præscriptis episcopis, inspectis legibus Romanis, ubi habebatur de sacrilegiis, invenimus ibi a Iustiniano imperatore legem compositionis sacrilegii constitutam in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legem præcipimus esse tenendam, quæ a Carolo est constituta pio principe de compositione sacrilegii, videlicet in XXX. libras examinati argenti, id est sexcentorum solidorum summam argenti purissimi. Ideoque quisquis inventus fuerit C reus sacrilegii, istam leviorem compositionem emendet episcopis ipsis, vel abbatibus, sive personis, ad quas querimonia sacrilegii juste pertinuerit: & si ipse reus sacrilegii facere noluerit, tamdiu excommunicationi subjaceat, usquequo prædictam compositionem sexcentorum solidorum persolvat. Et si in hac obstinatione mortuus fuerit, corpus ejus cum psalmis & hymnis non deferatur ad sepulturam. Et præcipimus ut in fine codicis legis mundanæ scribatur hæc lex.

Ivo part. 3. c. 98.

17. qu. 4. Quisquis inventus.

VIII.

EPISTOLA IOANNIS PAPÆ VIII.

D Privilegium ecclesiæ Pictavensis, ne quis ejus bona invadat, & ut ablata restituantur.

Omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris.

DIVINO quia Romanum pontificium largitu emitet universis, illud luce clarius constat, largita defendere cunctis: quoniam indubitati juris est, semel concessa perenni cultu fore tenenda. Ceterum omnium religiositas, orthodoxorumque pernoscat fidelitas, quod ut relatu quorumdam didicimus, Pictavensis quidem ecclesia, quam diutinus Paganorum hostis persequitur, multa Christianorum iniquorum incommoda patitur, quibus pressuris nos convenit per E dolere, eamdemque nihilo minus tanto fasce levare. Quapropter præcipimus, apostolicaque auctoritate expresse jubemus, quod nemo vestrum, tam sacerdotali ordine perfruens, quamque militare officium tenens, ipsius ecclesiæ Pictavensis aliquam ecclesiam, aliquodve monasterium, vel prædia ipsi quoquomodo pertinentia invadere præsumat, ullosve colonos, servos, ancillasve, contra sui episcopi velle tollere audeat: sed liceat ipsius ecclesiæ Heefrido videlicet episcopo, suisque successoribus, illa, quæ sui antecessores legitimo tramite canonicæ auctoritatis habuerunt, sub nostra tuitione habere, & ut possederunt possidere, & ut ordinaverunt suo arbitrio ordinare, cum consulto consensuque suę ecclesię cano-

Epist. III. supra pag. 86. D.

ANNO CHRISTI 878.

canonicorum, ut prisca consuetudo dignoscitur, A sine vestro vestrorumque obstaculo, & omnium hactenus talia præsumentium. Inter hæc volumus quasque causas prædicto Hecfrido episcopo inde motas in nostra præsentia adducendas. Si quis vero sacerdotum, judicum, atque sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestate honoris sui ac dignitate percussus apostolico anathemate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel præsumpta correxerit, vel digna pœnitentia illicita acta defleverit, a sacratissimo corpore Dei domini ac redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat. Cunctis autem eidem præfatæ ecclesiæ jura servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi: quatenus & hic fructum bonæ operationis recipiant, & apud summum arbitrum præmia æternæ pacis inveniant. Data III. Kalendas Septembris, indictione XI. Trecis.

IX.

Reclamatio & proclamatio Hincmari, qui quondam præerat ecclesiæ Laudunensi.

DOMINE & summe pater patrum, & rector pontificum, Ioannes nomine & meritis vocate, audi vocem proclamationis meæ, & C exaudi vocem deprecationis meæ, compassus causæ calamitatis meæ. A Rhemorum archiepiscopo ad synodum sum vocatus ad Duziacum villam, quam constituit hebdomada prima mensis Augusti, & monuit me de certis causis paratum esse ibidem ut responderem. Ad quam cum festinassem, violentia hostili in medio itinere segregatus sum ab ovibus meis, privatus sum & spoliatus omnibus rebus meis, perductus sum ab eisdem hostibus usque ad præfatam villam. In qua cum consisterem, jam stabat rex Carolus ante ipsum archiepiscopum meum, tenens in manu scripturam, reputans me esse perjurum, quia Romam sine sua voluntate miserim, & imputans D quod eum accusaverim. Ad quæ idem archiepiscopus me respondere jussit. Cui ego respondi, quia pro his, de quibus me admonuerat in eadem synodo esse paratum ut responderem, paratus eram scriptis respondere: quæ scripta præ manibus tenui, sed ipse non permisit ut synodus scripta mea susciperet, quia sibi dari jubebat, sed ego suspecto dare nolebam. De clerico autem meo, nomine Bertario, quem subito requisivit, sed requisitus non adfuit, respondi quia ipsi homines mecum veniebant, qui eum comprobaturi essent, si eis venire licuisset. sed idem archiepiscopus de his nihil me postea appellavit, sed ad accusationem regis me respondere iterum atque iterum E præcipiebat. Et ego reclamavi, quia non docebat canonica auctoritas, nudatum & suis rebus spoliatum, insuper & ab hostibus detentum, respondere ullatenus debere. Sed & addidi, quia non solum suspectum, sed manifestissime illum infestum habebam. Vnde & apostolicam sedem appellavi pro amore Dei & honore sancti Petri, tam de ipsa accusatione regis, quam de præjudicio quod ab ipso patiebar archiepiscopo. Legi manibus tenens auctoritates Iulii papæ, & Felicis papæ, videlicet ea quæ ipsi in eis præfigunt de appellationibus episcoporum: quæ mihi servari appellando sedem apostolicam prostrato corpore expetii, sed nihil horum mea petitio obtinuit.

ANNO CHRISTI 878.

Sed neque literæ apostolicæ, quas mihi præsentialiter dederat, quoniam me vocabant, ut procrastinando venire non differrem, si status mei jacturam sustinere non vellem, quidquam prævaluerunt. Iudicium præfatus archiepiscopus super me imposuit, ut ab episcopali removendus essem officio. Sed alii gemebant flebantque, inter quos nullum merebar pati inimicum. Scripta quidem ab eodem archiepiscopo ipsis imposita manibus tenentes, sed ore proferre nolentes, inviti vix verba singultiebant, aditum tamen ad sedem apostolicam minime sperantes mihi posse denegari. Vnde, salvo per omnia sedis apostolicæ judicio, ipsi finem lectionis terminavere. B Post hæc transmissus sum in exilium, in quo per duos annos sanus, sed aliquanto tempore ferro vinctus custoditus sum. Duobus annis ferme peractis, insuper cæcatus sum, & usque modo retentus, ad vos, & ad vestræ piissimæ serenitatis præsentiam, mox ut venire dimissus potui protinus accessi. Nunc autem vestram clementiam suppliciter exoro a vestra summa paternitate parari de me æquitatis judicium, cui secundum canonicam institutionem, & decreta Romanorum pontificum reservatus & reservandus sum, & fueram. Quod ob amorem Dei, & venerationem beati Petri, apud vestræ paternitatis pietatem obtinere efflagito, tum pro multitudine miseriæ meæ, tum pro magnitudine pietatis vestræ: quæ accendatur clementissimi redemptoris amore, qui me proprio acquisivit sanguine, & qualemcumque sancto suo sacravit munere.

X.

EPISTOLA IOANNIS PAPÆ VIII. AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM Burdigalensem.

Vt ad synodum veniat, & privilegium de sedium mutatione afferat.

Frotario venerabili archiepiscopo Burdigalensi.

AD synodum igitur, quam Deo auctore apud Trecas celebramus, cum reliquis septem Galliarum provinciarum confratribus & coepiscopis, fraternitatem tuam cum tuis suffraganeis episcopis, tam viva voce, quam literali, admonere ut venires omni postposita occasione cujuscumque occasionis studuimus, fatemur, jam tertio, ut simul positi emergentium quæstiones causarum statutis canonicis demerentur, & sacerdotum domini una concordia omnium fieret dilectionis. Sed cur venire distuleris, moleste cuncti ferimus, & valde miramur. Quapropter repulsa mora præsentiam tuam cum prædictis suffraganeis nobis & sanctæ synodo citissime exhibe. Sic tamen instructus, ut cum de mutatione contra canones sedium, & de aliis excessibus, quibus, quod non optamus, patrum regulis feriri possis, impetitus fueris, causa justitiæ intercedente, illæsus & innocens recedere valeas. Hoc reverentiæ tuæ consulentes damus consilium, ne absentiam tuam tibi aliquid putes prodesse, sed imo secundum patrum statuta magis obesse. Privilegium atque scripturas de sedium mutatione, si qua a nobis, vel prædecessoribus nostris habere sic fatemini, vobiscum sine mora deferre studeas.

Epist. extra scripta pag. 86. E.

XI.

ANNO CHRISTI 878.

XI.

EPISTOLA IOANNIS PAPÆ VIII. AD ADALARDVM ARCHIEPISCOPVM Turonensem.

Confirmat privilegia ecclesiæ Turonensi concessa.

Reverendissimo & sanctissimo Adalardo venerabili archiepiscopo Turonensi, successoribusque tuis, nec non & omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris.

DECET enim Romanam ecclesiam, quæ mater est omnium Dei ecclesiarum, ut quanta viget dignitate præclara, eo magis consistat in misericordia pia: quatenus quæ digna postulantur a fidelibus, sine mora cum pietate largiri mereantur a nobis. Omnium vestrum religiositatem volumus scire fideliter, quoniam presbyteri diœcesis Turonici pagi ad nostrum accesserunt pontificium; suggerentes ut firmaremus apostolica auctoritate illis & capitulare regum,& coepiscoporum scriptum, ut debeat unaquæque ecclesia proprium mansum habere cum mancipiis quatuor, vineas aripennos tres, prata similiter, & cœmeterium cum mansionibus, sine personali & civili munere exigendo, nisi divino solummodo in ecclesiasticis rebus obsequio, sicuti canonum prisca auctoritas & moderna concedit: ubi vero res nominatæ antiquitus condonatæ & moderno tempore abstractæ esse videntur, pontificali auctoritate & regali potestate sine mora aliqua aut tarditate restituantur. Nos illorum precibus inclinati volumus, apostolicaque auctoritate expresse jubemus, ut præfata scripta, a nostro pontificio delata, a coepiscopis firmata, a regibus jussa, sint rata & modis omnibus observanda. Si quis hujus apostolicæ censuræ temerario ausu violator extiterit, si sacerdos fuerit, proprio honore privetur, & Christiana communione cassus anathematis vinculo innodetur; si laicus, similiter perpetua damnatione cum Iuda traditore torqueatur: conservator vero perenni benedictione apostolorum principum Petri & Pauli modis omnibus perfruatur.

XII.

Allocutio pontificis ad episcopos sub finem synodi.

VOS confratres & coepiscopos meos volo unanimiter mecum in defensione sanctæ Romanæ ecclesiæ, quam constat esse caput omnium ecclesiarum, convenire, donec Deo auxiliante in sedem beati Petri apostolorum principis revertamur, cum omnium hominum vestrorum armata bellico apparatu manu: & de hoc, non differendo, sed sub omni celeritate & certitudine sponsionis, hic mihi quæso absque ulla dilatione continuo date responsum.

Item allocutio pontificis ad regem.

Vos, carissime fili Hludovice gloriose rex, precor, in defensionem, liberationem, atque exaltationem sanctæ Romanæ ecclesiæ, sicut prædecessores vestri fecerunt, & vobis sub attestatione fatere mandaverunt, sine procrastinatione & ulla dilatione succurrite: quia ministri Dei estis, vindices in ira in his qui male agunt, & non sine causa gladium portatis: ne forte, quod absit, illa vos aut regnum vestrum culpa contegat, quæ quosdam veteres reges inimicis & infidelibus Dei quondam parcentes damnabiliter A strinxit. Vel si aliud placet, præsentaliter in isto loco date, per Deum & per beatum Petrum vos conjuro, sine mora responsum.

XIII.

Privilegium monasterio Floriacensi concessum in synodo Tricassina.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, omnibus episcopis atque aliis Dei fidelibus per Galliam constitutis,

QVONIAM apostolica * succeslione sollicitudinem omnibus ecclesiis debemus impendere, sic cupimus generali consulere necessitati, ut etiam quorumcumque singulares causas sine fastidio cognoscamus. Igitur cum propter multiplices ecclesiæ Dei curas Gallicanam adeuntes regionem, Trecas civitatem devenissemus, anno incarnationis dominicæ DCCCLXXVIII. & ad resecanda quælibet inutilia, vel statuenda ecclesiastica jura, synodum generalem plurimorum celebraremus episcoporum, inter alia suggessit auctoritati nostræ venerabilis partium vestrarum abbas, nomine Theotbertus, ex cœnobio quod vocatur Floriacus in pago Aurelianensi, quod idem monasterium quidam religiosus abba, Leodebodus nomine, monachis extruxerit in honore Dei & sanctæ genitricis Mariæ, C nec non beati principis apostolorum Petri: quod revelatione divina per monachos ejusdem loci a Beneventana provincia corpus illuc sancti Benedicti pervenerit olim allatum, ibique reverenter humatum, sicut manifestissima constat veritate: & quod propter stabilimentum monasticæ religionis, piæ memoriæ gloriosus imperator Carolus præceptum suæ auctoritatis eidem loco res denominatas delegaverit, partim a religiosis hominibus, pro amore Dei illic contributas, ut victum atque vestitum monachi ibidem domino militantes deberent habere: nec non & hoc, quod beatæ recordationis pater ejus serenissimus Augustus in ipso loco hospitale nobilium, quod D Porta appellatur, juxta regularem institutionem, itemque hospitale pauperum, in sui parentumque suorum eleemosyna statuerit, & res ad hoc opportune agendum, nec non alias ad lumen ecclesiæ administrandum jusserit deputari. Quæ omnia per jam dictos monachos hactenus ibidem comperimus observari. Nunc tam seipsum, quam unanimem congregationem sibi commissam, humiliter postulare, quamvis privilegia multorum meruerint episcoporum, ad reprimendam quorumlibet illicitam cupiditatem, ut super abbate regulari ex eis eligendo etiam nostræ auctoritatis privilegia consequantur. Quocirca nos potestatem, quam gratis a Christo accepimus, secundum euangelicam auctoritatem gratis E prodesse omnibus cupientes, vice beati Petri apostoli decernimus, ut in sæpe memorato loco servi Dei absque inquietudine debitum suæ religionis persolvere possint servitium secundum regulam patris Benedicti, a propriis abbatibus, monachis videlicet ex eodem cœnobio regulariter electis, in perpetuum gubernentur. Nec illarum rerum, quæ vel in prælibato præcepto nominatim continentur, vel a prædicto abbate venerabili nunc ejusdem loci Theotberto præfati monasterii officiis deputatæ habentur, ullam ab aliquo unquam patiantur imminutionem, & etiam rebus, quæ deinceps a quibuslibet religiosis hominibus eodem loco pervenerint condonatæ.

Quod

Marginal notes: Ep. CXIII. (left, beside "DECET"); * f. suggestione (right, beside "succeslione").

ANNO CHRISTI 878.

Quod si quis nostrum beneficium irrumpere A præsumpserit, & stipendia servorum Dei in alios usus converterit, ab apostolica communione anathematis animadversione illum separamus, ut nisi admonitus e vestigio se correxerit, cum rapacibus a regno Dei exclusus quæ meretur tormenta persolvat. Vt autem hoc privilegium certam obtineat fidem, & Dei famulis in jam dicto Floriacensi cœnobio securitatem conferat, quamdiu Deus & dominus noster ecclesiam suam durare voluerit, nostra id subscriptione roboravimus. Scriptum per manus Georgii scriniarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Augusto, indictione XI. Bene valete. Data Nonis Septembris per manum Vvalberti humillimi episcopi sanctæ Portuensis ecclesiæ, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Ioannis summi pontificis, & universalis papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto, indictione XI. "

" Anno Christi 878.

XIV.

Gestorum synodalium concilii Tricassini brevis altera narratio, quam habet " *Aimoinus lib.* V. *cap.* XXXVII.

* seu potius anonymus continuatur Aimoini excerptâ ex annalibus Bertinianis ad ann. 878.

INTEREA Ioannes papa generalem synodum cum episcopis Galliarum & Belgicarum provinciarum agens, qualiter Lantbertum & Adalbertum, Formosum quoque, & Gregorium nomenclatorem, ac complices illorum Romæ excommunicaverit, relegi fecit in synodo, & consensum episcoporum in eadem excommunicatione quæsivit. Vnde qui adfuerunt episcopi petierunt, ut sicut ipse excommunicationem, quam fecerat, per scripturæ rationem recitari fecit in synodo, ita & eis concederet, ut per scripturam illi suam consensionem proferrent. Et concedente ita fieri papa Ioanne, in crastinum episcopi hoc quod sequitur diploma papæ in synodo porrexerunt: *Domine sanctissime ac reverendissime pater patrum Ioannes*, &c. Quod diploma Ioannes papa suæ excommunicationi ascribi fecit: & sua manu confirmans ab omnibus episcopis in synodo subscribi fecit. Deinde ipso jubente lecti sunt in synodo canones Sardicensis concilii, & decretum papæ Leonis, de episcopis sedes suas mutantibus. Sed & Africani canones, ut non fiant episcoporum translationes, sicut nec rebaptizationes, vel reordinationes, pro Frotario Burdigalensi episcopo, qui a Burdigala Pictavos, indeque ad Bituricensem civitatem exilisse dicebatur. Et post hæc [3] coronatus Ludovicus a papa Ioanne, VII. Idus Septembris, invitavit eumdem papam in domum suam: & opipare pascens honoravit eum multis donis ipse & uxor sua, & remisit ad Trecas civitatem. Et postea per oratores suos oravit eumdem papam, ut uxorem illius in reginam coronaret, sed obtinere non potuit. Frotarius autem & Adalgarius episcopi attulerunt in conventum episcoporum papæ Ioanni præceptum per quod pater suus Ludovico regnum tradiderat, petentes ex ipsius parte, ut privilegio suo ipsum privilegium confirmaret. Tunc papa Ioannes protulit exemplar quasi facti præcepti a Carolo imperatore de donanda abbatia S. Dionysii Romanæ ecclesiæ. Quod compilatum consilio præfatorum episcoporum, & aliorum consiliariorum Ludovici regis, a plurimis credebatur, ut a Gozlino ipsam abbatiam, velut ex ratione, tollere & sibi habere posset. Et dicebat papa Ioannes, ut si vellet Ludovicus rex, ut super illius præceptum privilegium faceret, suo præcepto illud patris sui præceptum firmaret. Quod argumentum, sicut factio, & non ratio imperfectum remansit. Quarto Idus denique præfati mensis, Ludovicus rex quorumdam primorum compulsus petitionibus, venit ad apostolici mansionem, & cum eo familiariter locutus, una cum illo reversus est ad conventum episcoporum in exedram juxta mansionem apostolici. Et post excommunicationem Hugonis Lotharii filii, & Immonis, ac complicum eorum, vim facientibus quibusdam episcopis, & consentiente rege, dixit papa Ioannes, ut Hedenulfus, sua auctoritate ordinatus episcopus, sedem suam teneret, & episcopale mi- B nisterium ageret, & Hincmarus cæcus, si vellet, missam cantaret, & partem de rebus episcopii Laudunensis haberet. Et cum Hedenulfus apud eumdem papam peteret, ut eum ab illa sede absolveret, dicens se esse infirmum, & velle intrare monasterium, obtinere non potuit: sed præceptum est illi ab eo, consentiente rege atque episcopis Hincmari fautoribus, ut sedem suam teneret, & episcopale ministerium ageret. Qui fautores Hincmari audientes quod papa Ioannes dixerit, ut si vellet Hincmarus cæcus missam cantaret, & rex consenserit ut partem de episcopio Laudunensi haberet, insperate aliarum provinciarum episcopi, sed & aliarum regionum metropolitani, C sine præceptione papæ, Hincmarum vestimentis sacerdotalibus indutum in præsentiam ipsius papæ adduxerunt, indeque sublatum cantantes in ecclesiam illum duxerunt, & signum benedictionis super populum dari fecerunt. Sicque synodus illa soluta est.

XV.

" ** Eodem quoque jure quo privilegium Floriacense Sirmondus, ad acta concilii hujus revocare poteris quod post conventum Cabilonensem an. 875. excusum a nobis fuit diploma in gratiam cõcilii Tornutiensis supra pag. 277. A.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI, S. I.

D 1 *Concilium Tricassinum II.*] In digerendis actis decretisque hujus concilii difficile fuit statum ordinem tenere, tum quia ex diversis locis congesta sunt, tum quia non eumdem ordinem tradunt qui res in eo gestas commemorant. Consentiunt tamen de Lantberti & Adalberti, qui ecclesiam Romanam & pontificem vexabant, excommunicatione actum fuisse primo loco. Quare hinc etiam orsi sumus.

2 *Pascasius episcopus*] Nomen loci cui præfuit, in ceteris exemplaribus omissum, in uno tandem offendimus, & Amerinum episcopum fuisse didicimus.

3 *Coronatus Ludovicus*] Ludovicum Balbum jam superiore anno regem coronarat Hincmarus archiepiscopus, ut videre est in actis illius coronationis post capitula Caroli Calvi. Nunc iterum a papa coronam expetiit, exemplo Pippini abavi sui, quem a Bonifacio primum archiepiscopo, deinde iterum a Stephano papa regem coronatum meminerat. Sunt autem, qui Ludovicum ab Ioanne coro- E nam hoc loco non regni, sed imperii, suscepisse putent. Inde enim Ludovicum Balbum inter imperatores plerique numerant tum exteri, tum nostri etiam scriptores. Quod mirum certe mihi, falsumque semper visum est, cum Ioannes ipse papa in epist. XLVII. & in aliis quas ad Ludovicum postea scripsit, ipsum regem non imperatorem vocet: in epistola LXXI. ad Ludovicum & Carlomannum Ludovici Balbi filios, Caroli Calvi nepotes, Carolo eorum avo imperatoris nomen tribuat, Ludovico patri nomen regis, imperatorem haud dubie appellaturus, si imperator fuisset; eodemque modo Hincmarus in epistolis quarum meminit Flodoardus lib. III. cap. XIX. fratres istos reges Ludovici regis, non imperatoris, filios nominet. Quid quod Ludovici ipsius Balbi, ut alia omittam, diploma extat pro ecclesia Nivernensi, IV. Idus Septembres, hoc est triduo post coronationem istam Trecis datum, in quo non alium se quam regem vocat his verbis, *Ludovicus misericordia Dei rex?* Rex ergo fuit; non imperator: imperatoris vero titulum, antiquis ignotum, alii postea temere affinxerunt.

ANNO CHRISTI 879.

ᵃ CONCILIVM ROMANVM II. OB ELECTIONEM NOVI IMPERATORIS post obitum Ludovici III. cognomento Balbi congregatum, anno domini DCCCLXXIX. tempore Ioannis papæ VIII.

Obitus Ludovici III. ᵃ *Concilium.*] Cum Ludovicus tertius 4. Idus Aprilis die parasceves circa vesperum, anno redemptoris nostri 879. obiisset, eaque de re Ioannes papa VIII. certior factus esset, synodum Romæ indixit, teste Aimoino, mense Maio celebrandam. Ad Anspertum Mediolanensem archiepiscopum, quem ad hanc synodum vocabat, scribens epistolam 155. hæc ait: *Quia Carolomannus corporis, sicut audivimus, incommoditate gravatus, regnum retinere jam nequit, de novi regis electione, ut omnes pariter consideremus, vos prædicto tempore adesse, nempe ad Kalendas Maias valide oportet. Et ideo antea nullum absque nostro consensu regem debetis recipere. Nam ipse qui a nobis est ordinandus in imperium, a nobis primum atque potissimum debet esse vocatus atque electus,* &c. Carolum Crassum filium Ludovici fratris Caroli Calvi erga quem propensior erat, Romam vocat. Cumque Anspertus ad synodum vocatus venire noluisset, atque interea de eligenda Caroli persona propositum immutasset, post dictam in Anspertum excommunicationis sententiam, suspensa est novi imperatoris electio usque ad biennium, quo elapso Carolus, post Italiam sæpe armis subactam, anno redemptoris nostri 881. die nativitatis Romæ a Ioanne VIII. creatus & coronatus est, postquam biennio interregnum fuisset. Ita Regino in chronico, & Aimoinus lib. 5. cap. 39. Baronius anno 879. num. 2.

Carolus Crassus fit imperator. ᵃ anno tantum 881.

ᵃ CONCILIVM ROMANVM III. QVO PETRVS IN CAVSA PHOTII RESTITVENDI missus est Constantinopolim anno domini DCCCLXXIX. tempore Ioannis VIII.

ᵃ *Concilium.*] Hæc synodus auctoritate Ioannis papæ congregata Petrum aliosque adjunctos ei legatos ea facultate dumtaxat instruxit atque communivit, ut Photium a censuris ecclesiasticis absolverent, & sedi Constãtinopolitanæ restituerent: non ad veram & germanam synodum octavam sub Hadriano pontifice habitam, reprobandam: & particulam illam, *Filioque*, e symbolo penitus tollendam, multa auctoritate iidem muniti fuerant. Hæc cum pateant ex epist. Ioannis 199. ad Basilium imperatorem scripta, qua se in Photio sedi suæ restituendo, non concilii dissipatione vel abrogatione, sed tantum dispensatione uti significat: secundo ex epistola 250. & 251. quibus indicat, se reprobare omnia, quæ præter restitutionem Photii acta sunt. Tertio ex ipso commonitorio per Photium corrupto & falsato, in quo episcopi subscribentes profitentur omnes, se commonitorio pro Photii restitutione subscribere. Nos vero & germano cõmonitorio cujus 205. 250. aliisque pluribus Ioannis papæ epistolis mentio fit, destituti, commonitorium illud quod a Photio corruptum, & in Photianæ pseudooctavæ synodi actione 3. lectum fuit, inserendum esse putavimus: tum ut inde acta hujus concilii confirmentur: tum etiam ut quæ auctoritate legatorum in pseudooctava Photiana synodo Constantinopoli gesta dicuntur, falsitatis & imposturæ manifestæ redarguantur. Commonitorum autem Græce scriptum & a Metio Latine redditum sic se habet:

A *Ioannes episcopus servus servorum Dei; commonitorium fratribus Paulo & Eugenio episcopis, similiter & Petro presbytero cardinali, nostris Constantinopoli legatis.*

ANNO CHRISTI 879.

CVM primum divina favente gratia & intercessionibus sanctorum apostolorum Constantinopolim ingressi fueritis, illuc divertite quo præcipiet imperator: & antequam imperatorem visitaveritis, nulli alii apostolicas literas tradere velitis. Cum coram imperatore fueritis, literas illi tradetis hujusmodi verbis illum alloquentes: Salutat vestrum ex Deo regnum spiritalis vester pater dominus Ioannes B apostolicus papa, tuam ex Deo potentiam suis orationibus singulis diebus sancto Deo commendans, ut ille qui vobis hoc dedit desiderium propter ecclesiasticam pacem, tribuat vobis gratiam suam, & consoletur vos sua felici protectione, & perficiat in bonis desideria vestra. Si rogaverit imperator, antequam literas legat sive capitula responsionis nostræ, hujusmodi verbis illi respondete: Si jubet imperium vestrum, videat epistolas. Et si dixerit: Quid continent epistolæ? illi respondete: Salutationes continent, & omnino recte perficiunt. Postridie salutaturi Photium sanctissimum accedite, & epistolam illi tradite, salutantes C illum decenter talibus verbis: Salutat te dominus noster Ioannes apostolicus papa, & vult habere te fratrem & comministrum, sicut scripsit imperator, ut propter pacem ecclesiæ reciperemus sanctissimum patriarcham Photium fratrem & comministrum nostrum, exaudiremus preces vestras, & præciperemus ut coram nobis veniat ad synodum: & ut recipiat ipsum universa ecclesia: juxta tenorem literarum nostrarum, illum recipite ut comministrum nostrum, atque ut ecclesiæ Romanæ gratiam habeat, surgentes, illi dicite: Mandat dominus noster sanctissimus papa, ut omnes qui in diversis locis extra terminos extiterint, sive episcopi, D sive presbyteri, sive quivis alii fuerint, & noluerint hucusque vobis communicare, vestro opere & labore uniantur ecclesiæ Dei, & fiant unum vobiscum. Qui si venerint, recipite illos, ut pater recipit filios, eosque monebit sæpius, ut propter pacem Dei ecclesiæ idem sentiant cum apostolico, ut unius sint cum ipso voluntatis: recipientes videlicet Photium sanctissimum patriarcham & cum illo una communicantes. Si autem venerint quicumque antea fuerant ordinati, recipiant sedes suas; qui vero deinde fuerant ordinati, accipiant ab episcopis ipsis victum & vestitum necessarium.

Commonitorium a Photio falsatum.

E Præsidentibus vobis in synodo una cum prædicto sanctissimo patriarcha & legatis orientalibus, una cum reliquis archiepiscopis & metropolitis, & omnibus sacerdotibus Constantinopolitanæ ecclesiæ, primum legantur literæ ad imperatorem missæ: & interrogetur synodus, si illas recipit, & si observat testimonia, quæ continent literæ ipsæ. Quibus annuentibus, hæc dicite: Dominus noster sanctissimus papa omnium ecclesiarum curam gerens, salutem etiam vestram & unionem & pacem procurans, misit nos servos suos, ut dispersos congregemus, & dissidentes conciliemus, & ecclesiæ misericordiæ manum porrigamus, lapsos erigamus, ut omnes uno ore glorificemus Patrem cum Filio & Spiritu sancto.

Hic dempta aliqua superius notata de petendo veniam coram synodo Photio imposita, addita vero alia, ex recitatis literis intelligere potes.

Sequentes canones nostrorum patrum dicimus, ut post obitum Photii sanctissimi patriarchæ nullus a civili dignitate Constantinopolitanam sedem ascendat, quemadmodum etiam literæ nostræ testantur.

Non preces tantum, sed excommunicationem continent Ioannis literæ de Bulgarorum causa. Vides idem additamentum hic a falsario quod supra de abolenda octava synodo fuit appositum.

Volumus etiam, ut coram synodo prædictum Photium sanctissimum patriarcham ore tenus, ut neque pallium in Bulgariam mittat, neque ordinet quemquam in ipsa provincia. Si enim hæc fecerit, juxta sacros canones illum arguemus.

Volumus præterea ut coram universa synodo promulgetur, quod synodus habita adversus prædictum patriarcham Photium tempore Hadriani sanctissimi papæ tum Romæ tum Constantinopoli, exnunc habeatur nulla & irrita, & non numeretur cum alia sancta synodo.

Advertite, ut juxta mandatum nostrum ita ambuletis, neque muneribus vos corrumpi sinatis, neque adulationibus, neque minis & terroribus declinetis sive ad dexteram sive ad sinistram; sed regiam viam incedite, tamquam habentes locum & potestatem nostram, quam vobis propter ecclesiæ pacem sumus impertiti, ut vestro labore & diligentia digne gratiam nostram, & apostolicæ sedis obtineatis, & nostræ communionis sitis heredes.

Subscriptiones episcoporum, qui interfuerunt Romanæ synodo, ex qua prodiit commonitorium & literæ Petro legato datæ.

Zacharias episcopus ecclesiæ Anagninæ & bibliothecarius apostolicæ sedis in hoc commonitorio pro receptione Photii sanctissimi patriarchæ propria manu subscripsi.

Martinus episcopus ecclesiæ Narniensis in hoc commonitorio apostolicæ sedis pro restitutione Photii sanctissimi patriarchæ propria manu subscripsi: sic & aliqui sequentes.

Dominicus episcopus Triventi.
Florius episcopus Marturensis.
Gaudericus episcopus Velitrensis.
Stephanus episcopus Ferentinas.
Leo episcopus * Gabiensis.
Petrus episcopus Forosempronienfis.
Leo episcopus Tarracinensis.
Vvalpertus episcopus Portuensis.
Simeon episcopus Fundensis.
Ioannes episcopus * Simmorum.
Benedictus episcopus......
Gregorius episcopus Silvæ Candidæ.
Bonifacius episcopus Bleranorum.
Theodorus episcopus Gallesiensis.
Stephanus episcopus Nepesinus.

* Sabinensis.

Presbyteri cardinales.

Germanus presbyter tituli sanctorum Ioannis & Pauli.
Petrus presbyter tituli sancti Chrysogoni.
Benedictus presbyter tituli sanctæ Balbinæ.
Hadrianus presbyter tituli sancti Laurentii.
Ioannes presbyter tituli sanctæ Cæciliæ.

Diaconi cardinales.

Paulus diaconus subscripsi.
Leo diaconus subscripsi.

NOTA SEVERINI BINII.

Audisti, lector, additamentum Photii de abrogatione concilii œcumenici VIII. sub Hadriano pontifice celebrati, jam superius apertissime redargutum falsitatis, A ex recitatis Ioannis papæ VIII. epistolis. Sed detegitur in eodem commonitorio eadem etiam impostura ex ipsa subscriptione episcoporum, qua (ut ex supra positis vidimus) profitentur omnes, se commonitorio pro Photii restitutione subscribere. Quod si ex synodi sententia definita fuisset damnatio œcumenicæ synodi VIII. eademque commissa legatis in dato illis commonitorio, credibile utique est magis eam suis subscriptionibus expressuros fuisse, quam Photii restitutionem.

[a] CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLITANVM [b] OECVMENICVM PSEVDOoctavum [c] reprobatum, [d] CCCLXXXIII. episcoporum, quo post obitum Ignatii [e] restitutio Photii est confirmata, sancta & œcumenica synodus octava plane abrogata, & e symbolo illa particula, *Filioque*, sublata fuit, [f] anno domini DCCCLXXIX. tempore Ioannis papæ VIII.

B

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Conciliabulum*] Hæc synodus Basilio imperatore & Photio procurantibus a Ioanne papa ejus nominis octavo, ob Photii restitutionem dumtaxat, non vero (ut calumniose refert commonitorium quod actione II. hujus conciliabuli a Photio falsatum & corruptum invenitur) ad octavæ synodi abrogationem & reprobationem indicta fuit. Etiamsi enim germanum illud verum & incorruptum commonitorium, quod Petro legato sedis apostolicæ datum est, inter epistolas Ioannis papæ C non reperiatur: tamen illud, quod apud Baronium ex actis conciliabuli hujus Latine translatis descriptum invenitur, in fine ubi episcopi subscripserunt, manifestis verbis indicat, quod tantum pro receptione Photii, quo cum Ioannes papa ob causas supra commemoratas dispensandum putarat, legatio Constantinopolim mittenda fuit. Idem patet ex epistola Ioannis 203. ad Paulum Anconitanum, & Eugenium Ostiensem Constantinopoli degentes, qua dicit: *Vos huic Petro religioso presbytero cardinis nostri, familiarique nostro sociamus, quatenus ea quæ pro pace & unitate ecclesiæ Dei agenda sunt, secundum apostolicos nostræ auctoritatis apices, & secundum commonitorii nostri tenorem capitulatim descriptum sagaci valde intuitu simul agatis*, &c. Itaque commonitorium rerum agendarum legatos sedis apostolicæ quidem accepisse certum est, sed non illud quod actione secunda hujus conciliabuli recitatum, corruptum, & a Photio falsatum reperitur. Quod vero de abolenda vera synodo octava sub Hadria- D no papa habita, hoc commonitorio continetur, Photii commentum est non minus quam illa additamenta, quæ pro veræ octavæ synodi abrogatione, suique expurgatione epistolæ Ioannis 199. ad Basilium imperatorem: necnon 201. ad Photium scriptis, architectus falsitatis calumniose addidit. Magno Dei beneficio prædictæ epistolæ Ioannis papæ integræ hucusque asservatæ fuerunt, ut ex earum collatione (quod præstitit reverendissimus & illustrissimus cardinalis Baronius anno 879.) dolus, fraus & malitia Photii admirabilis falsitatum architecti toti mundo innotesceret. Ex ejusdem penetralibus prodiit epistola, de qua supra post finem epistolarum, sub nomine Ioannis conficta, qua calumniatus est insuper eumdem pontificem, quod de processione Spiritus sancti eadem cum Græcis senserit, atque particulam, *Filioque*. e professione fidei Constantinopolitanæ tollendam esse voluerit. Hæc sunt quæ pro beneficiis a ponti- E fice acceptis malitiosus homo & mendaciorum architectus reddidit, quibusve eum, a quo restitutus fuerat, perdere curabat. Quamquam igitur succedentibus pontificibus Ioannes culpabilis esse visus fuerit, quod per dispensationem quamdam, ut aiebat, salvis manentibus octavæ aliarumque synodorum constitutionibus Photium restitui voluerit: tamen hoc jam summo Dei beneficio ex præcedentis epistolæ collatione manifestum est, quod non sit reus illorum criminum, quibus illum atque universam ecclesiam catholicam de processione Spiritus sancti, deque octavæ legitimæ synodi abrogatione, Photius in actis hujus conciliabuli aspergere & diffamare conatur.

Hujus pseudosynodi acta Græce conscripta continentur in bibliotheca Vaticana & Columnensi, atque etiam, teste Radero, in codice Bavarico Augustano. Per Fed. Metium Latine translata possedit reverendissimus & illustrissimus cardinalis Baronius, ex quibus summatim decerpta sunt, quæ infra suo loco subjungentur. De hac pseudosynodo illud dignum est admiratione, quod nemo

A quo, & cur indictum?

Commonitorium legato datum quale?

Photius cõmonitorium cum duabus epistolis Ioannis papæ VII. corrupit.

Vnam sub nomine Ioannis effinxit de processione Spiritus sancti.

Photius Ioannem calumniatur.

Acta synodalia ubi extent: & cur apud Græcos scriptores eorumdem nulla mentio.

ANNO CHRISTI 879.

nemo Græcorum scriptorum eorum, qui res Basilii imperatoris prosequuntur, hujus Photianæ synodi vel verbo unico meminerit: cum econtra ferme omnes de octava synodo legitima œcumenica, in qua Photius e throno depositus fuit, sermonem faciant. Curopalates, Cedrenus, Zonaras, Glycas, Constantinus Manasses de hujusmodi Photiana synodo ne quidem verbum unum habent, quam sane nequaquam prætermisissent, si talis tamque numerosa habita sacrosanctam & legitimam octavam synodum damnasset. Hac de causa reverendissimus & illustrissimus cardinalis Bellarminus de conciliis libro 1. cap. 5. ubi agit de octava synodo, de hoc pseudooctavo & Photiano conciliabulo post alia hæc subjungit: *Idcirco facile mihi persuadeo, aut esse omnia conficta, quæ dicuntur de Ioanne VIII. ut sanctus Antoninus docet in summa historiali parte 3. titulo 22. capite 13. §. 10. aut certe verum quidem esse, Photium a Ioanne VIII. per legatos restitutum in sedem Constantinopolitanam post mortem Ignatii: at cetera supposita & adulterina esse, & a Græcis conficta, ut ex Manuele Caleca Turrianus ostendit in libro de actis VI. VII. & VIII. synodi. Confirmor autem in hac*, inquit, *sententia, tum quia Zonaras meminit quidem restitutionis Photii, non autem abrogationis concilii VIII. nec ablationis illius particulæ*, Filioque, *ex symbolo; tum etiam quia Græci in concilio Florentino sessione 3. non agnoscunt pro synodo œcumenica concilium illud sub Ioanne VIII. etsi illis multum prodesse potuisset, si legitimum & germanum concilium fuisset.* Hæc Bellarminus de hac pseudosynodo prædicto loco. Eamdem ob causam hæc prædicto loco scriptor annalium: *Unde de ea* (pseudosynodo octava) *suspicio augetur, ut ea tota ita fuerit Photii stylo conficta, ut ejusdem penicillo mendacii colorata, sicut ab eo alias factum esse superius est demonstratum.*

Quibus hæc acta synodalia plane fabulosa videantur.

b *Oecumenicum.*] Sic nuncupatum, quod legati sedis apostolicæ, Petrus nimirum, Eugenius Ostiensis, & Paulus Anconitanus eidem inte fuerint: sed quia ex actis constat, Photium præsedisse concilio, cui si œcumenicum erat, legati pontificii, juxta tenorem commonitorii, aliarumque synodorum morem præsedisse debebant, pseudooctavam placuit appellare: quamquam nulla injuria etiam pseudosynodum nominaveris eamdem, qua per mille fraudes & imposturas non tantum sacrosancta & legitima synodus octava est reprobata, processio Spiritus sancti a Patre & Filio procedentis impugnata: verumetiam Ioanni pontifici & consequenter universæ ecclesiæ turpissimorum criminum maculæ inustæ, vel saltem aspersæ leguntur. Photium a Ioanne papa non citra culpam per quamdam dispensationem, ut verba commonitorii præ se ferre videntur, post obitum Ignatii, dignitati patriarchali restitutum fuisse nulla ratione negamus: a ceteris vero criminibus de abrogata synodo octava, & abnegata processione Spiritus sancti ex Filio, quæ hoc loco Photius illi per calumniam suo more impingere studebat, ipse Deus optimus maximus asservando in bibliotheca Vaticana integras illius epistolas, & proferendo easdem a Photio corruptas, cælitus illum defendisse videtur.

An fuerit œcumenicum?

Cur pseudooctavum appelletur.

In quibus Ioannes papa sit culpabilis.

c *Reprobatum*] Hanc synodum una cum suo auctore a Marino, Hadriano tertio, aliisque summis pontificibus plane condemnatam esse, infra suo loco constabit. Quod vero neque ipse Ioannes papa hanc Photianam synodum cum additamento condemnationis octavæ synodi œcumenicæ receperit, manifeste colligitur ex epistola ejusdem papæ 251. ad Basilium reddita: qua dum orientali ecclesiæ de pace & unione per restitutionem Photii contracta (reliqua enim de abrogatione synodi, & processione Spiritus sancti, si quid tale ibidem gestum fuit, in suis, quas per legatos Constantinopoli Romam revertentes ad pontificem destinarant, epistolis, illi dolose suppresserant) congratulatus fuisset, ad finem suæ epistolæ responsoriæ caute admodum adjungit, sic se probare quæ in synodo de restitutione Photii duntaxat egissent, ut si quid illi vel hac, vel alia in re præter voluntatem sedis apostolicæ & mandata accepti commonitorii operati fuissent, id nullius plane auctoritatis esset. Verba epistolæ hæc sunt: *Ea quæ pro causa restitutionis reverendissimi Photii patriarchæ synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recepimus. Et si fortasse legati nostri in eadem synodo contra apostolicam præceptionem receperint, non autem recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis.* Iisdem prope verbis eadem omnino scripsit in epistola 250. ad Photium reddita. Quare cum ex commonitorio legatis dato, & ex epistola Ioannis 203. ad Paulum & Eugenium scripta liquido appareat, ipsos legatos tantummodo in causa restituendi Photii Constantinopolim missos fuisse, haud dubie his literis pontifex Ioannes plane improbavit si quid aliud in hac Photiana synodo gestum fuit. Has literas Ioannes dedit Marino episcopo, qui sibi in sede successit: quemque ad hoc misit, ut vir animo constantissimus cuncta, quæ perperam

An, & a quibus fuerit reprobatum.

An Ioãnes papa hanc pseudosynodum approbaverit.

A per tres prædestinatos legatos Constantinopoli gesta erant, plane infirmaret. Nam in literis Stephani papæ ad Basilium scriptis, quas infra suo loco ponemus, inter multas Marini laudes hæc verba leguntur: *Neque enim hoc dicimus ad tui contumeliam, te enim in universo orbe Deo dilectum prædicamus; sed tantum ad nostri defensionem, & Marini majorem gloriam qui eadem sensit & sapuit cum prædecessore & domino nostro sanctissimo papa Nicolao. Et quidam voluit adimplere quæ in fide ea visa fuerant gemina scilicet legatione, Constantinopoli in maximum devenit ad vos contemptum & ludibrium divinus ille Marinus. Et cum noluerit simul duci cum iis, qui aliena sentiebant, & quæ ipse coram tua majestate synodice gesserat dissolvere & annullare ac irrita reddere: propterea triginta diebus carcere fuit detentus, id sibi gloriæ potius tribuens, quam contumeliæ, pro veritate pati.* Hæc de Marino Stephanus papa. Ex quibus satis liquido constat, quod quæ tres legati in causa Photii perperam gesserunt, per Marinum episcopum auctoritate pontificia ejusdem Ioannis VIII. damnata & improbata fuerunt. Quod vero paulo post fraudem impostoris Photii ac ratione cognitam idem Ioannes papa VIII. ipsum etiam Photium damnaverit, suaque quæ prius vel male informatus, vel comminationibus imperatoris Basilii inductus in causa Photii restituendi egerat, deinceps improbaverit, resciderit, irritaque reddiderit, testatur epistola Formosi papæ ad Stylianum, in cujus fine post recitationem aliarum synodicarum & pontificiarum sententiarum in Photium pronuntiatarum etiam hæc Ioannis papæ VIII. sententia in eumdem prolata habetur his verbis: *Hanc sententiam promulgavit papa Hadrianus, & archidiaconus ejus Ioannes, qui illi successor fuit: atque alta voce coram ipso ita proclamavit: In Photio completum videmus, domine sanctissime & œcumenice papa, illud psalmi:* Dixit peccator ut delinquat in semetipso: Non est timor Dei ante oculos ejus. Posuit in cælum os suum, *& graveolens ejus guttur aperuit Photius adversus clavigerum apostolicæ sedis. Accendatur itaque ut ignis zelus tuus, accingere ut vir super femur tuum, & contumeliam apostolicæ sedis ut justus judex vindica, & falce sententiæ tuæ a sede memoriam ejus, & illos qui eum sequuntur, vel tuentur anathematis vinculo constringe, & nisi propria voce vel scriptione ipsum damnaverint, ut neque laicali communione recipiantur. Qui hæc dixit Ioannes, Hadriano in sede successit, & anathemate Photium damnavit, quando ille seduxit Eugenium & ejus socios, qui pro rebus Bulgariæ venerant. Cum enim accepisset evangelium, & ambonem conscendisset, omnibus audientibus ita dixit: Quicumque non habet damnatum Photium divina sententia, sicut ipsum reliquit Nicolaus & Hadrianus sanctissimi papæ prædecessores mei, sit anathema.* Hæc ibi. Descripta autem ex superius citato codice Columnensi numero quadragesimoprimo, ubi cuncta quæ ad causam Photii spectant, collecta habentur, & post legitur ibidem Ioannis papæ noni epistola ad Stylianum, qua profitetur, eadem sentire se, & eodem loco habere Photium & omnes patriarchas Constantinopolis ab Ignatio usque ad Antonium, quo habuerunt omnes sui prædecessores Romani pontifices, inter quos numerat & Ioannem his verbis: *Volumus igitur, ut etiam nunc secundum eamdem regulam, decreta sanctissimorum pontificum prædecessorum nostrorum inconcussa maneant. Quapropter & Ignatium, & Photium, & Stephanum, & Antonium, sicut sanctissimus papa Nicolaus, Hadrianus & Ioannes, & sextus Stephanus, & universa Romanorum ecclesia hucusque tenuit, etiam nos eodem ordine recipimus & tenemus*, &c. Superius etiam in eodem codice, post recitatum decretum continens probationem octavæ synodi sub Hadriano habitæ, quod in dextero adyto magnæ ecclesiæ Constantinopoli contineri dicitur, hæc ibi scripta leguntur: *Damnatur Photius anathemate a novem Romanis pontificibus, a Leone, Benedicto, antequam Photius esset assumptus in patriarcham, ob communionem scilicet cum Gregorio Syracusano postea vero a Nicolao, Hadriano, Ioanne, Marino, Hadriano altero, Stephano, & Formoso.* Et de Ioanne papa octavo hæc subjiciuntur: *Ioannes vero occasione Bulgariæ provinciæ misit Eugenium & ejus socios adhuc superstite Ignatio patriarcha, quos cum detinuisset Photius, & variis modis coegisset, adduxit eos ut secum communicarent: & alios etiam errare fecerant, qui Romam reversi a Ioanne in ambone illis anathemate damnante fuerunt depositi.* Hæc ibi. Quæ cum ita revera se habeant, inquit Baronius anno 880. accedit ad hæc probanda illud evidens argumentum, quod nusquam amplius in literis ejusdem Ioannis papæ ab anno præsenti, usque ad finem sui pontificatus conscriptis mentio de Photio habetur, ut interrupta penitus mutua communicatio visa sit. Cum enim Ioannes minus assequi se posse cognovit promissam restitutionem Bulgaricæ diœceseos, cujus causa inductus Græca astutia fuerat, ut Photium restitueret, & illusum se fuisse planius intellexit, atque etiam quæ contra œcumenicam synodum

B

C

D

E

ANNO CHRISTI 879.

An Ioãnes papa Photium condemnaverit.

Ioannes papa excommunicat Photium.

Psal. 35.

Psal. 71.

Hæc verba tenus ex Baronio anno 880. num. 11. & seqq.

Legati apostolicæ sedis a Ioanne damnati.

ANNO CHRISTI 879.

octavam facta essent certius adinvenit, & falsatas ab eo suas literas cognovit, & alia innumera ab impostore illo perpetrata esse rescivit: tunc, quod dictum est, Marinum ad ea infirmanda legatum misit, & legatos a se antea missos prævaricatores inventos damnavit, atque Photium omnium malorum autorem perpetuo anathemate perculit. Hæc Baronius.

Quid de auctoritate hujus pseudosynodi senserint Græci in concilio Florentino, dixi supra verbo, *Conciliabulum.*

Numerus episcoporum quantus fuerit.

d CCCLXXXIII. *Episc.*] Omnium nomina teste Baronio in actis conciliabuli recitantur actione prima: in quibus recensendis & suo more componendis, magna impostoris adulatio, & Græca vanitas cum levitate eorumdem elucescit. Baronius anno 879. n. 64.

e *Restitutio Photii est confirmata*, &c.] Hæc qua ratione gesta fuerint ex actis synodalibus in prædictis bibliothecis extantibus, septem actiones continentibus, summatim describit Baronius his verbis.

Compēdiosa relatio actorum synodaliū ex Baronio desumpta. Actio I.

In prima enim actione recitatur numerus episcoporum trecentorum octogintatrium. In omnibus magna adulatio & Græca vanitas & levitas. Inter alia autem præfatus in synodo Photius jactat se, quod Ioannes Romanus pontifex semel & iterum per suos legatos eum inviserit, nimirum primum per Paulum & Eugenium, deinde per Petrum, sed falso. Siquidem, ut vidimus in literis Ioannis, nequaquam cum eo communicaverunt primi legati Paulus & Eugenius, de quo idem ipse Photius conquestus legitur in literis ad Ioannem ipsum datis.

Post hæc eadem actione Ioannes quidam Heracleæ Thraciæ episcopus multa effutiit contra Romanam ecclesiam, quam omnium illorum quæ acciderant malorum originem appellavit: ad quæ evertenda & curanda, illa esset synodus congregata: multa etiam contra Nicolaum papam & ejus successorem Hadrianum oblatrans ingessit: contra vero, ipsum Ioannem Romanum pontificem valde laudavit. Deplorat vero post hæc multa quæ, ut dicebat, injuste passus sit Photius. Inducit insuper actio illa legatos apostolicæ sedis munera Photio offerentes, nempe sacerdotales vestes, & ornamenta episcopalia, de quibus nihil in Ioannis pontificis literis, in quibus ejusmodi erant solita scribi. Et sic post alia quædam frivola finem accipit actio prima.

Actio II.

Secunda actio habita legitur decimasexta die Novembris, indictione decimatertia, in qua primum lectæ sunt literæ Ioannis papæ ad imperatorem, deinde aliæ ejusdem pontificis ad Photium, quæ superius epistola 199 & 201. sunt recitatæ duplicis editionis. Quibus lectis, Photius interlocutus suas laudes extollit, præcipue suam humanitatem falso ostentat erga Ignatium exhibitam, qua etiam jam defunctum eum prosecuturum vane pollicitus est. Lecta post hæc fuit epistola Michaelis patriarchæ Alexandrini ad imperatorem ad finem illum tendens ut octava synodus œcumenica destruatur. His lectis introductus est Thomas metropolita, qui fuit unus ex tribus legatis orientalium sedium in octava œcumenica synodo. Aliis duobus, ut illic dicitur, mortuis, procuratum est a Photio, ut hic pœnitens recantet palinodiam de ministerio exhibito in dicta œcumenica synodo. Lecta est post hæc epistola Theodosii patriarchæ Hierosolymorum ad Photium scripta, tota, ut Photius voluit, encomiastica. Postquam autem lecta est epistola patriarchæ Antiocheni pariter Theodosii nominati ejus itidem argumenti, & alia ejusdem generis Abrahamii metropolitæ Amydorum, continens acrem invectivam contra octavam legitimam synodum: terminata est actio secunda synodi Photianæ.

Actio III.

Tertia vero quæ secuta est actio incidit in decimumoctavum diem ejusdem mensis Novembris ejusdem decimætertiæ indictionis: in qua lecta primum est epistola Ioannis papæ ad Constantinopolitanam ecclesiam, & episcopos ipsi subjectos, & ad patriarchas orientis, ejusdem argumenti quo priores superius recitatæ. Quod autem iisdem literis pontifex profitetur pacem se procurare orientalis ecclesiæ, hinc magna secuta est concertatio asserentium, quod jam ante Ioannis literas pace fruerentur sequentes Photium patriarcham, arguentes pontificis literas uti superfluas. Et quod de diœcesi Bulgariæ scripserat, ad imperatorem rejiciendum esse negotium clamitarunt, cum agatur, ut aiebant, de imperii terminis, qui sub ejus sunt ditione. Lecta est post hæc epistola Theodosii episcopi Hierosolymorum ad imperatorem, qua deplorat miserias suas, quas pateretur a Saracenis, provocans imperatorem ad eleemosynas largiendas. Lectum post hæc fuit commonitorium a Ioanne pontifice legatis datum, suo loco superius recitatum. Et sic clausa est ejus diei actio tertia.

Actio IV.

Contigit quartam actionem celebrari eodem mense Decembri, feria quinta in vigilia nativitatis domini, eadem decimatertia indictione, quæ tamen in alia ejusdem pseudosynodi editione ponitur ordine prima, utpote quod

A

omissis tribus aliis superius positis actionibus hæc prima incipit numerari, & sic deinceps usque ad quartam. In hac igitur actione, primo habetur de legato recens misso a patriarcha Antiocheno, afferente literas etiam a patriarcha Hierosolymitano, qui ingredi jussus literas dedit. Lectæ sunt ipsæ multa in laudem Photii de communicatione mutua conservata cum ipso continentes, nec non assertionem illam, legatos nimirum patriarchalium sedium missos antea ad octavam synodum, fuisse non patriarcharum, sed legatos Saracenorum, istiusmodi inculcantes in destructionem œcumenicæ synodi: quæ vere creditæ sunt e Photii officina depromptæ. Post hæc introducti sunt duo patricii pœnitentes de his quæ in octava synodo contra Photium egissent, affirmantes se a falsis legatis fuisse deceptos. Lecta sunt capitula quinque tamquam a legatis Romanis proposita, primum de diœcesi Bulgariæ: secundum de non eligendo amplius laico in episcopum Constantinopolitanum:

B

tertium ne ab alia sumatur ecclesia: quartum de synodo habita contra Photium, ut abrogetur: quintum ut qui cum Photio non communicarent, excommunicati essent. Quæ omnia recepta a synodo fuerunt præter illud de Bulgarorum diœcesi, quod imperatoris voluntati commissum est. Et sic exitum illum est consecuta actio quarta quem Photius voluit.

Actio V. 880.

Quæ autem quinta est actio celebrata, ponitur anno sequenti, die vigesimasexta mensis Ianuarii eadem indictione decimatertia, in qua Photius de septima synodo sermonem instituit, calumniamque ex eo struxit adversus Romanam ecclesiam, quod de septima synodo recipienda, essetne œcumenica, dubitasset, cui legati satisfecerunt. Et firmatum est omnium sententia, ut œcumenica septima synodus diceretur. His successit oratio Metrophanis metropolitani Smyrnensis ecclesiæ, cujus summa cum laude est crebra mentio in legitima octava synodo: accedere jussus ut schismaticus, qui secutus Ignatii partes, cum

C

Photio noluerit ullo pacto communicare. Inter hæc facta est suggestio, seu potius a Photio ficta, legatorum apostolicæ sedis, ut ex sententia Ioannis pontificis canon constitueretur, quo juberetur, ut excommunicati vel depositi a Romano pontifice, a Photio non susciperentur, sicut econtra qui depositi essent a Photio vel excommunicati, non restituerentur, nec absolverentur a Romano pontifice.

Canones Photianæ synodi.

Sicque confectus de his est primus canon. quo quis non videat summa Photii calliditate interceptas esse appellationes ad apostolicam sedem, & recursum ad eam? siquidem ablata fuit per canonem istum auctoritas Romani pontificis, ut judicare non posset quos Photius condemnasset. Quis animo concipere potest, legatos apostolicæ sedis adeo oscitantes & prodigentes jura apostolicæ sedis, ut & adversus contra ea obnitentes non tantum non restiterint, sed ut isthæc sancirentur, ipsi suggesserint? an non manu

D

palpantur commenta Photii?

Statutus est autem post hæc, eodem suggerente Photio, canon secundus, ne quis relinquens episcopatum transiens ad statum monasticum, episcopatum retinendi haberet amplius facultatem, nec ad illum revertendi aditus pateficeret. Hic non prætereundum, quod Gratianus male consultus canonem hunc tamquam ex legitima octava synodo descripsit totidem verbis in libro decretorum, qui plane odio Photii impostoris fuerat exsufflandus. Additus est in hac etiam actione tertius canon adversus sæculares magistratus carceri mancipantes vel verberantes episcopos. Secutæ sunt hæc subscriptiones omnium, in primis vero legatorum apostolicæ sedis, cum detestatione omnium synodorum sub Hadriano pontifice contra Photium collectarum.

7. q. 1. ca[illegible] 45. Tempe[illegible] ris & ho[illegible] nequaquā[illegible]

Actio VI.

Convenerunt postea iidem die decima mensis Martii, fuit feria tertia, indictione decimatertia, non in ecclesia, ut

E

antea, sed in palatio, in Aureo triclinio, loco ita dicto, ubi actionem sextam habuerunt, cui imperator interfuit, qui ex suggestione Photii fidei definitionem a synodo postulavit. Sicque consensu omnium exhibita est definitio fidei comprobata in septem synodis œcumenicis, contestationibus appositis, ne quid ab aliquo adderetur, vel minueretur omnino: recitatumque est Nicænum symbolum sive Constantinopolitanum dictum. Ita suggillantes Latinos, quod apposuissent verba illa *Filioque*. His approbatis ab omnibus, subscripsit Basilius imperator, improbans sua subscriptione cuncta quæ contra Photium acta essent in octava legitima synodo, cui ipse subscripserat una cum filiis, quos & huic pseudosynodo pariter subscribere voluit. Sicque sexta actio est consummata, acclamationibus præcedentibus.

Actio VII.

Post triduum vero, nempe decimatertia mensis Martii, die dominico ejusdem decimæ tertiæ indictionis habita est septima atque novissima actio in magna ecclesia, ubi jussa est legi fidei definitio in præcedenti actione probata, additis & multiplicatis anathematismis, si quis quid ei

adderet

ANNO CHRISTI 879.

adderet vel minueret Sicque absoluta est Photiana synodus, octava dicta & generalis.

Tempus habiti conciliabuli.

f *Anno domini.*] His temporibus hanc pseudosynodum Constantinopoli celebratam fuisse, testantur Ioannis papæ VIII. epistolæ 199. 201. & 203. aliæve plures, quæ de rebus ad hanc synodum pertinentibus scriptæ sunt indictione duodecima anno redemptoris nostri 879. Ioannis papæ septimo, & Basilii imperatoris orientalis supra decimum tertio.

Vide quæ hac de re notavimus ad Ioannis papæ epistolas 199. 200. 203. 251 Et post finem omnium ejusdem epistolarum supra. Item quæ post octavam synodum Græce & Latine narrantur de hac pseudosynodo Photii.

"** SYNODVS CONSTANTINOP. QVAM IPSAM "ALIQVI OCTAVAM œcumenicam nominant.

" Schismatici nimirū Græci.

Ex appendice libelli synodici n. 153.

IGNATIO circa annum domini DCCCLXXVII. mortuo, Photius consentiente Ioanne IX. papa Romano, qui VIII. alias solet nominari, in solium patriarchale reductus est a Basilio imperatore. Habita inde synodus est episcoporum Constantinopoli: in qua de unione cum Ioanne his verbis, quæ apud Balsamonem reperiuntur, est actum. Statuit sancta & universalis synodus, ut si qui ex Italiæ clericis, vel episcopis, in Asia vel Europa, vel Libya versantes, sub vinculo, vel depositione, vel anathematizatione, apud sanctissimum papam Ioannem fuerunt, ut ii quoque sint ejusmodi etiam apud Photium sanctissimum patriarcham Constantinopolitanum in eadem pœnæ definitione: id est, vel depositi, vel anathematizati vel segregati: & quos Photius quidem sanctissimus noster patriarcha, clericos vel laicos, vel episcopalis vel sacerdotalis ordinis in quacumque parochia, segregationi, vel depositioni, vel anathematizationi subjecerit, sanctissimus quoque papa Ioannes, & sancta Dei Romanorum ecclesia, eodem pœnæ judicio habeat: privilegiis, quæ adsunt sanctissimæ Romanorum ecclesiæ sedi, & ejus antistiti, nihil penitus innovatis, nec nunc, nec in posterum.

EADEM OCTAVA PSEVDOSYNODVS PHOTII.

Ex Nilo Rhodi metropol. schismatico.

Ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ αὕτη σύνοδος ὀγδόη τῶν τριακοσίων ὀγδοήκοντα ἁγίων πατέρων γέγονεν ἐπὶ τῆς βασιλείας Βασιλείου τοῦ Μακεδόνος, καθ' ἣν σύνοδον γέγονεν εἰρήνη μεταξὺ τῆς δυτικῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν ἄλλων πατριαρχείων, φανερῶς ὁμολογησάντων τῶν δυτικῶν, ὅτι οὕτως ἀναγινώσκομεν καὶ πιστεύομεν, ὡς καὶ ὑμεῖς, χωρὶς προσθήκης τινὸς τὸ σύμβολον τὸ ἅγιον ὡς οὕτως ἔχον, ὄντως σύμβολον εἶναι τῆς ἀληθοῦς πίστεως, ἀλλὰ καὶ τοὺς προστιθέντας, ἢ ἐλλείποντας ἀναθεματίζομεν· ὄντος τηνικαῦτα Ἰωάννου πάπα Ῥώμης, Φωτίου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τοποτηρητῶν τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας, Παύλου καὶ Εὐγενίου ἐπισκόπων, καὶ Πέτρου πρεσβυτέρου καὶ καρδιναλίου, καὶ τῶν ἄλλων πατριαρχῶν διὰ τοποτηρητῶν. ὧν συνελθόντων ὑπὲρ τῆς κοινῆς ὁμονοίας τῶν ἐκκλησιῶν, οἱ μὲν τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐβόησαν, πρέπον ἐστὶ μὴ ἕτερον καινουργηθῆναι, ἀλλὰ αὐτὸν τὸν ἀρχαῖον ὅρον, καὶ ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην κρα-

ANNO CHRISTI 879.

A τούμενόν τε καὶ δοξαζόμενον ἀναγνωσθῆναί τε καὶ ἐπιβεβαιωθῆναι, καὶ τοῦ ἱεροῦ συμβόλου ἀναγνωσθέντος ἄνευ προσθήκης ὡς ἔχει, ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησεν, ἡμεῖς κατὰ τὴν τοῦ σωτῆρος διδασκαλίαν, καὶ τῶν ἀποστόλων παράδοσιν, ἔτι δὲ καὶ τοὺς κανονικοὺς τόπους τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν ἑπτὰ συνόδων τὸν ἄνωθεν ἐκ πατέρων καὶ μέχρι ἡμῶν κατεληλυθότα τῆς ἀκραιφνεστάτης τῶν Χριστιανῶν πίστεως ὅρον, καὶ ἐπινοίᾳ καὶ γλώττῃ στεργόμενοί τε καὶ πᾶσι περιαγγέλλομεν διαπρυσίως, οὐδὲν ἀφαιροῦντες, οὐδὲ προστιθέντες κατὰ διάνοιαν ἢ λέξιν, οὐδὲν
B ἀμείβοντες, οὐδὲν κιβδηλεύοντες. καὶ μετὰ τοῦτο οἵ τε τοποτηρηταὶ Ῥώμης καὶ ἡ σύνοδος ἅπασα ἐξεβόησεν, ἕτερον ἐκθέσθαι σύμβολον, καὶ ὅρον ἀνακινῆσαι, ἢ προσθήκην ἢ ὑφαίρεσιν ποιῆσαι ἐν τῷ ἀναγνωσθέντι ἱερῷ καὶ ἁγίῳ συμβόλῳ, ἀνάθεμα ἔστω. ταῦτα καὶ ἐν τοῖς Ῥωμαϊκοῖς κανόσι τοῖς ἐκ τῆς πράξεως τῆς συνόδου ταύτης εὑρίσκεται ἀπὸ τῆς ἐπιστολῆς Ἰωάννου πάπα Ῥώμης πρὸς Φώτιον πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως. καὶ ἡ σὴ ἀδελφότης ἐπίσταται, ὡς ὅτε πρὸς ἡμᾶς παρεγένετο ὁ μικρὸν ἔμπροσθεν ἀποσταλεὶς παρ' αὐτῆς περὶ τοῦ ἁγίου συμβόλου ἡμᾶς ἐ-
C δοκίμασεν, εὗρεν ἀπαράξωτον, καθὼς ἀρχῆθεν παρεδόθη ἡμῖν, διατηροῦντας, καὶ μήτε προστιθέντας τι, ἢ ἀφαιροῦντας, ἀκριβῶς εἰδότας, ὡς τὰ τοιαῦτα τολμῶσι βαρεῖα καταδίκη ἀναμβλύουσα ἀπόκειται. καὶ πάλιν οὖν παραδηλοῦμεν τῇ αἰδεσιμότητί σου, ἵνα περὶ τοῦ ἄρθρου τούτου, δι' ὃ συνέβη τὰ σκάνδαλα μέσον τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ, ἔχῃ πληροφορίαν εἰς ἡμᾶς, ὅτι οὐ μόνον λέγομεν τοῦτο, ἀλλὰ καὶ τοὺς πρῶτον θαῤῥήσαντας τῇ ἑαυτῶν ἀπονοίᾳ τοῦτο ποιῆσαι, παραβάτας τῶν θείων λόγων κρίνομεν καὶ μεταποιητὰς τῆς θεολογίας τοῦ
D δεσπότου Χριστοῦ, καὶ τῶν ἁγίων πατέρων, οἳ συνοδικῶς παρέλαβον τὸ ἅγιον σύμβολον, καὶ μετὰ τοῦ Ἰούδα αὐτοὺς τάττομεν, ὅτι καὶ ταυτὸν ἐκείνῳ τετολμήκασι, οὐ παραδόντες εἰς θάνατον τὸ κυριακὸν σῶμα, ἀλλὰ τοὺς πιστούς, οἵ τινές εἰσι μέρη τοῦ σώματος αὐτοῦ, διασχίσαντές τε, καὶ διατέμνοντες ἀλλήλων.

SANCTA & œcumenica octava synodus trecentorum octoginta sanctorum patrum habita est imperante Basilio Macedone, *, in qua synodo coaluit pax cum occidentali ecclesia ac reliquis patriarchis, manifeste profitentibus occidentalibus in hæc verba: Nos ita legimus ac cre-
E dimus ut & vos absque ulla additione symbolum sanctum, ut ita se habens sit vere symbolum veræ fidei. Sed & eos qui addunt aut detrahunt quid anathematizamus. Aderant illic Ioannes " papa Romæ, Photius Constantinopolis, & legati Romanorum ecclesiæ, Paulus & Eugenius episcopi, & Petrus presbyter ac cardinalis, aliique patriarchæ per legatos: quibus congregatis pro communi ecclesiarum concordia, presbyteri quidem senioris Romæ conclamarunt, decorum est nihil aliud innovari, sed veterem definitionem & toto orbe obtinentem ac celebratam legi & confirmari. Cumque sanctum symbolum absque adjectione, sicuti se habet, lectum fuisset, sancta synodus acclamavit, nos secundum servatoris

* Anno Christi DCCCLXIX.

" errat hic annotator: scribēdum enim fuer. * 879. non 869.

" & hoc falsissimum

X iij doctri-

ANNO CHRISTI 879.

doctrinam & apostolorum traditionem, ac præterea secundum canonicos sanctarum & œcumenicarum septem synodorum typos, definitionem sincerissimæ Christianorum fidei antiquitus a patribus ad nos usque propagatam mente & lingua comprobamus, & omnibus constanter annunciamus, nihil detrahentes nec adjicientes menti nec verbis, nihil immutantes, nihil adulterantes. Postea legatis Romæ & tota synodus acclamavit, si quis edat aliud symbolū, aut hanc definitionem commoveat, vel adiiciat detrahatve quidpiam huic sacro sanctoque symbolo, quomodo lectum est, anathema esto. Hæc etiam in Romanis canonibus actorum hujus synodi comperiuntur ex epistola Ioannis papæ Romani ad Photium patriarcham Constantinopolis; Et tua fraternitas novit quod cum ad nos venit, qui nuper ab ea missus est, ut probaret nos super sancto symbolo, invenit nos illud conservantes intemeratum prout antiquitus nobis traditum fuerat, neque quidquam adiicientes detrahentesve, cum probe noverimus iis qui talia audent gravem imminere condemnationem. Rursus igitur significamus reverentiæ vestræ, ut de hoc articulo ob quem inter ecclesias Dei scandalum exortum est, ita de nobis persuasum habeas quod non modo dicimus hoc, sed & eos qui primum ausi sunt sua temeritate hoc facere eos transgressores divinorum sermonum censemus & interversores theologiæ domini Christi, sanctorumque patrum, qui synodice symbolum hoc sanctum acceperunt, eosque cum Iuda collocamus, quod idem ac ille sint ausi, non dominicum quidem corpus morti tradentes, sed fideles, qui sunt corporis ejus membra, lacerantes, & alios ab aliis discerpentes.

" * * *Hæc schismaticus a schismaticis conficta mendacia posteris tradidit Nilus Rhodi metropolitanus, quæ cum ejusdem generis Græcorum quorumdam recentiorum næniis pluribus refellit vir sopiendo schismati & resarciendæ orientis atque occidentis unitati natus Leo Allatius peculiari in eam rem opere Romæ typis sacræ congregationis propagandæ fidei edito anno 1662. cujus hic est titulus :* De octava synodo Photiana, cui annexa Ioannis Henrici Hottingeri refutatio, &c.

CONCILIVM MANTALENSE, IN QVO REGIS NOMEN BOSONI AB

Arelatensis regni episcopis proceribusque delatum est Idibus Octobris, anno Christi DCCCLXXIX. Ioannis VIII. papæ anno VII. Ludovici & Carolomanni regum primo.

ELECTIO BOSONIS REGIS.

CVM convenissent sancti patres in nomine domini salvatoris nostri, conventum celebraturi apud Mantalam territorii Viennensis: de multis ecclesiæ negotiis tractaturi, & sanctæ solicitudinis secretarium penetraturi, multis emergentibus, & summet consideratione cogentibus, sacerdotalis affectus ex antiquo patrum cordibus infusus euidenter dictavit ei personæ curam gerere, cujus adminiculo tam in veteri testamento, quam & in novo, consuevit populo condignum regimen exhiberi. Et quoniam jam olim ejusdem personæ præsidiis tam ipsi patres, quos gratia divina episcopos vocari concessit, quam principes, & totum vulgus carentes, nullis compatientis fulciebantur vel juvabantur auxiliis, præsertim cum rege communi morte recepto, nullus in eos sua viscera per caritatis lar-

A gitatem extenderit, anxiari plurimum compulsi sunt, quia non solum in internis per invisibilem inimicum, sed etiam in apertis per visibiles inimicos, etiam ex his, quos ipsa Christi peperit sancta mater ecclesia, pessumdari funditus videbantur. Itaque dum mentis aciem usquequaque verterent, & simul cum nobilioribus ad hanc necessitatem submovendam, idoneas personas considerarent, non invenientes qui sui consultationi respondere vellent, utpote negligentibus cunctis tantum laborem ob honorem Dei & sanctorum ejus & matris ecclesiæ sumere, omnes inflammati Deum omnium principem pro hac angustia medullitus exoraverunt, ut is qui curam

B singularem habet mortalium, & cujus dispositio curricula vergit omnium sæculorum, & rectum daret consilium, & evidens consilii promeret indicium. Denique cui patet omne cor, & omnis voluntas loquitur, fatigatos majorum & minorum inspiciens animos, quoddam clarescere fecit solatium, & quodammodo præsentavit suffragium. Sane omnibus unum sapientibus, & per divinam visitationem idem indivisibiliter ambientibus, cordi fuit exhibitus homo, jamdudum homo, jamdudum in principatu domni Caroli defensor & adjutor necessarius: cujus post se filius ejusdem imperatoris, cernens ejus insignem prudentiam, amplificare delegerat domnus rex

C Ludovicus. Ipse etiam non tantum in Gallis, sed & in Italia cunctis enituit, ut domnus apostolicus Ioannes Romensis, instar filii complexus, ejusdem sinceritatem multis præconiis extulerit, & ad suam tutelam, revertens ad sedem propriam, delegerit. Ergo nutu Dei, per suffragia sanctorum, ob instantem necessitatem, & eam, quam in eo compererunt, experibilem utilitatem, & prudentissimam atque providentissimam sagacitatem, communi animo, parique voto, & uno consensu, clarissimum principem dominum Bosonem, Christo præduce, ad hoc regale negotium petierunt, & unanimiter elegerunt. Qui etsi consideratione tanti laboris renuerit, & abdixerit, oppositis his

D quæ Dei sunt, & ejus ecclesiæ, tandem obedienter colla promittendo submisit. Electus autem Deo statuitur, preces funduntur, domini nostri Iesu Christi gratia, quæ præcessit in velle, in certo perfecto satis efficax postulatur. Et ut hæc electio præsentibus & futuris certius innotescat, omnium episcoporum subscriptio luce clarius indicat. Actum apud Mantalam publice, anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIX. Idibus Octobris.

ET SVBSCRIPSERVNT EPISCOPI.

E

Ottramnus archiepiscopus Viennensis.
Aurelianus archiepiscopus Lugdunensis.
Teutrannus archiepiscopus Tarantasiensis.
Rotbertus archiepiscopus Aquensis.
Radbertus episcopus Valentiæ.
Bernarius episcopus Gratianopolitanus.
Elias episcopus Vasionensis.
Hemico episcopus Diensis.
Adalbertus episcopus Mauriennæ.
Biraco episcopus Vvapicensis.
Eustorgius episcopus Tolonensis.
Girbaldus episcopus Cabilonensis.
Hieronymus episcopus Lausanensis.
Richardus episcopus Agathensis.
Guntardus episcopus Matisconensis.
Rostagnus archiepiscopus Arelatensis.
Theodericus archiepiscopus Vesontionensis.

Ætherius

Ætherius epiſcopus Vivarienſis.
Leodoinus epiſcopus Maſſilienſis.
Germardus epiſcopus Arauſicenſis.
Ratfridus epiſcopus Avenionenſis.
Vvalefridus epiſcopus Vceticenſis.
Edoldus epiſcopus Regienſis.

Synodi ad Boſonem regem deſignatum legatio.

SACRA ſynodus Mantalenſis, territorii Viennenſis, in nomine domini noſtri congregata, ſimul cum primoribus, inſpirante divinitate ſummæ majeſtatis, ſincera devotione veſtram prudentiam, clariſſime princeps, adit, petens addiſcere veſtra certiſſima reſponſione, qualem vos velitis in principatu, quo vos ſublimari per divinam miſericordiam optamus, omnibus oſtendere. Si videlicet honorem Dei omnipotentis, & dilectionem in fide catholica veraciter quæſituri eſtis, & eccleſiam illius pro viribus exaltaturi. Si vultis omnibus, ſicut boni principes qui vos præceſſerũt, & quorum formam literis & fama noſtis, legem, juſtitiam, & rectum cõcedere & ſervare: tenentes humilitatem, quæ eſt fundamentum virtutum, cum patientia, & animo ſereno, humillimo, ad damnandum incondito, ſed in omnibus juſte promiſſis ſtabili, & certo, bene per Dei gratiam præparato & ornato, ſobrietate competenti venuſto. Qui ſitis acceſſibiles omnibus recta ſuggerentibus, & pro aliis intercedentibus, quærentes magis prodeſſe, quam præeſſe, ſequentes veſtigia ſanctorum principum, calcantes iram, ſævitiam, duritiam, avaritiam, cupiditatem, indignationem, & ſuperbiam. Iuſtus patricius veſtris majoribus & minoribus apparentes, veritatem ore & opere præferentes, ſalubre conſilium libenter audientes, monſtra vitiorum declinantes & perſequentes, virtutes amantes, defenſionem & mamburgium ſingulis exhibentes. ut neque eadem ſancta ſynodus, & primates veſtri cum ea ſentientes nunc de vobis in bonitate maledicantur, vel detrahantur in futuro, neque ſacro veſtro principatui, nobis, ut credimus, profuturo juſte derogetur: ſed ſit pax & veritas ſanctorum ſuffragiis, per divinam gratiam, prælatis & ſubditis, ſacerdotibus & illis commiſſis primatibus, dum eis auctoritatem euangelicam & apoſtolicam cum juſta lege humana conſenſeritis & obſervaveritis, ut per omnia & in omnibus benedicatur Deus. Precatur etiam ſacerdotalis & laïlis fidelitas, ut faciat veſtra prudentia unumquemque in veſtra domo ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore.

BOSONIS REGIS ELECTI AD SYNODVM RESPONSIO.

SACRATISSIMÆ ſynodo, & cunctis primoribus noſtris fidelibus, humilis Chriſti vernaculus Boſo. Primum veſtræ ſinceriſſimæ devotioni gratiarum actiones corde & ore rependo, quod, licet immerito, ſola veſtra benevolentia, per incommutabilem Dei gratiam, amplecti me viſceribus veſtris ad liquidum comperio. Pariter quoque, quod fervor veſtræ caritatis ad id officium me promoveri divinitus optat, ut mea parvitas matri meæ, quæ eccleſia Dei vivi eſt, ob immortalem remunerationem decertare valeat. Ego autem, conſcius meæ conditionis & figmenti fragilis, imparem me judicans tanto negotio, omnimodis abnuiſſem, niſi per Dei nutum vobis cor unum datum & animam unam in unum conſenſum advertiſſem. Obediendum itaque pro certo cognoſcens inſpiratis a Deo tam ſacerdotibus, quam noſtris amicis & fidelibus, non reluctor, nec audeo, veſtris juſſionibus. Quod vero requiſiſtis, qualem me præbere vellem in committendo per Dei miſericordiam in regimine futuro, & ſimul oſtendiſtis normam, & inſtruxiſtis dogmate ſacro, libentiſſime ſuſcipio. Amplector catholicam fidem, in qua & nutritus ſum, quam puriſſimo corde teneo, ore veraciſſimo pronuntio, pro qua paratus ſum impendi & ſuperimpendi, ſi ſic placuerit domino Deo noſtro. eccleſiarum privilegia, juvante domino noſtro Ieſu Chriſto, reſtaurare & conſervare, & juſtitiam per veſtrum commune conſilium curabo. Omnibus, ut monuiſtis, legem, juſtitiam & rectum mamburgium, auxiliante Deo, conſervabo, & impendere curabo: quo ſequens præcedentium bonorum principum veſtigia, tam ſacris ordinibus, quam vobis noſtris fidelibus, conſulere certam æquitatem ſervando. De moribus meis, licet me peccatorem præ omnibus ſciam, voluntatem meam hanc eſſe veraciter aſſero, ut per omnia morigerum bonorum, & in nullo malorum oſtendam. Si autem, quoniam homo ſum, contra quemlibet animo exceſſero, ſecundum veſtrum conſilium corrigere curabo. In quo precor reverenter, ut quod juſtius & rationabilius inveneritis, mihi congrue pro tempore & loco ſuggerentes, vos ipſos in me honoretis: quoniam & ego, ſi quis veſtrum in me deliquerit, emendationem rationabiliter acceſſibilis factus expectabo. euangelicam & apoſtolicam auctoritatem cum juſta lege ſequar humana, ut ipſo præduce & comite, per omnia & in omnibus benedicatur Deus. De domo noſtra, ſicut me monuiſtis, quia Deus in ſanctis habitat, ſolicitudinem adhibebo, & ut decenter quiſque incedat, ſtudioſiſſime procurabo. Igitur, domini mei, ſacroſancti pontifices, eccleſiæ ſummi Dei noſtri præſules, & vos omnes noſtri fideles, primates & ſubprimates, confiſus de Dei gratia & auxilio, per ſanctorum ejus ſuffragia, quia veſtris juſſionibus faveo, precor vos & obſecro, ut per ipſum, & cum ipſo, tam piis ad ipſum interventibus, in tanto ſubeundo labore meam neceſſitatem & humilitatem juvetis, quam etiam humanis adminiculis & auxiliis pro poſſe ſuffragari mihi certetis. Quod ſi cui diſplicet, & aliter animo tenet, quæſo patenter edicat, & ſe nobiſcum in nullo decipiat. Simulque precor per caritatem, qua fervetis, ut communi faventes utilitati, triduanis ſolenniter precibus dominum Deum noſtrum cum plebibus vobis commiſſis exoretis, ut propter peccata mea, vel levitatem meam, vos, aut me ad deceptionem populi ſui nequaquam errare permittat, ſed ſuam ex hoc voluntatem miſericorditer oſtendat.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Concilium Mantalenſe*] Ex verbis Paradini, qui hanc ſynodum primus in lucem dedit, ſubſcriptiones concinnavimus, ſeriem ſecuti epiſcoporum quos interfuiſſe narrat. Confirmant porro epiſcopi quod modo adſtruebamus; nam Ludovicum Calvi filium regem vocant, non imperatorem.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

Synodos Remis ab Hincmaro archiepiſcopo ſæpiſſime fuiſſe celebratas ejus ſcripta declarant: ac præter ea quæ ſuperiori tomo a pag. 568. E. ad 593. C. edidimus, fidem facient ſequentes duæ epiſtolæ ex codice veteri S. Laurentii Leodienſis vulgatæ a R. P. Iac. Sirmondo tomo II. operum Hincmari pag. 823.

ANNO CHRISTI 879.

EPISTOLA I.

"** *Hincmarus episcopus ac plebis Dei famulus.*

NOTVM sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ rectoribus, ministris quoque ac filiis ad quos hæc poterunt, pervenire, quia Godbaldus quondam presbyter parrochiæ nostræ, de quadam femina nomine Doda criminatus, & idoneis testibus comprobatus, & secundum sacros canones ad judicium provocatus, de ipso judicio conscientia sua redargutus fuga lapsus est. Propterea secundum sacros canones, spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia consecratos, omni sacerdotali officio est privatus docente B. Bonifatio papa: Probat inquit vera esse illa quæ adversum se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minime vult. Quod si adesse neglexerit, dilationem sententiæ non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto & totiens delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest, utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata totiens constet absentia. Data ex synodo in Remensi metropoli habita x. Kal. Maias indictione XII.

EPISTOLA II.

"** *Hincmarus episcopus ac plebis Dei famulus.*

NOTVM sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ rectoribus, ministris quoque ac filiis ad quos hæc poterunt pervenire, quia Fulcherus & Hardoisa carne propinqui, contra legis præcepta & prophetica dicta, contraque euangelicam & apostolicam atque canonicam regulam; sed & contra leges humanas, non conjugio, sed incestu, carnali commixtione conjuncti sunt: sicut idoneis & veracibus testibus computata utriusque cognatione probatum est. Et quia obedire divinis & humanis legibus noluerunt, ut se ab ipso incestu disjungerent, secundum sacros canones a sacra communione corporis & sanguinis Christi, & ab omnium Christianorum societate abjecti sunt, usque dum domino respiciente a laqueis diaboli, a quo capti tenentur, per pœnitentiam separati, ab ipso incestu resipiscant, decernente B. Gregorio: si quis inquit, consobrinam duxerit in conjugio, anathema sit, & responderunt omnes tertio, anathema sit. Et item: si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit duxerit uxorem, anathema sit. & responderunt omnes tertio, anathema sit. Vos fratres ac filii qui literas non didicistis, scitote quid sonat in nostra lingua anathema, id est alienatio. ut a Christo, a quo nominantur Christiani, & a Christianorum societate atque communione sint tales alieni, donec ab illa inlicita conjunctione se separent, & per pœnitentiam & sacerdotale ministerum Christo & sanctæ ecclesiæ id est Christianis reconcilientur. Progeniem vero suam divinæ leges unumquemque Christianum usque ad septimam generationem, & quamdiu se cognoscunt affinitate propinquos, observare decernunt, ut nemo ex propria consanguinitate conjugem habeat, vel quam ex propria consanguinitate aliquis conjugem habuit, vel aliqua inlicita pollutione maculavit, quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis Deo & cun- A ctis hominibus. & incestuosos a liminibus sanctæ ecclesiæ præcipient separari, usque dum per satisfactionem precibus sacerdotum eidem, ut præmisimus, sanctæ ecclesiæ canonice reconcilientur. Si autem ab hoc incestu, in quo perditi jacent, separare se voluerint, quia sicut sacræ leges dicunt, incestus nullo conjugii nomine deputatur, si se continere non potuerint, post pœnitentiam & reconciliationem quibus conjunctio inlicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. Quandiu autem in ipsa inlicita conjunctione manserint, nullus Christianus quocumque modo eis communicet, quia cum talibus cuicumque Christiano nec com- B munem cibum sumere licet. Propterea fratres ac filii, omnes scilicet Christiani separate vos ab omnimoda eorum communione, ne quod absit communicantes illis pariter pereatis. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur; cum & inter jumenta hoc fieri scitis, ut ea quæ scabiem habere videntur separentur a sanis, ne illorum morbo cetera damnentur vel pereant. Et dicente domino, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: si antequam se ab hoc incestu separent quisquam eorum in infirmitatem deciderit, & ut sic jam in desperationem de vita temporali devenerit: si vel tunc ex corde pœnituerit, & coram Deo, & sacerdote, ac C fidelibus hominibus confessus fuerit, & fidejussores dederit, ut si de ipsa infirmitate convaluerit, ulterius ad illam incestam conjunctionem non rediet, cum aliis peccatis suis de hoc incestu puram confessionem faciat, & a sacerdote reconcilietur, & sancto oleo ungatur, & communio corporis & sanguinis Christi ei largiatur. Si vero in hac pertinacia usque ad mortem permanserit, & sine reconciliatione & communione corporis & sanguinis Christi quisquam eorum mortuus fuerit, sine psalmis & hymnis atque orationibus, & non cum aliis Christianis sepeliatur, quia sicut sancto Spiritu inspirante scriptum legimus, quibus viventibus non com- D municavimus, mortuis communicare non possumus. Data ex synodo in Remensi metropoli habita x. Kalendas Maias indictione XII.

ANNO CHRISTI 881.

a CONCILIVM ROMANVM IV. QVO ATHANASIVS EPISCOPVS SIMVL & princeps Neapolitanæ urbis, propter fœdus cum Saracenis initum excommunicatus est.

a *Concilium.*] Athanasius Neapolitanus episcopus simul & princeps olim a Ioanne papa epistola 66. 161. & 162. plurimum laudatus, in transversum actus, & in arcum pravum conversus scelestissimus evasit. De ipso enim Leo E Ostiensis libro 5. capite 42. ista habet: *Idem vero Athanasius princeps illi, nempe Sergio, subrogatus, firmata cum Saracenis pace, Beneventum, Capuam, Salernum, Romamque depopulari cum eis cœpit, multaque tunc monasteria & ecclesiæ cum villis & urbibus impiorum incendio conflagrarunt,* Hæc Leo. Post fœdus cum Saracenis contractum Ioannes papa per epistolam 251. & 256. eum admonuit, ut fœdus cum barbaris initum dissolveret, & nisi pareret, anathematis sententia feriendus esset. Imo quod magis est, ipse Ioannes papa hac de causa se Neapolim contulit: sed frustra. Quare dum in urbem rediisset, hac synodo ibidem congregata, anathematis sententiam in eum tulit,

Anastasius Neapolitanus episcopus & princeps.

ANNO CHRISTI 881.

tulit, eamque per epistolam circularem 270. episcopis circumpositis omnibus insinuavit. Cumque excommunicatus Athanasius pro absolutione non semel institisset, pontifex ab eo sæpius delusus nullam ipsi fidem adhibendam esse putavit, nisi primum Saracenis ab ipso necatis vel captis, pœnitentiæ certa signa edidisset. Quod ut illi constaret, Marinum episcopum cum epistola 294. ad eumdem Athanasium scripta hujus rei causa ablegavit. Vide Baronium anno 881. numero 1. & sequentibus.

Marinus ad Athanasiū ablegatus.

CONCILIVM APVD S. MACRAM.

SYNODVS QVÆ FVIT ACTA APVD sanctam Macram, in loco qui dicitur [1] Finibus Rhemensis parochiæ, tempore Ludovici regis, filii Ludovici Caroli filii, die IV. Nonas Apriles, anno Christi DCCCXXCI. Ioannis papæ VIII. anno IX. Ludovici ejusdem regis anno [a] XI.

[a] imo II. dumtaxat, ut bene Sirmondus.

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

DIVERSARVM provinciarum episcopi, quorum nomina tenentur subter adscripta, qui ante nequivimus, diversis occupationibus, tam Paganorum infestationibus, quam pravorum Christianorum insectationibus præpediti, nunc anno incarnationis dominicæ DCCCLXXXI. indictione XIV. IV. Nonas Apriles, maxima necessitate compulsi, apud martyrium sanctæ Macræ, in loco qui dicitur Finibus Rhemensis parochiæ, in nomine Christi convenimus. Ab omnibus, qui juste & pie in commmunione catholicæ ecclesiæ, quæ Christi est corpus, vivere volunt, ea quæ sequuntur, domino mediante, observari decernimus, non nova condentes, sed quæ a majoribus nostris secundum tramitem sanctarum scripturarum statuta, & a Christianis imperatoribus ac regibus promulgata, & usque ad hæc periculosa nostræ infelicitatis tempora fuere servata, quasi lumina in malignorum operum tenebras, quæ excæcant diffidentiæ filios, devocamus: ut falce sancti Spiritus, per divinum ministerium nostri officii, perque regiæ solicitudinis potestatem, ac ministros reipublicæ, male pullulantia recidantur, & fructuosa Christianis mentibus inserantur.

CAPITVLA.

I.

HÆC namque sunt sacerdotalis officii, & regii ministerii. quia sicut in sacris legimus literis, duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, & regia potestas. Solus enim dominus noster Iesus Christus vere fieri potuit rex & sacerdos. Post incarnationem vero, & resurrectionem, & ascensionem ejus in cælum, nec rex pontificis dignitatem, nec pontifex regiam potestatem sibi usurpare præsumpsit. sic actionibus propriis dignitatibusque ab eo distinctis, ut & Christiani reges pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro temporalium rerum cursu regum dispositionibus uterentur: quatenus spiritalis actio a carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus. Et tanto est dignitas pontificum major quam regum, quia reges in culmen regium sacrantur a pontificibus, pontifices autem a regibus consecrari non possunt: & tanto gravius pondus est sacerdotum, quam regum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem: & tanto in humanis rebus regum cura est propensior, quam sacerdotum, quanto pro honore & defensione ac quiete sanctæ ecclesiæ, ac rectorum & ministrorum ipsius, & leges promulgando, ac militando, a rege regum est eis curæ onus impositum. Et legimus in sacris historiis, quia cum sacerdotes in regimine regni reges ungebant, & diademata capitibus illorum imponebant, legem in manibus eis dabant, ut discerent & scirent qualiter se & subjectos sibi regere, & sacerdotes domini honorare debeant. Legimus etiam in sacra historia, quia Ozias rex præsumpsit incensum ponere, (quod non regii, sed sacerdotalis erat ministerii) lepra est a Deo percussus, & de templo a sacerdotibus ejectus, & in domo sua est usque ad mortem reclusus.

Gelasius epist. 10. — Deut. 17. — 2. Par. 26.

II.

Denique si pro salute regis ac reipublicæ ministrorum, & pro ministerio indignitati nostræ commisso, in processu aliqua dixerimus, quæ carnalibus animis valeant displicere, (quia medicus sæpe, quos leni unguento medicare non potest, per amarum poculum confectionis reducit ad hilaritatem sanitatis) ne dicant de nobis quod dictum legimus de sedentibus in cathedra Moysis: *Imponunt onera gravia & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere*, nos prius verbis sancti Gregorii, ex homilia quam de euangelio tractavit tempore synodi episcoporum, accusamus: quoniam ad exteriora negotia, partim

Matth. 23.

ANNO CHRISTI 881.

partim necessitate barbarici timoris, partim negligentia nostri temporis, dilapsi sumus, & aliud ex honore suscepimus, atque aliud officio actionis exhibemus. Ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, ut video, episcopi vocamur, qui honoris nomen non virtutem tenemus. Relinquunt namque Deum hi qui nobis commissi sunt, & tacemus: in pravis actibus jacent, & correctionis manum non tendimus: quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quando nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur. Usu quippe curæ terrenæ a cælesti desiderio obdurescit animus, & dum ipso suo usu durus efficitur per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad caritatem Dei: quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus. Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profecto quod scriptum est: *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* (Isai. 24. Osea 4.) Sacerdos enim non distat a populo, quando nullo vitæ suæ merito vulgi transcendit actionem. Ecce jam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent. Quanto autem mundus gladio feriatur aspicimus, quibus quotidie percussionibus intereat populus, videmus. Cujus hoc nisi nostro præcipue peccato agitur? ecce depopulatæ urbes, eversa castra, ecclesiæ ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt: sed nos pereunti populo auctores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato populi turba prostrata est, quia faciente nostra negligentia ad vitam erudita non est. Pensemus ergo, qui unquam per linguam nostram conversi de perverso suo opere, nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt, quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit. Hic pastores vocati sumus, & cum ante æterni pastoris oculos venerimus, ibi gregem nostra prædicatione conversum non ducemus. Sed utinam, si ad prædicationis virtutem non sufficimus, loci nostri officium in innocentia vitæ teneamus.

III.

De honore & cultu Dei, atque sanctarum ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione regiminis regis nostri consistunt, communiter verbis ejus qui dixit discipulis & apostolis suis, quorum licet indigni vicibus in ecclesia sanguine Christi redempta fungimur: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, (Luc. 10.) dominum nostrum regem monemus, ut sicut tempore antecessorum suorum imperatorum ac regum excultæ & honoratæ, atque rebus ampliatæ fuerunt, salva æquitatis ratione ita permaneant; & quæ sua liberalitate honoratæ atque ditatæ fuerunt, de cetero sub integritate sui serventur. Et sacerdotes, ac servi & ancillæ Dei, vigorem ecclesiasticum, & debita privilegia, juxta reverendam auctoritatem obtineant: eisque regalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & juste concurrant.

IV.

Ut missi regii per civitates, & singula monasteria tam canonicorum, quam monachorum, sive sanctimonialium, una cum episcopo parochiæ uniuscujuscumque in qua consistunt, cum consilio etjam & consensu ipsius qui monasterium retinet, vitam ibi degentium & conversationem inquirant, & ubi necesse est corrigant, & ubi desunt, congruas officinas construere jubeant, & ubi factæ & per negligentiam sunt destructæ, instaurari præcipiant, & victum ac potum, & vestitum, atque cetera necessaria, pro qualitate & possibilitate loci, & inhabitantium necessitate ordinent, & hospitalitatem supervenientium hospitum, & receptionem pauperum ibidem disponant & ordinent: & thesaurum, ac vestimenta, seu libros diligenter imbrevient, & breves regi reportent. Imbrevient quid unusquisque ecclesiarum prælatus, quando prælationem ecclesiæ suscepit, ibi invenerit, & quid modo exinde minus sit, vel quid & quantum sit superadditum. Numerum etiam canonicorum, & monachorum, sive sanctimonialium, uniuscujusque loci describant, & regi referant: secundum qualitatem loci, cum consilio episcoporum & fidelium suorum, ubi minor numerus fuerit, regia auctoritate addatur: ubi vero indiscretione prælatorum superfuerit, ad mensuram redigatur. Et qualiter abbatiarum prælati, & in locis sacris inhabitantes, de his quæ missi regii præceperint, obedierint, regi diligentissime & capitulatim referre procurent.

V.

2 Raptores autem, non nostris verbis, sed Christi & sanctorum ejus, qui cum illo in cælo regnant, & in terris miraculis coruscant, auctoritate ipsius qui nobis licet indignis in apostolis suis dixit: Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæ solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*, monemus, & eis verba ipsius domini inculcamus, quæ, nisi se correxerint, in extremo judicio audient: Matth. 25. *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*, & cetera, quibus dicit: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Hinc ergo colligendum est, quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt, si tanta animadversione feriuntur qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subjicit pœnæ non tradita. perpendant quid meretur injustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa. Audiant raptores: Habac. 2. *Væ ei qui multiplicat non sua usquequo, & aggravat contra se densum lutum.* Densum lutum contra se aggravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Audiant quid Christus dicat: Matth. 16. *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum fiat?* id est, quid prodest homini, si totum quod extra se est congregat, si hoc solum quod ipse est damnat? Audiant quod illa quæ rapiunt in hoc sæculo deficient, aut in sæculo dimittent, sed secum ad judicium causas rapinæ, id est damnationem secum ferent. Audiant quid propheta Isaias dicit: Isai. 3. *Rapina pauperis in domo vestra.* & : *Causa viduæ non ingreditur ad eos.* & : Eccl. 35. *Non despiciet dominus preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cælum, & dominus exauditor non delectabitur in illis.* Audiant quia in cujus domo rapina est, sive in domo corporis, sive in domo mansionis, non habitat in illa domo Spiritus sanctus, sed spiritus malignus: & si accedit ad communionem corporis & sanguinis Christi ante dignam satisfactionem, non mundatur per illam communionem a peccato, sed plenius, sicut Iudas, quando in cœna plenus rapina & iniquitate communicare præsumpsit de manu Christi, possessus est a diabolo. Vnde & suspensus crepuit medius, & abiit in locum suum, id est, suis meritis acquisitum, videlicet in ignem æternum. quia cum intravit sanctus panis in plenum de iniquitate ventrem, intravit hostis antiquus, qui dicitur dia-

A bolus & satanas, in crudelem & impiam mentem Et ille enim, sicut Iudas tradidit Christum peccatoribus Iudæis, ita plenus rapinis & iniquitate tradit Christum peccatoribus membris suis, qui illud inæstimabile domini corpus violare præsumit. Et væ illi homini, qui ad mensam domini malignus accedit, qui insidiis mente conditis, qui præcordiis rapina aut aliquo scelere pollutis mysteriorum Christi secretis participare non metuit. Væ illi homini, de quo Iesus, qui alta- B ribus sacrosanctis inter immolandum, utpote proposita consecraturus munera, adesse non dubitatur, adstantibus sibi ministris cælestibus queri cogitur, quod in cœna discipulis de Iuda dixit: *Ecce*, Luc. 22. inquiens, *manus tradentis me mecum est in mensa.* Et væ illi de quo dicit Paulus apostolus quod quasi speciali privilegio in cœna domini quando hæc sunt tradita legimus: *Quicumque manducat pa-* 1. Cor. 11. *nem hunc, aut calicem domini bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans*, C id est non discernens a cibis ceteris, *corpus domini*: sed sic ad mensam domini accedit sine reverentia & timore de peccatis suis, sicut lætus accedit, quando socius suus illum plena mensa pascit de rapinis suis. Et quod idem dicit apostolus: *Ideo inter vos multi infir-* 1. Cor. 11. *mi, & imbecilles, & dormiunt*, id est moriuntur, *multi.* Hoc monstratur in exemplo de infirmitatibus & mortibus corporalibus aliquorum, quod fit in anima in spiritalibus infirmitatibus atque D mortibus omnium irreverendorum. Hoc enim pascha, quod tunc dominus in novo mysterio egit, quotidie celebramus quotiescumque missam agimus: sicut ipse tunc omnibus episcopis & *ibidem.* presbyteris, ac ceteris fidelibus, celebrantibus atque adstantibus ad hoc terribile sacramentum, in apostolis suis dixit: *Hæc quotiescumque feceritis, in meam* 1. Cor. 11. *memoriam facietis.* Et potest fieri, ut quidam audientes tale periculum esse communicare corpori & sanguini domi- E ni, qui non volunt a malis recedere & de præteritis pœnitentiam agere, dicant: Abstinebimus nos ab illa communione, quia non retrahimus nos a mala operatione Vnde audiant quibuscumque diabolus ista susurrat, quoniam sicut dominus dicit de baptismo, quod nullus potest fieri salvus, nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto: ita de hac sancta communione dixit: *Nisi manduca-* Ioan. 6. *veritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et sicut dixit: *Qui crediderit & baptiza-* Marc. 16. *tus fuerit, salvus erit*, id est, sicut promisit in baptismate,

ANNO CHRISTI 881.

baptismate, diabolo & ejus operibus abrenuntiando, & in Deum fide quæ per dilectionem operatur credendo, hoc est ut in fide & bonis operibus permaneat, & si post baptismum peccaverit, confessionem & dignam pœnitentiam, illis qui in eum peccaverunt dimittendo, & bonis operibus insistendo, hoc quod male fecit emendet: ita etiam de hac sancta communione dixit (Ioan. 6.): *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* &: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* &: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem.* &: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Audiant rapaces & prædatores, quid iterum dominus per prophetam dicat (Isa. 33.): *Qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* Videlicet quia illius qui prædatur res pauperum & ecclesiarum ac servorum Dei, prædatur a diabolo, & præda illius fit. Audiant quid sanctus Paulus apostolus dicat, per quem locutus est Christus, &.qui raptus fuit usque ad tertium cælum, & qui raptus fuit in paradisum, & audivit talia secreta verba, quæ non licebat homini loqui. Ait namque (1 Cor. 6.) quia *neque rapaces, neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Vnde intendant quale quantumque peccatum est rapina, quam cum adulterio & homicidio sanctus comparavit apostolus. Item ipse dicit (Ibid. 5.): *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homicida est, cum hujusmodi nec cibum sumere* Christi discipulo, id est, Christiano, licet, ante satisfactionem, id est, correctionem, ac emendationem & dignam pœnitentiam. Audiant quod sanctus Ioannes apostolus, electus & dilectus Christi, qui in cœna super pectus ejus recubuit, talem hominem salutare vetat dicens (2. Ioan 10.): *Nec Ave ei dixeritis, neque in domum receperitis.* Audiant quid per prophetam dominus dicit ad eos qui in medio talium immorantur (2. Cor. 6. Ierem. 31.): *Exite,* inquiens, *de medio eorum, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & habitabo inter vos, & ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in filios & filias.* Nihil enim est aliud quod isti raptores faciunt, nisi præcursio exercitus antichristi, cujus voce dictum est (Psal. 10.): *Non movebor a generatione in generationem sine malo.* id est tanta mala faciam in uno loco, ut antequam ad alium locum veniam, adventum meum ibi habitantes timeant: sed & postea sentient. Et Ioannes apostolus (1. Ioan. 2.): *Nunc,* inquit, *antichristi multi sunt.* Vnde timendum nobis est quod omnis propter hoc deprecatur ecclesia (Psal. 10.): *Exurge domine Deus, exaltetur manus tua,* id est, ad vindictam, *non obliviscaris pauperem populum.* & dominus, qui non mentitur, repromittit dicens (Psal. 11.): *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit dominus,* id est, jam jamque in proximo vindictam exercebo. Audiant raptores, quid de talibus sacri canones decernunt (Concilium Tolet. 1. can. 11.): Si quis, inquiunt, de potentibus clericum, aut quemlibet pauperem, aut religiosum exspoliaverit, & mandaverit ad ipsum episcopus ut eum audiat, & is contempserit: invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos, & quoscumque adire potuerit, ut excommunicatus habeatur, donec audiat & reddat aliena. Ecce de pauperum raptoribus. Audiant raptores & prædones rerum ecclesiasticarum, quid sanctus Anacletus papa, ab ipso beato Petro apostolo presbyter ordinatus, cum totius mundi sacerdotibus judicavit. Dicit namque (Epist. 1.): Qui abstulerit aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit, mater vero nostra ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit, aut aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida ante conspectum justi judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & ut sacrilegus judicandus est. Et sanctus Vrbanus papa & martyr (Epist. 1.): Res, inquit, & facultates ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia domino offeruntur, & vota sunt fidelium, ac precia peccatorum, atque patrimonia pauperum: si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ & Sapphiræ, & oportet hujusmodi tradere satanæ, ut spiritus salvus sit in die domini. Et sanctus Lucius papa: Rerum, inquit, ecclesiasticarum & facultatum raptores a liminibus sanctæ ecclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse judicamus: & non solum eos, sed & omnes consentientes eis: quia non solum qui faciunt rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit. Et sanctus Augustinus in sermone euangelii sancti Ioannis (Tract. 50. in Ioannem.) ita dicit: Fut sacrilegus loculorum sacrorum & dominicorum est Iudas, & qui aliquid de ecclesia furatur & rapit, Iudæ perdito comparatur. Item in sacris canonibus a Spiritu sancto dictatis, & Christi sanguine confirmatis, scriptum est (Concilium Gangr. can. 7.): Si quis oblationes ecclesiæ extra ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi vel

ANNO CHRISTI 881.

vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit. Episcopus autem omnibus se audientibus dicere debet quid sit anathema: Id est, alienatio a Christo & ejus corpore, quæ est sancta ecclesia. Et ne desperent tales homines, & in peccato permaneant, ostendere debet episcopus quamdiu duret anathema, id est, quamdiu quisque errorem non corrigit, & digna satisfactione non emendat, ut reconciliationem & indulgentiam valeat promereri. Si quis vero ante satisfactionem, & reconciliationis indulgentiam, in peccatis suis perseverans mortuus fuerit, jam anathema perpetuum illi erit, & peccatum ad mortem, pro quo non dicit apostolus ut oretur. *1. Joan. 5.*

VI.

Regiam vero dignitatem, & ministros reipublicæ, ac cooperatores regii ministerii, episcopali auctoritate & domini voce monemus, ut semetipsos coram Deo & coram hominibus tales exhibeant, ut adjutores Dei fieri, & ab ipso & in præsenti sæculo & in futuro adjuvari mereantur: & nulla quælibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuslibet, vel odium, aut timor, aut gratia, ab statu rectitudinis eos deviare compellat, quin inter proximum & proximum juste judicent: pupillorum vero, & viduarum, & ceterorum pauperum adjutores ac defensores, & sanctæ ecclesiæ vel servorum illius honoratores juxta suam possibilitatem fiant: illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis, sive rapinis, communem pacem populi perturbare moliuntur, suo studio & correctione sicut decet compescant. Vnde quædam capitula, a præcedentibus imperatoribus & regibus statuta, in unum collecta subjungere dignum duximus, quæ ita se habent.

Ex capitulis imperatorum & regum.

Lib. II. c. 14. De pace in exercitali itinere servanda usque ad marcham, hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicumque auctorem damni sibi præterito anno illati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quærat, & accipiat. *Ibid. c. 15.* Deinceps tamen omnibus denuntiare volumus, ut unusquisque cognoscat omnes, qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, sive sui sint, sive alieni, ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum: & quidquid in pace violanda deliquerint, ad ipsius debet periculum pertinere. ea scilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, sive coram nobis, sive coram misso nostro, dignas pœnas persolvat: & senior, qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit, aut non potuit, ut nostram jussionem servaret, & insuper in regno A nostro prædas facere non timeret, pro illius negligentia, si ante eum de his non admonuerit, & postquam negligentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere sicut decet neglexerit, honore suo privetur, ut scilicet neuter illorum sine justa vindicta remaneat.

Lib. V. c. 189. Si quis in exercitu infra regnum, sine jussione dominica, per vim hostilem aliquid prædare voluerit, aut fenum tollere, aut granum; sive pecora majora vel minora, domosque infringere, vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quod si ab aliquo præsumptioso factum fuerit, sexaginta solidos si liber est sit culpabilis, & omnia cimelia restituat, aut cum duodecim testi- B bus se purget. Si vero servus hoc fecerit, capitali crimini subjaceat, & dominus omnia cimelia restituat, quia servum suum non correxit, nec custodivit, ut talia non perpetraret. Quoniam si nosipsos comedimus, cito deficiemus. Vnusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat.

Lib. III. c. 65. Si quis domum alienam cujuslibet infregerit, quidquid exinde per vim abstulerit, aut rapuerit, vel furaverit, secundum legem illi, cujus domus fuerit infracta & spoliata, in triplum componat, & insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat, & insuper secundum suam legem com- C positionem faciat. Si quis liber homo aliquod tale damnum alicui fecerit, pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in vadio pro servo dare studeat, usque dum plenam compositionem adimpleat.

Lib. III. c. 1. De pace admonemus, ut omnes qui per aliqua scelera rebelles sunt constringantur.

Ibid. c. 66. Si quis messes aut annonas in hoste super bannum dominicum rapuerit, vel paverit, aut furaverit, aut cum caballis vastaverit, æstimato damno secundum legem in triplum componat: & si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur. Servus vero secun- D dum legem tripla compositione damnum in loco restituat, & pro damno disciplinæ corporali subjaceat.

Lib. VI. c. 96. Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli, ejusque homini, aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit legibus componat, & insuper bannum nostrum, id est sexaginta solidos, nobis persolvat. Postmodum vero a comite ante nos adducatur, ut in bastonico retrusus usque dum nobis placuerit pœnas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta sacrorum canonū sanctionem. Si vero occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam: quoniam *raptores*, ut ait apostolus, *1. Cor. 6.* nisi veram egerint pœnitentiam, *regnum Dei non* E *possidebunt*. Qui vero de rebus ecclesiarum aliquid abstulerint, gravius inde judicentur: quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid abstulerit aut rapuerit. Extorres namque a liminibus sanctæ matris ecclesiæ tales personæ usque ad satisfactionem ecclesiæ quam læserint, sunt habendæ, atque firmiter denotandæ.

Caroli Calvi tit. XII. c. 12. Vnusquisque missus in suo missatico provisionem habeat, ut si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transierit, aut ibi consistens, vel commanens, rapinas, vel deprædationes, aut talia illicita fecerit de quibus Deus offendi solet, & populus pro oppressione gemere, quatenus hoc subtiliter & veraciter investiget,

ANNO CHRISTI 881.

& nobis renuntiet, qualiter inde nos sic ordinemus, ut nec ipsum, nec alium hoc agere delectet.

Ibid. c. 13. Vt missi in illorum missaticis curam habeant, ne homines nostri, aut alii quilibet, vicinos suos majores vel minores tempore æstatis, quando ad herbam suos caballos mittunt, vel tempore hiemis, quando marescalcos illorum ad fodrum dirigunt, vicinos majores vel minores deprædentur: & si egerint, hoc etiam, ut prædiximus, veraciter missi nostri investigent, & nobis renuntient, ut in seniore hoc sic emendemus quatenus homines suos in potestate habeat, & contenti sint debitis, & indebita injuste non appetant.

Ludovici Balbi tit. III. cap. 7. & 8. Volumus ut res ecclesiarum, in cujuscumque regno caput fuerit, tam de episcopatibus, quam de abbatiis, sine ulla contradictione rectores ipsarum ecclesiarum, sicut tempore domni ac genitoris nostri fecerunt, illas possideant. Et quia per vagos, & tyrannica consuetudine irreverentes homines pax & quies perturbari solet, volumus ut ad quemcumque nostrum talis venerit, ut de his quæ egit rationem & justitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat, vel retineat, nisi ut ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cujus regnum venerit, illum persequantur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno deleatur.

Caroli Calvi tit. XXVI. c. 5. Similiter & de eo agendum est, qui pro aliquo capitali & publico crimine a quolibet episcopo corripitur vel excommunicatur, aut ante excommunicationem crimen faciens, regnum & regis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam suscipiat, aut susceptam legitime peragat.

Caroli Calvi tit. IX. cap. 4. Denuntiandum est omnibus, & a missis nostris ordinandum, ut omnes ecclesiæ & presbyteri sub immunitate ac privilegio, & ordinatione atque dispositione episcoporum singularum parochiarum, in quibus consistunt, secundum auctoritatem canonicam, & capitularia domni Caroli imperatoris & pii Augusti Hludouvici permaneant.

Ibid. c. 5. Vt missi nostri diligenter investigent cum episcopo, & prælatis monasteriorum, & per fideles & strenuos viros in unaquaque parochia, de rebus ecclesiasticis in alodem datis. & sicut evidentibus & veris indiciis ac auctoritatibus compererint, diligenter a quo & quibus datæ sint, & quantum exinde sit describant, & nobis renuntient, ut cum consilio fidelium nostrorum hoc sacrilegium emendare curemus.

Ibid. c. 6. Vt missi nostri expresse, & cum omni diligentia, cum episcopo & prælatis monasteriorum, per singulas parochias requirant de rebus ecclesiasticis, unde nonæ & decimæ solvi debent, & non solvuntur, ut persolvi ab casdem res retinentibus faciant. Et si aliqua contradictio, quæ rationabilis videatur, oborta fuerit, describatur: & prælatus ipsius casæ Dei, unde res esse noscuntur, & ille qui eas detinet, & nonam ac decimam solvere detrectat, simul cum missis nostris ad nostram jubeatur venire præsentiam, ut tunc veritate comperta, & diffinitione decreta, quod rationabiliter invenerimus inde præcipiamus.

Ibid. Volumus etiam, ut investigent missi nostri, qualiter illi, qui easdem res ecclesiasticas, unde decimæ dantur, sive non dantur, illas salvas habeant, & in casticiis & in silvis custoditis, vel A si terræ ac mancipia inde perdita sint, vel aliquid hujusmodi, aut si familia oppressa sit contra legem, & omnia per breves renuntient missi nostri.

ANNO CHRISTI 881.

Ibid. c. 7. Vt missi nostri per singulas parochias comitibus & reipublicæ ministris ex banno nostro præcipiant, ne malla vel placita in exitibus & atriis ecclesiarum, & presbyterorum mansionibus, neque in dominico, vel festivis diebus, tenere præsumant: sed comes convenientem locum consideret & inveniat ubi stationem ad mallum tenendum constituat: quia nefas est ibi reos puniri, ubi respectu divinæ reverentiæ misericordiam consensu fidelium & decreto prædecessorum B nostrorum consequuntur.

Ibid. c. 8. Vt missi nostri comitibus, & omnibus reipublicæ ministris, firmiter ex verbo nostro denuntient, atque præcipiant, ut a quarta feria ante initium quadragesimæ, nec in ipsa quarta feria, usque post octavas paschæ, mallum vel placitum publicum, nisi de corcordia & pacificatione discordantium, tenere præsumant. Similiter etiam a quarta feria ante nativitatem domini, usque post consecratos dies observent: nec non in jejuniis quatuor temporum, & in rogationibus, simili observatione eosdem feriatos dies venerari omnimodis studeant.

Ibid. c. 5. Vt missi nostri omnibus per singulas parochias C denuntient, quia si episcopus, aut ministri episcoporum, pro criminibus colonos flagellaverint cum virgis, propter metum aliorum, & ut ipsi criminosi corrigantur, cum tali discretione sine ulla occasione indebita, sicut in synodo collocutum est, & vel inviti pœnitentiam temporaliter & corporaliter agant, ne æternaliter pereant: si seniores ipsorum colonorum indigne tulerint, & aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eosdem colonos ne distringantur continere præsumpserint, sciant quia & bannum nostrum component, & simul cum excommunicatione ecclesiastica nostram harmiscaram sustinebunt.

Ibid. c. 1. D Vt missi nostri omnibus reipublicæ ministris denuntient, ut comes, vel reipublicæ ministri, simul cum episcopo uniuscujusque parochiæ sint in ministeriis illorum, quando idem episcopus suam parochiam circumierit, cum episcopus eis notum fecerit: & quos per excommunicationem episcopus adducere non potuerit, ipsi regia auctoritate & potestate ad pœnitentiam vel rationem atque satisfactionem adducant.

Ibid. c. 11. Sciant etiam fideles nostri, quia concessimus in synodo venerabilibus episcopis, ne super beneficia ecclesiastica, vel præstarias, etiamsi quilibet monasteriorum prælatus irrationabiliter petierit, præcepta confirmationis nostræ ullo modo E faciamus. Et ideo ab irrationabili petitione se unusquisque compescat.

Caroli Calvi tit. XXXII. cap. II. De uno manso secundum capitulare Augustorum & prædecessorum nostrorum ad ecclesiam dato, nullus census, neque caballi pastus, a senioribus de presbyteris requiratur, sicut in præfato capitulari continetur. Sed neque de terrulis ac vineolis pro loco sepulturæ ad easdem ecclesias datis, neque de decimis, sicut in canonibus, & in præfatis capitularibus continetur. Et ubi inventum fuerit a missis nostris, quod seniores sine conscientia episcoporum presbyteros de ecclesiis ejiciunt, vel in ecclesiis statuunt, missi nostri, sicut in præfatis capitularibus continetur, inde faciant, & episcopi de clericis hominum

nostrorum

ANNO CHRISTI 881.

nostrorum ita faciant, sicut in eisdem capitularibus continetur.

Hoc missi nostri notum faciant comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas & judicandas sedere volumus. Comites autem & missi nostri magnum studium habeant, ne forte propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere volunt. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis se ad nos reclamare, nisi de quibus aut missi nostri, aut comites, eis justitias noluerint facere.

Caroli Calvi tit. XXXIV. c. 2. Ut nostri fideles, unusquisque in suo ordine & statu, veraciter sint de nobis securi, quia nullum abhinc inante contra legem & justitiam, vel auctoritatem ac justam rationem, aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut opprimemus, vel Tit. XLIII. sub finem cap 2. indebitis machinationibus affligemus: & illorum, scilicet veraciter nobis fidelium, communi consilio secundum Dei voluntatem, & commune salvamentum ad restitutionem sanctæ Dei ecclesiæ, & statum regni, & ad honorem regium, atque pacem populi commissi nobis pertinentem assensum præbebimus: In hoc ut illi non solum non sint nobis contradicentes & resistentes ad ista exequenda: verum etiam sic sint nobis fideles, & obedientes, ac veri adjutores atque cooperatores vero consilio & sincero auxilio ad nostrum debitum honorem, & ad ista peragenda quæ præmisimus, sicut per rectum unusquisque in suo ordine & statu suo, principi & suo seniori esse debet.

VII.

Ecce quæ de rapinis & de raptoribus sanctus Spiritus per sibi organa digna comminatus est & decrevit. Ecce quæ antecessores vestri imperatores ac reges, in diversis synodis ac placitis, consilio episcoporum ac ceterorum fidelium suorum inde constituerunt. Quæ quomodo de emendationibus quæ male acta sunt legi per Moysen datæ congruant, qui eam legit intelligit. Et in euangelio legimus dixisse Zacchæum ad dominum: *Dimidium bonorum meorum; domine, do pauperibus: & si quem defraudavi, reddo quadruplum.* (Luc. 19.) Ad hoc enim aliam medietatem bonorum suorum servavit. Et hinc sanctus Augustinus in epistola ad Macedonium dicit (Epist. 54.): Quod dicis inquiens, Sceleris culpam cupiunt sibi homines relaxari, & id propter quod scelus admissum est possidere; pessimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res necessaria, propter quam peccatum est, cum reddi possit non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum. sed cum restitui potest. Plerumque enim qui aufert amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse male vivendo, nec aliud habet unde restituat. Huic certe non possumus dicere, Redde quod abstulisti, nisi cum habere credimus & negare. Ubi quidem si aliquos sustinet repente cruciatus; dum existimatur habere quod reddat, nulla est iniquitas: quia etsi non est unde reddat ablatam pecuniam, merito tamen, dum eam per molestias corporales redhibere compellitur, peccati quo male ablata est pœnas luit. Sed inhumanum non est etiam pro talibus intercedere, tamquam pro reis criminum: non ad hoc ut minime restituantur aliena, sed ne frustra homo in hominem sæviat. Illud vero fidentissime dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis. Nam misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quam impendimus. Non enim opem fert qui ad peccandum adjuvat, ac non potius subvertit atque opprimit. Nolentes autem reddere, quos novimus & male abstulisse, & unde reddant habere, arguimus, increpamus, & detestamur, quosdam clam, quosdam palam, sicut diversitas personarum diversam videtur posse recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad majorem insaniam concitari. Aliquando etiam, si res magis curanda non impeditur, sancti altaris communione privamus. Nec interveniendum esse pro aliquo ausim dicere, ut quod scelere abstulit, sceleris impunitate possideat: sed ut remissa injuria quod injuriose abstulit reddat, si tamen habet quod abstulit, vel aliud unde illud restituat. Qui vero contra jus societatis humanæ, furtis, rapinis, calumniis, oppressionibus, invasionibus abstulerit, reddenda potius quam donanda censemus, Zacchæi publicani euangelico exemplo, qui cum hospitio dominum suscepisset, in vitam sanctam repente mutatus, *dimidium*, inquit, *rerum mearum do pauperibus, & si cui aliquid abstuli, quadruplum reddo.* (Luc. 19.) Quid dicam de usuris, quas etiam ipsæ leges & judices reddi jubent? An crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fenore? Omnes igitur nos, & vos, & totius regni populus, recurramus ad conscientias nostras, & quidquid contra voluntatem & mandatum Dei cogitavimus, parabolavimus, & fecimus, per puram confessionem, ac dignos pœnitentiæ fructus, atque sacerdotalem reconciliationem, expurgemus nos a fermento malitiæ & nequitiæ: & sicut hortatur nos Spiritus sanctus per psalmistam, *præoccupemus faciem ejus in confessione: procidamus* (Psal. 94.)

&

ANNO CHRISTI 881.

& ploremus ante dominum qui fecit nos, quia ipse est dominus Deus noster, nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus. Legimus enim in historia Machabæorum, quia vir fortissimus Iudas pugnavit contra inimicos ecclesiæ quæ tunc temporis erat, & plures ex suis in illo bello ceciderunt. Postquam autem fugatis adversariis ipse Iudas cum exercitu suo ad sepelienda corpora suorum qui in bello ceciderant reversus est, inventa sunt sub tunicis occisorum donaria de idololatriis, & manifestum factum est Dei judicium quia proinde ceciderunt in bello Ergo si sub tunicis nostris, id est, intra corpora nostra, habemus conscientiam malam de rapinis, de avaritia; quæ est idolorum servitus, de luxuriis, de invidia, de fraternis odiis, & de homicidiis, de sacrilegiis, & de incestibus, & de ceteris criminibus, ac peccatis, expurgemus illa mala per puram confessionem, & per bonam devotionem, & per lacrymas, & per eleemosynas & dignas satisfactiones, & quantocius tempus fuerit, faciamus omnes in commune de præteritis peccatis, sive manifestis, sive secretis, publicam pœnitentiam, & triduanum jejunium, & mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei Quia, sicut sanctus Augustinus dicit exponens sententiam apostoli, peccata sive parva sive magna impunita esse non possunt: quia aut ab homine pœnitente, aut a Deo judicante plectuntur: cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat Deus pœnitentibus & confitentibus parcere, & se judicantes non judicare. Et post jejunium, & dignos pœnitentiæ fructus, & professionem quod ab istis malis, in quibus hactenus versati sumus, nos de cetero abstinere debeamus, quia pœnitentiam vere agere est commissa plangere, & iterum plangenda declinare, mutata in mente malignitate in benignitatem, accipiamus corpus & sanguinem Christi in remissionem peccatorum nostrorum, ut Deus in nobis habitet, & nos in Deo: quatenus nec invisibiles, nec visibiles inimici contra nos potestatem habeant. Nam aliter, nec super pravos Christianos virtutem, nec contra Paganos habere poterimus victoriam. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet: tantum ex toto corde convertatur ad dominum. Veternosas namque Ninivitarum culpas triduana pœnitentia absterfit: & conversus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos jam percepisse quod petimus. Citius ad precem

2. Mach. 12
Ion. 4.
Luc. 23.

A judex flectitur, si a pravitate sua petitor corrigatur. Ea namque quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, judicio veritatis placet: quia pius ac misericors Deus vult a se veniam exigi, qui quantum meremur non vult irasci. Hinc etenim per prophetam dicit: *Invoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me.* Ipse ergo sibi testis est qui invocantibus misereri desiderat, qui admonet ut invocetur. Et sicut per alium prophetam admonet: *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum.* B Ad Deum quippe corda cum manibus levare est, orationis studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat timori nostro fiduciam, qui per prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Et certa sententia est, quia quos Deus diu ut convertantur exspectat, non conversos durius damnat. Et postquam taliter, sicut prædiximus, a peccatis nostris nos & vos mundabimus, de cetero ab eisdem & ab C aliis peccatis nos contineamus, ne contingat nobis illud proverbium, quod beatus Petrus apostolus de redeuntibus post pœnitentiam ad peccata dicit: *Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Magna est enim contra peccatum pœnitentiæ virtus: sed si quis in eadem pœnitentia perseveret. Nam scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Hinc scriptum est: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?* Mor- D tuum quippe est omne opus perversum, quod pertrahit ad mortem, quod vita justitiæ non vivit. Baptizatur ergo a mortuo, & iterum tangit eum, qui prava opera, quæ se egisse meminit, deplorat; sed eisdem se iterum post lacrymas implicat. Animæ itaque cuilibet ejusdem mortui lavatio non proficit, qui hoc iterum faciendo quod planxerat, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem justitiæ exurgit. Et quicumque tempore pœnitentiæ profitetur ad pristina pecca- E ta se non rediturum, id est, præterita peccata anathematizat, (quoniam aliter nec a Deo solvitur, nec sacerdotali ministerio reconciliari potest,) solicite attendat quæ S. Gregorius in quadam epistola sua dicit. Si qui vero sunt, inquiens, qui dicunt quia compulsus quispiam necessitate si anathematizaverit, anathematis vinculo non tenetur, ipsi sibi testes sunt quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere. Ac per hoc nec absolutionem sanctæ ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant.

ANNO CHRISTI 881.
Psal. 49.
Thren. 3.
Ezech. 33.
2. Petr. 2.
Matth. 10.
Eccl. 34.
Lib. IX. ep. 39. Theoctistæ.

ANNO CHRISTI 881.

æstimant. Contra quos diu disputandum non est, quia per omnia despiciendi & anathematizandi sunt: & unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur. Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano hæc, quæ prædiximus, aut prædicare audent, aut taciti apud seipsos tenere, procul dubio eos & ego, & omnes catholici episcopi, atque universa ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, & contraria loquuntur. Interest tamen plurimum inter eos, qui post pœnitentiam & professionem ad criminalia & publica peccata redeunt per contemptum, & in eis perseverare diligunt, & inter eos, qui per fragilitatem in præterita peccata criminalia vel publica recidunt, & iterum pœnitentiam poscunt: quia sicut sanctus Augustinus dicit, in tantum hominum iniquitas aliquando progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant: & tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum, nec minus tribuit, quam ante tribuebat, largissima munera vitæ ac salutis. Et quamvis in ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ pœnitentiæ non obliviscitur. Quamvis ergo caute salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat Deo dicere, Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis constringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga istos non agi quod apostolus ait: *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* aut istis exceptis esse diffinitum quod scriptum est: *Beati omnes qui confidunt in eum?* aut ad istos non pertinere quod dicitur: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in domino?*

Epist. 54.

Rom. 2.

Psal. 2.

Psal. 26.

VIII.

Tandem ad vos, domine rex dilectissime nobis, sermonem convertimus, quia & in isto temporali regno vos prosperari cupimus, & post istud regnum ad æternum pervenire desideramus. Sicut quidam nostrum ab illis audivit qui interfuerunt, Carolus Magnus imperator, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos quadraginta sex feliciter rexit, & sapientia tam in sanctis scripturis, quam & in legibus ecclesiasticis & humanis, reges Francorum præcessit, nullo unquam tempore sine tribus de sapientioribus & eminentioribus consiliariis suis esse patiebatur: sed vicissim per successiones, ut eis possibile foret, secum habebat, & ad capitium lecti sui tabulas cum graphio habebat, & quæ sive in die, sive in nocte, de utilitate sanctæ ecclesiæ, & de profectu ac soliditate regni meditabatur, in eisdem tabulis annotabat, & cum eisdem consiliariis, quos secum habebat, inde tractabat: & quando ad placitum suum veniebat, omnia subtiliter tractata plenitudini consiliariorum suorum monstrabat, & communi consilio illa ad effectum perducere procurabat. Et si ille, qui sic sapiens & fortis, & amplitudine regni locuples, & multorum regnorum pacificus dominator, agere studebat, (sequens sententias scripturæ dicentis: *Omnia fac per consilium, & post factum non pœnitebis.* &: *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.* &: *Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia:*) quid vobis sit agendum attendite, qui adhuc in ætate immatura estis, & tantos comparticipes atque æmulos in ista particula regni habetis, ut nomine potius, quam virtute regnetis. Quæsumus cum consilio & auxilio fidelium vestrorum, eligite qui vobiscum per singulos menses de utroque ordine consiliarii maneant, quibus aurem & cordis & corporis libenter accommodetis, quique vos & Deum timere, & sanctam ecclesiam ac rectores ejus secundum sacras leges doceant honorare, & regnum ac fideles vestros secundum voluntatem domini gubernare, & vestram domum, sicut tempore antecessorum vestrorum fuit, quando bene fuit, illam vobis insinuent ordinare, ne vos illuc trahat necessitas, quo ducere non debet voluntas. Quatenus ecclesiæ in isto regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones, quæ tempore Pippini, Caroli, & Hludouvici non fuerunt, sed moderno tempore impositæ fuerunt, non affligantur: & regni primores cum debita securitate ac honore erga vos consistere possint, & ceteri nobiles homines in regno securitatem habeant, ne per diversa ingenia a suis opibus quas habere potuerint dispolientur. Quia postquam radix omnium malorum cupiditas in regno exarsit, ut nullus, aut pene nullus, honorem aut aliquod bonum sine precio posset acquirere aut tenere, aut securitatem habere, pax & consilium & justitia, atque judicium, sicut necesse fuerat, locum in isto regno non habuerunt. Et satagite, ut istæ rapinæ ac deprædationes in isto regno cessent, & miser iste populus, qui jam per plures annos per deprædationes diversas

Eccl. 32.

Prov. 1.

Prov. 11.

ANNO CHRISTI 881.

diverſas & continuas, & per exactiones A ad Northmannos affligitur, aliquod remedium habeat, & juſtitia & judicium, quæ quaſi emortua apud nos ſunt, reviviſcant, & virtutem nobis Deus reddat contra paganos, quia uſque modo jam ante plures annos locum in iſto regno defenſio non habuit, ſed redemptio & tributum non ſolum pauperes homines, ſed & eccleſias quondam divites jam evacuatas habent. Et ideo regium nomen ad tantam contumeliam & ad tantam brevitatem devenit, ſicut multis eſt notum. & B iſtud regnum, quondam nobile atque amplum, in ſeipſum diviſum eſt: at ſicut dominus dicit, *regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur*, id eſt, de ſolo, videlicet de terra; labitur, id eſt, ac ſi de glacie lubricatur; ita ut non ſit quod in proximo eſt, niſi, ut in pſalmo dicitur, converſi fuerimus; jam dominus gladium ſuum vibravit, tetendit & paravit illum, & in eo vaſa mortis effecit. Timete ſententiam, quam ſcriptura dicit quæ non mentitur: *Væ terræ cujus rex juvenis eſt, & cujus principes mane comedunt*. Et attendite, quia non deteſtatur ſcriptura ætate juvenem, ſed moribus, & vita, atque ſtultitia, quæ nulla conſilii C gravitate deprimuntur. Quod alibi ſanctæ ſcripturæ ſententiæ monſtrant dicendo: *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani ſunt autem ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Hinc eſt ergo, quod ad Moyſen dominus dicit: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti quod ſenes populi ſint.* In quibus non aliud quam D ſenectus mentis requiritur, cum tales jubentur eligi qui ſenes ſciuntur. Si enim ſenectus in eis corporis quæreretur, a tantis ſciri poterant, a quantis videri. Dum vero dicitur, *quos tu noſti quod ſenes populi ſint*, profecto liquet quia ſenectus mentis, non corporis eligenda denuntiatur. Talium quippe ſenum ſicut ſcriptura demonſtrat, conſilium Roboam filius Salomonis reſpuit, & hujuſmodi juvenum conſilium ſecutus, maximam partem regni paterni ſua negligentia perdidit. Cui E dominus propter merita David avi ſui parvam regni particulam reſervavit. De eo quod ſcriptum eſt: *Væ terræ, cujus principes mane comedunt*, non de neceſſaria, ſed de voluptuoſa comeſtione dicit ſcriptura, ſicut demonſtrat apoſtolus dicens: *Carnis curam ne feceritis in deſideriis vel in concupiſcentiis.* Quos enim a cura carnis in concupiſcentiis refrenat, in neceſſariis quoque concedit. Deus omnipotens, qui per nos hæc loquitur in auribus veſtris, per ſe loquatur in cordibus veſtris.

Matth. 11. — Pſal. 7. — Eccleſ. 10. — Sap. 4. — Num. 11. — 3. Reg. 12. — Eccl. 10. — Rom. 13.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Finibus Rhemenſis parochiæ.*] Hodie *Fimes* vocitant, celebre opidum martyrio & cultu ſanctæ Macræ virginis. Olim Fines dicebant, quia in finibus pagi Rhemenſis & Sueſſionici. Itinerarium vetus. *Auguſta Sueſſorum. Fines. Durocortorum Rhemorum.* Synodi ergo apud martyrium ſanctæ Macræ plures habitæ memorantur Hujus autem, in qua verſamur, meminit Hincmarus epiſt. [a] III. cap. v. XI. & XXXVII. item epiſtola IV. capite I. & XVII. & aliis locis. Meminit etiam epiſtolæ, quæ non exſtat, ab hac ſynodo directæ ad Ludovicum regem in epiſtola quam eidem regi ſcriſit pro electione epiſcopi Belvacenſis.

2 *Raptores autem.*] Hincmarus epiſtola [a] IV. capite XVII. *De rapinis compeſcendis, & pace reſtituenda, ex ſacris ſcripturis, eccleſiaſticarum legum deffinitionibus, ac legum ſacrarum conſtitutionibus, ſufficienter ex ſynodali conventu apud martyrium beatæ Macræ nuper habito collecta fratri hujus regis noſtri nuper defuncto per epiſcopos miſimus.*

[a] Vide to[…] II. operu[…] Hincmar[…] p. 188. 1[…] 193. 199[…] 203. 215[…] 216. 225[…]
[a] nunc n[…]meratur XV. in co[…]tione R. Iacobi Si[…]mondi.

VITA MARINI PAPÆ I.

QVI PERPERAM MARTINVS II. NOMINATVR.

ANNO CHRISTI 882.

MARINUS Galleſio opido oriundus, poſt triduum ab obitu Ioannis VIII. Kalendis Februariis unanimi conſenſu totius cleri, non ex diacono ſed epiſcopo electus eſt pontifex anno domini 882. tempore Caroli III. & Baſilii imperatoris. Sedit annum unum & dies viginti. Hic dum ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus cardinalis eſſet, miſſus eſt cum Donato atque Leone Conſtantinopolim ad inſinuandam Photio anathematis ſententiam, qua a Nicolao papa perculſus erat. Cum Donato & Stephano tempore Hadriani II. iterato munere legationis apoſtolicæ functus, Conſtantinopoli Photium depoſuit, Ignatium reſtituit, atque ſacroſanctæ œcumenicæ ſynodo octavæ præſedit. Bulgari eum ſibi epiſcopum dari apud Hadrianum II. inſtiterunt; ſed non impetrarunt. Creatus a Ioanne pontifice epiſcopus, tertiam legationem obiturus, tertio miſſus eſt Conſtantinopolim, ad ruinam illam reparandam, quæ per Petrum, Paulum & Eugenium tres ſedis apoſtolicæ iſtuc pro Photio reſtituendo ad ſynodum ablegatos facta erat. Cumque ibidem ſumma animi conſtantia coram Baſilio imperatore, cuncta quæ prædicti tres legati perperam geſſerant, irrita reddidiſſet, triginta diebus, inquit Stephanus in epiſtola ad Baſilium imperatorem, carcere detentus fuit. Hac confeſſionis glorioſa corona redimitus, ab eodem Ioanne VIII. ablegatus eſt ad Athanaſium Neapolitanæ urbis epiſcopum & principem, ut ſi fœdus, quod ille cum Saracenis initum habebat diſſolveret, eumdem Athanaſium a ſententia excommunicationis, quæ ſynodali judicio in eum lata erat, abſolveret. Fuiſſe eumdem ſedis apoſtolicæ arcarium indicat Ioannes papa epiſtola 294. Initio pontificatus ſui Photium, omniaque ejus acta ad munus epiſcopale ſpectantia, damnavit, atque acta conciliabuli pſeudooctavi plane reprobavit. Qua de cauſa Baſilius imperator graviter offenſus, furore gravi incenſus, Romam ſcribens dicebat, Marinum non eſſe pontificem, eo quod alterius eccleſiæ epiſcopus jam ante ordinatus fuiſſet, aliaque multa adverſus eumdem papam ſanctiſſimum effutiens, ſolio pontificio eum dejicere ſatagebat. Quid autem pro eodem defendendo Stephanus papa ſucceſſor Marini ad Baſilium reſcripſerit, ex epiſtola ejuſdem Stephani infra patebit. Ea, quæ Ioannes papa

Quæ ſe[…]quuntur […]tæ ponti[…]cum, ex cardinali[…] Baronii annalibu[…] aliiſque h[…]rum ſæcu[…]lorum ſcr[…]ptoribus ſunt coll[…]ctæ per S[…]verinum Binium.

Marinu[…] quando pontifex factus?

Ante pon[…]tificatum quid ge[…]ſtum ab eo?

Marinus glorioſu[…] confeſſor Chriſti.

Quid po[…]tifex fece[…]rit?

Formosum restituit. papa perperam egerat, rescissurus, inter alia Formosum episcopum Portuensem munere apostolatus apud Bulgaros præclare functum, ac aliarum legationum meritis exornatum, quem Ioannes episcopatu deposuerat, & juramento obstrinxerat, se nunquam ad sedem episcopalem rediturum; sed laica communione contentum deinceps quieturum, in urbem & episcopatum revocavit, atque eumdem in pristinum statum restituit. Qua de causa a Ioanne depositus, quove modo a Marino restitutus fuerit, non constat: potuit sine dubio eum a juramento injuste exacto absolvisse, & sententiam Ioannis papæ velut iniquam, privatoque affectu fortasse prolatam, retractasse. Vtrum horum factum fuerit, incertum est; ideoque mirum, quod rerum gestarum ignari, ob reassumptum pontificatum Formoso obloquantur. *Hæc ex diversis epistolis pontificum Baronius.* Fulconi Rhemensi archiepiscopo, qui Hincmaro surrogatus erat, post emissam orthodoxæ fidei professionem, pallium concessit. *Flodoardus in vita Fulconis.* Scholam Anglorum Romæ existentem rogatu Aelfredi regis a tributo liberam fecit. *Matthæus Vvestmonasteriensis.* Cumque locis omnibus supra allegatis Marinus nominetur, recte Platinam erroris redarguit Onuphrius, quod aliter quam Martinum appellantes similitudine nominis deceptos esse scribat. Hujus temporibus, Northmanni Trevirorum, Tungrorum, Vbiorum, aliorumque circumjacentium populorum urbes & opida incendiis & rapinis devastarunt. *Ex actis sanctæ Gudilæ & annalibus Francorum Baronius.* Photius schismaticus hoc tempore Aquileiensi archiepiscopo imperito & schismatico de processione Spiritus sancti respondens, causam dedit, quod sicut jam diu ante hæc tempora Hispaniarum & Galliarum ecclesiæ; ita etiam ad retundendam Photii ejusque sectariorum de processione Spiritus sancti hæresin, Romana ecclesia additamentum illud, *Filioque*, ad symbolum Constantinopolitanum posterioribus hisce sæculis adjecerit, & in ecclesia publice decantaverit. Quo tempore & fine, quove auctore & modo id factum fuerit, ex Ætheriano, & concilio Florentino refert Baronius anno 883. numero 54. & sequentibus. Marinus apostolico munere laudabiliter perfunctus migravit ex hac vita xv. Kalendas Februarii anno Redemptoris 884. cum in pontificatu annum unum & dies viginti sedisset. Post obitum ejus sedes biduo vacavit.

Sitne Marinus, an Martinus nominandus?

Marini obitus quando factus?

PRIVILEGIVM MARINI PAPÆ I. MONASTERIO SOLEMNIACENSI concessum.

*P. Sirmondus edidit ex ipsomet autographo.

Marinus episcopus servus servorum Dei dilecto abbati Danieli ex cœnobio sancti Petri Solemniacensis, quod olim a beato viro Eligio est constructum, successoribusque tuis, ac monachis inibi nobiliter degentibus, in perpetuum.

CONVENIT enim nostro pontificio, ut quantum præ omnibus eminet dignitate, tanto supra universos eniteat serenissima pietate. Postulastis itaque a nobis, ut præfatum cœnobium sub defensione ac tuitione beatorum apostolorum Petri & Pauli ac nostra statueremus, sicut factum legimus ab antecessore nostro beato viro papa, postulante nobilissimo Francorum rege Dagoberto, & constructore ipsius loci sanctissimo viro Eligio episcopo Noviomagensi, quatenus quieti ac tuti esse per futura tempora valeatis. Nos vero, vestram sanctitatem agnoscentes; vestræque religioni assensum præbentes, tanta alacritate læto animo concedimus, quanto vos Deo propinquiores in sacra conversatione cognoscimus fore. Igitur juxta petitionem vestram, hujusmodi privilegium præsentis auctoritatis nostræ decreto eidem venerabili monasterio vestris futurisque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus. Et sicut nobilissimus Francorum rex Dagobertus, & gloriosissimi Augusti, Carolus & filius ejus Ludovicus; & filii & nepotes eorum, Carolus imperator, & ejusdem Caroli filius Ludovicus, nec non & Karlomannus Ludovici filius, qui nunc regnum Francorum feliciter gubernare videtur, ducti divino amore, de villis ac facultatibus seu stipendiis propriis, vel quolibet modo ibi a fidelibus viris condonatæ res, a vobis quoquomodo acquisitæ sunt, sicut in præceptis prædictorum regum continentur, vel in charta ejusdem monasterii fundatoris insertum est, scilicet Eligii episcopi, omnia illibata & inconvulsa nostræ auctoritatis privilegio confirmamus. Damus etiam licentiam, propter persecutionem infidelium Christianitatem devastantium, munitionem ibi fieri. Constituimus alia auctoritate beati Petri, ut nullus regum, nemo antistitum, vel abbatum, seu quilibet sua præditus dignitate, de iis quæ in prælibatis præceptis continentur, vel in futuro ab eis, vel a quibuslibet de proprio fuerint his specialibus usibus jure collata, sub cujuslibet causæ occasione sive specie, quidquam minuere vel auferre, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione præsumat concedere. Sed cuncta, quæ usibus monachorum vel ecclesiæ oblata sunt, vel offerri contigerit, perenni tempore absque ulla inquietudine ipsis, quibus concessa sunt, profutura permaneant. Statutum etiam, ut nullus episcoporum, seu comitum, mansionaticum ibi, vel paratas, vel stationes requirere seu exigere præsumat, sed liceat servis Dei sine aliqua inquietudine Deo servire, & hospitalitatis benevolentiam, prout eis libuerit, cunctis fidelibus impendere. Placuit huic paginæ inseri, ut obeunte abbate prædicti cœnobii, nullus ibi, quacumque subreptionis ambitione, abbatem statuere præsumat, nisi quem ejusdem loci monachi secundum authenticam & regularem institutionem ex seipsis elegerint ordinandum. Si quis autem hanc paginam constitutionis agnoscens contra eam venire tentaverit, sit alienus a sacratissimo corpore domini Iesu Christi, & nisi præsumpta correxerit, vel male ablata non restituerit, ultionem cum Iuda proditore excipiat, & beatum Petrum sentiat hostem. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis inveniant. Scriptum per manum Zachariæ scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ mense Maio, indictione prima. Bene valete. Pridie Idus Iunias, per manum Valentini ecclesiæ Portuensis episcopi, regnante in perpetuum domino Deo nostro. Anno pontificatus domni Marini universalis papæ primo, indictione prima.

VITA
HADRIANI PAPÆ III.

ANNO CHRISTI 884.

Quando pontifex factus?

HADRIANVS III. natione Romanus XIII. Kalendas Februarii anno redemptoris nostri 884. temporibus Caroli III. & Basilii imperatoris creatus est pontifex: sedit annum unum, menses tres, dies decem & novem. Solicitatus a Basilio imperatore ut cum Photio in rebus fidei & religionis communicaret, non tantum non petitioni ejus acquievit, verum exemplo prædecessoris sui Marini eumdem tamquam laicum acerrime est insectatus. Quo facto imperator graviſſime contra eum commotus, hostiles ei literas contumeliis pleniſſimas transmisit. Hadriano prius hac vita defuncto, quam literas imperatoris minaciſſimas accepiſſet, accepit eas Stephanus, reddiditque ad Basilium eam epistolam, quam supra in appendice" octavæ synodi impressam invenies.

Photium execratus est.

" sub finem tomi octavi.

Res sub Hadriano gestæ.

De electione pontificis decrevit, ne in ipso creando imperatoris auctoritas exspectaretur; idque ideo, ut cleri & populi libera sint suffragia. Ejus tempore Cassinense monasterium a Saracenis incensum esse scribit Leo Ostiensis libro I. capite 45. Magno cum luctu universæ ecclesiæ mortuus est anno domini 885. sepultus in basilica sancti Petri. Quanto tempore sedes apostolica post mortem illius pastore destituta fuerit, non satis liquet, *&c.*

VITA ET EPISTOLÆ
STEPHANI PAPÆ V.

ANNO CHRISTI 885.

Ex Anastasio" ou grapho pontificum, qui hucusque excurrit, non ultra progressus. " seu Guilhelmo bibl.

[a] STEPHANUS, natione Romanus, ex patre Hadriano, de regione Via lata, sedit annos quatuor, menses septem, dies quatuordecim. Iste siquidem beatiſſimus pontifex nobilium parentum, Romanorum quoque, prosapia ortus, dum per Dei gratiam cresceret, sacris est edoctus dogmatibus, studio & solicitudine Zachariæ sanctiſſimi episcopi consanguinei sui, & sedis apostolicæ bibliothecarii. Cumque conspiceret piæ memoriæ Hadrianus junior pontifex moribus bonis pollentem, & literarum studiis ferventem, a prædicto inclyto genitore suo eum auferens, ad subdiaconatus, Deo favente, gradum provexit; statuens eum inter alios sibi familiarem, & in patriarchio Lateranensi ecclesiasticum peragentem officium. & hoc honore percepto vitam ipse duxit mirabilem.

Fit subdiaconus.

Virtutes ejus.

Erat enim corpore castus, animo benevolus, vultu hilaris, eloquio prudens, opibus largus, ingenio facundus, mœrentium consolator, pupillorum & inopum enutritor, & ut generaliter comprehendam, omnium virtutum floribus adornatus. Quamobrem hic idem eminentiſſimus presul in sanctæ Romanæ ecclesiæ servitio perdurans, & magis ac magis specialibus studiis vacans, a reverendæ memoriæ Marino summo pontifice bene notus & amatus familiaribus ejus potius est ascitus obsequiis. Hujus namque cum castimoniam, & prudentiam, atque fidelitatem idem Marinus summus papa per omnia intueretur, ob suæ fidei & prudentiæ meritum manipularem sibi delegavit: & scita sua spiritali conversatione, tituli

A beatorum quatuor Coronatorum presbyterum consecravit, & in nullo a se dum vixit separari permisit. Igitur defuncto recordandæ memoriæ Hadriano papa, qui eidem beatiſſimo papæ Marino successerat, super fluvium * Scultiuna, in villa, quæ Viulza cara nuncupatur: cujus tempore Romani cives multa, tam locustarum devastatione, quam & pluviæ sterilitate seu famis inopia perpeſſi fuerant incommoda, credentes se posse hujus venerabilis viri sanctitate relevari, per Dei misericordiam facto conventu sanctiſſimorum episcoporum & totius clericalis ordinis, nec non nobilium senatorum, & virorum illustrium cœtu, acclamantibus omnibus una cum
B omni populo, & utriusque sexus vulgi multitudine, dixere: Dominum Stephanum presbyterum Deo dignum omnes volumus, omnes quærimus, & petimus nobis præesse pontificem: quia procul dubio credimus ejus sanctitate nos posse liberari ab imminentibus periculis. Tunc quia jam nominatus Hadrianus pontifex Romanus reliquerat Ioannem venerabilem Ticinensem episcopum, ut missum Caroli excellentiſſimi imperatoris pro tuitione Vrbis, omnes cum eodem legato imperiali juncti unanimes venerunt ad domum, ubi cum patre ipse almificus Stephanus sancto meditabatur colloquio. Et ecce fractis foribus tenetur, & ducitur electus Dei pontifex
C ad eumdem titulum sanctorum quatuor Coronatorum sibi creditum, reluctans plurimum, simul cum patre, acclamantibus utrisque, & indignos se tanto honore profitentibus. Vbi & omnes sanctæ Romanæ ecclesiæ scholæ gaudentes conjunctæ eumdem venerandum electum trahentes, ad Lateranense Christo præduce perduxerunt palatium cum omni honore, & debita reverentia. Prius quidem quam ad sacrum pervenerit palatium tanta pluviarum cælitus facta est inundatio, quæ sua ubertate terram a multo retro tempore aridam reficeret, ut aperto indicio Deus ostenderet tanti almigeri viri meritis, ac precibus omnibus se velle propitiari. Quo scilicet
D in eodem residente palatio gaudent utriusque ordinis proceres, & debitam fidelitatem cœperunt exhibere. Adveniente autem proximo die dominico ad beati Petri apostolorum principis limina omnis Romana ecclesia eum honorabiliter detulit, ubi & consecratus pontifex missarum ex more celebravit solennia. Et rediens cum debito honore, ac honorificentia ad Lateranense palatium suum ministerium miris cœpit decorare operibus.

Fit presbyter cardinalis.

** al. Scultinum, leg. Scultennam, in Æmilia.*

Vnanimi omnium consensu eligitur in papam.

Invitus trahitur ad ecclesiam.

Cõsecratur pontifex.

Deinde cum venerabilibus episcopis, & augustali legato, ac honorabili senatu per omnia sacri palatii perrexit vestiaria, quæ in tantum devastata
E repperit, ut de sacratis vasis, quibus mensas tenere festis diebus pontifices consueverant, pauciſſima invenirentur: de reliquis vero opibus nihil omnino. Sed quid mirum si vestiariorum gazas ablatas repperit, qui sacraria perquirens de pluribus donariis, ac ecclesiarum ornamentis pene nihil invenit? Crux tamen antea illa famosiſſima quam Belisarius patricius ad honorem beati principis Petri apostolorum instituit, & plurimæ sacratiſſimorum altarium aureæ vestes cum reliquis preciosis ornamentis non defuerunt. Nam ideo ipse beatiſſimus papa coram tantis testibus ea requirere providit, ut cuncti cognoscerent nil tale suis temporibus esse attentatum.

Vestiaria & sacraria reperit spoliata donis.

Idcirco gravi mœrore affectus est, quia devastatis vestiariis, horrea simul, & cellaria vacua inventa

Horrea quoque & cellaria.

inventa sunt, & quid erogaret clero & scholis non habebat, vel unde captivos redimeret, orphanos,& viduas pasceret in tam validissima,quæ instabat, fame carebat. Quid faceret? Conversus ad patrias facultates, quas inclyti sui parentes possederant, abstulit, & larga dextra prout posset pauperibus erogavit: & ita Deo miserante factum est, ut famis inopiam suo studio mitigaret. Ministros itaque, & familiares hinc inde perquirens tales suis obsequiis aggregavit, qui & vitæ sanctitate, & fidei sinceritate, & sapientiæ doctrina, & eloquentiæ facunditate, & morum probitate pollerent. Cum autem ad prandium sedebat, orphanos quotidie advocabat, quos ut filios alebat. Convocatos vero nobiles cum corporeis pasceret cibis, spiritualibus epulis refovebat. Et tantum Dei timorem mentis oculis ferebat, & in divinis laudibus insistebat, ut ad ejus prandium sacra per singulos dies lectio recitaretur. Missarum autem solennia quotidie celebrabat: nocte ac die orationi insistebat, & nunquam a psalmodiis cessabat, nisi cum utilitates populi ad se reclamantis perficere cupiebat, ut oppressos sublevaret, & afflictis subveniret. Intuitus vero insolentiam populi, & cæcitatem cordis sui, vaniloquis, & nefariis fabulis, & otiosis sermonibus vacantis in ecclesia; & audiens quosdam vulgante fama maleficiis,& incantationibus uti, hac allocutione missam celebrans populum admonuit: Filiationem vestram, carissimi commonemus, ut convenientes ad sacratissimum Dei templum id diligenter pertractare studeatis,ad quod venistis. Si enim veraciter templum Dei esse creditis illud ad quod convenitis, id procul dubio inibi operari debetis quod ei placet, cujus templum est ad quod convenitis. Cum enim ubique Deus sit, in suo tamen templo specialiter debet requiri, & quantum ipse inspirare dignatus fuerit, inibi quod ei placeat debet expeti. Est igitur misericors Deus, ita tamen suam misericordiam unicuique disponit impertiri, ut rogantibus eam tribuat, non ingratis; & tanto largiori illam tribuat unicuique pietate, quanto majoribus gemitibus & ardentiori animo fuerit a quolibet deprecatus, sicut ipse dicit: *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Est namque templum Dei locus orationis, sicut ipse alicubi dicit: *Domus mea domus orationis est cunctis gentibus.* Et psalmista: *Domum tuam decent sancta domine.* Quippe si orationis domus est, id ibi oportet agere quod vocatur, id est orare, psallere, peccata confiteri, amaris oculorum lacrymis, & mentibus delicta abluere, & fiducialiter veniam de commissis culpis implorare. Est quippe ibi specialiter respectus divinus. Assistunt ibi angelici ordines pro populo deprecantes, qui preces nostras ad aures perferunt domini sabaoth. Qua rogo fronte in sacratissimo Dei templo assistit,qui inanibus fabulis, & otiosis verbis insistit? Nam si de omni verbo otioso in die judicii ratio est reddenda, de his maxime reddetur ratio, & exigetur vindicta, quæ in conspectu tantorum sanctorum proferuntur contumaciter in loco Deo dicato. Qua, inquam, spe veniam consequi de præteritis arbitratur delictis, qui non solum peccata sua negligit abluere, sed potius contendit augere? Pavescite illum, qui facto flagello de funiculis ejecit vendentes & ementes de templo. Remissius scilicet est utiliter negotiari, quam inaniter & otiose confabulari. Cum convenitis ad locum orationis, cum silentio state, intento corde Deum deprecamini, ut orantis pro vobis sacerdotis vota suscipiat, preces exaudiat, habentes præ oculis monentem dominum, & dicentem: *Cum statis ad orationem, dimittite si quid habetis adversus alterum, ut & pater vester cælestis dimittat vobis peccata vestra.* Hæc meditantes, & divina gratia inspirante facientes, & euangelicis & apostolicis documentis imbuti, impetrata ab omnipotenti Deo misericordia, cum fructu bonorum operum quasi lampadibus illuminati cum gaudio, & Christo repræsentari, & cum sanctis coronari merebimini. De cetero carissimi nosse vos volumus, quod legem dominus populo suo instituens Moyse teste intulit dicens: *Maleficum ne patiaris vivere.* In hac itaque urbe, quod dolens dico, inveniuntur quidam qui non solum maleficos non impetunt, sed potius tuentur & fovent: per quos incantationibus quibusdam dæmones consulere non perhorrescunt, & apostolicæ doctrinæ immemores, quæ intonat dicens: *Quæ participatio luci ad tenebras, aut conventus Christo & Belial?* In hoc enim quod Christo contempto dæmones gentium more consulunt, Christianos se omnimodis non esse fatentur. Quod quam horribile, quamque sit profanum, ut Christo contempto dæmones Christianus adoret, unusquisque perpendat, ut tale facinus fieri perhorrescat. Quamobrem quisquis deinceps tali contagio se polluere tentaverit, alienum vivifici fieri corporis, & sanguinis domini nostri Iesu Christi Spiritus sancti judicio, donec a tanta resipiscat ignavia, judicamus. Qui vero tam salubribus interdictis contemptor extiterit, & in eadem pestifera pertinacia perseverans resipiscere neglexerit, perpetuum a Deo Patre, & Iesu Christo filio ejus sit anathema. Cumque talis iste præstantissimus præsul existeret, & in his quæ divino cultui conveniunt fine tenus perseveraret, tanta illi est divinitus gratia concessa, ut quidquid habere potuerat, sacris donaret ecclesiis, captivos redimeret, sollicitus existens pro salute omnium, quia cum fama sui nominis, atque actuum tam per orientales, quam occidentales partes diffamaretur, pene omnes ad eum accurrebant, ut ejus benedictionem perciperent. Nam inter alia de donariis, quæ ecclesiis diversis contulit, longum est enarrare; verum ut de multis pauca dicamus: Cum in basilica beati Petri apostolorum principis ubi sacro ipse corpore requiescit, cerneret nocturnis laudibus vix semel thymiamatis incensum offerri, instituit, ut per singulas lectiones, & responsoria adoleatur. Et in pergula ipsius basilicæ ipse reverendus papa ob amorem beati Petri nutritoris sui posuit cantharam auream unam cum preciosis margaritis, & gemmis, ac smalto cum perpendiculo ad pendendum. Nec non & in eadem venerabili basilica sancti Petri obtulit regnum aureum unum cum diversis margaritis, spatham cum vagina de auro & gemmis, cum balteo unam. Contulit etiam & in eadem basilica vestem unam cum auro, & albis gemmis. Vela serica in circuitu altaris quatuor, sed & homilias beati Gregorii numero quadraginta. In qua supradicta venerabili basilica cum idem sanctissimus papa & omnium vitiorum fortissimus exstirpator malam consuetudinem invenisset, ut presbyteri, qui ibidem domino sacrificium quotidie offerebant, omni anno unam mulctam consuetudinaliter darent, (quam

Sua erogat in pauperes.

Orphanos quotidie ad mensam vocat.

Lectio sacra in mensa.

Quotidie missam celebrat.

Concionatur ad populum.

Quid in templo agendum sit?

Luc. 7.

Isa. 37. Marc. 17. Psal. 92.

Orationes cur in templo facilius exaudiantur?

Matth. 12.

Joan. 2.

Matth. 6.

Exod. 22.

Concio papæ in maleficos.

2. Cor. 6.

Christiani non sunt qui dæmones consulunt.

Mira ejus liberalitas.

Dona ab eo ecclesiis relicta.

S. Petri.

(quam consuetudinem sanctæ memoriæ dominus Marinus papa antecessor ejus fregerat, sed subreptionibus quorumdam hominum tempore Hadriani III. papæ repullulaverat,) sub forti obtestatione præcepit, ut nullus unquam ab eis non solum hoc, verum etiam aliquod tributum acciperet. Sed cum omni honore, sicut sacerdotes oportet, suum peragere officium eis liceret. Idem autem sacratissimus præsul pro sui sempiterna memoria cum conspiceret nocturnis vigiliis in ecclesia majori, quæ vocatur sanctæ & superexaltatæ Dei genitricis Mariæ Ad præsepe, lampadas consuetudinarie deesse, gabathas argenteas cum lampadibus obtulit, & continuatim vigiliis ardere præcepit. Nec non idem mitissimus pontifex fecit in eadem prædicta basilica vela quatuor in circuitu altaris majoris, quorum duo sunt de serico pigacio, tertium pavonatile, quartum de Alexandrino ornatum totum in circuitu de olovero. Denique sæpedictus a Deo protectus sanctissimus papa, ob retributionem animæ suæ fecit in ecclesia beati Pauli apostoli doctoris gentium regnum ex auro purissimo unum cum diversis gemmis albis, prasinis, hyacinthinis, & in medio regni cruciculam auream pendentem unam cum catenulis suis, & vestem sericam supra altare majus unam cum auro, & gemmis. Fecit etiam in eadem basilica egregii doctoris gentium belotera quatuor, ex quibus unum auro textum. Præfatus vero venerabilis & præclarus pontifex fecit in ecclesia domini salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, vestem supra altare majus auro textam unam cum diversis margaritis. Pari modo & in eadem basilica contulit jam fatus reverendissimus præsul vela serica de blattin byzantea quatuor in circuitu altaris majoris, duo ex his aquilata, & duo de basilisci ornata in circuitu de olovero: & per singulos arcus presbyterii vela serica leonata nonaginta: & pro futuro animæ suæ remedio contulit ibidem cantharam exauratam unam, lib. comment. 1. prophetarum lib. 1. gestarum rerum lib. 2. Cum autem esset solicitus pro statu ecclesiarum Dei, ne suis temporibus, quæ in ruinis positæ erant caderent, ecclesiam beatorum apostolorum Iacobi & Philippi, quæ nimio senio consumpta ruinæ proxima erat, a fundamento renovavit. Quam collato calice & patena exaurata, nomine Græcis Latinisq; literis inscripto, adornavit. Et insuper pro sua perpetua salute contulit in eadem basilica apostolorum cortinam lineam unam, velotera serica tria in circuitu altaris. Et oratorio sancti Thomæ sito in monasterio sancti Andreæ apostoli juxta basilicam apostolorum fecit vestem unam. Ipse vero egregius, & prudentissimus papa cum sciret basilicam sanctorum quatuor Coronatorum, in qua sacerdotii fungebatur officio, modico uti ornatu; pro reverentia & amore eorumdem sanctorum obtulit in ea crucem auream super altare cum gemmis, & smalto: & sagulum ad pendendum in regno, & cerostata vestita de argento paria duo. Atque præ nimio amore illorum idem benignissimus papa contulit ibidem cantharam exauratam unam, Salomonem unum, regnum aureum unum cum gemmis preciosissimis, & vestem unam cum auro & gemmis albis: atque sermonum librum unum, gestorum librum unum, euangeliorum librum unum cum epistolis. Hic ipse precipuus præsul magis & magis divino zelo ductus in eorumdem sanctorum motus amore fecit in basilica eorum

S. Mariæ.
S. Pauli.
Constantinianæ.
SS. Iacobi & Philippi.
S. Thomæ.
SS. Coronatorum.

A canistra de argento purissimo miræ pulcritudinis operata numero quindecim pensantia simul libras triginta, & tribuit codicem unum beati Ioannis Chrysostomi. Fecit autem idem almificus papa in titulo sancti Marcelli martyris atque pontificis canistrum argenteum unum pensans libras tres, crucem de auro unam, vela linea sex & viginti, cortinam lineam unam, simulque & historiarum librum unum, homilias sancti Gregorii numero viginti. Misit quoque in ecclesiam sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ sitam in Manturiano, librum regum unum, vestem sericam super altare unam. Iam memoratus mitissimus papa fecit in monasterio ad clivum B Scauri, crucem auream unam; nec non omnium ecclesiarum solicitudinem habens ipse pussimus pater contulit in monasterio sancti Silvestri in monte Soracte thymiamaterium de argento unum, cautullam argenteam unam. Et magis ac magis divino amore succensus fecit in titulo sanctæ Pudentianæ sermonum librum unum. Et in titulo beatæ Anastasiæ sermonum & epistolarum librum unum. Et in ecclesia quæ vocatur Ierusalem in suburbio obtulit librum regum, & Salomonis unum. Et reverentiam beati Gregorii præcessoris sui præ oculis cordis habens tribuit idem summus pontifex in hospitali ipsius beati Gregorii in porticu beati Petri apostoli sermo-C num sanctorum librum unum. Et in schola cantorum, quæ pridem orphanotrophium vocabatur, heptateuchum unum. Idem autem elegantissimus præsul, atque fortissimus rectæ fidei prędicator in ecclesiam Ravennatem auri libras duodecim, argenti libras .... remisit pro animæ suæ remedio, quæ quorumdam subreptionibus inde fuerant ablatæ. Similiter & in ecclesia Imolensi auri libras septem, argenti libras ...... ablatas restituit. Item Deum præ oculis habens in Bononiensi ecclesia patenam de argento unam æque reddidit. Imo & pro perenni mercede in ecclesia, alias sanctorum reliquias per diversos cardinales titulos, alias etiam circumquaque per diversa D largitus est monasteria, ubi plurimis coruscant miraculis: maximam vero partem digna honorificentia collocavit apud ecclesiam, quæ Ad apostolos dicitur. Hanc senio cōsumptam & ruinæ proximam isdem sanctissimus papa a fundamētis renovavit, & plurimis donariis compsit & ornamētis. Erat quippe omnis ejus intentio, ut ea semper ageret, quæ Deo sunt acceptabilia. Cum clades itaque locustarum, quæ prædecessoris sui Hadriani videlicet tempore totam patriam pene consumpserat male, multiplicato germine nasci cœpissent, & omnia replevissent, misertus idem sanctissimus papa afflicto populo, primum qui-E dem divulgavit, ut si quis de eis unum sextarium caperet, & sibi attulisset, quinque aut sex denarios ab ea perciperet. Hoc autem populi audientes cœperunt huc atque illuc discurrere, easque capere, & misericordissimo patri ad emendum portare. Sed cum illas tali argumento delere nequivisset, ad domini misericordiam confugiens, in oratorium beati Gregorii ubi ejus lectus habetur, juxta ecclesiam principis apostolorum veniens, sese cum lacrymis in orationem dedit, cumque diutius oraret, surrexit, & aquam propriis manibus benedicens, mansionariis præcepit, dicens: Tollite & singulis distribuite, monentes ut in nomine domini agros suos circumeant, & hanc aquam spargant per sata & vineas, petentes divinum sibi suffragium & subsidium.

S. Marcelli.
Ad clivum Scauri.
S. Silvestri.
S. Pudentianæ.
S. Crucis.
Externis ecclesiis dona dedit.
Apostolorum ecclesiam restaurat.
Mira ratio locustarum plagam avertendi.
Papa aquam a se benedicta jubet aspergi agros ad plagam locustarum avertendam.

Quo

Quo facto tanta omnipotentis Dei subsecuta est misericordia, ut ubicumque ipsa aqua conspersa est, nulla penitus locusta remaneret. Hæc circumquaque vicini audientes ad urbem confluunt, subveniri sibi deposcunt, omnem terram in pulveris modum locustis coopertam clamitant, quos piissimus papa benigne commonuit, eos de cælo auxilium petere debere contra flagellum imminens, & mox læta. *Cetera desiderantur.*

NOTÆ SEVERINI BINII.

Stephanus V. Hadriano III. successit quando?

a *Stephanus.*] Anno redemptoris DCCCLXXXV. imperantibus Carolo tertio, & Basilio, & post eum Leone, in locum Hadriani III. omnium votis surrogatus est Stephanus ejus nominis quintus, quem alii sextum vocant, quippe qui Stephanum quemdam, quem paucis diebus sedem pontificiam tenuisse dicunt, inter Romanos pontifices annumerent.

Miraculosa Stephani electio.

Quomodo post expilatum tempore interregni patriarchium sedis apostolicæ, de paterna substantia pauperibus & ecclesiis intra & extra urbem subvenerit, & qua ratione idem a Deo in sui electione pluviam impetraverit, locustas pariter ingruentes aqua benedicta dissipaverit, refert Anastasius supra, sicut etiam sermonem illum, quem habuit contra eos, qui in templis fabulantur, & ab orationibus vacant, aliosque qui maleficiis & incantationibus dediti erant.

Epistola Basilii ad Hadrianū, & Stephani ad Basiliū, cujus argumenti?

Eas Basilii imperatoris literas, quas ipse plenas blasphemiis & conviciis propter Photium a Marino & Hadriano excommunicatum scripserat ad Hadrianum, post obitum Hadriani successor illius Stephanus accepit & legit: perstansque exemplo suorum prædecessorum in ejusdem Photii detestatione & execratione, rescripsit ad imperatorem epistolam, qua eum redarguit, quod pro Photio homine penitus laico justaque de causa excommunicato tantopere defendendo, Marinum pontificem, totamque Romanam ecclesiam contumeliis afficeret. Reddita est epistola post obitum Basilii filio & successori ejusdem Leoni; quam cum ille accepisset, Photium tanto lubentius & citius e throno depositum in monasterium Armenorum relegavit, eique Stephanum germanum suum surrogari curavit, quanto

Leo Photiū deposuit, & Stephanum germanum suum eidē surrogavit.

Photius de suo cognato in imperatorem eligendo cum Santabareno peius consilium inierat. Cumque Stephanus in locum Photii substituendus a Photio ordinatus esset, Stylianus episcopus Neocæsariensis cum Leone imperatore per literas Stephanum pontificem Romanum rogarunt, ut hac in re apostolica auctoritate cum designato Stephano patriarcha Constantinopoleos Photii successore dispensare non dedignetur: quam gratiam a sede apostolica post causæ diligentem cognitionem impetratam esse, communio utriusque sedis deinceps usurpata & frequentata satis

Cur de obitu Photii nihil constet?

aperte testari videtur. Ejectus sub hoc pontifice & relegatus Photius, quando obierit, & quomodo diem extremum clauserit, dolo schismaticorum & sectariorum ejusdem Photii in obscuro est. Nam cum scirent omnibus illis monumentis, quæ pro Ignatio adversus Photium posteritati relicta erant, magistrum suum valde perstringi, puderetque eos talem schismatis auctorem sequi, ea omnia, quæ inter Ignatium & Photium transacta erant, silentio obruenda esse non tantum putarunt, verum etiam anathematis sententia, quæ extat sessione 6. concilii Florentini, de facto execrati fuerunt. Hunc pontificem divinitus admonitum fuisse, ut Diodori, Mariani, aliorumque martyrum sub Stephano I occisorum corpora quæreret, inventaque in urbem transferret, refert Surius tom. 1. die 17. Ianuarii.

Res sub Stephano gestæ.

Hujus temporibus Parisiorum civitas Northmannorum obsidione pressa, precibus Dei genitricis cui dedicata est, & sancti Germani, aliorumque sanctorum ejus urbis patronorum liberata fuit. Carolus Crassus jam ante a suis regno ad filium Carolomanni Arnulphum delato exutus, & in conventu Triburiensi justo Dei judicio plane repudiatus, utpote qui ex levibus suspicionibus tantum Augustam Richardam adhuc virginem intactam, prout per juramentum in prædicto conventu deposuerat, contra jus & æquitatem omnem repudiasset, post summam paupertatem, victumque ab Arnulpho, regni successore, suppliciter quæsitum, moritur anno imperii sui * quarto, qui est

* septimo

Quis fuerit successor Caroli? Error chronographorum.

Christi redemptoris 888 Post obitum ejus scissum est imperium, successitque illi in imperio Vvido dux Spoletinus a Formoso pontifice anno domini 891. coronatus. Errant igitur recentiores chronographi, qui in serie occidentalium imperatorum eodem anno, quo Carolus Crassus mortuus ponitur, Arnulphum collocant, quem nemo veterum imperatorem nominavit, nisi postquam octavo abhinc anno Romæ coronationem per vim & metum a Formoso papa extorsisset.

Post obitum Stephani Constantinopolitani patriarchæ, qui Leonis imperatoris frater erat, secundo legatio ab oriente missa est ad Stephanum papam cum literis Styliani, quibus post mortem Stephani papæ Romani acceptis, successor ejus Formosus respondit. Nam cum Stephanus papa sex annis sedisset, mortuus est indictione 9. anno domini 891. Sepultusque est in basilica sancti Petri, ut ex ejus epitaphio constat. Ab hoc sanctissimo pontifice maxime alienum est sacrilegum illud factum Sergii papæ schismatici, quod Leo Ostiensis adscribit ei imprudenter, nisi per Stephanum, hujus nominis sextum intelligat.

a EPISTOLA I. STEPHANI PAPÆ V. AD BASILIUM IMPERATOREM.

Eum ob defensionem Photii redarguit, & contumelias Marino pontifici objectas refellit.

Extat supra in fine concilii Constantinop. IV. diversæ translationis.

LITERAS serenitatis vestræ ad Hadrianum prædecessorem nostrum missas accepimus: & mirati sumus magnificentiam tuam quomodo talia scribere potuisti, cum sis justitiæ æquilibrium, præsertim cum recte noveris pia potentia tua, quod manui regiæ non subjiciatur sacerdotalis & apostolica nostra dignitas. Licet enim ipsius Christi imperatoris similitudinem in terris geras, rerum tamen mundanarum & civilium tantum curam gerere debes: quod etiam precamur ut ad multos annos præstare valeas. Quo igitur pacto a Deo largitus es nobis terrenis rebus præesse, ita etiam nos per principem Petrum spiritualibus rebus Deus præfecit. Accipe, quæso te, benigna fronte quæ sequuntur. Datum est tibi curare, ut tyrannorum impietatem & feritatem gladio potentiæ concidas, ut justitiam ministres subditis tuis, ut leges condas, ut terra marique militares copias disponas. Hæc est præcipua cura potentiæ & principatus tui. Gregis cura vero nobis commissa est tanto præstantior, quantum distant a cælo ea quæ in terris sunt. Audi dominum dicentem Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. 18.
De potestate vero & imperio tuo quid ait? *Nolite timere illos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere.* Ibid. 10.
Et iterum de ministerio nobis commisso ait: *Tibi dabo claves regni cælorum,* & quæ sequuntur. Matth. 16.

Redarguit papa imperatorem.

Oro itaque pietatem tuam, ut inhæreas decretis principum apostolorum, ut nomen eorum honores, & dignitatem. Institutio enim & sacerdotium omnium quæ in orbe sunt ecclesiarum a principe Petro ortum accepit, per quem etiam nos sincerissima & purissima doctrina monemus omnes & docemus. Regnum vero tuum non minimarum rerum argumento ad ea quæ præstantiora sunt scrutanda se erigat, sed animadvertat, qua auctoritate hæc facere aggreditur. Ille quidem qui adversus sanctissimum Marinum sacras aures tuas contumeliis maculavit: adversus dominum nostrum Iesum Christum, qui nutu suo universum orbem regit, blasphemias effutire procul dubio non dubitavit. Quis, inquam, ille fuit qui adversus immaculatum ejus sponsum & sacerdotem, & adversus matrem omnium ecclesiarum talia dicere est ausus? Decipitur profecto quicumque putat, quod discipulus sit supra magistrum, & servus supra dominum suum. Matth. 10.
Obstupescimus sane, dum tuam perfectam & illustratam prudentiam seductam videmus, ut talia contra sanctum illum virum cogitaverit. Qualis enim ille fuerit, licet nos silentio prætereamus, lapides isti clamabunt:

Muta

Pſal. 30.

Muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur adverſus Deum iniquitatem, vel adverſus juſtum. Si ovis Dei exiſtis (quod votis habemus) ne tranſgrediaris limites principum apoſtolorum. Dic quæſo te: Quis te ſeduxit, ut pontificem œcumenicum comico more ſcommatibus laceſſeres, & ſacram Romanorum eccleſiam maledictis inceſſeres, cui cum omni veneratione ſubditus eſſe debes? An ignoras, quod hæc omnium eccleſiarum princeps exiſtit? Quis te pontificum judicem conſtituit, quorum ſacris doctrinis dirigi debes, & a quibus preces pro te Deo offeruntur? Scis ſacrum illud elogium, quod ait: *Nolite tangere chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari?* Hæc de omnibus ſacerdotibus dicta ſunt. Deo te æqualem facis, qui ejus angelos judicare audes. Dicit enim propheta: *Labia ſacerdotis loquentur judicium, & legem exquirent de ore ejus: angelus enim eſt domini omnipotentis.* Quomodo judicabis ſacerdotes, qui ſolius Dei ſententiæ ſubjiciuntur, & qui ſoli facultatem habent ligandi atque ſolvendi? Vide ad quodnam profundum te præcipitem dediſti. Audio in te, magnificentiſſime imperator, laudari manſuetudinem, & patientiam Iob: quapropter mirari ſatis non poſſum, quomodo ita turpiter lapſus ſis. Scripſiſti illum non eſſe epiſcopum. Quomodo id noſti? Si vero id ignoras, quomodo ita præceps in eum ſententiam tuliſti? Magna quidem eſt pontificum potentia. Non te latent res beati Ambroſii, & quid ipſe fecerit adverſus Theodoſium imperatorem. Quicumque dicunt, Marinum fuiſſe antea epiſcopum, ac proinde non potuiſſe ad aliam ſedem transferri, oſtendant illi id aperte. Scito dilecte & omni honore digne imperator, quod licet illi impedimento fuiſſet quod objicitur de canone, cum tamen id nunquam fuerit: multitudo tamen ſanctorum patrum & illorum auctoritas & judicium potuit illum conſtituere in primo gradu. Et divina providentia prænoſcens eccleſiæ Dei utilitatem, in ſede principis apoſtolorum Petri illum collocavit. Quid vero magnus ille Gregorius cognomento theologus? nonne Nazianzo tranſlatus eſt, & Meletius Sebaſte Antiochiam, & Doſitheus Seleucia Tarſum Ciliciæ, & Reverentius Archiphœnice Tyrum, Ioannes Gordolia Proconneſum, Theodorus Apamea Selymbriam, Alexander Cappadocia Hierapolim? & multi alii diverſis in locis tranſlati ſunt e ſuis ſedibus ad alienas? Dicat celſitudo tua, quibus accuſatoribus, & quibus teſtibus affirmantibus, beatum Marinum feciſſe quæ tu dicis, illum condemnaſti? An ignoras, in prima Nicæna ſynodo quod beatus Silveſter papa proclamaverit per legatos, præſente ibidem ſancto Conſtantino; Vt prima ſedes a nemine judicetur? Quid deliquit ſancta Romanorum eccleſia, ut adverſus eam linguam tuam vibrare, & concitare ſeductor iſte induxerit? Num juxta antiquum morem, de ſynodo Conſtantinopoli habenda, ad te literas non dedit? Num pro eadem ſynodo curam non geſſit? Peto a te: Cuinam ſcriberet Romanorum eccleſia? laico ſcilicet Photio? Si enim haberes patriarcham, frequentius noſtra eccleſia illum literis viſitaret. Sed hei mihi, quod iſta glorioſa & a Deo cuſtodita civitas Conſtantinopolis, paſtoris ſolatio eſt orbata, & ſola regia tua potentia illuſtratur: & niſi amor quo te proſequimur cohibuiſſet ut ferremus injuriam noſtræ eccleſiæ illatam, coacta fuiſſemus adverſus prævaricato-

Iuſta ac digna reprehenſio.

Pſal 104.

Machab. 2.

Quæ objiciuntur in Marinum diluuntur.

Multa in Photium Stephanus papa.

A rem Photium, qui contra nos impura evomuit verba, graviores pœnas infligere quam prædeceſſores noſtri. Neque enim hoc dicimus ad tui contumeliam: te enim in univerſo orbe Deo dilectum prædicamus; ſed tantum ad noſtram defenſionem, & Marini majorem gloriam, qui eadem ſenſit & ſapuit cum prædeceſſore & doctore noſtro ſanctiſſimo papa Nicolao. Et qui dum voluit adimplere quæ illi ante viſa fuerant, in maximum devenit * apud vos contemptum & ludibrium divinus ille Marinus. Et cum noluerit ſimul duci cum iis qui aliena ſentiebant, & quæ ipſe coram tua majeſtate ſynodice geſſerat, diſſolvere & annullare ac irrita reddere, propterea B triginta diebus carcere fuit detentus: id ſibi gloriæ potius tribuens quam contumeliæ, pro veritate pati. Sed, o junior Conſtantine, quomodo non es illum magnum imitatus Conſtantinum, qui ſacerdotum libellos acceptos in ignem projecit, affirmans ſe non eſſe dignum, ut ſacerdotes judicaret? Te itaque monemus, ſpiritualis noſter fili, ne adverſus ſanctam Romanam eccleſiam inſurgas. Cum vero audivimus, quod ex ſemine tuo filium ad ſacerdotium dedicaſſes, magno hac de cauſa repleti ſumus gaudio. Oramus etiam ut chelandrium munias, & omnia quæ in eo ſunt neceſſaria adhibeas a menſe videlicet Aprili ad Septembrem menſem; mittas præ- C terea qui mœnia noſtra cuſtodiant ab Agarenorum incurſionibus. Reliqua vero ſilentio præterimus, cum neque oleum ſit nobis pro luminaribus eccleſiæ juxta debitum Dei honorem. Cui gloria ſit in ſæcula ſæculorum. Amen.

* al Marinus acerrimus defenſor octavæ ſynodi.

Cōmendat Romanum urbem.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Epiſtola.*] In codice Græco poſt hanc epiſtolam Stephani papæ hæc ſubjiciuntur: *Hæc epiſtola ad Baſilium imperatorem miſſa fuit, ſed illam accepit Leo ejus filius, cum jam pater vita defunctus eſſet. Qui cum epiſtolæ vim intellexiſſet, & omnia Photii facinora cognoviſſet, quamprimum revocavit omnes ſacerdotes veritatis, qui a Photio anathemate damnato graves paſſi fuerant perſecutiones; & ejecto tyranno & invaſore Photio, fratrem ſuum germanum in-* D *troduxit, advocato etiam Styliano Neocæſareæ metropolita, cognomento Mapa, & aliis ejus in perſecutione commilitonibus, epiſcopis, præpoſitis, preſbyteris, diaconis, & aliis pietatis ſectatoribus, ait illis: Noſtrum ex Deo imperium perpenſa veritate iniquum illum hominem Photium a ſede patriarchali ejecit, & veſtram perſecutionem ſedavit. Nec ullo pacto cogam quemquam veſtrum, ut inviti cum illo communicetis; quin potius oro pietatem veſtram, ut communicetis cum fratre meo, & fiat unum ovile. Sin autem inconſultis Romanis, qui Photium damnaverunt, nolueritis fratri meo convenire, quoniam videlicet a Photio diaconus fuit ordinatus, venite, ſcribamus & mittamus una Romam ad pontificem, ut diſpenſet abſolutionem anathematis iis qui a Photio fuerunt ordinati. Scripſit igitur propterea imperator epiſtolam ad pontificem, ſimiliter etiam Mapa metropolita Cæſareæ & ejus ſocii. Epiſtola vero metropolitæ ita ſe habet.*

E
EPISTOLA STYLIANI AD STEPHANVM PAPAM V.

Sanctiſſimo ac beatiſſimo Stephano, domino ac œcumenico papæ Stylianus epiſcopus Neocæſareæ Euphrateſiæ provinciæ ſervus ſervorum Dei, & qui mecum ſunt epiſcopi, nec non omnes epiſcopi & preſbyteri & diaconi ſanctiſſimæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & omnes præpoſiti per occidentem & orientem conſtituti, & preſbyteri monachi quietam vitam agentes.

DEI catholica & apoſtolica eccleſia ſemper prævalet adverſus eos qui illi bellum concitant. Scriptum eſt enim, quod dominus imbecilles reddit ejus hoſtes. Et qui adverſus eccleſiam

Extat ſupra in fine concilii IV. Conſtantinopolitani ſub alia verſione.

ecclesiam bellum gerit, Dei se hostem constituit. Variæ igitur, o sacrum & venerandum caput, humani generis hostis sunt fraudes, diversis temporibus alios aliis rationibus a recta via ad vias obliquas homines subtrahentis. Hoc vero præcipue in Dei ecclesia ille facere consuevit, ubi recta quidem agere, laude dignum est, sicut econtra a recto recedere, formidabile existit. Cum itaque in Dei ecclesia multa iniquitatis vasa invenisset, venerationem quæ sacris imaginibus exhibetur; tum Christi, tum purissimæ ejus matris & servorum ejus, ab ecclesiastica disciplina removere conatus est; sed divina favente gratia, nostrorum piorum imperatorum auxilio, nostra ecclesia suum decorem nunc recepit, & abominabilem illum errorem hæresis circa imagines procul abiecit. Quid vero dæmon bonorum operum osor? Novam iterum concitat tempestatem; iterum enim Gregorium suscitat cognomento Asbestam, id est, inextinguibilem, & Eulampium, & Petrum, & eorum socios, ac per eos Christi membra ab invicem divellere, & a sanctissimo Ignatio patriarcha abalienare non dubitavit. Hos itaque patriarcha sæpius synodice advocatos, & qua decebat humanitate tractans, ut nullo pacto a Dei ecclesia segregati, præda dæmonis fierent, efficere non potuit. Quapropter privatione tandem & anathemate ipsos damnavit. Illi vero literas miserunt, & legatos ad sanctissimum tunc temporis pontificem Romanum beatum Leonem, petentes ut ab ipso, quasi injuriam passi, vindicarentur. Pontifex vero ad patriarcham Ignatium scripsit, rogans eum, ut aliquem mitteret suo nomine in urbem Romam, ut per eum discere posset, quomodo res se haberet de schismaticis illis. Quod patriarcha Ignatius facere non tardavit, sed misit Lazarum monachum & confessorem vna cum literis, qui rem omnem de Gregorio recte noverat, & pontificem de singulis edocuit. Quapropter pontifex & ipse damnavit eodem modo quos Ignatius damnaverat, tamquam schismaticos. Sed beato papa Leone vita functo, iterum illi Benedicto papæ successori molestias intulerunt. At Benedictus sanctissimus, re iterum diligenter examinata, eorum damnationem cum Ignatio confirmavit. Qui deinde Photio cuidam schismatico ab ecclesia Constantinopolitana, & in dignitate constituto inhærentes, & ejus favore vtentes apud Bardam principem & avunculum Michaelis imperatoris (qui & ipse arguebatur a patriarcha Ignatio turpis incestus gratia) Ignatium ipsum e patriarchali sede violenter ejiciunt, multas calumnias aduersus eum fingentes, vt imperatorem ipsum ita subduxerint, vt Photium pro Ignatio in patriarchali sede collocarit, a schismaticis electum, & a damnato Gregorio eo die ordinatum. Quando pontifices ipsi, & insigniores ex sacerdotibus, & quicumque in ecclesia potiores erant, segregati sunt propter illegitimam intrusionem schismatici Photij, inter quos etiam ipse fui minimus omnium. Deinde vero multos ille ad se convulsit, alios quidem perterrefaciens, alios vero male tractans, alios muneribus decipiens. Chirographum præterea propria scripsit manu, nunquam se adversus Ignatium, nec eos qui ab illo fuerant ordinati, aliquid mali tentaturum. Nec deinde magnum temporis spatium intercessit, & nulla habita ratione proprii chirographi, in celebri templo sanctorum apostolorum Conciliabulo congregato, depositione & anathemate patriarcham Ignatium damnat mœchus ipse & adulter Photius. Deinde vero suam iniquitatem ex superabundanti confirmare volens, ad vestram urbem Romam, & tunc

A temporis pontificem Nicolaum misit episcopos cum literis imperatoris; & petiit ab illo legatos mitti ad Constantinopolitanam ecclesiam, qui perpenderent quæ ipse contra Ignatium gesserat: quod factum est. Missi enim sunt Rhadoaldus & Zacharias cum commendatitiis literis ad Michaelem imperatorem & Photium. Legati itaque cum Constantinopolim venissent, congregata est synodus, & legati subducti quidem a Photio muneribus, minis vero ab imperatore, nihil fecerunt eorum quæ ipsis fuerant mandata, sed potius Ignatium damnarunt, Photium vero contra, præter pontificis mandatum, in patriarchali sede confirmarunt; & ita ad apostolicam sedem cum literis imperatoris & Photii sunt reversi. Quando scilicet zelo quodam motus

B monachus ille Theognostus, qui & archimandrita, clam etiam ipse sub mentita laicali veste Romam proficiscitur, & sanctissimum Nicolaum papam de his omnibus docet, quæ adversus Ignatium gesta fuerant. Quapropter pontifex congregata synodo, suos legatos Rhadoaldum & Zachariam damnavit, quod fecissent præter illa quæ sibi fuerant demandata. Aliam item synodum congregat, & Photium mœchum & invasorem anathemate damnat, Ignatium vero contra, patriarcham Constantinopolitanum literis suis declarat, necnon quæcumque gesta fuerant, tum Michaeli imperatori, tum Photio aperte significavit. Cum vero post Michaelem ad Basilium imperii sceptrum devenisset, divino zelo motus ille, acta quæ in urbe Roma a

C papa Nicolao gesta sunt, de Photii ejectione, & de Ignatii restitutione confirmavit, & Ignatium ab exilio revocavit, & Photium a patriarchali sede ejecit, & ab utraque parte, Ignatii videlicet & Photii, legatos una cum literis suis ad apostolicam sedem destinavit, mittens præterea figmentum illud Photii Pseudosynodi adversus Nicolaum papam; qui inventus est a legatis vita functus. Hadrianus vero Nicolao cum successisset, ostensa sunt illi quæ missa fuerant. Iterum igitur Hadrianus papa localem synodum congregavit; & eadem quæ beatus papa Nicolaus, adversus Photium decrevit. Et cum elegisset pios viros, Constantinopolim misit, & œcumenica

D synodo congregata, præsentibus etiam legatis orientalium sedium, iterum sententia promulgatur adversus Photium, quod ut mœchus & adulter ecclesiam Constantinopolitanam invaserit. Quapropter deponitur, & anathemate damnatur, & Ignatius restituitur. Nec tamen propterea Photius quietem habuit, sed iniquos homines & maleficos & deceptores congregavit, & calumnias falsis fingendo non destitit, quousque beatissimum Ignatium vitam misere relinquere procuravit. Neque hoc solum, sed etiã dum jam Ignatius in propria sede resideret, Photius ab œcumenica synodo damnatus & anathematizatus, in Cõstantinopolitana diœcesi varias habuit ordinationes. Quin etiam cum militari manu, sicut

E quõdam impius ille Macedonius, in sanctam Dei ecclesiam prosilit, dum nos cõministri sacrum in celebri templo sanctæ Sophię faceremus. Qui cum vidissemus Photium ita impudenter in Dei tabernaculum ingredientem, relicto imperfecto sacro aufugimus. Photius vero sacerdotes domini & comministros nostros magna vi & multis verberibus vel invitos ad se convulsit. Ego vero, & qui mecum erant episcopi, presbyteri, & diaconi, & omnes per occidentem & orientem præpositi monachorum & quietam vitam agentes, infinitus videlicet numerus, divina gratia inconcussi permansimus, quamvis neque antea neque postea Photio communicavimus. Qui cum illigitime (ut dictum est) eccle-

siam

ſiam invaſiſſet, dubitationem multis injecit dicentibus, quod hunc Photium videlicet non recipimus, niſi illum confirmaverit Romæ apoſtolica ſedes: quod cum ille didiciſſet, ſimpliciores ita decepit. Paulum enim & Eugenium epiſcopos a Ioanne papa ad Ignatium patriarcham miſſos, ut cum illo de rebus Bulgarorum prouinciæ agerent. Qui cum inveniſſent quod beatus Ignatius jam demortuus erat, Photius illos muneribus corruptos decepit, & imperatoris minis coegit, ut dicerent coram omni clero & epiſcopis, & reliquo populo, quod contra Ignatium a Ioanne papa eſſent miſſi, ut illum anathemate damnarent, & Photium patriarcham promulgarent. Quapropter plerique comminiſtrorum noſtrorum ſunt decepti. Ille vero etiam veſtram apoſtolicam ſedem fraudibus eludere volens, literas compoſuit nomine Ignatii patriarchæ & comminiſtrorum ejus, quibus orabat beatitudinem apoſtolicæ ſedis, ut Photium reciperet; & has literas ad nos miſerunt. Quapropter Petrus Presbyter a vobis in urbem regiam cum veniſſet cum Paulo & Eugenio, Photium ab apoſtolica ſede receptum promulgarunt. Hinc capta occaſione etiam politicas curas in ſe ſuſcepit, & ita regiam poteſtatem uſurpare contendebat. Abbatulum enim quemdam ignobilem & humilem atque maleficum ſibi familiaritate conjunxit, cujus pater Santabarenus cognomento dicebatur, Manichæus quidem ſecta, & veneficus profeſſione, qui cum agnitus eſſet, & capi dubitaret, ad Bulgaros confugit, adhuc impietatis morbo laborantes, ubi ille Chriſtianorum fidei abrenuntiavit. Hujus itaque filius Abbatulus prædictus Conſtantinopoli adhuc juvenis manens, traditur Studitarum monaſterio a Barda Cæſare, & ibi alitur. Cum vero ad perfectam veniſſet ætatem, & omnem iniquitatem calleret, adhæret Photio ſuo ſimili, quem Photius ſacerdotem ordinavit in priore illa ſua intruſione ad patriarchalem dignitatem. Cum vero Photius a patriarchali ſede fuiſſet ejectus, poſt œcumenicæ Synodi promulgationem, Santabareni filius prædictus Abbatulus ſuggerit Photio ut aliquem inveniret domeſticorum imperatoris: affirmabat enim per hunc iterum Photium ſe poſſe reſtituere. Inventus itaque Nicetas cognomento Plorans, qui multis muneribus deceptus, quæ a Santabareno venefico magica pocula & eſculenta fuerant parata apponens imperatori, fecit, ut Photius ille exoſus, amicus videretur: & ſanctiſſimo Ignatio patriarchalem ſedem tenente, Photium ad palatium revocavit ex eo loco, qui Auguſtus dicitur, & in palatio contubernalem Photium habebat, ut Photius magis eſſet patriarcha quam Ignatius ipſe, licet in patriarchali ſede ipſe Ignatius reſideret. Quapropter, ut ſupra diximus, ordinationes habebat, & ita imperatorem adverſus Ignatium irritavit, ut ei vitam male abſtulerit. Qui cum ita male fuiſſet mortuus, ſtatim Photius ejuſdem ſedem occupavit, ſecum habens Santabarenum illum, quem imperatori familiariſſimum reddidit, & Euchaitarum epiſcopum conſtituit; inſignia etiam monaſteria in aliis diœceſibus conſtituta, & aliis epiſcopis ſubdita, ab illis abſtulit, eaque tradita Santabareno, ut illa Euchaitarum eccleſiæ aggregarentur, & epiſcopi in illis a Santabareno ordinarentur. Santabarenus præterea iſte una cum Photio adverſus piiſſimum imperatorem noſtrum Leonem, qui nunc rerum potitur, malum conſilium iniit, & ejus patrem Baſilium adverſus eum irritant, affirmantes Leonem inſidiari & adverſari paternæ voluntati. Cum vero inſanabili morbo laboraret Baſilius, & jam morti propinquus eſſet, putaverunt quod illo volente, & filio jam procul abſente, fa-

A cile ipſi imperium obtinerent, ut per ſe, vel per alium quem vellent, illud adminiſtrarent. Sed Dei providentia non permiſit eorum iniquitatem impleri. Licet enim Leo filius a patre Baſilio inter privatos homines haberetur, quinimo carcere detineretur cuſtoditus, poſt patris obitum ad imperiale ſolium evectus eſt. Qui Photium quamprimum ejecit, tamquam multarum iniquitatum auctorem. Nos vero qui illi non obediebamus, & præterea multa mala paſſi ſumus, illis miſeriis idem Leo imperator liberavit. Quoniam vero ſcimus, quod a veſtra apoſtolica ſede corrigi, & juxta Canones corripi debemus: hac de cauſa humilibus his noſtris literis tuam oramus venerabilitatem, ut miſericorditer nobiſcum agas, cum populo videlicet, B qui non ſine rationabili cauſa Photii ordinationem recepit, ut ne qui apoſtolicæ ſedis legatos Rhadoaldum & Zachariam, qui initio Photium confirmarunt in Conſtantinopolitana ſede, deinde Eugenium & Paulum, qui ſecunda vice cum Photio communicarunt, excepit, una cum Photio interitu damnetur, nec alius infinitus numerus ab eccleſia pellatur; hoc enim facere conſuevit eccleſia. Oecumenica enim Synodus quarta Dioſcorum iniquitatis principem & actorem, Flaviani interfectorem, beati videlicet patriarchæ Conſtantinopolitani, damnavit & homicidam & hæreticum, ut qui auſus eſt ſanctiſſimo papæ Leoni excommunicationem irrogare: eos vero qui a Dioſcoro fuerant ordinati, vel lapſi fuerant, cum tamen pietatis ſectatores C fuiſſent, per pœnitentiam illos ſuſcepit. Nicæna etiam ſeptima Synodus auctores hæreſis Iconomachorum damnavit, illorum vero ſequaces per pœnitentiā admiſit. Quapropter decet etiā tuā ſingularem virtutem, Photium quidē tanquā ab initio ſchiſmaticū, & a ſchiſmaticis illegitime ordinatū, & propter alia multa, quæ operatus eſt mala, expellere: eos vero qui ab ipſo decepti ſunt, miſericorditer cū illis diſpenſari rogamus, ut eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pax & tranquillitas ita reſtituatur, & nō alii quidem Apollo, alii Cephæ ſint, & alii Pauli, 1. Cor. 1.
& ſic unum corpus eccleſiæ dividatur, ſed omnes unanimes, tamquam unum caput habentes Chriſtum Deum & Salvatorem omnium noſtrum, omnes communiter illi laudes offeramus, & ejus præ- D cepta ſimiliter prædicemus: neque propter unum hominem peccatorem tantus numerus pereat. Nos enim, ut diximus, imperatorum Chriſto dilectorum nutu Conſtantinopolim venientes, dum multi nos ad communionem impellunt, & juramento affirmant ſe ab apoſtolica ſede diſpenſationis indultum obtinuiſſe, ut abſque impedimento ſacerdotalem dignitatem exercitare poſſent, nullo tamen pacto illis fidem adhibuimus, a tua ſanctitate expectantes aliquid firmi & certi. Hoc autem auſim affirmare, o venerandum caput, Deum adhibens teſtem, quod nullus eorum, qui cum Photio communicarunt, propria id fecerit voluntate, E ſed potius principum violentia. Quapropter tuam rogamus beatitudinem, ut populum, parum abeſt, deſperatum miſericorditer ſuſcipias. Rogat te Petrus, cujus ſedem adminiſtrandam obtines, qui ab Matth. 18.
omnium Domino edoctus fuit, ut ſeptuagies ſepties ignoſceret, etiam iis qui ſcienter deliquerint. Exaudi nos, ut etiam tu a Deo benignitatem deſuper obtineas, & longo tempore eccleſiam apoſtolicam regere valeas precibus ſanctiſſimæ Dei genitricis, cæleſtium poteſtatum, apoſtolorum, prophetarum, martyrum, confeſſorum, & omnium ſanctorum. Amen.

EPISTOLA

EPISTOLA II. STEPHANI PAPÆ V. AD EPISCOPOS ORIENTALES.

Ipsis pro ordinatione Stephani patriarchæ Constantinopolitan dispensationem petentibus, eo quod a Photio diaconus ordinatus fuisset, respondet, & ulteriorem informationem petit.

Stephanus episcopus servus servorum Dei, universis episcopis & reliquis clericis, &c.

CATHOLICA Christi & Dei nostri ecclesia fundata super firmam petram, apostoli videlicet Petri confessionem, licet plurimis tempestatibus & fluctibus agitetur, nihilominus confirmatur & augetur. Nec mirum si humani generis hostis membra ecclesiæ tentare aggreditur, qui caput ipsum dominum nostrum Iesum Christum tentare non dubitavit. Nec igitur mirum si Photium satis exosum ab ecclesia damnatum ejecistis, qui salutiferam domini crucem ita delusit, per quam videlicet venerandam crucem omnia dona sacerdotalis ministerii perficiuntur, & sancti baptismatis lavacrum sanctificatur. Prædictus itaque Photius laïcus homo, si regiam viam ambulasset, & decretis sanctorum patrum inhæsisset, ad tantam insaniam nunquam devenisset. Quapropter qui Christi humilitatem, venerandam scilicet crucem contemnunt, percussi sunt tanquam primogenita Ægypti: tunc enim Israelitarum primogeniti cum essent signati, servari sunt ac custoditi. Quid vero erat ille sanguis agni in limine Israelitarum, nisi crux passionis Christi, quæ in frontibus fidelium imprimitur? Quicumque igitur salutarem crucem parvipendit, euangelico ense interimitur. Sed de Photio quidem ita vos scripsistis: illas vero imperatoris literas cum legissemus, easdem a vestris procul abesse comperimus. Ita enim se habebant, Quod Photius quietam vitam elegit. Quapropter in dubitatione versamur. Multum enim interest, abrenuntiasse, & expulsum esse. Nos igitur absque diligenti inquisitione qualecumque judicium proferre non possumus. Quapropter nunc sententiam prorogavimus: & opus est, utriusque partis religiosissimos episcopos mitti, ut perpensa omni dubitatione, & veritate utrimque manifestata, dicere possimus quod Deus voluerit. Romana enim ecclesia instar speculi & exemplaris reliquis ecclesiis constituitur. Et quodcumque definierit, in sempiternum manet incorruptum, & hac de causa sententias magna cum inquisitione ferre decet.

[Margin: .Extat supra in fine Concil. Constantinop. IV.]
[Margin: Exod. 12.]

"** EPISTOLA III. STEPHANI PAPÆ V. AD ROBERTUM METENSEM EPISCOPUM.

Respondet qua ratione ad ordines ecclesiasticos promovendus sit clericus, cui digitus abscissus est.

Stephanus episcopus servus servorum Dei Rotberto Metensi episcopo.

LATOR" præsentium Flavinus, scilicet clericus, ad sanctam sedem apostolicam veniens, detulit a te nobis directam epistolam, qua indagare studuisti, eum a Normannis nuperrime captum sinistræ manus digitum habere abscissum, sciscitans, si ob hoc ad ecclesiasticum ordinem valeret promoveri, an non. Quod & nos reperientes, quia solertia tua magis super hoc sollicita a sede apostolica edoceri flagitat normam iustitiæ semper sequi exoptans, studium tuæ sanctitatis merito collaudamus reverentiam tuam scire volentes quoniam si ita est quod a Normannis digitum ipsum habeat, abscissum, ad promovendum, si alias dignus fuerit, nihil ei nocebit, eo quod quid de his, qui a dominis, vel medicis, sive a paganis, non sponte tale quid patiuntur, sacri censeant canones, dilectionem tuam latere non credimus; quam ei obviare debere, si ita est, minime reperimus, monentes religionem tuam, ut circa illum ita peragat, quatenus ut mercedem pro eo magnam incurrat, & desiderium illius, canonica auctoritate ei in aliis non obviante, Deo adjuvante perficiat.

[Margin: "Gratianus Dist. LV. can. Lator.]

"** EIDEM STEPHANO V. PAPÆ TRIBUTA EPISTOLA AD SELVAM, Ermemirum & Frodoinum.

Inscribitur in VV. CC. " *Privilegium de archiepiscopatu de Terragona*, cum potius dicenda sit declamatio quæpiam aut sententia lata in gratiam Narbonensis archiepiscopi concinnata in Tarraconensem aliosque præsules Hispanos.

[Margin: "Vide pag. 80. Tomi I. Biblioth: MS Labb.]

Stephanus servus servorum Dei; Selvæ & Ermemiro, atque Frodoino Barchinonensi.

NOVERIS, inquam, noveris, Selva frater, si fas est fraterno te vocari debere vocabulo, quod ex præcepto gloriosissimi & Catholici Imperatoris " Odonis nuper venerim Trecas, concilium inibi de multis ac diversis celebraturus negotiis, cum reliquis coëpiscopis & consacerdotibus pontificalibus infulis insignitis quinquaginta duobus, qui eidem nobiscum interfuerunt concilio. Nam cum de quibusdam ecclesiasticis causis a nobis sollicite tractaretur, riteque qualiter se habere deberent, disponeretur, inter cætera quæ a nobis justo decernebantur, atque statuebantur judicio, ventum est ad tuæ insolentissimæ, nimisque præsumptuosæ arrogantiæ indecentissimum dedecorum dedecus, quo inflato elationis tuæ stomacho rebellare, immo resistere præsumpsisti Dei omnipotentis perpetuæ dispositioni, volens ipsius, sanctorumque apostolorum ejus instituta, specialiter vero beati Petri apostoli convellere, ac penitus evacuare. Denique ut ejusdem rei causam tibi exponam diligenter. Ipsi olim a domino nostro Iesu Christo universalis ecclesia, non solum generaliter ut cæteris, sed etiam specialiter præ omnibus coapostolis ejus commissa, & illius sedi credita est, sicut habes scriptum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Et item cum interrogaretur ab eo post resurrectionem ejus, an eum amaret, tertio contestatus est ab eodem domino, ut pasceret oves ejus. Qua authoritate idem fultus, & successores illius post eum, semper ecclesiastica negotia disponunt, atque determinant. Tu autem adhuc perseverans in malitia tua, plenus insania, non ut sapiens sed desipientis more existimas Dei æterni constitutionem, qui, ut scriptum est, mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit, atque etiam priscorum decreta convellere patrum, dum Terraconensis ecclesiæ archiepiscopatum in tuum jus, ecclesiæque tuæ subripere moliris, qui dominica dispositione in Narbonensis ecclesiæ transit ditionem, non subreptione, vel violentiâ qualibet, sed voluntate & electione: atque contradictione omnium ejusdem terræ indigenarum, tam nobilium quam & ignobilium; præcipue quoque episcoporum ac comitum, atque etiam regum Francorum, ad quos celsitudo principatus ejusdem terræ specialiter pertinet. Adeo enim & hac conditione jus ecclesiæ Terraconensis in obsequium ditionis Narbonensis ecclesiæ transiit, ut nunquam a subjectione illius ullo pacto, ullave ratio-

[Margin: "Quid Trecense concil um cum Odone, & quorsum imperator? Hęc omnia valde suspecta.]
[Margin: "Matth. 16.]
[Margin: Ioan. 21.]

ratione recedere queat, etiam si Terraconensis provinciæ metropolis ecclesia in pristinam reformetur staturam, eo quod Narbonensis ecclesia tutoris loco semper fuerit ecclesiis prædictæ diœceseos, quæ vastationem paganorum evadere vix potuerunt. Porro si jam dicta metropolis in antiquum redeat statum, & cunctæ ejusdem diœcesis ecclesiæ, quæ prius illi paruerant, revertantur ad mancipatum obsequelæ illius juxta Catholicorum patrum determinationem: ipsa tamen metropolis, secundum Romanæ ecclesiæ pontificum instituta, atque apostolica privilegia, in hac semper Narbonensis ecclesiæ ditione ac perpetuo famulatu succumbat, ut omnis qui pontificatus illius arcem sortitus erit, electione totius ecclesiæ ejusdem cleri & populi, B non prius ulla ratione ordinetur, vel*conferatur, donec prædictæ Narbonensis ecclesiæ pontifex veniens, consecret eundem qui electus fuerit in archipræsulatus honorem. Quod si aliqua difficultate compulsus, venire nequiverit ad consecrandum prælibatæ metropoleos episcopum, mittat vice sua aliquem ex suffraganeis suis episcopis, qui diligenter eandem rem peragat, qui in solio pontificali gcollocare, & inthronizare solemniter satagat. Unde & idem qui consecratus fuerit, munus debitæ obedientię Narbonensi ecclesiæ semper in omnibus cedat, tantum ut a Romano pontifice pallium cum privilegii autoritate suscipiat. Semper enim Terraconensis pontifex, clerus quoque, & populus omnis, si res ipsa effectum capiat, remi- C nisci debebunt, quod illarum parochiarum ecclesię, quæ de potestate & jure Narbonensis ditionis, sub qua diutina educatione nutricis more alitæ fuerant, postquam in maternum transierunt sinum, si res eadem quandoque capiat illud agendi effectum, nutricatus ejusdem gratia rependere largifluas gratiarum actiones debet, & insuper educationis prędictæ causa, ac si matri mercedem impenderet subjectionis, atque honoris. Quod si redeamus ad antiquas priscarum institutionum a primatibus sanctæ ecclesiæ: haud dubium quin Petro & Paulo, causas divino nutu patratas, non solum Terraconensis metropolis, verum & Hispania omnis, in quantum ad jus ecclesiasticum spectat, Narbonensi D semper debet prælationi subiici, ejusque patrocinio, ac si materno lacte ali: nam sacræ sedis documenta primum ab eadem accepit, & fidei lumine illustrata, ac si de mortis perpetuæ somno excitata, in æternæ vitæ euigilavit splendorem, prout hactenus in beati Petri armario diligenter servantur reposita: quemadmodum & illa quæ a discipulo apostolorum Petri & Pauli Sergio, nihilominus paulo post gesta fuisse memorantur, quæ, ut videris, prorsus ignoras. Nam si ea profecto nosses, æstimo quod non ad tam turgidæ inflationis væcordiam, animatus suspirare unquam auderes. Nunc quoque quia huc usque te latuerunt, a nobis tibi, licet brevi & compendioso sermone, veridico tamen, intimanda sunt, ut non deinceps ta- E lia agere præsumas. Ut enim quomodo eadem res se habeat, evidenter ostendam: cum beatus apostolus, & Doctor Gentium Paulus Roma egressus, Hispaniam prædicationis causa proficisceretur, juxta quod idem in epistola sua prius Romanis qui crediderant, significaverat, assumptis secum Trophimo Ephesino, necnon & prudentissimo viro Sergio Paulo, quos idem antea lucratus fuerat Christo; Torquato quoque, Secundo, & Endalatio, & quibusdam aliis, Cisalpinam Ecclesiam postquam devenit, Arelatem, quæ est metropolis provincia, quantocius adiit: cumque in eadem ci-

* cor. consecretur

A vitate aliquandiu moraretur, prædicans, & annuntians regnum Dei, & multi per ejus doctrinam converterentur ad Christum, reliquit ibi ad confirmandas eorum qui crediderant animas mentesque, Trophimum a Petro apostolo prius ordinatum episcopum. Ipse vero cum cæteris Narbonam usque pergens, inde prædictum Torquatum sexque alios illius comites & condiscipulos Galliciam ad prædicandum, juxta Petri apostoli præceptum, illico destinavit. Ipse vero postquam multos non solum ex eadem urbe, sed etiam ex nonnullis civitatibus undique ad eum confluentibus, una cum prædicto Sergio euangelizans sedule docuit, & egregie convertit ad Christum. Cum autem jam B fortes in fide, ac penitus immobiles quos docuerat, agnovisset, misit ex eis quosdam prædicare per diversas Galliarum regiones dominum Iesum Christum. Post hæc autem profectus inde una cum Sergio Paulo, ad ulteriorem ambo usque pervenerunt Hispaniam, euangelizantes per singulas urbes, ut prædiximus, futuri gloriam regni Dei. Peracto itaque prædicationis suæ non modico tempore, contestabantur eos qui crediderant; ut quam acceperant fidem, fideliter conservarent, & cæteris quibus nondum prædicata fuerat, magnopere eam erogare studerent. Igitur post hæc Romam deliberavit reverti prædictus apostolus, atque in consolationem confirmationemque credentium, se cum eis & coëvangelistam suum Sergium Paulum missurum C denuò repromisit: quibus & præcepit, dicens, ut illi in omnibus & per omnia obsequium præberent, & monitis illius libentissimè parerent. Cumque his ac talibus per singulas civitates Apostolus fratres qui crediderant, hortaretur, commendans eos Domino, & valefaciens eis, Romam redire sollicitè satagebat. Qui rediens, cùm venisset iterum Narbonam dispositis omnibus quæ agi oportebat, reliquit ibi collegam suum nihilominus Paulus, præcipiens ei ut quos jam Domino per fidei gratiam ac si parturientes genuerant in diversis regionibus Hispaniæ, lacte eos consolationis tamdiu nutrire studeret, donec cibo solido perfectæ credulitatis vesci indubitanter cognoscerent. Unde & totam regio- D nem illam in Apostolatus ejus officium, Domino cooperante, ipsi commisit. Galliarum autem populos iccircò, prædicandos illi credidit, quoniam ad hoc ipsum agendum beatus Petrus eum miserat, & vice suâ hujus rei gratiâ Ecclesiam consecraverat, atque etiam prædictam Narbonam insignem Metropolim Galliarum specialiter ad docendos, evangelizandósque tradiderat populos. Namque post hæc consummatis omnibus quæ communi utriusque egregii prædicatoris intentione agenda erant, à se mutuo dilectionis * cum recessissent, alternis exhortationibus atque amplexibus Domino commendare se studuerunt, atque sic sibi valefacientes, post oscula & fletus ab invicem divisi, Apostolus Ro- E mam profectus est, Sergius verò Narbonæ resedit. Neque enim officium prædicationis sibi injunctum adeò strenuè exercuit, ut nullis terroribus vel pœnis illud relinqueret, quoadusque per martyrium quisque eorum ad se vocantem Christum intrepidus accederet, ut talentum sibi creditum quinquies duplicatum offerret, & ab eo centies multiplicatum, perpetuæ mercedis recompensationem perciperet. Si autem nosse vis quid post discessum Apostoli Sergius Paulus commendato sibi gregi, quem cum Apostolo Christo adquisierat, Domino fecerit, notum sit tibi & universis Hispaniarum utriusque sexus indigenis, quoniam tam per se ipsum quàm etiam per suos, quos in fide Christi jam

jam nutrierat, docueratque discipulos, omnes Hispaniarum regiones peragrando, earumque habitatores indesinenter docendo, adeo quosdam eorum in Christianæ fidei culmen, cultumque subvexit, quatenus nullius præterquã sui indigerent, vel ipsi, vel quidam successorum eorum sanæ doctrinæ. Lege igitur beati Leandri, Isidori quoque, necne Braulionis, itemque Iuliani, ac veterum ejusdem provinciæ doctorum catholicorum libros, & sic forsan me vera dicere comprobabis. Quod si nec ita satis tibi factum esse credideris, gestorum illius volumina, ab ejusdem Pauli discipulis tribus voluminibus comprehensa diligentissima curiositate recense; & tunc quæ prius, nisi fallor, penitus ignorabas, patulo postmodum recognosces ejusdem rei effectu. Quod si nec ita consultum tibi probare volueris, sed semper obstinatione perversa, Romanorum pontificum censuram, quorum decreto divina auctoritate firmata,* omnis Christi ecclesia toto orbe regitur semper, atque disponitur, plenus insania, contemptibilem duxeris, in tantum ut ab injuria, quam impudenti facie, & immoderata capacitate* prædicto archipræsuli Theodardo irroges, recedere nullatenus patiaris: notum sit tibi, & universis, qui aliquod suffragium adjutoriumve præbent tibi super his, quibus à nobis jure impeteris, quod anathematis vinculis jugiter colligati eritis, atque insolubiliter innodati. Quocirca, ne injuriam tibi facere videamur, constituimus ego & qui mecum sunt, quinquaginta & duo episcopi, terminum tibi satisfaciendi ei, cui injuriam facis, jugiter Narbonensis ecclesiæ pontifici, usque in festivitatem sancti Michaelis archangeli. Quod si usque ad prædictam proximam memorati archangeli solennitem non ei satisfeceris, ita ut in ejus jus proprium ecclesiæque ipsius, totum quod abstulisti ab ejusdem pontificis jure ac ditione, integerrime, & sine qualibet reservatione vel redhibitione restituas, Dei omnipotentis auctoritate, sanctorumque apostolorum Petri & Pauli, necne cunctorum Romanæ ecclesiæ pontificum, mea quoque & omnium qui huic Trecasinæ synodo intersunt episcoporum, excommunicando excommunicamus, & maledicendo maledicimus, ac perpetuo anathematis vinculo insolubiliter colligamus, & te & maledictum tuum Ermemirum, & Frodoinum perjurum, & apostatam antiepiscopum, & omnes qui aliquod tibi adjutorium contra tam injustam præsumptionem præbent, ut a statuto vel præfinito a nobis tempore, ab omni cœtu Christiano semper extorres habeamini & exortes.

* cor. firmato

* cor. rapacitate

FRAGMENTVM a EPISTOLÆ STEPHANI PAPÆ V. AD FVLCONEM REMENSEM archiepiscopum.

Pro " *Teutboldo Lingonensi episcopo.*

"Ediderunt jam olim Sirmundus, Colvenerius, Binius, collector regius aliique, neque opus erat expungere particulam *autem* aut præfigere *Stephanus Fulconi archiepiscopo Remensi*, cũ sit fragmentum

Nos autem, qui omnium ecclesiarum in beato Petro apostolorum principe curam suscepimus, scientes inter episcopos non haberi eum qui neque a clero electus, neque a populo est expetitus: sæpe dictum Teutboldum venerabilem diaconum, ipsorum lamentabilibus precibus inclinati, Lingonensis ecclesiæ episcopum consecravimus, condigna sententia prævaricatoribus illata, licet & aliis prævaricationibus fuerint impediti. Quapropter tuæ injungimus sanctimoniæ, ut his nostris apostolicis literis perceptis, postposita dilatione ad Lingonensem accedas ecclesiam, & eumdem Teutboldum a nobis solenniter consecratum episcopum exinde revestias, omnibusque archiepiscopis & episcopi

A innotescas, pro tantæ contumaciæ ultione nos ejusdem ecclesiæ specialem solicitudinem suscepisse, pro tanti laboris maceratione & oppressionis illatæ relevatione. Quidquid autem idem venerabilis episcopus Teutboldus vobis ex nostra parte retulerit credite, & effectui mancipare nullo modo ambigas: utpote tuam reverentiam circa nos devotam consistere credimus.

dumtaxat, epistolæ.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Epistola.*] Hujus contenta recensens Flodoardus l. 4. c. 1. hist. Remensis, ista scribit: *Stephanus papa ad Fulconem Remensem archiepiscopum scribit pro Teutboldo Lingonensi episcopo, significans ad se hujus Lingonensis ecclesiæ querimoniam pervenisse, quod obeunte Isaac* [1] *episcopo, inconsulto clero & populo,* [2] *Egilonem quemdam monachum nuper de sæculo venientem in episcopum Aurelianus Lugdunensis ordinaverit, eisque vi illata præposuerit nolentibus, quo divina vocatione hominem excedente,* [3] *ne in idipsum incurrerent, concordi voto clerus & populus Teutboldum ipsius ecclesiæ diaconum eligentes, ab ipso papa sibimet in episcopum consecrari petierint: sed ille uniuscujusque ecclesiæ privilegium inconcussum servare volens id agere distulerit, eumque præfato Aureliano direxerit, scribens ad eum, ut si cleri populique vota in eum concordarent, & sacri canones illi non obviarent, manus huic imponere nequaquam differret. Quod fieri si ratio prohiberet, & idipsum sibi rescriberet, interim tamen alterum inibi ordinare nullo modo se inconsulto præsumeret. Simulque &* * *Oirannum Senogalliensem episcopum a suo latere direxerit executorem. Quem deludens Aurelianus ad Lingonensem præmiserit urbem, pollicitus se citissime subsecuturum. Quo cum diu expectaretur, nec ipse advenerit, nec mora sua causam innotescere, vel papa remandare præviderit. Quocirca iterato clerus & populus cum decreto manu omnium roborato præfatum electum Romam remiserint, obnixe sibimet illum consecrari petentes: sed nec tunc id agere acquieverit volens Lugdunensi ecclesiæ collatum privilegium immutilatum consistere: ideoque jam dicto Aureliano iterato rescribens mandaverit, ut quia concordi voto clerus & populus jam dictum diaconem expetebat, aut ipsum consecraret, aut quid in eo reprehensibile judicaret, rescribere maturaret. Sed is priori inobedientiæ contumaciam adjiciens, non solum oblatum consecrare, seu quid in eo reprehensibile judicaret sibi rescribere contempserit, verum etiam contra interdicta, & sacrorum canonum statuta, quemdam* [4] *extraneum, & eidem ecclesiæ ignotum, in angulo ordinatum, illis ingerere non præsumpserit. At hi potius laborem subire, quem subjectionem eligentes, ad se redierunt, implorantes ne pateretur ecclesiastica jura violari.*

B

C

[1] Anno circiter 880.

[2] Roberto Sammarthanis, Vignerio nostro, aliisq; dicitur Geilo seu Gerlo, quẽ aiunt nominari in Chartulario S. Stephani Divionensis an. 4. Carlomanni die Lunæ 8. Idus Iulias anno 889. & an 884. interfuisse synodo Cabilonẽsi 15. Kalend. Iun. & 18. Kalendas Febr. obtinuisse confirmationẽ juris cudendæ monetæ apud Lingonenses, & Dbonenses.

[3] Circa finẽ anni 888.

f. Ottannũ.

[4] Is haud dubie Algrimus sive Argrimus quem ait Vignerius in Chr. Lingonensi dedisse Bezuensibus monachis privilegiũ 12. Apr. anno 889.

D

PRÆCEPTVM CAROLI CRASSI regis & imperatoris, quo ecclesiæ Cabilonensi canonica episcoporum suorum electio concessa est.

Edidit Sirmondus ad ann 885.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus divina favente clementia imperator Augustus.

SI ea quæ divinis conveniunt auctoritatibus præcepto nostræ altitudinis confirmamus, supernam ob id gratiam promereri nullo modo dubitamus. Quocirca omnibus sanctæ ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus & futuris, notum esse volumus, quod venerabilis Agilmarus Arvernorum E præsul, adiens genua serenitatis nostræ, innotuit quoniam Girboldus Cabilonensis ecclesiæ venerabilis antistes & reverendus, infirmitate jam simulque senio confectus, non modicum metu sui obitus civibus & filiis ecclesiæ suæ inferret dolorem. Itaque nostram humiliter deprecatus est dominationem, ut præfatæ ecclesiæ canonicam electionem concedere deberemus. Placuit ergo nobis saluberrimæ acquiescere postulationi. Decernimus igitur, & pro Dei amore hoc eidem concedimus, ut obeunte pastore proprio, omni deinceps tempore canonicam habeat electionem. Hoc denique, quod divino amore concessimus, nostro imperiali præcepto confirmavimus, & annulo nostro insigniri jussimus.

Signum Caroli sereniſſimi Auguſti.

Salomon notarius ad vicem Liutvardi archicancellarii recognovi, & ſubſignavi. Datum pridie Idus Iunii, anno ab incarnatione domini DCCCLXXXV. anno vero regni domini Caroli imperatoris VIII. imperii vero V. Actum apud Gundulfi villam, in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆFATIO, SEV APPARATVS REGIS * ALVREDI MAGNI AD LEGES SVAS tam eccleſiaſticas quam civiles, e ſacra pagina deſumptas.

*Nonnulli Ælfredum, Alfredum & Alfridum nominant. Filius erat Ethelvulphi regis Anglo Saxonum.

Exod. 20. Verſio Guil. Lombard. e Saxonico.

Locutus eſt Dominus ad Moyſen ſermones hos, dicens: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex Ægypto domo ſervitutis. Deos alios nullos præter me habeto.

Nomen meum inaniter ne adhibeto, neque enim te ſinam impunitum, ſi nomen meum fruſtra adhibueris.

*Diem ſabbati ſancte agere memento: ſex diebus tuas res agito, ſeptimo autem die ab omni labore ceſſato, tu & filius tuus, & filia, & ſervus & ancilla, jumenta tua, & apud te degens peregrinus. Nam cum ſex diebus feciſſet * Chriſtus cælum, terram, mare, quæque in eis ſunt omnia, conquievit die ſeptimo, & propterea diem ſabbati ſacrum eſſe voluit.*

* *Deus*

Patrem tuum matremque quos Deus tibi dederit honorato, ut diu ætatem producas in terra.

Hominem ne occidito.

Ne furator.

Ne adulterator.

Falſum teſtimonium contra vicinos ne dicito.

Vicina bona ne concupiſcito.

Deos aureos aut argenteos ne facito.

Exod. 21.

*Hæc autem eis jura propones. Si quis emerit ſervum * Chriſtianum, ſex annos ſervito, ſeptimo autem anno manumittitor gratuito. qualicumque veſte indutus venit, tali manumittitor: atque ſi uxorem habuerit, ea ſimul exito. Sin dominus ei uxorem dederit, femina & nati domini ſunto. Quod ſi ſervus dixerit: Teneor amore domini mei, uxoris, natorum, & rerum mearum, nec cupio manumitti; eum dominus ad * templi oſtia adducito, eique ad poſtem applicato aurem ſubula perforato: & ille ei perpetuum ſervito.*

* *Hebræum*

* *judices*

Si quis filiam ſuam vendiderit in famulatum, ea ne ancillarum in morem ſervito. in extraneam gentem vendendi poteſtas ei non eſto. Verum ſi ea domino diſplicebit, in alienam gentem liberam manumittito. At ſi eam filio ſuo deſtinaverit, veſtitum, pudicitiæ precium, dotemque ei concedito. Si nihil horum ei præſtiterit, manumittitor gratuito.

Qui volens hominem occiderit, morte mulctator. At qui non eſt inſidiatus, ſed in eum invitus, neceſſitate impulſus, aut forte fortuna (quaſi ſibi a Domino in manus traditum) incurrerit, ad aſylum confugito, vitaque ac juris publici commoditate fruitor. At ſi quis proximi ſui necem per dolum de induſtria machinatus fuerit, is vel ab ara mea ad necem abſtrahitor.

Qui patrem aut matrem percuſſerit, capitale eſto.

Qui hominem liberum clepſerit, eumque vendiderit, capitis pœna eſto.

Qui patri aut matri maledixerit, morte plectitor.

Si quis alterum orta contentione percuſſerit lapide vel pugno, ita tamen ut foras baculo innixus iverit, medicum ei adhibeto, atque opera ea qua infirmus patrare non poterit, ipſe vicaria præſtato.

Si quis ſervum aut ancillam ſuam percuſſerit, ſi quidem diem unum aut alterum ſuperſtes fuerit, non tenetor, quoniam pecunia ejus eſt: verum ſi præſens mors ſecuta fuerit, tenetor.

A *Si quis dimicando mulierem gravidam percuſſerit, ad eam rem arbitri ſunto, ad quorum æſtimationem damnum ſarcito: Sin mortua fuerit, vitam pro vita pendito.*

Si quis alteri oculum effoderit, oculum pro oculo pendito, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, vibicem pro vibice.

Si quis ſervi ſui, aut ancillæ oculum percuſſerit, eumque corruperit, eum pro oculo manumittito: & ſi ſervi ſui aut ancillæ dentem excuſſerit, eum pro dente manumittito.

Si bos virum aut feminam cornu petiverit, & is mortuus fuerit, bos lapidator, ejus caro ne comeſtor, dominus autem bovis impunitus eſto, modo bovem jam biduo aut triduo petulcum fuiſſe non ſciverit. At ſi dominus ejus admonitus fuerit, neque tamen cuſtodierit, B *iſque virum aut feminam occiderit, & bos lapidator, & dominus ejus morte plectitor, aut vitæ ſuæ precium dato, quantumcumque ei fuerit ab arbitris impoſitum. Sive puerum, ſive puellam petiverit, idem juris eſto. Servum aut ancillam ſi petiverit, argenti ter deni ſolidi domino ſolvuntor, bos lapidator.*

Si quis foſſam aperuerit, vel dimiſerit, nec obduxerit, æſtimationem jumentorum quæ eo deciderint præſtato, ipſe mortua habeto.

Si cujus bos alterius bovem vulnerarit, atque is mortuus fuerit, bovem vivum vendunto, atque ejus precium & mortuum etiam domini dividunto. At ſi domino compertum fuerit, bovem antea petulcum fuiſſe, neque eum dominus ejus cuſtodierit, bovem C *pro bove pendito, ipſe carnem habeto.*

*Si quis bovem alterius clepſerit, mactaverit, vendideritve, * duos boves pro uno reddito, & quatuor balantes pro una. Si non habet unde reddat, ipſe pro furto venditor.* Exod. 21. * quinque

Si fur noctu in domum alterius invaſurus percutiatur, atque mortuus fuerit, homicidii pœna non eſto, niſi orto ſole: tum homicidii pœna ſequitor, ni eum alter neceſſitate impulſus percuſſerit. Si deprehenſum fuerit penes eum vita præditum quidquam quod clepſerit, duplum reddito.

Si quis alterius vineæ, terræ ſatæ, aut paſcuæ damnum intulerit, ſarcito.

D *Si ſegetem immiſſus ignis corruperit, autor ignis detrimentum præſtato.*

Si quis apud alterum bona depoſuerit, qui ea clam ſurripuerit, duplum præſtato: at ſi compertum non habuerit ea quis clepſerit, ipſe quod dolo malo non eſt uſus fidem facito. Si vita præditum fuerit quod fidei ſuæ commiſſum eſt, atque is teſte adhibito, ſive ab hoſtibus abactum, ſive mortuum eſſe confirmarit, rem ne reddito: verum ſi teſtem non exhibuerit, nec ſe culpa liberare potuerit, jusjurandum interponitor.

Si quis virginem non ſponſam pellexerit, & cum ea rem habuerit, mulctatus pecunia eam ſibi in matrimo- E *nium dotato. Sin puellæ pater eam illi locare nolit, argentum pendito ut fert dos virginum.*

Feminas ſagas, incantatrices, & ariolantes mulierculas, vivere ne ſinito.

Quicumque rem habuerit cum beſtia, capite plectitor.

Qui diis ſacrificaverit, intereat.

Peregrinum aut incolam ne lædito, nam peregrini fuiſtis in Ægypto.

Viduam nullam aut pupillum premito, neve angito. Si preſſeris, cum ad me conquerentur, eorum ego querelas exaudiam, & vos ferro trucidabo meo, eruntque veſtræ conjuges viduæ, & liberi pupilli.

Si cui tuorum ſocio tecum verſanti pecuniam mutuam

mutuam dederis, ne te ei feneratorem prebeto, neve ei usuram imponito.

Si vestem alterius qui id unicum habet operimentum in pignus acceperis, ante solis occasum reddito: quiasi apud me questus fuerit, ego quidem illum pro mea misericordia exaudiam.

Domino tuo ne maledicito, neve eum execrator qui est in natione princeps.

Decimas, primigenia, & adulta tua Deo dato.

Carnem a bestiis laceratam ne gustatote, sed ad canes projicitote.

d. 23. *Mendacis rumusculos falsos ne accipito: ei ne auscultato, neve ejus in sententiam ito ut sis testis injurius.*

Multitudinis flagitia ne sequitor: nec in lite de recto in sententiam multitudinis deflectito, neve cum errore quidquam commune habeto.

Si adversarii tui quadrupedem errantem offenderis, ei reducito.

Iuste iudicato; inopique & adversario, perinde atque diviti & amico, sis æquus.

A mendacio abesto.

Insontem & iustum ne interficito.

Donum ne accipito, cæcat enim sæpissime vel perspicaces, & prudentum rationem pervertit.

Peregrinum & incolam nulla iniuria afficito.

Nomina aliorum deorum iureiurando ne usurpato, neve in ore habeto.

Hæc ea sunt jura, quæ rerum omnium præpotens Deus ipse Moysi custodienda proposuit. Vnigenitus porro Dei filius salus nostra Iesus Christus ubi in mundum venisset, edisseruit palam, non eo se descendisse, legem datam ut violaret, sed ut omni cum mansuetudine & bonitate impleret. Veræ etenim pietatis disciplinam tradidit. Post hunc vero cruci affixum, discipuli (dum adhuc una essent, nec annuntiandi euangelii causa segregarentur) multas quidem Christo nationes adjunxerunt, & divinæ voluntatis legatos atque interpretes ad Antiochiam, Syriam, & Ciliciam miserunt. Cumque eis quod ibi accidisset renuntiatum esset, has ad eos literas dederunt. Hæc igitur ea est epistola quam apostoli miserunt omnibus Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ populis, qui quidem a servitute gentium ad Christum conversi essent.

Apostoli & seniores fratres vobis salutem dicunt.

5. Act. nullis ptis additis. Quandoquidem audivimus quosdam homines a nobis profectos vos sermonibus turbavisse; cumque nonnulla, quæ certe a nobis mandata non habebant, vobis indicere vellent, animos vestros errore potius labefactasse, quam sana & integra instituisse doctrina: visum est nobis una coactis, electos viros ad vos mittere, Barnabam, & Paulum, qui suam vitam exposuerunt pro Christi nomine. Cum his misimus Iudam & Silam, qui & ipsi verbis eadem referant. Visum est enim sancto Spiritui & nobis, nihil amplius necessarii oneris imponere quam hæc: Abstinendum esse ab iis quæ simulacris immolata sunt, & sanguine, & suffocato, & stupro: Et quod vobis fieri non velitis, id aliis ne faciatis.

gum om- m sum-

Ex hoc unico præcepto satis liquet, unicuique ex æquo jus esse reddendum, neque enim alio quocumque judiciali libro opus fuerit: hoc solum meminerit qui sedet in alios judex, nolle se aliam de aliis proferre sententiam, quam de se ipso latum iri voluerit. Vbi vero propagato Dei euangelio plurimæ nationes, atque adeo Angli, verbo Dei fidem adjunxerant, nonnulli per orbem terrarum cœtus, atque etiam in Anglia episcoporum aliorumque clarissimorum sapientum conventus agebantur: atque hi divina edocti miseratione, cuique jam primum peccanti pœnam imperabant pecuniariam, ejusque (absque omni divinæ offensionis concitatione) exigendæ munus magistratibus (data prius venia) deferebant. Proditori tantummodo ac domini desertori hanc mitiorem pœnam haud infligendam existimarunt; quippe qui ejusmodi viro minime parcendum censuerunt: tum quod Deus contemptores sui omni miseratione indignos voluit, tum quod Christus illorum qui ei mortem obtulerunt, non est omnino misertus: dominum vero præ ceteris colendum statuit. Hi igitur multis quidem in concionibus singulorum scelerum pœnas constituerunt, easdemque literarum monumentis commendarunt.

odorū Anglia nus s.

Has ego Alvredus rex sanctiones in unum collegi, atque easdem literis mandavi, quarum bonam certe partem majores nostri religiose coluerunt. Multa etiam mihi digna videntur quæ a nobis hac etiam ætate pari religione observentur: nonnulla tamen quæ nobis minus commoda videbantur ex consulto sapientum partim antiquanda, partim innovanda curavi. Ac quoniam temeritatis videatur ex suis ipsius decretis quemquam plura literarum monumentis consignare, tum etiam incertum sit qualem apud posteros habitura sint fidem quæ nos magni facimus: quæcumque in actis Inæ gentilis mei, Offæ Merciorum regis, vel Ethelberti (qui primus Anglorum sacro tinctus est baptismate) observatu digna deprehendi, ea collegi omnia, reliqua plane omisi. Atque in istis discernendis, ego Alvredus occidentalium Saxonum rex, prudentissimorum e nostris consilio usus sum, atque iis omnibus placuit edici eorum observationem. Consilium Alvredi in condendis his legibus. Quos secutus sit.

LEGES ECCLESIASTICÆ ALVREDI MAGNI REGIS ANGLORVM e civilibus suis aliis deceptæ.

TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I

In primis (ut quidem est apprime necessarium) jurisjurandi, & dati pignoris religionem, omnibus

nibus studiose ac diligenter curandam proponimus: tum si quis necessitate coactus juraverit, pignusve posuerit, quo is ad insidias domino suo parandas, vel ad opem injuste cuivis afferendam astringatur, resiliat potius, quam cœpto insistat suademus. At si spoponderit quod juste & legitime præstare poterit, neque præstiterit, arma fortunasque suas omnes amicorum fidei concredito, ipse in custodiam regiam 40. dies mittitor, subiturus id supplicii quod ei episcopus pro meritis imposuerit. Hic si ex proprio non habuerit quod edat, cognati ei cibum suppeditanto. Sin etiam cognati [si quos habuerit] ejus victui suppeditando impares fuerint, ipsum præpositus regius sustentato. Atqui si ad armorum deditionem vi vinclisque constrictus perpellatur, armis & rebus suis omnibus mulctator: & si contumaciter resistendo mortem occubuerit, solutio æstimationis capitis ejus non esto. Sin fugam agitarit, fugientemque anteverterint, 40. dies in carcerem (ut quidem antea fieri oportuit) conjicitor. Verum si fuga elapsus fuerit, ab omni legis patrocinio destitutus habetor, atque in omnibus Christi ecclesiis anathema esto. Quod si quisquam alius pro eo fidem dederit, pœnas fidejussionis violatæ dato, & fidei læsæ supplicium quod ei fuerit a sacerdote imperatum subito.

II.

Criminis cujuscumque noxius (si quidem id villam regis, aut familiam honoratam aliquam non attingat) si ad fanum confugerit, tres noctes quibus saluti suæ prospiciat (ni interim in gratiam redierit) ibi maneto. Ac si quis eum per id temporis plagarum, vinclorum, aut vulnerum metu profligarit, mulcta, vel ipsa capitis æstimatione, prout ejus gentis feret consuetudo, noxiam omnium sarcito: fani porro æditius 120. solidorum numeratione pacis ecclesiæ violatæ pœnas luito.

III.

Qui fidejussionem regi oblatam violarit, noxiam prout æquum fuerit sarcito, & ipsa fidejussionis violatio quinque libris Merciorum denariorum pensator. Violatio fidejussionis aut pacis archiepiscopo datæ, 3. libris æstimator: episcopis aut senatoribus, duarum librarum censetor.

IV.

Vnicuique porro templo religiose ab episcopo consecrato hanc pacem concedimus. Si quis alteri inimicatur, isque templi suffugium implorarit, per septem dies a nemine abstrahitor, si quidem præ fame vivere possit, & viam vi non aperuerit. Qui secus fecerit, violationis pacis regis & ecclesiæ tenetor, & criminis etiam gravioris, si quid inde rapuerit. Quin si æditius magnopere fuerit illo loco utendum, illum alia in domo, quæ plura non habeat ostia quam ipsum templum, inclusum curanto, fanoque præpositus: ei interim cibus ne suppeditetur, videto. Verumtamen si is in ditionem adversariorum arma sua dedere voluerit, 30. diebus incolumem illi eum custodiunto, & tum demum cognatorum in manus tradunto. Porro autem hoc pacis beneficio ecclesia fruitor. Si quis commissi alicujus maleficii, prius tamen non patefacti conscius, ad templum confugerit, idemque in Dei nomine fassus fuerit, dimidium mulctæ ei remittitor.

V.

Qui in templo quid clepserit, simplicem rei surreptæ valorem solvito, mulctam precio rei congruam pendito, & manus quacum furatus est ei præciditor. Qui si manum precio redimere voluerit, idque ei concedatur, proprii capitis æstimatione data id facito. Qui die dominico, festo nati-

A vitatis Domini, aut paschatis sacrosancto Iovis die, aut diebus lustrationis, furtum admiserit, perinde ac si tempore quadragesimæ id flagitii perpetrasset, duplo noxiam sarcito.

VI.

Qui monialem de cœnobio citra bonam regis aut episcopi veniam eduxerit, 120. solidos numerato, quorum 60. regi dantor, residui episcopo & ipsi cœnobii præfecto. Femina vero & infans, si quem procrearit, etsi raptore mortuo superstites fuerint, omni tamen fortunarum ejus parte excidunto. Infans porro si quando occidatur, eam æstimationis capitis partem quæ ad maternam cognationem spectabit rex habeto, paterni vero

B consanguinei propriam ipsorum partem consequuntor.

VII.

Si quis uxorem viri 1200. solidis æstimati pellexerit, dato eo nomine ejus viro 120. solidos. Si cum uxore hominis qui 600. censetur solidis fornicetur, pendito solidos centum. Si quis cum uxore hominis pagani rem habuerit, 40. solidos solvito. Atque solutio hæc tota, pecude præstanda est: homo tamen propterea ne venditor.

VIII.

Qui mamillas uxoris viri cujuscumque pagani manu tractarit petulanti, feminæ solidos sex numerato. Eam si is humi prostrarit, nec tamen cum

C illa rem habuerit, 10. solidos pendito. Sin cum ea coierit, 60. solidorum pœna esto. Et si quis alius eam prius adulteratus est, 30. tamen solidis noxiam sarcito. Is porro si propterea in jus vocetur, aut pro ratione 60. hydarum criminationem diluito, aut mulctæ partem dimidiam pendito. Illud ipsum si mulieri illustriori familia oriundæ contigerit, mucta [prout ejus fuerit capitis æstimatio] augetor.

IX.

Qui præsente archiepiscopo dimicarit, ferrumve distrinxerit, 150. solidis mulctator: sin præsente episcopo aut senatore pugnatum fuerit, 100. solidis culpa pensator.

D X.

Qui monialis vestem, aut illius ubera invitæ manu tractarit petulanti, quod ei qui feminam plebeiam contrectarit imperavimus, id duplum præstato.

XI.

Si quis monacho citra bonam cœnobiarchæ veniam pecuniam concrediderit, eaque funditus perierit, illius damno sit qui commisit.

XII.

Sacerdos si quempiam interfecerit, eorum omnium quæ ope domicilii fretus acquisierit, confiscatio sequitor; eumque gradu spoliatum episcopus e fano pellito, ni dominus data capitis æstimatione

E veniam illi exorarit.

XIII.

Qui per vim pagani hominis ancillam stuprarit, pagano solidos senos numerato, & 60. præterea solidis mulctator. Servus si servulam stuprarit, virga virilis ei præciditor. Qui teneræ ætatis virginem stuprarit, eadem lege tenetor qua is qui adultam compresserit.

XIV.

Si quis Deo sese religione obstrinxerit, eumque alius criminetur, eorum aliquid quæ nuncuparat non persolvisse, ipse primus in quatuor templis ejus rei fidem jurejurando firmato, tum alter (si se criminis suspicione liberare voluerit) in duodecim templis id facito.

XV.

XV.

Si quis coram senatore regio in frequenti plebis concione dimicarit, tum capitis æstimationem, tum mulctam, prout æquum fuerit, præstato: & senatori 120. solidos numerato. Qui coactam populi concionem armorum extractione commoverit, dato senatori 120. solidos. Hoc ipsum si præsente alio quocumque in locum ejus substituto, aut coram sacerdote regio evenerit, 30. solidis culpa pensator.

XVI.

Pacis in urbe regia violatæ pœna 120. solidorum esto: in urbe archiepiscopi, 90. solidorum: in urbe episcopi aut senatoris, 60. solidorum censeatur. Pacis violatio in villa hominis 1200. solidis æstimati, 30. solidis pensator: in villa ejus qui 600. censetur solidis, 15. solidorum solutione sarcitor. Qui pagani sepem perruperit, 5. solidis mulctator. Si tale quidpiam in profectione militari, aut tempore quadragesimæ delinquitur, duplo compensator. Qui tempore quadragesimæ velum sacrosanctum venia non impetrata coram avulserit, 120. solidos dato. Quadragesima.

XVII.

Qui terram habuerit per scripturæ seriem sibi a majoribus relictam; ab heredibus ad alios alienandi potestas ei non esto, si quidem præsentibus cognatis coram rege, aut episcopo, scriptura aut testimonio probetur, omni alienatione ei interdixisse illum qui prius concessit, talemque ei imposuisse legem cum primo dederit. Prisca episcopi reverentia.

XVIII.

Hisce diebus sequentibus festa liberis & ingenuis omnibus licentia conceditor: servis autem atque iis qui sunt legitima officiorum servitute obligati, non item. Duodecim dies a festo natali Domini. Dies ille quo Christus subegit diabolum. Dies quo agitur anniversarius beati Gregorii festus. Dies ante festum paschatis septem, & totidem dies festum illud insequentes. Dies festus beatorum Petri & Pauli. In autumno integra quæ est ante festum Mariæ septimana. Dies festus omnium sanctorum. Quatuor autem diebus mercurialibus in quatuor illis septimanis quibus publicum edici solet jejunium, servis omnibus festa dator licentia, ut omnem eorum operam in illorum insumant utilitatem, a quibus antehac in Dei nomine beneficia acceperint, aut de quibus in posterum ex collocata eorum opera bene promereantur.

ANTIQUA VERSIO ISTARUM
Aluredi magni legum, juxta regii codicis & Iornalensis manuscriptorum exemplaria.

Iornalensem hic secuti sumus, quod capitum titulos exhibet, qui in regio desiderantur: regii tamen varietates in interiori margine annotavimus.

TITULI LEGUM ECCLESIASTICARUM SECUNDUM IORNALENSEM.

LEGES ECCLESIASTICÆ ALVREDI REGIS.

I.

In primis, quod maxime necessarium est cuicumque fidelium, fidem & juramentum suum, multa, ut convenit, observantia custodire. Si quis tamen ad alterutrum cogatur injuste, vel ad proditionem domini, vel injustum aliquod adjutorium, rectius est C hoc ementiri quam implere. Si quis autem vadiet quod fieri justum sit, & transgrediatur: committat arma sua, & pecuniam amicis suis in custodiam, & sit quadraginta noctibus in carcere ad mansionem regiam. & pœniteat ibi secundum jussionem episcopi sui, & parentes ejus pascant eum, si ipse victum non habeat. Si parentes non habeat aut cibum, præpositus regis procuret eum: & si cogi oporteat, & aliter nolit, si ligetur, perdat arma sua cum tota pecunia sua; si occidatur, inultus jaceat: si aufugerit ante terminum, & item capiatur, sit quadraginta noctibus in carcere, ut ante debuerat. Si amittatur, sit * forbannitus, & excommunicatus ab omnibus Christi ecclesiis. Si tunc aliquis ple- D gius intersit, emendet infractionem plegii, sicut rectum edocebit, & infracturam vadii secundum pœnitentiæ censuram. *R. forisbannitus

II.

Si quis ad ecclesiæ mansionem pro quacumque culpa confugiat, quæ ad firmam regis * non pertineat, vel alteri commodo deserviat, & venialis sit, habeat * trium noctium terminum cavendi sibi, nisi reconciliari quæsierit. Si quis * in hunc terminum malignaverit * eum vinculis aut verberibus emendet secundum eorum rectitudinem patriæ, vvera, vvita, & ecclesiæ ministris centum viginti solidos, pro infractione pacis. * deest non * tres noctes * infra * ei

III.

Si quis † plegium regis infringat, emendet incul- E pationem, sicut rectum est, & infractionem plegii 5. libris Merciorum denariorum. archiepiscopi † *Borthbrice* sive † *Mundbrice* emendetur 3. libris: aliorum episcoporum vel comitum, 2. libris. † Fidejussionem datam. † Fidejussio. † Pacis violatio.

IV.

Item statuimus omni ecclesiæ dedicatæ, pacem habeat. Si quis factiosus incurrat, vel ad eam confugiat, nullus eum septem diebus contingat vel extrahat. Si quis hoc præsumat, culpabilis sit infractionis regiæ pacis & ecclesiæ: & amplius, si forisfaciat; amplius, si pro fame vivere possit, si non *in prælietur. Si æditui majus opus habeant * ecclesiæ suæ, custodiant eum in alia domo quæ non habeat plura ostia quam ecclesia, & caveat ipsius eccle- *inde prælietur. * ecclesiam suam.

siæ senior ne interim reum pascant. Si inimicis suis arma sua reddiderit, & se dederit, servetur triginta noctibus, & parentibus & amicis suis * offeratur.

* interim offeratur.

Item qui ad ecclesiam confugiet pro quacumque culpa quę non * propalata sit, & eam in nomine Domini gratis * confitetur, dimidium forisfacti condonetur ei.

* nondum propalata
* confitebitur,

V.

Qui furatur die dominica vel in sancto natali, vel in pascha, vel * in ascensione Domini, in quolibet eorum, volumus dupliciter emendandum sit, sicut in quadragesimali jejunio.

* in sancto die Iovis in ascen.

VI.

Si quis in ecclesia furetur aliquid, restituat hoc semel, & forisfactum sicut ad angildum pertinet: & amputetur ei manus de qua furatus [est.] Si manum redimere velit, & hoc ei permittatur, componat sicut ad vveram ejus pertinebit.

VII.

Si quis sanctimonialem ab ecclesia duxerit sine licentia regis aut episcopi, det centum viginti solidos, dimidium regi, dimidium episcopo, & ipsius ecclesiæ domino cujus monacha fuit. Si ipsa diutius vivat quam qui eam abduxit, nihil de pecunia ejus habeat. Si infantem procreaverint, nihil inde habeat infans, sicut nec mater ejus. Si puer eorum occidatur, habeat partem rex maternæ cognationis, parentes patris partem suam habeant.

VIII.

Si quis fornicetur cum uxore hominis † *Tvvelfhindes* emendet ipse marito 120. solidis: homini † *Sexhindo* 100. solidis: † *cyrlisco* 60. solidis emendet, & hoc in viventi † capitali componatur, & nemo vendatur pro eo.

† qui 1200. æstimatur.
* qui 600.
* Pagano.
* pecude.

IX.

Si quis * cyrliscæ feminæ pectus apprehendat, 5. solidis emendetur ei. Si supinet eam, nec tamen concumbat cum ea, decem solidis emendet. Si concubuerit, sexaginta solidis emendet ei. Si aliquis cum ea jacuerit antea, sit emendato medietas hoc. Si accusetur inde, * adlegiet se per sexaginta hydas, vel dimidium emendationis amittat. Si hoc in nobilius oriunda muliere contigerit, crescat emendatio sicut ejus natalis ingenuitas erat.

* purget
* paganæ

X.

Si quis coram archiepiscopo pugnet, vel arma extrahat, emendet 130. solidis. Si coram alio episcopo vel aldermanno faciat, 120. solidis emendetur.

XI.

Si quis nunnam causa fornicationis in vestes aut in sinum sine licentia comprehendat, sit hoc duplo emendabile, sicut ante simpliciter de laica decrevimus.

XII.

Si quis alterius monacho pecuniam commendavit sine licentia domini ipsius monachi, & amittatur, nihil inde recipiat qui commisit ei.

XIII.

Si presbyter hominem occidat, capiatur, & totum unde sibi mansionem emerat: & exordinet eum episcopus, & ab ecclesia reddatur, nisi dominus suus componere velit vveram ejus.

XIV.

Si quis ceorlus mancipium ad violentum concubitum comminetur, emendet ipsi ceorlo, id est rustico 5. solidis & sexaginta solidis vvitæ.

XV.

Si servus servam cogat ad violentiam perferendam, castretur.

XVI.

Si quis alii Dei plegium intentet. [*id est, eum criminetur qui Deo se obstrinxerit in famulatum*] & compellare velit quod ei aliquod eorum non compleverit, perjuret hoc in quatuor ecclesiis; & si alius se purgare velit, in duodecim ecclesiis hoc faciat.

XVII.

Regis *Burgchbreche* [*id est, pacis in regio burgo violatio*] est centum viginti solidorum. [*in Burgo*] archiepiscopi, 90. solidorum: episcopi & aldermanni quem Latine comitem vel seniorem dicunt, 60. solidorum: *Tvvelfhindi* [*id est, ejus qui 120. solidis æstimatur*,] 30. solidorum: *Sexhindi* hominis, 15. solidorum.

XVIII.

Ceorli ederbrece, id est, rustici sepis fractio 5. solidis emendetur. Si horum aliquid eveniat quando exercitus foris est, vel in quadragesimali jejunio, sit dupliciter emendandum.

XIX.

Si quis in quadragesima sanctum velum in populo sine recto deponat, emendet 120. solidis.

XX.

Omnibus liberis hominibus dies isti condonati sunt, præter servos & pauperes operarios: 12. dies in sancto natali Domini, & dies in qua Dominus Iesus de diabolo triumphavit: & sancti Gregorii memorialis dies, & septem dies in pascha, & septem supra: & unus dies in festo apostolorum Petri & Pauli: & in Augusto plena hebdomada ante festum sanctæ Mariæ: & in omnium sanctorum veneratione, 1. dies; & quatuor dies Mercurii in 4. legitimis jejuniis, servis omnibus indulti sunt dare cui magis voluerint; vel qui eis pro nomine Domini aliquid benefecerint, vel ipsi deservire potuerint in aliqua portione vicis suæ.

LEGES ECCLESIASTICÆ AB ALVREDO magno rege Anglorum, & Guthurno rege Anglodanorum in concilio quo fœdus inierunt sancitæ.

Desiderantur in Lambardi ἀρχαιονομίᾳ, sed hic addidimus ex historia Iornalensi seu Ierlanensi manuscripto.

TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM.

XVII. *De*

XVII. *De ordinatis vel alienigenis in aliquo de pecunia vel vita seductis.* Ll. Sax. cap. 12.

PRÆFATIO.

† id est qui & Guthurnus Gutrum, &c. Rex fuit Danorum, cui ad fidē Christi converso Æthelstani nomen impositum est ab Aluredo qui eum e sacro fonte suscepit, partemque regni concessit.

Hoc est concilium quod Aluredus rex & † Gedrun rex elegerunt & condixerunt, cum Angli & Dani ad pacem & concordiam plene convenerunt, & sapientes, & qui postea successerunt, sæpius hoc & assidue renovantes in bonum semper adduxerunt.

LEGES ECCLESIASTICÆ ALVREDI ET GVTHVRNI REGVM.

I.

In primis est ut unum Deum diligere velint, & B omni paganismo sedulo renuntiare. Et instituerunt sæcularem justitiam pro eo quod sciebant, quod non poterant multi aliter castigari, plures vero nolebant ad Dei cultum, sicut deberent, aliter inclinare. Et sæcularem emendationem instituerunt communem Christo & regi, ubicumque recusabitur lex Dei juste servari secundum dictionem episcopi. Et hoc est primum edictum ecclesiæ, pax inter parietes suos, & regis * *Hangrid* semper inconvulsa permaneat.

II.

Si quis Christianitatem suam male mutat, ut paganismum veneretur verbis vel operibus, reddat sic vveram, sic vvitam, sic lashlite secundum quod factum sit.

III.

Et si quis ordinatus furetur, vel prælietur, vel perjuret, vel fornicetur, emendet sicut factum erit sic vveram, sic vvitam, sic lashlite, & erga Deum saltem emendet juxta sanctorum Canonum doctrinam, & plegium faciat inde, vel mittatur in carcerem.

IV.

Et si presbyter populum suum misdoceat de festo vel jejunio, reddat 30. solidos cum Anglis, & cum Dacis 3. dimidias marcas.

V.

Si presbyter ad rectum terminum sanctum chrisma non perquirat, vel baptismum perneget ei cui necesse sit, reddat vvitam cum Anglis, & cum Dacis lashlite, id est 12. oras. Et de sublegereis sapientes instituerunt, ut rex habeat superiorem, & episcopus inferiorem, nisi dignius emendetur pro Deo & pro sæculo juxta modum facti, sicut episcopus docebit.

VI.

Si duo fratres vel duo cognati cum una aliqua fornicentur, emendent in omni mansuetudine, sicut eis permittetur; sit vvita, sit lashlite, secundum modum facti.

VII.

† Hoc non reperitur in Saxonico, aut in fœdere Edvvardi apud Lamb.

† Et si ordinatus homo se forisfaciat, in morte plectendus actibus exsuperetur, & episcopi judicio reservetur.

VIII.

Et si quis reus mortis profiteri desideret sacerdoti, numquam negetur ei, & omnes rectitudines Dei pacificentur sedulo per Dei misericordiam, & per vvitam quam sapientes addicent.

IX.

† *id est* nūmum Romanum, vel denarium S. Petri

Et si quis decimam contra teneat, reddat lashlite cum Dacis, vvitam cum Anglis. Si quis Romfeih † superteneat, reddat lashlite cum Dacis, vvitam cum Anglis. Si quis non reddat symbolum luminis, reddat lashlite cum Dacis, vvitam cum Anglis. Si quis Dei rectitudines aliquas disforciet, reddat lashlite cum Dacis, vvitam cum Anglis. Si contra stet, ut hominem vulneret, de vvita componat. Si

A aliquem dejiciat in mortem, sit utlaga ut exlex, & persequatur eum cum clamore omnis qui rectum amat. Et si faciat ut occidatur pro eo quod contra rectum, & regis imperium stet, si hoc *probetur* jaciat egilde.

X.

Si quis in die dominica negotiationem facere præsumat, perdat ipsum capitale, & 12. oras cum Dacis, & 30. solidos cum Anglis.

XI.

Si liber diebus festis operetur, perdat libertatem suam, vvitam vel lashlite, servus corium perdat vel hidgildum. Si dominus servum suum cogat festis diebus operari, reddat idem dominus lashlite cum Dacis, & vvitam cum Anglis.

XII.

Si liber homo rectum jejunium frangat, reddat vvitam vel lashlite: si servus hoc faciat, perdat corium suum vel hidgildum.

XIII.

Ordalium & jusjurandum festis diebus & legitimis jejuniis legibus est interdictum. Et qui hoc fregerit, reddat lashlite cum Dacis, vvitam cum Anglis.

XIV.

Si fieri possit, numquam occidatur aliquis in festo dominicæ diei, quidquid peccaverit, sed capiatur & servetur donec transeat festa dies.

XV.

Si quis forisfactus, & de membris disfactus dimit- C tatur, & idem post afflictionem per quatuor noctes vivat, potest ei deinceps per episcopi licentiam subveniri, si quis ejus doloribus & animæ condescendat.

XVI.

Si sortilegæ vel incantatrices, perjuri & venefici, fœdæ, fœtidæ, vel meretrices alicubi compereant, relegentur de patria, desperent omnia, nisi cessent, & profundius emendent.

XVII.

Si ordinatus vel alienigena seducatur in aliquo de pecunia, vel vita, tunc debet ei adesse rex vel comes illius terræ, & episcopus gentis illius pro cognatione & advocato, si penitus alium non habeat, D & emendet sedulo juxta modum facti Christo, & regi, sicut docebit, vel illud factum profunde nimis vindicet, qui rex sit in populo.

SYNODVS LANDAVENSIS sub Guruan X. Landaviæ episcopo.

In qua Teudur rex Brechemaniæ ob homicidium & perjurium excommunicatur.

De annis quibus habitæ sūt sequentes synodi non constat, propter regum & antistitum qui in eisdem nominantur obscuritatem

Reges Teudur filius Rein & Elgistel filius August, reges Brechemanc, juraverunt super altare sancti Dubricii per sancta sanctorum, antepositis sacris voluminibus & reliquiis, quod nullus alteri insidiasset, & quod firmam pacem inter se E tenerent sine dolo, & præsente Gurvanno episcopo cum clericis suis, & tali pacto insuper, quod si unus alteri dolum faceret, totam suam hereditatem quietam clamaret, & iret in peregrinationem viduato regno suo, & mansurus semper in exilio. Post hæc diabolus, qui patrem nostrum Adam primum parentem nostrum subdola admonitione sua projecit de paradiso, id est, de sede deliciarum cum pace quieta; ille idem fecit fraude sua quod Teudur rex rupta pace occidit Elgist filium August, utrumque faciens homicidium simul & perjurium.

Quo facto audito episcopus Gurvan, simul cum clero suo, homicidium simul & perjurium excommunicavit, denudando altaria Dei, & prosternendo cruces ad terram, simul & reliquias sanctorum, ablata sibi tota cōmunione Christiana. Post hæc videns rex Teudur

Teudur pati non posse maledictionem & iustitiæ rigorem, quæsivit veniam compuncto corde cum effusis lacrymis: & imposito sibi jugo pœnitentiæ ad modum qualitatis & quantitatis, ne terra sua despoliata fieret carens principe, consilio fratrum totius parochiæ, illum fecit remanere in regno, emendaturum in omnibus suum scelus eleemosyna, & oratione, & jejunio. Rex Teudur in primis offert Deo, data sibi tanta remissione, & sancto Dubricio & Gurvanno, & suis omnibus successoribus in ecclesia Landaviæ & sanctorum Dubricii & Teliavi, *Lan Michael tre fcerian* cum sua tota terra, & cum omni sua libertate, & tota communione in campo & in silvis, in aqua & in pascuis, sine ullo censu homini terreno, nisi ecclesiæ Landaviæ & pastoribus ejus. De clericis testes sunt Gurvan episcopus, Eluid, Cuan, Concu, Concu. De laicis Teudur rex, Conurit filius Concolen, Petran, Elviu, Bacuc. Quicumque custodierit, benedicatur: qui autem ab ecclesia Landaviæ separaverit, anathema sit. Finis illius est de via magna qu e est ab Austro per spineum rubum inde usque ad rivulum *Tanguel*, qui est ab Aquilone. *&c.*

SYNODVS LANDAVENSIS SVB BERTHGVINO XIV. ibidem episcopo.

In qua Clotri regem causa homicidii & periurii excommunicat, &c.

SESSIO DVPLEX.

REGES Clotri & Lundguallaun antepositis euangeliis sacris, & reliquiis super altare Gartbenni coram episcopo Berthguino, simul cum clero juraverunt ut simul inter se firmam pacem tenerent, sine dolo & damno in omnibus. Et tali pacto, ut quisquis illorum rumperet, totum regnum suum quietum clamaret, pergens in peregrinationem usque ad finem[vitæ]in exilio, nec posset redimere se, neque regnum auro nec argento. Post intervallum occidit rex Clotri rupta pace sua Lundguallaun, utrumque faciens homicidium & perjurium fraude subdola.

Audito tam grandi facinore, & violata pace surrexit episcopus, & fecit convenire ad sacram synodum Landaviæ omnes clericos totius parochiæ ab ostio *Taratyr* super Gui usque ad ripam *Tyvi*, & plena synodo excommunicavit regem cum sua progenie simul & regnum, denudando altaria Dei, & deponendo cruces ad terram, & dimisit patriam sine baptismo & communione. Post hæc rex non potuit pati tantam excommunicationem, quæsivitque veniam cum magna devotione: & advocavit episcopum Berthguinum cum tribus abbatibus suis, Sulgen abbate Carbani vallis, Saturn abbate Docunni, Gurhaval abbate Ilduti, ut venirent obviam ad ecclesiam Gartbenni: ut sicut eam violaverat, & ejus refugium, faciens homcidium & perjurium, ex alia parte faceret, eam emendatam, sufferens divinum judicium cum emendatione, tam corpore, quam anima, cum jejunio, & oratione, & eleemosyna. Qui postquam venerunt ad ecclesiam Gartbenni, judicaverunt illum transgressorem mandatorum Dei, ut quod promiserat jurando, & simul voverat, sacramento faceret sine aliquo obstaculo. Et obtemperans Deo, & mandatis Dei, & episcopi, reliquit patriam, & ivit in peregrinationem. Et post multum temporis rediit ad patriam suam, & quæsivit veniam apud episcopum per Morcant regem intercessorem suum; & audita ejus prece dimisit eum in patriam emendaturum se in omnibus, & facturum condignam justitiam. Et accepto sibi jugo pœnitentiæ in omnibus, immolavit Deo & sanctis Dubricio, Teliavo, Oudoceo, & Berthguino episcopo, & omnibus sibi succedentibus in ecclesia Landaviæ agrum *Helic*....cum tribus unciis agri, & agrum Tencu cum duabus unciis agri, cum omni libertate sua & tota communione pervia incolis in campo & in silvis, in aqua & in pascuis. De clericis testes Berthguinus episcopus cum tribus abbatibus suis prædictis. De laicis, Clotri, Morcant, Iaco, Guednerth, *&c.* Qui custodierit, custodiat eum Deus: qui hæc ab ecclesia Landaviæ separaverit, anathema sit. *Amen.*

SYNODVS ALIA LANDAVENSIS SVB BERTHGVINO XIV. ibidem episcopo.

In qua Gurcan ob incestum cum noverca sua excommunicatur, &c.

POST obitum Guinan, tenuit Gurcan regionem patris sui, simul & novercam incestuose, propter quam excommunicatus est a Berthguino episcopo, & a plena synodo congregata in unum Landaviæ ab ostio *Taratyr* usque ad ostium *Tyvi*. Et facta excommunicatione, & depositis crucibus ad terram cum sanctis reliquiis, & versis cymbalis, requisivit veniam, & resolutionem, dimissa noverca cum satisfactione, per regem Iudhailum intercessorem suum. Et data ei venia cum emendatione vitæ, jejunio, & oratione, & eleemosyna, dedit terram *Machinis* agrum sex modiorum Deo & Petro apostolo, & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & episcopo Berthguino, & omnibus successoribus suis in ecclesia Landaviæ in perpetuo, cum tota sua libertate, & omni communione, in campo & in aquis, in silva & in pascuis, & ita quod ipse juravit numquam retracturus hanc eleemosynam, & ita super altare sancti Petri, & sanctorum Dubricii, Teliavi, Oudocei Landaviæ: & facta sibi excommunicatione, quicumque de linea sua, aut de alia origine ab ecclesia Landaviæ separaverit. Et recepit uxorem propriam filiam Elfin. De clericis testes sunt Berthguinus episcopus, *&c.* De laicis, Iudhail rex, Gurcan, Gabran, Elfin, Elguarvi. Quicumque custodierit, custodiat illum Deus; qui hæc ab ecclesia Landaviæ separaverit, anathema sit. *Amen.*

SYNODVS LANDAVENSIS SVB CERENHIR XVIII. ibidem episcopo.

In qua Hovel rex Gleviſſicg homicidii & perjurii causa excommunicatur, &c.

COGNITUM sit omnibus Christianis regibus & principibus, & catholicis viris utriusque ordinis, tum clericalis, tum laicalis, in dextra parte Britanniæ maxime habitantibus, quod Gallun filius Cidrich motus ira & furore surrexit contra dominum suum elevato suo capite, Hovel videlicet regem Glevissicg filium Ris, rupta sua pace, & voluit ei auferre terram *Lan Tivei* vi sua & fortitudine. Et audita lite & contentione inter regem & principem per totam regionem, hortatus est Derenhir episcopus Landaviæ eos concordari facta pace. Et ei obtemperantes, audita pace venerunt ad Landaviam cum magno milite, & super altare sanctorum Dubricii, Teliavi, & Oudocei, antepositis sacris euangeliis, juraverunt pacem amplius sine aliqua fraude & insidiis, præsentibus tribus abbatibus, Elisael abbate Catoci, Elisæo abbate Ilduti....abbate Docunni, Civaret lectore, Guerngern, Rind, Esne, Pascen: præsentibus

sentibus laicis Mor, Morchitir, Iudeant, Embresel. A

ANNO CHRISTI ....

Post hæc rex Hovel rupta sua pace, faciens utrumque homicidium simul & perjurium, occidit Gallun per dolum. Et occiso eo, congregavit episcopus totam synodum apud Landaviam, congregatis in unum clericis totius parochiæ ab ostio *Taratyr in gny* ad ostium *Tyvi*, omnibus & una voce depositis crucibus ad terram, & versis cymbalis simul cum reliquiis sanctorum ablatis altari, & projectis in terram, excommunicavit regem, auferens ei totam Christianam communionem: & in eadem excommunicatione mansit fere per annum integrum.

Post hæc rex non sustinens tantam excommunicationem, meritis suis exigentibus, quæsivit veniam apud Landaviam nudis pedibus cum effusis lacrymis. Et data venia ei cum juncta pœnitentia publica, homicidii simul & adulterii, consilio patruelis B sui Mourici, promittens emendationem tam animæ quam corporis amplius in jejunio, & oratione, & eleemosyna, largitus est Deo & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & in manu Cerenhir episcopi, & omnibus episcopis Landaviæ in perpetuo, coram prædictis & attestantibus illis omnibus *Merthirbuceil*, & *Merthir Mivor*, cum 4. modiis terræ circa se, & semimodium *Tircollou*.... cum sua tota libertate, sine ullo censu ulli homini terreno, & nisi ecclesiæ Landaviæ & pastoribus ejus, & tota communione in campo, & in siluis, in aqua, & in pascuis. Quicumque custodierit, benedictus sit: quicumque violaverit, maledictus sit. *Amen.*

SYNODVS ALIA LANDAVENSIS sub CERENHIRO XVIII. ibidem episcopo.

C

Ili filius Conbli homicidii & periurii causa excommunicatur, &c.

REGNANTE rege Mourico Gleuissicg filio Iudhail, convenerunt Ili filius Conblus simul & Camauc ad monasterium Landaviæ, & præsente Cerenhiro episcopo cum suo clero firmaverunt pacem suam, deleta & oblita veterrima inimicitia, jurantes ambo super altare Petri apostoli, & sanctorum Dubricii, Teliavi, Oudocei, antepositis sacris euangeliis, & sanctorum reliquiis. Post intervallum, ille qui stabat in præsentia Dei cum gaudio in cælesti paradiso, & per semetipsum præsumendo, dicens: *Ponam sedem meam in Aquilone, & ero similis Altissimo*: & candens livore & superbia traxit secum de summo throno partem ad barathrum de consentientibus sibi immundis spiritibus, partem misit in aera: & qui Adam protoparentem nostrum factum verbo Dei æternum, & sanctum positum in sede deliciarum cum summa felicitate & gaudio, decepit fraude sua subdola, & projectum de paradiso cum uxore, egentem & tristem amisso suo gaudio: ille idem antiquus hostis, stimulo invidiæ suæ adhuc remanente, & in prole fecit prædictis discordari rupta pace sua: in tantum quod Ili membrum antichristi, occidit Camauc insidiose, utrumque faciens homicidium simul & perjurium.

Isaie 14.

Post hæc, audita fama nequitiæ & impietatis per totum regnum, episcopus Cerenhir adunavit totum clerum totius parochiæ infra *Taratyr* super ripam *Guy* & ostium *Tyvi*, apud Landaviam, & consilio totius synodi abstulit prædicto Ili homicidæ & perjuro, depositis crucibus ad terram, simul & reliquiis sanctorum cum cymbalis, totam Christianorum communionem, & participationem: & ita per aliquantulum temporis remansit excommunicatus, & vi & rigore justitiæ compulsus, non valens amplius sustinere sarcinam nequitiæ & facinus, requisivit veniam effusis lacrymis cum nudis pedibus apud episcopum Cerenhir in Landavia. Et data sibi venia & pœnitentia, ad modum utriusque culpæ homicidii & adulterii, simul & excommunicationis, stans in medio ecclesiæ promisit emendaturum se in omnibus jejunio, & oratione, & eleemosyna: & verbo Mourici regis & consensu largitus est Deo pro salute animæ suæ, & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & in manu Cerenhir episcopi, & omnibus episcopis Landaviæ in perpetuo, villam *Gulipple* minorem cum sua tota libertate, & omni communione, in campo & in silvis, in aqua & in pascuis. De clericis testes sunt Cerenhir episcopus, Chsael abbas Catoci, Elised abbas Ilduti, ... abbas Docunni, *&c.* De laicis, Mouric, Ilic, Alexander Ili filius, *&c.* Quicumque custodierit, custodiat illum Deus: qui hoc ab ecclesia Landaviæ separaverit, anathema sit.

ANNO CHRISTI ....

SYNODVS LANDAVENSIS sub GVLFRIDO XX. ibidem episcopo,

ob violatum ecclesiæ patrimonium habita.

LOVMARCH filius Carguocaun deprædatus est Aperguenfrut, & cepit Eicolf filium Cinhor cum omnibus rebus suis supellectilibus. Et facta ista iniquitate cum nimia ira & fervore in territorio sanctorum Dubricii, Teliavi, Oudocei, & refugio: mandavit episcopus Gulfrid clericos ecclesiastici ordinis de omni parochia infra ostium Taratyr super ripam Gui & ripam Tyvi apud Lannoudocui. Et audita congregatione, simul & adunata pro tanta transgressione, Loumarch requisivit veniam, inclinans se ad terram flexis genibus, & effusis lacrymis coram episcopo & coram antepositis sacris reliquiis, crucibus & cymbalis, offerens se passurum & accepturum, recognoscendo delictum, canonicam sententiam & judicium.

Inito consilio cum synodo, & cum quibusdam parochiæ optimis viris laicalis ordinis, & catholicæ fidei, condonavit ei episcopus redditis sibi & suis omnibus rebus suæ vastationis, data sibi remissione, & injuncta pœnitentia ad modum culpæ; & post datam veniam Loumarch largitus est in elee- D mosyna villam *Trefiicarn pont* cum tribus modiis terræ Deo & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo in manu Gulfridi episcopi, & omnibus episcopis Landaviæ in perpetuo, cum tota sua libertate, & cum omni communione in campo, & in silvis, in aqua & pascuis, verbo & consensu Catell regis Guenti filii Artmail. De clericis testes sunt Gulfridus episcopus, Duun sacerdos, Divunguual Laun abbas Lan Euniaun, id est, Lan Oudocui, Dissaith lector, Aircoit doctor, *&c.* De laicis Catell rex, *&c.* Quicumque custodierit, *&c.*

SYNODVS LANDAVENSIS sub CIVEILLIAVC XXII. Landaviæ episcopo.

E

Adversus Brochvail regem congregata.

SCIENDVM est, quod discordia facta est inter utramque familiam Civeilliauc episcopi & Brochvail filii Mouric apud Landaviam: & facta injuria & incœpta a familia Brochvailli, motus est episcopus, & congregavit omnes clericos usque ad inferiores gradus, missis legatis per totam parochiam infra ostium Taratyr in Gui usque ad ostium Tyvi. Et adunatis illis, voluit Brochvaillum & totam familiam suam sibi forisfactam, & Deo exosam, propter suam nequitiam & injuriam excommunicare coram omni populo in plena synodo.

ANNO CHRISTI 880.

Et audiens Brochvail tantam summonitionem super se, quæsivit veniam & indulgentiam apud Landaviam: nec aliter habere potuit nisi sufferret canonicum judicium. Et discusso judicio, judicatum est episcopo precium faciei suæ longitudine & latitudine in puro auro, cum emendatione facienda familiæ suæ ad condignum honorem suum, & nobilitatem parentelæ suæ. Et rex Brochvail judicium sufferre non potuit, & alio modo aurum redemit, largiendo Deo & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & in manu Cuncilliauc episcopi villam *Tref Peren* cum sex modiis terræ, *&c.*

CONCILIVM NEMAVSENSE IN VILLA PORTV.

ADVERSVS SELVAM CLERICVM Hispanum, qui archiepiscopatum* Narbonensem affectabat, a Theodardo archiepiscopo celebratum" xv. Kalendas Decembris, sub annum Christi DCCCXXCVI.

* Tarraconensem.

" 17. Nou. Indictione quinta.

EX monumentis ecclesiæ Narbonensis constat Theodardum post susceptum anno MCCCXXCV. *pontificatum, Romam mox adiisse ad Stephanum V. papam, ab eoque pallium impetrasse, & literas contra Selvam quemdam, genere hispanum, qui pro episcopo se gerebat. Quæ autem cogendæ adversus illum synodi causa fuerit, & quinam eo antistites convenerint, docent ex iisdem monumentis excerpta quæ sequuntur.* Selva clericus Hispanus, qui se archiepiscopum fecerat, ejecto Ingoberto Vrgellitano episcopo, qui a Sigebodo fuerat consecratus, in Gerundensi etiam ecclesia pro Seruo Dei, quem Theodardus ordinarat, alium constituit nomine Ermemirum, quem ordinarunt cum Selva Frodoinus Barcinonensis, & Gotmarus Ausonensis episcopi. Ergo ordinatores ad se venire jussit B. Theodardus. Cum venire detrectarent, synodum suæ provinciæ ad xv. Kal. Decembris indixit in villa quæ Portus dicitur, sita inter Magalonem & Nemausum. Advocavit & Provinciæ episcopos. Adfuere autem Rostagnus Arelatensis, Matfridus Aquensis, Ermaldus Ebredunensis archiepiscopi; & cum eis Paulus Aptensis, Berengarius Massiliensis, & alii. Adfuit & venerabilis Theodardus habens secum Guilbertum Nemausensem, Gisleranum Carcasonensem, Elegium Albiensem, Amelium Vceticensem, Abbonem Magalonensem, Bosonem Agathensem, Agilbertum Biterrensem, Riculfum Helenensem, Gotmarum Ausonensem, Ingobertum Vrgellensem, Servum Dei Gerundensem, Bernardum Tolosanum, & Macarium Lutovensem. In hoc concilio Gotmarus veniam petiit, a Sinuario comite se inductum causatus. *Et post alia.* Contra Selvam vero & socios, episcopi, qui concilio aderant, Stephani papæ anathema renovarunt, nisi ante quadragesimam satisfacerent. Ad Sinuarium quoque comitem missa legatio, Gotmaro deferente, & benigne suscepta est. Cum enim omnia quæ gesta fuerant audiisset, regionis primarios convocavit. adfuit etiam accitus Theodardus cum aliquot episcopis in ecclesia sanctæ Mariæ Vrgellæ. Ibi Selvam juxta canones, quia se extra metropolitani sui consensum ordinari fecerat, & Ermemirum degradarunt, scissis episcopalibus indumentis, baculis eorum super eorum capita confractis, annulis cum dedecore a digitis evulsis; Frodoino Barcinonensi venia, quam humiliter postulabat, concessa. Ita Narbonem reversus est victor Theodardus.

ANNO CHRISTI 886.

CONCILIVM COLONIENSE,

CONTRA RAPTORES RERVM ECCLESIASTICARVM, oppressores pauperum, & incestas nuptias, celebratum anno Domini DCCCLXXXVII. tempore Stephani papæ V.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *De Drogone prius electo episcopo Mimidonensi, nunc confirmato.*
II. *Anathema in schismaticos & raptores ecclesiarum, ni resipiscant.*
III. *Standum esse antiquis patrum decretis.*
IV. *Ne quis res aut iura ecclesiæ usurpet.*
V. *De æquitate horum decretorum.*
VI. *De adulteris, & incestis. Tum de monialibus vitiatis.*

PRÆFATIO.

ANNO incarnationis Domini nostri Iesu Christi, octingentesimo octogesimo septimo, in ecclesia beati Petri apostolorum principis, indictione tertia, Kalendis Aprilis, convenerunt in urbe Agrippinensi una cum consensu gloriosissimi imperatoris Caroli, & Moguntinæ sedis Luidberti archiepiscopi, Vvillibertus humilis ejusdem præfatæ urbis archiepiscopus, Franco Tungrensis sedis episcopus, Odilbaldus Trajectensis sedis episcopus, Vulfelinus Mimigarnafurdensis* ecclesiæ episcopus, Drogo Mimidonensis ecclesiæ episcopus, cum consensu venerabilis Rimberti episcopi, præsentibus etiam bonæ deuotionis abbatibus, Nevolongo Indensis monasterii abbate, Andulfo Vverdinensis monasterii abbate, Folchario Aquisgrani palatii abbate, cum præfatarum sedium presbyteris & diaconibus, & laicis quibusdam religiosis, celebrata synodo, ea quæ subjecta sunt divini amoris instinctu de negotiis ecclesiasticis promulgaverunt.

* *est Monasteriensis.*

CAPITVLA.

I.

Quod clerus Mimidonensis ecclesiæ presbyterum nomine Drogonem vocatum, episcopum unanimi consensu ad episcopalem promoveri ordinem petierunt, quorum petitioni effectum præbentes, ad pastorale eum promovimus officium.

II.

Quod Franco venerabilis Tungrensis sedis episcopus, cura pastorali permotus, & divini amoris zelo succensus suggessit, sanctam Dei ecclesiam, non habentem maculam neque rugam, a schismaticis & raptoribus, qui neque Deum præ oculis habent, neque ullius verentur occursum, neque divina humanave lege a malo coercentur, sed ad omne malum præcipites feruntur, graviter vexari. Cujus suggestioni valde condolentes, illiusque zelo secundum canonicæ institutionis decreta compatientes, decrevimus, eos qui tam pertinaci stimulo irretiti sunt, ut ea mala sanctæ matri ecclesiæ inferrent, aut statuto tempore pia consideratione illorum saluti consulentes, videlicet in festivitate sancti Ioannis Baptistæ.

ANNO CHRISTI 887. ptistæ; octavo Kalendas Iulii in Foro Iulii, quando iterum Deo annuente synodus celebranda erit, pœnitentiæ & emendationi secundum priscorum statuta patrum se summittant, aut si instigante diabolo, cuius instinctu ad tam nefandum pervenerunt flagitium, hoc contempserint, perpetuo & irrevocabili eos anathemate feriendos esse denuntiamus. Eos vero, qui crebra admonitione & diuturna conventi sunt ut resipiscerent, & ad pœnitentiæ remedia confugerent, more canum ad vomitum rapacitatis absque Dei respectu reversi sunt, statuimus sine dilatione gladio anathematis esse puniendos.

III.

Hæc ita statuimus, quoniam necesse est, non transgredi terminos patrum, sed magis assensum præbere diffinitioni eorum. In decretis namque Anacleti papæ capite secundo legimus, quod omnis oppressus liberum sacerdotum, si voluerit, appellet judicium, & a nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur, & liberetur. Ex concilio Toletano quarto, capite trigesimo secundo: Episcopi in protegendis populis ac defendendis impositam sibi a Deo curam non ambigant. Ideoque dum conspiciunt iudices ac potentes, pauperum oppressores existere, sacerdotali eos commonitione redarguant. Item ex Concilio Toletano I. Si quis de potentibus clericum aut quemlibet pauperiorum, aut religiosum expoliaverit, & mandaverit eum ad se venire episcopus ut audiatur, & contempserit, mox invicem scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos, & quoscumque adire potuerint, excommunicatus habeatur ipse, donec audiat, & reddat aliena. Talium enim scelerum patratoribus, sicut in capitularibus gloriosissimorum imperatorum Caroli & Ludouici continetur, nisi post puram & publicam pœnitentiam, & per ecclesiæ satisfactionem, & per impositionem manus episcoporum, nec viuis, nec mortuis communicare debemus.

In prima decret. Et 2. q. 6. Omnis oppressus. Tol. 4. c. 32. Tol. 1. c. 11.

IV.

Vt nullus laicus, quamuis religiosus, præsumat aliquid de rebus Deo dicatis vel ecclesiæ facultatibus, id est, nec dandi basilicas, nec auferendi sine consensu episcopi habeat potestatem: neque ex dote ecclesiæ, id est, ex uno manso, & quatuor mancipiis census exigatur, sed iuxta Concilium Aurelianense primum, capite decimonono, omnes basilicæ, quæ per diuersa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum Canonum regulam, vt in eius ordinatione & potestate persistant, in cujus territorio positæ sunt. Si quis vero contra hæc venire præsumpserit, anathemate feriatur.

Aurel. 1. c. 19.

A V.

Omnibus constat manifestum fore, nos nil temeritatis neque novitatis in hac synodo, ubi in Iesu nomine, qui est salus omnium, congregati sumus, statuisse. Sed causa vestræ salutis divino admoniti instinctu ferventes, imo pastorali cura permoniti, vobismetipsis consulentes secundum divinæ institutionis normam, & juxta nobis a Deo datam sapientiam, pie & juste vivere unumquemque admonemus, quatenus B Deo reddentes quæ Dei sunt, & vos nobis, prout oportet, auxilium ferentes, nosque vobis secundum apostolum spiritualia seminantes, ad vitam pariter perveniamus æternam. 1. Cor. 9.

VI.

De incestis autem conjunctionibus, unde multimodis fines regionis nostræ circumquaque, instigante diabolo, polluuntur, secundum Agathense concilium capite sexagesimo primo, nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Ex concilio Ilerdensi capite quarto, C de his, qui se incesti pollutione commaculant, placuit quousque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseverent, usque ad Missam tantum catechumenorum in ecclesia admittantur; cum quibus etiam nec cibum sumere ulli Christianorum, sicut apostolus jussit, oportet. Quod si conventi fuerint, & ad pœnitentiæ remedia convolaverint, seque sacramento constrinxerint, ulterius tam nefanda & prorsus abominanda pollutione non esse polluendos, iterumque ad recidiva malitiæ, & vitæ pristinæ sordes relapsi fuerint, ab D episcopo civitatis comprehensi, sicut in concilio Toletano capite septimo reperitur, in cujus territorio sunt, rursum legibus pœnitentiæ in monasteriis subdantur inuiti. Quod si facere per aliquem potestatis vigorem difficile fuerit, tunc sicuti priscorum Canonum statuerunt decreta, quousque iterum resipuerint, excommunicati, & anathemate condemnati habeantur: sed & hi, qui post excommunicationem vel interdictum, cum eis communicaverint. De virginibus autem sacratis in concilio Elibertano capite decimotertio E scriptum est: Si mœchaverint virgines, quæ se Deo dedicaverint, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem servierint libidini, non intelligentes quid amiserint, placuit, nec in fine dandam eis esse communionem. Quod si semel persuasæ, ad infirmi corporis vitia lapsæ, toto tempore vitæ suæ ejusmodi feminæ egerint pœnitentiam, & abstineant se a coitu, placuit, eas in finem communionem accipere debere. Ex concilio Calchedonensi capite decimosexto, virginem, quæ se domino Deo conse-

Agath. 1. 661. 1. Cor. 5. Illiber. c. 13. 27. quæst. 1. Virgines quæ se. Et in Moguntiaco concilio tempore Caroli, c. 26. Calchedon. c. 16.

ANNO CHRISTI 887.

consecravit, non licere nuptialia jura contrahere. Quod si hoc inventa fuerit perpetrans, excommunicetur. Confitenti autem decrevimus ut habeat auctoritatem ejusdem loci episcopus misericordiam humanitatemque largiri.

ANNO CHRISTI 886.

CONCILIVM CABILONENSE

IN ECCLESIA SANCTI MARCELLI IN SVBVRBIO Cabilonensi celebratum XV. Kalendas Iunias anno Christi DCCCXXCVI.

Collocandum erat ante Nemausense in Villa Portu, ut patet ex Sirmondi nota, quam hic leges.

HVIVS *synodi mentio est in chronico monasterii Besuensis, cuius auctor ex synodi actis profert quæ sequuntur.*

Anno, incarnationis dominicæ DCCCXXCVI. anno quoque domni & serenissimi Caroli imperatoris Augusti in Gallia imperantis II. indictione "V. XV. Kalendas Iunii, sacer episcoporum conventus, ob pacem & tranquillitatem sanctæ Dei ecclesiæ statuendam, & ecclesiastica negotia decernenda, apud ecclesiam sancti Marcelli martyris in suburbio Cabilonensi in Christi nomine coadunatus est. Vbi fuerunt domni & sanctissimi archiepiscopi Aurelianus, Bernoinus, nec non & reverendissimi episcopi, Adalgarius, Geylo, Stephanus, Giraldus, Adalbaldus, Isaac, & Leboinus. Geylo denique supra memoratus Lingonensis ecclesiæ reverendus antistes, una cum suprascriptis patribus in hoc sacrosancto residens conventu, eorum auribus intimavit, qualiter domnus Isaac antecessor suus res ecclesiæ in Luco, in honore sancti Martini in sua S. synodo, a partibus sancti Martini de Luco superiore, capellæ videlicet sancti Marcellini, contra Adalardum ejusdem capellæ presbyterum, juste & legaliter evindicavit de rebus & decimis. Tunc omnes episcopi hoc audientes in commune, relationem Geylonis venerabilis episcopi, & notitiam evindicationis domni Isaac, simul consenserunt, & consentiendo roboraverunt, ut si quis temeraria sacrilegaque præsumptione convictus, atque cæca cupiditate cæcatus, hoc quod Dei & domni Isaac & nostra confirmamus auctoritate, in aliquo infringere præsumpserit, æterna se sciens damnatione multandum, & cum diabolo & angelis ejus sempiterno incendio concremandum, atque cum Iuda traditore domini, & cum Dathan & Abiron perpetuali pœna cruciandum, insuper a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ, & cætu omnium fidelium Christianorum tamdiu habeatur extorris, donec de illicita præsumptione resipiscens, condigna pœnitentia sublevetur. "**Præterea iidem episcopi confirmarunt donationes rerum, quas monasterium S. Stephani possidet in pagis Divionensi & Oscarensi, similemque anathema contra violatores pronuntiarunt.

"IV.

Ex supplemento concilior. Gall.

"** PRIVILEGIVM QVOQVE Carilocensi cœnobio in eadem synodo, hac forma concessum.

ANNO incarnationis DCCCLXXXVI. Indictione "V. cum sancta episcoporum synodus apud monasterium sancti Marcelli, de statu, honore, ac utilitate sanctæ ecclesiæ tractatura convenisset, atque inibi salubria quæque decreta sanxisset: accessit venerabilis Ingelarius abbas ex Cœnobio quod dicitur Carus-locus, estque situm in comitatu Matisconensi. Is humiliter sanctos præsules efflagitavit, ut super rebus suo monasterio delegatis, atque usibus & stipendiis mona-

"IV.

A chorum Deo servientium deputatis, suæ auctoritatis privilegium fieri decernerent. Sacri igitur pontifices devotis ejus precibus pium adhibentes auditum, eidem abbati, suisque successoribus, necnon & fratribus in præfato Cœnobio Deo famulaturis, quidquid hactenus condonatum est, aut acquisitum, & quidquid deinceps juste ac legaliter donatum fuerit, vel quæsitum, perpetuo habendum sanxerunt, & hoc decreto inviolabiliter firmaverunt. Statuerunt etiam, ut obeunte abbate, nullus inibi alius qualibet subreptionis astutia subrogetur, nisi quem fratrum unanimitas secundum Dei voluntatem & regulam sancti Benedicti elegerit. Nulli vero liceat res, aut possessiones ejusdem Cœnobii sinistro quolibet ingenio

B distrahere, vel præsumere. Si quis autem (quod non optamus) hujus privilegii destructor, aut in ejus destructione fraudulentus machinator imposterum fuerit & emerserit, salutem propriam negligens: secundum potestatem ligandi atque solvendi a Domino Iesu Christo nobis traditam, æterno vinculo damnationis extra beatorum sortem eliminamus.

Aurelianus sanctæ Lugdunensis ecclesiæ humilis archiepiscopus, in Christi nomine roboravi & subscripsi.

Bernoinus humilis sanctæ Dei Viennensis ecclesiæ archiepiscopus.

Geylo sanctæ Lingonensis ecclesiæ humilis episcopus.

C Adalgarius Æduorum episcopus.

Stephanus dignatione divina Cabilonensis ecclesiæ episcopus.

Adalbaldus Bellicensis ecclesiæ episcopus.

Geraldus sanctæ Matisconensis ecclesiæ episcopus.

Isaac humilis Valentinensis ecclesiæ episcopus.

Leboinus chorepiscopus Lugdunensis.

Ego Brantio indignus presbyter & cancellarius sancti Mammetis scripsi, datavique.

NOTA IACOBI SIRMONDI S.I.

In codice Be'uensi annus adscriptus est DCCCXXCVI. indictione V. quæ duo minime cohærent. Sed castiganda potius indictio, ut indictio IV. scribatur, & notandus Christi annus ut in authographo. Ita fiet ut concilium hoc superioribus anteponi debeat.

D

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE S. I.

In nostra conciliorum synopsi historica ad annum 888. meminimus celeberrimi conventus episcoporum procerumque Gallorum apud sanctum Mauricium Agaunensem ad Rhodanum fluvium, in quo Rodulfus Conradi junioris filius, & Hugonis abbatis nepos, coronatus fuit rex superioris, sive Transiuranæ Burgundiæ & Alpium Rhæticarum, ut pluribus Regino Prumiensis, Annales Metenses, aliique quos per otium consules. Neque enim quod sciam extant illius electionis ac coronationis publica monumenta, ut Mantalense, Valentinum ac similia quæ suis locis inseruimus. Ne cui vero videamur nostro defuisse muneri, hæc paucis accipe.

E

ANNO CHRISTI 888.

"** CONVENTVS IN MONASTERIO S. MAVRICII MARTYRIS IN LOCO AGAVNO.

In quo primores & episcopi Rodolphum Conradi II. filium, regem Burgundiæ Iurensis elegerunt anno Christi DCCCLXXXVIII. electoque coronam imposuerunt.

REGINO *Prumiensis abbas, qui tum vivebat, hæc in chronico memorat ad annum* DCCCLXXXVIII. Per id tempus Rudolfus filius Chunradi, nepos Hugonis abbatis, provinciam inter Iuram & Alpes Penninas occupat, & apud sanctum Mauricium accitis secum quibusdam primoribus & nonnullis sacerdotibus, coronam sibi imposuit, regemque

ANNO CHRISTI 888.

que se appellare jussit. Post hæc mittit legatos per universum regnum Lotharii, & suasionibus pollicitationibusque, episcoporum ac nobilium virorum mentes in sui favorem demulcet.

CONCILIUM MOGUNTIACENSE

OCCASIONE ARNULPHI NOVI REGIS & disciplinæ ecclesiasticæ propter incursiones Northmannorum reformandæ anno Domini DCCCLXXXVIII. celebratum, tempore Stephani papæ V. anno I. regis Arnulphi.

Prælocutio synodi Moguntiacensis.

FRATRES, nosse & animadvertere sanctitatis B vestræ prudentiam oportet, quia omnipotentis Dei nutu omnia providentis, & secundum interni consilii sui judicium cuncta dispensantis, hic congregati sumus. Cujus conventus causam perpendere, & diligenti solicitudine considerare debemus. Omnipotens namque Deus occulto dispensationis suæ examine rectores pariterque pastores ecclesiæ suæ præfecit, quam sibi suo sanguine acquisivit, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Quæ quot malis oppressa, quot ventis tribulationum illisa, plus jam in nostris tribulationibus videmus, quam in codicibus legimus. Tamen quia causa illius, nostrique insuper officii cura convenimus, tractare & considerare nos condecet, qua ex C causa, cujusve peccato talia nobis acciderunt, qualia hactenus passi sumus, & quotidie sine cessatione patimur. Cujus considerationis vim recolentes, nos peccasse, nosque reos esse, secundum pro-
Dan. 4. phetæ exemplum profiteamur. Non enim tanta vis tribulationum, neque tot tempestatum impetus
Ezech. 13. ecclesiam Dei impeterent, si juxta alterius prophetæ dictum, ascenderemus ex adverso, & opponeremus nos murum pro domo Israel, ut staremus in prælio in die Domini. Ideoque, carissimi & reverendissimi fratres, ascendat unusquisque nostrum tribunal cordis sui: & quid hic agendum, qualiterve consulendum sit, divina instigante gratia, communi consensu, & concordi caritatis affectu decernamus, & secundum divinæ institutio- D nis normam perscrutemur. Mirum quippe non est, quia omnes in communi peccavimus, talia nobis contigisse. Sed quia nos, qui ceteris ferre ducatum debuimus, nostri officii curam postponentes, ad exteriora dilapsi sumus, specialiter nos hæc causa petit, reosque fore notat, quorum inertia, nobis per abrupta gradientibus, omnis grex divinitus nobis commissus præcipitio patuit. Qua de re, humiliter ac devote præveniamus faciem ejus
2. Cor. 7. in confessione; *mundantes nos*, secundum apostolicum dictum, *ab omni inquinamento carnis & spiritus.* patet namque quia juxta veridicæ rationis assertio-
Matth. 15. nem, *cæcus cæco ducatum præstans, ambo in foveam cadunt.* Quo enim animo, quave fronte divinam pie- E tatem pro peccatis populi nobis commissi exorare poterimus, quos funibus peccatorum constat fore irretitos? Ecce labentibus tot annorum curriculis, numquam nec generali, nec etiam provinciali synodo coadunati sumus, ut aliquid dignum necessarium ve ecclesiæ, cui annuente Deo præsumus, mutuis collationum sermonibus conferremus. Sed quia nunc auxiliante Domino, & imperante serenissimo seniore nostro Arnulpho rege, convenimus, divinam suppliciter imploremus misericordiam, quatenus ea præveniente & subsequente conventum & actionem istius synodi sibi acceptabilem facere dignetur, & Christiano proficientem popu- A lo ad salutem & vitam perpetuam, nobisque ad æternæ remunerationis felicitatem & gloriam. His vero breviter prælibatis, ponamus ante oculos adhuc peccatorum nostrorum vulnera, & congrua eis quæramus medicamina. Lugeamus ergo, secun- *Jerem. 9.*
dum prophetam, & quæramus capiti nostro aquam, & oculis nostris fontem lacrymarum, ut plangamus interfectos filiæ populi nostri. Quis enim siccis oculorum luminibus valeat enumerare mala gentis nostræ & sanctorum? Videte & considerate quam præclara & nobilia servorum Dei ædificia destructa & incensa sint, & funditus ad nihilum redacta. Altaria defossa, & penitus conculcata, ornamenta ecclesiarum Dei valde preciosa & mirifica direpta & igni exusta. Episcopi & sacerdotes & ceteri ordinis ecclesiæ viri, gladio truncati, & diversis pœnarum generibus morti addicti. Omnis ætas utriusque sexus, gladio & igne, diverso mortium genere consumpti. Quid ergo amplius his dici possit? Omnia desiderabilia & preciosa nobis ablata sunt, veluti olim sub comminatione & eversione Judaici templi illis dictum est: *Ecce ego tollam a vobis desiderabile oculorum* Ezech. 24.
vestrorum, super quo pavet anima vestra. Multi ergo nostrum, quibus hoc malum contigit, nobilium ædificio templorum, gregique sibi commisso metuebant, quæ omnia ut oculis intuentium patent, ablata sunt & penitus subversa. Cujus subversionis periculum incolæ monasteriorum utriusque sexus metuentes, huc illucque vagantur incerti, penitusque omni solatio destituti, quid agendum, quove declinandum, errabundi cum periculo suæ professionis, & sine pastore, ignorant. Sed his interea malis amaricati, & pene usque ad mortem afflicti, aliud e vicino malum nos coangustat & opprimit, quod quanto vicinius, tanto gravius, nobisque, qui pastores dicimur, periculosius. Ecce enim e latere turba raptorum & schismaticorum sævit, qui pauperes & humiles Christi opprimunt & interimunt, neque Dei respectum habentes, nec ullam hominis personam verentes. Ab his namque, si deesset Paganorum sævitia, redigeretur in solitudinem terra: quia nec sexui, nec ætati, neque paupertati parcere sciunt, sed omnes, quos possunt, absque Dei respectu & misericordia despoliant, & crudeliter, sui immemores, aut igni, aut gladio, aut quocumque mortis genere interimunt, hocque nihil putant & parvipendunt. Nec etiam pœnitentiæ colla submittere volunt. Quibus omnibus circumsepti malis, illius apostoli non immemores sumus sententiæ, qua ait: *Foris pugnæ, intus* 2. Cor. 7.
timores. Unde quia Dei providentia hoc spatium nobis concessum est, quo mutuis frueremur aspectibus, & alternis relevaremur collationibus, quid de his & ceteris rebus emendatione dignis agendum sit, decernere studeamus.

Dicit de Northmannorum populationibus.

ANNO CHRISTI 888.

TITULI CAPITULORUM.

ANNO CHRISTI 888.

X. *De mulieribus, quod in domo clericorum simul cum clericis non debeant habitare.*
XI. *Ne invadantur prædia ecclesiæ.*
XII. *Quot testibus clerici convinci debeant.*
XIII. *De decimis ab antiquis ecclesiis non subtrahendis, & ut antiqua ecclesia honorem suum habeant.*
XIV. *Quod nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere aut ordinare.*
XV. *Item de eodem.*
XVI. *De his qui sacerdotem sponte occiderint.*
XVII. *De decimis dandis.*
XVIII. *De quodam Altmanno, qui sibi commatrem spiritualem in conjugium habet sociatam.*
XIX. *De presbyteris, qui crimine fornicationis, sive aliquo capitali flagitio accusantur, & non habent collegas, cum quibus se excusare possint; aut si forte lapsi fuerint, quomodo satisfaciant.*
XX. *De precariis injuste & irrationabiliter factis.*
XXI. *De his qui in ecclesiis seu atriis ecclesiæ rixas moverint, & mutuo inter se confligunt.*
XXII. *De his qui decimas suas dare nolunt, aut injuste subtrahunt.*
XXIII. *De viris & feminis si adulterii reatu, sive alicuius flagitii crimine accusati fuerint, qualiter expurgari debeant.*
XXIV. *De pace fruenda.*
XXV. *De præpositis & provisoribus monasteriorum.*
XXVI. *De viduis velandis.*

ANNO incarnationis Domini nostri Iesu Christi octingentesimo octogesimo octavo, anno etiam primo regni domini Arnulphi gloriosissimi regis, hæc capitula apud Moguntiam civitatem a Luitberto ejusdem civitatis archiepiscopo, necnon & a VVilliberto sacræ sedis Coloniensis, seu etiam Ratbodo Trevirensis ecclesiæ venerabilibus archiepiscopis, cum suis suffraganeis, ceteraque non modica multitudine, abbatum scilicet & aliorum sacerdotum, tenenda, observanda, ac firmiter habenda constituta sunt.

CAPITVLA.

I.

Statuimus, ut oratio ab omnibus nobis tam pro glorioso rege Arnulpho, ceu etiam & pro gloriosa conjuge sua, necnon & pro statu totius Christianitatis, prout nos debitores esse cognoscimus, in ecclesiis nostris assidue celebretur.

II.

Vt annuntietur glorioso regi nostro domino Arnulpho, quid sit rex, quidve vocari debeat. Rex a recte regendo vocatur. (Isidori sunt hæc.) Si enim pie & juste & misericorditer regit, merito rex appellatur; si his caruerit, non rex, sed tyrannus est Antiqui autem, omnes reges tyrannos vocabant. Sed postea pie & juste & misericorditer regentes, regis nomen adepti: impie vero, injuste, crudeliterque principantibus, non regis, sed tyrannicum aptatum est nomen. Quia rex a regendo dicitur, primo ei studendum est, ut semetipsum, suamque domum, Christi adjuvante gratia, ab operibus nequam emaculet, bonisque operibus exuberare faciat, ut ab eo ceteri bonum exemplum semper capiant. Ipse & salutiferis Christi præceptis fideliter atque obedienter obsecundet, & recte agendo, eos quibus temporaliter imperat, in pace & concordia atque caritate, ceterorumque bonorum operum exhibitione, quantum sibi divinitus datur, consistere faciat, & dictis atque exemplis ad opus pietatis & justitiæ & misericordiæ solerter excitet, attendens quod pro his Deo rationem redditurus sit, quatenus ita agendo, sanctorum regum, qui Deo sincere serviendo placuerunt, post hanc peregrinationem consors efficiatur. De rege autem, qualis esse debeat, ita in Deuteronomio legitur: *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes; eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* (Deut. 7.) Et post pauca: *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus, neque argenti & auri immensa pondera. Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Nec extollatur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israël.* (Ibid.) Attende, quod timor Dei, & custodia præceptorum eius, & humilitas, quæ non patitur eum extolli super fratres suos, & iustitiæ rectitudo, non solum regem, sed & filios eius longo faciat regnare tempore. Vt ergo princeps extollentiam cavere debeat, Ecclesiasticus admonens ait: *Principem te constituerunt? noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis.* (Eccles. 31.) In Proverbiis: *Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.* (Prov. 29.) Item: *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius.* (Prov. 21.) Isidorus: Qui recte utitur potestate regni, ita præstare se omnibus debet, ut quanto magis honoris celsitudine claret, tanto semetipsum mente humiliet, proponens sibi exemplum humilitatis David, qui de suis meritis non tumuit, sed humiliter sese deiiciens, dixit: *Vilis incedam, & vilis apparebo ante Deum qui elegit me.* (2. Reg. 6.) Fulgentius in libro de veritate prædestinationis & gratiæ: Clementissimus quoque imperator non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit: sed si in imperiali culmine recta fide vivat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subiiciat: si magis in

gis in timore Deo servire, quam in tumore dominari populo delectetur: si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem: si se magis diligendum, quam metuendum cunctis exhibeat: si subjectis salubriter consulat: si justitiam sic teneat, ut misericordiam non derelinquat: si præ omnibus ita se sanctæ matris ecclesiæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum, prodesse suum faciat principatum. Magis enim Christianum regitur ac propagatur imperium, dum ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quam cum in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur.

III.

Regale ministerium specialiter est, populum Dei gubernare & regere cum æquitate & justitia, & ut pacem & concordiam habeant, studere. Ipse enim primo debet defensor esse ecclesiarum & servorum Dei, viduarum, orphanorum, ceterorumque pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipsius enim terror & studium hujuscemodi, in quantum possibile est, esse debet, primo ut nulla injustitia fiat: deinde si evenerit, ut nullo modo eam subsistere permittat, nec spem delitescendi sive audaciam male agendi cuiquam relinquat. Sed sciant omnes, quoniam si ad ipsius notitiam pervenerit quidpiam mali quod admiserint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, sed juxta facti qualitatem, erit & modus justæ correptionis. Quapropter in throno regiminis positus est ad judicia recta peragenda, ut ipse per se provideat & perquirat, ne in judicio aliquis a veritate & æquitate declinet. Scire etiam debet, quod causa, quam juxta ministerium sibi commissum administrat, non hominum, sed Dei causa existit, cui pro ministerio, quod suscepit, in die tremendi examinis rationem redditurus est. Et ideo oportet, ut ipse, qui judex est judicum, causas pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi, qui ab eo constituti sunt, & vices ejus agere debent in populo, injuste aut negligenter pauperes oppressiones pati permittant. Plura igitur sunt ex auctoritate sanctarum scripturarum de ministerio regis quæ scribere potuimus: sed ne onerosa glorioso principi nostro hæc admonitio nostra existat, hæc perpauca scripta sufficiant.

IV.

Toletanum concilium III. c. 19 & in decr. 16. quæst. 1. Sic quidam.

Multi contra Canonum constituta, sic ecclesias, quas ædificaverint, postulant consecrari, ut dotem, quam eidem ecclesiæ contulerint, censeant ad episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum & in præteritum displicet, & in futurum prohibetur. Sed & omnia, secundum constitutionem antiquam, ad episcopi ordinationem & potestatem pertineant.

V.

Turonense concilium tempore Caroli cap. 19.

Quicumque presbyter per precium ecclesiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur: quoniam contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur, qui alium presbyterum legitime ad ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vindicaverit. Quod vitium late diffusum, summo studio emendandum est. Itemque interdicendum videtur clericis sive laicis, ne quis cuilibet presbytero præsumat dare ecclesiam sine licentia & consensu episcopi sui.

VI.

Aurelian. Concil. V. c. 15. uel 19.

Ne cui liceat res vel facultates ecclesiis aut monasteriis, vel xenodochiis, pro quacumque eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere. Quisquis fecerit, tamquam necator pauperum, antiquorum Canonum sententiis constrictus, ab ecclesiæ liminibus excludatur, donec ab ipso quæ sunt ablata vel retenta reddantur. Ex eodem concilio capite quindecimo: Si quis quolibet tempore, cujuslibet potestatis aut ordinis persona, contra institutionem sancti concilii venire tentaverit, aut aliquid de consuetudine, vel facultate xenodochiorum vel ecclesiarum abstulerit, (quod Deus avertat) ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.

Aurelianense concilium V. can. 16.

VII.

Relatum est sanctæ synodo, quod a malis Christianis plurimæ vexationes sacerdotibus Christi, seu ceteris clericis inferioris gradus, sæpissime inferantur. Unde visum est sancto concilio, ne inantea talia existant, jaculo spiritali eos percutere, ut si quis clerico aliquam injuriam, seu calumniam ingesserit, a liminibus sanctæ ecclesiæ arceatur usque ad condignam satisfactionem.

VIII.

Ad aures sanctæ synodi Arno venerabilis Vvirtzburgensis ecclesiæ * se reclamavit, quod quidam scelesti quemdam honorabilem presbyterum suum comprehendissent, eique nares abscidissent, & capillos capitis incidissent, necnon & sævis verberibus cruciatum semivivum reliquerant. Unde tanto scelere inaudito peracto, sancta synodus visceribus misericordiæ erga eumdem commota, statuit communi consensu, ut iidem temerarii, Deique contemptores, qui tale scelus ausi sunt perpetrare, anathematis vinculo constringantur; quousque a proprio episcopo post dignam pœnitentiam absoluti, sanctæ matri ecclesiæ sociari mereantur, nullusque cum eis in aliquo

*f. deest episcopus.

ANNO CHRISTI 888.

aliquo communicet, nisi in hoc, ut eos ad dignam satisfactionem peragendam hortetur. Si quis autem post hanc sententiam a nobis prolatam, sciens cum eis communicaverit, uno eodemque mucrone cum ipsis sciat se a nobis esse percussum.

IX.

De consec. dist. 1. Missarum solennia, &c. concedimus.

Missarum solennia non ubique, sed in locis ab episcopo consecratis, vel ubi permiserit, celebranda esse censemus. Concedimus etiam, ut sicubi (quod nostris exigentibus culpis perplurimum est factum a Northmannis, seu alio qualicumque modo) ecclesiæ fuerint incensæ, in capellis Missas interim liceat celebrare, donec ipsæ ecclesiæ restaurari queant. In itinere vero positis, si ecclesia defuerit, sub diuo, seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata, ceteraque ministeria sacra ad id officium pertinentia adsunt, Missarum solennia celebrari permittimus.

X.

Vt clericis interdicatur, mulieres in domo sua habere, omnimodis decernimus. Quamvis enim sacri canones quasdam personas feminarum simul cum clericis in una domo habitare permittant: tamen, quod multum dolendum est, sæpe audivimus, per illam concessionem plurima scelera esse commissa, ita ut quidam sacerdotum cum propriis sororibus concumbentes, filios ex eis generassent. Et idcirco constituit hæc sancta synodus, ut nullus presbyter ullam feminam secum in domo propria permittat, quatenus occasio malæ suspicionis vel facti iniqui penitus auferatur.

XI.

Vrbani papæ I. in epist. & in decretis 17. q. 2. Attendendum.

Attendendum est omnibus, & fideliter custodiendum, & illius usurpationis contumelia depellenda, ne prædia usibus secretorum cælestium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetua damnetur infamia, & infernali carceri tradatur, aut exilii perpetua deportatione feriatur: quoniam juxta apostolum, oportet hujusmodi hominem tradere satanæ, ut spiritus salvus fiat in die Domini. (1. Cor. 5.)

XII.

Rom. concilium sub Silvestro papa, in decret. 2. q. 7. Nullus laicus.

Presbyter non adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolytus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolytum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam. Et non condemnabitur præsul, nisi in septuaginta duobus: neque præsul summus a quo quam judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus supra magistrum.* Presbyter autem in cardine constitutus, nonnisi in quadraginta duobus testibus damnabitur: diaconus cardinarius constitutus urbis Romæ, non nisi in viginti sex condemnabitur: subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, ostiarius, nisi, sicut scriptum est, in septem testibus non condemnabitur. Testes autem sine aliqua sint infamia, uxores & filios habentes.

1. quæst. 5. Præsul.

Luc. 6.

XIII.

Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec aliis possessionibus priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur.

XIV.

Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere aut ordinare absque ejus voluntate, vel judicare. quia sicut ejus irrita erit ordinatio, ita & judicatio: quoniam censemus alterius nullum judicis, nisi sui, sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus potest.

XV.

Si quis episcopus judicaverit, vel ordinaverit alterius parochianum sine consensu, & voluntate sui episcopi: oportet non sine increpatione in communi concilio admitti, ita ut ecclesiasticum ultra non solvat canonem.

XVI.

Qui sacerdotem morti voluntarie tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat omnibus diebus vitæ suæ. Iejunet autem usque ad vesperam, exceptis diebus festis atque dominicis. Arma non sumat, & ubicumque ire maluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur, sed cum sacrarum orationum officia, aut missarum solennia celebrantur, ante fores basilicæ perseveret, orans ac deprecans Dominum, ut tanto crimine abluatur. Post expletum vero quinquennii tempus ingrediatur ecclesiam, non tamen communicet, sed inter audientes tantummodo stet, vel dum facultas conceditur, sedeat. Dum autem duodecimi anni cursus fuerit finitus, communicandi ei tribuatur medela. Maneat tamen in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut ad perfectionis purificatus mereatur venire culmen.

XVII.

Admonemus atque præcipimus, ut decima omnino Deo dari non negligatur, quam Dominus ipse dari sibi constituit. Timendum est enim, quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne Deus propter peccatum suum auferat ei necessaria sua. Qui vero decimas post crebras admonitiones & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur.

XVIII.

Perlatum est ad nos, quod quidam Altmannus nomine, sibi commatrem spiritualem,

ANNO CHRISTI 888.

lem, ex parochia Arnonis episcopi scelesto conjugio associasset: sed postea per sacramenta ab ea separatus, modo iterum eam sibi impia copulatione habet sociatam. Quem, quia tale scelus perpetratum habere audivimus, secundum constitutionem sancti Gregorii papæ, gladio spirituali percutimus, eumque anathematis vinculo innodamus.

XIX.

Neocæsareense concilium, can. & in decr. dist 28. de presbyter.

De presbyteris, qui crimine fornicationis sive aliquo capitali flagitio accusantur: & non habent collegas cum quibus se excusare possint: aut si forte lapsi fuerint, quomodo satisfaciant: in quorum judicio, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinandum est: sed regia via gradiendum. In concilio Neocæsareensi capite primo scriptum est: Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetrauerit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. Item in concilio Carthaginensi, capitulo vicesimoquinto scriptum est: Aurelius episcopus dixit: Præterea cum de quorumdam clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referatur, placuit, quod & in diversis conciliis firmatum est, ut subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & diaconi & presbyteri, sed & episcopi, secundum priorum statuta, etiam ab uxoribus se abstineant, ut tamquam non habentes esse videantur. Quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio. Ceteros autem clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate.

Carthaginense c. 25.

XX.

Remense concilium tempore Caroli M. c. 37

De precariis injuste & irrationabiliter factis, easque cum vi & sine nostræ voluntatis consensu habere volunt, sicut in Remensi concilio statutum est capite trigesimoseptimo. Si quilibet hominum res ecclesiæ per mendacia vel mala ingenia in precariam sibi acquirere voluerit, & post factas precarias eadem mendacia ad aures ejusdem ecclesiæ rectoris delata fuerint, ipsa ecclesia res suas, quæ ei mendaciter abstractæ fuerunt, pleniter absque ullius contradictione omnimodis recipiat. Ille vero, qui res suas per eadem mendacia propter cupiditatem ipsius precariæ, eidem ecclesiæ tradidit, simili modo in suam recipiat dominationem.

XXI.

Moguntiac. tempore Caroli M. c. 3

De his qui in ecclesiis seu atriis ecclesiæ rixas moverint, & mutuo inter se confligunt, ex concilio Moguntiacensi tempore Caroli capite vigesimoquarto, præcipimus, ut in ecclesiis sive atriis ecclesiarum vel domibus, placita sæcularia minime fiant, quanto minus rixæ & contentiones? Item capitulo trigesimonono: De honore ecclesiarum, & his qui ad ecclesias confugiunt, & quod ecclesia cum magna reverentia adeunda sit, sicut in capitulari dominico continetur, & in Moguntiacensi, & Turonensi, ac Arelatensi, tempore gloriosi imperatoris Caroli conventibus decretum est.

Turon. & Arelatense concilium tẽpore Caroli M.

XXII.

De his qui decimas suas dare nolunt, & injuste subtrahunt, ita ut qui quinque aut eo amplius aratra habuerint, juxta æstimationem unius aratri persolvant: & qui hereditatem ecclesiæ nostræ sibi vindicant: & de servis, qui decimas, dominis consentientibus, dare nolunt: concilio Arelatensi capitulo 9. scriptum est: Vt unusquisque de propriis laboribus suis decimas & primitias Deo offerat: sicut scriptum est: *Decimas & primitias tuas non tardabis offerre Domino Deo tuo.* Vbi nec liber, nec servus excipitur, qui omnes unum sumus in Christo, apud quem nulla habetur personarum acceptio. Item in concilio Arelatensi, capitulo vigesimo: Vt ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec ulla alia possessione priventur.

Arelat. c. 90. Exod 22. Arelat. c. 20.

XXIII.

Multi sunt, qui secundum humanas leges divina spernentes judicia, testes ac conjuratores sibimet producere volunt. Quos minime admittentes, sicut unum confitemur Deum, unam fidem, unum baptisma, ita etiam una per totum mundum ecclesia uniformiter pari lege & simili religione excolenda est. Itaque decernimus, ut juxta divinæ legis sanctionem, & secundum ipsius sedem civitatis, in qua ratio ventilatur, unaquæque gens, & cuncta adjacens parochia subjaceat, ita ut auctoritate episcopi, aut judicii examine, aut sacramenti protestatione se expurget. Et non minus quam quatuordecim annos ætatis habeat, qui ad testimonium admittendus est secundum censuram canonicæ institutionis, sicut in Africano concilio capite nonagesimo octavo scriptum est: Testes ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem infra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur.

Concilium Africanum c. 98.

XXIV.

Decrevimus etiam, ut pacis bonum & concordiæ ab omnibus indisrupte teneatur: quia si inter nos fideles, ut in capitularibus domini Caroli legitur, pax & concordia habenda est, dicente apostolo: *Pacem sequimini & sanctitatem, sine qua nemo videbit Deum:* multo magis inter episcopos & comites esse debet, qui post imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Ita enim inter se concordare debent, ut alterutrum sibi ad Dei servitium peragendum, & ministerium suum explendum, non solum non noceant, quin potius adminiculo sint.

Arelatense concilium tempore Caroli, M. c. 12. Sententialiter. Cabilonense cõcilium tẽpore Caroli M c. 20 In forma. Hebr. 12.

ANNO CHRISTI 888.

Turonense concilium tēpore Caroli c. 33.

sint. Comitibus quippe & judicibus, reliquoque populo expedit, ut in Turonensi concilio legimus temporibus præfati principis acto, ut suis sint episcopis consentientes & obedientes, propter Dei amorem, & semper ab eis utile quærant consilium, illorumque salubria non spernant monita, sed intenta cordis aure audiant. Similiter vero & episcopi prædictas personas similiter suscipiant, honorificeque erga eas in omnibus agant, & sic sese mutuis studeant sublevare consolationibus.

XXV.

Cabilonense concilium tempore Caroli c. 52. & 54.

De monasteriis clericorum, monachorum, atque puellarum, quæ clericis sive laicis beneficii jure donata sunt, placuit ut tales eis præficiant provisores & præpositos, sicut in Cabilonensi concilio scriptum est, qui & præesse noverint & prodesse, & qui ad episcopum recurrant, & secundum ejus ordinationem ad conventum synodi occurrant, & commissum sibi gregem canonice & cum magna religione custodiant, quasi rationem de animabus eorum reddituri.

XXVI.

De viduis præcipimus, ut nequaquam cito velentur, sed in potestate earum maneat, consentiente episcopo, utrum nubant, an professionem castitatis assumant, usque dum probetur earum conversatio, ne forte de eisdem dici possit, quod ab apostolo dicitur: *Quæ autem in deliciis sunt, viventes mortuæ sunt.* Si autem propositum castitatis assumpserint: aut monasterii claustris regulariter constringantur, aut domi manentes castitatem suæ professionis integerrime custodiant. Quod si a proposito deviaverint, canonicæ institutionis censura corrigantur. Quod & de virginibus, si mœchatæ fuerint, statuimus, sicut in concilio Eliberitano cap. decimotertio scripum est: Virgines quæ se Deo dedicaverunt, si pactum prodiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid amiserint: placuit, nec in fine dandam eis esse communionem. Quod si semel persuasæ, ad infirmi corporis vitia* lapsæ, toto tempore vitæ suæ ejusmodi feminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se a coitu, placuit eas in fine communionem accipere debere.

1. *Tim.* 5.

*lapsus, vitiatæ,

NOTA SEVERINI BINII.

Arnulphus an fuerit imperator?

Causa concilii quæ?

In hac synodo hoc unum in primis observatu dignum est; quod sicut hic, ita etiam apud omnes alios scriptores antiquos, Arnulphus non imperator, sed rex dumtaxat nominatus reperiatur; eo quod nefas esset imperatoris nomen assumere, nisi illud a sede apostolica prius collatum esset. Quamobrem perperam agere convincuntur, qui statim post obitum Caroli Arnulphum tamquam heredem imperii imperatorem nominant. Hanc synodum propter infelicem statum ecclesiarum Germanicarum congregatam esse, indicant patres in præfatione hujus synodi; cumque tribus prioribus canonibus Arnulphus rex instruatur

A & admoneatur quomodo se in regimine regni bene disponendo gerere debeat, patet novam regis Arnulphi electionem huic synodo congregandæ occasionem aliquam præbuisse. De Luitberto archiepiscopo qui concilio præfuit, de ejusque rebus præclare gestis, plurima scribit Serarius libro quarto historiæ Moguntinæ.

ANNO CHRISTI 888.

CONCILIUM METENSE

IN REGNO LOTHARII A BELGICÆ PRIMÆ episcopis sub Arnulpho rege celebratum Kalendis Maii, anno Christi, ut conjectura est, DCCCXXCVIII. Stephani papæ V. anno III. Odonis regis primo.

TITULI CANONUM.

I. *Quod pax a paganis, & contumacibus Christianis per emendationem morum a Deo imploranda sit.*

B II. *Ut decimas ecclesiæ solus sacerdos accipiat: ut nullam illarum partem laici seniores usurpent.*

III. *Unus presbyter unam solummodo habeat ecclesiam.*

IV. *Ut de manso ecclesiæ nullus census exigatur: & ne pro sepultura precium detur.*

V. *Ut nullam in domo sua feminam habeant sacerdotes.*

VI. *Ut presbyteri libros & vestimenta sacerdotalia ostendant episcopo, & chrisma sub sera custodiant: clerici armis, aut laicorum indumentis non utantur: & de iis qui infantes in baptismo suscipiunt.*

VII. *Ut nemo cum Judæis edat, aut bibat.*

VIII. *Ut missæ in locis non consecratis non fiant: & basilicæ a chorepiscopis consecratæ, ab episcopis consecrentur.*

C IX. *De duabus sanctimonialibus ob facinus in ergastulum retrusis: & de diacono sacrilegium confesso.*

X. *Excommunicati qui Folcardum presbyterum evitarant.*

XI. *Excommunicati provinciæ vastatores: item Theodricus & Lantbertus.*

XII. *Excommunicati qui communionem habebant cum excommunicatis.*

XIII. *Preces cum triduano jejunio indictæ pro rege.*

PRÆFATIO.

D ANNO ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCXXCVIII. regni domini Arnulphi gloriosissimi regis primo, die Kalendarum "Maiarum acta est synodus in suburbio Metensis civitatis, in ecclesia sancti Arnulphi, ab archiepiscopo venerabili Ratbodo Treverensi, & a Rotberto prædictæ civitatis præsule. Dado quoque Virdunensis ecclesiæ reverentissimus episcopus, & Arnoldus Tullensium episcopus, & Stephanus venerablis abbas, & multi sacerdotes cum comitibus, & pluribus nobilibus, & Deum timentibus viris adfuerunt. Ubi pari voto, parique consensu, pro vera caritate & tranquillitate sanctæ Dei E ecclesiæ, quam redemit Christus sanguine suo, sibi invicem occurrentes, hæc in commune præsules locuti sunt.

" Sunt qu[i] Kal. Martias præfe[r]rant & in annum 893 Odonis at[que] Arnul[phi] regum sextum dif[ferant] cum Sirmondo nostro.

CANONES.

I.

Episcopi, & presbyteri, & fideles laici, qui ante nos fuerunt juxta sacram canonum auctoritatem, sæpius in Christi nomine convenientes, justitiam Dei statuerunt, & idcirco pacem suis diebus habuerunt, & juxta illud quod scriptum est:

ANNO CHRISTI 888.

est: *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine*, & *hominibus bonæ voluntatis.* Nos autem, qui tanto tempore transacto comprovincialem synodum non habuimus, & invicem quærere misericordiam Dei neglebximus, videmus in nobis completum esse, quod per prophetam Dominus dicit: *Terram vestram in conspectu vestro alieni devorant, & erit in vastitate hostili.* Ergo qualiter a Northmannis hæc omnia in nobis completa sint nemo dubitat. quomodo etiam a perversis Christianis undique atteramur, omnes in commune sentimus, sicut scriptum est: *Populum tuum, Domine, humiliaverunt, & hereditatem tuam vexaverunt.* Quærenda est igitur pietas Christi, qua Pagani arceantur, & statuenda est lex Dei, qua crudelissimi nostræ gentis homines a vastatione pauperum repellantur. Idcirco quidquid in nobis pravæ voluntatis est abjiciamus, & de Paganis Christo auxiliante pacem obtinere valebimus. Auctoritatem sanctorum patrum contumacibus nostris imponamus, & velint nolint, pro timore etiam gloriosissimi nostri senioris Arnulphi regis, ad satisfactionem venire faciemus. Et sic justitiam Dei statuendo, poterimus ejus misericordiam invenire, quem nos cognoscimus pravis actibus graviter offendisse.

Psal. 118. Luc. 2. Psal. 93.

II.

Dominus loquitur per prophetam, dicens: *Afferte omnem decimam in horreis meis, & probate me in hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & dedero vobis fructus usque ad abundantiam.* Scimus enim, quoniam peccatis exigentibus clauditur cælum, & fit nostris diebus sæpissime fames. Ideo statuimus, ut deinceps nemo seniorum de ecclesia sua accipiat de decimis aliquam portionem, sed solummodo sacerdos qui eo loco servit, ubi antiquitus decimæ fuerant consecratæ, ipse eas cum integritate accipiat in sui sustentationem, & ad luminaria concinnanda, & basilicæ ædificia, vestimenta quoque sacerdotalia, & cetera utensilia suo ministerio congrua obtinenda. Hæc omnia episcopi de suis ecclesiis, & ceteri attendere decreverunt.

Malach. 3.

III.

Unusquisque presbyter unam solummodo habeat ecclesiam: nisi forte antiquitus habuerit capellam, vel membrum aliquod adjacens sibi, quod non expedit separari. Est enim multum laudabile coram Deo & hominibus, si unus presbyter unam ecclesiam salubriter providerit, & utiliter rexerit. quoniam non est nobis cura animarum adhibenda pro temporali commoditate: sed cunctis sacerdotibus est optandum, ut cum suis ovibus a Christo recipiant pascua vitæ æternæ.

IV.

De uno manso, & de terris pro sepultura datis, & pro quatuor mancipiis, vel eorum procreatione, nullus census deinceps exigatur: & pro sepultura nullum precium detur.

V.

Sacerdotes, qui vice Mosis iram Domini super populum sævientem precibus suis debent mitigare, attendentes etiam ne illud fiat quod scriptum est: *Maxima ruina populi in culpa sacerdotum fuit*: nequaquam in sua domo secum aliquam feminam habeant, nec matrem, nec sororem: sed auferentes omnem occasionem satanæ, angelicam vitam ducant, & Domino Deo casto corpore & mundo corde sine tenu. serviant. Nam licet hoc sacris literis crebrius inhibitum esse videatur: tamen quia hos nefas in quibusdam oriri videbatur, idcirco communi decreto statutum est, & hoc interdictum a sancta synodo nimium laudatum est.

Exod. 32. 3. Esdr. 9.

VI.

Cuncti presbyteri ut libros & sacerdotalia vestimenta suo episcopo in proxima synodo ostendant, & ut chrisma suum sub sigillo & sera semper custodiant, a prædictis episcopis expresse commendatum est. Et ut nemo clericorum arma portet, vel indumenta laica induat, id est cottos vel mantellos sine cappa non portet, & laici cappas non portent. Et nullus alteri suscipiat a fonte infantem, nisi qui apprime signaculum, id est abrenuntiationem diaboli, & professionem catholicæ fidei tenuerit: & infantem nequaquam duo vel plures, sed unus a fonte baptismatis suscipiat. quia in hujuscemodi secta diabolo datur locus, & tanti ministerii reverentia vilescit. Nam unus Deus, unum baptisma, unus, qui a fonte suscipit, debet esse pater vel mater infantis. Hæc omnia generaliter interdicta sunt, quia & grandis levitas erat, & gravitas vel religio clericalis nimis in talibus vilis efficiebatur.

VII.

Guntbertus Metensis ecclesiæ primicerius obtulit libellum proclamationis super Iudæos qui habitant Metis. Quapropter interdictum est, juxta capitula sanctorum patrum, ut nemo Christianorum cum eis manducet & bibat, vel quidquid comedi aut potari potest a Iudæis accipiat. Nimis enim, juxta quod ait Cæsarius Arelatensis ecclesiæ episcopus, indignum est atque sacrilegum, eorum cibos a Christianis sumi, cum ea, quibus nos fruimur, ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Christiani quam Iudæi. Et omnes eorum convivas ipse, & sanctus Syagrius Æduorum episcopus, cum

Concilium Agathense can. 40. Concilium Matisconense I. canon. 15.

ANNO CHRISTI 888.

cum aliis multis, excommunicaverunt.

VIII.

In locis vero non consecratis, id est in solariis, sive in cubiculis, propter infirmos vel longius iter, a quibusdam presbyteris sacrificium offerebatur: quod omnimodis interdictum est. Et ut basilicæ a chorepiscopis consecratæ, ab episcopis consecrentur roboratum est: quia juxta decreta Damasi papæ, Innocentii, & Leonis, vacuum est atque inane quidquid in summi sacerdotii chorepiscopi egerunt ministerio: & quod ipsi iidem sint qui & presbyteri, sufficienter invenitur.

Damasus epist. 4. Leo epist. 52.

IX.

Duæ sanctimoniales propter suum facinus de monasterio sancti Petri sine velamine erant ejectæ: sed juxta canones sancta constituit synodus, ut velamina illis redderentur, & intra monasterium in ergastulo ponerentur, parvo pane, & aqua brevi, cum abundantia divini verbi, usque ad satisfactionem fruerentur. Quidam etiam diaconus, qui de sacrilegio confessus & convictus fuit, pro misericordia in carcere poni jussus est, interdicto ministerio, & ut pro eo omnes generaliter orarent injunctum est.

X.

Quædam femina, nomine Ava, cum sui fratris consilio & auxilio, qui vocatur Folcrius, & cum aliis consanguineis suis, suum maritum dimisit, & ad eum redire noluit. Vnde illorum sacerdos servus Dei, vocabulo Folcardus, ad suam dominam & ad ejus fratrem veniens, ut eos a tanto scelere traheret, confestim ab eodem & suis complicibus castratus est. Pro his omnibus ad synodum vocati venire noluerunt: & idcirco ad satisfactionem excommunicati sunt.

XI.

Viri pestilentes vastabant miserabiliter istam provinciam. Pro quo scelere ad synodum vocati (sicut scriptum est: *Eripite pauperem & egenum*) alii venerunt, alii venire noluerunt. Illi qui adfuerunt, synodo satisfecerunt: ceteri autem canonice excommunicati sunt. Pari etiam tenore excommunicatus est quidam homo, vocabulo Theodricus, cum complicibus suis, quia quamdam viduam fugiendo prostratam super corpus sancti Eventii rapuit, & de monasterio traxit, & in uxorem sibi eam taliter sociavit. Quidam vir nomine Lantbertus interficiens consanguineum suum, & ducens ejus uxorem nomine VValdradam, juravit coram archiepiscopo, quod tale conjugium dimitteret, & iterum ei se sociavit, & adhuc eam habet: idcirco excommunicatus est.

Psal. 34.

XII.

Quæsitum est a sancta synodo, quid de iis sacra fieri auctoritas juberet, qui cum prædictis excommunicatis communionem habeant. Nam non tantum laici, verum etiam presbyteri in celebratione Missæ excommunicatos recipiunt: & quid de his, qui in eadem excommunicatione mortui fuerint. Verum ad hæc tanta auctoritas prolata est. Sanctus Petrus apostolus in ordinatione sancti Clementis ita plebes alloquitur: Si inimicus est alicui pro actibus suis, vos cum illo nolite amici esse: & prudenter observare debetis, avertere vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum: sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur. Istius transgressores sanctus Petrus & omnis auctoritas excommunicat. Servis autem, ac propriis libertis, sive beneficiatis, venerabiles episcopi in communione dominorum absolutionem dederunt. Sanctus Leo papa de excommunicatis, & ita defunctis, taliter decrevit: Horum causa judicio Dei est servanda, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

Clemens epist. 1. ad Iacobum.

Epist. ad Rusticum. Narbonensem cap. 7.

XIII.

Precando rogaverunt prædicti episcopi, orare pro domino rege Arnulpho, & triduanum in proximo celebrare jejunium, ubi cum litaniis & magna corporis afflictione precemur Deum, ut faciat nos converti ad se in toto corde & animo volenti, adaperiat cor nostrum in lege sua & in præceptis suis, & faciat pacem, & placeat Redemptori nostro eripere oppressos, reuocare in angustiis constitutos: & sic talia agendo mercamur obtinere hic indulgentiam, & in futuro pacem sine fine mansuram, Amen.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

Irrepsit in contextum nota annorum Christi, & Arnulphi, quæ abest a vulgatis, nec constare de illa potest nisi ope veteris alicujus exemplaris. Si conjecturæ indulgendum est, possit fortasse concilium hoc ad annum DCCCXC. II. non inepte referri, quo anno, ut auctor est Regino, Arnulphus in Lotharii regnum venit, & præcipuas ejus urbes lustravit, post bella Northmannorum, quæ proximis duobus annis antecesserant.

NOTA SEVERINI BINII.

Propter mendum actorum sciri nequit quoto anno Christi, quove pontifice præcise hæc synodus congregata fuerit. Quia tamen idem Ratbodus Treverensis huic & præcedenti Moguntinæ interfuit, & propter Northmannorum incursiones, tempore Arnulphi regis celebratam esse constat, ex cap. 1. & ultimo, nulla mihi ratio occurrit, ob quam ego hanc synodum hactenus Moguntinæ statim postpositam, nunc ab ea disjungerem.

ANNO CHRISTI 889.

CONSTITVTIO RICVLFI Suessionum episcopi."

"Edidit Ioannes Cordesius anno 1615. cum Hincmari Opusculis ex Codice M. S. Bibliothecæ Thuanæ.

Anno incarnationis dominicæ DCCCLXXXIX. *indictione* VII.

EGO Riculfus humilis Suessionum episcopus, consideratis parœciæ divinitus nobis commissæ necessi-

ANNO CHRISTI 889.

necessitatibus, atque comministris nostris competenti habita ratione, inspirante pariter & opitulante Domino, quædam, quæ ad sacerdotum nostrorum commonitionem, vel vulgaris populi eruditionem pertinere videbantur, modeste & utiliter pro viribus tractare disposui. Et quamvis totius Christianæ vitæ regula divinæ scripturæ paginis satis superque teneatur inserta : non incongruum tamen fore putavi, quædam ex his, quæ simplicium observationi conveniunt, brevibus & lucidis capitulis annotare, vobisque consacerdotibus, & cooperatoribus nostris habenda simul & crebrius legenda committere, ut si tanta divinæ & canonicæ auctoritatis volumina revolvere non sufficitis, hæc saltem brevissima & apertissima manualiter frequentetis, & commissis vobis plebibus salubrem vivendi normam his admonitiunculis præmonstretis. Ita enim cooperante Domino, & periculo ministerii vestri vos poteritis exuere, & cum subjectis populis ad cælestis regni gaudia properare.

I.

Attendite ergo, quia nobiscum solicitudinem gregis dominici percepistis, & in sacerdotali ministerio, secundi ordinis & dignitatis locum possidetis. Et sicut nos, licet immeriti, apostolorum vices in hac ecclesia agere debemus : ita & vos quoque septuaginta duorum discipulorum nobiscum ministerium in hac plebe dominica exercere oportet. Nam & in veteri lege Moyses & Aaron locum summi pontificis tenuerunt, & filii quoque Aaron officium sacerdotale in secundo gradu sortiti sunt. Ad vos enim plebium pertinet cura & solicitudo, & ex vobis pendet eorum salus, utilitas, atque animarum profectus. Scriptum namque est de vobis: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est.* (Malach. 2.) Angelus namque Latino eloquio nuntius dicitur : & vos quidem angelorum ministerium expletis, quando vestras plebes instruitis atque docetis. Sed primo necessarium est, ut ipsi diligenti meditatione literarum sacrarum lectionem discatis, quam postmodum alios docere debetis: quia nemo, quæ nescit, aliis insinuare valet. Enimvero nec latere vos volumus, quod de illis presbyteris, qui desides & ad discendum tardi sunt, regum & imperatorum capitula non sine consensu plurimorum episcoporum sanxerunt, » scilicet hoc : Vt quicumque presbyter, a suo episco» po frequenter admonitus de sua scientia, ut discere » curet, facere neglexerit, procul dubio & ab officio » removeatur, & ecclesiam, quam tenet, amittat. » Quia ignorantes legem Dei, eam aliis annuntiare » & prædicare non possunt. Hoc ne alicui vestrum eveniat, fraterno affectu præmonemus.

II.

Oportet igitur unumquemque sacerdotem, vita, & moribus, & actibus bonis, cum Dei auxilio, populo sibi commisso, ceterisque subditis excellere, ut in eo videant quid imitari & sequi bene operando possint, castitatis videlicet, humilitatis, modestiæ, aliarumque virtutum, diuina gratia largiente, exemplum præbeat, ut juxta Apostoli vocem, *doctrinam Dei nostri in omnibus ornet.* (Tit. 2.)

III.

Habete, quæsumus, studium in psalmos cantando, in divinos libros legendo, in canonicas horas custodiendo, id est, primam, tertiam, sextam; Missarum quoque quotidiana celebratione, nonam, vesperas, & completorium, atque matutinale officium decantando. Et invitate parochianos vestros, ut si ad alios cursus venire non sufficiunt, saltem Missas frequentius audire studeant, & dominicis, atque aliis diebus festis vesperas, matutinas, & Missas frequentare non prætermittant.

IV.

Ad vos ergo dictum esse scitote : *Mundamini qui fertis vasa Domini* (Isa. 52.) : ubi non tantum intelligendum esse putetis, quod de calice & patena, ubi corpus & sanguis Domini conficitur, dictum sit; sed de corporis munditia, & mentium puritate. Vt enim beatus Gregorius dicit cum de parabola decem virginum tractaret (Matth. 3.): Vascula nostra sunt corda, in quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Habemus itaque fragile vas, id est corpus nostrum, quod semper summopere mundum servare debemus, ut dum oblationes mundas Deo porrigimus, ipsi quoque ante sanctum altare illius hostiæ acceptabiles efficiamur.

V.

Item monemus, ut unusquisque vestrum psalmos, & sermonem fidei catholicæ, cujus initium: Quicumque vult salvus esse : & Canonem Missæ, ac cantum, vel compotum memoriter, & veraciter, ac correcte tenere studeat. Consignationem vero infantum, tam masculorum, quam feminarum, unius, vel plurium, & consecrationem fontis, & aquæ per domos spargendæ, & animæ commendationem, & orationes ad mortuum sepeliendum habeatis descripta distincte & veraciter, & frequenti usu ea meditemini, vt correcte & irreprehensibiliter ea, tam super masculum, quam super feminam proferre sciatis. Supradictam vero consignationem infantum volumus ut quadrifarie scribendo dividatis, super singularem scilicet masculum, & singularem feminam, itemque super plures masculos, & plures feminas, sicut nos vobis, Christo propitio, descripta trademus.

VI.

Item præmonemus, ut unusquisque vestrum, missalem, lectionarium, euangelium, martyrologium, antiphonarium, psalterium, & librum quadraginta homiliarum beati Gregorii correctum atque distinctum per nostros codices, quibus in sancta matre ecclesia utimur, habere laboret. Et libros quidem divinos, & ecclesiasticos, quoscumque potestis habere, non emittite : ex ipsis enim cibos & condimentum animarum percipietis, dicente Domino : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* (Matth. 4.) Si quis autem omnes veteris testamenti libros habere nequiverit, saltem hoc studiosius elaboret, ut primum totius diuinæ historiæ librum, Genesin videlicet, sibi correcte transcribat, ejus lectione totius mundi creationem dignoscere valeat.

VII.

Studere etiam debetis, ut digne atque honeste vestra ecclesiastica vestimenta præparata habeatis, albam videlicet ad divinum mysterium unam, vel duas nitidas, cum orariis, id est, stolis duabus nitidis, & amictis duobus nitidis, corporalibus quoque totidem nitidis, item zonis duabus, id est, cinctoriis, ac mappulis totidem nitidis; ac linteamina altaris habeatis nitida, & casulam sericam, cum qua Missa celebretur. Hoc autem omnimodis prohibemus, ut nemo illa alba utatur in sacris mysteriis, qua in quotidiano vel exteriori usu induitur. Loca quoque munda & congrue composita habeatis, ubi post sumpta sancta mysteria, manus & ora vestra lavetis; & si possibile fuerit unusquisque calicem cum patena argentea, sive cujuslibet metalli purissimi habeat ; ut cum ad nostram Synodum unumquemque vestrum eadem vasa, vel cetera, quæ ad ministerium sacerdotale pertinent, deferre jusserimus

ſerimus, vel per veſtras parochias tranſitum feceri- mus, noſtram exinde offenſionem minime incurra- tis, ſi hæc præparata inhoneſtius viderimus. Ad Miſſam quoque, & veſperas, ſi ſufficitis, thus vel incenſum in thuribulo Deo offerte. Illud etiam ex- preſſe præcipimus, ut domos veſtras nitidas, & ſine ſordibus & fœtoribus habeatis, vt exinde puriores ad altare Domini procedatis.

VIII.

Inſtanter quoque monemus, ut ſcrutinia per bap- tiſmales eccleſias ſtatuto intra quadrageſimam tem- pore generaliter fiant: & ut baptizati mox poſt baptiſmum euchariſtiam, id eſt, communionem ſanctam percipiant, ſolicite vos ſtudere præcipi- mus. Quoniam qui dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cæ- lorum*: ipſe dixit: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Ioan. 3.

Ioan. 6.

IX.

Solerter ſtudendum eſt presbyteris, ut curam pu- blice pœnitentium habeant, & orationes ad viſi- tandos infirmos vel infirmas correcte proferre ſciant, & maximam curam adhibeant, ut ſicut ne- mo ſine baptiſmo, ita etiam nemo abſque viatici munere moriatur; ſed neque publice pœnitens, ſi fuerit infirmus: & ſedulo conſiderent, atque dili- genter caueant, ne pro huiuſmodi negligentia gra- ue periculum incurrant. Videant quoque ne Simo- ni mago & Iudæ traditori efficiantur ſimiles, ſi pro precio, aut pro familiaritate, vel propinquitate, pœnitentes ante tempus ad reconciliationem addu- xerint, & eis pro reconciliatione teſtimonium de- derint, vel ſi cum fervore & diligentia pœnitentes aliqua amaritudine, vel, quod abſit, odio, aut quia nihil ab eis accipiunt, a reconciliatione ſuſpendi fe- cerint: quia ut comminiſtri, ita etiam cooperato- res presbyteri in miniſterio diuino a Deo ſunt con- ſtituti epiſcopis. Si vero publice pœnitentes pro certa neceſſitate, vel ratione, ante præfixos a Cano- nibus annos fuerint reconciliati: ſicut ante recon- ciliationem, ſecundum pœnitentium poſſibilitatem & qualitatem, de eorum pœnitentia ſolicitudinem habuerunt; ita & poſt reconciliationem, vitam eo- rum & conuerſationem, donec præfixum pœniten- tiæ tempus expleatur, non negligant, ſed ſolerter diſcutiant & attendant, ſcientes non ſolum epiſco- pis, ſed etiam ſecundum modum ſuum presbyteris conuenire quod dicitur: *Speculatorem dedi te do- mui Iſrael*: & de vnoquoque ſibi commiſſo, rur- ſus per prophetam dicitur: *Sanguinem eius de manu tua requiram.*

Ezech. 3.

Ibidem.

X.

Item oportet ut presbyteri infirmos ſuos poſt con- feſſionem & reconciliationem, oleo ſancto perun- gant, & tunc eos communicent. Quod ſi ante ad- uentum eorum infirmus obmutuerit, & certi teſtes ſint, quod ipſe infirmus tale ſignum oſtenderit, quia pœnitentiam petiit, quam mora ſacerdotis ab eo excluſit, viatici ei ſubſidium præbeant.

XI.

His exceptis, ſcire debetis quia facultates eccleſiæ in quatuor partes, canonica auctoritate, ſunt diui- ſæ. Ex quibus vna eſt, ſi voluerit, epiſcopi; alia ad luminaria & ſarta tecta, id eſt, reſtaurationem ec- cleſiæ; tertia presbytero & ſuis; quarta hoſpitibus deputata. Quapropter ex ipſa parte, quæ fabricis debetur eccleſiæ, volumus aut per nos, aut per no- ſtros comminiſtros, reſcire quid annuatim tam in luminaribus olei vel ceræ, quam etiam in reſtaura- tione tectorum, vel in ornamentis inde in eccleſia

A pareat. Conuenit etiam vobis, vnum, vel duos, vel tres clericos habere, qui vobiſcum Miſſas celebrent, quos ſalutetis, & a quibus reſalutemini, quia Do- minus in euangelio dicit: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* So- lus autem nemo veſtrum Miſſas celebrare præſumat. In ratione vero ſacrorum, hoc omnibus modis ob- ſeruare debetis, ut in calice aquam vino miſceatis, quia panis corpus, vinum ſanguis intelligitur, aqua quæ in cruce de latere Domini manauit, certiſſime fidelem deſignat populum iunctum capiti ſuo, quod eſt Chriſtus. Quibus deuotiſſime obſervatis, verum Domini corpus procul dubio in veritate conficitur. Et quiſquis ex eo, corde & corpore pu- rificatus, cum fide fuerit recreatus, remiſſionem B peccatorum in illo ſine dubio operatur.

Matth. 1.

Ioan. 19.

XII.

Hoſpites, ſecundum quod poſſible eſt, excipere, & illis, iuxta vires, ea quibus indigent, hilariter ad- miniſtrare ſtudete: & plebes veſtras, ut idipſum fa- ciant, & pedes pauperum lauent, inſtantius admo- nete: ſcientes, quia ſi aliquis pauperum hoſpitium poſtulauerit, & impetrare non meruerit, & extra domum iacens vel a beſtiis fuerit comeſtus, vel fri- gore, aut aliqua aeris aſperitate mortuus, ab illo re- quirendus erit, qui humanitatis ſubſidium ei nega- uerit. Et ſacerdos immunis ab hac culpa non erit, qui auditores ſuos, ut hoſpitalitatem diligerent, non admonuit. Scimus enim quia magna eſt hoſpi- talitatis virtus, per quam plurimi Deo placuerunt, C & angelos hoſpitio recipere meruerunt, ut Abra- hæ, Lot, Tobiæ, & aliis quam plurimis legimus contigiſſe. Semperque meminiſſe debetis quanta ſit merces hoſpitalitatis, dicente Domino: *Hoſpes fui, & * ſuſcepiſtis me.* Verba quoque Apoſtoli ad memoriam frequentius revocate dicentis: *Hoſpita- litatem nolite oblivisci.* Et ut cum B. Iob poſſitis di- cere: *Hoſpitium meum viatori patuit.* Sententiam quoque S. Gregorii in expoſitione euangelica fre- quenter reuoluite dicentis, quia hoſpites non ſo- lum inuitandi ſunt, ſed etiam trahendi. Suſceptis autem hoſpitibus, ſecundum poſſibilitatem veſtram officium humanitatis impendite, iuxta hoc quod legitur: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi vero exiguum, & illud libentiſſime impertire.* Reco- D gitantes quoque & illud euangelicum: *Quicum- que dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Et quoniam contingere ſolet, ut ſuſceptæ perſonæ, illis a quibus ſuſcipiuntur, damnum aliquod infe- rant: ſi quos tales ſuſcipitis, de quorum perſona du- bitetis, in remota eos domo collocate, ne locum in- ueniant, aut ipſi peccandi, aut vobis diſpendium inferendi.

Matth. 25. *alias colle- giſtis.

Hebr. 13.

Iob. 31.

Tob. 4.

Matth. 10.

XIII.

Illud quoque ſummopere cauendum monemus, ut presbyteri, vel clerici, tabernas cauſa conuiuandi non adeant; neque in eccleſiis vinum, excepta cauſa E neceſſitatis, vendere concedant; ſed neque venden- tes aut ementes in ipſis eccleſiis more conuiuan- tium immorari permittant, quod in Concilio Car- thaginenſi ita inhibetur: Nulli epiſcopi, vel clerici in eccleſia conuiuentur, niſi forte tranſeuntes hoſpi- tii neceſſitate illic reficiant; populi autem ab huiuſ- modi conuiuiis, quantum poſſunt, prohibeantur.

Concilium Carth. III. Can. 30.

XIV.

Obſeruandum quoque monemus, ut presby- teri vel clerici feminis non cohabitent, ne- que detrahendi ſe locum donent. De qua re Clemens ſanctæ ſedis Romanæ eccleſiæ præſul ita edocet: *Clericus*, inquiens, *ad feminæ taber- naculum*

naculum non accedat, neque properet. Nec presbyter solus cum sola femina fabulas misceat, definiente sancto Nicæno Concilio, neque episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque vllo clerico omnino licere habere secum mulierem extraneam. Nos vero etiam a matribus, amitis, sororibus, vel propinquis cauendum dicimus, ne forte illud
2. Reg. 13. eueniat quod in sancta scriptura legitur de Thamar sorore Absalon, quam Amnon frater suus male con-
Genes. 10. cupiscendo violauit; de Lot etiam, qui filias suas per ebrietatis vitium similiter corrupit. Quod si aliquis vestrum matrem, sororem, vel amitam ad conuescendum vocauerit, expleto conuiuio, ad domos suas vel ad hospitia a domo presbyteri remota, cum luce diei eas faciat remeare: periculosum quippe est, ut vobiscum habitent, & ideo inhibitum est a sanctis patribus: quoniam excepta supradicta occasione peccandi, femina quæ cum matre, sorore, vel amita, aut nepte ingreditur, non est propinqua: ex quo nisi caute actum fuerit, in laqueum diaboli sacerdotalis ordo incurrere poterit. Inuitati etiam presbyteri a religiosis quibusque pro carorum suorum memoriis non se inebrient, neque inter pocula cantare præsumant: sed neque precationes bibendi sub nominibus sanctorum exerceant; sed potius cum religione prandeant, & cum sobrietate bibant, & quæ ad ædificationem pertinent, loquantur, & ad tempus cum luce diei ad ecclesias suas redeant.

XV.

Vt presbyteri, villici, id est, prouisores villarum non fiant, & procuratores viduarum non existant: & ut conductores agrorum sæcularium non sint, neque vlli turpi negotio & inhonesto victum vel lucrum quærant. Nec etiam de viduarum conuersatione sic curam habeant, quatenus opinionem suam infament, nec de se locum detractioni donent. Et ut curam habeant, ne ministri reipublicæ, id est, vicarii, & centenarii, seu reliqui exactores, advenas & pauperes affligant. Quod si per se emendare non potuerint, nobis vel comministris nostris innotescant.

XVI.

Monemus præterea, ut presbyteri sic ruralibus, id est, terrestribus, & ceteris occupationibus inseruiant, quatenus diuinum officium non negligant, & scholarios suos modeste distringant, caste nutriant, & sic literis imbuant, ut mala conuersatione non destruant: & puellas ad discendum cum scholariis suis in schola sua nequaquam recipiant; & ut turpi lucro & negotiationibus non inseruiant.

XVII.

Illud quoque admonendum censemus, ut ab usuris omnes se subtrahant. Si enim iuxta præceptum Domini, amicos in Deo, & inimicos debemus diligere propter Deum; & eis nostra bona, quæ ipse nobis immeritis contulit, gratis largiri: qua ratio-
Matth. 23. ne possumus ab eis, qui nostri in Christo sunt fratres [ut idem ait: *Vnus est enim pater vester, omnes autem vos fratres estis*] exigere quæ non accommodauimus, & repetere quæ non præstitimus? Vnusquisque igitur quantum præstiterit, tantum recipiat, & eamdem speciem & mensuram annonæ, aut vini, aut argenti, aut certe alicuius precij conualentis, prout inter eos convenerit: ita tamen ut non multiplicetur, neque superaugeatur. De iter agentibus, similiter obseruandum decernimus, ut nulla eis alia mensura in venumdando tribuatur, nisi illa, qua vobis vestra vel accipitis, vel comparatis; quia
1. Thess. 4. scriptum est: *Neque circumuenias in negotio fratrem*
Luc. 6. *tuum.* Et: *Eadem mensura, qua mensi fueritis, reme-*
Deut. 25. *tietur vobis.* Et: *Non habebis diuersa pōdera, maius aut minus, sed sit tibi iustus modius, æquusque sextarius.*

XVIII.

Mercationes vero, quæ divinis & humanis legibus prohibitæ sunt, & nunc denuo diebus dominicis a quibusdam improbis exercentur, modis omnibus inhibemus, & vobis inhibendas omni studio canonica auctoritate decernimus. Ineptum namque est, ut Christianus quilibet ea die, qua resurrectionis dominicæ, nostræque redemptionis memoria recensetur, lucra sæcularia vel mercationes exerceat, quam totam debet in divinis laudibus & officijs, atque oblationibus, pro sua & cunctorum ad se pertinentium salute, atque totius ecclesiæ stabilitate occupare.

XIX.

Sepulturas mortuorum ecclesiastica honestate & pietate vnusquisque presbyter disponat, & ne pro sepeliendis mortuis xenia exquirat. Vnde beatus Gregorius ita præsumentibus talia loquitur: Graue nimis, inquit, & procul est a sacerdotis officio, precium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium. Hoc autem vitium, & nos postquam Deo auctore ad episcopatus honorem Romanæ sedis accessimus, de ecclesia nostra omnino exstirpare decreuimus, & prauam denuo consuetudinem nequaquam vsurpari permittimus. Si autem a deuotis pro suis mortuis quiddam ecclesiæ vel presbyteris sponte offertur, a presbyteris accipi non prohibemus. Quod autem infra ecclesiam neminem sepelire debetis, multis auctoritatibus perdocemur, & maxime beati Gregorii S. Romanæ sedis antistitis. Interrogatus enim a Petro discipulo suo, utrum animabus aliquid prodesset, si mortuorum corpora in ecclesiis sepelirentur, his verbis respondit: Cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis si in ecclesiis sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conueniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata grauia deprimunt, non ad solutionem potius quam ad maiorem damnationis cumulum eorum corpora in ecclesiis ponuntur. Quod melius, inquit, ostendemus, si ea, quæ diebus nostris gesta sunt, breuiter enarremus. Vir namque vitæ venerabilis Felix Portuensis episcopus in Sabinensi prouincia ortus atque enutritus est, qui quamdam sanctimonialem feminam in loco eodem fuisse testatur, quæ carnis quidem continentiam habuit, sed linguæ procacitatem atque stultiloquium non declinauit. Hæc igitur defuncta, atque in ecclesia sepulta est. Nocte autem eadem eiusdem ecclesiæ custos per revelationem vidit, quia deducta ante sacrum altare per medium secabatur, & pars vna illius igne cremabatur, pars autem altera intacta remanebat. Cumque hoc surgens mane fratribus narraret, & locum vellet ostendere, in qua fuerat igne consumpta: ipsa flammæ combustio ita ante altare in marmoribus apparuit, ac si illic eadem femina corpore fuisset igne concremata. Ex qua re aperte datur intelligi, quia in quibus hic dimissa peccata non fuerint, ad euadendum iudicium sacris locis post mortem non valent adiuuari. Ioannes quoque vir magnificus in hac vrbe locum præfectorum seruans, cuius veritatis atque grauitatis sit, nouimus; qui mihi testatus est, Valerianum Patricium in civitate, quæ Brixia dicitur, fuisse defunctum. Cui eiusdem civitatis episcopus accepto precio, locum in ecclesia præbuit, in quo sepeliri debuisset. Qui videlicet Valerianus vsque ad ætatem decrepitam leuis ac lubricus extitit, modumque suis prauitatibus ponere contempsit. Eadem vero nocte, qua sepultus est, beatus Faustinus martyr,

ANNO CHRISTI 889.

in cujus ecclesia corpus illius fuerat humatum, custodi suo apparuit, dicens: Vade, & dic episcopo, projiciat hinc has fœtentes carnes, quas hic posuit, quia si non fecerit, die trigesimo ipse morietur. Quam visionem custos episcopo timuit confiteri. Et rursus admonitus declinavit. Die autem trigesimo. ejusdem civitatis episcopus cum vespertina hora sanus atque incolumis ad lectum rediisset, subita & inopinata morte defunctus est. Ex qua re, Petre, collige, quia hi, quos peccata gravia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat ut etiam de sua præsumptione judicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset. His auctoritatibus roborati, ut a vobis quoque hujusmodi præsumptio caveatur, instanter judicavimus admonendum; & ut talia irrationabiliter postulantibus, rationabiliter, his prolatis auctoritatibus, denegare curetis.

XX.

Rationi quoque proximum esse sanximus, ut in unoquoque mense, statuta die, id est, in Kalendis uniuscujusque mensis, per singulas decanias presbyteri simul conveniant, & convenientes non pastis vel potationibus vacent, sed de suo ministerio & religiosa conversatione, atque de his, quæ in eorum parochiis accidunt, sermonem habeant, & qualiter pro rege, vel rectoribus ecclesiæ, atque pro suis familiaribus, tam vivis quam & defunctis orare debeant, simul considerent.

XXI.

Docete etiam parochianos vestros, ut quando ad ecclesiam conveniunt, orare pro se, proque aliis cum gemitibus & lacrymis studeant, & a verbis otiosis se subtrahant: quia Salvator noster, quando ingressus est templum, & vendentes in illo & ementes eliminavit, protinus dixit: *Scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur.* Et si ibidem aliqui sunt discordes, pia admonitione & sacerdotali exhortatione eos ad concordiam revocate: si vero semel & bis a vobis admoniti, audire refugerint, secundum auctoritatem Agathensis Concilii ab ecclesia excommunicentur. Ita enim in præfato Concilio de his, qui per odium ad pacem non revertuntur, capite trigesimoprimo scriptum continetur: Quod si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur. Item in Concilio Carthaginensi, capite nonagesimotertio: Oblationes diffidentium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.

Matth 21. — Concilium Agath. — Concilium Carth. IV.

XXII.

Quando * autem vobis a nostra parvitate, vel a comministris nostris, jejunium faciendum injungitur, plebes ad ecclesiam venire rogate, & facta litania, & Missis celebratis..... *Cetera desiderantur.*

* Et hoc quoque caput licet mutilum non omisit publicare Cordesius.

** PLACITUM APUD VARENNAS, in quo jussu Ermengardis Reginæ, Bosonis relictæ, ac Ludovici II. imperatoris filiæ, primorumque regni Arelatensis, Bernardus quidam Vassallus dimittere coactus fuit Balmam cellam quam monasterio Gigniacensi ereptam, per donum Ludovici Bosonis atque Ermengardis filii se possidere affirmabat.

ANNO CHRISTI 889.

Ediderunt Sam. Guichenon & Petr. de la Lande.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCLXXXIX. indictione VIII. cum convenissent Ermengardis regina, & cuncti principes Ludovici filii Bosonis, in loco qui dicitur Varennas ad placitum: accesserunt ad ejus præsentiam monachi de Gigniaco monasterio, Berno videlicet abbas, aliique sub ejus regimine positi, conquerentes, & monachali humilitate conclamantes, quod Bernardus ejusdem reginæ vassallus, eorum res injusto ordine invadendo possedisset; hoc est Balmam cellam, quam olim a Rodulpho rege per præceptum acquisierant. Quod tam benignissima & venerabilis regina, quam omnes undecumque confluentium locorum principes diligenter attendentes, diligentiusque audientes, prædictum Bernardum in medium vocaverunt, & cur easdem res teneret, interrogaverunt. Ipse autem respondit, per donum Ludovici prædictas res se tenere credere. Cujus responsionibus nec regina consensit, nec alii consentire dignum fore dijudicaverunt: & tunc ipse per jussionem reginæ, jam dictum locum in præsentia omnium inuerpivit: & ut ultra, easdem res non invaderet, spopondit. Tunc his ita expletis, jussit dominatrix regina tam abbatibus, quam ceteris fratribus, hanc firmitatis scribere notitiam, ut nullo deinceps contradicente, præscriptum locum quieto teneant ordine. Et ut hæc notitia manere valeat firma per multorum temporum curricula, manu propria, manibus tam episcoporum, quam procerum undique confluentium firmavit, affirmarique rogavit, & Bernardi, qui inverpituram istam fecit.

Signum Ermengardis reginæ, quæ fieri jussit, & firmari rogavit.
S. Rostagnus archiepiscopus Arelatensis.
S. Andradus sanctæ Cabilonensis ecclesiæ episcopus.
S. Isaac Gratianopolicensis episcopus.
Richardus gloriosus comes firmavit.
Ragenardus comes firmavit.
Vindo comes firmavit.
Vigo comes firmavit.
Ratterius comes firmavit.
Teubertus comes firmavit.
Signum Bernardi, qui inverpituram istam fecit.

NOTA PETRI DE LA LANDE.

Quod ibi Ludovicus Bosonis filius non appelletur rex, hoc ipsam adstruit epocham hujus Placiti huic anno 889. affixam, jam incepta indictione VIII. more Gallorum, scilicet ab VIII Kalendas Octobr. ejusdem anni. Siquidem illi regis nomen, anno sequente dumtaxat, in synodo Valentina ab Arelatensis regni episcopis ac proceribus delatum est.

ANNO CHRISTI 890.

CONCILIUM VALENTINUM, In quo regis nomen Ludovico Bosonis regis filio ab Arelatensis regni episcopis, proceribusque delatum est, anno Christi DCCCXC. Stephani papæ V. anno V. Odonis regis anno III.

ANNO incarnationis dominicæ DCCCXC. indictione VIII. religiosus, atque satis venerabilis Bernoinus, sacræ sedis Viennensis archiepiscopus, pro quibusdam ecclesiæ suæ, sive generalibus totius regni necessitatibus, sedem adiens apostolicam, consultu ipsius domni apostolici, cui cura & solicitudo instat omnium ecclesiarum, digno quoque suo relatu de perturbatione hujus regni retulit, quomodo post gloriosissimi Caroli imperatoris obitum, aliquamdiu sine rege & principe existens, valde undique afflictaretur, non modo a propriis incolis, quos nulla dominationis virga coercebat, sed etiam a Paganis: quoniam ex una parte Northmanni cuncta penitus devastantes insistebant, ex alia vero Saraceni provinciam depopulantes terram in solitudinem redigebant. His & aliis hujusmodi causis ab eo auditis, reverendus dominus

ANNO CHRISTI 890.

dominus Stephanus apostolicus, ad lacrymas usque compunctus, tam verbis quam scriptis generaliter ad omnes Galliarum cisalpinarum tam archiepiscopos, quam & reliquos venerabiles antistites directis, suo sanctissimo commonuit hortatu, ut unanimes atque concordes omnes in Ludovico, nepote quondam Ludovici gloriosissimi imperatoris, consentientes, hunc super populum Dei regem constituerent. Cum igitur diligenter comperissemus, quod assensus sanctæ catholicæ & apostolicæ matris nostræ huic faveret electioni, simul convenimus in civitatem Valentiam, domnus scilicet Aurelianus Lugdunensis sedis archiepiscopus, necnon & domnus Rostagnus urbis Arelatensis archiepiscopus, venerabilis quoque Arnaldus Ebrodunensis archiepiscopus, ipse quoque domnus Bernoinus Viennensis archiepiscopus, cujus relatu voluntatem domni apostolici venerabiliter accepimus, cum aliis compluribus coepiscopis tractaturi, atque secundum Dei voluntatem quæsituri exploravimus, si hunc digne & rationabiliter secundum monita domni apostolici, cujus scripta præ manibus habebantur, super nos regem constituere deberemus. Assensus itaque in eo omnium fuit, ut nullus melius rex fieri debuisset quam ille, qui ex prosapia imperiali prodiens, bonæ puer indolis jam coadolescebat. Cujus etsi ætas idonea ad reprimendam barbarorum sævitiam minus sufficere videretur: tamen nobilium principum istius regni, quorum non parvus est numerus, consilio & fortitudine, Deo juvante, comprimerentur; maxime inclyti Richardi ducis, eximiique principis fulta juvamine, quinetiam dominæ Hirmengardis gloriosissimæ reginæ. Utilitas regni, insita sibi acutissima atque profundissima a Deo prudentia, adjuncto sibi supradictorum episcoporum digno hortatu, procerumque totius regni consilio, secundum Dei timorem decentissime administrabitur. Denique freti & tanta sublevati fiducia, per Dei, ut credimus, voluntatem, supradictum Ludovicum excellentissimi Bosonis regis filium elegimus, atque in regem ungendum decrevimus, judicantes illum ad hoc dignum, cui præstantissimus Carolus imperator jam regiam concesserat dignitatem, & Arnulphus, qui successor ejus existit, per suum sceptrum, perque suos sagacissimos legatos, Reoculfum videlicet episcopum, & Bertaldum comitem, fautor regni, auctorque in omnibus esse comprobatur. Hac tanta talique fulti auctoritatis licentia, communi omnes in jam dictam civitatem advenientes consensu, hanc regiam fieri decrevimus conscriptionem, manibusque insuper propriis ratam, perennibusque eam temporibus felicem vigere præoptantes, roboravimus, singulique subscripsimus.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

Ludovici, Bosonis filii, qui postea etiam Romæ imperium est adeptus, varia extant diplomata, Viennæ ut plurimum exarata, & Alexandri archicancellarii, qui archiepiscopus fuit Viennensis, nomine subnotata. Cujusmodi est illud Arelati Kalendis Februarii anno XX. editum, quo Manassi archiepiscopo propinquo suo confirmat res omnes ecclesiæ Arelatensis, quas Boso ipsius pater Rostagno Manassis decessori concesserit.

CONCILIUM * VVORMATIENSE

sive Vangionense. Nam idem est.

in causa Hermanni Coloniensis, & Adalgarii Hamburgensis episcoporum de Bremensi ecclesia contendentium celebratum, circa annum Domini DCCCXC. tempore Stephani papæ V.

Acta concilii quæ?

De hac synodo in libello de vitis pontificum, quem sub titulo Luitprandi in lucem emisit Nicolaus Serarius, in vita sancti Stephani V. ista scribuntur: *Hic Hermannum Coloniensem archiepiscopum, & Adalgarium Hamburgensem archiepiscopum, de Bremensi ecclesia contendentes, VVormatiam ad synodum venire jussit, ubi Fulconi Remensi episcopo vice sua commissa, causam eorum examinari mandavit.* Hermannus Coloniensis archiepiscopus interfuit & subscripsit Triburiensi concilio, quinto anno post hæc tempora celebrato; Adalgarius nominatur Bremensis archiepiscopus in concilio Triburiensi, quo eadem hæc controversia agitata, Coloniensi archiepiscopo consensu Formosi pontificis adjudicata fuit. Adamus Bremensis in sua historia ecclesiastica libro 1. cap. 41. Albertus Stadensis anno 896.

De hac eadem synodo Flodoardus libro 4. cap. 1. ista: *Stephanus papa scribit Fulconi Remensi pro altercatione quæ versabatur inter Hermannum Coloniensem archiepiscopum, & Adalgarium Hamburgensem & Bremensem episcopum, pro qua Hermannus eidem papæ suam direxerat querimoniam. Adalgarius autem & suam direxerat, & postmodum per semetipsum accesserat, proclamans ab Hermanno ecclesiæ suæ privilegia violari. Ideoque in suam præsentiam commonuerat utrumque venire. Sed quoniam Adalgario veniente Hermannus defuit, tantæ litis finem imponere papa distulit, ne quidpiam præpropere judicare videretur, unde rediviva contentio futuris temporibus oriretur. Quocirca injungit hanc præsuli nostro sua ipsius papæ vice synodum convocare apud Vangionum civitatem cum vicinis suffraganeis limitaneisque episcopis, ad quam Hermannum Agrippinæ Coloniæ, & Senderoldum Moguntinum cum suis suffraganeis, necnon & eumdem Adalgarium occurrere jusserat, quatenus quid cuique debeatur diligens examinatio declararet.*

"** *Super his quoque*, subjungit idem Flodoardus, *successori hujus Formoso domnus Fulco literas mittens, qualiter hæc a præfato Stephano papa sibi sunt injuncta significavit: & ut sibi auctoritatis suæ in his exequendis scripta dirigeret, expetiit.* Nec plura ille in eam rem.

ANNO CHRISTI 890.

VITA ET EPISTOLÆ FORMOSI PAPÆ.

An & quando Formosus Stephano successerit?

FORMOSUS religione, morum integritate, atque doctrina laudatissimus, electione tumultuaria, elevante se contra eum Sergio diacono, anno Domini DCCCXCI. creatus est pontifex, vere optimus, ut constat ex Luitprando. Eumdem Stephano V. immediate surrogatum fuisse, præter Luitprandum & Flodoardum libro quarto capite primo, asserunt omnes antiqui Romanorum pontificum scriptores, omniaque veterum Græcorum antiqua monumenta. Nam in codice Columnensi Græco supra sæpius citato, ubi redarguitur pseudosynodus Photiana, successorumque Nicolai & Hadriani Romanorum pontificum series texitur, hæc habentur: Post Hadrianum hunc Ioannes; post Ioannem Marinus; post Marinum Hadrianus; alter deinde Stephanus V. deinde Formosus: post hunc alii quatuor, videlicet Bonifacius, Stephanus, Romanus, & Theodorus: & post hos Ioannes, qui hæc scripsit. Quod igitur Leo Ostiensis historiæ Cassinatis libro primo capite quadragesimo octavo Formosum Hadriano subjungit, & Stephano V. anteponit, nisi fortasse intermediis omissis de

Marianus & Sigebertus redarguuntur. Formosus qualis?

sis de Stephano VII. qui vulgo sextus nuncupatur, intelligi velit, erroneum est. Marianus vero & Sigebertus, eorumque imitatores recentiores historici, nonnisi per somnum excogitasse videntur, quod Agapetum & Basilium duos imaginarios pontifices numquam visos vel auditos Stephano ejusque posteris anteponunt. Hunc Anastasius in Nicolao magnæ sanctitatis episcopum nominat. Hincmarus Remensis archiepiscopus, teste Flodoardo libro tertio historiæ Remensis capite 20. eidem scripsit, collaudans ejus quam audierat sanctitatis & scientiæ famam, quærensque ejus habere familiaritatem: & ut ipse pro se dignaretur orare, vicem rependere spondens, & quædam ei munera mittens, ut sui memoriam in orationibus habeat. Episcopatum Portuensem multo tempore pie & sancte administravit, adeo ut judicio sanctissimi Nicolai papæ I. dignus habitus fuerit, qui ad Bulgaros fide orthodoxa imbuendos apostolus mitteretur: cumque ibidem annis plurimis degisset, gentemque illam ad Christi fidem convertisset, majorem sibi inde gloriam comparavit. Hunc Ioannes papa VIII. qui magno suo dedecore res suorum prædecessorum bene dispositas visus est aversari: (nam Photium Constantinopolitanum & Zachariam Anagniæ episcopum, quos Nicolaus & Hadrianus prædecessores Ioannis sæpius damnaverant, vixque ad pœnitentiam vel laicam communionem recipiendos esse juste statuerant, ille non tantum restituit, verum etiam ipsum Zachariam Anagninum honorifico munere bibliothecarii apostolicæ sedis auctum, consiliarium suum fecit, eique legationes plures credidit,) episcopatu depositum, degradatum, & ad sortem laicorum redactum ab urbe relegavit, jurareque coegit, se numquam episcopatum suum repetiturum; sed laica communione contentum deinceps quieturum. Qua de causa Ioannes in eum hac ratione animadverterit, non constat: nisi quod fortasse ob res male gestas, a Formoso correptus, & admonitus, ipsum velut rebellem ex albo episcoporum eradendum esse putaverit. Marinus Ioannis papæ successor, virum meritis supra recensitis insignem apostolatus honore condecoratum, hac ignominia obrutum, ut par erat, erexit, erectumque haud dubie a juramento per vim & metum extorto absolvit, & pristinæ dignitati restituit. Obtemperans sententiæ & mandato pontificis Formosus, episcopatum resumpsit. Cumque hoc potissimum tempore pessimorum tyrannorum invasione Romana ecclesia gravissime affligeretur, ipse vero Formosus Portuensis episcopus toto terrarum orbe, ut supra ex Flodoardo & Luitprando ostendimus, sanctissimus simul & doctissimus haberetur & coleretur: bono totius ecclesiæ catholicæ, prout sæpius factum fuerat, ex episcopo Portuensi ad moderandas habenas totius orbis catholici translatus est ad episcopatum & pontificatum Romanæ ecclesiæ: cujus initio, epistolam illam, quam Stylianus destinaverat ad Stephanum V. priusquam Romam afferretur defunctum, accepit, aliamque infra extantem reddidit. Valde solicitus fuit, ut Carolum Simplicem filium Ludovici Balbi, legitimum Galliarum regni heredem, in regno stabiliret, ut constat, ex epistolis quas hac de re ad Fulconem Remensem & alios scripsit, ut ex Flodoardo discimus. VVidonem qui ante 15. annos sibi nomen imperatoris usurpaverat, ut ex quodam antiquo diplomate docet Baronius, anno pontificatus sui 2. filium vero ejusdem VVidonis Lambertum sequente anno, Occidentis imperatores legitime creavit, unxit & co-

Quid a Ioanne VIII. passus?

Marinus Formosum restituit.

Formosus cur pontifex factus ex Portuensi episcopo?

Flodoard. lib. 4. c. 2. & 3.

Quos imperatores coronaverit?

A ronavit. Quare non aliter quam per surreptionem, ut acta concilii Romani sub Ioanne IX. testantur, accidisse potuit, quod idem pontifex Formosus anno pontificatus sui sexto & ultimo Arnulphum vocaverit, eique coronam imperii occidentalis imposuerit. Corrigendus est igitur communis error chronographorum, qui contra præscriptum sacrorum Canonum, & auctoritatem sedis apostolicæ, post Carolum Calvum, VVidone & Lamberto omissis, in serie occidentalium imperatorum enumerant Arnulphum, qui legitime numquam electus & coronatus, imperatoris titulo numquam condecorandus erat. Per electiones & coronationes supra enarratas civium Romanorum invidiam

Arnulphus chronologia imperatorum Romanorum eximendus est.

B & odium maximum incurrit; eorumque vivens simul & mortuus gravissimas injurias, contumelias ac sacrilegia sustinuit. De iis quæ a Romanis civibus passus est vivens, Luitprandus lib. 1. cap. 8. his verbis enarrat: Hoc in tempore Formosus papa religiosus a Romanis vehementer afflictabatur, cujus & hortatu rex Arnulphus Romam advenerat. In cujus ingressu ulciscendo papæ injuriam multos Romanorũ principes obviam sibi properantes decollari præcepit. Quas injurias, quæve probra successores illius Stephanus VI. & Sergius III. vel per facti ignorantiam, vel per summum sacrilegiũ eidem pontifici intulerint, quomodo exhumatus & tribus digitis mutilatus sit, iteratis & repetitis ordinibus eorum, quos

Formosus quid in vita passus?

Formosus post mortem judicatus & exhumatus.

C Formosus ordinaverat, dicã infra in vita Steph. VI.

Anno domini 896. pontificem a scriptoribus hujus temporis valde commendatum obiisse, postquam 6. annis sedem pontificiam tenuisset, testantur Regino, Luitprandus, & Adamus Bremensis. Errant ergo recentiores, qui anno 895. anno pontificatus sui quinto, eumdem ex hac vita decessisse scribunt. *Hæc Baronius tom. X. annalium.*

Quando obierit?

EPISTOLA I. FORMOSI PAPÆ AD STYLIANUM NEOCÆSAREÆ

Euphratesiæ provinciæ episcopum.

Respondet literis a Styliano ad Stephanum papam V. missis, quas supra descripsimus.

D LITERAS sanctitatis tuæ ad apostolicam sedem missas, *&c. Ita decurtata in codice habentur, & post multa brevitatis causa omissa, hæc sequuntur:* Petis misericordiam, & non scribis quomodo sit exhibenda, neque cui, sæculari videlicet vel sacerdoti. Si enim sæcularem dixeris, venia dignus is erit, tamquam a sæculari dignitatem adeptus: si vero sacerdotem dicas, non adhibes mentem quod dignitatem præbere non potuit qui dignitatem non habebat. Nihil potuit dare Photius præter damnationem quam habuit, per impositionem obliquæ manus; & damnationem præbuit. Quomodo dignitatem potuit accipere qui particeps factus est condemnato? Quoniam pro ordinato misericordiam obtinere petis, animadverte quod ordinatorem

E potius foves, juxta Domini sacrum eloquium: *Vel facite arborem bonam & fructus ejus bonos: vel facite arborem malam, & fructus eius malos. Numquid potest ficus uvam producere, vel vitis ficus?* Oportebat igitur istam ecclesiam, in qua talia deprehenduntur facta, gravissimas dare pœnas, ut hujusmodi pœnis vestra ecclesia purgaretur. Continet autem nos benignitas & fratrum dilectio, quæ nobis persuadet ut alia quidem toleremus, alia vero omnino e medio tollamus. Quapropter misimus e latere nostro religiosissimos episcopos Landenulphum Capuanum, & Romanum, quibuscum sanctitatem etiam tuam hortamur convenire, nec non Theophylactum metropolitanum Ancyræ,

Matth. 12.

ANNO CHRISTI ....

Ancyræ, & Petrum fidelem nostrum: ut ita ante omnia in Photium prævaricatorem & legum eversorem sententia a prædecessoribus œcumenicis pontificibus synodice prolata, necnon a nostra humilitate confirmata, perpetuo tempore immutabilis permaneat. Cum iis vero qui a Photio fuerunt ordinati misericorditer nos gerentes, decernimus ut oblatis libellis se deliquisse fateantur, & pœnitentia veniam deprecentur, pollicentes se nunquam tale quid commissuros. Deinde his peractis, quæ sequuntur omnia, quæ nostris literis mandata conspiciuntur, una cum prædictis viris sanctitas tua peragat, nec aliquid addendo, nec diminuendo aut commutando. Ita enim & a nobis, & a reverentia tua in communionem fidelium receptis ut laicis, scandalum delebitur. His vero peractis, si quis ipsorum communicare renuerit, noverit seipsum a communione nostra alienum fore. In Domino valete.

SYNODUS AB EDVARDO SENIORE REGE ANGLORUM CONGREGATA, præsidente Pleigmundo archiepiscopo Doroberniæ.

Cum Formosus papa regem & Angliam totam interdixisset, quod multi in ea episcopatus per annos multos suis viduarentur episcopis, jam ad impetrandam absolutiotionem, septem simul ad episcopatus totidem episcopi eliguntur.

De tempore huius Synodi nō plane constat: ideo annum eius incertum reliquimus.

SED ut ad nostrum, *inquit Malmesburius*, Edvvardum revertar, quid ejus tempore de renovandis episcopatibus a papa Formoso præceptum sit, jucundum puto memoratu: itaque verbis eisdem quibus inveni scriptum interseram.

Anno, quo a nativitate domini transacti sunt anni nongenti quatuor, misit papa Formosus in Angliam epistolas, quibus dabat excommunicationem, & maledictionem regi Edvvardo, & omnibus subjectis ejus, pro benedictione, quam dederat beatus Gregorius genti Anglorum a sede sancti Petri. Nam per septem annos plenos destituta fuerat episcopis omnis regio Geuissorum, id est, VVestsaxonum. Quo audito, congregavit rex Edvvardus Synodum senatorum gentis Anglorum, cui præsidebat Pleigmundus archiepiscopus Cantuariensis interpretans districte verba apostolicæ legationis. Tunc rex & episcopi elegere sibi suisque salubre consilium, & juxta vocem dominicam: *Messis quidem multa, operarii autem pauci*: elegerunt & constituerunt singulos episcopos singulis provinciis Gevissorum; & quod olim duo habuerunt, in quinque diviserunt. (Matth. 9.)

Acto concilio archiepiscopus Romam cum honorificis muneribus adiit, papam cum magna humilitate placavit, decretum regis recitavit, quod apostolico maxime placuit. Rediens in patriam, in urbe Cantuariæ uno die septem episcopos septem ecclesiis ordinavit: * Fridestanum ad VVintoniensem, Adelstanum ad Cornubiensem, VVerstanum ad Schirebornensem, Athelelmum ad VVellensem, Eidulfum ad Cridiensem in Devonia.

* al. Frethelstanum

Sed & aliis provinciis constituit duos episcopos. Australibus Saxonibus virum idoneum Bernegum, & Merciis Cenulphum, ad civitatem Dorcestriæ in pago Oxoniæ: hoc etiam totum papa firmavit, ut damnaretur in perpetuum, qui hoc infirmaret decretum.

Eadem narratio ex tabulario Cantuariensis ecclesiæ.

In Registr. Priorat. Eccl. Cant. fol. 3. B.

Anno dominicæ incarnationis 905. Formosus papa misit in terram Anglorum ad regem Edvvardum cum magna iracundia & devotione, eique mandavit cum suis omnibus maledictionem contra benedictionem quam beatus papa Gregorius per sanctum Augustinum genti Anglorum miserat, nisi cum episcopis restituisset destitutas parochias episcoporum, secundum antiquam traditionem, quæ tradita est genti Anglorum a sede B. Petri. Nam septem annos plene destituta est regio Geuissorum ab omni episcopo. Quo audito, congregavit Edvvardus rex Synodum senatorum gentis Anglorum, in qua præsidebat Plegemundus archiepiscopus, regi recitans & disputans districta verba apostolicæ legationis, quæ misit beatus papa Formosus. Tunc sibi rex cum suis, & Plegemundus archiepiscopus, salubre consilium invenerunt, assumentes dominicam sententiam: *Messis quidem multa, operarii autem pauci*. Singulis tribubus Geuissorum singulos constituerunt episcopos, & singulis episcopia constituerunt; & quob dudum duo habuerunt, in quinque diviserunt. Acto illo concilio, cum honorificis muneribus Plegemundus archiepiscopus Romam rediit, apostolicum Formosum cum magna humilitate placavit, & regis decreta & seniorum regionis enuntiavit: quod apostolico maxime placuit. Rediens ad patriam, in urbe Dorobernia septem episcopos septem ecclesiis in uno die ordinavit. Frithauum videlicet ad ecclesiam VVintoniensem: Ethelstanum ad ecclesiam Corvviensem: VVerstanum ad ecclesiam Sareburnensem: Ethelelinum ad ecclesiam Fontaniensem: Eadulfum ad ecclesiā Cridiensem: cui etiam addiderunt tres villas in Cornubia, quarum nomina sunt hæc, Paltun, Celling, Laudintham: ut inde singulis annis visitaret gentem Cornubiensem, ad extirpandos eorum errores. Nam antea in quantum potuerunt veritati resistebant, & non decretis apostolicis obediebant. Sed & aliis provinciis constituit Plegemundus archiepiscopus duos episcopos. Australibus Saxonibus virum idoneum Bernodum ordinavit, & Mercionibus Cenulphum ad civitatem quæ dicitur Dorkecestre. Hoc autem totum papa Formosus in Synodo sancti Petri sic conclusit, ut damnaretur in perpetuum qui hoc salubre mutaret Concilium. Misit etiam in Britanniam literas, quarum exemplar hoc est.

EPISTOLA FORMOSI PAPÆ AD EPISCOPOS ANGLIÆ.

De ecclesia Anglicana bene ordinanda.

Fratribus & filiis in Christo omnibus episcopis Angliæ Formosus.

*AUDITO, nefandos ritus Paganorum partibus in vestris repullulasse, & vos tenuisse silentium, ut canes non valentes latrare: gladio separationis a corpore Dei ecclesia vos ferire deliberavimus. Sed quia, ut nobis dilectus frater noster Pleimundus intimavit, tandem euigilastis, & semina verbi Dei olim venerabiliter jacta in terra Anglorum cœpistis renovare: mucronem * devotationis retrahentes, Dei omnipotentis & beati Petri apostolorum principis benedictionem vobis mittimus, orantes, ut in bene cœptis perseverantiam habeatis. Vos enim estis, fratres, de quibus loquens Dominus, inter alia inquit: *Vos estis sal terræ, & si sal evanuerit, in quo salietur?* & iterum: (Matth. 5.)

* Auditis nefandorum ritibus Paganorum.

* devotationis

rum : *Vos estis lux mundi* : significare volens per A verbi sapientiam condiri mentes hominum a vobis debere; & in moribus & in vita vestra bonæ actionis studium quasi lumen apparere fidei, per quod gradientes ad vitam, quomodo caute ambulent, videant, ut ad promissionem æternæ beatitudinis sine offensa currentes, valeant pervenire. Nunc accingimini ergo, & vigilate contra leonem, *qui circuit quærens quem devoret*, & non patiamini ulterius in regione vestra, penuria pastorum Christianam * fidem violari, gregem Dei vagari, dispergi, dissipari : sed cum unus obierit, alter qui idoneus fuerit canonice protinus subrogetur. Nam secundum legem *plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere*. Quod David B considerans, * ait : *Pro patribus tuis nascentur tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Nulla itaque mora sit subrogandi alium, cum quilibet sacerdotum ex hac vita migraverit; sed mox ut illi, qui primæ sedis principatum gerens, inter vos ceteris episcopis præesse dignoscitur, fratris obitus fuerit denuntiatus, facta electione canonica, alter consecratus succedat. Qui autem inter vos principatum tenere debeat, quæve sedes episcopalis ceteris præpolleat, habeatque primatum, ab olitanis temporibus notissimum est. Nam, ut ex scriptis beati Gregorii, ejusque successorum tenemus, in Dorobberniæ civitate metropolim sedemque primam episcopalem constat esse regni C Anglorum, cui venerabilis frater noster Pleimundus nunc præesse dignoscitur; cujus honorem dignitatis nos nullo pacto imminui permittimus; sed ei vices apostolicas per omnia gerere mandamus.

1. Petr. 5.

* religionem

Hebr. 7.

* & in spiritu Christ ecclesiam futuram fore permansuram ad finem usque sæculi prospiciens.

Psal. 44.

Et sicut beatus Gregorius papa primo vestræ gentis episcopo Augustino omnes Anglorum episcopos esse subjectos constituit : sic nos prænominato fratri Doroberniæ sive Canterberiæ archiepiscopo, ejusque successoribus legitimis, eamdem dignitatem confirmamus, mandantes, & autoritate Dei, & beati Petri apostolorum principis præcipientes, ut ejus canonicis dispositionibus omnes obediant; & nullus eorum quæ ei, suisque successoribus apostolica autoritate concessa sunt, D violator existat. Si autem quivis hominum contra hæc aliquando niti, ac imminuere ista tentaverit : sciat se procul dubio mulctandum fore gravi anathemate, & a corpore sanctæ ecclesiæ, quam inquietare molitur, perpetuo, nisi resipuerit, separandum.

NOTA GABR. COSSARTII S. I.

Synodum Anglicanam modo relatam attribuit Malmesburiensis, non anno 904. ut ait Baronius; sed 905. *Anno*, inquit, *quo a nativitatē trāsacti sunt anni* 904. Quem annum quis neget esse nongentesimum quintum? Et consentiunt, ut vides, acta Cantuariensis ecclesiæ Sed nodus hic se offert vindice dignus, quem post Baronium animadvertit collector Anglicanus. Qui enim concilium hoc haberi anno nongētesimo quinto potuerit sub Formoso Papa, qui annis ante decem objerat? quo pacto pontificias litteras ad Eduardum seniorem dederit Formosus, qui pontifex Eduardo regnante non fuit? Nam Formosus anno 896. obiit : Eduardus anno 901. regnare cœpit.

Huic reparandæ labi conjecturam Spelmannus affert parum felicem *Si Formosum*, (inquit) *surrepsisse censeam pro Leone papa V. non video quin sana sint omnia.* Atqui non minus certe desperata erunt. Primum enim Leo V. anno tantum 906. pontifex creatus est : & sunt qui ad 907. rejiciant. Itaque si quis esset Spelmanni divinationi locus, error esset non in Formosi tantum nomine; sed in anni ipsius nota. Deinde diebus tantum quadraginta pontificatum Leo V. tenuit. Nemini autem persuadebit Spelmannus, tantillo spatio temporis dedisse ipsum ad Anglos litteras, iis perlectis coactum in Anglia concilium fuisse, legatum a concilio Plegmundum Romam appulisse, placasse pontificem, litteras ab eo retulisse.

Itaque si expungendum est Formosi nomen, longe profecto commodius substituetur ejus in locum Ioannes IX. qui anno nongentesimo quinto, regnante in Anglia Edvardo ecclesię præfuit. Certe Polydorus Virgilius libro historiæ suæ VI. eo pontifice id totum contigisse narrat, sive Malmesburiensis errorem emendavit ipse per sese, sive aliis ex actis rem didicit. Quamquam Ioannes X. pro IX. perperam in Polydori libro scriptus est : ut & in historia Anglicana Andreæ Duchesnij, qui Polydorum nimia fortasse fide secutus est. Hanc enim ab eo perspectam & discussam esse difficultatem vix persuadere mihi possum, cum in sua Romanorum pontificum historia, secundæ etiam editionis, narret anno 904 Formosi papæ & Eduardi regis tempore hæc omnia gesta esse.

Baronij conjectura errorem omnem librario tribuit, qui annum nongentesimum quintum scripserit pro octogesimo nonagesimo quinto. Sed animadverte e par erat, Pontificem quidem eo anno Formosum fuisse, Eduardum autem minime in Anglia regnasse.

Quod si ad Baronianam hanc emendationem addatur altera, & pro Eduardo rege scribatur Alfredus ejus pater, qui & Alvredus, & Ælfredus nuncupatur, difficultas nulla superent : nisi quod septem illi episcopi quorum hic mentio, creati non fuerint nisi anno 905 A. leve istud est, cum id qui scripserunt, Malmesburiensem sint secuti : ac proinde, eodem quo Malmesburiensis modo, emendandi.

Erunt forte quibus hæc conjectura non displiciat : erunt qui alteram præferant, quæ Ioannis nomen substituit. Nos rem in medio relinquimus.

** SYNODVS MAGDVNI AD LIGERIM IN ECCLESIA B. LIFARDI CONFESSORIS.

ANNO CHRISTI 891.

C In qua VValterio Senonensi archiepiscopo deprecante sancitum est anno DCCCXCI. Ind. IX. ne quis in posterum abbas ordinetur in cœnobio S. Petri Senonensis, nisi quem ipsi monachi sua dispositione ex suis elegerint.

Ex Chronico S. Petri Vivi Senonensis, edito a D. Luca Dacherio Tomo II. Spicilegii.

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCXCI. Indictione nona, celebrata est synodus in Magduno super fluvium Ligeris, in ecclesia beati Lifardi confessoris Christi, regia jussione gloriosi regis Odonis diversis ecclesiarum episcopis confluentibus : ubi cum de diversis ecclesiæ utilitatibus & negotiis tractaretur, exposita est in omnium D præsentia ratio Fratrum beati Petri apostolorum principis cœnobii Senonensis ecclesiæ in ejus suburbio constituti : dicentes se plurimum ex revolutis temporibus discriminis jacturam tolerasse enormiter, idcirco quod eis a suis pontificibus, Senonensis videlicet ecclesiæ præsidibus, multi ex aliis cœnobiis in prælaturam regiminis abbates constituerentur. Quod utique quia præter regulam beati Benedicti & institutionem sanctorum canonum esse videbatur, sancitum est a beatissimis pontificibus, monente, imo & deprecante ejusdem loci venerabili pontifice Gualterio Senonensis ecclesiæ, ut nullus deinceps ordinaretur vel constitueretur pater Monasterii, nisi quem ipsi sua E dispositione & libitu voluntatis ex suis eligerent. Quocirca præsenti privilegio solenniter a prædictis decretum est præsulibus, ut quicumque temerarius hanc tantorum autoritatem Patrum præsumpserit violare, sub vinculo anathematis habeatur, & autoritate qua Dominus noster Iesus Christus potestatem contulit Discipulis suis ligandi & solvendi dicens : *Quodcunque ligaveritis, &c.* Omnium igitur manibus roboretur quod omnium consensu firmatur.

Et subscripserunt omnes, qui ibi aderant, episcopi videlicet, & archiepiscopi, quorum hæc sunt nomina.

Gual-

ANNO CHRISTI 109!.

Gualterius immerito sanctæ Senonensis ecclesiæ archiepiscopus confirmavit. A
Edacius Bituricensis ecclesiæ archiepiscopus.
Hebernus Turonorum archiepiscopus.
Herfridus episcopus.
Teodardus Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus.
Adalgarius Æduorum episcopus.
Herfredus episcopus.
Semper Agilmari maneat sub nomine * firma. (*hoc est confirmatio & subscriptio.*)
Eumenus Nivernensis episcopus,
Glimerius Carnotum episcopus.
Addolenus Albiæ episcopus confirmavi.
Agilbertus gratia Dei Bituricensis episcopus.
Vvalterius episcopus Aurelianensis.
Servus Dei humilis episcopus Gerondensis. B
Guarinus * Coroacensis episcopus. (*f.* Cauriacensis.)
Adaldus humilis Archipræsul.

CONCILIVM VIENNENSE,

ANNO CHRISTI 892.

ab episcopis regni Arelatensis, præsidentibus Formosi papæ legatis, Viennæ celebratum in basilica Saluatoris, anno Christi DCCCXCII. Formosi ejusdem papæ anno II. Odonis regis V.

TITVLI CANONVM.

I. *Vt sæculares, qui res ecclesiasticas detinent, nisi admoniti se correxerint, excommunicentur.*
II. *Vt sæculares, qui clericum aliquem occiderint, vel dehonestarint, nisi ecclesiæ satisfaciant, excommunicentur.* C
III. *Vt qui ægrotantis seu defuncti episcopi vel presbyteri eleemosynam fraudat, excommunicetur.*
IV. *Vt sæculares, ecclesias inconsultis episcopis non dent: neque censu ullos introitus causa exigant.*

PRÆFATIO.

HÆC capitula facta sunt anno dominicæ incarnationis DCCCXCII. indictione x. jussu domni Formosi apostolici congregata Synodo apud Viennam metropolim Galliæ, præsentibus legatis sanctæ apostolicæ sedis venerabilibus episcopis Paschali & Ioanne, & aliis coepiscopis ejusdem D regni, quorum nomina subter habentur adscripta, in basilica urbis, ipsius sancti Salvatoris nomine consecrata.

CANONES.

I.

Vt ab iniusta invasione & possessione ecclesiasticarum rerum, sæculares abstineant, & qui hactenus hoc fecisse noscuntur, emendare cogantur: & si admoniti non se correxerint, tunc congruo tempore E virtute Spiritus sancti, ex auctoritate beati Petri apostoli, habeantur excommunicati.

II.

Vt sæculares, qui de catalogo clericorum aliquem occiderint, vel castrauerint, vel aliquo membro detruncauerint, seu temere dehonestauerint; & de præteritis pœnitendo ecclesiæ satisfaciant, & emendare studeant. Quod si non fecerint, supradicto tempore excommunicentur.

III.

ANNO CHRISTI 892.

Vt eleemosynam episcopi, vel presbyteri, ægrotantis seu defuncti, nemo qualibet fraude violare præsumat. Quod si quis fecerit, nisi emendauerit, simili sententia feriatur.

IV.

Vt nemo sæcularium, ecclesias dare, vel offerre, absque consilio & voluntate episcoporum, ad quos ipsæ ecclesiæ pertinent, præsumat. Et ut nulli census a presbyteris loco muneris ad introitum, ut dicunt, ecclesiarum exquirantur, aut vi aliqua extorqueantur.

NOTA IACOBI SIRMVNDI, S. I.

Editum a Baronio in appendice tomi XII. ex codice Massoniano, qui nunc est in bibliotheca archiepiscopi Tolosani. Visuntur & alia eorumdem canonum quædam exemplaria.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

Ioannes le Maire, in libello Gallico de differentia schismatum & conciliorum ecclesiæ, narrat se in codice MS. monasterii Athanacensis ad confluentes Araris ac Rhodani prope Lugdunum extructi, legisse, celebratum fuisse Viennæ concilium in ecclesia sancti Salvatoris: cui præsidebant legati Paschalis ac Ioannes, (subscripserunt vero Barmon (legendum haud dubie Barnoin, isque ipse est qui paullo ante in Cabilonensi ad ann. 887. in Valentino ad ann. 890. & alibi, dicitur Bernoinus sive Barnuinus) Viennensis Archiepiscopus, Aurelianus Lugdunensis Archiepiscopus, Isaac Valentinus episcopus, Isaac alter Gratianopolitanus episcopus, & alii multi. Ex eo autem hunc citat canonem, qui non reperitur in Baronianis annalibus, nec in Binii Sirmondive conciliis.

Vt Presbyteri non in villis, sicut quibusdam consuetudinis est, morentur; & feminas secum in domibus suis habitare non permittant, exceptis illis quas canonica permittit autoritas.

Monendos vero hic lectores arbitror barbare a nonnullis vocari abbatiam Desneæ Lugduni, quæ dicenda erat Athanacensis, Gallice, *l'Abbaye d'Aisnay.*

CONCILIVM REMENSE IN QVO

ANNO CHRISTI 892. seu 893. ex Romana an. Christi putatione.

Carolus Simplex, filius Ludovici Balbi, Francorum regni legitimus successor, a Fulcone Remensi episcopo, Odone comite qui tyrannice regnum invaserat rejecto, rex Francorum ungitur, & datæ sunt comminatoriæ literæ ad Balduinum comitem Flandrensem rerum ecclesiasticarum invasorem, anno Domini DCCCXCII. tempore Formosi papæ.

NOTA IACOBI SIRMVNDI, S. I.

Arguebatur Balduinus, quod presbyterum flagellarat; quod basilicas presbyteris quibusdam abstulerat, aliisque dederat inconsulto episcopo; quod Noviomensis ecclesiæ res invaserat, & monasterium quoddam sibi usurparat; quod denique contra regem insurrexerat. Hæc enim, Flodoardo teste, capita sunt epistolæ, quam Fulco Balduino eidem post synodum scripsit.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S.I.

Carolum simplicem a Fulcone inunctum fuisse in regem Francorum die 28. Ianuarii, plurima docent eiusdem principis aliorumque diplomata, quæ non est opus hic pluribus recensere. Quod vero ad annum Christi spectat, rectius ex vulgari Iulianæ correctionis numeratione, dixeris fuisse 893. licet tum nostrates Galli labentem adhuc numerarent

ANNO CHRISTI 892.

annum 892. usque ad Incarnationis Dominicæ festum aut Paschales ferias; quod pauci ex Chronologis advertunt, dum Romanam Gallicamque supputationes perperam inter se permiscent.

NOTA SEVERINI BINII.

Concilii causa.

Cum Odo comes Parisiensis titulum regni Franciæ ab obitu Caroli Crassi imperatoris, qui teste Reginone anno domini 888. ex hac vita migravit, hucusque tyrannice usurpasset, regiaque potestate abusus fuisset, neque ante hæc tempora Carolus Simplex heres unicus regni hereditarii superstes, per ætatem ad clauum imperii tenendum satis aptus fuisset: jussu Fulconis convenerunt episcopi & proceres regni, atque unanimi consensu definiuerunt, regnum Galliæ hactenus per successionem ad proximos heredes agnatos deuolutum fuisse, ideoque non alii quam Carolo Simplici filio Ludouici Balbi de jure & consuetudine antiquissima deberi. Post exautoratum ergo Odonem Parisiensem comitem, Carolum Fulconi inungendum tradiderunt. Cumque hac de causa Fulco Arnulphum contra se valde commotum esse intellexisset: scribens ad eum literas (quas summatim recenset Flodoardus hujus temporis scriptor probatissimus) causas reiecti Odonis & electi Caroli Simplicis, aliaque, quæ supra recensita sunt, commemorat. Verba Flodoardi libro quarto capite 1. & sequentibus ista sunt: *Quod Fulco Arnulpho regi transrhenensi litteras mittens pro causa regis Caroli, quem parvulum adhuc unxerat regem, reddit causas eius provectionis, eo quod audierat, motum fuisse animum ipsius Arnulphi contra se pro hac perpetratione: commemorans quod decedente Carolo imperatore hujus Arnulphi auunculo, in ipsius Arnulphi servitium fuerit profectus, cupiens ejus suscipere dominium & gubernationem: sed ipse rex eum sine ullo consilio vel consolatione dimiserit. Vnde cum nec in eo sibi spes ulla remansisset, coactus sit eius hominis, videlicet Odonis dominatum suscipere, qui a stirpe regia existens alienus, regali tyrannice abusus fuerat potestate, cuius & invitus hactenus dominium sustinuit. Et quoniam huius Arnulphi dominium desideravit,* C *idcirco ad ipsius servitium profectus fuerit. At postquam nullum consiliũ in eo reperire valuit, hoc solum quod restabat egit, eligens eum regem habere, quem solum post ipsum de regia habebant progenie, & cuius prædecessores & fratres extiterant reges.*

Carolus a Fulcone Remensi episcopo vngitur rex.

De hoc etiam, quod idem rex Arnulphus in culpam trahebat, quare non id ante fecissent, reddit rationem. Quod quando Carolus imperator decessit, & idem Arnulphus regimen hujus regni suscipere noluit, hic Carolus adhuc admodum corpore simul & scientia parvulus existebat, ac regni gubernaculis inidoneus erat, & instante immanissima Northmannorum persecutione, periculosum erat tunc tenerum eligere. Vt vero ad eam viderunt illum perductum ætatem, in qua salubre sibi consilium dantibus assensum præbere noverat: susceperint eum secundum Dei honorem, ut regno consuleret, volentes eum ita instituere, quatenus huic regno & ipsi Arnulpho proficuus valeret existere. De eo quoque quod sine ipsius Arnulphi consilio præsumpserint hoc agere, morem Francorum gentis asserit secutos se fuisse, quorum D *mos semper fuit, ut rege decedente, alium de regia stirpe vel successione, sine respectu vel interrogatione cujusquam majoris aut potentioris regis, eligerent. Hoc more hunc regem factum ipsius fidelitati & consilio committere voluerunt, ut ipsius adjutorio & cõsilio uteretur in omnibus, & eius subderetur tam rex quam universum regnum præceptis & ordinationibus.*

Præterea quod audierat huic regi suggestum, quia contra fidelitatem ipsius, & propter privatum hoc egit commodum: infert, quod clericus ipse, qui hæc iactasse videbatur, antequam de re hujuscemodi aliquid idem archiepiscopus agere conaretur, venerit ad se, præsentibus Hereberto & Elfrido comitibus, & consilium simulque auxilium quæsiverit quid agere deberet de iussionibus Odonis, qui res importabiles ei præcipiebat. Ex parte quoque filiorum Goffredi consilium petierit de malo, quod Odo eis facere conabatur: rogare itaque, ut tale caput communi consilio statueretur, per quod securi possent esse subditi, intendentes vel in VVidonem, vel in hunc regia prosapia Carolum: & E *simul considerantes quotquot fuerant, ad quem melius attendere deberent, visum illis est propter acquirendi regis utilitatem, & ipsius Arnulphi cavendam contrarietatem, propterque rectum congruumque regii generis principatum, ut ad hunc Carolum se converterent, credentes quia Arnulphus hoc de propinquo suo gratum haberet, ipsique & regno præsidium ferret. Quod autem iactatum audierat causa VVidonis hoc eum fecisse, ut hac arte illum subintroduceret in regnum, & dimisso parvo Carolo se verteret ad VVidonem: asserit livore invidiæ contra se scienter hæc falso fuisse iactata. Ait etiam quod qualis erat ipse, qui talia diffamabat, talem eumdem posse fieri sentiebat: ipse vero non se talem fore, nec talibus ortum natalibus recognoscat. prædecessores quoque ipsius regis nequaquam talia ingenia a progenitoribus suis experti fuerant, quos in omni fidelitate & regni utilitate probatos habuerint, ideoque honorifice illos sublimaverint: quapropter erubescendum eidem regi fuisset, ut hoc de se crederet, vel infamia se tali notaret.*

ANNO CHRISTI 892.

A *Denique de hoc quod audierat ipsi Arnulpho dictum fuisse, quod hic Carolus filius Ludovici non fuerit: asseverat, neminem se posse credere fore, qui eum si viderit, & parentem ipsius agnoverit, non agnoscat illum de regali processisse progenie: quædam etiam signa Ludovici patris sui gestare, quibus agnoscatur filius illius fuisse. Poposcit ergo Arnulphi regiam maiestatem, ut hæc vera dignanter accipiat, nullusque animum ipsius contra regem innocentem, propinquum suum, commovere valeat. Sed utrum hæc quæ asserit ita se habeant, in sua præsentia fideliumque suorum examinari faciat, & ad debitum finem perducat: cogitans qualiter antecessores sui, regni statum gubernaverint, & quomodo regalis culminis successio semper hucusque viguerit. Cum vero ille tantum princeps Carolus de tota regali stirpe remanserit, perpendat quid contingere possit, si eum debitus cunctis casus repoposcerit: cum tot iam alieni a stirpe reges existant, & adhuc sint plures, qui sibi regium nomen affectent. Quis post ipsius decessum iuvabit eius filium, ut ad debitam sibi regni conscendat hereditatem, si contigerit hunc* B *sibi propinquum cadere Carolum?*

Annectit etiam quod in omnibus pene gentibus notum fuerit, gentem Francorum reges ex successione habere consuevisse, proferens super hoc testimonium beati Gregorii. Subiicit etiam ex libris Teutonicis de rege quodam Hermenrico nomine, qui omnem progeniem suam morti destinaverat impiis consiliis cujusdam consiliarii sui. Supplicatque ne sceleratis his rex acquiescat consiliis, sed misereatur gentis huius, & regio generi subveniat decidenti, satagens ut in diebus suis dignitas successionis sua roboretur: & ii qui ex alieno genere reges extabant, vel existere cupiebant, non prævalerent contra eos, quibus ex genere honos regius debebatur. Asseritque se misisse Aleranum ad eumdem Arnulphum, suggerendo, ut quoscumque sibi placeret, ex iis qui Carolum regem constituerant, in suum servitium pergere præciperet, qui coram sublimitate ipsius hoc ita esse rationabiliter ostenderent. Flagitans etiam erat, ut hæc præmissa benigno rex tractet animo, & hanc sciat ipsius esse devotionem, vel intentionem erga ipsius fidelitatem, ut Carolus ad ipsius consi- C *lium in omnibus quæ acturus est, respiciat, & ipsius pietate tutus consistat, & ut nemo regis animum ab auxilio istius regni, vel eiusdem Caroli deflectere valeat.*

Porro ex hac eadem Remensi Synodo scriptum fuisse ad Balduinum comitem Flandrensẽ inuadentem res ecclesiasticas liquet: ad quem etiam Fulconem antea scripsisse idem Flodoardus affirmat, cum subdit: *Scripsit post Hincmarũ Fulco Balduino comiti Flandrensi, redarguens eum pro eo quod monasterium monachorum sibi usurpaverat, & insurrexerat contra regem infidelitate & periurio. Item ad eumdem scribẽs cum coepiscopis suis ex synod. Rhemis habita anno octingentesimo nonagesimo secũdo, arguit eum quod ecclesiastica simul & legalia iura contemneret, locum sacri monastici ordinis pervadens, & abbatis sibi nomen usurpans. Vnde communi decreto episcoporũ iudicatum fuerat, eum autoritatis canonicæ anathemate feriendum. Sed quoniam ecclesiæ & publicis utilitatibus regni videbatur accommodus: censura suspenditur, & emendandi spa-* D *tium reservatur, & obsecratur per misericordiam Dei ut ab hac præsumptione animum revocet, nec amplius iram Dei contra se provocet, ne illi quodammodo gladium præbeat.*

Flodoardus l. 4. c. 4.

CONCILIVM ROMANVM OB GRAVES perturbationes, quibus affligebatur Dei ecclesia, celebratum Kalendis Martiis indictione II. anno Domini DCCCXCIII. tempore Formosi papæ.

ANNO CHRISTI 893.

RERVM in hac synodo gestarũ nihil aliud superesse videtur, nisi quod Flodoard. scribit l. 4. c. 2. vbi epist. Formosi de hac synodo congreganda ad Fulconẽ transmissam summatim recenset his verbis: *Cui Fulconi rescribens idem papa Formosus, monet eum cõpati debere Rom. ecclesiæ atq; imminenti eius subve-* E *nire ruinæ, nec ei suam præsentiam denegare: adiungens hæreses undique ac schismata pullulare, nec qui ad resistendum occurreret, esse. Dicitq; longo retroacto tempore perniciosas hæreses orientem cõfudere, & Constantinopolitanam ecclesiam nociua schismata perturbare: simul etiam regionis Africanæ legatos insistere, responsa petentes pro dudum exorto inter episcopos ipsarum provinciarum schismate: diversarum quoque partium legationes diversa responsa petentes instare. Cuius rei gratia generalem synodũ die Kal. Mart. ind. XI. se inchoare disposuisse, ad quam eumdem remota omni dilatione admonet festinare, ut colloquẽdo largius de his valeãt pertractare, & affluentius ad consulta singula respondere. Northmannicæ gentis procellis, quibus asserebat se perturbari*

*ri, plurimum dolere; & ut eos excelsi dextera reprimat, apostolorum principum suffragiis intervenientibus implorare; literas vero quas significaverat ad eum per quasdam personas primum se direxisse, ad ipsum minime pervenisse. Miserat etiam alias pro hac eadem synodo celebranda pridem * hinc mense indictionis decimæ; in quibus literis fatetur Italiam tunc semel & secundo horrida bella perpessam & pene consumptam. Orientalium vero partium se deflere vesanam hæresin in Christum Iesum blasphemiam continentem.*

SYNODUS CABILONENSIS IN ECCLESIA B. IOANNIS BAPTISTÆ IN SUBURBIO.

Cujus decreto Gerfredi Monachi, qui Adalgarium Æduorum episcopum veneno necasse dicebatur, facta est purgatio per corpus domini, anno Christi DCCCXCIV. in synodo diœcesana apud Flaviniacum monasterium & castrum publicum in primore ecclesia S. Petri.

ANNO DCCCXCIV. indictione XII. invidiæ instinctu, malorum hortatu, oborta est infamis fama Flaviniaco monasterio & castro publico, in quemdam loci illius Levitam & monachum " Gerfredum, officio prælationis functum, quod piissimum patrem, & reverendum præsulem, dominum Adalgarium Æduorum episcopum lethali extinxerat veneficio. Hujus criminis iniquissimum objectum, Deo simul & hominibus horrendum: non modo ipsius ecclesiæ, verum etiam totius Galliæ aures pulsavit, & infami satis elogio notavit. Præfatus vero Levita & monachus super illatione tanti facinoris nimium exhorruit: utpote qui tanta tamque prævalida ab ipso dulcissimo patre perceperat beneficia, uti omnibus satis abundeque claret. Super quo primitus consilium gloriosi præsulis domini " Gualonis ipsius successoris expetiit, seque a tam nefandissimo scelere, non minus cogitatu quam facto, præsentiæ illius, Deo teste & judice omnium ac inspectore cordium, immunem firmavit. Denique tantus, tamque præcelsus pontifex, divinorum necnon & humanorum sciens, filiorum ecclesiæ consilio fultus, ovem sibi creditam perire noluit: sed insuper fomenta adhortationum, & medicamenta divinorum eloquiorum pie & misericorditer adhibuit: ut si forte diaboli pellacia quid simile cordi illius injecerat, saltem suggestione Spiritus sancti, & infusione ipsius verbi, ecclesiastica institutione professus salubriter curari posset, & ablui. Verum jam dictus Levita & monachus, in nullo penitus tanti flagitii conscius, judicium sibi sancti Spiritus proposuit, & se, ad quodcumque examen ecclesiastico more censeretur, modis omnibus promptissime deliberavit. Quocirca prænominatus præsul, tantum & tam inauditum facinus proprio cunctatus deliberare judicio, ad sanctam & comprovincialem synodum Aureliani nominandi archiepiscopi, & ceterorum coepiscoporum præsentia discutiendum & diffiniendum censuit. Quod & ipse, utpote immunis, haudquaquam distulit. Proinde Deo propitio, præfixo Kalendarum Maiarum die convenere sacri pontifices, Aurelianus primas totius Galliæ, cum illustrissimis Gualone Æduensi, Ardrado Cabilonensi, Geraldo " Matisconensi, coepiscopis; simul & legatis memorandi " Teutbaldi Lingonensis episcopi, apud Cabilonensem urbem in ecclesia beati præcursoris Christi Ioannis, quæ est in prospectu ejusdem urbis. Vbi instituta sanctorum patrum canonice & regulariter promulgantes, & ecclesiastica negotia diligentius pertractantes, infamia notatum crebro dictum monachum coram positum subtili indagine & multo examine discutere laborarunt. Quo isdem monachus omni " judicio more ecclesiastico, & humani juris experimento instructus, nec hujus infamiæ evidentem accusatorem, nec alicujus certitudinis proclamatorem reperire potuit. Quod tertio sub testificatione sancti Spiritus clamari jubentes, & nihil prorsus verisimile reperientes, sanciverunt communi consilio, ut quia nec convictum, nec etiam confessum experiebantur, tamen quia ventilatum & usque locorum erat divulgatum, ut ab omni suspicione* liberrimus redderetur, in viciniori synodo, quam omni reverentia dignus Gualo antistes erga filios ecclesiæ celebraret, corporis Christi & sanguinis illo examine, quod solum verius probatur & terribilius, imo salubrius creditur, a flagitio divulgato publice expiaretur; eo scilicet tenore eumdem prius testificantes, ut si in aliquo conscius tanti piaculi foret, nullo modo ad sacra sumenda accederet. Et si forte temerarie præsumeret, censura sancti Spiritus, & auctoritate apostolorum principis, ab ipso vivifico redemptionis nostræ precio extorris fieret, & cum Iuda Domini proditore damnatus æternis irremediabiliter suppliciis addiceretur. Sin vero immunem se esse per omnia prænosceret, fisus misericordiæ Dei, tanti muneris donum ad salutis suæ remedium saluberrime percipere non diffideret. Quod omnibus usquequaque satis fuit. Inde igitur pastor piissimus misericordia motus, illius causa apud Flaviniacum cœnobium & castrum publicum sanctam synodum propriæ ecclesiæ colligens, juxta statuta supradictorum antistitum, missarum solenniis deductis, omnibus qui adfuere in primore ecclesia S. Petri collectis, jam supra fatum præmonuit virum, ut sicut sibi ipsi conscientia dictaret, ad sacra sumenda, aut etiam refugienda, quoquo vellet modo seipsum præfigeret. Quique in nullo hæsitans, Deum sibi, & ipsum, quod percepturus erat, redemptionis pretium in testimonium & judicium invocans, fidissime, omnibus in prospectu positis, quæ supra fuerant præfixa, votis omnibus peregit. Hoc igitur tanto donatus munere, ne umquam ulterius tam æmuloso sauciaretur vulnere, hoc scriptum a præfato seniore & subter notatis suis coepiscopis petiit relegendum, & manibus corroborandum.

VValo humilis sanctæ Æduensis ecclesiæ episcopus relegi & subscripsi.

Ardradus humilis Cabilonensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Geraldus rector & humilis episcopus Matisconensis ecclesiæ subscripsi.

" *His minus apposite præfigitur a nonnullis* Aurelianus sanctæ Dei Lugdunensis ecclesiæ archiepiscopus relegi & subscripsi. *Per seniorem quippe auctor illius instrumenti Gualonem Augustodunensem episcopum haud dubie intelligit.*

CONCILIUM TRIBURIENSE

pro reformanda disciplina ecclesiastica, celebrandum anno Domini DCCCXCV. tempore Formosi papæ.

CELEBRATUM est sub imperatore Arnulpho a vigintiduobus episcopis Germanorum Triburiæ concilium anno incarnationis Domini DCCCXCV. tam sancta sane intentione & diligentia, ad resecandum omnem palmitem inutilem, ad

Marginal notes: A — B — C — D — E; " Gerfredum; " Vvalonis; * Gerardo; * Teutboldi; " omnium; A studioso quopiam, qui concilium exscripserat, additum est.

ANNO CHRISTI 895

hoc proœmium in codice Brixiensi, ut ex citato Gratiano videre est.

ad extirpandam cujuslibet hæreseos radicem, ad tollendam schismatis occasionem, ad corrigenda clericorum vitia, ad præcavenda populorum scandala, breviter, ad reformandos mores & status, non modo clericorum, sed & laicorum, ut Gratianus postea pleraque ejus capitula diligenti studio recitaverit in volumine decretorum. A

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

CVM constet omnibus, divinam legem tractantibus, post euangelia & limpidissima novi testamenti fluenta, beatorum canonibus apostolorum, & sanctorum patrum apud Nicæam Bithyniæ congregatorum constitutis, necnon & apostolicorum Romanæ sedis pontificum decretis, satis occurrisse, restitisse, & oppugnasse, sive hæreticis, sive schismaticis, & omnibus veræ fidei oppugnantibus regulas: sed antiquus serpens, qui dicitur diabolus & satanas, inimicus humani generis, nova venena malitiæ suæ dulci poculo sancti Spiritus admiscere, & bono semini sancti euangelii zizania suæ pravitatis & profanæ iniquitatis subseminare non desinit, sicut in Matthæo, cum bonę messi zizania fuissent inserta, scriptum est: *Inimicus homo hoc fecit:* & de ejus satellitibus sub squamarum specie in Iob prohibetur: *Vna uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas:* unde necesse est, ejus perversissimis machinationibus, & satellitum suorum insecutionibus ex authentica potestate contraire, & novum paradigma veræ assertionis

Matth. 13. Iob 41.

ANNO CHRISTI 895.

ANNO CHRISTI 895.

sertionis opponere. Quapropter rex regum, cujus regnum, ut Psalmista canit, regnum est omnium sæculorum, omnibus ecclesiasticæ sublimitatis ordinibus, necnon & sæcularis potentiæ dignitatibus, novum principem Arnulphum, regem pacifico ordine perpetuæ tranquillitatis proferre dignatus est. Cujus cor sancti Spiritus ardore inflammare, & zelo divini amoris voluit accendere, ut totus cognoscat mundus, non ab homine, neque per hominem, sed per ipsum dominum eum esse electum. Considerans enim idem sapientissimus rex profundæ mentis intuitu abundantem in se sancti Spiritus gratiam, quia quos repleverit, ardentes in se pariter & loquentes facit de se, anno incarnationis Iesu Christi Domini nostri 895. regni vero sui octavo, indictione 13. mense Maio, ejusdem sancti Spiritus instinctu & primatum suorum consultu venit in villam regiam, videlicet Triburiam, in terra Francorum consistentem, cum episcopis infra conscriptis, abbatibus, & omnibus regni principibus, necnon convenientibus ecclesiasticorum & sæcularium innumeris turbis: quatenus infatigabili perseverantia divina & humana tractarentur, atque emergentia mala comprimerentur, ut eo liberius sancta Dei ecclesia suo potiretur honore. Cum autem sapientissimus rex concilium sacrum continuari decrevisset, placuit sibi & universo clero, ut peracto triduano jejunio, litaniis & orationibus super se de cælis promissum invitarent adjutorium, sicut ipse Salvator ascendens in cælum discipulis suis promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; ut futura concilia in ipso inchoarentur, & per ipsum finirentur, qui est initium & finis, & supplementum legis, ut apostolus Romanis scribens ait: *Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti*. Quo peracto, pergens ad palatium, regale sedit solium, indutus veste splendidissima, quam *texit sapientia, repletus est prudentia, erectus * & potentia, pro sua magnitudine stipatus multitudine, tractans practice de statu regni, & theorice de ordine & stabilitate ecclesiarum Christi, & qualiter boni quiete viverent, & mali inulte non peccarent. Interim episcoporum sacer conventus in basilica prædictæ villæ, post communes orationes & preces finitas, honorificentissime infulati, pontificalibus sedibus suffulti, mentibus serenati, prudentia præditi, sacrosanctum ingressi sunt synodale colloquium. Inter alia namque, quibus divina & humana tractaturi erant, communi voto & pari consensu, de collegio sanctorum sacerdotum gnaros & idoneos direxerunt mediatores ad præfatum pium regem, inquirentes quo studio, vel quali benignitate, secundum sapientiam & possibilitatem ab ipso Deo sibi datam, ecclesiam Christi, illi per regalem potestatem, & ipsis per sacerdotalem eminentiam, defendere, & ministerium illorum amplificare & sublimare dignaretur, proponentes ei propriam regis eminentiam, id est, ut misericordia & modestia omnes præcellat, & non secundum personam judicet: atque juxta Salomonem, justitiam, judicium & æquitatem diligat: addentes insuper exempla sacrarum literarum, quibus Sapientia alumnos suis laboribus educatos instruens, ait: *Meum est consilium & æquitas, mea prudentia, mea est fortitudo: per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Et item: *Rex qui iudicat in veritate, thronus eius in æternum firmabitur.* Preferentes etiam ei institutiones Martini episcopi ad Mironem regem, quibus eum ad honestatem vitæ, & pietatem morum, ordine rationis instituens, ait: Prudentis proprium est examinare consilia, atque subiunxit: Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare. Et sermo tuus non sit inanis, sed suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat. Quibus rex theologiam quasi ab alto differentibus, ab augusta mentis suæ sede, (quia ut Sapientia ait: *Cor regum inscrutabile est*) arcanum mysterii sui revelans, in hæc verba prorupit: O pastores ecclesiarum Christi, & clarissima lumina mundi, agite quæ vobis imposita est curam pastoralem: & juxta Apostolum, instate opportune, importune: arguite, obsecrate, increpate in omni patientia & doctrina, ut vigili cura & admonitione sedula oves Christi ad caulas æternæ vitæ introducere mereamini. Habetis me omnibus ecclesiæ Christi adversantibus, & vestro sacerdotali ministerio renitentibus oppositissimum bellatorem: quia, ut Apostolus Romanis scribit: *In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Et item: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Certus sum enim, quia neque mors neque vita, neque instantia, neque futura, neque ulla creatura poterit nos separare a caritate Dei*, & unanimitate sancta, beatissimi patres. Gratulantes igitur beati, qui missi sunt, sacerdotes, congredientibus quibusdam optimatibus de throno regis, causa iustæ legationis & veræ unanimitatis, ad sanctam synodum directis, reversi sunt ad eos qui miserant illos. Perambulantes igitur, & sacrum Conventum irrumpentes, rite & laudabiliter quæ iniuncta sunt exponentes, & ecclesiam illic congregatam consolatoria responsione lætificantes, siluerunt, & quid deinceps acturi essent, taciti expectare cœperunt. Exurgentes igitur de sedibus suis reverendissimi patres, cum astanti clero ter quaterque proclamantes, & divinæ majestati supplicantes, Exaudi Christe, Arnulpho magno regi vita; & sonantibus campanis, *Te Deum laudamus*, concinentibus cunctis, glorificantes & Iesum Christum collaudantes, qui in servis suis consolabitur, qui ecclesiæ suæ sanctæ tam pium & mitem consolatorem, tamque strenuum adiutorem, ad honorem nominis sui condonare dignatus est. Et peractis divinæ majestati precibus, inclinantes se coram pii principis adstantibus missis, gratificantes & magno principi laudes persoluentes, deinde recto ordine consederunt, & prævio sancto Spiritu, quædam capitula magis necessaria ex canonicis institutionibus subscripserunt, errata corrigere, superflua abscidere, recta via regia coarctare. Post hæc prudentissimus rex regnorum, sacrosanctis divinæ religionis interfuit mysteriis, & sancti patres secretis palatinis. Et concordia erat in cunctis ad laudem Iesu Christi Domini nostri, cui sit laus & gloria per infinita sæculorum sæcula.

Marginalia: Psal. 144. — Triburia villa regia. — Matth. 28. — Rom. 10. — *texuit — *est — Prov. 8. — Prov. 29. — Prov. 25. — 2. Tim. 4. — Rom. 8.

CANONES.

I.

Post ingressum sancti & synodalis colloquii, e cælis divinum implorabant auxilium, ut Deus omnipotens, qui, David canente, inhabitare facit unanimes in domo, & dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, in domo sua, in sancta videlicet ecclesia, clerum, & populum unanimes dignaretur cohibere, virtutem & fortitudinem dare, (Psal. 67.)

ANNO CHRISTI 895.

re, ut in nullo diffiderent: quatenus rationabilia meditantes, & dictis concordarent, & factis.

II.

Cum hæc pro unitate tam cleri quam populi tractarentur, quidam presbyter venit medius, a quodam laïco excæcatus, eiusdem criminis, propter quod cæcus fuerat effectus, liberrimus, ut testatur episcopus, in cuius sancta synodo post excæcationem coram positus, securus est factus. Quapropter idem episcopus præcepit, ut veniret laïcus, & de tam nefando scelere satisfactionem procuraret agere. Qui nequaquam consensit, sed communem episcoporum synodum appellavit. Perpendentes episcopi lamentationem Ieremiæ impleri, aurum obscurari, lapides sanctuarii ab hostibus destrui, & iterum in membris suis Christum crucifigi, suspirantes & compassibiliter ingemiscentes, vicariis pro se & sancto clero transmissis, proclamantes, & pium ecclesiarum defensorem appellantes, & consilium postulantes quid statuere dignaretur pro talibus & similibus, qui pro diversis erratibus & certis criminibus sunt incorrigibiles, & iusto anathemate mucrone apostolici sermonis absciduntur, quo ait: *Tradite huiusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die domini.* Et iterum: *Cum huiusmodi nec cibum sumere.* Sed tamen indurante diabolo, quamvis excommunicentur, ad pœnitendum non emolliuntur, sed sicut scriptum est: *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit:* profundum peccatorum intuētes, & in desperationem proruentes. *Et erit novissimus error peior priore.* Mittentes etiam ei contra eos scripta instituta canonica, in Canonibus sanctorum apostolorum capitulo undecimo: Quod cum excommunicatis non sit orandum. In Nicæno magno concilio, capitulo quinto: Qui suo peccaverunt evidenter episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur. In Antiocheno sancto concilio, capitulo secundo: Vt si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, seu quilibet ex clero, communicare deprehensus fuerit cum excommunicatis, etiam iste communione privetur, tamquam qui regulam confundat ecclesiæ. In epistola Callisti papæ: Vt nemo cum eis in oratione, aut cibo vel potu, aut osculo communicet, nec eis Aue dicat.

Thren. 4.

1. Cor. 5.

Prou. 18.

Matth. 27.

III.

Nos igitur quibus regni cura, & solicitudo ecclesiarum Christi commissa est, aliter regnum & imperium iure ecclesiastico regere & gubernare non possumus, nisi hos qui ecclesiam Christi, non habentem, ut apostolus ait, maculam, neque rugam, conturbant, zelo fidei persequamur, de quo rex David testatur: *Nonne qui oderunt te Deus oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Et cum evangelium legeretur, audivimus: *Si * te non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et alibi: *Qui percutit malos in eo quod mali sunt, minister domini est.* Idcirco non potentiam ostendentes, sed iustitiam exhibentes, præcipimus, & auctoritate nostra iniungimus omnibus regni nostri comitibus, postquam ab episcopis anathemate excommunicationis percelluntur, & tamen ad pœnitendum non inclinantur, ut ab ipsis comprehendantur, & ante nos perferantur: ut qui divina judicia non verentur, humana sententia feriantur. Vnde per quemdam sapientem dictum est: *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Si enim tam rebelles extiterint, ut comprehendentibus repugnare studuerint, & in tali temeritate interfecti fuerint, iudicio episcoporum interfectoribus nulla imponatur pœnitentia: & præcepto nostro, † weregeldi nulla ab eis extorqueatur compositio. Constringanturque proximi & eorum cognati cum iuramento, ne in illis eos vindicent, sed pacem ad eos & concordiam servent.

Ephes. 5.

Psal. 138.

Matth. 18.

*ecclesiam.

Rom. 13.

Prou. 20.

† VVeregeld defensionis pecuniam Germanice significat, & ita hic videtur accipi.

IV.

Si quis presbyter, (quod absit, quia sacerdos altissimi Dei est) vulneratus, vel quibuslibet iniuriis & contumeliis dehonestatus, euaserit & supervixerit, tota compositio persolvatur presbytero. Si autem articulo mortis præventus obierit, precium weregeldi tripartita partiatur divisione, id est, altari cui ordinatus fuerat, pars una; episcopo, in cuius diœcesi erat, altera; tertia parentibus, de quibus ortus fuerat. Si vero in atrio ecclesiæ aliquid ex istis presbytero factum fuerit, supradicto modo presbytero & pro presbytero solvatur. Sed quia, ut Hilarus papa omnibus episcopis per diversas provincias in epistola sua scribit, iniuria sacerdotum & ecclesiarum, sacrilegium est: sacrilegium in atrio factum, altari & domino eiusdem loci persolvatur. Sacerdotes enim non sunt lacerandi, sed potius coronandi: quia de his Ecclesiasticus liber loquitur, dicens: *In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica, & ministros eius non derelinquas, & honorifica sacerdotem.* Et Isidorus: His enim, sicut & episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est. præsunt enim ecclesiæ Christi, & in consecratione divini corporis & sanguinis consortes sunt episcopis: similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi.

Eccli 7.

V.

Si quis sacerdotem, non coactus, sed propria voluntate seductus, morti tradiderit, secundum

ANNO CHRISTI 895.

A secundum sententiam apostolicorum & nostrorum moderni temporis sacerdotum, quinquennio plenissimæ castigationi pœnitentiæ substernatur: ita ut carnem non manducet, nec vinum bibat, ieiunet autem usque ad vesperam, exceptis dominicis & diebus festis. Arma non portet: & ubicumque eat, pedibus incedat, ecclesiam non intret, sed ante fores stet, orans Dominum puro corde, ut abluatur tanto crimine. Expleto vero quinquennio, introducente episcopo, ingrediatur ecclesiam: nondum tamen communicans, sed * intra audientes stans. Et aliud quinquennium indulgentius introeat indultum. Quo vero expleto, cum decimi anni cursus fuerit finitus, gratia communicandi & licentia concedatur ei equitandi. Maneat autem in reliquis obseruationibus tres dies per hebdomadam, ut purificationis mereatur culmen.

[Margin: Rigor priscæ pœnitentiæ.]

[Margin: * inter]

VI.

Si quis temerarius atrium ecclesiæ euaginato gladio præsumptuose intraverit, sacrilegium facit. Et idcirco sacrilegium in atrio Domini factum, sacrilegii more altari & Domino persoluatur. Dominus dicit in euangelio: *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*; id est, qui se ipsos vice talionis per peccatum in præsenti vlcisci desiderant, gladio ipsius peccati in anima moriuntur. Quanto magis is, qui * secundum atrium, quod Dominus sibi præ ceteris segregavit locis, & suæ sanctæ ecclesiæ ad honorem, polluerit, & temerarius irruperit: gladio peccati & iniquitatis suæ mortuus iacuerit? Quapropter opus est pœnitentia, ut resurgat ad vitam qui gustavit mortem.

[Margin: Matth. 26.]

[Margin: * sanctum]

VII.

Quicumque timorem Domini postponentes, & ecclesiastica iudicia non verentes, res ecclesiæ rapiunt, vel auferunt, ut in epistola Anacleti papæ legitur, sacrilegium faciunt. Papa dixit: Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atque homicida ante conspectum iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Vnde tanta autoritate apostolicæ sententiæ suffulti, sancimus & unanimes iudicamus, ut res ecclesiæ tripliciter componantur, insuper vero bannus episcopalis exquiratur. Qui vero exteriores ecclesiæ res rapiunt, vel fraudant, comite agente coerceantur: ut res ablatæ, legitime restituantur & componantur. Si vero non procuraverint, vel non emendaverint, ab episcopo canonice constringantur, ut res restituantur.

VIII.

Nemo contemnat, neque transgrediatur bannum ab episcopis superpositum. Sciat & abhorreat in epistola beati Clementis dictum contra se scriptum: Si vobis episcopis non obedierint omnes tam majores quam & inferioris ordinis, atque reliqui populi, tribus & linguæ: non solum infames, sed etiam extorres a regno Dei & consortio fidelium, a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alieni erunt Et audiant ipsum Dominum in euangelio dicentem: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* B Quapropter nos euangelicam & apostolicam considerantes autoritatem, non quæstum pecuniarum, sed lucrum quærentes animarum, statuimus & confirmamus: ut si quis post hanc huius sancti concilii diffinitionem, inventus fuerit corrupisse bannum ab episcopis impositum, quadraginta dierum castigatione corripiatur, tantum in pane, sale, & aqua.

IX.

Cum autem episcopus ecclesiam a Domino Deo sibi commissam regens, episcopatum C circumeundo perrexerit, & placitum canonice constitutum decreverit, populumque sibi creditum illo invitaverit: atque comes eadem die sciens placitum ab episcopo condictum, vel nesciens, placitum cum populo suum condixerit, & per bannum illuc venire præceperit: placitum comitis omnes postponant, & comes ipse: denique populus, post episcopum festine pergant, scientes se non illic seditiosa contentione decertare, sed pro fide catholica invigilare: non cumulum pecuniarum, sed D lucrum congregare animarum. Vnde in eadem beati Clementis epistola: Vestrum, inquit, qui legatione Domini fungimini, est docere populos. Eorum vero est, vobis obedire ut Deo. Et in epistola Alexandri papæ, successoris Euaristi: Si quis autem legationem vestram impedit, non unius, sed multorum profectum avertit: & sicut multis nocet, ita a multis est arguendus: & quia Dei causam impedit, & statum ecclesiæ conturbat, ideo a liminibus eius arceatur. Quapropter nullus comes, nullusque iudex, nullus omnino in E clericatu vel sæculari habitu constitutus, legationem episcoporum impediat, vel conturbare præsumat. Vt autem unanimitas & concordia sit inter episcopos & comites: placuit, ut si quis episcopus domi residens, conventum populi esse voluerit, & comes nihilo minus in ipsa eademque die placitum esse dixerit, effectum obtineat qui prior indicaverat, salva tamen dignitate & potestate episcopi.

X.

Sratutum est in hac sancta & universali synodo,

ANNO CHRISTI 895.

nodo, ut nullus episcopus deponatur, nisi a duodecim episcopis, presbyter a sex, diaconus a tribus. In Concilio Carthaginensi capite duodecimo Felix episcopus dixit: Si quis episcopus in reatum aliquem incurrerit, & non potest plurimos congregare episcopos: ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis audiatur: & presbyter a sex, cum proprio suo episcopo: & diaconus a tribus episcopis audiatur. Et in eodem Concilio capite vigesimo: Vt presbyter a sex, diaconus a tribus discutiatur episcopis. Reliquorum clericorum causas, etiam solus episcopus loci cognoscat & definiat.

XI.

Si quis clericus, quamvis nimium coactus, homicidium fecerit, siue sit presbyter, siue diaconus, deponatur. Legimus in canonibus apostolorum, quod episcopus, presbyter, & diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur: quanto magis is, qui hoc immane scelus fecerit, ab ordine cessare debebit? Qui enim Christum sequi desiderat, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. *Qui cum malediceretur, non remaledicebat: cum percuteretur, non comminabatur.* Et ipse in euangelio suo præcepit: *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe illi & alteram.* Non enim debemus occidere, cum Dominus dicat: *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*: nec malum pro malo reddere, sed, sicut apostolus Romanis scribens ait: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Si quis clericorum præsens erit, ubi homicidium fuerit, & neque consensu, neque consultu, neque in aliquo, homicidii reatu pollutus esse convincitur: nihil ei obsit, quin consecratus in gradu permaneat: non consecratus, si alias dignus sit, promotus accedat.

1. Petr. 2. — Matth. 5. — Ibid. — Rom. 12.

XII.

Sacrosanctum baptismi mysterium, sciant omnes in Christo regenerati, non nisi præfixis & legitimis in anno celebrari temporibus, cum hoc sibi privilegium, ut in epistola Siricii papæ legitur capite secundo, & apud nos, & apud omnes ecclesias specialiter cum pentecoste sua dominicum pascha defendit. In quo (ut legitur in epistola Leonis papæ capite nono) orta est & virtus muneris, & species actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet quod ipse Dominus Iesus Christus, postquam resurrexit a mortuis, discipulis suis formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* De quo utique ante passionem potuisset eos instruere, nisi proprie uoluisset demonstrare, regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Additur sane huic obseruantiæ, etiam pentecostes, ex aduentu sancti Spiritus, sacra solennitas, quæ de paschalis festi pendet articulo. Nam cum ad alios dies alia festa pertineant, hæc semper ad eum diem recurrit, qui resurrectione Domini est insignis, porrigens quodammodo manum auxiliantis gratiæ, & eos inuitans, quos a die paschæ aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut nauigationis difficultas interclusit, ut desiderii sui effectum dono sancti Spiritus consequantur. Ipse enim Vnigenitus Dei, qui in pascha resurrexit, in fide credentium, & in virtute operum, nullam inter se & Spiritum sanctum voluit esse distantiam, quia nulla est diversitas in natura. Vnde utrique sit proprium, non dissimile esse festum, ubi unum est sacramentum. Sicut tunc, ita & nunc, in remissionem peccatorum, baptismi celebratur sacramentum: qui idem Spiritus sanctus, cujus hic celebramus adventum, est remissio omnium peccatorum. Trina namque in baptismate immersio triduanam imitatur sepulturam: & ab aquis elevatio, instar est resurgentis de sepulcro. Periculo quocumque modo præoccupatis & desperatis, omni tempore subveniendum, & baptismi sacramentum est tribuendum, quia necessitas vix habet legem. Si enim valida infirmitate occupati & desperati, ad ecclesiam provehi non possint, loco mundo perspecto, baptisma celebretur, & procuratione presbyteri caute observetur & collocetur. Vsque ad octavum namque diem ipsa regeneratio sacra ab omni Christiano populo celebrabitur, quia resurrectio Domini octo diebus colitur.

Matth. 28.

XIII.

De decimis Augustinus doctor mirabilis sub brevi ratiuncula satis videtur dilucidasse, cum ait: Decimæ ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus? Nempe meus es o homo, mea est terra quam colis, mea semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas, meus est solis ardor: & cum omnia mea sint, tu qui * minus accommodas, solam decimam merebaris: sed servo tibi novem, da mihi decimam. Si non dederis mihi decimam, auferam novem. Si dederis mihi decimam, multiplicabo novem. Si ergo quærit aliquis, cur decimæ dentur, sciat quod ideo dandæ sunt, ut hac devotione Deus placatus, largius præstet quæ necessaria sunt: & ut ministri ecclesiæ exinde relevati, liberiores fiant ad spiritalis servitii expletionem: & ut munus populi exhinc in quotidiana oblatione domino immoletur, nec non secundum statuta canonum, in sustentationem

* manus

Decimæ cur dentur.

ANNO CHRISTI 895.

tentationem pauperum, & restaurationem ecclesiarum proficiant. Quatuor enim fieri partes iuxta canones iudicamus de decimis & oblationibus fidelium: ut una sit episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi ecclesiarum servetur: sicut in epistola Gelasii papæ capite vigesimoseptimo legitur.

XIV.

Placuit huic sancto concilio, ut secundum sanctiones canonum, decimæ, sicut & aliæ possessiones, antiquis conserventur ecclesiis, sicut in Calchedonensi sancto concilio statutum est, capite decimoseptimo. Si quis autem in affinitate antiquæ ecclesiæ novalia rura excoluerit, decima exinde debita antiquæ reddatur ecclesiæ. Si vero in qualibet silva, vel deserto loco, ultra millaria quatuor aut quinque, vel eo amplius, aliquod dirutum collaboraverit, & illic consentiente episcopo ecclesiam construxerit, & consecratam perpetraverit, prospiciat presbyterum ad servitium Dei idoneum & studiosum, & tunc demum novam decimam novæ reddat ecclesiæ; salva tamen potestate episcopi.

XV.

Restat propter instantem, quæ tunc maxima occurrit, necessitatem, ubicumque facultas rerum & opportunitas temporum suppetat, sepulturam morientium apud ecclesiam, ubi sedes est episcopi, celebrari. Si autem hoc propter itineris longinquitatem, aut adjacentem alicujus inopportunitatis difficultatem, impossibile videatur, expectet eum terra sepulturæ suæ, quo canonicorum aut monachorum, sive sanctimonialium congregatio sancta communiter degat, ut eorum orationibus iudici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quod si & hoc ineptum & difficile æstimetur: ubi decimam persolvebat vivus, sepeliatur mortuus.

Vivorum pro defunctis intercessiones asseruntur.

XVI.

Abhorrendus, & Christianis omnibus devitandus mos iniquus subrepsit, sepulturam mortuis debitam sub precio vendere, & gratiam Dei venalem facere: cum hoc nusquam sub euangelica gratia meminerimus nos invenisse vel legisse. In ecclesiastico namque libro scriptum est; *Mortuo non prohibeas gratiam, sciens quia omnes moriemur.* Et item: *Omnia quæ de terra sunt, in terram convertuntur.* Quid terra terram vendis? memento quoniam terra es, & in terram ibis, & quoniam mors tibi futura est, appropiat & non tardat. Recordare quoniam non hominis est terra sed ut Psalmista cõmemorat: *Domini est terra, & qui habitant in ea.* Si terram vendis, invasione alienæ rei reus teneberis. Gratis accepisti a Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis, terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare. Nisi forte proximi, & amici defuncti, propter nomen Domini & redemptionem animæ viri, gratis aliquid donare velint.

Eccles. 7. Gen. 3. Psal. 23.

XVII.

Secundum statuta sanctorum patrum, & experimenta miraculorum, prohibemus & præcipimus, ut deinceps nullus laicus in ecclesia sepeliatur. Quidam mirabilis doctor nostræ diffinitioni consentiens, inquit: Nemo enim in ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum, talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora antiquitus in ecclesia sepulta, nequaquam proiiciantur, sed pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ecclesiæ reverentia conservetur. Vbi vero hoc præ multitudine cadaverum difficile sit facere, locus ille cœmeterium & polyandrium habeatur, ablato inde altari, & constituto vbi religiose sacrificium Deo valeat offerri. Beatus Gregorius in miraculis patrum memoria dignum, & huic rei congruum refert miraculum in Genuensi vrbe contigisse.
» Ibi namque quidam Valentinus nomine,
» Mediolanensis ecclesiæ defensor, de-
» functus est, cujus corpus in ecclesia beati
» martyris Syri sepultum est. Nocte autem
» media in eadem ecclesia factæ sunt voces,
» ac si quis violenter ex ea repelleretur atque
» traheretur foras. Ad quas nimirum voces
» cucurrere custodes, & videre duos quos-
» dam teterrimos spiritus, qui ejusdem Va-
» lentini pedes cum ligatura constrinxerant,
» eum ab ecclesia clamantem, ac nimium
» vociferantem foras trahebant. Qui videli-
» cet exterriti, ad sua strata reversi sunt. Ma-
» ne autem facto aperientes sepulcrum, ubi
» idem Valentinus positus fuerat eius corpus
» non invenerunt. Cumque extra ecclesiam
» quærerent ubi proiectum esset, invenerunt
» hoc in sepulcro alio positum, ligatis adhuc
» pedibus, sicut de ecclesia fuerat abiectum.
» Ex qua re colligendum est, quia hi quos
» peccata gravia deprimunt, si in sacro lo-
» co sepeliri se faciunt, restat ut etiam de
» sua præsumptione iudicentur, quatenus eos
» sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset. Quid igitur sacra loca sepultis prosunt, quando hi qui indigni sunt ab eisdem sacris locis divinitus proiiciuntur? Sancta synodus dixit: Mira res, & multis expavescenda. Ideoque per futura temporum curricula ab omnibus observanda.

Lib. 4 dialogorum cap. 53.

"Adde ex ipso Gregorii loco vir valde lubricus, & cunctis levitatibus occupatus.

Impiis sacra loca nihil conferunt.

XVIII.

Vasa in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria,

De consecr.

ANNO CHRISTI 895.

steria, calices sunt & patenæ. De quibus Bonifacius martyr & episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur, nunc econtra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus. Zephyrinus decimussextus Romanus episcopus, patenis vitreis Missas celebrari constituit. Tum deinde Vrbanus, decimus octauus papa, omnia ministeria sacrata fecit argentea. In hoc enim, sicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum decus succrevit ecclesiarum. Nostris enim diebus, qui serui patrisfamilias sumus, ne decus matris ecclesię imminuatur, sed magis cumuletur & amplificetur: statuimus, ut deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium corporis & sanguinis Iesu Christi domini nostri in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat, ne, unde placari debet, inde irascatur Deus.

XIX.

Alexander papa ep. 1.

Alexander successor Euaristi dixit: Non „ debet enim, ut a patribus accepimus, & „ ipsa ratio docet, in calice Domini aut „ vinum solum, aut aqua sola offerri, „ sed utrumque permixtum, quia utrum- „ que ex latere eius profluxit: Vt videlicet per hoc indicet populos, qui secundum Ioannem aquæ sunt, a Christo, cuius sanguis in calice est, dividi non debere. Cuius rei veritatem in hac sancta Synodo confitemur, credimus & confirmamus, ne ullus sine commixtione vini & aquæ mysteria sacra conficiat: sed ut duæ partes sint vini, quia maior est maiestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.

Ioann. 19. *Apoc. 17.*

XX.

Si quis irreverens, timorem Domini postponens, in servos eius sævire præsumpserit, quos ipse præ cæteris peculiari singularitate sibi segregavit, & coronæ suæ similitudinem, tradente apostolorum principe, gestare fecit, & servos suos dici & esse voluit, sortemque illorum se constituit, sicut de eis scriptum est, loquente ipso domino: *Ego hereditas eorum. Dominus hereditas mea est.* Si quis, ut diximus, ullum eorum, quocumque ordine consecratum, cæsis vulneribus, vel quibuscumque iniuriis angustaverit, iubeat eum dominus episcopus per bannum a se impositum ante se venire, & advocet cognitorem & adiutorem comitem, & constringat proteruum episcopus autoritate canonica: ut eidem clerico, cui contra diuinas & humanas leges contumelias ingessit, iustam & debitam persolvat compositionem: & comite agente persolvat bannum regibus debitum. Si vero agente protervia venire contempserit, iustitiæque

1. Petr. 2. *Num. 18.* *Deut. 18.*

A consentire detrectaverit, agantur super eum omnia, quæ supra scripta sunt in secundo & tertio capitulo, nisi iterum veniat, & iustitiæ concordet.

XXI.

Si quis presbyter contra laicum, vel laicus contra presbyterum, aliquam habet querimoniæ controversiam, episcopo 1 regente sine personarum acceptione finiatur, & laicus 2 præiuramento, si necesse sit, 3 constringatur: presbyter vero vice 4 præiuramenti, per sanctam consecrationem interrogetur; quia sacerdotes ex levi causa iurare non debent. Manus enim, per quam corpus & sanguis Christi conficitur, iuramento polluetur? absit, cum Dominus in evangelio discipulis suis, quorum vicem nos indigni in sancta gerimus ecclesia, dicat: *Nolite omnino iurare, sit autem sermo vester, Est, est, Non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Non dixit, Quod amplius est, malũ est, sed *a malo*, id est, a malo homine, de cuius incredulitate cogimur iurare. Vt enim in quadam homilia B. Bedæ presbyteri legimus, si forte nos incautius iurasse contigerit, quod scilicet observatum peiorem vergat in exitum, libere illud mutandum noverimus salubriori consilio.

2. quæst 4. Si quis presbyter. 1 percipiente 2 per iuramentum, 3 se expurget 4 iuramenti

B C

XXII.

Si quis fidelis libertate notabilis, aliquo crimine aut infamia deputatur, utatur iure, iuramento se excusare. Si vero tanto talique crimine publicatur, ut criminosus a populo suspicetur, & propterea superiuretur, aut confiteatur & pœniteat, aut episcopo vel suo misso discutiente, per ignem candenti ferro caute examinetur. Deus omnipotens, cum omnia nuda & aperta sint oculis eius, ut in epistola Euaristi papæ scriptum legimus, quo nos a dubiis & incognitis sententiam proferre compesceret, mala Sodomæ noluit audita iudicare, priusquam manifeste agnosceret quæ dicebantur; vnde ipse ait: *Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, vt sciam.* Quo exemplo moniti, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites simus, aut temere indiligenterque indiscussa quæque pro modo iudicemus: sed exemplo domini descendamus, videamus, & iusto examine criminosos diligenter perscrutemur, sicut ipse Sodomam; ut videamus, utrum clamorem populi compleverint, necne. Nam mala audita nullum moveant, sed ante audita diligenter inquirat.

Hebr. 4. D *Gen. 18.* E

XXIII.

Si quis sacro velamine consecratam in coniugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscuerit, ut in constitutis Gelasii papæ capite vigesimo legitur: protinus æquum est a sacra communione detrudi, & nisi per publicam

ANNO CHRISTI 895.

blicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi; si tamen pœnituerint, transeuntibus de sæculo viaticum non negetur. In Calchedonensi concilio, capite decimosexto: Hoc perpetrantes excommunicentur: confitentibus, autoritate episcopi, misericordia largiatur. In epistola papæ Siricii capite sexto: Velatæ Deo consecratæ, si abjecto proposito sanctitatis, clanculum sacrilega se contagione miscuerint, vel de illicitis complexibus publice & libere filios procreaverint, has impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu & ecclesiarum conventibus eliminandas esse, judicatum est, quatenus retrusæ ergastulis, tantum facinus continua lamentatione defleant. Unde verbo domini, & canonica auctoritate in hac sancta synodo præcipimus, ut omnino separentur, & juramento colligentur, ulterius sub uno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in ecclesia & in publico, aut pariter ullam habere communionem, unde suspicio illecebrosi desiderii, aut scandalum libidinosi facti, iuste possit oriri. Si quæ etiam inter se dividenda sint, dividant, & uterque sua provideat.

XXIV.

Quæcumque virgo sub patrocinio ante annos 12. non coacta, sed propria voluntate, sacrum velamen sibi imposuerit, annumque & diem, nullo repetente, velata permanserit; ab eodem sancto habitu ulterius non recedat, sed sponsa vero regi Christo, immaculato agno, ulterius incorrupta & immaculata deserviat. Si vero idem patronus post annum & diem, sanctum propositum corrumpere, & velatam studuerit repetere, atque Christo suam sponsam rapere: secundum præstituta canonum præjudicamus, ut vires non obtineat, sed Christo regi suam sponsam relinquat. Si quis de virginibus velatis curiosius & diligentius investigare perstiterit, insistat cap. decimosexto Carthaginensis sancti Concilii, & nonagesimotertio Africani. In Carthaginensi, capite decimosexto continetur: Ut ante vigesimumquintum annum virgines non consecrentur: in Africano, nonagesimo tertio: Ut quicumque episcoporum, aliqua urgente necessitate, vel periculo mortis angustante, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velaverit, seu velavit, ante vigesimumquintum annum ætatis virginem, non ei obsit concilium, quod de isto annorum numero constitutum est, quin velata & consecrata permaneat.

XXV.

Viduas autem velare pontificum nullus attentet, prout constitutum est in decretis papæ Gelasii, capite decimotertio, quod A nec autoritas divina, nec canonum forma præstituit. Quæ si propria voluntate continentiam professa, ut in ejusdem Gelasii capite vigesimoprimo legitur, ejus intentio pro se reddat rationem Deo. Quia sicut secundum apostolum si se continere non poterat, nullatenus nubere vetabatur; sic secum habita deliberatione, promissam fidem pudicitiæ Deo debet custodire. Qua autoritate paternæ suffulti sententiæ, in hoc sacro conventu sancimus & libere judicamus, quod si sponte velamen, quamvis non B consecratum, sibi imposuerit, & in ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, sanctimoniæ habitum ulterius habere debebit: licet sacramento confirmare velit, eo tenore & ratione velamen sibi imponere, ut iterum possit deponere. *1. Tim. 5.*

XXVI.

Si quis monachus pro lucro animæ vel animarum a suo monasterio exire, & in aliud proposuerit intrare, consentientimus episcopo, abbate & fratribus, consentibus & concordamus: quia id fecisse multos C sanctos legimus. Si vero fuga regularis disciplinæ elapsus, propositum sanctitatis calcaverit, omnimodis coercendus, & ab hominibus detestandus, atque omni onere est gravandus: ut saltem rubore verecundiæ confusus, & onere paupertatis afflictus, redeat, quem relicta singularitatis professione inimicus tenebat. Si autem tam irreverens & pertinax est, ut ad monasterium redire, & propositum monachi reluctaverit observare, impleantur super eum constituta, quæ de eo scripta sunt in sancto canone in concilio Calchedonensi capite quarto, D papæ Siricii sexto, Leonis vigesimosexto: quatenus retrusus ergastulo, decoqui possit pœnitudinis igne purgatorio. *Monachus apostata quomodo tractandus*

XXVII.

In synodo Calchedonensi capite septimo statutum est, ut clerici qui semel in clero deputati sunt, neque ad militiam, neque ad aliquam veniant dignitatem mundanam: & hoc tentates, & pœnitentiam non agentes, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegere, anathematizari. Nos autem eamdem sequentes canonicam autoritatem, statuimus, ut clericus E ecclesiastice nutritus, in ecclesia coram populo vel legens, vel cantans, si postmodum relicto clericatus habitu, a castris dominicis, quibus adscriptus est, profugus & apostata elabitur, & ad sæculum egreditur: ab episcopo canonice coerceatur, ut ad* sinum matris ecclesiæ revertatur. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, ut comam nutriat, constringatur, ut iterum detondeatur, & postea nec uxorem accipiat, nec sacrum ordinem attingat. Si vero huic hujus sancti concilii reluctaverit definitioni, **al. signum.*

Anno Christi 895.

ni, secundum præstitutam Calchedonensis A capituli constitutionem anathematizetur. Sanctus Isidorus tales hippocentauris dicit esse similes, qui nec equi, nec homines, atque quasi bruta animalia, libertate ac desiderio suo feruntur.

XXVIII.

In Niceno sancto & universali Concilio continetur: Propter multam perturbationem & seditiones quę fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, ita ut de civitate ad civitatem, non episcopus, non presbyter, non diaconus, transferatur, *&c.* In Calchedonensi, capite vigesimo: Clericos in ecclesia ministrantes, in B alterius civitatis ecclesia statutos fieri non oportet. Si quis episcopus post hanc definitionem susceperit clericum ad alium pertinentem, suscipiens & susceptus communione priventur, donec is qui migraverat, ad propriam fuerit regressus ecclesiam. Item in Synodo Sardicensi, capite decimooctavo: Ut nulli liceat episcopo alterius episcopi ministerium ecclesiasticum solicitare, & in suis parochiis ordinare. In Africano, capite vigesimoprimo: Ut cle- C ricum alienum nullus sibi privet episcopus, prętcr eius arbitrium cuius fuerit clericus, *&c.* Item in decretis papæ Leonis: Alienum clericum, invito episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo solicitet, nisi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque convenerit. Quibus constitutis sanctorum Canonum operam dantes, & vestigiis patrum inhęrentes, hoc secundum pręfixos sanctos Canones statuimus, & iustum esse decernimus.

XXIX.

D Secundum decreta sanctorum patrum præiudicamus, & nos id acturos profitemur, ut nullum servum episcopus ordinare præsumat, antequam perfecta ditetur ingenuitate, quia non debet vilis persona fungi sacerdotii dignitate. Leo papa in epistola sua, capite primo: Debet enim esse ab aliis securus, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus, ut a castris dominicis quibus nomen eius adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur. Gregorius in decretis E suis, capite septimo: Multos ex ecclesiastica familia novimus ad omnipotentis Dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi in divino servitio valeant conversari. Si vero festinantes ad omnipotentis Dei servitium incaute retinemus, illi invenimur quædam negare qui dedit omnia. Unde necesse est, ut ab humano servitio liber recedat, qui divini obsequii districtam subire appetit servitutem. Sancta Synodus dixit: Pręfinita patrum statuta inviolabilem habeant firmitatem.

XXX.

In memoriam beati Petri apostoli, honoremus sanctam Romanam & apostolicam sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticę rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, conferamus, & pia devotione toleremus. Si vero, quod non decet, quilibet, sive presbyter sive diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab apostolico detulisse epistolam, vel aliud quid, quod inde non convenerit: salva fide & integra circa apostolicum humilitate, penes episcopum sit potestas; utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, usquequo per epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos, apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine lex Romana statuat diffinire, ut & is corrigatur, & cęteris modus imponatur.

XXXI.

Tranquillitatem sanctæ Dei ecclesię inquietari, & pacem fraternam infestari, testantur fures & latrones, qui ambulant inter nos ovina pelle obumbrati, sed lupina mente recedunt alienati, res ecclesiarum, sęva mente adducti, rapientes, & gregem dominicum spoliando lacerantes. De quibus Salvator in evangelio commemorat: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est & latro.* (Ioann. 10.) Atque subjungit: *Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat.* Ubi quamvis hæreticos qui fidem furantur ecclesiæ designet; tamen insecutione furum & latronum turbatam monstrat pacem ecclesiarum. De talibus Apostolus ad Philippenses: *Videte canes, videte malos operarios.* Canes (Philip. 3.) vocavit, quod non habent verecundiam: malos operarios, quia nulla faciunt quæ pietati conveniunt. Et Dominus per prophetam Isaiam: *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam.* (Isa. 61.) Unde nos quæ Dominus diligit diligentes, & quæ odit odio habentes, statuimus & iudicamus, ut si quis post hæc euangelica & apostolica atque prophetica verba, & diffinitionem pacatissimæ Synodi, inventus fuerit furtum aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem mereatur incurrere; nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare. Et eleemosyna pro eo data, in memoriam clericorum nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat. Beatus Augustinus de talibus horribilem profert sententiam, dicens: Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere

ANNO CHRISTI 895.

dimere noluisti. Si autem ille fur vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis, habitu corporis & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque & sacerdoti, comite vita, emendationem morum & actuum confitetur: communionis gratiam non negamus tribuendam. In Nicæno magno Concilio statutum legimus: Si quis egreditur e corpore, ultimo & necessario viatico minime privetur, *&c.* Item de ultima pœnitentia, in epistola Innocentii papæ, capite vigesimoprimo: Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines huiusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo liberentur exitio. Item de eodem in Carthaginensi septimo & Cælestini decimoquinto, ubi ait: Quid, rogo, aliud est, ultimam pœnitentiam negare periclitanti, quam mortem addere morienti?

Can. 12. & 26. quæst. 6. De his vero.

XXXII.

Coheredes qui ius habeant patronatus.

Quæcumque ecclesia a compluribus coheredibus sit obsessa, concordi unanimitate undique procuretur, ne propter aliquas disceptationes servitium Dei minuatur, & cura populi irreligiose agatur. Si vero contingat pro ea comparticipes diffidere, & sub uno presbytero nolle eam procurare, & propterea iurgia & contentiones tam inter ipsos, quam inter clericos incipiant frequentare, quia iuxta Apostolum servos Dei non oportet litigare, episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura honorifice collocet eas, atque eiusdem ecclesiæ claudat ostia, & sub sigillo consignet ea; ut sacrū ministerium nullus celebret in ea, antequam concordi unanimitate unum omnes eligant presbyterum, qui idoneus sit sacrosanctum locum procurare, & populo Dei utiliter præesse. Hanc autem habeant autoritatem episcopi, ut in nullis ecclesiis nec constituantur presbyteri, nec expellantur, illis inconsultis & non consentientibus. In epistola beati papæ Clementis legitur: Attendendum summopere est omnibus presbyteris & reliquis clericis, ut nihil absque episcopi proprii licentia agant, non utique Missas sine eius iussu quisquam presbyterorum in sua parochia agat. Similiter & reliqui populi, maiores scilicet & minores, per eius licentiam, quidquid agendum est, agant. Animæ vero eorum ei creditæ sunt: ideo omnia eius consilio agere debent, & eo inconsulto nihil.

2. *Tim.* 2.

XXXIII.

In Nicæno sancto & universali Concilio statutum est, capite primo: Vt si quis a medicis per languorem defectus est, aut a barbaris abscisus, hic in clero permaneat. In epistola Innocentii papę, capite vigesimo octavo: Qui igitur volens cujuslibet partem digiti sibi abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contingit, hunc canones præcipiunt & clericum fieri, & si in clero fuerit repertus, non abjici. Item in decretis Gelasii papæ, capite decimo sexto: Vt nemo literas nesciens, vel aliqua parte corporis imminutus, promoveatur ad clerum. Hanc autoritatem sanctorum patrum confitemur, & confirmamus, sequimurque: ita ut si quis a medicis per languorem defectus est, vel per aliquam infirmitatem claudus effectus est, & inveniatur alias dignus, permaneat clericus, & sacro ordini aptus.

B

XXXIV.

Vndique bella consurgunt, hostes sæviunt, inimica gens Paganorum insequitur populum Christianorum. Impletum est enim quod evangelica testatur historia: *Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum*, &c. Et alibi scriptum est: *Pugnabit orbis terrarum pro eo contra insensatos.* Quapropter zelo divinæ æmulationis accensi Christianorum exercitus procedunt ad bellum, confidentes in eum qui dixit: Vos ad certamen acceditis, ego prælior pro vobis. Fit cōventus Christianorum & Paganorum: fortiter dimicant isti pro fide, illi contra fidem. Vnde fortissimo confortante Domino, sicut * Matathias pater Machabæorum ait: *Non in multitudine exercitus fit victoria belli, sed de cælo venit fortitudo:* sępe fuit victoria Christianorum, victa est pars Paganorum. Quare una cum interfectis Paganis perempti fuerunt Christiani, captivi a barbaris, quia in impetu belli nequeunt distingui. Idcirco iustum decernentes, statuimus cum interfectoribus misericordius agendum, ita ut quadraginta diebus pœnitentiæ indulgentius transactis, penes episcopum sit autoritas & potestas, ut perpendat culpam, agat indulgentiam.

Matth. 24. Sap. 5. C 1. Mach. 3. D

XXXV.

Secundum sanctorum statuta patrum, in hoc sancto præiudicamus Concilio, ut nullus comes, nullusque omnino sęcularis, diebus dominicis, vel sanctorum in festis, seu quadragesimę, aut ieiuniorum, placitum habere, sed nec populum illo præsumat coercere. Quia inde irascitur Deus, quod cum tantum suo sancto servitio debet populus desudare, inveniatur lites & contentiones frequentare. Diebus vero dominicis & sanctorum festis, vigiliis & orationibus insistendum, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo vacandum. Diebus quadragesimæ & ieiuniorum summa devotione ieiunandum, & omni intentione est orandum, atque vnicuique pro facultatibus suis eleemosynæ tribuendæ,

E

ANNO CHRISTI 895.

dæ, & nullæ lites vel contentiones habendæ. Arguit enim eos, qui contentiones & lites tempore ieiuniorum, & qui a debitoribus debita exigunt, Dominus per prophetam, dicens: *Ecce in diebus ieiuniorum vestrorum invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis: ecce ad lites & contentiones ieiunatis & percutitis pugno impie.* Ideo nobis, qui gregis Dei curam accepimus pastoralem, summopere curãdum & prohibendum est, ne nostra desidia agente, præfatis diebus ullus placitum habere, & populum nobis commissum, a servitio Dei nostri audeat impedire. Præterea sancimus & præcipimus, ut nullus comes aliquem pœnitentem ad placitum ire compellat, nec ipse veniat: ne forte, dum ieiunare & orare, atque pro salute suæ animæ debet invigilare, vaniloquiis & contentionibus cogatur laborare.

Isai. 58.

XXXVI.

Si contingat duos fratres simul arborem succidere, sive in silua, sive quocumque loco, & cadente arbore, alter alteri, fuge vel cave dixerit, & ipse stans, sive fugiens, subtus ipsam arborem devenerit, & mortuus fuerit: superstes frater, innocens de morte defuncti diiudicetur. Quia non voluntate, non incuria illius, non denique consensu, nec ullo suo mortem incurrit reatu: sed dum ambo insisterent operi necessario, incautus & insperatus casu arboris depressus est, nemine penitus adiuvare valente. Hanc eamdem statuimus diffinitionem de ceteris similibus, sive cognatis, sive nulla proximitate coniunctis. Istam diffinitionem tenuere patres nostri apostolici viri: ideo eorum exempla sequentes, per futura tempora inviolabilem eam custodimus, & posteris nostris sequendam transmittimus: quia grave peccatum est, & nostro ministerio contrarium, innocentem opprimere, & securum crimine, scienter criminosum habere. Quidam de sapientibus ait: Premit insontes debita sceleri noxia pœna iustusque tulit crimen inìqui.

XXXVII.

Si quæ mulier, ut sæpe contingit, infantem proprium prope ignem collocaverit, & alius, qui caldarium super ipsum ignem pependerit, & aquam infuderit, atque aqua ipsa per ignem fervens egreditur, & infanti superfunditur, & propterea mortuus agitur: mater infantis, propter negligentiam, iudicio sacerdotum pœniteat, & homo qui caldarium pependit, securus permaneat. Simili modo de ceteris similibus, quæ sæpe diverse solent evenire, & iudicamus, & esse volumus.

XXXVIII.

In decretis papæ Leonis, capite decimo-octavo, scriptum est: Non omnis mulier viro iuncta, uxor est viri, quia nec omnis filius heres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima & inter æquales. Itaque aliud concubina, aliud uxor; sicut aliud ancilla, aliud libera. Igitur si quis filiam suam viro habenti concubinam, in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam coniugato dederit, nisi forte illa mulier, & ingenua sit facta, & dotata legitime, & in publicis nuptiis honestata videatur. Unde paternam sequentes autoritatem, sub præsenti huius sancti catalogo Concilii statuimus & libere iudicamus, ut quisquis liber libertam, hoc est, ex ancilla per manumissionem & regalem largitionem liberam factam, legitime in matrimonium duxerit, ulterius habere debeat, tamquam unam ex nobili genere progenitam, excepta fornicationis causa: & quamdiu illa vivat, nullam aliam accipiat. Est igitur, ut ex decretis papæ Leonis prædiximus, ingenua facta, & dotata legitime, & in publicis honestata nuptiis, & propterea iam non est concubina, sed uxor legibus acquisita. Hæc eadem lex pro qualitate sexus sit feminis & viris * libertas.

* fort. libera.

XXXIX.

Quicumque alienigenam, hoc est, alienæ gentis feminam, verbi gratia, Francus mulierem Baioaricam, utrorumque consultu propinquorum, legitime vel sua, vel mulieris lege acquisitam, in coniugium duxerit; velit nolit, tenenda erit, nec ultra ab eo separanda, excepta fornicationis causa. Quamvis enim, ut Apostolus ait, unus Dominus, una fides, unum baptisma, utrique communis sit nationi, legem tamen habent diversam, & quantum ad sæculum, interdum longe disiunctam. Quare si unus e duobus, unam carnem in duas dividere, & copulam nuptialem machinetur disiungere, dicendo, non secundum suæ gentis legem iura matrimonii contraxisse, & idcirco separari posse: canonica institutione diffinimus, & nostro omniumque orthodoxorum iudicio statuimus, ut quod legis imperfectum sit, perficiatur, & ius matrimonii nequaquam resoluatur. Synodus Romana ait, quod non dimittenda sit uxor post baptismum, quæ habita est & ante baptismum. In baptismo soluuntur crimina, non tamen legitima coniugia. Cum enim in baptismo transmigrat de vita in vitam, & non mutat uxorem legitimam: quomodo mutat eam, qui non mutat vitam, sed transit de gente ad gentem? Igitur quia iam suffugium non habent separandi, impleant dictũ apostoli, ut unanimes unum sentientes permaneant in Christo Iesu domino nostro. Nos autem cognita referimus, quia

Ephes. 4.

Philip. 2.

ANNO CHRISTI 895.

quia quemdam Francum & mulierem Saxonicam talia egisse cognovimus. Si quis post hæc, hujus sancti concilii institutionem paruipendens, aliam duxerit, cujuscumque gentis sit, canonice arceatur, ut priori cum pœnitentia copuletur.

XL.

Audivimus rem execrabilem, & catholicis omnibus detestandam, quemdam nefario fornicationis opere alicujus uxorem, vivente eo, commaculasse: & in argumentum iniquitatis, juramento confirmasse, si eius legitimum supervixissent ambo maritum, ut ille fornicator illam adulteram adulterio pollutam sibi associaret toro & legitimo matrimonio, si hoc jure dici matrimonium potest, per quod oriuntur quæ apostolus enumerat mala, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, &c. ad ultimum vero, veneficia & homicidia; quia pro tam illicito amore, alii veneno, alii gladio, vel aliis diversis sunt perempti maleficiis. Idcirco acutissimo ferro, & totius generis artificio resecanda, per quæ cælestia regna sunt occludenda. Quoniam ut idem apostolus ait, *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Tale igitur connubium anathematizamus, & Christianis omnibus obseramus. Non licet ergo, nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio.

Rom. 1.

1. Cor. 6.

XLI.

Si quis legitimam duxerit uxorem, & impediente quacumque domestica infirmitate, uxorium opus non valens implere cum illa: frater vero eius, suadente diabolo, adamatus ab ipsa, clanculum eam humiliaverit, & violatam reddiderit: omnimodo separentur, & a neutro ulterius eadem mulier contingatur. Igitur conjugium, quod erat legitimum, fraterna commaculatione est pollutum: & quod erat licitum, illicitum est factum: & ut Hieronymus ait: Mulier duorum fratrum non ascendat torum: si autem ascendit, adulterium perpetrabit. Quia vero humana fragilitas proclivis est ad labendum, aliquo modo muniatur ad standum. Idcirco episcopus considerata mentis eorum imbecillitate, post pœnitentiam sua institutione peractam, si se continere non possint, legitimo consoletur * matrimonio: ne, dum sperantur ad alta sublevari, corruant in cœnum.

* cos.

XLII.

Si quis de uno in alium omnino transmigrat episcopatum, & si, quod absit, contingat eum filiam sororis suæ, amitæ aut materteræ, avunculi vel patrui polluere, aut aliquod crimen committere: episcopus, in cujus tunc diœcesi commoratur, & tali scelere criminabitur, habeat jus & potestatem, secundum canonicam auctoritatem, & nostram synodalem institutionem, flagitiosum coercere, & ad pœnitendum emollire. Per quos enim melius rei veritas ventilatur & emendatur, quam per hos, inter quos habitat, & criminosus apparet?

XLIII.

Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente, filius ejus vel frater ejusdem rei inscius, cum eadem se polluerit, & postquam se pollutum esse cognoverit, confessus fuerit, & hoc se nescire cum juramento confirmaverit: quia hoc pœnituit & confessus fuit, post peractam congruam pœnitentiam, legitimo utatur matrimonio, ne iterum mordente crudelissima libidinis bestia saucietur, & in voraginem fornicationis incidere videatur. Nam ut Hieronymus ait, ferreas mentes domat libido. Mulier vero quæ tantum nefas commiserat, ulterius pœniteat, atque continens & innupta permaneat.

XLIV.

Si quis cum aliqua crimen fornicationis fecerit, & frater eius, ejusdem sceleris ignarus, duxerit illam uxorem, frater qui prior per fornicationem polluerat illam, quia non indicavit fratri uxorem ducenti, prædura arceatur pœnitentia & condigna castigatione. Qua peracta, si continens esse non possit, indulgentia sublevetur, ne libidini prosternatur, quatenus legitimo consoletur matrimonio. De muliere vero sancimus, sicut de ea in Neocæsareensi sancto concilio diffinitum legimus capite secundo: Mulier, si duobus fratribus nupserit, abiiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter misericordiam fructum pœnitentiæ consequatur, si promiserit, quod facta incolumis, hujus coniunctionis vincla dissolvat. Quod si defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti. Episcopus vero potestatem habeat secundum conversationem ipsius, aut adiicere negligenti, aut minuere pœnitenti. Tamen ulterius continens & a viro disiuncta permaneat.

Concil. Neocæs. c. 2.

XLV.

Simili modo secundum sanctos canones diffinimus & judicamus de eo, qui cum duabus sororibus fuerit pollutus, ut usque in exitum vitæ pœnitens & continens permaneat. Soror autem, quæ posterior libidinis perforata aculeis, scienter se cum eodem commaculaverit, usque in finem vitæ pœnitens & continens perduret. Si autem improvise contingit, condigna stringatur castigatione: & si velit, legitima utatur viri coniunctione.

XLVI.

Si cuius uxor constuprata fuerit, & propterea

ANNO CHRISTI 895.

pterea maritus capitali ſententia delere illam machinaverit: ipſa vero, urgente mortis periculo, ad epiſcopum confugerit, & auxilium quæſierit, operoſiori, ſi poteſt, epiſcopus labore deſudet ne occidatur. Si vero non poteſt, nullo modo liceat ei, requirenti eam reddere viro ad occidendum, quæ ſe ei obtulit ad defendendum: ſed ſolerti cura tranſmittet eam ad locum, quem ipſa delegerit, ut ſecura vivere poſſit. Si vero interdum maritus eam invenerit, & repetierit, ſecundum ſæculum poteſtatem * habuerit, quid agere ei velit. Sed audiat S. Auguſtinum, dicentem: Cum enim vir a virtute nomen accipiat, & mulier a mollitia, id eſt, fragilitate: quare contra crudeliſſimam libidinis beſtiam vult unuſquiſque uxorem ſuam eſſe victricem, cum ipſe ad primum libidinis ictum victus cadat? Nam quidquid contra fidem catholicam mulieribus non licet, nec viris licet. Si autem eadem mulier timore perterrita, a loco ubi eam epiſcopus deſtinavit, aufugerit, & vir ejus ab epiſcopo ſemel aut bis vel ſæpius repetierit, ſi vitam ei obtinere poſſit, perquirat, & reddat: ſin autem, omnino non reddat. Maritus vero quamdiu ipſa vivat, nullo modo alteram ducat.

* habeat

Auguſt. Serm 243. de temp.

XLVII.

Qui ſpiritalem habet compatrem, cujus filium de lavacro ſacri fontis accepit, & ejus uxor commater non eſt, liceat ei, defuncto compatre ſuo, ejus viduam ducere in uxorem, ſi nullam habent conſanguinitatis propinquitatem. Quid enim? numquid non poſſunt conjungi, quos nulla proximitas carnalis, vel * in id generatio ſecernit ſpiritalis?

* nulla

XLVIII.

Illud etiam nec canonica inſtitutione diffinimus, nec introductione aliqua refutamus: ſed propter eos qui diverſe de eo ſentiunt, hoc loco aliquid commemoramus. Si quis ſuæ ſpiritalis commatris filiam fortuito, & ita contingente rerum caſu, in conjugium duxerit, conſilio maturiori ſervato, habeat, atque honeſte legitimo conjugio operam det.

XLIX.

De his qui in adulterio juncti per incentiva libidinis malæ, filium vel filiam genuerunt, canonice præjudicamus: ut quando ab epiſcopo juſta diviſione ſeparantur, eo tenore ſejungantur, ne ultra ſpe reverſionis deludantur. Quare, ſi quid inter ſe proprietatis aut pecuniæ communi donatione tradiderunt, * ut quæ communi ſervent infanti. De reliqua vero proprietate & pecunia, nullam ulterius habeant communionem, ſed uterque ſua provideat, & ut velit faciat. Et ut hoc verius credatur, atque firmius obſervetur, verbo domini præcipimus, & canonica atque ſynodali impoſitione injungimus, quatenus juramento colligentur, deinceps & ultra ſub uno non cohabitare tecto: nec familiari frui colloquio, excepto in eccleſia & in publico: nec ullam habere communionem in proprietate, aut mancipiis, vel pecunia, ſive ullis rebus, unde ſuſpicio luxurioſi facti, aut ſcandalum libidinoſi deſiderii juſte poſſit oriri.

* utique

L.

Si quis vero, ſive ſit vir, ſive mulier, aliquem a recta credulitate & catholica fide illuſione diabolica averterit, *expedit ei*, ut euangelicus intonat ſermo, *ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Quia qui ſcandalizaverit alios, ut Deum offendant, ac de vera fide & ſalute recedant, multo melius eſſet ei, ut propriis vitæ ſuæ vitiis, & immunditia pollutus puniretur, quam pro ſuis & aliorum peccatis in infernum demergeretur. Et ſi quempiam veneno vel herbis, aut diverſi generis maleficiis perdiderit, velut peſſimus homicida, duplici mulctetur pœnitentia.

Matth. 18.

LI.

Illud vero communi decreto ſecundum canonum inſtituta diffinimus, & præjudicamus, ut ſi quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito, ſynodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjungatur matrinio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec Chriſtianæ religioni oportet, ut ullus ducat in conjugium quam prius polluit per adulterium.

LII.

Placuit nobis de homicidiis non ſponte commiſſis, hic inſerere, quod in Ancyrano ſancto concilio, capite vigeſimoſecundo legitur, ubi dicitur: De homicidiis non ſponte commiſſis, prior quidem diffinitio poſt ſeptennem pœnitentiam perfectionem conſequi præcipit: Secunda vero, quinquennii tempus explere. Modus autem hujus pœnitentiæ in epiſcoporum ſit arbitrio, ut ſecundum converſationem pœnitentium, poſſint & extendere tardantibus, & minuere ſtudioſe feſtinantibus.

Ancyr. cap. 22.

LIII.

Si quis filium ſuum (quod abſit) non ſponte, ſed caſu contingente occiderit, * ſecundum homicidia ſponte commiſſa pœniteat, ut ſequenti ſubinfertur capitulo.

* juxta homicidia non ſponte.

LIV.

De his qui voluntarie homicidium fecerint, Ancyrano ſancto concilio, capite vigeſimoprimo legitur: Ut pœnitentiæ quidem jugiter ſe ſubmittant: perfectionem vero (id eſt, cmomunionis Chriſti gratiam)

Ancyr. cap. 21.

ANNO CHRISTI 895.

gratiam circa vitæ exitum consequantur. Instituta canonica & sanctorum patrum decreta, nostro & omnium orthodoxorum judicio, inviolabilem habeant firmitatem. Nobis autem, qui pastores Christi ovium sumus, pro moderni temporis qualitate & hominum fragilitate, bonum & utile videtur, ut his qui voluntarie homicidium fecerint, auctoritate synodali & judicio generali, & modum castigationis imponamus, & certum ac definitum pœnitentiæ, tempus præmonstremus: ne prolixum tempus pœnitentiæ generet fastidium negligentibus: sed cursim exercitatis, accrescat opus salutis.

LV.

Pœna voluntarii homicidii.

Si quis sponte homicidium fecerit, quadraginta diebus ab ingressu ecclesię arceatur, & nihil manducet illis quadraginta diebus præter solum panem & salem, neque bibat nisi puram aquam: nudis pedibus incedat: lineis non induatur vestibus, nisi tantum femoralibus: sæcularia arma non portet: nullo vehiculo utatur: ad nullam feminam nec ad propriam uxorem, his diebus misceatur. Nullam communionem illis quadraginta diebus cum aliis Christianis, nec cum alio habeat pœnitente, in cibo, vel potu aut ullis rebus. Si vero sint aliqui vitę suæ insidiatores, ut præ illis non possit digne pœnitere, interim differatur ei eadem pœnitentia, donec ab episcopo proprio pax ei ab illis sit facta. Si enim aliqua corporali infirmitate detentus sit, ut non possit rite jejunare, abdibeatur ei misericordia, quousque convalescat, & tunc demum pœniteat. Si vero longo tempore eadem sit occupatus infirmitate, ad episcopum pertinebit, ut prudenter pertractet, quomodo infirmum peccatorem curare disponat: quia, ut Gregorius pastorali commemorat libro: Occultiora sunt vulnera mentium quam corporum, & ars est artium regimen animarum.

LVI.

Post illos quadraginta dies, unum annum integrum ab introitu ecclesiæ suspendatur, & abstineat se a carne & caseo, a vino & medone ac mellita cervisia, nisi dominicis diebus & festis, qui per illum episcopatum publice celebrantur apud cunctum populum: & nisi vel in oste, aut in aliquo magno sit itinere, vel longe aut diu ad dominicam curtem, vel si infirmitate detentus sit, tunc licitum sit ei tertiam feriam & quintam atque sabbatum redimere uno denario, vel precio denarii, sive tres pauperes pro nomine Domini pascendo: ita dumtaxat, ut vel carne, vel vino, vel medone, id est, de tribus una re utatur, non omnibus vescatur. Postquam autem de itinere domum revertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, sed statuto modo pœniteat. Completo vero unius eiusdemque anni curriculo, ita castigatus rite & ordinabiliter more pœnitentium introducatur in ecclesiam.

LVII.

Secundum vero & tertium annum simili modo pœniteat, excepto quod prædictas tres ferias redimere ius habeat, ubicumque est, sive in domo, sive in itinere. Cætera per omnia observet, ut in primo anno faciebat.

LVIII.

Quartum enim annum & quintum, sextum & septimum isto modo observet. Ieiunet autem his singulis tres quadragesimas: Vnam ante pascha Domini a caseo & pinguibus piscibus, a vino & medone & mellita cervisia. Alteram ante nativitatem sancti Ioannis Baptistæ. Si vero desunt quadraginta dies ante nativitatem, impleantur post nativitatem. Tertiam quadragesimam ante nativitatem Domini Salvatoris ieiunet, & abstineat se a carne & cæteris rebus prædictis. Et in his quatuor annis, tertia feria, & quinta, ac sabbato, manducet & bibat quodcumque libeat; & secundam atque quartam feriam denario, aut prædicto denarii precio redimere ius habeat. Sextam vero feriam caute observet. His septem annis rite expletis, reconcilietur, & more pœnitentium sacris altaribus & sanctæ communioni restituatur, atque perfectionem consequatur.

In hoc sancto concilio præsidente & adjuvante pio principe Arnulpho gloriosissimo rege, consederunt qui convenerant sancti patres & venerabiles ecclesiarum pastores. Et quæ catholica fide promulgaverunt, pari professione confirmaverunt, & unanimes subscripserunt.

SVBSCRIPTIONES.

Hattho sanctæ Moguntiacensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Hermannus sanctæ Agrippinensis, quæ & Coloniensis, ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Rathotus "Trevirensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi. ["Rathbodo " Rathbodus "Rathboldus]

VValdo Frisingensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Erchanbaldus Eistatensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

Tuto Radasbonensis episcopus.
Adalpero Augustensis episcopus.
Salomon Constantiensis episcopus.
Theodolfus Curiensis episcopus.
Fringus Basileensis episcopus.
Baldrammus Strasburgensis episcopus.
Lotechaneus Spirensis episcopus.
Theotelaus VVormatiensis episcopus.
Adalgarius* Brumensis episcopus.
Dado VVirdunensis episcopus.
VVigbertus Hiltinesheimensis episcopus.
Ruodolfus VVirtziburgensis episcopus.
Sigimundus Halvarastatensis episcopus.

ANNO CHRISTI 895.

Ruodbertus Metenſis epiſcopus.
Drogo Mimidenſis epiſcopus.
Biſo Paderbornenſis epiſcopus.
Egilmarus Oſneburgenſis epiſcopus.

Hæc ſubſcriptio ſacroſancta, venerabili profeſſione & condigna reſponſione innumerabilium circumſtantium presbyterorum & diaconorum, necnon & nobilium laicorum confirmata, & laudabiliter approbata eſt, ad laudem & gloriam Ieſu Chriſti Domini noſtri, cui ſit honor, laus, & jubilatio, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Controverſia de Bremenſi eccleſia.

Concilium.) In hac Synodo Tiburienſi præter Canones, cauſæ quędam & lites inter epiſcopos agitatæ, leguntur deciſæ. E quatum numero eſt illa antiqua de ſubjectione Bremenſis eccleſiæ inter Adelgarium Hamburgenſem, & Hermannum Colonienſem archiepiſcopos. Adelgarius Bremenſem cum ſua eccleſia auctoritate apoſtolica per Nicolaum primum unitam fuiſſe allegabat. Colonienſis unionem illam in præjudiciū ſuæ juriſdictionis initam eſſe contra Adelgarium urgenter inſtabat. Poſt cauſæ diligentiorem inquiſitionem, Bremenſis eccleſia, aſſentiente Formoſo pontifice Hermanno Colonienſi archiepiſcopo adjudicata fuit. Ex Adamo Bremenſi antiquo chronologo rem geſtam Albertus abbas Stadenſis anno domini 896. enarrat his verbis. *Eodem tempore Hermannus Colonienſis archiepiſcopus magnis Adelgarium fatigabat injuriis, Bremam Coloniæ ſubjungere conatus. Collecta ergo apud Triburiam Synodo, Hatthone Moguntino præſidente, caſſata ſunt apoſtolicæ ſedis privilegia, & glorioſorum principum annullata ſunt præcepta, conſentientibus iniquis decretis Formoſo papa & Arnulpho rege. Deinde facta ſubſcriptione, Adelgarius archiepiſcopus in cauda Concilii poſitus eſt. Fabula grandis de Adalino & VVidgero, qui diſceptantes ad ſpectacula Synodum traxerunt. Tragœdia lugubris, victum VVidgerum & poſtero die mortuum. Et amplius ſub Adelgario & Hogero omni tempore Brema Coloniæ facta eſt ſuffraganea.* Antiquam hanc fuiſſe controverſiam idem Albertus Stadenſis ex prædicto Adamo Bremenſi refert anno Domini 858 his verbis. *Interea quæſtio magna ſurrexit in regno Francorum de Bremenſi epiſcopatu ad inviatam beati Anſcharii conflata. Ea contentio diu per regnum gravi & ancipiti diſſenſione profligata, multis partium ſtudiis collidebatur. Tandem orthodoxus Cęſar Lotevvicus, compoſitis hinc inde contradicentium voluntatibus, præcipue Gunthari Colonienſis archiepiſcopi, cujus ſuffraganea prius erat Brema, ſuper his Romam nuntios ad ſanctiſſimum papam direxit Nicolaum. Ille vero, quod eccleſiaſtica neceſſitas perſuaſit, & quod patrum conſiliis fieri poſſe comprobatum eſt, facile conſenſit. Ergo Bremenſem ac Hamburgenſem epiſcopatum apoſtolica auctoritate copulari, & deinde pro uno ſanxit haberi. Idem etiam Nicolaus papa, tam ipſum Anſcharium, quam ſucceſſores eius legatos & vicarios apoſtolicæ ſedis conſtituit in omnibus gentibus Danorum, Sueonum & Sclavorum, quod & antea Gregorius papa conceſſit.*

Triburia quæ & qualis.

Triburienſe.) Sic dictum a Triburia, quam Trithemius in chronico Hirſaugienſi ſic deſcribit: *Triburia villa regia non longe a Moguntiaco ſuper Rhenum, quæ modo deſerta nullum priſtini honoris veſtigium tenet, præter muros caſtelli dirutos. Eſt autem inter Oppenheim & Moguntiam per Rhenum deſcendentibus ad manum dexteram, locus ubi quondam hæc villa imperialis cum caſtro & monaſterio pulcerrima ſita fuerant, paucula modo habens domunculas ruſticorum.* Et Lambertus Schaffnaburgenſis: anno 1077. *Principes Sueviæ & Saxoniæ Triburiam convenerant, &c. rex Henricus contractis in unum ſuæ partis aſſertoribus, in villa quæ dicitur Oppenheim ſe continebat, Rheno fluvio utraque caſtra dirimente. Male in catalogo curienſium* inquit Serarius, *in Theodolpho Bruſchius, Triburgenſe prope Moguntiam. Pejus qui corrigit Triburgenſe.* Eſt alioqui Triburgum in VVeſtphalia, in annalibus Pithœi ſæpe villa *Tribuere.* Regino Triburias vocat & Sigebertus. Eſt pagus quidam hodie modicus in orientali Rheni latere, nomine tamen antiquo Tribur & Trevvr, in quo quatuor aut quinque templa, in quibus & ſancti Albani unum, fuerunt. Plura vide apud Serarium hiſtoriæ Moguntinæ libro primo capite 33. ubi triplici de cauſa hoc inter Moguntina concilia refert.

Imperatore Arnulpho. De imperatore Arnulpho vide quæ dixi ſupra in vita Formoſi papæ.

In memoriam.) Hoc capitulum eſt unum ex viginti tribus illis legibus, quas pro reformandis moribus ſubditorum ſuorum, auctoritate ſedis apoſtolicæ, per epiſcopos regni ſui, ut ſupra diximus, edidit Carolus Magnus; quaſque Sigonius libro quarto de regno Italiæ leges Mutinas appellavit. Vide Baronium anno 801. numero 10.

ANNO CHRIST.

CONCILIVM NAMNETENSE.

TITVLI CANONVM.

CANONES.

I.

VT dominicis & feſtis diebus presbyteri, antequam Miſſas celebrent, plebem interrogent, ſi alterius parochianus in eccleſia ſit, qui proprio contempto presbytero ibi Miſſam velit audire. Quem ſi invenerint, ſtatim ab eccleſia ejiciant, & ad ſuam parochiam redire compellant. Similiter interrogent, ſi aliqui diſcordantes ſint, qui inter ſe litem implacabilem habeant. Et ſi inventi fuerint, ſtatim reconcilientur. Quod ſi renuerint pacem ſuſcipere, ab eccleſia ejiciantur, uſquequo ad caritatem redeant. Non enim poſſumus munus vel oblationem ad altare offerre, donec prius fratri reconciliemur. His ita peractis, ſacerdotes Miſſarum ſolennia rite peragant.

Burcard. l. 2. c. 92. Ivo part. II. cap. 122. 9. q. 2. in dominicis.

II.

Vt nullus preſbyter, alterius parochianum, niſi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Miſſam recipiat.

9. quæſt. 2. Nullus presbyter. Lib. 1. Cap. c. 153.

III.

Prohibendum, & modis omnibus interminandum eſt, ut nullus ſacerdos eas perſonas feminarum, ſicut & in Canone inſertum continetur, de quibus ſuſpicio eſſe

Capitul. Lib. 7. cap 261. Burcard. lib. 2. 116. Ivo p. 6. c. 192.

Anno Christi ....

esse potest, in domo sua habeat. Sed neque illas, quas canones concedunt (quia, instigante diabolo, etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum) scilicet matrem, amitam, sororem. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio presbyteri, habeat in vico, aut villa, domum longe a presbyteri conversatione, & ibi eis subministret quæ necessaria sunt. Sed & hoc, secundum auctoritatem canonum, modis omnibus prohibendum, ut nulla femina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare, aut sedere.

IV.

Cum sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quamcitius ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum & per omne cubiculum aspergat, cum antiphona, *Asperges me Domine*, & versu, *Exurgat Deus*. Deinde dicat orationem, *Deus qui sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, &c.* Deinde cantet septem psalmos, cum precibus pro infirmis. Post hæc, omnes jubeat extra cubiculum secedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blande leniterque alloquatur, ut omnem spem suam in Deo ponat, ut flagellum Dei patienter toleret, ut hoc ad purgationem & castigationem suam provenire credat, ut peccata sua confiteatur, ut emendationem promittat, si dominus vitam concesserit: pœnitentiam pro culpis commissis spondeat: ut substantiam suam, dum adhuc sensus & ratio in eo vigent, disponat: ut peccata sua eleemosynis redimat, ut his qui in se peccaverunt indulgeat, ut rectam fidem & credulitatem teneat, ut de Dei misericordia numquam desperet. Cum his & hujuscemodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, data benedictione recedat sacerdos, non post multum reversurus, detque locum ut ægrotus de peccatis suis possit cogitare.

Psal. 50.
Psal. 67.

V.

Infirmus, qui necessitate mortis urgente confitetur peccata sua, sub ea conditione a sacerdote reconcilietur, ut si ei dominus vitam donaverit, sanitatemque reddiderit, secundum qualitatem delicti omnimodis pœniteat.

Burcard. lib. 58. c. 3. Ivo p. 15. c. 28.

VI.

Præcipiendum, secundum canonum auctoritatem, ut de sepulcris & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant, nisi forte qui sepelitur, vivens jusserit ecclesiæ, in cujus atrio sepelitur, de suis aliquid tribuere; aut etiam post mortem illius, quibus commissum est ejus eleemosynam facere, de rebus illius aliquid dare sponte voluerint. Tamen nullatenus a presbyteris illis aliquid exigatur, sive ab illis qui locis & vicis præsunt. Prohibendum etiam, secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut extra ecclesiam. Infra ecclesiam vero, aut prope altare, ubi corpus domini & sanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam sepeliendi.

13. quæst. 2. Præcipiendum. Burcard. l. 3. c. 59. Ivo part. 3. cap. 22.

VII.

Omnibus ministris ecclesiasticæ dignitatis interdicimus, ut nullus, quocumque munere aut favore corruptus, clericum alterius parochiæ latenter aut furtive ad ordinationem subintroducere præsumat. Quod si fecerit, juxta Calchedonense decretum, is qui ordinatus est, donum sancti Spiritus, quod furari conatus est, amittat: & qui mediator extitit, si clericus est, proprio gradu decidat; si laicus aut monachus, anathematizetur.

Ivo part. 5. c. 208.
Can. 2.

VIII.

Sicut enim episcopus non plus potest habere, quam unam civitatem, & vir unam uxorem, ita presbyter unam tantum ecclesiam. Itaque nullus presbyter plures præsumat habere ecclesias: nisi forte alios presbyteros sub se in unaquaque habeat, qui nocturnum atque diurnum officium solenniter adimpleant, & missarum celebrationes quotidianis expleant ceremoniis.

Burcard. lib. 3. c. 47. Ivo part. 3. c. 51.

IX.

Ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos offerunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis, presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido", ut post missarum solennia, qui communicare non fuerunt "rati, eulogias omni die dominico, & in diebus festis exinde accipiant: & illa, unde eulogias presbyter daturus est, ante in hæc verba benedicat. " ORATIO. *Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta & spirituali benedictione, ut sit omnibus " salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & universas inimicorum insidias tutamentum. Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, panem vitæ, qui de cælo descendit, & dat vitam ac salutem mundo, & tecum vivit & regnat, &c.*

Hincmar. capitul. an. 852. cap. 7.
" & convenienti.
" parati
" & sic accepturis distribuat, & micas, ne incaute defluant, custodiat.
" cum fide & reverentia, ac gratiarũ actione sumentibus.

X.

Instruendi sunt presbyteri, pariterque admonendi, quatenus noverint decimas & oblationes, quas a fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti: de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus & his qui præmissi sunt administraverint, damna passuros. Qualiter vero

Lib. 7. cap. 190. Burcard. l. 3. c. 138. Ivo part. 3. cap. 204.

ANNO CHRISTI ......

dispensari debeant, canones sancti instituunt: scilicet ut quatuor partes inde fiant, una ad fabricam ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distribuenda, tertia presbytero cum suis clericis habenda, quarta episcopo reservanda, ut quidquid exinde jusserit, prudenti consilio fiat.

XI.

Dist. 24. Quando episcopus. Burcard. l. 2. c. 1. Ivo part. cap. 21.

Episcopus quando ordinationem facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere volunt, feria quarta ante ipsam ordinationem evocandi sunt ad civitatem, una cum archipresbyteris, qui eos repræsentare debent. Et tunc episcopus e latere suo dirigere debet sacerdotes, & alios prudentes viros, gnaros legis divinæ, & exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint bene literati, si in lege domini instructi, diligenter investigent. Ante omnia, si fidem catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem, quibus hoc committitur, cavere debent, ne aut favoris gratia, aut cujuscumque muneris cupiditate illecti, a vero devient, ut indignum & minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos episcopi manibus applicent. Quod si fecerint, & ille qui indigne accessit, ab altari removebitur; & illi, qui donum sancti Spiritus vendere conati sunt, coram Deo jam condemnati, ecclesiastica dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, & sic sabbato, qui probati inventi sunt, episcopo repræsententur.

XII.

Si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc a viro deprehensum fuerit & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem: illa vero septem annis publice pœniteat. Vir vero ejus illa vivente nullatenus aliam accipiat. Quod si voluerit adulteram sibi reconciliare, licentiam habeat: ita tamen, ut pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia, post septem annos ad communionem uterque accedat. Similis forma & in muliere servabitur, si eam vir ejus adulteravit.

XIII.

Si qua mulier non habens virum, aut vir non habens uxorem, fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.

XIV.

Ivo part. 8. cap. 207.

Quod si vir non habens uxorem, alterius uxorem adulteravit, aut si qua mulier non habens virum, cum alterius viro: ille qui fœdus violavit conjugii, septem annis, ut supra dictum est, pœniteat: ille qui lege conjugii non tenetur, quinque annis pœniteat. Neque enim æqualis pœnitentia danda est his, quibus sufficere poterat ad explendam libidinem suam conjugum amplexus; & illis, qui conjuge carentes, ardore libidinis impellente in fornicationem ceciderunt.

XV.

De collectis, vel confratriis, quas consortia vocant, sicut verbis monuimus, & nunc scriptis expresse præcipimus, ut tantum fiat, quantum rectum ad auctoritatem & utilitatem, atque ad salutem animæ pertinet. Vltra autem nemo nec sacerdos, neque fidelis quisquam, in parochia nostra progredi audeat. Id est, ut in omni obsequio religionis, videlicet in oblatione, in luminaribus, in orationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemosynariis, & ceteris pietatis officiis. Pastos autem & comessationes, quas divina auctoritas vetat, ubi & gravedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ, & rixæ, sæpe etiam, sicut experti sumus, usque ad homicidia, & odia, & dissensiones accidere solent, adeo penitus interdicimus, ut qui contra hoc decretum agere præsumpserit, si presbyter fuerit, vel quilibet clericus, gradu privetur; si laicus est, aut femina, ab ecclesia usque ad satisfactionem separetur. Conventus autem talium confratrum, necesse si fuerit ut simul conveniant," aut forte aliquis contra parem suum discordiam habuerit, quem reconciliari necesse sit, & sine conventu " presbyterorum & ceterorum esse non possit, post peracta illa quæ Dei sunt, & Christianæ religioni conveniunt, & post debitas admonitiones, si contigerit ut veræ caritatis & fraternæ invicem consolationis omnes ad refectionem conveniant, sic talia fieri permittimus, ut servata modestia, & temperantia, & sobrietate, pacisque concordia, sicut decet fratres, in ædificationem fraternitatis, & laudem & gloriam Dei, & gratiarum actiones fiant. Et hoc omnino caveatur quod salvator ait: *Videte ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Qui voluerint, eulogias a presbytero accipiant: & panem tantum frangentes, singulos accipiant biberes, & nihil amplius contingere præsumant. Et sic unusquisque ad sua cum benedictione domini redeat.

Hincmar. capitul. an. 852. cap. 16.

" ut si

" presbyteri

Luc. 21.

XVI.

Hincmar. capitul. an. 852. c. 17. Burcard. l. 3. c. 229. Ivo part. 3. cap. 269.

" exenio

" quæ

Vt si quilibet presbyterorum defunctus fuerit, vicinus presbyter apud sæcularem seniorem nulla precatione, vel aliquo " xenio, ecclesiam illam obtineat, quia " titulus per se constans antea extitit, sed neque capellam sine consultu episcopi. Quod si fecerit, definitam sententiam sibi prolatam suscipiat,

ANNO CHRISTI .... suscipiat: sicuti de episcopo canonica decrevit auctoritas, ut si per ambitionem majorem civitatem appetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat quam usurpare tentavit.

XVII.

Burcard. l.6. c. 12. Ivo part.10 cap. 141. Si quis voluntarie & per insidias hominem interfecerit, jugi se pœnitentiæ submittat. Et si hoc publice actum constat, si laicus est, a communione orationum quinquennio removeatur: post quinquennium, tantum in orationum communionem recipiatur, non autem offerat, non corpus domini contingat. In quo perdurans quatuordecim annis, tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur. Exod. 21. *Si quis de industria & per insidias occiderit hominem, ab altari meo euelles eum, ut moriatur*, dicit dominus.

XVIII.

Burcard. l.6. c 16. Ivo part.10 cap. 145. Si quis casu non volens homicidium perpetravit, quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat. Quibus peractis, biennio ab oratione fidelium segregetur: non communicet, nec offerat. Post biennium in communione orationis offerat, non tamen communicet: post quinquennium ad plenam communionem recipiatur. Abstinentia ciborum in arbitrio sacerdotis maneat.

XIX.

Burcard. l.8. c. 85. Ivo part.7. cap 103. 1.Cor.14. Cum Apostolus dicat: *Mulieres in ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui: turpe est enim mulieri loqui in ecclesia:* mirum videtur, quod quædam mulierculæ, contra divinas humanasque leges attrita fronte impudenter agentes, placita generalia & publicos conventus indesinenter adeant, & negotia regni, utilitatesque reipublicæ magis perturbent, quam disponant: cum indecens sit, & etiam inter barbaras gentes reprehensibile, mulieres virorum causas discutere: & quæ de lanificiis suis, & operibus textilibus, & muliebribus, inter genitiarias suas residentes, debuerant disputare, in conventu publico, ac si in curia residentes, senatoriam sibi vsurpant auctoritatem. Quæ ignominiosa præsumptio fautoribus magis imputanda videtur, quam feminis. Vnde, quia divinæ leges, ut supra monstratum est, hoc contradicunt, & humanæ nihilominus id ipsum prohibent, ut feminæ nihil aliud prosequantur in publico, quam suam causam: (ait enim lex Theodosiana: Nulla ratione feminæ amplius quam suas causas agendi habeant potestatem, nec alicuius causam a se nouerint prosequendam;) idcirco ex auctoritate canonica interdicimus, ut nulla sanctimonialis virgo, vel vidua, conventus generales adeat, nisi a principe fuerit euocata, aut ab episcopo suo: nisi forte propriæ necessitatis ratio impulerit, & hoc ipsum cum licentia episcopi sui.

Interpret. L.v. Cod. Th. De cognitor. & procura.

XX.

Burcard. l.10. c 10. Ivo part. 11 cap. 38. Summo decertare debent studio episcopi, & eorum ministri, ut arbores dæmonibus consecratæ, quas vulgus colit, & in tanta veneratione habet, ut nec ramum vel surculum inde audeat amputare, radicitus excidantur, atque comburantur. Lapides quoque, quos in ruinosis locis & siluestribus, dæmonum ludificationibus decepti venerantur, ubi & vota vovent & deferunt, funditus effodiantur, atque in tali loco proiiciantur, ubi nunquam a cultoribus suis inveniri possint. Et omnibus annuntietur, quantum scelus sit idololatria: & quod qui hæc veneratur & colit, quasi Deum suum negat, & Christianitati abrenuntiat, & talem pœnitentiam inde debet suscipere, quasi idola adorasset. Omnibusque interdicatur, ut nullus votum faciat, aut candelam, vel aliquod munus pro salute sua rogaturus alibi deferat, nisi ad ecclesiam Domino Deo suo. Scriptum est enim: *Vouete & reddite Domino Deo vestro.* Psal. 75. Novimus siquidem quanta Dominus antiquo populo per prophetas suos interminatus est, qui in lucis sacrificabant, & in excelsis immolabant. Si quis hoc transgressus fuerit, fidem perdidit, & est infideli deterior. Et idcirco omnimodo a sanctæ ecclesiæ consortio abscindatur; & nisi digne pœnituerit, non recipiatur.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

De epocha hujus Concilii sine auctoritate pronuntiare difficile est. Sed cum duo eius Canones, III. & X. inde translati videantur in librum VII. capitularium, antiquius omnino dici necesse est, quam existimarint ii, qui sub annum Christi DCCC. collocandum censuerunt. Quod si quis ad Concilium illud Namnetense referri velit, quod Vitaliani papæ temporibus sub annum DCLVIII. magna episcoporum frequentia celebratum ex Flodoardo didicimus, liberum esto iudicium.

VITA
STEPHANI
PAPÆ VI.

ANNO CHRISTI 896. Bonifacius invasor sedis.

STEPHANVS sextus successit Formoso. Bonifacius enim qui invadens sedem apostolicam tenuit eam diebus quindecim, non est numerandus inter pontifices; ut pote qui velut homo nefarius iam antea bis gradu depositus, primum a diaconatu, ac deinde a presbyteratu in Romana Synodo sub Ioanne papa IX. damnatus fuit. Et quamquam vterque per vim, metum, & tyrannidem, sedem adepti fuerint, adeoque intrusus pariter intrusum expulerit: tamen Stephanus in numero & serie pontificum communi sententia numeratur, quia ad pe-

ad periculum schismatis avertendum, illum, quamquam homo sceleſtiſſimus eſſet, uniuerſus clerus approbavit, totaque eccleſia catholica pro Chriſti vicario & ſucceſſore Petri agnovit. Nam cum Fulco Remenſis archiepiſcopus eum Formoſo ſurrogatum intellexiſſet, obſequiis & officiis, quæ recens creatis pontificibus exhiberi ſolent, ſcriptiſque ad eum literis, teſte Flodoardo, eum veneratus eſt: non ignorans ſe etiam in ſucceſſoribus indignis Petrum ac Chriſtum venerari, ſi iiſdem debitum cultum & obedientiam deferret: contra vero in iiſdem eoſdem ſpernere, ſi quam debebat reverentiam non exhiberet.

Acta Stephani.

Pontificatum auſpicatus eſt a ſacrilegio illo, quo corpus Formoſi exhumatum, ſacerdotalibus indumentis indutum, tribuſque digitis mutilatum, in Tiberim projecit, omneſque ab eodem ordinatos iterato conſecrari & ordinari præcepit. Miror qua ratione Onuphrius in annot. ad Platinam hanc rei geſtæ hiſtoriam tamquam fabuloſam plane rejiciat; cum præter antiqua monumenta & ſynodalia acta, de quibus infra ſub Ioanne IX. Luitprandus libro primo, capite octavo eamdem his verbis manifeſtiſſime deſcribat & deteſtetur: Formoſo defuncto, inquit, atque Arnulpho in propria reverſo, is qui poſt mortem Formoſi papæ conſtitutus eſt [Bonifacius nimirum de quo ſupra] expellitur, Sergiuſque papa [memoria lapſus Luitprandus in nomine erat] per Adelbertum conſtituitur. Quo conſtituto, ut impius doctrinarumque ſanctarum inſcius, Formoſum e ſepulcro extrahi, atque in ſede pontificatus ſacerdotalibus veſtimentis indutum collocari præcepit, cui & ait: Cum Portuenſis eſſes epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam univerſalem ſedem uſurpaſti? His expletis, ſacratis exutum veſtimentis, digitiſque tribus abciſis in Tiberim jactari præcepit, cunctoſque quos ipſe ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterum ordinavit. Quod quam male egerit, pater ſanctiſſime, animadvertere poteris; quoniam & hi, qui a Iuda domini noſtri Ieſu Chriſti proditore, ante proditionem, ſalutem ſeu benedictionem apoſtolicam perceperunt, ea poſt proditionem, propriique corporis ſuſpenſionem minime ſunt privati, niſi quos improba forte defœdarant flagitia. Benedictio ſiquidem, quæ miniſtris Chriſti impenditur, non per eum qui videtur ſacerdotem infunditur; neque enim qui rigat eſt aliquid, neque qui plantat, ſed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis, quantæque religionis papa Formoſus fuerit, hinc colligere poſſumus, quoniam dum a piſcatoribus poſtmodum eſſet inventus, atque ad beati apoſtolorum principis eccleſiam deportatus, ſanctorum quædam imagines hunc in loculo poſitum venerabiliter ſalutarunt. Hoc namque a religioſiſſimis Romanæ urbis viris perſæpe audivi.

Onuphrius redarguitur.

Formoſi innocentia miraculoſe probata.

Addidit culpam culpæ Stephanus papa, quando collecta Synodo nefarium, impium & deteſtandum facinus approbavit. Ipſi enim lapides tale portentum execrati, ſua tunc voce mutua colliſione clamarunt, ſpontaneam libentius pati ruinam, quam ut Romana eccleſia tanto ſcandalo depreſſa maneret. Accidit tunc ut ſacroſancta baſilica Lateranenſis, primaria pontificis ſedes, impulſore angelo malo ab altari uſque ad portas proſtrata corrueret, quia nequaquam ſtare poterant parietes, dum prima cardinis petra tanti facinoris terræmotu concuſſa fuiſſet. Sacrilegi pontificis facinus, quo a defuncto pœnam inique exegit, quove legitime collatos ordines contra Chriſti inſtitutionem & Dei mandatum repetivit, novatores hæretici noſtri temporis nobiſcum recte quidem redarguunt & deteſtantur; verũ contra promiſſiones Chriſti Petro & eccleſiæ factas, propter illud factũ impium male inſurgunt, & præmature nimis de victoria gloriantes triumphum agunt. Omnia enim quæ Stephanus contra Formoſum dixit vel egit, homo furore percitus egit, implens id quod exæſtuans rabies ſuaſit. Pontificia vero auctoritate legitime uſurpata nihil cõtra fidem vel bonos mores definivit. Nam qui hac de cauſa ad ſynodum convocati ſunt epiſcopi & presbyteri Stephano non diſſimiles, ſimili odio Formoſum proſequebantur, adeoque in eamdem ſententiã pronuntiarunt, quam homini furore percito gratam fore præſciebant. Vnde hac in re violentam quidem tyrãnidem in facto agnoſcimus, errorem autem in fide per Stephanum pontificiam auctoritatem legitime uſurpantem definitum vel approbatum fuiſſe conſtanter pernegamus; quamquam nihil ſedi apoſtolicæ præjudicaretur, ſi daremus invaſorem non legitime electum, ſed intruſum pſeudopontificem in articulis fidei aſſerendis aberraſſe. Hujus temporibus, poſt Arnulphum regem Germaniæ pediculari morbo extinctum, VVidonem imperatorem obiiſſe teſtatur Luitprandus lib. 1. cap. 9. Stephanus ſedis apoſtolicæ invaſor, ab optimatum factione adverſus Adelbertum Etruriæ principem prævalente detruſus eſt in carcerem anno Chriſti 900. & poſtquam ſedem apoſtolicam ſex annis tenuiſſet, in eodem carcere ſtrangulatus Deo vindice exitu infami vitam clauſit. *Hæc ex antiquis monumentis & diplomatibus de Stephano Baronius tom. 10. annalium.*

An Stephanus papa in fide erraverit.

** EPISTOLA STEPHANI VI. PAPÆ. AD ARNUSTUM ARCHIEPISCOPUM Narbonenſem.

'' Edita in Catelli commentariis: emendatius pleniuſq; ſub finem tomi bibliothecæ Labb.

Priuilegium Archiepiſcopatus Narbonenſis.

Stephanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Arnuſto archiepiſcopo primæ ſedis ſanctæ Narbonenſis eccleſiæ, & per te in eadem venerabili eccleſia in perpetuum.

CONVENIT apoſtolico moderamini pia religione pollentibus benevola compaſſione ſuccurrere, & poſcentium animis alacri devotione impertiri aſſenſum. Ex hoc enim lucri potiſſimum præmium a conditore omnium domino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerunt ſine dubio ſtatum perducta. Igitur reverentia veſtræ fraternitatis poſtulavit a nobis, quatenus hujus apoſtolicæ noſtræ auctoritatis privilegio confirmare deberemus omnes res immobiles ejuſdem ſanctæ primæ ſedis eccleſiæ Narbonenſis, conſtructæ in honore ſanctorum Iuſti & Paſtoris, ubi beatus Paulus confeſſor Chriſti corpore requieſcit, " hoc eſt, omnes domos, cellas, eccleſias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, ſylvas, atque medietatem ſalinarum, & telonei, ſeu '' Raficani, ac naufragii, monaſterio ſancti Laurentii, & cellis, cum omnibus adjacentiis earum ac pertinentiis, una cum famulis utriuſque ſexus, & alia quæ a piis imperatoribus & regibus, & ab aliis Deum timentibus in eadem ſancta eccleſia Narbonenſi collata ſunt, & conſiſtunt, tam in ipſo comitatu Narbonenſe, quam & Reddenſe, ſeu Minerbenſe, atque Auſonenſe, nec non & Biterrenſe, ſive etiam Nemauſenſe. Vnde ſalubribus petitionibus veſtris inclinati, decrevimus, ut a præſenti die quarta decima indictione, per hujus noſtræ apoſtolicæ confirmationis privilegium roboramus, ſtabilimus, & in perpetuum noſtra apoſtolica authoritate confirmamus, in uſu & ſolatio ejuſdem

u Hæc minus recte ab aliis prætermiſſa.
'' Raſiani

dem sanctæ primæ ecclesiæ Narbonensis, cui præesse dignosceris, id est, omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, sylvas, atque medietatem salinarum, & telonei, seu rasicani, atque naufragii, monasterio sancti Laurentii, & cellis, vel cum omnibus adjacentiis & pertinentiis earum, una cum familiis utriusque sexus, & alia omnia quæ a piis imperatoribus & regibus; vel ab aliis Deum timentibus, in eadem ecclesia collata sunt, vel " collatura erunt tam in ipso comitatu Narbonensi, quam in Reddense, seu & Minerbense, atque Ausonense, necnon & Biterrense, sive etiam Nemausense. Hæc vero omnia ita jure firmissimo a te tuisque successoribus possideri, ac dominari volumus, sicut olim possessum est a sanctæ memoriæ decessore tuo Daniele episcopo, sed & reverendo Sigebodo, ejusdem primæ sedis Narbonensis præsule, sub tua tuorumque successorum ditione, potestate, ac utilitate omnimodis confirmantes. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, & anathematis interdicto, ut nulli unquam magno vel parvo homini liceat quamlibet forciam, vel oppressionem in omnibus rebus ejus facere, aut potestatem aliquam habere, vel aliquem distringere, aut qualecumque teloneum ab eis exigere, sive ad placitum eos ubicumque pro quibuscumque causis proprio jure præferunt, nisi in " providentia archiepiscopi causa illorum audiatur, & regulariter " finiatur. Illud quoque nostra apostolica auctoritate juxta canonicam sanctionem nobis addere placuit, ut si quando divina vocatione vos vestrique successores ex hac luce migraveritis, quamdiu in ipsa ecclesia Narbonensi repertus fuerit, qui dignus sit officio pontificatus ipsius fungi, nulli liceat ex alio loco inibi ingredi, nec jam dictam sibi " præditus quacumque dignitate aut regia auctoritate usurpare sedem, sed conventu vicinorum coepiscoporum occurrere " volentium facto absque alicujus potestatis interdicto, benedictionis cleri vel plebis percipiat dignitatem. Si vero aliquem de suffraganeis coepiscopis contigerit mori, perquirens metropolitanus episcopus electionem plebis ipsius, eam visitare studeat, utpote viduatam ecclesiam. Quod si forte ibi talis non repertus fuerit, qui onus sacerdotale ferre queat, per canonicam auctoritatem, & nostram apostolicam permissionem licentia sit illi absque ulla retractatione de sua ecclesia talem inthronizare, qui suffraganeæ suæ ecclesiæ dignus præesse valeat pastor. Si quis, quod non optamus, contra hoc nostrum apostolicum privilegium; pie a nobis statutum, temerario ausu agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculis innodatum, & a regno Dei alienus existat. Qui autem verus custos & observator extiterit, benedictionem & gratiam a domino consequatur.

" conferēda

" præsentia

" firmetur

" prædictus mendose.

" valentium

ANNO CHRISTI 896.

Scriptum per manum Nicolai Scriniarii, sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Augusto, indictione XIIII. Bene valete. Datum XIII. Kalendas Septembris, per manum Stephani episcopi sanctæ ecclesiæ Nepesinæ, Arcarii " sanctæ ecclesiæ sedis apostolicæ, imperante domino piissimo Augusto Arnulpho a Deo coronato magno imperatore, anno primo.

" in Arcario

IV. AD ARIBERTUM NARBONENSEM ARCHIEPISCOPUM,

Queritur factam esse Iudæis potestatem allodia possidendi.

Stephanus papa Ariberto archiepiscopo Narbonæ, & omnibus potentatibus Septimaniæ & Hispaniæ, salutem.

CONVENIT nobis, qui clavem cælestis horrei vicibus apostolicis suscepimus, etiam omni pestilentiæ gregis divini fidei medicinam porrigere: quod si non possumus modios tritici, at saltem " cestarium valeamus impendere. Quapropter sumus dolore tacti, usque ad mortem anxiati, cum cognovissemus per teipsum, quod plebs Iudaica Deo semper rebellis, & nostris derogans ceremoniis infra fines & territoria Christianorum, allodia hereditatum in villis & suburbanis, quasi incolæ Christianorum, possideant per quædam regum Francorum præcepta; quia ipsi inimici domini quæ ... sunt, ei periculose mercati sunt: & quod vineas & agros illorum Christiani homines excolant: & infra civitates & extra, masculi & feminæ Christianorum cum eisdem prævaricatoribus habitantes, diu noctuque verbis blasphemiæ maculantur, & cuncta obsequia quæ dici aut excogitari possunt, miseri miseræve prænotatis canibus indesinenter exhibeant: præsertim cum hujusmodi patribus Hebræorum promissa ab electo jurislatore illorum Mose, & successore ejus Iosue, his conconclusa & terminata finibus, ab ipso domino jurata & tradita istis incredulis, & patribus eorum sceleratis, pro ultione crucifixi salvatoris merito sint ablata. Et revera præceptor ecclesiæ gregibus orthodoxis significat inquiens: *Quæ societas luci & tenebris? quæ conventio Christi ad Belial? aut quis consensus templo Dei cum idolis?* Et summi consiliarius verbi admonet, dicens: *Si quis dixerit ei ave, &c. Desunt cetera.*

" sextarium

2. Cor. 6.

2. Ioan. II.

OBSERVATIO GABR. COSSARTII S. I.

Epistolam hanc primus edidit Catellus in Commentariis Septimaniæ: eamque Stephano huic nostro tribuit. Et recte quidem probat eam pertinere non posse ad Stephanum VII. quem ipse VIII. appellat. Cur autem revocari altius, & Stephano V. tribui non possit, causam nullam affert.

CONCILIABULUM ROMANUM IN CAUSA FORMOSI PAPÆ CELEBRATUM anno domini DCCCXCVII.

ANNO CHRISTI 897.

IN hac pseudosynodo, cujus acta recitantur infra in concilio Romano sub Ioanne IX. episcopi & cardinales presbyteri, qui summo odio Formosum prosequebantur, Sergius nimirum, Benedictus, atque Marinus, aliique plures homines perditissimi, & pontificiæ sepulturæ violatores in unum congregati, ea quæ supra de Formoso enarrata sunt dijudicarunt. Baronius anno 897. numero 6.

Acta Conciliabuli.

G. C. *Vide de hoc argumento libros duos Auxilii vetusti scriptoris a Ioanne Morino editos in opere de Ordinationibus.*

CONCILIUM PORTUENSE IN PAGO NEMAUSENSI SUB ARNUSTO Narbonensi archiepisc. anno Christi DCCCXCVII. XIII. Kal. Maii indictione XV.

Quo jubetur Magalonensis episcopus ecclesiæ S. Ioannis Baptistæ parochiam aliquot villarum, quas ecclesiæ S. Andochii attribuerat, restituere.

ILLUSTRANTE gratia sancti Spiritus corda fidelium Dei, conventus factus est

ANNO CHRISTI 897.

est episcoporum sanctorum apud Nemausensem pagum, loco qui Portus cognominatur, in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ, ejusdem Domini Dei nostri Iesu Christi incarnationis DCCCXCVII. XIII. Kalend. Maii, indict. XV residente vero in eodem concilio magnificentissimo pontifice primæ Narbonensis ecclesiæ Arnusto, simulque cum eo *Gilaranno episcopo Carcassonense, Agilberto Bitterrense Aurelio Vceticense, Bosone Agathense, Agilardo Nemausense, Servo Dei Gerundense, Abbone Magalonense, abbatibus quoque ibidem venerabilibus sistentibus, quorum sunt nomina, Froia ex monasterio sancti Laurentii Vernupradensis, necnon & VVitardus ex cœnobio sancti Iuliani, Albarus quoque legatus abbatis Durandi ex monasterio sanctæ Mariæ; præsentibus etiam presbyteris & diaconibus, cæterisque ordinibus ecclesiasticis, & plurimis religiosis laicis in modico numero. Quidam venerabilis presbyter Adalfredus nomine, una cum patrono ecclesiæ suæ, vocabulo Pharaldo, protulit querimoniam suam in supradictorum præsentia adversus Abbonem reverendum Magalonensem episcopum, eo quod ecclesiam, quæ est in honorem beatissimi Baptistæ Ioannis, loco qui dicitur Cocone, illi ab eodem episcopo Abbone adtributam parochiam ejusdem ecclesiæ ex parte subtraxerat, in villa Cocone, vel in suo termino; & nisi ipsam parochiam haberet, nec ecclesiæ ipsius nec episcopale servitium se posse facere questus est. Præfatus vero antistes Abbo dixit, quod jam a longo tempore ipsa sancti Ioannis ecclesia patochiam, quam idem sacerdos Adalfredus vel patronus ejus Pharaldus quærebant, in prædictis villulis non habuerat; sed potius ecclesia sancti Andochii, in eadem villa Cocone posita, eas possederat. His vero inter se super hac querimonia altercantibus, reverendi prænominati præsules percontati sunt, qualiter aut ex quo tempore prædictæ decimæ ab eadem ecclesia sancti Ioannis sublatæ sint, vel quo modo ecclesia sancti Andochii eas legitime possederit. Supradictus vero presbyter, pariterque cum eo Pharaldus, responderunt, quod ipsa ecclesia sancti Andochii non legaliter, sed injuste eas pro septennio tempore tenuerat, & ab antea per centum fere annorum curricula ecclesia sancti Ioannis juste atque canonice ex prædictis villabus parochiam ipsam possederat. Tunc suprascripti episcopi ab ipso præsule Abbone exquisierunt, ut in omnibus evidentissime rei veritatem ex hac quæstione proferret. Itaque venerandus isdem Abbo episcopus, malens semper veritatem proferre, quam reticere, in conspectu totius sanctæ coadunationis episcoporum, abbatum, cæterorumque sacrorum ordinum, atque religiosorum laicorum ibidem adsistentium, professus est prædictam parochiam ex jam dicto loco Cocone, exceptis ipsum Alodem, qui fuit de episcopo Maldomari, vel etiam eo quod Aloardus ibidem comparavit, magis juste & legaliter ad ecclesiam S Ioannis Baptistæ debere pertinere, quam ecclesiæ sancti Andochii, quæ nuper instructa fuerat, deservire. Audita vero sanctissimi episcopi, omnisque collecta synodus, hujusmodi rei prolatione, omnes pariter, episcopis quidem primum judicantibus, decreverunt ut ecclesiæ sancti Ioannis Baptistæ imo Adalfredo presbytero, atque Pharaldo patrono ipsius ecclesiæ, parochia prædictarum villarum redderetur, quia longo tempore rationabiliter eam jam possederat; & quod injuste per septem annorum curricula amiserat, juste & canonice iterum recipere mereretur per omnium ipsorum rectum judicium. Prælibatus vero præsul Abbo perspiciens rectum *hoc esse* judicium, absque ulla retractatione ipsorum paruit præceptis, restituens in conspectu omnium parochiam sancti Ioannis ecclesiæ, quam olim injuste perdiderat. Visum est autem universo cœtui sanctorum episcoporum, ut pagina super hoc scripturæ exararetur, atque roboranda eorum manibus deferretur: ut deinceps ministri ejusdem ecclesiæ sancti Ioannis nullam ex hac re molestiam patiantur.

* Gisleranno.

Quæ alio charactere descripta sunt, ex conjectura substituimus.

Ego Abbo humilis sedis Magalonensis episcopus, s.
Arnustus sanctæ Narbonensis ecclesię humilis episcopus, s.
Servus Dei humilis episcopus sedis Gerundensis, s.
Fructuarius humillimus sedis Bitterrensis episcopus, s.
Seraldus archidiaconus, s.
Sanno archidiaconus, s.
Desiderius presbyter, s.
Nantigisus archipresbyter, s.
Milo archidiaconus pręsens fuit.
Rotmarus presbyter pręsens fuit.
Reutingus archidiaconus.
Modicus Georgius sacerdos indignus, ac monachus exiguus hęc supra..... manu....

OBSERVATIO GABR. COSSARTII S. I.

Biterrensis episc. in actis hujus concilii Agilbertus dicitur; in subscriptionibus, Fructuarius. Neque litem dirimit instrumentum publicum ex Biterrensi tabulario prolatum a Sammarthanis fratribus, ex quo intelligitur, fuisse Fructuarium episcopum Biterrensem hoc anno 897. XVII. Kal. Augusti. Nullum enim extat, quod sciam, antiquitatis monumentum, quo doceamur an eodem anno, XIII. Kal. Maias, qui est hujus concilii dies, jam esset ecclesiæ istius antistes; an superesset Agilbertus, ejus decessor. Decessorem Fructuarii Agilbertum voco. Nam quod Reginaldum inter hos medium Sammarthani statuunt, uno nituntur te-

ANNO CHRISTI 900.

tur testimonio concilii Magalonensis apud Iuncarias, anno, ut existimarunt, octingesimo nonagesimo quarto celebrati, quo memoratur Reginaldus Biterrensis episcopus. Sed concilium istud anno 909. celebratum fuisse suo loco intelliges.

** CONCILIUM REMENSE IN ECCLESIA S. MARIÆ, PRÆSIDE HERIVEO archiepiscopo,

In quo anathema dictum in eos qui Fulconem archiepiscopum occiderant, pridie Nonas Iulii, anno Christi DCCCC.

ANNO DCCCC. dominicæ incarnationis, pridie Nonas Iulii; primo scilicet die quando ordinatus est Heriveus in archiepiscopatu Remensi episcopus, lecta est excommunicatio hæc quæ sequitur, in ecclesia sanctæ Mariæ Remis, præsentibus episcopis infrascriptis.

Heriveus nomine, non merito, Remorum archiepiscopus ac plebis Dei famulus, "VVido Rotomagensium archiepiscopus, Riculfus Suessionum episcopus, 'Heidilo Noviomagensium episcopus, Dodilo Cameracensum episcopus, Herinandus Morinensium episcopus, Otgarius Ambianensium episcopus, Honoratus Belvacensium episcopus, Mancio Catalaunensium episcopus, Rodulfus Laudunensium episcopus. 'Orfridus Silvanectensium episcopus, Angelrannus Meldensium episcopus.

" VVito
' Hetilo
" Otfridus

Notum sit omnibus ubique sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, tam clericis quam laicis, quod nos & commissa nobis omnibus ecclesia nimia perturbatur tristitia, pro inaudita re post persecutionem temporis apostolorum, eorumque successorum, de occisione nimirum patris & pastoris nostri Fulconis ab impiis impie perpetrata, qui pro regni utilitate & totius sanctæ ecclesiæ statu pro viribus die noctuque desudans, ac seipsum pro defensione omnium ecclesiarum in hoc regno consistentium muro protectionis opponens. (Res enim earum a Balduino comite filio Balduini ac Iudith, contra omnem legem divinam & humanam pervadebantur) ideo ab ipsius Balduini hominibus VVineemaro, Everardo & 'Rotfeldo, cæterisque eorum complicibus interfectus crudelissime occubuit. De cujus morte totius ecclesiæ ordo atque professio merito contristatur, & lamenta compassionis ex intimis cordium suspiriis emittit. Quia igitur tale scelus nostris in temporibus perpetrare non timuerunt, quod antea nisi forte a paganis in ecclesia non auditum, quia non est actum: in nomine domini, & in virtute sancti Spiritus, necnon autoritate episcopis per beatum Petrum principem apostolorum divinitus conlata, ipsos a sanctæ matris ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate eos condemnamus, ut eorũ aliquãdo per hominem non fiat recuperatio, nec ulla inter Christianos conversatio. Sintque maledicti in civitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquiæ eorum, maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ illorum, armenta boum suorum, & greges ovium suarum. Maledicti sint ingredientes & egredientes, sintque in domo maledicti, in agro profugi. Intestina in secessu fundant sicut perfidus & infelix Arius, veniantque super illos omnes illæ maledictiones, quas dominus per Moysen in populum divinæ legis prævaricatorem* se esse intentavit. Sintque anathema Maranatha, & pereant in secundo adventu domini. Insuper quicquid maledictionis sacri canones, & apostolicorum virorum decreta decernunt super homicidis, & sacrilegis. Nam illos sacrilegorum nomine notamus, qui in hunc christum domini manus mittere ausi sunt. Omne super illos, ac perpetuum interitum, per justissimam divinæ animadversionis sententiam, congeratur. Nullus ergo eis Christianus vel Ave dicat. Nullus presbyter missas aliquando coram celebrare, nec si infirmati fuerint, confessiones eorum recipere, vel sacrosanctam cõmunionem eis, nisi resipuerint, etiam in ipso fine vitæ suæ præsumat unquam dare: sed sepultura asini sepeliantur, & in sterquilinium super faciem terræ sint, ut sint in exemplum opprobrii & maledictionis præsentibus generationibus & futuris. Et sicut hæ lucernæ de nostris projectæ manibus hodie extinguuntur, sic eorum lucerna in æternum extinguatur.

" Ratfrido

CONCILIUM COMPOSTELLANUM anno Christi DCCCC. III. Kal. Decembris.

ANNO CHRISTI 900.

Synodi hujus summam habe excerptam ab illustrissimo Petro de Marca Paris. archiepis. ex actis ipsius, quæ in Ausonensis ecclesiæ tabulario servantur. Æra DCCCCXXXVIII. III. Kalend. Decembris, concilium apud sanctum Iacobum in Gallicia celebratum est, cui interfuerunt octo episcopi. In eo Cæsarius abbas, electus & consecratus est archiepiscopus provinciæ Tarraconensis. Verum huic institutioni intercesserunt, Narbonensis archiepiscopus, & Hispani episcopi Narbonensi metropoli subjecti. Quare Cæsarius Romanum pontificem appellavit.

VITA ROMANI PAPÆ.

ANNO CHRISTI 900.

ROMANUS patria Galesianus, patre Constantino natus, factus est pontifex anno domini DCCCC. Sedit menses quatuor & dies viginti. Acta Stephani contra Formosum habita plane improbavit, & Ludovicum IV. filium Bosonis, post fugatum Berengarium, imperatorem coronavit. *Luitprandus.*

Romanus quando pontifex factus?

VITA THEODORI PAPÆ II.

ANNO CHRISTI 901.

THEODORUS hujus nominis II. patria Romanus, ex patre Photio, surrogatus est Romano papæ, anno domini 901. tempore Ludovici IV. imperatoris occidentalis: sedit tantum diebus viginti. Quonam autem die obierit, antiquorum nemo prodit, recentiorum fides ex divinatione comparata vacillat.

Theodorus II. quando papa factus.

VITA ET EPISTOLÆ IOANNIS PAPÆ IX.

ANNO CHRISTI 901.

IOANNES IX. patria Tiburtinus, patre Rampoaldo natus, professione monachus, & ordine diaconus, post obitum Theodori factus est pontifex anno domini 901. sub Ludovico IV. imperatore. Cum Berengarius dux Forojuliensis captum imperatorem oculis simul cum imperio privasset,

Ioannes IX quando papa factus.

vaſſet, & cum armato exercitu Romam profectus A coronam imperii ab hoc pontifice violenter extorſiſſet, nomenque imperatoris ſibi tyrannice vindicaſſet: poſt obitum ejus Lambertum VVidonis filium, ante annos undecim a Formoſo papa imperatoria corona donatum, Romam vocavit, ibique ſynodali judicio declarari mandavit, Berengarii & Arnulphi coronationes nullas eſſe & illegitimas, utpote quæ vi extortæ, penitus ſint abrogandæ: Lamberti vero, in quem Formoſi papæ & ſucceſſorum ejus libera vota conſpiraſſent, legitimam & ratam eſſe habendam. Hac occaſione principes Italiæ a Berengario deficientes, Lambertum pro rege & imperatore agnoverunt. Cumque ex Romanis plurimi Berengario faverent, eique contra Lambertum adhærerent: Ioannes papa non ſatis tutum ſe judicans ſi Romæ maneret, profectus eſt Ravennam, ibique acta Stephani contra Formoſum per ſynodum irrita reddidit, hiſque turbulentiſſimis temporibus velut alter Ieremias a Deo miſſus, evulſit, diſſipavit, & deſtruxit ea omnia, quæ a prædeceſſore Stephano male plantata atque peſſime ædificata fuerant. Sedit annos tres, & dies quindecim: obiit anno domini 905. ſepultus eſt apud ſanctum Petrum pro foribus ante portam dictam Guidoneam. In cujus ſepulcro ſculptum erat epitaphium, quod recitat Baronius anno 905.

Berengarii & Arnulphi coronationes a pontifice annullantur.

quinque

EPISTOLA I.
IOANNIS PAPÆ IX.
AD HERIVEUM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

Reſcriptum domini Ioannis papæ ad conſulta Herivei Remorum archiepiſcopi de * Northmannis nuper ad fidem converſis, quorum alii baptizati fuerant, & rebaptizati, & poſt baptiſmum " gentiliter vixerant: qualiter illis conſulendum ſit: ubi demum habetur abſolutio ſui, ſuorumque.

* Qualis pœnitentia debeat injungi quibuſdā gentilibus.
" Paganico more multa mala exercuerant.

Ioannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo confratri noſtro Heriveo Remorum archiepiſcopo.

VESTRÆ fraternitatis, veſtræque reverendæ ſanctitatis mellifluas literas libentiſſime ſuſcipientes, ac diligentiſſime pertractantes: & triſtes admodum, & vehementer extitimus exultantes. Mœrentes itaque de tantis calamitatibus, tantiſque preſſuris atque anguſtiis, non ſolum Paganorum, verum etiam Chriſtianorum in veſtris partibus (ut veſtrarum aſſertio literarum edocet) accidentibus: gaudentes ſiquidem de ipſa gente Northmannorum, quæ ad fidem, divina inſpirante clementia, converſa, olim humano ſanguine graſſata lætabatur; nunc vero veſtris exhortatio- E nibus, domino cooperante, ambroſio Chriſti ſanguine ſe gaudet fore redemptam atque potatam. Unde multipliciter ei, a quo procedit omne quod bonum eſt, immenſas gratiarum actiones rependimus, ſuppliciter obſecrantes, ut eos in ſoliditate veræ fidei confirmare, & æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere faciat, atque ad ſuæ viſionis inenarrabile gaudium introducat. Nam quod de his veſtra nobis innotuit fraternitas, quid agendum ſit, quod fuerint baptizati & rebaptizati, & poſt baptiſmum gentiliter vixerint, atque Paganorum more Chriſtianos interfecerint, ſacerdotes trucidaverint, atque ſimulacris immolantes, idolothyta comederint: equidem ſi tirones ad fidem non fo-

De Northmannis ad fidem Chriſti converſis.

rent, canonica experirentur judicia. Unde quia ad fidem rudes ſunt, veſtro utique libramini, veſtræque cenſuræ committimus experiendos, qui & illam gentem veſtris confiniis vicinam habentes, ſtudioſe advertere, & illius mores, actuſque omnes pariter, & converſationem agnoſcere præ cæteris valeatis. Quod enim mitius agendum ſit cum eis, quam ſacri cenſeant canones, veſtra ſatis cognoſcit induſtria, ne forte inſueta onera portantes, importabilia illis fore, quod abſit, videantur, & ad prioris vitæ veterem, quem expoliaverant, hominem, antiquo inſidiante adverſario relabantur. Et quidem ſi inter eos tales inventi fue- B rint, qui ſecundum canonica inſtituta ſe per pœnitentiam macerare, & tanta commiſſa ſcelera dignis lamentationibus expiare maluerint, eos canonice judicare non reſpuatis; ita ut in omnibus erga eos pervigiles exiſtatis, ut ante tribunal æterni judicis cum multiplici animarum fructu venientes, gaudia æterna cum beato Remigio adipiſci mereamini. Munus vero quod nobis veſtra ſanctitas dirigere dignata eſt, eo dilectionis amore ſuſcepimus, quo a vobis fuit deſtinatum. Divina majeſtas, vos, vobiſque omnes ſubjectos, ita concedat temporaliter vivere, ut intercedente beato Petro apoſtolorum principe, omnium pecatorum veſtrorum vincula ſolvat, & ad cæleſtis regni gloriam ſine ulla offenſione perducat. Optamus C ſanctitatem veſtram bene valere, & apud piiſſimum dominum pro nobis piis ſupplicationibus intercedere.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

In codice Tiliano poſt epiſtolam Ioannis ſequebatur prolixior altera ejuſdem argumenti ab eodem Heriveo Remenſi ad VVitonem Rotomagenſem archiepiſcopum ſcripta, cujus meminit Flodoardus lib IV. cap. XIV. ſed illa hujus loci viſa non eſt: edita eſt autem * poſt opuſcula & epiſtolas Hincmari Remenſis.

* anno 1615 a Ioanne Cordeſio.

G. C. *Secus viſum eſt Petro de la Lande V. Cl. Nam in ſupplementis conciliorum Galliæ illam Herivei epiſtolam edidit, quam ideo Sirmundus excluſerat, quod nihil in ea ſit unius Galliæ proprium, ac ne Galliæ quidem fiat mentio.* D *Nos ergo, ne quid in hac collectione deſiderari poſſit, quod reperiatur in prioribus, neceſſe habuimus illam edere. Et alioquin ejus prætermittendæ cauſa nulla erat. Edebat Sirmondus quæ Gallicanam eccleſiam unam ſpectarent, nos quæ eccleſiam univerſam.*

°** HERIVEI REMENSIS ARCHIEPISCOPI AD VVIDONEM ROTOMAGENSEM ARCHIEP.

Qualis pœnitentia debet injungi non baptizatis gentilibus, & baptizatis, & rebaptizatis, & poſtea amore paganico eccleſias devaſtantibus, & Chriſtianitatem delentibus. Ex ſententiis patrum, & canonibus, & decretalibus pontificum Romanorum.

Ex Sirmondi apographo, quod ex Tiliano codice deſcripſerat.

Reverentiſſimo ac dilectiſſimo fratri & coarchiepiſc. VVitoni, Heriveus Remorum archiepiſcopus plurimam in omnium ſalvatore ſalutem æternaque beatitudinis felicitatem.

UT rogaſtis humilitatem noſtram quærere divinis in oraculis qualiter conſulendum vobis foret his qui rebaptizati ſunt, & æque ut ante baptiſmum juxta Paganiſmi morem, quemadmodum ſues ſuum reverſi ad volutabrum, & canes ad vomitum, ludicras voluptates nefando paganorum ritu exercuere, ſeu de illis qui nondum percipere baptiſmum meruerunt: prout quivimus ſatisfacere precatui veſtro ſategimus, quantumve brevitas temporis

poris finit. Et ut unumquodque capitulum vobis A facilius fieret ad reperiendum, capitulatim in hac schedula fecimus scriptum. Et quia *misericordia domini plena est terra*, cui & ecclesia per apostrophen precabiliter dicit: *Misereris omnium, domine, & nihil eorum odisti quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*: dignum duximus, mirabile & misericordissimum beati Ioannis apostoli & euangelistæ factum, immo ipsius domini opus piissimum, & consuetissimum, sic vobis ponendo brevissime expromendum: quemadmodum vobis notissimum, & in ecclesiastica historia latius digestum.

Psal. 32.
Sap. 11.

CAPUT I.

De S. Ioanne euangelista.

B

CUM ipse Ephesum rediens, lustraret vicinas & illustraret provincias, vidit quemdam juvenem animis acrem nimis, quem loci illius episcopo commendavit, qui & illi gratiam tradit baptismi. Deinde confidens gratiæ, qua fuerat communitus, eumdem juvenem remissius habere cœpit. Sed ille immatura libertate potitus, corruptæ viæ tramitem incedit. Deinde a furtis, mala quæque sensim incipiens, demum magister latronum in brevi effectus est, donec idem Ioannes eumdem locum tempore elapso invisens, a præfato requisivit depositum suum episcopo. Et cum comperisset eumdem absentatum esse juvenem, ascenso citius equo, perquisivit eum, ac perquisito, & fugitanti, dixit apostolus: Sta tantum, & crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens, restitit. Iam deinde tremefactus flebat amarissime, & accedentis ad se senis genibus provolvitur, gemitibus, & ululatibus, quibus, poterat satisfaciens, & uberrimis lacrymarum suarum fontibus, iterum baptizabatur, occultans solam dexteram suam. Apostolus vero jurisjurandi sacramento se ei impetraturum a salvatore veniam pollicens, simulque genibus ejus provolutus, atque ipsam dexteram, ex cujus cædis conscientia torquebatur, tamquam jam per innocentiam purgatam deosculans, ad ecclesiam revocat, & indesinentes pro eo orationes profundens, & cum ipso pariter ducens crebra jejunia, indulgentiam a Deo quam ei pollicitus fuerat, expetebat. Nec prius abstitit, quam eum in omnibus emendatum, etiam ecclesiæ præficeret.

C

CAPUT II.

De S. Silvestro, & Constantino imperatore.

D

IUVAT hic & illud memorabile factum B. papæ Silvestri, erga imperatorem Constantinum inserere, maxime propter jejunium hebdomadæ ab ipso ei indictum. Sanctus, inquit Silvester, inter cætera ad eumdem dixit Cæsarem: Exige a teipso hac una hebdomada jejunium, & deposita purpura intra in cubiculum tuum, ibique induere cilicio prostratus humo, & confitere te modo per ignorantiam errorem passum, ut Christianis persecutionem inferres: & ipsum salvatorem corporum & animarum Iesum Christum, non solum loquendo, sed & credendo prænuntia, & pœnitere te multos sanctos Dei occidisse. Et paulo post. Iube per totam hebdomadam eleemosynam fieri, beneficia etiam postulantibus exhibe, & ideos qui hæc exequantur constitue. Et post aliquanta. Imposuit sanctus Silvester manum suam super caput ejus (quin Augusti Constantini) benedicens eum, ac faciens catechumenum. Tunc congregatis omnibus presbyteris, & diaconibus, cum universo clero, indixit jejunium omni ecclesiæ, dicens: Si Ninivitæ in prædicatione Ionæ per triduanum jejunium, iram Dei offensamque quam promiserat, his debita evaserunt, quanto magis *nos* in prædicatione domini nostri Iesu Christi, nos persecutiones evademus. Lucramur animas, pacem Dei ecclesiis adquirimus, & idololatris finem imponimus! Hæc autem facimus jejuniis, & orationibus, ut hæc a Deo impetremus: & cætera.

CAPUT III.

Dicta B. Gregorii ad populum.

BEATUS quoque Gregorius in euangelii homilia ad populum. Si Deo, inquit, vivere in pueritia, & juventute noluistis, saltem ad ultimam ætatem resipiscite, & ad vitæ vias, cum jam laboraturi multum non estis, vel sero venite. Et paucis interpositis. Plerumque tales ante remunerantur, quia prius ad regnum de corpore exeunt, quam hi qui jam in pueritia vocati esse videbantur. An non ad undecimam venit latro? qui etsi non habuit per ætatem, habuit tamen sero per pœnam, qui Deum in cruce confessus est; & pene cum voce sententiæ, spiritum exhalavit vitæ. A novissimo autem reddere denarium paterfamilias cœpit, quia ad paradisi requiem prius latronem, quam Petrum perduxit. Item idem. Regnum cælorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. Ab spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat. Præstat magnam veniæ fiduciam latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis, unde latro. Nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confessione. Cogitate, rogo, cogitate quam sint incomprehensibilia in omnipotente Deo misericordiæ viscera. Latro iste cruentis manibus abstractus a fauce itineris, suspensus est in patibulo crucis. Ibi confessus est, ibi sanatus est, ibi audire meruit: Hodie mecum eris in paradiso: & cætera.

Homil. 19. in euang.
Ibidem.
Homil. 20. in euang.

Ejusdem ad Petrum episcopum.

QUI rursus Petro episcopo Corsicæ scribens, ait: Fraternitas vestra solicite studeat, opus quod cœpit auxiliante domino ad perfectionem deducere; & sive eos qui aliquando fideles fuerunt, sed ad cultum idolorum, negligentia aut necessitate faciente, reversi sunt, festinet cum indicta pœnitentia aliquantorum dierum ad fidem reducere, ut reatum suum plangere debeant, & tanto firmius teneant hoc ad quod adjuvante domino revertuntur, quanto illud perfecte defleverint, unde discedunt; sive eos qui necdum baptizati sunt, admonendo, rogando, de venturo judicio terrendo, rationem quoque reddendo quod ligna & lapides colere non debent. Festinet fraternitas tua omnipotenti domino congregare, ut in adventu ejus, cum districtus dies judicii venerit, in numero sanctorum possit tua sanctitas inveniri. Quodcumque enim utilius & sublimius acturus es, quam ut de animarum vivificatione, & collectione cogitans, & tuo domino, qui tibi locum prædicandi dedit, immortale lucrum reportes? & reliqua.

Lib. 7. ep. 2.

Ejusdem ad Mellitum abbatem.

ET alibi ad Mellitum abbatem. Quia gens Anglorum, boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet" etiam hac de re aliqua solennitas immutari, ut die dedicationis, vel natalis" sanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, taber-

Lib. 9. ep. 71.
" debet his etiam
" natalitio

„ tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quæ ex fa- A „ nis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, „ & religiosis conviviis solennitatem celebrent. Nec „ diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem Dei „ in esu suo animalia occidant: & donatori omnium „ de satietate sua gratias referant, ut dum eis aliqua „ exterius gaudia referuntur, ad interiora gaudia „ consentire facilius valeant. Nam duris mentibus si- „ mul omnia abscidere, impossibile esse non dubium „ est. Quia enim 'qui summum locum ascendere ni- „ titur, gradibus vel passibus, non autem saltibus ele- „ vatur. Sic Israelitico populo in Ægypto dominus „ se quidem innotuit: sed tamen eis sacrificiorum „ usum, quem diabolo solebant exhibere, in cultum „ proprium reservavit, ut eis in suo sacrificio ani- „ malia immolare præciperet: quatinus cor mutan- „ tes, aliud de sacrificio omitterent, aliud retinerent: „ ut etsi ipsa essent animalia quæ offerre consueve- „ rant, vero tamen Deo hæc & non idolis immo- „ lantes, jam sacrificia ipsa non essent. „

" quia is„

CAPUT IV.

lib. I de pœnit. c. 1.

Ambrosius episcopus.

His non dissimilia de pœnitentum mitissima susceptione S. Ambrosius annectit in libro „ qui inscriptus est pœnitentiæ. Qui studet humanæ „ infirmitatis emendare vitia, ipsam infirmitatem „ suis debet sustinere, & quoquomodo pensare hu- C „ meris; non abjicere. Nam pastor ille euangelicus „ lassam ovem vexisse legitur, non abjecisse. Et Sa- „ lomon ait: *Noli justus esse nimium.* Debet enim „ justitiam temperare moderatio. Nam quemadmo- „ dum se tibi curandum præbeat, quem fastidio ha- „ beas, qui contemptui se, non compassioni medi- „ co suo putet futurum? Ideo dominus Iesus com- „ passus nobis est, ut ad se revocaret non deterre- „ ret: mitis venit. venit humilis, denique ait: *Ve-* „ *nite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam* „ *vos.* Reficit ego dominus Iesus, non excludit, ne- „ que abjicit, meritoque tales discipulos elegit, qui „ dominicæ voluntatis interpretes plebem Dei col- „ ligerent, non repudiarent. Unde liquet eos inter D „ Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro „ mitibus, superba pro humilibus sequenda opinan- „ tur. Et cum ipsi quærant domini misericordiam, „ aliis eamdem denegant, ut sunt doctores Nova- „ tianorum, qui mundos se appellant. Quid his su- „ perbius? cum scriptura dicat, quia *nemo mundus* „ *a peccato, nec unius diei infans*: & Dauid clamat; „ *A delicto meo munda me.* Et post pauca. Nemo „ potest bene agere pœnitentiam, nisi qui sperave- rit indulgentiam.

Eccles. 17

Matth. 11.

Iob. 14. 4 secundum LXX.

Psal. 50.

CAPUT V.

Augustinus.

In lib. sententiarum S. August. exceptarū a [illegible]

Beatus docet breviter Augustinus, qualiter eis qui præsunt de quibuscumque hominibus „ pravis agendum sit, dicens: Non est desperandum „ de malis, sed pro ipsis ut boni fiant studiosius sup- „ plicandum, quia numerus sanctorum de numero semper auctus est impiorum.

CAPUT VI.

De S. Remigio episcopo.

Legitur & ad locum in libro vitæ B. Remigii Francorum apostoli inter cætera quibus refertur conversio Hludouvici regis & populi ejus. „ Ille (quin sanctus Remigius) gaudio magno repletus, regem & populum, qualiter diabolo & ope- „ ribus ac pompis ejus abrenuntiare, & in Deum „ credere deberent, apertis & brevibus verbis instru- „ xit: & quia dies sancti paschæ imminebat, jeju- „ nium secundum Christianorum consuetudinem eis „ indixit.

De S. Vedasto episcopo.

Hinc & in B. pontificis Vedasti vita invenitur, quomodo in via sub præsentia ejusdem regis & populi, vir Dei Vedastus cæcum illuminaverit, & quemadmodum idem rex ad baptismum venerit, & in Remensi civitate virum Dei Vedastum sancto commendaverit Remigio. Rex, inquiens, a viro Dei euangelicis adprime imbutus „ B doctrinis, & hinc præsenti miraculo in fide firmi- „ ter confortatus, nil moratus in via, nil dubitans „ in fide, sed magna alacritate animi, magna festi- „ natione itineris, sanctissimum pontificem Remi- „ gium videre properavit, ut illius sacratissimo mini- „ sterio, Spiritu sancto operante, in remissionem pec- „ catorum, & spem vitæ æternæ, catholici baptismatis „ vivo ablueretur fonte: cum quo aliquantis moratus „ diebus, ut ecclesiasticis satisfaceret sanctionibus, „ & pœnitentiæ secundum apostolicum præceptum „ prius ablueretur lacrymis, dicente B. Petro prin- „ cipe apostolorum: *Pœnitentiam agite, & baptize-* „ *tur unusquisque vestrum in nomine domini nostri* „ *Iesu*: & sic in nomine sanctæ Trinitatis cælestis „ mysterii baptisma susciperet. „

Act. 2.

CAPUT VII.

Ex vita S. Basilii de quodam apostata.

De quodam apostata reperitur in miraculis B. Basilii Cæsariensis episcopi, qui scripto negavit Christum, & diabolo in testimonium negationis suæ tradidit seipsum. Cui idem vir mirabi- „ lis Basilius inter cætera dixit: Vis reverti ad domi- „ num Deum nostrum? Ad quem puer: Utique volo, „ sed non valeo. Dicit ei, Quare? respondit puer; „ Scripto abnegavi Christum, & professus sum dia- „ bolo. Dicit ei sanctus Basilius: Non sit tibi curæ: „ benignus est enim Deus noster, & recipiet te pœ- „ nitentem. Compatitur enim malitiis nostris. Et qui- busdam interpositis. Dicit ad puerum idem sanctus: „ Credis salvari? Qui ait: Credo domine, adjuva in- „ credulitatem meam. Et continuo apprehēdens ma- „ num ejus, faciens Christi signum in ipso, & orans, „ reclusit eum in loco interioris sacri periboli; & dans „ ei regulam, collaborabat ei per tres dies. Et post aliquanta. Quadragesimo die ipse sanctus ad eum „ rediit, & dicit ei: Quomodo habes, frater? respon- „ dens, dicit ad eum: Bene habeo, sancte Dei. Vi- „ di enim te hodie in visu pugnantem pro me, & „ vincentem diabolum. Et iterum mane facto, vo- „ E cavit sacrum clerum, & monasteria, & omnem „ Christo amabilem populum, & dixit eis: Filio- „ li mei dilectissimi, omnes gratias agatis domi- „ no: ecce enim ovem perditam debet pastor bo- „ nus in humeris reportare, & offerre ecclesiæ. „ Quapropter debitum est, & nos vigiliam facere „ nocte, ac postulare ejus benignitatem, ut non vin- „ cat corruptor animarum etiam in hoc facto. Et ala- „ criter populo coaggerato per omnem noctem po- „ stulaverunt Deum cum bono pastore cum lacry- „ mis, clamantes pro eo, Kyrie eleison; & mature „ cum omni multitudine populi accepit sanctus pue- „ rum, & tenens dexteram manum ejus, ducebat il- „ lum in sanctam ecclesiam Dei cum psalmis & hym- „ nis. Et ecce diabolus oculos omnium fascinans in „ tristem

tristem vitam cum omni perniciosa virtute advenit, & invisibiliter apprehendens puerum, conabatur rapere eum de manu sancti, & cœpit clamare puer: Sancte Dei adjuva me. & rursus conversus sanctus ad diabolum, dixit: Improbissime, & animarum corruptor, pater tenebrarum & perditionis; non sufficit tibi tua perditio, qua te, & eos qui sub te sunt, affecisti; nisi etiam & Dei mei tentes plasma? Et perpaucis interpositis. Sanctus Dei ait ad diabolum: Increpat te dominus, diabole. Qui respondens, ait ad eum: Basili, præjudicas me, non abii ego ad eum, sed ipse venit ad me. Abnegavit Christum, & professus est mihi. Et ecce manuscriptum habeo, & in die judicii ad communem judicem eum duco. Sanctus Dei dixit: Benedictus dominus Deus meus. Non deflectet populus iste manus de altitudine cæli, donec reddas manuscriptum. Et convertens se, dixit populo: Erigite manus vestras in cælum, clamantes cum lacrymis; Christe Kyrie eleison. Et stante populo in horam multam extensas habente manus in cælum, ecce manuscripta pueri per aerem delata, & ab omnibus visa venit: & imposita est manibus memorabilis nostri patris, & pastoris. Suscipiens autem eam, & gratias agens Deo, gavisus factus est valde, & coram omni populo dixit ad puerum: Cognoscis literulas has, frater? Qui ait ad eum: Etiam sancte Dei, manuscripta mea est. Et disrumpens manuscriptum sanctus Basilius, perduxit eum ad ecclesiam. Et dignum fecit sancto ministerio, & communione mysteriorum, & munerum Christ.

CAPUT VIII.
De sancto Laurentio.

INTER alia scriptum habetur in passione B. Laurentii archileuitæ, & martyris Christi. Erat homo in carcerali custodia multo jam tempore gentilis, qui plorando amissis oculis cæcus factus fuerat. Dixit ad eum B. Laurentius: Si credis in filium Dei dominum Iesum Christum, baptizare, & illuminabit te. Et continuo post ipsius confessionem baptizato, aperti sunt oculi ejus, & cœpit clamare, dicens: Benedictus dominus Deus æternus, qui me illuminavit per beatum Laurentium, quia semper fui cæcus, & modo video. Posthæc & beatum Hippolytum more solito catechizavit, & accepta aqua, benedixit & baptizavit illum. Deinde simili modo militem baptizavit Romanum; qui & baptizatus, mox martyrio coronatus est.

CAPUT IX.
De sancto Sebastiano.

SCRIPTUM est & in passione sancti Sebastiani ad locum. Cum omnes qui ad decipiendos sanctos (quin Marcum & Marcellinum) venerant, unanimiter crederent Christum: Nicostratus cum conjuge sua urgebat, dicens: Non capiam cibum, neque potum, nisi mysterium mihi Christianæ religionis fuerit traditum. Cui sanctus Sebastianus dixit: Muta dignitatem tuam, & incipe esse Christi magis primiscrinius, quam præfecti. Audi itaque consilium meum, & omnes quos carcer inclusit, quos vincula tenent, quos ergastula conficiunt, in unum redige. Quod cum feceris, antistitem sacrosanctæ legis adhibeam, ut cum omnibus qui credere voluerint, mysterii suscipias sacramentum. Si enim diabolus Christo sanctos ejus auferre conatus est, & conatur: quanto magis nos pietatis argumento, hos quos diabolus injuste lucratus est, curare debemus, & suo restituere creatori? Et Nicostratus ad hæc respondit, dicens: Quomodo iniquis & criminosis possunt sancta committi? Sanctus Sebastianus ait: Salvator noster pro peccatoribus suam nobis dignatus est exhibere præsentiam, & ostendit mysterium, per quod omnia peccata, & crimina omnia hominibus auferantur, & omnes virtutes domini conferantur. Et post multa. Sanctus Sebastianus abiit ad Polycarpum sanctum presbyterum, ubi erat causa persecutionis occultus, & narravit ei omnia quæ gesta sunt. Quibus auditis Polycarpus gratias egit Deo, & una cum eo venit ad domum Nicostrati; & videns turbas credentium, salutans eos cum omni gaudio, ait: Beati vos omnes qui audistis vocem domini nostri Iesu Christi, dicentis: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* (Matth. 11) Vos itaque, fratres nostri, quos baptismatis unda diluit, & consecrando Deo omnipotenti carissimos filios fecit, pro hoc quod a proposito suo sancto revocare conati estis beatissimos milites Christi, opus erat vobis pœnitentia, ut per ipsam ad indulgentiam veniretis. Nunc autem quia ad tantam gloriam accessistis, ut etiam ad passionem, a qua dolenter alios revocare voluistis, ad ipsam desideretis gratanter velle currere & libenter. Vetus hoc Christi artificium est. Nam ipsum quem vas electionis suæ esse dignatus est, & voluit magistrum Gentium dare, qui non solum fidelium animos a pietatis proposito revocabat, sed etiam nolentes a Christo discedere lapidibus obruebat: hunc nobis ipse dominus apostolum condonavit, tribuitque nobis ex Saulo Paulum, ex apostata fecit apostolum, & dedit ecclesiæ ex persecutore rectorem: amator passionis factus est, qui persecutionis autor exstiterat; & qui alienis afflictionibus prius gratulabatur, in suis postmodum persecutionibus lætabatur. Ipse qui tunc in apostolo suo virtutem istam exercuit, ipse nunc de ipso inferorum conclavi, & ex ipsis draconum faucibus, animarum vestrarum captivitatem eripuit: & vobis nunc a tenebris ad lucem remeantibus æternæ vitæ januas patefecit. Quia ergo omnes dæmones, qui sunt tenebrarum filii, contristantur; & omnes sancti angeli, qui sunt filii luminis, gratulantur: accedat unusquisque, & det nomen suum, ut hodierno die usque ad vesperum perducente jejunio, festivum baptismatis sacramentum opportunum tempus inveniat. Et iterum. Omnis familia quæ erat in domo Nicostrati, animæ XXXIII. promiscui sexus & ætatis: dehinc omnes qui vincti, ac de carceris squalore adducti, animæ XVI. omnes isti XLIX. a sancto Polycarpo presbytero baptizati, & a sancto Sebastiano suscepti sunt.

CAPUT X.
Verba domni Bedæ.

IUXTA salutiferam, & firmissimam fidei catholicæ doctrinam, in toto terrarum orbe unanimiter ac fideliter ab omnibus observandam: quod de carnali, hoc etiam de spiritali est generatione sentiendum: nequaquam videlicet eam, post quam semel expleta fuerit, posse repeti. Sive enim hæreticus, sive schismaticus, sive facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizat: non valet ille qui ita baptizatus est, a bonis catholicis rebaptizari, ne confessio, vel exhibitio tanti nominis videatur annullari.

CAPUT XI.

Leo papa.

Epist. ad Rusticum.

DE his quibus dubium est utrum baptismum perceperint, necesse est ut renascantur ex decretis papæ Leonis. Si nulla extant inter propin quos, aut sæculares indicia, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne manifeste pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum. Qui autem possunt meminisse quod ad ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an quod ab eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed si hoc etiam ab eorum memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur: quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.

CAPUT XII.

Item Leo.

Epist. ad Nicetam.

CAPTIVIS cibos immolatitios necessitate comedentibus pœnitentia concedenda ex decretis ejusdem papæ Leonis. De his Christianis, qui inter eos a quibus fuerant captivati, immolatitiis cibis asseruntur esse polluti: consultationi caritatis tuæ hoc etiam respondendum esse credimus, ut pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensanda est. Et sive hoc terror extorserit, sive fames suaserit, non dubitetur abolendum: cum hujusmodi cibus pro metu, aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus.

CAPUT XIII.

Ex concilio Nicæno.

Can. 11.

DE laicis qui Deum negaverunt, & de his qui abrenunciaverunt, & iterum ad sæculum sunt reversi: ex concilio Nicæno. De his qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter oblationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujusmodi quod factum est sub tyrannide Licinii: placuit synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque ergo veracem pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur, & sex annis omni se contritione dejiciant, duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.

CAPUT XIV.

Ex concilio Carthaginensi.

Sub Grato cap. 1.

GRATUS episcopus dixit: Si vobis placet consideremus primum titulum rebaptizationis. Unde sanctitatem vestram postulo, ut mentis vestræ placita producatis, ad descendentem in aquam, & interrogatum in Trinitate secundum euangelii fidem & apostolorum doctrinam, & confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Iesu Christi: si liceat iterum interrogari in eadem fide & in aquam iterum tingi. Universi episcopi dixerunt: Absit, absit: illicitas esse sancimus rebaptizationes, & satis est alienum a sincera fide & catholica disciplina.

CAPUT XV.

Ex concilio Ancyrano.

Can. 5.

DE his qui timore, ritus gentilium peregerunt. Quotquot ascenderunt templa cum veste lugubri, & recumbentes inter alios manducaverunt, flentes, si compleverint pœnitentiam triennii tempus, sine oblatione suscipiantur ad communionem, id est, ut ipsi oblationem non offerant. Si autem perducti ad templa non manducaverunt, biennium maneant in pœnitentia: tertio vero anno communicent, sed sine oblatione ut dictum est: ut quarto jam anno perfectionem suam percipiant. Episcopum autem hinc habere licentiam oportet, ut pro his peccata singulorum consideret, & prout viderit conversationem, normam regulamque conversionis adtribuat: id est, ut humanius agens, secundum vitæ modum, tempus alicui breviare, aut etiam prolixius quod correctioni necessarium viderit addere. Discutiatur autem omnium horum & præcedens vita, & posterior. Et ita circa eos sacerdotalis humanitas moderetur.

CAPUT XVI.

Ex eodem.

Can. 6.

DE his qui frequenter idolis immolaverunt: ex concilio Ancyrano. De his qui festis diebus paganorum, in remotis eorum locis conviviis interfuerunt, & suas nihilominus epulas ibidem portaverunt, atque comederunt. Placuit ut post biennii pœnitentiam suscipiantur: ita tamen, utrum aut cum oblatione recipiendi sint, an ad solam communionem admitti debeant, unusquisque episcoporum examinet vitam eorum, & præterita ac præsentia habita consideratione perpendat.

CAPUT XVII.

Ex eodem.

Can. 7.

DE his qui coacti idolis immolaverunt: ex eodem concilio. Hi qui secundo, aut tertio sacrificaverunt vi coacti, quatuor annis sese ad pœnitentiam summittant: duobus autem aliis sine oblatione communicent, septimo anno perfectionem recepturi communionis.

CAPUT XVIII.

Leo papa.

Epist. ad Rusticum.

DE his qui convivio gentilium, & escis immolatitiis usi sunt, ex decretis papæ Leonis. Si convivio solo gentilium, & escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis & manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes, sacràmentorum Christi possint esse participes. Si autem idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.

CAPUT XIX.

Item Leo papa.

Ibid.

QUOD hi qui ad iterationem baptismi, vel vi, vel timore coacti, animas inclinarunt, pœnitentiæ sint sublevandi remedio. Leo papa ad Rusticum Narbonensem episcopum. Hi de quibus dilectio tua nos credidit consulendos, qui ad iterandum baptismum, vel metu coacti, vel errore traducti sunt, & nunc se contra catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea est constituenda moderatio, qua in societatem nostram nonnisi per pœnitentiæ remedium, & per impositionem episcopalis manus communionis recipiant unitatem. Tempora pœnitudinis solita moderatione, tuo constituenda judicio, prout conversorum animos inspexeris esse devotos, pariter etiam habentes ætatis

„ ætatis senilis intuitum, & periculorum quorum- A
„ que, aut ægritudinum respicientes necessitates. In
„ quibus si quis ita graviter urgeatur, ut dum ad-
„ huc pœnitet, de salute ipsius desperetur, opor-
„ tet ei per sacerdotalem solicitudinem communio-
„ nis gratia subveniri.

CAPUT XX.

Ex actibus apostolorum.

Cap. 15. LEGITUR in actibus apostolorum quod quidam descendentes de Iudæa docerent fratres oportere circumcidi, & servari legem Moysi. Apostoli tamen, & seniores cum omni ecclesia, jusserint, nihil oneris ultra imponentes eis, ut abstinerent se ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocatis, & fornicatione. B

CAPUT XXI.

Ex concilio Africano.

Can. 3. VT cum Donatistis, qui ab omnibus catholicis sicut ab universo terrarum orbe erant damnati, lenius ageretur: ex concilio Africa-
„ no. Pertractatis, & consideratis omnibus quæ
„ utilitati ecclesiæ convenire videbantur, annuente
„ atque administrante Spiritu Dei, elegimus cum
„ memoratis hominibus, quamvis de dominici cor-
„ poris unitate, inquieta dissensione præcisis, leniter
„ & pacifice agere: ut, quantum in nobis est, om- C
„ nibus, qui eorum communione, & societate irre-
„ titi sunt, per universas provincias Africanas pe-
„ nitus innotescat, quam miserabili errore devincti
„ sunt. Nisi forte, sicut dicit apostolus, nobis in man-
„ suetudine corripientibus diversa sentientes, det il-
„ lis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem,
2. Tim. 2. „ & resipiscant de diaboli laqueis captivati ab ipso
„ in ipsius voluntatem.

CAPUT XXII.

Ex Cælestino papa.

QVOD nulli sit ultima pœnitentia deneganda, ex epistola papæ Cælestini ad episcopos Gal-
„ liarum. Agnovimus pœnitentiam morientibus de- D
„ negari, nec illorum desideriis annui qui obitus sui
„ tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subve-
„ niri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem
„ reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non pos-
„ sit ad se quovis tempore concurrenti succurrere,
„ & periclitantem sub onere peccatorum hominem
„ redimere, quo se ille expediri desiderat, & liberari.
„ Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem
„ addere, ejusque animam sua crudelitate, ne ab-
„ soluta esse possit, occidere? cum Deus ad sub-
„ veniendum paratissimus, invitans ad pœniten-
„ tiam, sic promittat. Peccator, inquit, qua-
„ cumque die conversus fuerit, peccata ejus non E
„ reputabuntur. & iterum: Nolo mortem pec-
„ catoris, sed tantum ut convertatur, & vivat.
„ Salutem ergo homini adimit, quisquis ei mortis
„ tempore pœnitentiam denegavit: & desperavit de
„ clementia Dei, qui eum ad subveniendum morien-
„ ti, succurrere vel in momento posse, non credi-
„ dit. Perdidisset & latro in cruce præmium ad Chri-
„ sti dexteram pendens, si illum unius horæ pœniten-
„ tia non juvisset. Cum esset in pœna pœnituit, & per
„ unius sermonis confessionem, habitaculum paradi-
„ si Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum
„ conversio in ultimis positorum, mente potius est
„ æstimanda quam tempore, propheta hoc taliter
„ asserente: Cum conversus ingemueris, tunc salvus
„ eris. Cum ergo dominus sit cordis inspector, quo-
vis tempore non est deneganda pœnitentia postu- „
lanti, cum illi se obliget judici, cui occulta omnia „
noverit revelari.

CAPUT XXIII.

Ex pœnitentiali Bedæ.

IN libello qui superscriptus est pœnitentialis Bedæ presbyteri venerabilis. Sollerter admone-
mus doctum quemque sacerdotem Christi, ut in „
universis, quæ hic adnotata repererit, sexum, æta- „
tem, conditionem, statum, personam, ipsumque „
cor pœnitentis curiose discernat: & secundum hæc „
quid sibi visum fuerit singula quæque judicet. Qui- „
busdam namque a cibis abstinendo, aliis eleemo- „
synas dando, nonnullis flectendo sæpius genua, „
huic in cruce stando, aut aliud aliquid hujusmodi „
quod ad purgationem peccatorum pertineat fa- „
ciendo: plurimis universa hæc agenda sunt. Ne- „
cesse est errata corrigere, quæ universa in exa- „
mine discreti debent pendere judicis. „

Semper in Christo felici successu præpolleat, & omnibus in bonis vigeat, reverenda & percolenda germanitas vestra, memor nostri in orationibus suis, & universæ ecclesiæ.

EPISTOLA II. IOANNIS PAPÆ IX. AD STYLIANUM EPISCOPUM NEOCÆSAREENSEM.

Negat illi veniam quam petiverat communicandi cum illis quos Photius ordinaverat.

EAS quas par est dilectioni tuæ gratias agimus, honorande frater, quod nunquam a matre tua sancta catholica & apostolica ecclesia Romana declinare voluisti. Neque enim tormenta ulla, neque exilia, neque fraudes adulterorum hominum, a matre tua te divellere potuerunt. Spero tamen tuarum precum favore duritiem cordis eorum, qui salvari debent, leniendam, & optatam pacem redituram: quod apertis argumentis futurum apparet, & schisma quadraginta fere annorum ad priorem sanitatem reversurum. Quæ enim tua mater reprobavit, tu etiam hucusque reprobasti, & quæ illa approbavit, etiam tu approbasti. Volumus igitur, ut etiam nunc secundum eamdem regulam decreta sanctissimorum pontificum prædecessorum nostrorum inconcussa maneant. Quapropter Ignatium, & Photium, & Stephanum, & Antonium, sicut sanctissimus papa Nicolaus, & Ioannes, & sextus Stephanus, & universa Romana ecclesia hucusque tenuit, etiam nos eodem ordine illos recipimus & tenemus, & illis qui supersunt ex eorum ordine, eodem pacto nobiscum manus præbeas hortamur: & pacis & communionis illis concedimus unitatem, dum ipsi eodem pacto regulas servaverint. Tuum vero chirographum, quod nobis fecisti, quamvis multum quæsierimus, invenire tamen minime potuimus.

"** EPISTOLA III. IOANNIS PAPÆ IX. AD CLERUM ET POPULUM LINGONENSEM.

Argrinum episcopum iis restituit.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, clero & populo sacræ Lingonensis ecclesiæ, dilectis filiis.

TANTAM, a domino hujus sanctæ sedis & apostolicę ecclesiæ fundatore, & beato Petro apostolorum principe accepimus fiduciam; ut pro universali Christi sanguine redempta ecclesia, impigro laboremus affectu, & omnibus domino famulantibus succurramus; & cunctis pie viventibus apostolica

lica autoritate opem feramus; & quidquid nocivum est, auxiliante domino corrigere & emendare non differamus. Ad hoc enim divinæ dispensationis provisio, gradus, & diversos constituit ordines esse distinctos: ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem & adjutorium impenderent, una concordiæ fieret ex diversitate connexio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum. Literis sane dilectionis vestræ, quas ad beati apostoli Petri sedem, pro vestri causa negotii, non solum semel, sed & bis, & ter misistis, libenter suscepimus, una cum dilecti filii nostri Berengarii regis apicibus: sed de vestris afflictionibus & incommoditatibus, quas vos tanto tempore perpessos lacrymabiliter conquesti estis, non modice contristati sumus: scilicet, quod ecclesia vestra multis attrita calamitatibus, omni pastorali sit destituta solatio, ex quo Argrinus venerabilis episcopus, ab ipsa per subreptionem quorumdam recessit ecclesia: quem omnes concorditer vos elegisse, excepisse, & acclamasse testificamini: nullumque post ipsum alium sponte recepisse episcopū, sicut libello vestræ reclamationis plenius continetur. Iam enim olim per Anscharium comitem dilectū filium nostrū hoc ipsum cognoveramus, qui se in hoc facto graviter errasse humiliter confessus est. Nos ergo qui omnium ecclesiarum Dei curam & sollicitudinem gerimus, & omnibus ecclesiis jus intemeratum, canonicamque autoritatem irrefragabiliter observare volumus, & debemus: nequaquam vos diutius talia pati permittimus, sed compatientes vestræ fraternitati, & vestram lacrymosam querimoniam veridicis assertionibus cum collegio fratrum nostrorum episcoporū, reliquorum ordinum officio approbantes, præfatum confratrem nostrum Argrinum venerabilem episcopum, vobis canonice restituimus, suæque ecclesiæ reformandæ intromittimus: non sententiam prędecessoris nostri Stephani papæ reprehendentes, sed utilitatis ac necessitatis causa, canonice in melius commutantes, quemadmodum prædecessores nostros de multis egisse, in promptu habemus. Hujus rei gratia monemus vos, & his pontificatus nostri literis hortamur, atque autoritate Dei & nostra præcipimus, ut eumdem Argrinum episcopum, quem unanimitati vestræ, ut petiistis, reddidimus benigno amore cōcordique devotione absque ulla cunctatione recipiatis, & obedientes in omnibus existentes, tanquam animarum vestrarum pium pastorem, honorabiliter retineatis atque colatis, canonica illius jussa in cunctis observantes. Quod si aliquis vestrum contra hoc nostrum apostolicum judicium atque statutum agere, aut sine ipsius Argrini episcopi consensu, in ecclesia sua Lingonensi ministrare præsumpserit, & eum juxta nostrum decretum recipere noluerit, sciat se nostra autoritate excommunicatum atque damnatum. Bene valete.

Scriptum per manum Samuel notarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Maio. Indict. II.

EPISTOLA IV. IOANNIS PAPÆ AD CAROLUM SIMPLICEM REGEM Francorum.

Hortatur ut Argrini Lingonensis episcopi restitutioni faveat.

Ioannes episcopus servus servorum Dei dilectissimo filio Karolo glorioso regi.

QUIA te, dilectissime fili, more regum prædecessorum tuorum pro defensione & utilitate A sanctæ Dei ecclesiæ, contra pravorum hominum & etiam paganorum rabiem, viriliter agere relatu multorum cognoscimus: omnimodis congaudemus, & venerabiliter tuam in Christo amplectimur filiationem: & ut in melius semper proficere satagas, pacem, justitiam, & veritatem diligas, a recto etiam tramite nullo modo devies, paterne hortamur: quatenus benedictionem a clementissimo domino nostro Iesu Christo, ut & ab ejus apostolorum principe ac clavigero Petro consequaris, pro cujus amore talia agere satagis. Denique notum esse volumus tuæ filiationi, Lingonensis ecclesię gemitum lacrymabilemque querimoniam, non solum semel, sed & bis, & ter ad aures clementiæ nostræ pervenisse, pro pastoris sui Argrini episcopi B sequestratione, quem omnes unanimiter elegisse, expetisse, & conclamasse se testantur, sed pro quorumdam subreptione ab eis eum separatum fuisse: qua de re ipsa ecclesia pastorali destituta sit solatio, variisque incessanter perturbationibus & incommoditatibus agitetur, adeo ut pæne jam ad nihilum deducta videatur. Quam causam cum collegio venerabilium episcoporum nostrorum diligenti examinatione perpendentes, & rei veritatem perscrutantes, eorumque infelicitati misericorditer subvenientes, canonice definivimus, quatenus ei sua nostra auctoritate redderetur ecclesia: sententiam prædecessoris nostri Stephani papæ causa necessitatis & utilitatis in melius commutantes, sic- C ut prædecessores nostros de multis egisse in promptu habemus. Vnde prævidimus, & gloriam ac religiositatem tuam monemus, ut, quia canonice illum prædictæ suæ ecclesiæ Lingonensi restituimus, ei manum auxilii semper porrigas, nostræque institutioni consentias; &, ubicumque expedit, adjutor ei ac defensor pro amore omnipotentis Dei, & reverentia beatorum apostolorum, nostraque apostolica paternitate, existas: quatenus sub tuo regali munimine pacifice eamdem regere digne valeat ecclesiam, ut quibus debet præesse, valeat & prodesse. Bene vale.

Scriptum per manum Samuel notarii & scriniarii D sanctæ Romanæ ecclesiæ, v. Id. Maii, indict. II.

EPISTOLA HATTONIS MOGUNTIN. archiepiscopi, ejusque suffraganeorum ad Ioannem IX. papam.

De morte Arnulphi imper. de Ludovico ejus filio septenni, rege Germaniæ salutato: de archiepiscopatu apud Moravos erecto.

Domno sanctæ & apostolicæ & universalis Romanæ ecclesiæ papæ, Hatho indignus præsul Moguntinensis ecclesiæ, cum universis suffraganeis nostræ exiguitati adjunctis, debitum orationis obsequium, & fidelem servitutem.

NOVERIT igitur sublimitas vestræ sanctitatis, quod nulla fratrum unanimitas sanctæ Romanæ ecclesiæ potestati subjecta, fidelior atque devotior ac subjectior apparet, quam nos, qui vestræ E dominationi & capiti omnium ecclesiarum omni mentis intentione subjicimur, plurimum gaudentes in domino & in dono gratiæ ipsius, quod per vestram sanctitatem & sapientiam magnifice & amplissime sedes ejusdem ecclesiæ dilatatur in religione divina: & in hoc instantissime precibus incumbimus, deprecantes divinam clementiam, ut ad altiora semper conscendere vos, & de die in diem meliora sectari atque perficere concedat. De cętero vestræ clementiæ innotescimus, seniorem nostrum Arnulphum imperatorem de hujus vitæ exilio migrasse. Sed quod quamdiu in hoc mundo subsistimus

mus per incerta ferimur, neſcientes ubi quorumdam animæ poſt hanc lucem māſionem recipiant: veſtris quaſi provoluti veſtigiis ſubnixe poſcimus, ut animā ipſius veſtræ autoritatis poteſtate a vinculis pec- *Matth. 16.* catorum abſolvatis, quia *quæcumque ſolveritis ſuper terram, erut ſoluta in cælo*. Tali vero domino, rectore, & gubernatore amiſſo, in noſtris partibus vacillavit navis eccleſiæ. Quem regem eligeret parvo tempore inſcia manſit: & quia timor magnus aderat, ne ſolidum regnum in partes ſe ſcinderet, divino, ut credimus, inſtinctu factum eſt, ut filius ſenioris noſtri quamvis parviſſimus, communi conſilio principum, & totius populi conſenſu in regem elevaretur. Et quia reges Francorum ſemper ex uno genere procedebant, maluimus priſtinum morem ſervare, quam nova inſtitutione inſidere. Sed cur hoc ſine veſtra juſſione & permiſſione factum ſit, veſtram haud dubitamus latere prudentiam. Nulla ſcilicet alia cauſa actum conſtat, niſi quia paganis inter nos & vos conſiſtentibus, impeditum eſt iter noſtrum ad ſanctam matrem noſtrā Romanam ſedem: ita ut nec legati a noſtra parvitate ad veſtram dignitatem dirigi potuiſſent. Sed quia tandem occaſio & tempus advenit, quo noſtra epiſtola veſtris obtutibus præſentaretur: rogamus, noſtram communem conſtitutionem, veſtræ dominationis benedictione roborari. Inſuper etiam pietati veſtræ intimamus, quod fratres, & coepiſcopi noſtri Bavvarienſes ſe apud nos conquerentes, & alta ſuſpiria trahentes gemebant, qualiter Maravenſes populi Francorum poteſtati rebelles, jactent ſe ab illorum conſortio eſſe diviſos, & ſeorſum metropolitano glorientur a veſtra conceſſione eſſe ſublimatos, cum nunquam metropolitana ſedes inter illos haberetur, ſed ſemper illorum provinciæ & diœceſi cohærerent. Dolebant ſe etiam apud nos, quod quorumdam machinatione, magna infamia circa veſtram celſitudinem eſſent denotati, ſcilicet, ut cum paganis fœdus & pacem inirent, & ipſi pagani conſilio eorum agerent tam multa nefaria & illicita. De his omnibus conſilium a nobis quærentibus Bavvarienſibus epiſcopis, juſtum reſpondimus eſſe fratrum ſolatio ſemper adhærere: quia *Pſal. 131.* propheta inquit: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*. Illi vero non in unum habitant, qui fratrum ſe ſolatio ſubtrahunt, aut fratribus inſidias præparant. Nos illorum triſtitiæ compatientes, nolumus illis conſilium de talibus objectionibus præbere, priuſquam ad veſtram interrogationem per epiſtolam noſtram veniremus. Semper nos ſcimus, carnales ſpiritales ſolere perſequi, & malevolos benevolos infirmare & lacerare. Prævidere ergo ſummopere debent, omnes qui ſacerdotes domini perſequūtur tam occulte quam manifeſte, ne ad illos pertineat quod prophe- *Pſal. 139.* ta dixit: *Cogitaverunt malitias in corde ſuo, tota die conſtituebant prælia: exacuerunt linguas ſuas ſicut ſerpētis: venenum aſpidū ſub labiis eorum*. Et paulo poſt. *Cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos*. Et iterum: *Vir linguoſus non dirigetur in terra, virum injuſtum mala capient in interitu*. Et per Ieremiam inquit dominus: *Omnes in ſanguine judicantur, unuſquiſque proximum ſuum tribulat. Omnes in malum manus ſuas præparant*. Non debent enim alieni, epiſcoporum aut accuſatores, aut judices fieri. Vnde de *Gen. 19.* Loth eſt ſcriptum: *Ingreſſus es, ut advena, numquid ut judices?* Accuſator autem epiſcoporum nullus ſit ſervus, aut libertus, nullaque perſona ſuſpecta, aut infamis, repellantur inimici, & omnes laici. Iſti fratres & coepiſcopi noſtri Bavvarienſes, veraces Dei cultores, & boni paſtores, pervigili

A cuſtodia cuſtodiunt gregem ſibi commiſſum, ne lupi rabies aliquam ſancti gregis oviculam rapiat in prædam ſuam. Stant pro muro domus Iſrael, ne aliqua vis inimica firmamentum eccleſiæ diſſolvat. Qui tales inquietat, & ſua malitia impugnat, licet præſentem, futuram tamen non evadet pœnam, quia ſcriptum eſt: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. *Zachar. 2.* Hæc autem omnia perſcripta vobis ideo dirigimus, qui eſtis caput totius ſanctæ eccleſiæ, quæcumque per orbem diffunditur, & ſolamen mœrentium, quæcumque triſtia vobis contigerunt membris veſtris: quia ſanctiſſimi paſtores Chriſti ſuperius dicti in nulla re a catholica fide B deviantes, ſed eamdem ſanctis operibus, & eccleſiaſticis officiis ornantes, apud nos conquerentes poſtulaverunt, ut veſtræ notitiæ manifeſta faceremus, quia & illi per ſeipſos vobis eadem innoteſcere vita comite promittebant. Vnde poſcimus, ut veſtra conſolatio illorum mœrorem ad lætitiam reformet, & ſemper talia membra ſummo capiti, quod eſtis vos, ſe gaudeant adhærere. Illi autem Maravenſes, ut noſtris auribus illatum eſt, in occaſionem ſuperbiæ ſuæ aſſumunt, quia a veſtra conceſſione dicunt ſe metropolitanum ſuſcipere, & ſingulariter degentes aliorū epiſcoporum conſortia refutant. Si hac confidentia diutius inflātur, uſque ad ſanguinis effuſionem, ut multi arbitrantur, proſilient. In quantum prǣſumimus, admonemus, quatenus veſtra C autoritas, priuſquam hoc contingat, ad humilitatis viam illos corrigendo deponat: ut tandem cognoſcant, cui dominatui ſubjici debeant. Nos ſiquidem debitores eſſe cognoſcimus, ſi quid a ſanctæ matris Romanæ eccleſiæ* ſcilicet contigerit elabi, vos inde certificari, ut veſtra potentia ad rectitudinis lineam perducatur. Quod ſi veſtra admonitio illos non correxerit, velint, nolint, Francorum principibus colla ſubmittent, & credimus abſque effuſione ſanguinis, & mutua cæde ex utraque parte, tunc poſſe bene contingere. Iterum iterumque veſtræ dignitatis auribus replicamus, quod tam epiſcopi quam laici Bavvarienſes, in religione Chriſtianitatis nulla gente inferiores eſſe D probantur, neque unquam Franci abſque illorum auxilio, aut in eccleſiaſticis rebus, vel in bellicis negotiis nominatim, vel fama, dignum aliquid peregerunt. Sicut neque illi abſque iſtis.

OBSERVATIO GABR. COSSARTII S. I.

Arnulphus imperator, cujus hic obitus nunciatur, mortuus eſt 20. Novembris, anno 899. Stephano VI. pontifice. Non tamen ad eum, ſed ad ejus ſucceſſorem Ioannem hæc ſcripta eſt epiſtola quod facile intelligitur ex querela de Moravorum archiepiſcopatu, quem a Ioanne inſtitutum eſſe ſequens epiſtola declarat Cur autem tam ſero ſcribant hi epiſcopi, cauſam his ipſis in literis afferunt.

EPISTOLA THEOTMARI IVVAVENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPI, & aliorum epiſcoporum, ad Ioannem IX.

E Queruntur unum archiepiſcopum, & epiſcopos tres, in Slavorum terris, prius Patavienſi epiſcopo ſubjectis, creatos eſſe.

SVMMO *pontifici, & univerſali papæ, non unius urbis, ſed totius orbis, domino Ioanni, Romanæ ſedis gubernatori magnifico, humillimi paternitatis veſtræ filii.* Theotmarus Iuvavenſis eccleſiæ archiepiſcopus, VValdo Friſingenſis, Erchenpaldus Eyſtatenſis, Zacharias Sæbonenſis, Tutto Ratiſponenſis, Richarius Patavienſis eccleſiæ epiſcopus. Necnon, & univerſus clerus, populuſque Chriſtianus per totam Noricam, quæ & Bavvaria converſatur; proſperum in ſalvatore noſtro profectum, catholicæ pacis augmentum, & regnum

optamus æternum. Antecessorum vestrorum decretis, & catholicorum patrum institutis plenissime instruimur in omnibus nostro ministerio sacerdotali obstantibus & adversantibus Romanum appellare pontificem: ut quod ad unitatem concordiæ, & ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, sed ab ipso summa provisione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, ut de illa sancta, & apostolica sede, quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, & origo Christianæ religionis, profluxerit quippiam perversitatis, sed doctrina, & autoritas ecclesiasticæ rationis. Sed venerunt, ut ipsi promulgaverunt, de latere vestro tres episcopi, videlicet Ioannes archiepiscopus, Benedictus & Daniel episcopi in terram Schlavorum, qui Maraci dicuntur, quæ regibus nostris, & populo nostro, nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fuerat, tam in cultu Christianæ religionis, quam in tributo substantiæ sæcularis, quia exinde primum imbuti, & ex paganis Christiani sunt facti. Et idcirco Pataviensis episcopus, civitatis in cujus diœcesi sunt illius tempore populi ab exordio Christianitatis eorum, quando voluit & debuit, illuc nullo obstante intravit, & synodalem cum suis, & etiam ibi inventis, conventum frequentavit, & omnia quæ agenda sunt potenter egit, & nullus ei in faciem restitit. Etiam & nostri comites illi terræ confines placita sæcularia illic continuaverunt, & quæ corrigenda sunt, correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis restiterunt; usque dum incessente corda eorum diabolo Christianitatem abhorrere, & omnem justitiam detrectare, belloque lacessere, & obsistere sævissime cœperunt, adeo ut via episcopo & prædicatoribus illo non esset, sed libitu suo egerunt quæ voluerunt. Nunc vero quod grave nobis videtur, & incredibile, in augmentum injuriæ jactitant se magnitudine pecuniæ id egisse, qualia de illa apostolica sede numquam audivimus exisse, neque canonum decreta sanxisse, ut tantum schisma una pateretur ecclesia. Est enim unus episcopatus in quinque divisus. Intrantes enim prædicti episcopi in nomine vestro, ut ipsi dixerunt, ordinaverunt in uno eodemque episcopatu, unum archiepiscopum (si tamen in alterius episcopatu archiepiscopium esse potest) & tres suffraganeos ejus episcopos, absque scientia archiepiscopi, & consensu episcopi, in cujus fuerunt diœcesi. Cum in concilio Africano, cap. XX. decretum sit, ut plebes, quæ in diœcesibus ab episcopis retinentur, quæ numquam episcopos habuerunt, nonnisi cum voluntate ejus episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores, vel [a] episcopos. Et item in eodem concilio cap. LXV. ut plebes, quæ numquam habuerunt proprios episcopos, nisi ex concilio plenario uniuscujusque provinciæ, & primatis, atque consensu ejus ad cujus diœcesin eadem plebs pertinebat, episcopos minime accipiant. In decretis papæ Leonis capite XV. scriptum est: Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui a provincialibus episcopis, cum metropolitani judicio non consecrantur. Item, capite XLIX. Si indignis quibusque, & longe extra sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium, & gubernatio ecclesiæ detur; non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen. Et in eodem capite post pauca: Difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Et in decreto papæ Cælestini antecessoris vestri, capite XVII. continetur, ne alicui locus concedatur sacerdoti in alterius injuriam. Antecessor

[a] id est

A vester Zuentibaldo duce impetrante, VVichingum consecravit episcopum, & nequaquam in illum antiquum Pataviensem episcopatum eum transmisit, sed in quamdam neophytam gentem, quam ipse dux domuit bello, & ex paganis Christianos esse patravit. Cum autem eisdem Schlavis locus familiaritatis apud legatos vestros dabatur, accusabant nos & diffamabant nos in multis, & verbis mendacibus instabant, quia nemo eis vera respondebat, dicentes nos, & cum Francis, & Alemannis scandalum, & discordiam habuisse: cum hoc falsum esse ex hoc convincitur, quia amicissimi nostri sunt, & caritative cooperantes, & etiam cum ipsis impacatos esse accusabant.

B Quod non nostra culpa exigente, sed sua protervia faciente, ita fatemur esse. Quia quando Christianitas illis cœpit vilescere, & insuper debitum tributum senioribus nostris regibus, & principibus eorum solvere respuerunt, belloque resistere, & gentem nostram cœperunt lacessere: orta est seditio inter illos. Et quoniam armis sibi eos defenderunt, & in servitium redegerunt: idcirco jure proprio tributarios habere debuerunt, & debent, & sive velint, sive nolint, regno nostro subacti erunt. Quapropter oportet vos ab alto speculari, & moderaminis temperiem præ omnibus tenere, ne pejor pars confortetur, & melior infirmetur. Progenitores namque serenissimi senioris nostri, Ludvvici videlicet imperatoris, & reges ex Christianissima

C Francorum gente prodierunt. Moimarii vero Schlavi, a paganis & Ethnicis venerunt. Illi potentia imperiali Romanam rempublicam sublimaverunt, isti damnaverunt. Illi Christianum regnum confortaverunt, isti infirmaverunt. Illi toti mundo spectabiles apparuerunt, isti latibulis & urbibus occultati fuerunt. Illorum consilio apostolica sedes pollebat, istorum persecutione Christianitas dolebat. In omnibus his, juvenculus rex noster, nulli prædecessorum suorum inferior, secundum virtutem a Deo sibi datam, sanctæ Romanæ ecclesiæ, & vobis summo pontifici, cum omnibus regni sui principibus adjutor optat esse fortissimus. Omne

D namque regnum divinitus sibi commissum ad Dei servitium, suumque adjutorium unum vult, & operatur. Vnde & pace viget, & concordia gratulatur, atque ad vestram paternitatem, sicut patres sui, se pertinere lætatur. Quod nos præfati Schlavi criminabantur, cum Vngaris fidem Catholicam violasse, & per canem, seu lupum, aliasque nefandissimas & ethnicas res, sacramenta, & pacem egisse, atque ut in Italiam transirent, pecuniam dedisse: si vobis coram posito, ratio inter nos agitaretur ante Deum, qui cuncta novit antequam fiant, & coram vobis qui vicem ejus apostolicam tenetis: eorum falsitas manifestaretur, & innocentia nostra probare-

E tur. Quia enim Christianis nostris longe a nobis positis semper imminebant, & persecutione nimia affligebant, donavimus illis nullius pretiosæ pecuniam substantiæ, sed tantum nostra linea vestimenta, quatenus aliquatenus eorum feritatem molliremus, & ab eorum persecutione quiesceremus. Talia namque, ut præscripsimus, juxta malitiam cordis sui argumentantes, & pontifices [b] vestros ad injuriam nostram incitantes, adeo, ut directa nobis epistola, quasi ab apostolica sede, hæc omnia improperabant, & diversas injurias ingerebant, atque inter alia divino gladio feriendos dignos dicebant. Impletur enim in nobis, quod quidam sapiens ait: *Iustus tulit crimen iniqui.* Ipsi enim crimen quod nobis falso semel factum imposuerunt, multis annis peregerunt.

[b] nostros

peregerunt. Ipsi Vngarorum non modicam multitudinem ad se sumpserunt, & more eorum capita suorum pseudochristianorum penitus detonderunt, & super nos Christianos immiserunt, atque ipsi supervenerunt, & alios captivos duxerunt, alios occiderunt, alios ferina carcerum fame & siti perdiderunt, innumeros vero exilio deputarunt, & nobiles viros, ac honestas mulieres in servitium redegerunt, ecclesias Dei incenderunt, & omnia ædificia deleverunt; ita ut in tota Pannonia nostra maxima provincia, tantum una non appareat ecclesia, prout episcopi a vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt, quantos dies transierunt, & totam terram desolatam viderunt. Quando vero Vngaros Italiam intrasse comperimus, pacificare cum eisdem Schlavis teste Deo multum desideravimus, promittentes eis propter Deum omnipotentem, ad perfectum indulgere omnia mala contra nos nostrosque acta, & omnia reddere, quæ de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis securos nos redderent, & tamdiu spatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, & res sancti Petri defendere, populumque Christianum divino adjutorio redimere liceret. Et nec ipsum ab eis obtinere potuimus, ut post tanta maleficia haberent beneficia: & sunt falsi accusatores, qui semper fuere Christianorum persecutores. Si quis in toto mundo aliorsum nos oberrasse, & justitiæ restitisse probare conetur, veniat præsens, & eum ludificasse, nosque de hac re sentietis purissimos esse. Idcirco singuli omnesque admonendo precamur, ne ullo modo alicui falso de nobis aliquam suspicionem referenti creduli sitis, antequam opportunitas exigat, ut hujus rei gratia missus de vestra celsitudine nobis, aut a nostra parvitate directus appareat vobis. Communis gemitus & generalis dolor angustat, quos Germania & tota tenet Norica, quod unitas ecclesiæ dividitur scissura. Est enim, ut præmisimus, unus episcopatus in quinque divisus. Ideo si quid fraus maligni Schlavorum calliditate adduxerat, justitia vertat. Vosque virtute ex alto induti, & apostolica potestati armati, juxta prophetam: *quod fractum est alligate, quod infirmum consolidate, quod abjectum reducite;* ut deinceps populus, & fidei integritate gratuletur, & sancta ecclesia tranquilla devotione lætetur.

Theotmarus indignus archiepiscopus, & apostolicarum rerum procurator promptissimus. Pecuniã vestro juri debitam, propter infestam paganorum sævitiam, nec per me poteram, nec per alios transmittere: sed quia Dei gratia liberata est Italia, quando citius potero vobis transmittam. Precatur nostra humilitas, ut dignetur vestra sublimitas respondere per singula transmissa cum epistola.

Alme pater mundi dignus pro nomine Petri,
Nomine quem sequeris, utinam virtute sequaris,
Sisque tuis famulis protector verus, & impos;
Commendes domino, cælo qui præsidet alto.

OBSERVATIO GABR. COSSARTII S. I.

Hanc epistolam edidit Cordesius, cum Hincmari opusculis, sed Ioanni VIII. perperam inscripsit. Nam ad Ioannem IX missam esse constat, ex episcoporum qui scribunt ætate, ut disces ex Hundii metropoli Salisburgensi, tom I. Eamdem, & alteram, quæ proxime antecedit, ediderat ante Gevoldus in appendice ad Chronicon Reicherspergense.

ANNO CHRISTI 901.

a CONCILIVM b OVETENSE,
QVO DECEM ET OCTO EPISCOPI ex concessione pontificis Ioannis VIII. ecclesiam Ovetensem metropolitana dignitate auxerunt,
Concil. general. Tom. IX.

A æra DCCCC. XXXIX. qui est annus redemptoris nostri DCCCCI. sub Ioanne IX.

a *Concilium.*] Ioannes papa VIII. ad petitionem Aldephonsi regis, inter alia, quorum fit mentio in epistola ad prædictum Aldephonsum, concesserat, ut Ovetensis ecclesia metropolitanam dignitatem acciperet, ideo imprimis, quia Aldephonsus Magnus illic regiam sedem collocasset. Interfuit inter alios huic concilio Theodulfus episcopus, legatus missus a rege Francorum: reliqui autem, qui ex propinquis ecclesiis convenere, numerati sunt decem & septem episcopi. Primum igitur omnium quod dictum est, constituta sede metropolitana ecclesia B Ovetensi, Ermenegildus ejus antistes archiepiscopus est appellatus: sicque ea dignitas, quæ antea inhærebat ecclesiæ Lucensi illi proximæ, in Ovetensem tunc est translata. Actum est etiam ut invigilarent episcopi, atque ministri eorum, ecclesiasticæ disciplinæ: cujus rei perficiendæ causa, bis in anno, ut antiqui canones docent, synodum cogerent, in qua ea quæ essent emendanda corrigerent. Additum præterea, ut episcopi illarum ecclesiarum, quæ fuerant a Saracenis destructæ, Ovetum se conferentes, in ea ecclesia militantes stipem consequerentur, si alias circumpositas sub eadem diœcesi constitutas ecclesias curarent. His constitutis, appositum est anathema ea non servantibus. Post hæc rex & Ermenegildus ad episcopos sermones hortato- C rios dixerunt: quibus absolutis, episcopi ex more regi acclamantes, regem laudarunt, quod ingentia latifundia Ovetensi ecclesiæ tribuisset, ejusque immunitates a prædecessoribus acceptas confirmasset. Decimaquarta Iunii, æra 939. synodus absoluta fuit. Hæc ex Baronio, qui eadem ex actis apud Sampyrum antiquum chronologum integre extantibus summatim hac ratione descripsit.

Occasio concilii.

Episcopi quot interfuerint.

Acta concilii summatim recitantur.

b *Ovetense.*] Ovetum est civitas in Gallæcia sita, quæ ab antiquis civitas episcoporum dicta reperitur, ideo quod dum Saraceni Gallæciam incursionibus suis inquietarent, episcopi plurimi sedibus suis destituti Ovetum confluxerunt, ibique tamdiu morati fuerunt, donec ad proprias sedes tuto redire liceret.

Ovetum cur civitas episcoporum nominata.

D CONCILIVM ROMANVM,
QVO ACTA STEPHANI VI. CONTRA Formosum habita rescinduntur & improbantur, & solius Lamberti coronatio tamquam citra vim & legitime facta confirmatur, anno Domini DCCCCIV. tempore Ioannis IX.

ANNO CHRISTI 904.

De abrogatione Pseudosynodi habitæ a Stephano prædecessore.

CAPITVLA.
I.

SYNODVM tempore piæ recordationis * sexti Stephani papæ, decessoris E videlicet nostri, celebratum, in quam venerabile corpus Formosi venerandi papæ de sepultura violata per terram tractum est, & quasi ad iudicium deductum iudicari & damnari præsumptum est: quod nunquam decessorum nostrorum temporibus factum fuisse traditum est, penitus * abdicamus. Et ne ulterius præsumatur fieri, per quodlibet Spiritus sancti iudicium interdicimus: quia ad iudiciũ vocari mortuus non potest, cum persona quæ ad iudicium vocatur, ideo vo-

* alias septimi

* alias abrogamus

cetur, ut aut fateatur obiecta, aut convincatur obiectis. Et omnibus patet quia mortui cadaver pro se nec respondere, nec satisfacere potest.

II.

Episcopi & presbyteri, & reliquus clerus, qui eidem synodo interfuerint, quia ipsi veniam petentes, coactos se terroris metu ac formidine interfuisse confessi sunt, prece sanctæ synodi eis indulsimus, statuentes & decernentes, ut nullus futuris temporibus episcopis vim inferre, vel eos temere lacerare præsumat, quatenus cum ad synodum convenerint, libere eis tractare, & statuere liceat, quæ sanctorum patrum canonica censura decrevit. Nullusque eos lacerare, vel sacris Canonibus conceptis absque audientia & iusta examinatione inquietare, facultatibus nudare, aut quoquo modo in custodiam detrudere absque status sui periculo pertentet, dicente Domino: *Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* (Psal. 104.) Indignum quippe est, ut sacerdotium senatus præiudicet, cum pateat populum sequendum non esse, sed docendum.

III.

Quia necessitatis causa de Portuensi ecclesia Formosus pro vitæ merito ad apostolicam sedem provectus est, statuimus & omnino decernimus, ut id in exemplum nullus assumat; præsertim cum sacri Canones hoc penitus interdicant, & præsumentes tanta feriant vltione, ut etiam in fine laicam eis prohibeant communionem. Quippe quod necessitate aliquoties * indultum est, necessitate cessante in autoritatem * summam non est permissum. Sed neque de gradu ecclesiastico synodice eiectum, & non canonice restitutum, ad altiora provehere ullus præsumat, prout de Bonifacio, primo de subdiaconatu, postmodum de presbyteratu depositum popularis manus agere præsumpsit. Si quis vero, cuiuscumque sit ordinis vel potestatis, contempto Deo, & calcatis sanctorum patrum statutis, id quoquo modo tentaverit, non solum apostolico iudicio anathemate feriatur, sed etiam imperialem indignationem experiatur, quatenus sanctæ ecclesiæ status inviolabiliter persistat, & iniquorum præsumptio accipiat ultionem.

*inductum

*sumi

Bonifacii electio improbatur.

IV.

Episcopi igitur seu presbyteri atque diaconi, necnon & subdiaconi, ceterique alterius ordinis sanctæ sedis apostolicæ, qui ab eodem venerando papa Formoso canonice consecrati, & pro quorumdam libitu temere deiecti sunt; in proprios ordines & gradus communi sanctæ synodi consultu reducimus, perpetuoque robore ac canonica censura stabilitos Deo autore decernimus.

Restituuntur ordinati a Formoso.

V.

Reordinationes, seu rebaptizationes, & sedium mutationes sancti patres in Africano concilio congregati omnimodis interdixerunt: quos secuti & nos interdicimus, statuentes, ecclesiæ, cui regulariter præpositi, perpetuo consistant; nec eis sine canonicæ autoritatis publica censura ejectis, alii ordinentur, & ecclesia divisionem sustineat: sed secundum quod sancti patres statuerunt, unusquisque episcopus suæ ecclesiæ curam habeat, & ecclesiasticarum rerum potestate potiatur, ne quoquomodo scissuram sancta patiatur ecclesia, quia nec militibus Christum crucifigentibus ejus tunicam scindere permissum est.

VI.

Vnctionem itaque sacri chrismatis in spiritualem filium nostrum dominum videlicet Lambertum excellentissimum imperatorem actam, perpetua stabilitate, dignitatibus decoratam, firmam & in æternum stabilitam esse, sancto suffragante Spiritu, decernimus. Illam vero barbaricam Berengarii, quæ per surreptionem extorta est, omnimodis abdicamus. Consignationes autem sacri chrismatis, & olei, vel quæque pro statu ecclesiæ gessit, firma & immutilata ut omni tempore permaneant, apostolica autoritate sancimus.

Probatur unctio Lamberti, Berengarii vero rejicitur.

VII.

Ea siquidem, quæ de ipso prænominato concilio scripta esse noscuntur, quoniam irrita, & contra canonicam autoritatem præsumpta sanxistis: decernimus una cum consultu omnium vestrum, si placet, igne crementur, sicut de latrocinali Ariminensi synodo & Ephesina secunda scriptum continetur: & de his quæ contra sanctissimum papam Leonem ab hæreticis acta sunt, & secundum quod tempore domni Hadriani junioris papæ synodali conventu illa quæ contra domnum Nicolaum beatissimum papam Constantinopoli nequiter acta fuerant, igne cremata in sancta Romana ecclesia constat fuisse.

Igni damnatur concilium Romanũ, sub Stephano.

VIII.

Sergium, Benedictum, atque Marinum, dudum presbyteros sanctæ Romanæ ecclesiæ, seu Leonem, Paschalem, & Ioannem, dudum diaconos sanctæ sedis apostolicæ juste, & canonice damnatos, & a gremio sanctæ Dei ecclesiæ sequestratos, si aliquis homo, sacratissimis autoritatibus fractis, illos inter ecclesiasticos viros, nobis inconsultis, habere voluerit, aut in ipsos gradus, quibus canonica autoritate privati sunt, reducere quoquomodo aliquando maluerit, sive eos sacerdotes vocare, aut habere tentaverit, sciat se fore anathemate percussum a Patre, Filio, sanctoque Spiritu, tamquam

Sacrilegi condemnati.

ANNO CHRISTI 904.

tamquam qui sanctorum canonum violator extiterit.

IX.

Violatores namque, seu corruptores sacri tumuli ejusdem domni Formosi papæ, qui sub fœdere conspirationis ad capiendum thesaurum, corpus illius trahentes in fluvium Tiberim jactare non timuerunt: divina auctoritate, synodalique nostro consultu, nisi resipuerint, sint a sanctæ Dei ecclesiæ liminibus separati.

X.

[margin: ...ubentur ...nte esse le-...gati tumul...us tantum ...irandi causa.]

Quia sancta Romana ecclesia, cui Deo B autore præsidemus, plurimas patitur violentias pontifice obeunte: quæ ob hoc inferuntur, quia absque imperatoris notitia, & suorum legatorum præsentia, pontificis fit consecratio, nec canonico ritu & consuetudine ab imperatore directi intersunt nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri: Volumus, id ut deinceps abdicetur, & constituendus pontifex convenientibus episcopis, & universo clero eligatur, expetente senatu & populo, qui ordinandus est, & sic in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, præsentibus legatis C imperialibus consecretur. Nullusque sine periculo juramentum, vel promissiones aliquas nova adinventione ab eo audeat extorquere, nisi quæ antiqua exigit consuetudo, ne ecclesia scandalizetur, vel imperatoris honorificentia minuatur.

XI.

[margin: De patriarchio expilando prava consuetudo.]

Quia scelestissima etiam consuetudo inolevit, ut obeunte sanctæ Romanæ ecclesiæ sedis pontifice, ipsum patriarchium deprædari soleat; & non solum in ipso sancto D patriarchio, sed etiam per totam civitatem, & suburbana ejus talis bacchatur præsumptio: necnon quia, & id inultum hactenus neglectum est, adeo ut omnia episcopia eadem patiantur uniuscujusque ecclesiæ obeunte pontifice: quod ne ulterius præsumatur, omnimodis interdicimus. Quod qui facere præsumpserit, non solum ecclesiastica censura, sed etiam imperiali indignatione feriatur.

XII.

Perniciosa inolevit consuetudo, ut judex publicus, vel minister, peccata populi, E quæ ab episcopis sunt inquirenda, quibus animarum solicitudo commissa est, quasi inquirenda vendant, & ea occasione licenter scelesta vita augmententur; & si in proprietate ecclesiæ vel clerici feminas inveniant adulteras, infamant, comprehendunt, dilaniant, donec domini earum, vel parentes eas redimant, pro quo consanguinei earum in non modicam deveniunt paupertatem: & eo ordine liberius post venditionem fornicari non metuunt, dicen- A tes nihil pertinere ad episcopum, quæ a publico examinata dignoscitur, & redempta: quod omnino irregulariter inolevisse manifestum est. Habeantur igitur episcopi singularum urbium in sua diœcesi liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, ulcisci, & judicare, secundum quod canones censuerunt, absque impedimento alicujus. Et cum opus fuerit, ad comprimendos rebelles & contemptores publicum placitum convocent, non ad præjudicandum, sed potius ad ea quæ Deo placita sunt, & saluti animarum conveniunt, B prosequendum.

NOTA SEVERINI BINII.

Inter decimumquartum & decimumquintum capitula in codice Antonii Augustini, teste Baronio, interposita leguntur duodecim capitula alterius cujuspiam concilii, quæ ob venerandam antiquitatem digna sunt meo judicio, quæ hoc loco edantur, & subjiciantur.

CANONES CONCILII ANONYMI
EX ANTONII AVGVSTINI CODICE.

I.

VT comes inter honores suos rapinam C exercitus legi subjiciat.

II.

Vt imperiales homines ad colloquium sive servitium imperatoris properantes, suis stipendiis sint contenti.

III.

Vt nullus comitum *arimannos in beneficio suis hominibus tribuat.

[margin: *f. legendum herimannos. vox Franca, frequentata lib. 3. cap. cap. 14. 18. 35. 67. 68. & ibi a scholiaste pro tributo usurpari ponitur: sed hic pro persona.]

IV.

Vt homines comitum, nullatenus in domibus arimannorum resideant, sed domos D reipublicæ instaurent, ibique resideant.

V.

Vt scriptoribus publicis, nullatenus interdicatur res arimannorum transcribere, si quando eis fuerit opportunum. Quod si occasione *vitandi exercitus, aut placitum, venditæ fuerint, & ipsi eas pendere supersederint, exigatur ab eis utrumque, sicut ante transcriptionem.

[margin: *al. victandi]

VI.

Vt ipsi arimanni frequentius, quam in lege statutum est, ad placitum ire non cogantur, nec a comitibus, nec a sculdahisiis.

VII.

E Vt bannum missi exercitus imperialis solummodo exigant.

VIII.

Vt pastus imperatoris ab episcopis & comitibus secundum antiquam consuetudinem solvatur. Quod si novo tempore fiscus comitialis in jus ecclesiasticum conversus est, augeatur stipendium imperiale ab ecclesia, juxta quod res publicæ fuerint minoratæ.

IX.

Vt omnis decimatio ab episcopo, vel his

Anno Christi 904.

his qui ab eo ſubſtituti ſunt, præbeatur; nulluſque eam ad ſuam capellam, niſi forte conceſſione epiſcopi, conferat. Quod ſi fecisse contigerit, primum legibus ſubjaceat humanis, poſtea excommunicatione populi conſtrictus, ad ultimum ipſa capella, quæ magis contentionem quam utilitatem aliquam præſtat, deſtruatur.

X.

Vt plebes eccleſiæ nullatenus, aut comitibus, aut epiſcoporum vaſſalis, aut ullis laicis in beneficia tribuantur.

XI.

Vt in domibus eccleſiarum, neque miſſus, neque comes, vel judex, quaſi pro conſuetudine, neque placitum, neque hoſpitium vendicent; ſed in publicis vicis domos conſtituant, in quibus placitum teneant, & ſecundum antiquam conſuetudinem hoſpitentur.

XII.

Vt ſingulæ plebes archipreſbyterum habeant. propter aſſiduam ergo populi Dei curam ſingulis plebibus archipreſbyteros præeſſe volumus, qui non ſolum imperiti vulgi ſolicitudinem gerant, verum etiam eorum presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumſpectione cuſtodiant, & qua unuſquiſque induſtria divinum opus exerceat, epiſcopo ſuo renuntient; nec obtendat epiſcopus, non egere plebem archipresbytero. Quod ſi ipſe gubernare valeat, quia eſt valde idoneus, decet tamen, ut partiatur onera ſua, & ſicut ipſe matrici præeſt, ita presbyteri præſint plebibus, ut in nullo titubet eccleſiaſtica ſolicitudo. Cuncta tamen ad epiſcopum referant, nec aliquid contra eius decretum ordinare præſumant.

Anno Christi 904.

[a]CONCILIUM RAVENNATE

LXXIV. EPISCOPORUM IN EADEM CAUSA Formoſi & Stephani Romanorum pontificum, anno domini DCCCCIV. celebratum, tempore Ioannis papæ IX. & Lamberti imperatoris.

Prælocutio pontificis.

QUIA divina inſpirante miſericordia veſtra nobiſcum convenit fraternitas, ut nutu ſancti Spiritus, qui ſuis numquam deeſt fidelibus, communi omnium veſtrum conſultu, fratres cariſſimi, ea quæ neceſſaria ſanctæ Dei eccleſiæ prævidimus, una cum ſpirituali filio noſtro, glorioſiſſimo videlicet imperatore Lamberto, & veſtro ſancto collegio, & quæ nocivo ſurculo pullulare conabantur in agro ſanctæ eccleſiæ, canonico ſarculo eradicare ſtudeamus. quæ capitulatim annotata ſunt, ſi omnibus placent, in conſpectu omnium legantur, examinentur, & examinata manibus omnium pro futura memoria roborentur, ne ulli umquam ſine ſtatus ſui periculo eadem violare liceat, ſed rata, & firma in perpetuum conſiſtant ad ſtatum & munimen ſanctæ Dei eccleſiæ, ad ſalvationem omnium fidelium per Dei miſericordiam.

Reſponſio.

Immenſas Deo ſalvatori noſtro laudes referimus, qui talem vos præfecit eccleſiæ ejus opportunitatem decernere, ut omne ab ea zizanium eradicare conemini, prout in hac S. ſynodo cunctis nationibus apertis declaratur indiciis. Capitula etiam quæ pro generali omnium cautela ad robur & munimen ſanctæ eccleſiæ conſcripta ſunt, ſi veſtræ placet pietati, legantur, qualiter per ea omnes doceamur, quæ obſervare, vel quæ cavere debeamus, ne in aliquo a regulis ſanctorum patrum (quod Deus avertat) deviare inveniamur.

CAPITULA.

I.

Si quis ſanctorum patrum regulas contempſerit, & glorioſiſſimorum imperatorum, Caroli videlicet Magni imperatoris, & Ludovici, atque Lotharii, necnon & filii eius Ludovici, quæ de eccleſiaſticis decimis in eorum capitularibus ſtatuta atque ſancita ſunt, non obſervaverit: & qui dat, & qui recipit, autoritate ſanctæ ſedis apoſtolicæ, & ſanctione ſanctæ ſynodi excommunicationi ſubiaceat.

Imperator autem iſta ſervanda propoſuit.

II.

Si quis Romanus, cuiuſcumque ſit ordinis, ſive de clero, ſive de ſenatu, ſeu de quocumque ordine, gratis ad noſtram imperialem maieſtatem venire voluerit, aut neceſſitate compulſus ad nos voluerit proclamare, nullus eis contradicere præſumat, & neque eorum res quiſpiam invadere, vel deprædari, aut eorum perſonas in eundo, vel redeundo, vel morando, inquietare præſumat, donec liceat imperatoriæ poteſtati eorum cauſas, aut perſonas, *aut per miſſos noſtros deliberare. Qui autem eos inquietare, eundo, redeundo, vel morando, tentaverit, vel eorum quidpiam rerum auferre: poſtquam per noſtram miſericordiam ſe proclamaverint, imperialis ultionis indignationem incurrat.

*f. deeſt aut per nos,

III.

Vt privilegium ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quod a priſcis temporibus per piiſſimos imperatores ſtabilitum eſt, atque firmatum, ita nunc a nobis firmetur, & diebus noſtris, ſicut condecet, immutilatum ſervetur, & ſancta Romana eccleſia mater noſtra exaltetur, protegatur, ac defendatur, quoad imperii noſtri eſt.

Pontifex his ſubiicit iſta.

IV.

Vt ſynodus, quæ veſtris temporibus in baſilica beati Petri apoſtoli, pro nonnullis malis eradicandis, & maxime pro cauſa domni Formoſi ſanctiſ. papæ acta eſt, veſtro imperiali

Aprobatur ſynodus habita in cauſa Formoſi papæ

Anno Christi 904.

imperiali consensu, & venerabilium episcoporum, & optimatum vestrorum roboretur, ac perpetualiter stabilita servetur. Quæ non invidiæ zelo, sed rectitudinis gratia canonice peracta.

V.

Vt tantæ impietates, pro quibus nos ad vos venissemus, quas etiam per territoria nostra vidimus in tractationibus, deprædationibus, incendiis, rapinis, & violentiis, a vobis diligentissime inquirantur, & prout necesse est legaliter emendentur: quoniam tanto dolore perculsi sumus talia contemplantes, quod magis mori cupieramus, quam talia in nostris diebus * cernissemus, de quibus, si emendata non fuerint, vos, & nos a summo judice distincte quæremur. Ideo petimus, & per Christum dominum adjuramus, ut talia impunita non dimittatis.

VI.

Vt pactum, quod a beatæ memoriæ vestro genitore domino VVidone, & a vobis piissimis imperatoribus, juxta præcedentem consuetudinem factum est, nunc reintegretur, & inviolatum servetur.

VII.

De locis autem, atque rebus, quæ in eodem pacto continentur, præcepta nonnulla illicita facta sunt, quæ petimus, ut in eadem synodo terminentur, & quæ non recte facta præcepta sunt, corrumpantur.

VIII.

Vt patrimonia, seu suburbana, atque massæ, & colonitiæ, necnon civitates, quæ contra rationem, quasi per præcepta largita sunt, petimus reddantur, ipsaque .....

IX.

Vestræ igitur majestati non manet incognitum, qualiter illicitas conjunctiones Romani, & Longobardi, simul & Franci, contra apostolicam, & imperialem voluntatem facere præsumpsere in territoriis beati Petri apostolorum principis: petimus, ut sicut a vestris antecessoribus imperatoribus prohibitum est, ne quoquo modo fierent, ita amodo, vestro Augustali decreto omnimodis prohibeantur, & synodaliter, ne amodo ac deinceps fieri tententur, in perpetuum firmiter statuatur atque firmetur.

X.

De hoc sane præ omnibus condolemus, quia ad tantum apostolicum culmen gratia Christi provecti, cum ecclesiam domini salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, destructam cerneremus, direximus pro illius aliqua restauratione ad trabes incidendas; sed qui directi sunt a nobis, quæ necessaria erant, ob malitiosorum hominum infestationem, facere nullo modo valuerunt. Super quibus omnibus, carissime fili, videte nobiscum, & quam sit indecens, quantamque violentiam sancta mater Romana ecclesia sit passa, medullitus considerate: & ut amodo & deinceps vestro imperiali studio ad optatum vigorem perducatur, sicut dilectissimus ejus filius, & imperator sublimissimus, operam date. Sed hoc scire vos volumus, quoniam sancta Romana ecclesia tantum est ad nihilum deducta, quod & eleemosynæ, quæ pauperibus pro sospitate vestri imperii distribui solebant, & stipendia clericorum, ac famulorum ejus, omnimodis sunt evacuata: pro quibus vero ad stabilitatem imperii vestri magis vos oportet cum vestris fidelibus prudenter tractare, ut, sicut prædiximus, alicui restaurationi ipsius, quæ nimium est afflicta, operam detis.

His lectis, papa ad episcopos conversus sic perorat:

Quia vestra omnium fraternitas concordi voce sibi placere profitetur quæ Christi Dei nostri gratia inspirante præfiximus: hortamur, ut secundum debitam solicitudinem commissæ sibi a Deo ecclesiæ curam unusquisque vestrum agere studeat, & gregem Christi sanguine redemptum bonis exemplis, ac salutaribus documentis instruat, habens semper præ oculis illum tremendum judicem, qui suum sacratissimum sanguinem pro omnibus fudit, ut cum ante ipsius tribunal steteritis, unicuique vestrum dicat: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui.* Matth. 25.

Cumque Deo auxiliante ad propria veneritis, jejunium indicite, litaniam celebrate, rogantes, & obsecrantes pium & misericordem dominum, ut furorem mitiget, iram a populo avertat, pacem tribuat, schismata & seditiones comprimat, discordiam auferat, retroacta peccata tergat, & miserando aboleat; quatenus indultis omnibus delictis, misericordiam rogantibus largiatur, & ad protectionem & exaltationem sanctæ suæ ecclesiæ spiritualem filium nostrum, excellentissimum scilicet imperatorem Lambertum, conservet, & superbarum gentium illi colla subjiciat sua potenti dextera Iesus Christus dominus noster, cui est cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

NOTA SEVERINI BINII.

Hujus concilii Ravennatis meminit Sigebertus anno 909. his verbis: *Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem, quem Stephanus papa deposuerat, synodum 74. episcoporum præsentibus Francorum archiepiscopis, & rege, apud Ravennam statuit; & coram eis combusta est synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat.* Acta synodi ex codice Antonii Augustini Romam misso descripsit Baronius anno 904. num. 16. Qua de causa Ioannes pontifex Roma decedens Ravennam profectus fuerit, ibique pro abrogatione rerum gestarum per Stephanum prædecessorem adversus Formosum concilium plenius celebraverit, supra dictum est in vita Ioannis IX.

Anno Christi 905.

VITA ET EPISTOLÆ BENEDICTI PAPÆ IV.

BENEDICTVS IV. natione Romanus post interregnum unius diei surrogatus est Ioanni IX. anno Christi DCCCCV. tempore Lamberti imperatoris. Munificentissimus erga pauperes, viduas, & orphanos, inter horum temporum pontifices tamquam sidus quoddam lucidum emicuit. Benedictus IV quando papa factus, & qualis.

Anno

ⁿ secundo. anno pontificatus sui tertio, "qui est Christi 907". ex hac vita migravit, sepultusque est apud sanctum Petrum juxta aditum, quo itur ad sanctum Gregorium: ubi & sepulcrum ejus exornatum fuit epitaphio, quod ex Manlio exscriptum habet Baronius prædicto loco.

ⁿ 906.

EPISTOLA I. BENEDICTI PAPÆ IV. ad Galliarum episcopos, principes, &c.

Argrinum Lingonensem episcopum, in ecclesiæ suæ jura omnia restituit.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis, & sanctissimis confratribus nostris Galliarum archiepiscopis, episcopis, seu gloriosissimis regibus, ducibus, comitibus, sanctæ catholicæ, & apostolicæ ecclesiæ filiis atque fidelibus.

QUANTA pietatis gratia, quantaque compassionis, & condescensionis sublimitate, sancta mater Romana ecclesia, apostolicis instructa hortaminibus polleat, & emineat universis in fidei unitate degentibus, clarum habetur, quoniam a Deo omnis misericordiæ fulget, quemadmodum a sacratissimi fontis potu hausit. Quapropter omnibus in sanctæ conversationis gremio consistentibus notum esse volumus, legatos Argrini confratris nostri venerabilis episcopi nostrum adiisse apostolatum, humiliter obsecrantes quatenus justitiæ moderamine æquitatis libramina, more prædecessorum nostrorum, & pro amore Dei, & reverentia beati Petri apostolorum principis, conferremus, suumque electionis ordinem, decretumque a populo & clero Lingonensis ecclesiæ digestum, quod præ manibus habebant, clementiæ vestræ adtenderemus, quod & fecimus, in omnibus servata servare curantes: videlicet qualiter a clero & populo præfata Lingonensis ecclesia post discessum Gerlonis quondam episcopi unanimiter expetitus, concorditer electus, & acclamatus, necnon a proprio metropolitano Aureliano, & ab ejus suffraganeis, & a Bernuino Viennensi archiepiscopo canonice consecratus, & in ipsa sede Lingonica communi voto ac desiderio inthronizatus extitit, & quomodo per spatium duorum annorum, & trium mensium, eamdem prout potuit pastorali moderamine rexit ecclesiam: sed postea per quorumdam hominum insolentiam, & subreptionem, a propria sequestratus fuerit ecclesia tempore VVidonis imperatoris, qui tunc Romanis imperabat. Peractis autem liquidius annis, cum frequenter hanc sanctam Romanam ecclesiam infortunii sui causa visitaret, & semper lacrymabiliter, ut ei sinum misericordiæ hæc aperire dignaretur, deposceret: pervenit ad prædecessoris nostri piæ recordationis Ioannis papę præsentiam cum ecclesię suæ lacrymosis querimoniis, qui ejus absentiam, & voce & literis condolebant, scilicet quod post ejus discessum, variis & nimiis attriti incommoditatibus, omni pastorali destituti fuissent solatio, adeo ut nec chrisma confectum, nec infantes consignati in ipsa Lingonensi ecclesia fuerint, nec aliquod episcopale ministerium rite peractum: unde etiam dictus Ioannes sanctissimus papa, ejus querimoniam ecclesiæ suæ benigne suscipiens, cum collegio episcoporum suorum, reliquorumque ordinum frequentia diligenter inquisivit, canoniceque definivit, quatenus ei apostolica autoritate sua redderetur ecclesia, quemadmodum in scrinio sanctæ Romanæ ecclesiæ plenius habetur. Nos vero his auditis, & diligenti examinatione perpensis, prædecessoris nostri Ioannis papæ statuta in omnibus servare cupientes, quia rationis hujus series indiscussa, & irrefragabiliter determinanda, absque reverendorum episcoporum consilio, perfectionis cumulum capere non poterat: sanctam convocavimus in Lateranense palatium synodum, omniaque ista vera esse omnimodis comprobantes, consilio & hortamine reverendorum patrum nobis adsistentium, jura ei indulsimus ecclesiastica, scilicet ut quia injusto a sua ecclesia privatus fuerat ordine, justo etiam redderetur moderamine, nostroque apostolico privilegio solenniter munitus, Lingonensem canonice deinceps absque alicujus contradictione teneret ecclesiam, pastoraliterque regeret, atque Deo ordinante disponeret. Non sententiam prædecessoris nostri Stephani papæ reprehendentes, sed canonice causa necessitaris & utilitatis, in melius commutantes, quemadmodum prædecessores nostros de multis egisse manifestum est. Quamobrem autoritatis nostræ privilegium, ei fieri jussimus, in quo pallii usum ad missarum solennia sacratis diebus illi concessimus, quod olim a sanctissimo prædecessore nostro Formoso papa acceperat. Quapropter virtute sancti Spiritus, & nostra apostolica autoritate præcipimus, ut nulla potestas regalis, nullusque* conditionis, vel ordinis, sexus, contra hoc nostrum apostolicum privilegium insurgere audeat, nostrisque jussionibus, ullo modo contraire pertentet: sed liceat ei quiete suam domino juvante regere ecclesiam, ut quibus præesse debet, valeat & prodesse. Si quis vero hujus privilegii nostri temerarius transgressor extiterit, & in omnibus non observaverit, & de rebus jam fatæ Lingonensis ecclesiæ juste acquisitis, aliquid invaserit, aut minorare tentaverit, sciat se a vivifico domini & salvatoris nostri Iesu Christi corpore & sanguine alienum, & a consortio fidelium Christianorum, sequestratum, & nisi correptus satisfecerit, perpetuo anathemate damnatum. Bene valete.

Scriptum per manum Sergii, sanctæ Romanæ ecclesiæ scriniarii, in mense Augusto, indictione III. data II. Kal. Septembris, per manum Leonis Dei pietate primicerii sanctæ sedis apostolicæ, anno * domini Benedicti papæ primo. Anno II. post obitum Landeberti imperatoris Augusti, indictione III.

EPISTOLA II. BENEDICTI PAPÆ IV. AD CLERUM, ET POPULUM LINGONENSEM. de eodem argumento.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, clero & plebi sanctæ Lingonensis ecclesiæ.

APOSTOLICA nos, & euangelica instituta incessanter admonent, ut omnium ecclesiarum curam sollicite gerere debeamus, ipsa nos instruente, nobisque in beato Petro apostolorum principe, præcipiente veritate, qui dicit: *Simon Ioannis diligis me? pasce oves meas.* Ioan. 21. Cujus autoritate, & vicaricatione divina, dispositione freti, cunctis & in prosperitatibus congaudere, & in necessitatibus opem ferre parati sumus. Et quia lex Dei per Moysen data præcipit: *Si*, inquiens, *videris asinum proximi tui sub onere jacentem, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Exod. 23. Scrutata vestra calamitate, vestraque discrimina continua, non sine maximo mœrore admirando, suscepimus, quod infra tot dierum temporumque spatia vestram nobis injuriam custos hominum solicitudo minime patefecit.

patefecit. Nunc ergo quia ficut per veftra fcripta didicimus, Teutbaldus neque a vobis expetitus, neque electus, neque acclamatus eft, fed nec ad aliquos facros ordines in veftra ecclefia provectus, ficut hoc veris approbare poteftis indicijs, & ita fe res habet, ficut prędeceffori noftro piæ recordationis Ioanni papæ iamdudum innotuiftis: non nobis videtur effe incongruum, fed potius omni facra & canonica auctoritate fulcitum, more prædecefforum noftrorum fententiam mutando in melius, ut de multis exemplis evidentiffimis approbare poffumus. Ideo Argrinum paftorem veftrum a vobis unanimiter electum & expetitum vobis canonice præeffe concedimus; quem, ficut dicitis, vtique patet inconfiderate fuiffe per fubreptionem a vobis expulfum: præcipientes, ut digna ac competenti illum reverentia recipiatis, atque ficut proprio epifcopo obedientes in omnibus exiftentes, & eius alloquio & confolatione noftra autoritate fruamini, ac veluti eo tanto paftore reddito & a vobis recepto, in domino vobifcum congratulemini. Sane quia omnibus ecclefiis ius intemeratum legemque canonicam inviolabiliter confervare volumus: ecclefiæ veftræ nequaquam vim inferre debemus, nec aliquod præiudicium imponere quærimus, fed in omnibus canonicam autoritatem & prifcam electionem immutilatam effe cenfemus. Bene valete.

Data 2. Kal. Septembris, per manum Sergij fcriniarij fanctæ Romanæ ecclefiæ. Indictione tertia.

LEGES ECCLESIASTICÆ

ANNO HRISTI 905. l 906.

EDVARDI SENIORIS REGIS ANGLIÆ, & Guthurni regis Danorum in Eaftanglia, *&c.* ab Aluredo Magno & Guthurno regibus primum conditæ, & nunc denuo ab Eduardo filio ejufdem Aluredi & Guthurno fœdus ineuntibus, Intingfordæ ut videtur, confirmatæ.

TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM.

PROOEMIVM.

HÆc ea funt fenatufconfulta ac inftituta, quæ primo Aluredus & Guthurnus reges, deinde Edouardus & Guthurnus reges, illis ipfis temporibus tulere, cum pacis fœdus Daci & Angli ferierunt, ac fefe mutuo amplexi funt, quæque poftea a fapientibus recitata fæpius, atque ad communem regni utilitatem aucta, atque amplificata funt.

Ante omnia, Deum unum, fpreto omni ac repudiato cultu barbaro, augufte fancteque venerandum propofuerunt: tum leges humanas [propterea quod pro explorato haberent nolle fine his quamplurimos in officio contineri fuo, aut ecclefiafticæ morem gerere difciplinæ] confcribendas curarunt, eafque Chrifto cum rege communes

A promulgarunt, his ut eorum coerceretur temeritas, qui epifcopi imperata obire noluerint.

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

Hoc igitur primo decreverunt, ut ecclefiæ pax intra fuos parietes, eaque, quæ eft manu regis tradita, tranquillitas, pie inviolateque ferventur.

II.

Porro autem fi quis Chriftianam fidem exuerit, adeoque dictis aut factis cultum promoverit barbarum, capitis æftimatione, mulcta, aut ipfa legis violatæ pœna, prout ipfa feret facti ratio, culpa B penfator.

III.

Si quis facris initiatus clepferit, dimicarit, peierarit, aut fornicatus fuerit: capitis æftimatione, mulcta, aut legis violatæ pœna, pro ipfa delicti ratione compenfato: Deo faltem, prout fe regulæ habuerint ecclefiafticæ, faciat fatis, atque in cuftodiam, ni fideiuffores admoverit, coniicitor. Sacerdos fi in diebus feftis, aut ieiuniis populo indicendis erraverit, 30. folidis, fi quidem id inter Anglos evenerit, mulctator: fin idem in Dacis acciderit, fefquimarcam pendito. Sacerdos fi ad dies in hoc condictos oleum non pararit facrofanctum, aut baptifma, cum vfus fuerit, denegarit, inter An- C glos mulctator; in Dacis autem, legis violatæ pœnas luito, Oras nimirum duodenas numerato. Si quis facris initiatus capitale quidquam perpetrarit, capitor, ut tandem epifcopo criminis admiffi pœnas dependat.

IV.

Præterea autem fapientibus vifum eft, ut qui fœdo fe polluerint inceftu, eorum qui fuerit fuperior rex habeat inferiorem epifcopus, ni citius cumulate Deo & hominibus compenfarint, & quod fuerit eis ab epifcopo indictum, confecerint. Si duo fratres germani, aliive fanguinis neceffitate iuncti, cum vna eademque uxore rem habuerint, capitis æftimatione, mulcta, aut legis violatæ pœ- D na, prout æquum fuerit, ipfaque feret facti ratio, compenfanto.

V.

Si quis rei capitalis damnatus, fua ingenue facerdoti peccata confiteri cupiverit, id ei conceditor. Omnes autem ftudiofe ac fedulo iura omnia divina provehunto, ita uti divinam mifericordiam confequantur, atque has a fapientibus irrogatas fontibus pœnas declinent.

VI.

Dacus fi decimas non dederit, legis violatæ pœnas folvito, Anglus mulctator. Dacus fi debitum Romæ nummum retinuerit, legis violatæ pœnam E fubito, Anglus mulcta afficitor. Dacorum quifquam fi ad candelas nummum non dederit, iuris violati pœnas luito, Anglus plectitor. Dacus fi iuftam nomine aratri eleemofynam non foluerit, ruptæ legis pœnam dependito; Anglo autem, fi quid delinquitur, mulcta irrogator. Dacus fi iura, aut officia quæcumque divina fuppreſſerit, aut retinuerit, legis violatæ pœnam dependito, Anglus mulctator. Si quis contumaciter obfiftendo, alium iura atque officia divina petentem vulneravit, capitale efto: fin mortem obtulerit, ab omni legis patrocinio deftitutus habetor, eumque omnes iuftitiæ cultores vel invitum ac læfum capiunto. Atque fi eum fuapte culpa juri divino aut regio fe opponentem morte occubuiffe liquido confirmetur, propterea nequidquam penditor.

VII.

Dacus si die dominico quidquam fuerit mercatus, re ipsa, & Oris præterea duodecim mulctator; Anglus 30. solidos numerato. Liber, si die quocumque festo operis quidquam fecerit, aut servituti subiaceto; aut mulctam, legisque violatæ pœnam dependito: servus vapulato, aut precio, virgarum metum redimito. Dacus si servo suo invito opus addixerit die quocumque festo, rupti iuris pœnam dato, Anglus mulcta afficitor.

VIII.

Liber si indictum ieiunium cibo sumpto dissolverit, & mulcta, & ipsa legis violatæ pœna plectitor: servus vapulato, aut precio redimito.

IX.

Porro autem festis diebus omnibus, & legitimis ieiuniis, ordalium nullus ingreditor, neve ad iusiurandum addicitor. Dacorum si quis contra fecerit, legis violatæ pœnas dato, Anglus mulcta plectitor. Nemo, quoad ejus fieri poterit, cujuscumque sceleris admissi conscius, die dominico morti obiicitor: verum comprehensus, usque dum dies festus transierit, tenetor.

X.

Si cui membrum corporis sceleris admissi causa præcidatur, isque tres noctes superstes fuerit, quisque deinceps impune, impetrata tamen ab episcopo venia, aut eius vulneri medicinam, aut animo consolationem adhibeat.

XI.

Sagæ, ariolantes mulierculæ, periuriosæ, pestiferæ, & meretrices fœdæ, ac flagitiosæ, sicubi deprehendantur, a finibus regni, ut pura & integra plebs sit, relegentur, aut in regno, ni ab illa mente destiterint, ac cumulatius compensarint, male pereunto.

XII.

Si quis sacris initiatus, incolave, in iis quæ ad fortunas, vitamve eius spectarint, decipiatur: tum ei nationis illius rex, aut satrapes, & episcopus loco cognatorum, & patroni sunto, ni is aliunde habuerit. Fraudator vero, prout feret maleficii ratio, Deo & regi satisfacito, aut graves, qui est regionis illius princeps, sceleris admissi pœnas repetito.

Desiderantur nonnulla.

** CONCILIVM ROMANVM IN LATERANENSI BASILICA A BENEDICTO Papa IV. habitum anno Domini DCCCCVI.

HVius concilii acta & monumenta nulla supersunt, præter priorem Benedicti epistolam superius descriptam: in qua sanctam synodum a se convocatam ait in Lateranense palatium, deque eius consilio Argrinum Langonensem episcopum iniuste ab ecclesia sua pulsum, in eandem se restituere. Hanc epistolam consule: ex qua etiam intelliges, habitum a Ioanne Benedicti decessore in eadem causa episcoporum concilium, in quo canonice definitum est, ut sua Argrino redderetur ecclesia. Quod an gestum in Romano Concilio anni 904. in causa Formosi habito, an in alio quopiam, mihi non liquet. Quo factum est, ut peculiare hac de re Concilium sub Ioanne IX. annotare noluerim.

VITA LEONIS PAPÆ V.

ANNO CHRISTI 906. Leo V. quando papa factus.

LEO V. patria Ardeatinus subrogatus est in locum Benedicti quarti anno Domini 907. " tempore Lamberti imperatoris. Cumque quadraginta dies ecclesiam gubernasset, pulsus a pontificatu, detrusus est in carcerem per Christophorum sedis apostolicæ invasorem, anno eodem haud dubie quo pontificatum adeptus fuit.

A

VITA CHRISTOPHORI PAPÆ.

Christophorus invasor & pontifex.

CHRISTOPHORVS invasor sedis apostolicæ, pari modo ab invasore Sergio pontificatu deiicitur, quo ille prædecessorem suum Leonem quintum legitime electum sede sua amoverat. Nam cum septem menses sedem pontificiam tenuisset, dejectus est e sede violenter per Sergium, strictusque vinculis, & in carcerem trusus, per vim inductus vitam & habitum monasticum suscepit.

** DIPLOMA CHRISTOPHORI PAPÆ IN CONFIRMATIONEM PRIVILEGIORVM abbatiæ Corbeiensis in diœcesi Ambianensi.

B

Christophorus episcopus servus servorum Dei, universis episcopis Galliarum.

Ex D[ache]. Dacheri tom V spicileg.

CVM Romanæ sedis pontificem constet omnium ecclesiarum Christi caput fore, ac si beati Petri apostolorum principis vices agentem, cui Christus ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum*: nulli cunctandum est quod cunctæ ecclesiæ paci, saluti, & quieti prospicere nos oporteat, præcipue tamen his, qui ad nos necessitatis suæ causas deferre voluerint. Vnde cognoscat omnium sanctorum Galliæ præsulum carissima fraternitas, quod vir venerabilis Franco abbas ex monasterio Corbeiæ provinciæ Galliarum, quod est constructum in pago Ambianensi super fluvium Sommam, adiit nos per venerabilem coepiscopum nostrum Orgarium, petens ut nostræ autoritatis privilegio præcepta vel edicta regum & imperatorum antiquis aut modernis temporibus eidem loco concessa firmaremus, necnon privilegia episcoporum, unum a præsule Ambianensi Bertefrido, ad cujus diœcesim locus ipse pertinet, & coepiscopis suis factum, & primitus ædificato suo monasterio datum; aliud longe postea regnante Carolo, ab Hincmaro Remensi archiepiscopo, & universali Concilio episcoporum Galliæ conscriptum: præterea privilegia beatæ memoriæ Benedicti & Nicolai prædecessorum nostrorum: in quibus omnibus statutum est, ut præfatum monasterium Corbeiæ, rerum suarum liberam obtineat dominationem, & eligendi sibi abbatem de suis semper habeat potestatem: contradictores vero & repugnantes huic sanctioni, anathemate damnandos. Qua de re noverit omnis cœtus episcoporum Galliæ, quod privilegia sanctorum episcoporum Galliæ, sive sedis Romanæ, cui autore Deo præsidemus, jam dicto monasterio Corbeiæ concessa, nostræ autoritatis edicto roboramus; & omnem resistentem, divino judicio damnandum denuntiamus. Super hæc autem jam dictus abbas Franco cum congregatione sibi commissa obsecrat, ut quia divina decernente justitia, piratarum sævitia, maritima Galliæ loca, in quibus & ipsum monasterium situm est, adeo devastantur, ut nulli extra munitiones manenti liber relinquatur locus, cujus etiam vastitatis impulsu cogente, sæpe memoratum monasterium muro munitum est: quatenus idem, sicut prius, in abbatis & fratrum potestate perpetuo maneat, ita ut neque comes, nec quilibet judex, aut manendi, aut aliquid contra voluntatem abbatis & fratrum inibi agendi potestatem præsumere audeat; ne forte concessa ab initio privilegia violentur. Quorum petitionem justam & pro tempore opportunam judicantes

Anno Christi 906.

cantes decernimus, ne aliqua sive ecclesiastica, sive sæcularis persona contra roborata nostra autoritate privilegia venire audeat; sed sicut hactenus, ita deinceps in futurum inconvulsa permaneant. Et quia præteritorum casus nos cautos faciunt in futurum, omnem huic sanctæ autoritati renitentem, nisi eis, quos læsit, digne satisfecerit, alienum a cœtu fidelium & hic & in futuro decernimus: omnes vero his nostris sancti scilicet Petri successoris decretis faventes, gratiæ suæ ubertate dominus replere dignetur.

Scriptum per manum Sergii scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Decembri, indictione XI. septimo Kal. Ianuarii, imperante domno nostro piissimo augusto Ludovico a Deo coronato imperatore sanctissimo. Valete.

VITA SERGII PAPÆ III.

Sergius invasor sedis apostolicæ.

SERGIUS ille nefandus Adelberti Tusciæ marchionis armis potentissimis fretus, homo vitiorum omnium servus, omniumque facinorosissimus, qui una cum Stephano sexto in Formosum papam supra modum sævierat, sedem Christophori, non Formosi, ut memoria lapsus asseruit Luitprandus, invasit, adeoque ab omnibus non legitimus pontifex, sed invasor sedis apostolicæ est habitus. Ex presbytero, non ex diacono, vel episcopo, ut habent Luitprandus & Sigebertus, factum esse pontificem indicant acta Concilii Romani sub Ioanne IX. celebrati. Ambitione sedis apostolicæ ad Francos se contulit, ait Sigebertus, & eorum auxilio Christophorum invasorem capiens, & in carcerem trudens, latenter Romam ingressus, papatum invasit, & Romanos minis ac terroribus perpulit, ut omnes ordinationes Formosi irritas haberent. Eumdem etiam ordinatos a Formoso papa exordinasse, novasque eorumdem ordinationes superinduxisse, testatur Auxilius apud Sigebertum in dialogo, quem hoc tempore contra intestinam discordiam Romanæ ecclesiæ de ordinationibus & exordinationibus Romanorum pontificum, aliorumque ab iis ordinatorum, scripsit. Ne quis vero pusillanimis ex hoc facto scandalum accipiat, meminerit patrata esse hæc ab invasoribus & intrusis, pontificis nomen usurpantibus, & illegitime thronum apostolicum invadentibus, quique censura ecclesiæ non tam apostolici, quam apostatici erant nominandi: qui autem legitime creati sunt Romani pontifices, ut Ioannes IX. ista vehementer sunt execrati. Unde non est mirandum, quod Sergius cum Stephano sedis apostolicæ invasore potentissimo, ea quæ sacris legibus inconcessa sunt, tentaverit & usurpaverit. Alienorum invasor, grassator est; at quis ab isto justa legitimaque omnia requirat? Et licet, quod mirandum est, Sergius talis fuerit, & ad sacrilegium nefandum turpissimam impudicitiam addiderit, & ex Marozia, nobilissimi illius scorti Theodoræ, de qua ex Luitprando libro secundo cap. decimotertio infra sæpius, filia, filium Ioannem nomine procreaverit: tamen eo honoris & reverentiæ fideles omnes, præsertim longe positi Boreales populi, prosequebantur Romanam ecclesiam, ut quemcumque in ea sedentem audirent nomine tenus pontificem, eumdem, mirum dictu, nulla habita discussione ejus ingressus, ut Petrum colerent. Nam ab hoc Sergio Coloniensem & Hamburgensem pallia accepisse testatur Crantzius libro tertio historiæ ecclesiasticæ cap. I. Bremensem ecclesiam a potestate & jurisdictione Coloniensis, aliter quam autoritate Formosi papæ in Concilio Triburiensi statutum fuerat, plane exemptam fuisse scribit Adam lib. I. cap. 42. Unde nemo non intelligit, quanta providentia ecclesiam universam Deus optimus regat & gubernet, quæ cum meretricum arbitrio inflammaretur, omnia mala & scandala increbrescerent, magnoque schismate scindenda metueretur, eamdem ab hæresi & schismate omni ita defenderit, ut potius omnes ubique gentium fideles eidem fidei vinculo & obedientiæ fœdere juncti persisterent, firmiterque adhærerent. Postquam triennio sedem invasam occupasset, defunctus est anno Domini 910. ut infra patebit ex initio pontificatus Ioannis X.

Christophorum deposuit.

An factum Sergii privilegio & autoritati ecclesiæ præjudicet.

Sergius impudicus.

Providentia Dei erga ecclesiam.

**IUDICIUM EPISCOPORUM ANNO CHRISTI DCCCCVI.

Anno Christi 906.

In controversia canonicorum sancti Vincentii Matiscon. & monachorum " S. Eugendi.

" S Oyant.

Ex Severtii Chronol.

ANNO incarnationis dominicæ DCCCCVI. cum venissent sacri pontifices, Austerius Lugdunensis archiepiscopus, & Gerardus Matisconensis episcopus, ad ecclesiam sancti Eugendi supra fluvium qui vocatur Borbontia: orta est ante illos proclamatio non modica canonicorum sancti Vincentii Matisconensis: Folcoldi videlicet præpositi, & reliquorum inibi commorantium, ex quadam capella, quæ erat fundata in honore Dei & sancti Vincentii in villa Gerii in curtile S. Albani sita, quam Bertericus in stipendia canonicorum contulit. E contra vero monachi S. Eugendi, monasterii Lurensis, dicebant quod privilegium sibi factum a domino Lamberto pontifice habebant, promittentes ostendere; nec demonstrare potuerunt...... Actum regnante Carolo.

**CONCILIA DUO NARBONENSIS PROVINCIÆ.

Anno Christi 906.

ANNO domini DCCCCVI. Barcinone celebratum est concilium, cui præfuit Arnustus archiepiscopus Narbonensis, episcopi septem interfuerunt. Quo in consilio disputatum est, utrum Ausonensis ecclesia tributaria esse deberet ecclesiæ Narbonensis.

Anno DCCCCVII. apud S. Tiberium in diœcesi Agathensi aliud eadem in causa coactum est concilium, cui præfuit idem Arnustus Narbonensis archiepiscopus, & episcopi novem interfuerunt. In eo terminata est causa episcopi Ausonensis; decretumque, Ausonensem ecclesiam liberam in posterum fore a tributo quod pendebat ecclesiæ Narbonensi. Cui decreto sponte consensit Arnustus. & 907.

Brevem hanc conciliorum istorum summam excerpsit Petrus de Marca Parisiensis archiepiscopus, ex eorum actis quæ sunt in Ausonensis ecclesiæ tabulario.

ANNO CHRISTI 909.

*** CONCILIVM MAGALONENSE APVD IVNCARIAS.

Anno Christi DCCCCIX. v. Non. Maii, ab Arnusto Narbonensi archiepiscopo, cum episcopis decem celebratum. In quo Sinuarius comes cum omni familia sua solennem absolutionem & benedictionem accepit.

Lacunas quasdam supplevimus, partim ex fragmento Sirmondi tom. III. partim ex altero quod edidit Catellus lib. I. Comment. Occit.

DISPOSITIONE arcessiti divina, anno incarnationis herilis verbigenæ DCCCCIX. Indict. XII. v. Non. Maii in regno Septimaniæ, territorio Magalonensi, loco Iuncarias vocato, in ecclesia sancti Vincentii: nos perhumiles Septimaniæ, Hispaniæ, atque Provinciæ, Iesu Christi servi; Arnustus videlicet sanctę ecclesię primę Narbonæ metropolitanus, Amelius Vzeticensis, Gimara Carcassensis, Reginardus Bitterrensis, Nantigisus Vrgellitanus, Autgarius Lutovensis, Gerardus Agathensis, Vcbertus Nemausensis, Gontarius Magalonensis, Benedictus Forojuliensis: item Reginardus Cavallicensis: una cum immensa congregatione nobis commissa; absolvimus, & benedicimus Sinuarium comitem cum cæteris comitibus filiis suis, simulque cum uxoribus, & cunctis suis fidelibus, si tamen ita peregerint, sicuti per dominum metropolitanum supra nominatum audivimus, ut honor & decus qui sub tanto regimine debet esse omni tempore, cum magna religione observetur. Prævideat namque ipse archipræsul, ut in visceribus eorum nulla machinamenta, nulla fallacia diaboli remaneat; & postea caput vestrum pari consilio taliter absolvat, & benedicat. Veniantque super vos universæ benedictiones novi & veteris testamenti, & apprehendant vos: & omnes maledictiones, quas dudum intulimus super vos, diutissime auferantur a vobis. Benedicti vos in civitate, & benedicti in agro. Benedictus fructus ventris vestri, & fructus terræ vestræ, fructusque vinearum vestrarum, greges armentorum vestrorum, & caulæ ovium vestrarum. Benedicta horrea vestra, & benedictę reliquiæ vestræ: benedicti eritis ingredientes & egredientes. Emittat dominus benedictionem super cellaria vestra, & super omnia opera manuum vestrarum. Abundare faciat vobis dominus omnibus bonis. Aperiat dominus thesaurum suum optimum, & tribuat pluviam terræ vestrę congruo tempore. Benedicat dominus operibus manuum vestrarum; & constituat vos in caput, & non in caudam; & sitis semper supra, & non subtus: domos ædificetis, & habitetis in eis longævo tempore: plantetis vineas, & fructum earum colligere faciatis, sementem modicam faciatis in terram, & multum ex ea congregetis in horrea vestra: omnes arbores & fruges terræ vestræ rubigo non consumat: perenniter feliciterque consenescatis, & cum Michael archägelo ad portas paradisi illæsi pervenire mereamini, præstante domino.

Arnustus sanctæ Narbonensis ecclesiæ episcopus subscripsit.

Amelius Vzeticensis ecclesiæ humilis episcopus subscripsit.

Geraldus humilis Agathensis episcopus subscripsit.

Nantigisus Vrgellitanæ ecclesiæ episcopus subscr.

Reginardus [1] sanctæ Biterrensis ecclesiæ episcopus subscripsit.

Vgbertus [2] sanctæ Nemausensis ecclesiæ episcopus subscripsit.

Gunterius [3] episcopus [4] subscripsit.

Gimara Carcassensis ecclesiæ episcopus subscripsit.

Audgarius [5] sanctæ Lutovensis ecclesiæ episcopus subscripsit.

Benedictus sanctæ Forojuliensis ecclesiæ episcopus subscripsit.

Item Reginardus sanctæ Cavallicensis ecclesiæ humilis episcopus subscripsit.

1 Reginaldus.
2 Vvicbertus, & Hucbertus.
3 Gontarius.
4 Magalonensis.
5 Autgarius.

OBSERVATIO GABR. COSSARTII S.I.

Concilii hujus exemplum, ut & Portuensis anni 897. nacti sumus beneficio illustrissimi & eruditissimi Francisci Bosqueti episcopi Monspeliensis. Breve tantum illius fragmentum repererat Sirmondus noster; & illud quidem tum in loci, tum in temporis nota, omnino mendosum. Nam & locum Iuniarias vocabat literæ unius mutatione, & annum designabat 894. Quo factum est, ut Gallię Christianæ autores, episcopos omnes, quorum hic subscripta sunt nomina, ad hunc annum alligarint: prudenter quidem, sed minus feliciter, pessimi codicis vitio.

Porro Iuncariæ, sive Iuncheriæ, locus est in agro Magalonensi a iuncorum copia sic dictus: ubi visuntur hodieque partim reliquiæ, partim rudera magnificentissimæ ecclesię sancti Vincentii, in qua hoc concilium habitum.

Sinuarius vero comes quo hic crimine absolvatur, incompertum nobis est. Eum in concilio Tricassino a Stephano papa V. (alias VI) excommunicatum fuisse, quod Hincmaro Laudunensi eruisset oculos, refert B. Theobardi vita, a Catello in commentariis Occitanicis edita. Sed cum in vita ista multæ sunt fabulæ, tum hæc præsertim de Tricassino concilio, cui cum Odone rege (quem imperatorem vocat) interfuerit Stephanus V. qui nunquam in Gallias venit. Audierat scriptor maleferiatus excommunicatum fuisse Sinuarium, Hincmaro effossos oculos, eumdem de dejectione sua, carcere, cæcitate, proclamationem edidisse ad Ioannem VIII in concilio Tricassino: denique in concilio isto nobiles aliquot & illustres viros excommunicatos fuisse. Ex his omnibus multiplici errore corruptis, fabulam suam consarcinavit. Excommunicatum autem a Narbonensis Provinciæ episcopis Sinuarium comitem, satis intelligimus ex hujus concilii verbis: *Omnes maledictiones quas dudum intulimus super vos.* Alia excommunicationis afferri causa posset, quod fuerit fautor Selvæ Tarraconensis archiepiscopi depositi in concilio Nemausensi ad villam Portum superius edito pag 478. At Sinuarium Selvæ studuisse cum prodat B. Theodardi vita; tum eam ob rem excommunicatum minime fuisse, in eadem legimus.

[1] CONCILIVM TROSLEIANVM

APVD TROSLEIVM IN PAGO SVESSONICO ab Heriveo Remensi archiepiscopo, ejusque suffraganeis celebratum die VI. Kalendas Iulias, anno Christi DCCCCIX. Sergii papæ III. anno II. Caroli Simplicis regis XVII.

TITVLI CAPITVLORVM.

ANNO CHRISTI 909.

IX. *De accessu, & frequentatione, ac cohabitatione presbyterorum & clericorum cum feminis.*
X. *De fugiendo luxuriam.*
XI. *De perjuriis cohibendis.*
XII. *De discordantibus, iracundis, & litigiosis.*
XIII. *De homicidis & mendacibus.*
XIV. *De non diripiendis ecclesiæ rebus defuncto episcopo.*
XV. *Epilogus ad episcopos, & generaliter ad omnes.*

PRÆFATIO.

Conc. Nicæn. can. 5. SANCTVM, & Deo auctore celebratum, generaliter & sine ulla exceptione Nicænum præcipit concilium, ut omnibus simul episcopis provinciæ congregatis discutiantur quæstiones necessariæ, & quod regulariter omnibus placuerit in commune, hoc omnes tam metropolitani, quam cæteri sequantur episcopi. Simili modo & Antiochenum concilium (Conc. Antioch. can. 9. & 14.), si quæ suntagenda, peragere jubet provinciales episcopos sui consilio metropolitani, & metropolitanum consilio coepiscoporum provincialium, sicut est ibidem designatum. Et hoc non solum in causis quorumlibet fieri præcipit: sed etsi forte inter ipsos, inquit, episcopos quæstio de quolibet negotio orta fuerit, primas provinciæ judices episcopos dare debebit. Leges quoque Romanæ, & beatus papa Gregorius multoties horum judicio cognita veritate, contentiones inter ecclesiasticos viros, vel quoslibet cum ecclesiasticis personis, salubrem demonstrat finem accipere debere: ita tamen, ut in omnibus quid antiqua habeat autoritas requiratur. Vnde anno dominicæ incarnationis DCCCCIX. indictione XII. VI. Kalendas mensis Iulii, convenerunt venerabiles patres ac doctores ecclesiæ, Heriveus videlicet sanctæ metropolis Remorum archiepiscopus, totius plebis Dei famulus, & coepiscopi Remensis diœceseos, quorum nomina subter tenentur adscripta, in pago Suessonico, in loco Trosleio, de statu sanctæ ecclesiæ, ac totius regni utilitate tractaturi: & facta solenniter salutatione, omnibusque, ut mos est, ordine residentibus, archiepiscopus sic exorsus est.

Allocutio Heriveiarchiepiscopi. Quoniam per aliquot annos, partim infestatione paganorum, partim etiam gravissimis regni perturbationibus, ac quorumdam falsorum Christianorum infestationibus præpediti, juxta decreta canonum nequivimus congregari: nunc quia, annuente Domino, nobis congregandi facultas juxta decreta canonum data est, cum Dei gratia convenientibus nobis in unum, cooperante eo in cujus congregamur nomine, & qui habitare facit unanimes in domo, primo nobis & ante omnia necessarium est servare unitatem spiritus in vinculo pacis, ut unum sentiamus, & unum in Christo omnes dicamus, & secundum salutaria dicta martyris Cypriani servetur a nobis caritas animi, honor collegii, vinculum fidei, concordia sacerdotii. & ut attendentes regulares constitutiones patrum nostrorum, a metropolis suæ quisque regulari consuetudine non abducatur. Et quia secundum definitionem canonicam perfecta debet haberi synodus, in qua cum suis est suffraganeis metropolitanus, expedit atque condecet, ut quidquid boni, præveniente gratia, a qua est omne datum optimum, & omne donum perfectum, mente concipere & ore proferre valuerimus, eadem subsequente, sine qua nihil boni implere possumus, ad finem usque perfectum opere perducere satagamus. Oportet igitur ut quamprimum Christianæ religioni jam labanti, jamque velut in præcipiti vergenti, ac mundo in maligno posito vestro consilio & autoritate episcopali succurratis. Videtis quam sit evidens furor domini, & manus ejus ad feriendum extenta. Ecce enim quotannis, ex quo terram nostram ex parte ægra sterilitate damnatam aspicimus, quibus cladibus populus quotidie intereat videmus. Depopulatæ urbes, destructa vel incensa monasteria, agri in solitudinem sunt redacti. ita ut vere possimus dicere quia pervenit gladius usque ad animam. Vsque ad animam denique gladius pervenit, cum justo Dei judicio amissis exterioribus bonis, & exhausto flagellis atque afflictionibus corpore, ipsa virtus animæ lassata deficere videtur, & quasi nihil vitale in illa reservatur. Non hæc certe casu aliquo, aut e subita temporum vel elementorum mutatione contingunt, quia scriptum est: *Nihil in terra sine causa fit, & de humo non egreditur dolor.* (Iob. 5.) De humo quippe dolor non egreditur, quia, ut beatus Gregorius dicit, „ nequaquam pœna de ea nascitur „ creatura quæ percutit, sed de ea quæ peccando „ vim percussionis extorsit. Ecce enim cernimus, „ quod ad correptionem nostram expectatus imber „ arente terra frequenter suspenditur, caliginosus „ aer inardescente sole siccatur, mare procellis intumescentibus sævit, & alios ad transmeandum „ susceptos intercipit, aliis desideratum iter erecta „ in cumulum unda contradicit: terra non solum „ germine fœcunditatis imminuitur, sed etiam semina accepta consumit. In quibus nimirum cunctis „ patenter adspicitur hoc, quod quidam sapiens de „ domino testatur dicens: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* (Gregor. l. 5 Moralium c. 26.; Sap. 5.) De humo dolor non egreditur, quia elementum insensibile non ex sua natura, sed pro meritis hominum ad affligendum peccatores excitatur. Et propheta de domino dicit: *Si erit malum in civitate, quod dominus non fecit:* (Amos 3.) & ipse dominus de se per Esaiam dicit: *Ego dominus faciens pacem, & creans malum,* (Esa. 47.) hoc est otium & bellum. Hic enim malum non pro boni contrario, sed medium quiddam, id est afflictionem significat. quæ utique a domino fit, quia eo permittente peccanti populo subterducitur: ut qui in pace Deum sequi noluerunt, saltem percussionibus attriti metuant & convertantur, juxta quod scriptum est: *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* (Es. 28.) Nostris potius, & totius populi, quem regere debuimus, peccatis ista fiunt, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput, & delicta nostra creverunt usque ad cælos. Fornicatio & adulterium, sacrilegium & homicidium inundarunt, & sanguis sanguinem tetigit. Sanguis quippe sanguinem tangit, cum peccator malis suis gravius aliquod malum adjungit, nec ullum pravis actibus terminum indicit, sed juxta Apostolum in pejus quotidie proficit. Et pene est ut cum propheta Esaia ingemiscamus, dicentes ad Dominum: *Quare, Domine, errare nos fecisti de viis tuis? indurasti cor nostrum ne timeremus te? facti sumus in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.* (Esa. 63.) Cum enim Deus peccatores homines qui non solum peccant, sed etiam perseverare in peccatis eligunt, cum, inquam, tales justo judicio deserit, eosque post pravitatem mali sui cordis abire permittit, quasi ipse eos errare facit, quos nequaquam misericorditer, ut convertantur, occulta inspiratione præveniens tangit. Et sicut primi homines nulla lege, nullo saltem timore prohibebantur male agere; sed libere ventri, & delectationibus oculorum, ac cæteris vitiis serviebant: ita nunc posthabito humanarum vel divinarum legum timore, contem-

ANNO CHRISTI 909.

ptis edictis episcopalibus; unusquisque quod vult agit: potentior viribus infirmiorem opprimit, & sunt homines sicut pisces maris, qui ab invicem passim devorantur: ac calcata iniquitate abundat ac convalescit iniquitas. Hinc est quod videmus per totum mundum rapinas pauperum, deprædationes rerum ecclesiasticarum. Hinc sunt assiduæ lacrymæ, pupillorum luctus: ita ut jam clamor talium, sicut Sodomorum, ascendat ad cælum, & fiat quod per Psalmistam voce Domini dicitur: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Omnis pene ordo, omnisque status ecclesiæ confusus ac temeratus est. Denique, ne nobis parcere videamur, qui aliorum errata corrigere debemus, episcopi dicimur, sed episcopale officium non implemus. Ministerium prædicationis relinquimus: eos qui nobis commissi sunt videmus Deum deserere, & in pravis actibus jacere, & tacemus, nec eis manum correctionis tendimus: sed & si aliquando quædam dicere cœperimus, quæ carnalibus eorum animis valeant displicere, dicunt de nobis quod in euangelio Dominus de sedentibus in Moysi cathedra dixit: *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Sicque fit, ut nobis tacentibus grex Domini pereat, & per abrupta vitiorum præceps actus, luporum immanium morsibus pateat: dumque deest qui eos vitæ vias ingredi doceat, libere per devia gradiuntur erroris, & impletur in eis, quod per prophetam dicitur: *Zelus apprehendit populum ineruditum.* & alibi: *Idcirco*, inquit, *captivus abiit populus meus, quia non habuit scientiam.* Pensemus qui unquam per ministerium linguæ nostræ de perverso opere conversi pœnitentiam egerunt, quis luxuriam nostra prædicatione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit. Nobis ergo, qui nomine censemur episcopi, maxima & prope importabilis incumbit sarcina pastoralis officii, dum instat reddenda ratio negotii nobis commissi cum exactione lucri: & dum jam jamque adventus imminet illius in majestate terribili, ubi omnes cum gregibus suis venient pastores in conspectum pastoris æterni, augmentum de grege, lucrum de negotio, manipulos de segete allaturi; quid sumus acturi, hic pastores vocati, illic sine ovibus venientes, quæ valeant præsentari? hic ab eo accepto talento ad negotium missi, illic ad Dominum nostrum post negotium redeuntes vacui? hic directi in messem operarii, illic absque manipulis vacuis manibus præsentati? Pensemus ergo necesse est, quam in illo tanto examine rationem sumus reddituri, ne coram omni frequentia exercitus angelici, coramque copiosa electorum multitudine, quod absit, reddamur æternaliter confusi. Ergo considerantes & expavescentes imminens nobis de multorum perditione periculum, congregati simul in nomine Dei omnipotentis, per unicum filium ejus Dominum nostrum Iesum Christum, in virtute sancti Spiritus consulamus nobis, & commisso nobis gregi, ac de statu sanctæ ecclesiæ & regni, ac fidelitate regis nostri, sed & de statu monasteriorum, quorum antiquitus statutus ordo & religio pene deletur, de rapinis quoque & sacrilegiis: necnon de raptis & perjuriis, cæterisque flagitiis, sententiam secundum decreta sacrorum canonum & decretorum episcopalium proferamus. Et talia facientes, aut episcopali ministerio, aut pastorali exhortatione, provocemus ad pœnitentiam & emendationem, aut impœnitentes, & corrigi nolentes, gladio verbi Dei bis acuto eorum corpora & animas concidamus, & æterno illos anathemate, hoc est alienatione a Christo & ecclesia, tam in præsenti, quam in futuro plectamus, nisi vel modo resipiscant a laqueis diaboli, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem, & convertantur ad dominum vivum & verum per aliquam correctionem, & prout possibilitas tulerit, congruam emendationem.

Psal. 11.
Matth. 23.
Esa. 5.

CAPITULA.

I.

Igitur decrevimus, ut cultus atque honor ecclesiarum Dei in omnibus & ab omnibus religiose custodiatur, & digna reverentia immunitatibus earum ac ministris exhibeatur. Sed & regem ac principes condecet, ut privilegia ex antiquo ecclesiis Dei concessa roborent, & stabiliter observari jubeant: & quemadmodum ab antecedentibus regibus honoratæ, vel rebus ampliatæ, seu ditatæ fuerunt, ita de cætero sub omni integritate, salva æquitatis ratione permaneant. Sacerdotes quoque, & servi vel ancillæ Dei, vigorem ecclesiasticum obtineant, eisque regalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, ut suum ministerium digne exequi valeant, in omnibus rationabiliter & juste concurrant. Si enim rex, & sæculi potestates, Dei & ecclesiæ honorem servaverint, per hoc honor & potestas illorum augebitur, roborabitur, & stabilietur, & victoriæ illis de cælo ministrabuntur, & tam ipsi, quam successores eorum propter eos, in gloria & dignitate Deo propitio perdurabunt. Sin aliter egerint, & Deum contempserint, contemnet illos Deus, & despicabiles ac miseros reddet, & de solio regni exsufflabit, projicienturque sicut pulvis a facie terræ, juxta quod in libro regum legimus de Achab, & cæteris regibus legis Dei transgressoribus, & sicut ad Heli principem gentis Hebræorum loquitur Dominus: *Quicumque*, inquit, *glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1. Reg. 2.

II.

Et quoniam a nobis ratio exigitur omnium, & principum, & subjectorum, ab eo qui sine acceptione judicat personarum, & pro ipsis regibus regi regum sumus reddituri rationem, sermo exhortationis ad vestram, domine rex, nobis habendus est excellentiam. In quo facto pontificalem sic exerimus autoritatem, ut non obliviscamur regiam a Deo constitutam esse sublimitatem, dicente apostolo: *Subjecti estote regi, quasi præcellenti.* Sicut enim regalis potestas sacerdotali religioni se devote submittit: sic & sacerdotalis autoritas cum omni pietatis officio se regali dignitati subdere debet, sicut sanctus ostendit papa Gelasius ad Anastasium scribens imperatorem: Duo sunt, inquit, quibus principaliter mundus hic regitur, autoritas sacra pontificum, & regalis potestas: in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus in divino reddituri sunt examine rationem, *&c.* Ergo quia & rex pro æterna vita indiget pontificibus, & pontifices pro temporalium rerum cursu regali indigent dispositione: a rege obediendum est pontificibus, recta, sancta, & justa suadentibus; & vicissim a pontificibus obedientium est regi pietatis cultui religione, jure, & solatio servienti. Hortamur igitur vestram, domine rex, excellentiam, pietati & probitati, sacris, veracibus, & bonis insistere moribus, ut ex eorum inveniaris numero, de quibus canitur, in psalmo:

1. Petr. 2.
Gelasius ep. st. 10.

In

ANNO CHRISTI 909.

In conveniendo populos in unum, & reges ut serviant Domino. & ut noveris, quomodo ut homo, quomodo ut rex, servire debeas Deo. Sic namque beatus ait Augustinus: Rex, quia homo est, servit Deo vivendo fideliter: quia rex est, servit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, convenienti rigore sanciendo. & reliqua, quæ latius in epistola ad Bonifacium exequitur. Oportet ergo, ut rex primo interpretetur nomen suum, & id quod dicitur nomine, satagat esse. Rex quippe a regendo vocatur. Debet itaque rex primo vitam suam æquo moderamine regere, & ut quidam sapiens ait, refrenare libidinem, spernere voluptates, iracundiam tenere, ac ceteras animi pestes a se repellere. Tunc vere rex dici, & alios digne poterit regere, cum ipse improbissimis dominis dedecori aut turpitudini parere desierit. post hæc, de pace populi, & quiete ac securitate totius regni convenit eum solicitum esse. Sit bonis amabilis, malis terribilis: sit relevator oppressorum, consolator pauperum, viduarum & pupillorum defensor. Illud implere satagat, quod Salomon de bono rege dicit: *Rex, qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Tanta quippe debet esse rex præditus virtutis & iustitiæ autoritate, ut injustum vel malum aliquid molientes solo intuitu formidolosæ maiestatis dissipet, ne ad meditatum facinus progredi audeant. Denique quomodo rex secundum beneplacitum voluntatis Dei juste & fideliter vivere debeat, pauca ex sanctorum patrum collecta sententiis, vestræ, ut dignum est, prospicientes saluti, vobis cognoscenda & facienda proponimus. Vt quid rex dictus sit, & qualis esse debeat, Isidorus in libro sententiarum scribit: Rex, inquit, a recte agendo vocatur. Si enim pie, & juste, & misericorditer regit, merito rex appellatur: si his caruerit, non rex, sed tyrannus est. Et quamvis antiquitus omnes reges tyranni vocati sint: postea pie, juste, & misericorditer regentibus, regis nomen inditum est: impie vero, injuste, crudeliterque principantibus, non regis, sed tyrannicum aptatum est nomen. Vnde & beatus Gregorius ait: Viros sanctos proinde reges vocari in sacris eloquiis didicimus, eo quod recte agant, sensusque proprios bene regant, & motus resistentes sibi rationabili discretione componant. Recte igitur illi reges vocantur, qui tam semetipsos, quam subjectos bene regendo pacificare noverunt. Regale vero ministerium specialiter est, populum Dei gubernare & regere cum æquitate & justitia, & ut pacem & concordiam habeat studere. Ipse enim debet primo defensor esse ecclesiarum & servorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, necnon & omnium indigentium. Ipsius enim terror & studium huiuscemodi, in quantum possibile est, esse debet, primo ut nulla injustitia fiat, deinde si evenerit, ut nullo modo eam subsistere permittat: nec spem delitescendi, nec audaciam male agendi cuiquam relinquat: sed sciant omnes, quoniam si ad ipsius notitiam pervenerit quidpiam mali quod admiserint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, sed juxta facti qualitatem erit & modus justæ correctionis. Vnde oportet, ut ipse, qui judex est judicum, causam pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi qui ab eo constituti sunt, & vicem ejus agere debent in populo, injuste aut negligenter pauperes oppressiones pati permittant. Scire autem & unumquemque cujuslibet ordinis oportet, quia si de otioso sermone Deo rationem redditurus est, multo magis de ministerio sibi divinitus commisso. Sed & formam illam sapientis regis, quam in se Iob vir justus ostendit, studeat imitari. Ait enim: *Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestivit me sicut vestimento & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Hæc illo agente, implebitur in eo quod Salomon ait: *Misericordia & veritas custodient regem; & firmabitur iustitia thronus eius.* Sicque justorum & electorum regum imitator effectus, fiet etiam in cælesti regno particeps gloriæ, & consors immortalium præmiorum. Attendant reges quid Sapientia dicat: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* Item ibidem: *Audite reges, & intelligite: discite iudices finium terræ: præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri eius, non recte iudicastis, neque custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem eius ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis Dominus: quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Exiguo enim concedetur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Dominus: nec reverebitur cuiusquam magnitudinem. quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter pro omnibus cura est illi.* Existunt & alia multa sanctarum scripturarum testimonia regio nomini & officio convenientia, de quibus pauca ex dictis almi martyris Cypriani decerpta, quantas adversitates injustitia regis regno inferat, & quantum iustitia ejus regno proficiat, demonstrabunt. Cum enim descripsisset qualiter rex conversari deberet, subjungit: Qui vero regnum secundum hanc legem non dispensat, multas nimirum adversitates imperii tolerat. Idcirco enim sæpe pax populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno suscitantur, terrarumque fructus imminuitur, & servitia populorum præpediuntur. Multi & varii dolores prosperitatem regni inficiunt, carorum & liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus provincias undique vastant, bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant: tempestates aeris, & hemisphæria turbata, terrarum & maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus segetes & arborum flores, & pampinos exurunt. Itemque dicit: Ecce quantum iustitia regis sæculo valet, intuentibus perspicue patet. pax populorum est, tutamentum patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fecunditas, solatium pauperum, hereditas filiorum, & sibimetipsis spes futuræ beatudinis. Attamen sciat rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque, quoscumque peccatores sub se habuit, supra se in illa futura pœna habebit. Cum ergo tanto ac tali asserente viro, qui cũ apostolo Paulo dicere poterat: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* boni regis iustitia, tanta & sibi & regno utilitatis conferat commoda, e contrario

Marginal notes: Psal. 101. — Epist. 50. — Prov. 20. — Lib. 11. Mor. c. 9. — Iob. 29. — Prov. 20. — Sap. 1. — Ibid. cap. 6. — De abusionibus sæculi cap. 9. — 2. Cor. 13.

ANNO CHRISTI 909.

e contrario vero mali regis pravitas, tanta & sibi & regno inferat damna: quanta vobis, rex venerande, in cunctis vestris actibus vivendum est cautela? Oramus igitur, ut hæc placida aure suscipiatis, & monitis placeat vobis inhærere salubribus: quatenus vestris bene, & per vos aliorum juste modificatis moribus, hac vobis commissa decenter administratione peracta, ab eo qui temporale vobis dedit regnum, accipere mereamini æternum. Sed & nobis, & omnibus, qui in regno vestro consistimus, oportet ut justam fidelitatem vobis conservemus, & honorificentiam regiam exhibeamus, & de utilitate regni aliquid quærenti, secundum scire & posse, verum & utile consilium suggeramus.

III.

De monasteriorum vero non statu, sed lapsu, quid dicere vel agere debeamus, jam pene ambigimus. Dum enim, mole criminum exigente, & judicium a domo domini incipiente, quædam a Paganis succensa vel destructa, quædam rebus spoliata, & ad nihilum prope sint redacta, si tamen quorumdam adhuc videntur superesse vestigia, nulla in eis regularis formæ servantur instituta. Siue namque monachorum, seu canonicorum, seu sint sanctimonialium, propriis & sibi jure competentibus carent rectoribus, & dum contra omnem ecclesiæ autoritatem prælatis utuntur extraneis, in eis degentes, partim indigentia, partim malevolentia, maximeque inhabilium sibi præpositorum faciente inconvenientia, moribus vivunt incompositis: & qui sanctitati religionique cœlesti intenti esse debuerant, sui velut propositi immemores, terrenis negotiis vacant. quidam etiam, necessitate cogente, monasteriorum septa derelinquunt, & volentes nolentesque sæcularibus juncti, sæcularia exercent, cum e contra dicat Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* (2. Tim. 2.) Ergo quia non solum a vulgo, nullo distare videntur vitæ merito, sed etiam, propter infima quæ sectantur opera, despectionis expositi sunt ludibrio, cum propheta cogimur Ieremia nostræ civitatis, sanctæ videlicet ecclesiæ, flere dispendia, & voce proclamare publica: *Quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?* (Thren. 4.) Quod ita exponit papa Gregorius: Aurum obscuratum est, cum sacerdotum & spiritualium vita, quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus, per terrena & abiecta opera ad ignominiam despectionis venit. Lapides vero sanctuarii, quos nunquam necesse erat foris conspici, eos nimirum figurant, qui nunquam in extraneis debent actionibus videri. Sed dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum, dum hi, qui per vitam & orationem semper intus esse debuerant, per vitam reprobam foris vacant, & dum in sancto habitu constituti exteriora sunt quæ exhibent, quasi sanctuarii lapides foris iacent, *&c.* Quomodo igitur aurum sine aurifice in pristinum & optimum non potest reformari colorem, sic & monastica vita sine regularis abbatis providentia ad pristinum atque optimum vivendi nequit reformari ordinem. Regalis ergo potestas, quæ a recte agendo & ordinando vocatur, consideret quomodo recto hæc iudicio, secundum voluntatem eius, cui de omnibus iudiciis & dispositionibus suis rationem redditurus est, & secundum sacrorum canonum sanctiones, atque secundum priscorum regum constitutiones dispen-

A set. Prohibent quippe sacri canones, ne aliquis laicus de religione præsumat. Itemque & canonum præcipiunt instituta, simulque eorum pedisequa regum capitularia, sicut in libro primo capitulorum imperialium continetur, capitulo vigesimooctavo: (Lib. 1. cap. 28.) „Vt clerici & monachi, si inter se negotium aliquod habuerint, a suo episcopo judicentur, „& non a sæcularibus. Fas enim non est, ut divini „muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. Item: „Vt laicis, quamvis religiosis, „nulla sit de rebus ecclesiæ disponendi facultas. Item: „Vt loca, quæ semel Deo dicata sunt, aut monasteria sunt, maneant perpetuo monasteria, nec „possint ultra fieri sæcularium habitacula. (Ibid. c. 31.) B Nunc autem in monasteriis Deo dicatis monachorum, canonicorum, & sanctimonialium, abbates laici, cum suis uxoribus, filiis, & filiabus, cum militibus morantur & canibus. Legitur quoque in capitularibus, ut abbates monachorum regulam per singula verba discutientes pleniter legant, & intelligentes, domino opitulante, efficaciter cum monachis suis implere studeant. (Addit. 1. c. 1.) Et quomodo discutiet? quomodo leget? quomodo intelliget? Si forsitan oblatus fuerit hujusmodi codex, respondebit illud Isaianum: *Nescio literas.* (Isa. 29.) Et cum monachorum abbati a regula sancti & sancto Spiritu pleni beatissimi patris Benedicti: In doctrina, inquit, sua abbas illam semper apostolicam formam debet servare, in C qua dicit: *Argue, obsecra, increpa.* (2. Tim. 4.) quomodo Apostolum ignorans, regulæ instituta, vel ipsam abecedariam lineam penitus nesciens, spiritualem discretionis modum tenebit? Et quid plura? in ipso ingressu lectionis sanctæ regulæ legitur de eligendo abbate, & qualis debeat esse. In capitulari vero Magni Caroli, libro primo, capite octuagesimoprimo ita scribitur: (Cap. 86.) Monachorum causam qualiter ex „parte disposuerimus, & quomodo ex seipsis sibi „eligendi abbates licentiam dederimus, & qualiter, „Deo opitulante, quieti vivere, propositumque indefessi custodire valerent, ordinaverimus, in alia „schedula diligenter annotari fecimus. Item in Concilio Turonis habito, postquam de canonicis clericis civitatum, qui in episcopiis conversantur, di- (Concil. Tur. III. Can. 24.) D spositum est, sequitur: Simili modo & abbates „monasteriorum in quibus canonica vita antiquitus „fuit, vel nunc esse videtur, solicite suis prævideant „canonicis, ut habeant claustra & dormitoria, victum & vestimenta, *&c.* „Sint, inquit, abbates sibi „subditis bene vivendo duces & prævii, viamque „demonstrent, qua recte gradiendo ad meliorem vitam pervenire valeant. „Itemque de monasteriis monachorum, post pauca quæ præmissa sunt, sequitur: Bonum videtur, ut ad pristinum revertantur „statum, & abbates eorumdem in eorum habitu & „vita, sicut ipsa regula præcipit, incedere ac vivere „studeant. & reliqua. Prohibetur denique, ut laicus causa manducandi ac bibendi in refectorium non E ducatur. Et quomodo eorum abbas erit, cum quibus nec edendi licentiam habebit? Item in libro secundo capitularium, capitulo quadragesimo: (Cap 42.) Monasteriis sane puellaribus tales præferri debent „feminæ, & abbatissæ creari, quæ & se, & subditum gregem cum magna religione & sanctitate „custodire noverint, & his, quibus præsunt, „prodesse non desinant: sed & se, & illas ita „observent, utpote vasa sancta in ministerium do- „mini præparata. Talem enim se debet subditis ex- „hibere in veste, & in omni convictu, ut eis ad cæ- „lestia regna pergentibus ducatum præbeat: sciat „etiam se pro his, quas in regimine accepit, in con- „spectu „

ANNO CHRISTI 909.

„ spectu domini rationem redditurum. Hæc ita post primam sanctorum patrum, duce sancto Spiritu, ordinationem, ac deinde post canonicam de his autoritatem, a prioribus imperatoribus & regibus decreta & custodita fuerunt. Et quousque privilegia sunt servata status ecclesiastici, profecit in augmentum sui conservatus a Deo status regni. At postquam hęc cœperunt parvipendi, labefactatus de die in diem, & jam pene in nihilum redactus est ille qui quondam florebat vigebatque status hujus regni: & ita inolevit malum, quod a transactis retro cœperat annis, ut jam principalis potestas putet sibi licere, secus quam autoritas divina se habeat, in causas ecclesiasticas prosilire, & duce sancto Spiritu statutum a patribus ecclesiæ ordinem pervertere. Quod quidem nostrum est admonere: B & si ad præsens per omnia nequit emendari, satagere deinceps cum domino rege eiusque fidelibus debemus, quousque & bona illius intentio, ut credimus, & nostra nobis, & illi, omnique regno necessaria devotio ad perfectionis cumulum, Deo cooperante valeat pervenire. Etenim nequaquam de istis audemus silere, ne de nobis illud propheticum dicatur: *Canes muti, non valentes latrare.* Itemque: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Respectum siquidem timoris Dei habentibus auditu lugubre, dictu nefas, actu dignoscitur horribile, quando contra omnem paratum, & totius Christianæ religionis autoritatem & consuetudinem, in monasteriis regularibus laici in medio sacerdotum & cæterorum religiosorum, ut domini ac magistri residentes, velut abbates de illorum vita & conversatione ac regula sibi penitus ignota perverso ordine dijudicant. Quæ pro certo abominatio illa est, quam Dominus in euangelio præsignat dicens: *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco ubi non debet, qui legit intelligat.* Ista namque vere est abominatio desolationis, non tantum subditorum, vel eorum qui illis ad suam ipsorum perniciem videntur principari, verum regis, & totius regni, omniumque qui tam detestabili favent ordinationi. Censemus igitur, ut status monasteriorum inviolatus, iuxta antiquam regulæ traditionem, & canonum constituta, servetur: & ut abbates sint religiosæ personæ, & quæ regularem noverint disciplinam. Monachi vero, vel sanctimoniales, iuxta suam professionem, sobrie, & pie, ac simpliciter vivant, ac pro regum salute, ac regni pace, & ecclesiæ tranquillitate supplicent, non sæcularibus curis vel negotiis occupentur, non pompas mundiales requirant, non ecclesiastica iura inquietent, sed iuxta proprietatem sui vocabuli quiete otium amplectantur. Auditur enim, quod spreta humilitate & abjectione monastica, ornamentis, & his etiam quæ bonis laicis indecentia & turpia sunt, operam impendant; & nequaquam contenti communibus rebus, propriis, & lucris turpibus inserviant: quod vitium, tamquam pessimum cancer, ne ultra proserpat, radicitus avellendum est, & abbatum atque episcoporum vigili cura recidendum. Sane ne ulla monachis euagandi, vel de talibus præsumendi quippiam detur occasio, provideant abbates, vel præpositi monasteriorum, ut secundum quod temporis vel loci fert possibilitas, omnia illis in victualibus & vestibus necessaria, sicut regula præcipit, opportune ministrentur.

Isai. 56. Ezech. 13. Matth. 24.

IV.

Contra sacrilegos quoque justum est ut canonica censura procedat. Et primo dicendum quid sit A sacrilegium. Sacrilegium est sacræ legis violatio, quod cum per multa specierum dividatur crimina, & sit sacrilegium schismatis, unde beatus pater ait Augustinus: Apertissimum sacrilegium eminet „ schismatis, si nulla fuit causa separationis; sit etiam „ sacrilegium blasphemi sermonis, & cujusque contra sacram legem usurpatæ actionis: specialius tamen nunc a nobis illud sacrilegium denotatur, quod a prędonibus de rebus ecclesię agitur. Etenim hoc sacrilegium, res ecclesiæ sacratas auferre, possessiones ad ius ecclesiæ pertinentes, vel aliquid ecclesiæ consecratum vel donatum tollere, invadere, fraudare, vel rapere. Hoc namque agentes vere sacrilegi sunt, & homicidæ, de quibus & sanctus Anacletus dicit: Qui abstulerit aliquid patri vel matri, „ Epist. 1. homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus „ est, qui nos creavit: mater nostra ecclesia, quæ „ nos in baptismo spiritualiter regeneravit. Ergo qui „ Christi pecunias & ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est. Item dicitur: Qui rapit pecu- „ niam proximi sui, iniquitatem facit: qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & ut sacrilegus judicandus est. Et sanctus papa Urbanus: Res, inquit, & facultates ecclesiæ obla- „ Ep. unica. tiones appellantur, quia domino offeruntur, & sunt „ vota fidelium, & precia peccatorum, atque patri- „ monia pauperum: si quis illas rapuerit, damnatio- „ nis Ananiæ & Sapphiræ particeps erit, & oportet „ hujusmodi tradere satanæ in interitum carnis, ut „ spiritus salvus sit in die domini. Et ut in brevi deno- „ C tentur isti, secundum quod de eis scriptura dicit, & ad rem de qua agitur pertinens esse videtur: omnes contra legem facientes, resque ecclesię quascumque diripientes, vel ecclesias sacerdotesque contra divinas sanctiones vexantes, sacrilegi atque indubitanter infames sacrilegi vocantur. Et heu, proh dolor! quanti scientes, quanti quia scire nolunt, vel quid sit sacrilegium scire se dissimulant, ideo nescientes in hoc pessimum facinus proruerunt, & quotidie proruunt? Et quia hoc anathema in medio est populi Christiani, non est Deus cum eis, nec possunt stare contra inimicos suos paganos, sed fugiunt. Rogo attendat unusquisque, si propter sacrilegium, quod admisit Achan filius D Charmi, non potuit Israel stare ante hostes suos, eosque fugit, domino interminante: *Non ero vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est*: si ergo uno peccante, in omnem populum desævit furor Dei, donec ille cum omni domo sua deleretur: quid putamus de nobis fiet, qui nostro tempore tot sacrilegia fieri, tot sacrilegos impune mala agere videmus, nec solum nihil metuere, sed & in suis impietatibus exultare? Cogitandum, ne forte propter hæc & hujusmodi sit ira Dei in nos iustissime superducta: & clam cum rogatur Deus non exaudit. Opposuit enim sibi nubem, ne transeat oratio. Et sicut Iosue dictum est: *Quid clamas ad me?* ita etiam nobis orantibus dicitur, E Non vos exaudiam, donec auferatur ex vobis sacrilegium, & tollatur de medio vestrum qui hoc pollutus est scelere. Nos tamen cum beato Iosue non cessemus ad eum clamare, ipsosque sacrilegos monere, ut per confessionem, & emendationem reatus sui, dent gloriam Deo: & quoniam, ut sanctus ait Iob, *dedit eis locum Deus pœnitentiæ*, videant ipsi ne abutantur eo in superbia. Ideo denique tales divina dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat: sed si accepta pœnitentiæ tempora devertunt ad culpam, & secundum duritiam suam & cor impœnitens thesaurizant sibi iram in die iræ: districtus in ultimis iudex impensa argumenta

Iosue 7. Iob 24.

ANNO CHRISTI 909.

menta misericordiæ convertet ad pœnam, atque ex prærogata clementia judicis crescet eis cumulus maledictionis. Nequaquam igitur blandiantur sibi, quod adhuc sustentati longanimitate Dei, inter bonos impune videntur immorari. Considerent Iudam, non apostolum, sed apostatam, sibi consimilem, furem sacrilegum: audiant quid de eo beatus pater dicat Augustinus: Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas, & ne contemnas, fur & sacrilegus: non qualiscumque fur: fur loculorum, sed dominicorum: loculorum, sed sacrorum. Itemque: Non sic judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ: quanto vehementius judicandus est sacrilegus fur, qui ausus fuit non undecumque tollere, sed de ecclesia tollere? qui aliquid de ecclesia aufert, vel furatur, Iudæ perdito comparatur. Talis erat iste Iudas, & tamen cum sanctis discipulis Christi intrabat, exibat, & ad ipsam cœnam dominicam pariter accessit. Hæc verba sancti Augustini. Propter quosdam vero, qui se nescire dissimulant in quibus rebus tantum scelus admittant, breviter commemorandum credimus, quod omnia quæ domino offeruntur, procul dubio & consecrantur: & non solum sacrificia, quæ a sacerdotibus super altare domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur, sed quidquid ei a fidelibus offertur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, vel quodlibet artificium, ædificium, vestimentum, quodcumque mobile vel immobile de his rebus, quæ supplementum sanctæ Dei ecclesiæ, ejusque ministris, atque ornatum præstare possunt, indubitanter domino consecratur, & quicumque ab ecclesia aliquid ex his quocumque modo alienaverit, abstulerit, invaserit, vastaverit, minoraverit, sive diripuerit, quia Christus & ejus ecclesia una est persona, & quæcumque ecclesiæ sunt, Christi sunt, procul dubio sacrilegium committit. Quapropter in libro capitularium secundo, capitulo quadringentesimo vigesimo septimo ita sancitur: Omnibus nos ipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, generaliter interdicimus, ut nullus laicus homo, vel imperator, vel rex, aut episcopus, aut aliquis præfectorum, vel comitum sæculari potestate fultus, sibi per violentiam rapiat, aut a nobis competere, vel quocumque modo invadere præsumat monasterium, aut prædia, vel quascumque res, vel aliquid de monasterio abbatis aut abbatissæ, & incipiat ipse vice abbatis regere & habere sub se monachos, & pecuniam possidere, quæ fuit Christi sanguine comparata. Talem hominem antiqui patres nominabant raptorem & sacrilegum, & homicidam pauperum, & lupum diaboli intrantem in ovile Christi, & maxime anathematis vinculo damnandum ante tribunal Christi. De talibus memores estote scripturæ sancti apostoli Pauli ad Timotheum dicentis: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo qui præstat omnia.* Tales, si ecclesiæ correctionem non recipiunt, Ethnicis & publicanis sunt similes, quibus nec vivis nec mortuis communicat ecclesia Dei. Talibus, qui & hic & ibi reperiuntur, cum tuba Dei clangamus, ne tacentes damnemur, ut simul cum eis pereamus. Si autem in tantum horribilis est Deo ille qui impie agit, certe separatus est talis a Deo, & anathemati juste subjicitur. Anathema enim nihil aliud significat, nisi a Deo separationem, sicut in veteri & novo testamento judicium de anathemate significat. Et nullus sacrilegus regnum Dei possidebit, nisi per puram probatamque & publicam pœnitentiam, & sanctæ ecclesiæ, ejus præcipue quam læsit, satisfactionem, atque per manus impositionem episcoporum, & reconciliationem. Et ut noverit se a regno Dei, & a consortio sanctorum, qui jam cum Christo regnant, & in æternum cum eo regnabunt, in futuro alienandum, a præsenti quoque ecclesia, quæ & ipsa regnum Dei est, & a societate fidelium ejus in Deo alienatur. Ut quisquis ille est, pro certo hoc sciat, quia tali, nisi per satisfactionem condignam, nec vivo nec mortuo ecclesia non communicat: sed sicut in libro beati Iob dicitur, *sepelietur in interitu*, id est in pœna perpetua deprimetur. *tollet eum ventus urens*, id est malignus spiritus, qui viventem accendit ad sacrilegii scelera, morientem trahit ad tormenta. & quoniam juxta illud Ieremiæ: *Olla succensa fuit, & facies ejus a facie Aquilonis*, id est, cor fervens æstu prædandi, & diabolicæ suggestionis flatu inflammatum habuit: ipso urente vento, id est diabolo, raptus cum eo, in olla æternæ combustionis ardebit. Ergo & nos congregati cum Spiritu sancto, sicut Ieremias peccatorem populum quadruplici planxit alphabeto, sic & nos sacrilegos Dei & ecclesiæ contemptores percutiamus quadruplici anathematis maledicto. Sit eis clausa porta cæli, aperta janua inferni, cum nullo Christiano partem habeant omnino, vel societatem. sed & de reliquiis ciborum illorum nihil detur pauperibus, quin potius projiciatur canibus, donec per dignam & humilem pœnitentiam, & congruam emendationem, lætificent ecclesiam, quam per sacrilegia, & nefanda scelera exacerbaverunt. Sed quia sunt quidam, qui temporalem potius mortem, quam æternam timeant, recenseamus quid sæculi leges de talibus præcipiant. In libro suprascripto capitulo quadringentesimo trigesimo primo jubetur, ut capitali pœna multentur, qui sacrilegia, adulteria, prædationes, aut devastationes exercuerint, & omnes res eorum, tam mobiles, quam immobiles, fisco regis socientur, vel ecclesiæ, cujus res vastaverint, alienaverint, aut abstulerint, tradantur. Hæc de sacrilegis prædonibus ecclesiarum.

Tract. 50. in Ioann. — Lib. 6. c. 321. — 1. Tim. 6. — Iob. 27. — Ierem. 1.

V.

Nulli fidelium dubium est, quod ecclesia Dei in pontificibus & sacerdotibus reliquis, quibus populus domini commissus esse dignoscitur, constet, & eis sicuti domus quibusdam suis innitatur columnis. Sed quorumdam pravorum hominum mentibus ac moribus, qui se in domo ecclesiæ nomine potius, quam recta conversatione, videri appetunt, tantæ stoliditatis inest amentia, ut non intelligant quia status ecclesiæ ita sacerdotibus, quod absit, aliqua impulsione nutantibus infirmatur, sicuti excussis columnis domus totius fabricæ ruinam minatur: & idcirco non solum sui casus periculum non metuunt, sed eosdem Dei sacerdotes vexantes, seipsos, ut pariter cum ruentibus corruant, præcipitant, impellunt. Nec attendunt, immo nec reverentur, quoniam qui eis injuriam vel contumeliam irrogant, domino Deo nostro Iesu Christo, cujus vices agunt, injuriosi & contumeliosi existunt: & quia omnes, qui ecclesias sacerdotesque contra divinas sanctiones vexant, sacrilegi habentur, atque indubitanter infames sacrilegi vocantur: Et ne quis dicat, alia nos ex nostro fingere corde, audiat sanctas sanctorum sententias de talibus ita se habentes. Clemens ab ipso sanctissimo ore Petri apostoli edoctus de omnibus, in secunda ad Iacobum fratrem domini epistola, de his qui in patres peccant sic dicit: Qualis con-

ANNO CHRISTI 909.

condemnatio, & qualis imminet maledictio eis A qui in patres peccant, divina nos docet scriptura. Si enim Cham filius Noe, cum vidisset nudum patrem suum, quoniam non cooperuit patris corporalem nuditatem, sed egressus nuntiavit eam fratribus suis, & illi vestimento eam cooperuerunt, ipse quidem Cham, & illi qui ex eo nati sunt, sub maledictione facti sunt, qui autem cooperuerunt, magnam benedictionem meruerunt: multo magis isti majore & ampliore condemnatione digni sunt, qui patribus obviare, aut contra eos insurgere nituntur: quoniam qui his resistit, Deo resistit, & qui eis injuriam vel contumeliam facit, Deo, cujus legatione funguntur, facit. Item in tertia epistola idem Clemens de honore episcoporum: Si igitur vobis episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, aut subdiaconi, & reliqui clerici cuncti, omnesque principes, tam majoris ordinis, quam & inferioris, atque reliqui populi, tribus, & linguæ non obtemperaverint, non solum infames, sed extorres a regno Dei, & consortio fidelium, ac a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alieni erunt. Nam vestrum est, eos instruere: eorum vero est, vobis obedire ut Deo, cujus legatione fungimini, dicente Domino: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit: & qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Nihil enim injustius, vel inhonestius, quam filios patribus rebelles, aut clericos vel laicos doctoribus, seu discipulos magistris inobedientes vel protervos existere. Novimus enim primum hominem per inobedientiam cecidisse. Idcirco omnes hoc vitium summopere cavere monemus. Et quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, dominus noster mittentes nos vice sua in loco apostolorum ad prædicandum, præcepit nobis docere omnes, omnesque nobis fideliter obedientes ut ipsi, existere. Item ex decretis Anacleti papæ, quod episcopi a Deo sint judicandi, non ab humanis aut pravis hominibus: Liquet quod summi sacerdotes, id est episcopi, a Deo sunt judicandi, non ab humanis aut pravæ vitæ hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi, ipso domino exemplũ dante, quando per se ipsum, D & non per alium, vendentes & ementes ejecit de templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium proprio evertit flagello, & ejecit de templo. Et sicut alibi ait: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat.* & alibi: *Ego dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes.* Nullus enim, ut reor, invenitur inter nos, qui velit suum servum ab alio, quam a se, judicari. quod si præsumptum fuerit, aut multa ipse indignatione irascitur, aut potius ultionem quærit super eum. Si vero hoc inter homines agitur, quid putatis faciet Deus deorum, & dominus dominantium, qui ultionem suorum promisit non differre servorum? Vnde & ipse per prophetam loquitur dicens: *Deus ultionum dominus, Deus ultionum libere egit,* & reliqua. Et Apostolus inquit: *Tu quis es, qui judicas servum alienum? suo enim domino stabit, aut cadet.* & ipse: *Nolite judicare invicem, sed judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* & dominus per prophetam inquit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Nam si aliquis nunc in malum oculos alicujus principis incipit tractare, manifeste reus majestatis indicatur, & infamis efficitur, aut potius capitali sententiæ subjacet. Hæc, fratres, valde cavenda sunt, & quod homines nolunt sibi fieri, Deo deorum non debent inferre, ne forte irascatur dominus, & faciat vin-

[Margin: Clemens epist. 1. — Gen. 9. — Clemens epist. 3. — Luc. 10. — Anaclet. epist. 2. — Matth 21. — Psal. 81. — Ibidem. — Psal. 93. — Rom. 14. — Ibidem. — Zach. 2.]

dictam eorum etiam in eos qui non peccaverunt, quia perit sæpissime justus pro impio. Item in eodem decreto, ut nullus facile accusare audeat episcopum: Apostoli, successoresque apostolorum, considerantes statuerunt ne facile commoverentur, aut lacerarentur, vel accusarentur columnæ sanctæ Dei ecclesiæ, quæ apostoli, & successores eorum non immerito dicuntur: sed si quis adversus eos, vel ecclesias eorum, commotus fuerit, aut causas habuerit, prius ad eos concurrat caritatis studio, ut familiari colloquio commoniti, ea sanent quæ sananda sunt, & caritative emendent quæ juste emendanda cognoverint. Si autem aliqui eos, priusquam hæc egerint, lacerare, accusare, aut infestare præsumpserint, excommunicentur, & B minime absolvantur, antequam per satisfactionem, ut jam dictum est, condignam egerint pœnitentiam: quoniam injuria eorum ad Christum pertinet, cujus legatione funguntur. Nec hoc mirum: quia si quisque nostrum cuidam suorum legationem injungeret, & a quoquam impediretur, aut ab aliquo subditorum suorum despiceretur: mox indignatus irasceretur, aut talia prout posset vindicaret, & ad injuriam & contumeliam sui hoc factum reputaret, & talionem, si in præsentia non posset, futuris temporibus redderet. Nam si in hominum causa hæc fiunt: quid putatis Deus faciet de suis, qui nec capillum capitis eorum perire dixerit? Vnde & Dominus per Nahum loquitur prophetam dicens: *Deus æmulator, & ulciscens Dominus: ulciscens Dominus, & habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.* Ex decretis Euaristi papæ, de honore episcoporum: Episcopum oportet opportune & importune, atque sine intermissione ecclesiam suam C docere, eamque prudenter regere & amare, ut a vitiis se abstineat, & salutem consequi possit æternam: & illa cum tanta reverentia ejus doctrinam debet suscipere, eumque amare & diligere, ut legatum Dei, & præconem veritatis, quia testante Veritate: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Nimis timenda est, fratres, hæc sententia: & prævidendum vobis, ne offendatis eos qui tantam a domino habent potestatem. Et ideo potius obediendi, diligendi, & summopere sunt venerandi: non detrahendi, vel lacerandi, vel ejiciendi, sed portandi, & amandi, ipso dicente Domino: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Ideo vobis & omnibus fidelibus scribimus, fratres, ut ab his vos caveatis, & posteris vestris non malum, sed bonum exemplum relinquatis: quoniam injuria episcoporum ad Christum pertinet, cujus vice funguntur. Ex decretis Alexandri papæ, de non vexandis sacerdotibus: Pervenit ad conscientiam apostolicæ sedis, E quod nonnulli sint tam stolidi, qui dominica præcepta, & apostolorum, eorumque successorum statuta minime observent, & eos de quibus Dominus ait: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*: non solum tangere minime dubitant, sed etiam persequi non formidant. Et licet nos persequantur, quia nec nos sine illis, nec illos sine nobis persequi possunt, quoniam illius sumus discipuli, qui animas pro fratribus præcepit ponere: tamen eorum pericula & perditiones non sumus ausi celare, ne prophetica, quod absit, damnemur sententia, quæ ait: *Si annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, animam tuam liberasti: si autem non nuntiaveris ei, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Qui ergo sacrilega persuasione,

[Margin: ANNO CHRISTI 909. — Anaclet. epist. 2. — Nah. 1. — Evarist. epist. 2. — Matth. 16. & 18. — Luc 10. — Alexand. epist. 1. — Zach. 2. — Ezech. 3.]

ANNO CHRISTI 909.

„ sione persequuntur & lacerare nituntur episcopos, vel eos qui recte domino sacrificant, indubitanter dominum persequuntur & dilaniant, cujus vice funguntur. Unde dominus ait per Ioel prophetam: *Numquid ultionem vos reddetis mihi? & si ulciscimini vos contra me, cito reddam vobis vicissitudinem super caput vestrum.* Has considerantes pietates, & pericula vitantes animarum, una cum omnibus Dei sacerdotibus, qui nobiscum in hanc sacram convenerunt urbem, & cum omnibus hujus capitis membris, sicut a beatis apostolis, ac reliquis sanctis patribus, ac successoribus eorum accepimus, statuentes decernimus, omnes qui sanctos patres persequuntur, aut amovere vel dilacerare manifeste nituntur, infames esse, & alienos a liminibus ecclesiæ usque ad satisfactionem fieri: quia sic odit Deus eos, qui adversus patres armantur, ut patrum invasores vel destructores, qui ideo infames efficiuntur, quia patres persequuntur. Item cujus supra: Nulli, fratres, dubium est, quia boni a malis semper persequuntur & tribulantur. Propter quod nos oportet humiliari sub potenti manu, ut liberet nos in tempore tribulationis. Nam sicut leo rugiens circumit quærens quem devoret, sic diabolus non cessat circuire & quærere quos ex fidelibus perdat, & maxime eos, quos ardentiores in servitio salvatoris eique familiares invenerit. Familiares dico, quos sibi sacrari, & in ordine apostolorum constitui voluit. Ipsi enim pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus & oblationibus ea delent atque consumunt. qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus eorum, pro quibus clamant, exaudiuntur. *Multum enim*, ut ait Iacobus apostolus, *valet deprecatio justi assidua.* Qui autem vos persequitur, ipsum, cujus legatione fungimini, persequitur: quia sicut ipse Filius Dei mediator fuit Dei & hominum, ita & vos ejus vice in ecclesia estis constituti, ut inter Deum & homines legatione fungamini. Si quis autem legationem vestram impedit, non unius, sed multorum profectum avertit, & sicut multis nocet, ita a multis arguendus est, & bonorum societate arcendus, & quia Dei causam impedit, & statum conturbat ecclesiæ: ideoque ab ejus liminibus arceatur. Ab omnibus quoque talis est cavendus, & non in communione fidelium usque ad satisfactionem recipiendus. Est enim statutum olim, ut qui statum conturbat ecclesiæ, ab ejus liminibus arceatur, nec cum fidelibus communicet, qui eorum bona avertit. Ex decretis Telesphori papæ, de episcopis non arguendis, aut accusandis: Iustum est omnes in universo orbe doctores legis ea quæ legis sunt sapere, & non sacerdotes domini labiis suis, aut quibuslibet machinationibus maculare. Dum enim ipsos disponunt, aut cupiunt maculare, potius seipsos maculant, & vulnerant. Dei ergo ordinationem accusat, qui sacerdotes accusat, vel damnare cupit: a quibus se omnes fideles cavere debent, quia non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, rei sunt. Ex decretis Pontiani papæ, de honore episcoporum, & quod ipsi non sint infestandi, sed venerandi: Sacerdotes non sunt infestandi, sed honorandi. In eis quoque dominus honoratur, cujus legatione funguntur. Hi ergo si forte ciderint, a fidelibus sunt sublevandi atque portandi. Accusandi autem non sunt ab infamibus aut sceleratis, vel inimicis, aut alterius sectæ vel religionis hominibus. Sed si peccaverint, a reliquis arguantur sacerdotibus, & a

Ioel 3.
Alexand Epist. 2.
Iac. 5.
Telesph epist. 1.
Pontian. epist. 1.

A summis pontificibus constringantur, & non a sæcularibus, aut malæ vitæ hominibus arguantur, vel arceantur. Hæc scilicet sunt apostolorum decreta, imo ipsius Christi dicta: quibus si quis obviare aut contradicere tentaverit, non se Christianum, sed antichristum comprobaverit. Ergo si sacerdotes Dei non sunt infestandi, non contristandi, non accusandi, non a sæcularibus arguendi, non reprehendendi, non damnandi, non arcendi, non quibuslibet machinationibus maculandi vel dilacerandi, aut detrahendi, non aliqua injuria vel contumelia afficiendi, quin minus persequendi, excæcandi, aut interficiendi. Nam de injuria vel dehonoratione sacerdotum, in jam dicto capitulari libro VI. capite XCIX. ita scriptum habetur: Si quis B episcopo aliquam injuriam, aut injustam dehonorationem fecerit, de vita componat: & omnia quæ habere visus fuerit, ecclesiæ, cui episcopus præesse dignoscitur, integerrime socientur, & nobis in triplo bannus noster, id est solidi LX. persolvantur, aut ipse in servitio fisci nostri serviturus semper societur, usque se redimat in triplo juxta wirgildum suum, si potuerit. Sancta vero ecclesia in sacerdotibus constat. Idcirco magna pœna plectendi sunt, qui episcopis, vel reliquis sacerdotibus, injuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio sacerdotum ad Christum pertinet, cujus vice legatione in ecclesia funguntur. Item ex eodem C libro, capite CCXCVII. Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in ecclesias, earumque res irruens, sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui, locoque aliquid importet injuriæ, vel inferat ad divini cultus injuriam, in convictos, sive confessos reos capitali sententia noverit judicandum. Nec expectetur, ut episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam dereliquit. Sitque cunctis non solum liberum, sed etiam laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris injurias, velut publicum crimen, persequi, ac de talibus reis ultionem mereri. De his qui clerum injuriaverint, ex capitulari Caroli imperatoris: Quicumque judex, aut sæcu- D laris adversus presbyterum, aut diaconum, aut de junioribus, absque audientia episcopi, vel archidiaconi, vel archipresbyteri, injuriam inferre præsumpserit, anathema ab omni Christianorum consortio habeatur.

Lib. 6. c. 98.
Lib. 6. c. 304.
Lib. 5. c. 121.

VI.

Et quoniam sunt aliqui tantæ cupiditatis face succensi, ut non solum sibi a Deo concessis non bene utantur, verum inconcessa acsi licita ambiant, & ex his quæ divinis sunt tradita & oblata cultibus, & secundum legem domini sancta sanctorum sunt domino, & ad jus pertinent sacerdotum, exactiones census ab ipsis sacerdotibus sibi exquirant, & xeniis, ac pastis, vel paraveredis, seu ca- E ballorum saginationibus presbyteros affligant, cum ex eis, quæ seu pro dote, seu quacumque fidelium devotione, unicuique tradita sunt ecclesiæ, non aliud quodlibet servitium, nisi spiritale exigere debeant: necessarium nobis videtur, hujuscemodi præsumptiones, quia contra canonicam fiunt autoritatem, modis omnibus cohibere. Ab antiquo denique tempore a sanctis patribus, & a nostris est majoribus constitutum, ut sicut habet episcopus in sua ordinatione omnem generaliter parochiam, cum omnibus rusticanis parochiis, quas per tricennium inconcusse possedit: ita & unusquisque presbyter in sua ordinatione ac dispositionis

ANNO CHRISTI 909.

positionis cura habeat parochiam suam cum dote, & decimis ecclesiæ, videlicet cum sui episcopi consilio ac dispositione, secundum regulas antiquitus & divinitus constitutas: sicut olim ante incarnationem Christi a sancto Spiritu per prophetam prædictum, & post ejus ascensionem in cælos, eodem sancto Spiritu per sanctos Dei homines decretum fuisse demonstrat sanctus Basilius, exponens versum psalmi: *Convallem tabernaculorum dimetiar.* Convallis, inquit, tabernaculorum dimetietur, hoc est universus orbis terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habitaculis corporum dictus est, hic velut quadam sorte divisus atque dimensus per singula loca ecclesiarum Dei parochiis, & incolatibus dividitur, *&c.* Hinc iterum scriptum est: *Distribuite domos ejus*, videlicet universalis ecclesiæ, per custodiarum parochias prædicando, *ut enarretis in progenie altera*, & reliqua. Quia vero facultatum & dotum ad ecclesias pertinentium dispositio secundum canonum antiquam constitutionem, ad episcoporum solummodo ordinationem, & ad presbyterorum dispositionem pertineat, Toletanum manifestat cōcilium, dicens: Multi contra canonum constituta sic ecclesias, quas ædificaverint, postulant consecrari, ut dotem, quam eisdem ecclesiis contulerint, censeant ad episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum, & in præteritum displicet, & in futuro prohibetur: sed omnia, juxta constitutionem antiquam, ad episcopi ordinationem, & potestatem pertineant. Quod si quæritur, quæ dicat omnia, proculdubio, decimas, primitias fructuum, & oblationes eorum, & ea quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque pecuniis, seu quibuslibet rebus, quæcumque fideles obtulerint. quæ omnia sub immunitate a tributis fiscalibus, & omni dominorum exactione libera, sub potestate & dispositione, ut diximus, episcoporum, ac regimine & dispensatione presbyterorum manere debent inconcussa. Hoc & dominus imperator Ludovicus de manso ad ecclesiam dato, & cæteris ad eam pertinentibus, in suo capitulari ita constituit. Sancitum est, inquit, ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque servitio aliquo attribuatur, & presbyteri in eis constituti, non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel hortis juxta ecclesiam positis neque de præscripto manso, aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum, & si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant. At contra quidam præsumunt distringere, & injuriare, vel etiam expellere presbyteros de ecclesiis sibi commissis, vel expoliare decimis, aut possessionibus, non timentes tot sanctorum contemnere statuta patrum, cum dicat Carthaginense concilium: Si quis statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est, communione; si clericus, honore privetur. Et in sæpe fato capitularium lib. VII. capite CXXXIX. Ut nullus judex, neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum, aut juniorem ecclesiæ, sine conscientia pontificis per se distringat, aut condemnare præsumat: quod si fecerit, ab ecclesia, cui injuriam fecit, quam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestrans, donec reatum suum cognoscat & emendet. Item in eodem lib. cap. CLXV. Sancitum est, ut sine autoritate, vel consensu episcoporum, presbyteri in quibuslibet ecclesiis nec constituantur, nec expellantur: & si quis deinceps hoc facere tentaverit, synodali sententia districte feriatur. Et in II. lib. cap. XLVII. Ut ecclesiæ antiquitus constitutę nec decimis, nec ul-

Psal. 59.
Psal. 27.
Concilium Toletanum III. c. 19.
Lib. 1. cap. 61.
Concilium Carthaginense I. can. 14.
Li. 6. c. 154
Cap. 56.

la possessione priventur. Hæc autem deducentes ad medium, nequaquam seniorum ab eis tollimus dominium, quasi ipsi nomen senioratus in rebus sibi a Deo concessis habere non debeant, aut non possint, sed potius ecclesiæ episcoporum esse debeant: designamus denique gubernationem episcopi, non nobis vindicamus potestatem domini. Et quia mitis & humilis magistri discipuli sumus, presbyteris nostris humilitatis exempla & monita dare debemus: videlicet ut eis, in quorum ditione suæ consistunt ecclesiæ, congruum honorem & obsequium impendant debitum, id est, spiritale atque ecclesiasticum: & hoc sine ullo typho, vel contentione, aut rebellione. Salvo namque ministerii sui jure, debent se gratiosos exhibere senioribus, & parochianis suis, de quorum oblatione vivunt, & cum debita humilitate spiritalia eis obsequia ministrare, quæ gratis quidem agere deberent, etiamsi nihil temporalis subsidii ab eis perciperent. Sciant igitur presbyteri secundum apostolum omnibus sua reddere debita, *cui honorem, honorem; cui timorem, timorem.* ut eis aptetur quod subjungitur: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Sed quoniam sunt nonnulli, qui ignorantes, imo contemnentes Dei justitiam, suæ quærunt tenacitatis statuere injustitiam, ausuque sacrilego surripiunt atque defraudant Deo debitam decimarum partem, ad suam ipsorum perniciem dicentes non se debere decimas dare de militia, de negotio, de artificio, de lanarum tonsione, & de cæteris quibuscumque sibi a Deo largitis commerciis: audiant, non nostra, sed per sacras scripturas Dei de talibus mandata, & sancta sanctorum patrum exempla, atque cognoscant nos nequaquam, ut illi aiunt, nunc exigere nova, sed potius repetere Dei legibus instituta, & antiquorum patrum devotione largita. Et primo omnium attendant, quia solius Dei causa oblationes & decimas suas sacerdotibus * ipsi Deo dare debeant: & quia eas dando fideliter, nihil Deo, qui bonorum nostrorum a se nobis collatorum non indiget, conferunt, sed ei sua reddunt; & pro parvis in præsenti, maxima, & sibi in futurum profutura acquirunt. Scribitur in Levitico: *Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, domini sunt, & illi sanctificantur.* Item in eodem: *Omnes decimæ boum & ovium, & omne quod transit sub virga, in numerum decimum quodcumque venerit, sacrificatum erit domino. non mutabis illud bonum malo, neque malum bono.* In Deuteronomio: *In loco quem elegerit dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo, illuc omnia quæ præcipio conferetis, holocausta & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum, & quidquid præcipuum est in muneribus quæ vovistis domino.* Item in eodem: *Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis, quæ nascuntur in terra per annos singulos: decimam frumenti, & vini, & olei, & primogenita de armentis, & ovibus tuis, ut discas timere dominum Deum tuum.* In libro numeri: *Omnem medullam olei, ac vini, & frumenti, & quidquid offerunt primitiarum domino*, id est Aaron, *dedi. universa frugum primitiæ, quas gignit humus, & domino deportantur, cedent in usus tuos. Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit.* Item in eodem: *Filiis Levi dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis.* Ecce audistis, cujus sint, & cui sacrificentur, & cui dari, scilicet Deo, decimæ debeant. Sed & quæ sibi dari præcipiat: scilicet non tantum omnes omnium quæ nascuntur in terra decimas, sed etiam universas frugum quas gignit humus primitias, nec-

ANNO CHRISTI 909.
Rom. 13.
* f. deest ut
Levit. 27.
Ibid.
Deuter. 12.
Deuter. 14.
Num. 18.
Ibidem.

ANNO CHRISTI 909.

non & decimas boum, ovium, & omnium armentorum, cum primogenitis eorum: manuum quoque vestrarum decimas, ac primitias, insuper & vota, atque munera. quæ omnia vobis offerre præcipit ad locum templi sui, ut cedant in usus sacerdotum pro ministerio quo serviunt in tabernaculo domini. Fortassis vero, dicet aliquis: non sum agricola, non habeo unde possim dare decimas fructuum terrenorum, vel etiam armentorum. Audiat quicumque est ille, miles sit, negotiator sit, artifex sit: Ingenium, quo pasceris, Dei est, & ideo inde ei dare debes decimas. Nam de militia, audi quid in lib. dicatur Genesis de Abraham patriarcha, *Gen.* 14. postquam reversus est a cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant. Cum benedixisset eum Melchisedech sacerdos Dei altissimi, dicit scriptura, quia dedit ei Abraham decimas ex omnibus. Item in eodem libro legitur, quod beatus Iacob pergens in Mesopotamiam Syriæ ad Laban, cui pro mercede viginti servivit annis, sic loquutus sit: *Gen.* 28. *Si dominus*, inquit, *fuerit mecum in via per quam ambulo, & custodierit me, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestem ad induendum, reversusque fuero prospere in domum patris mei: erit mihi Deus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi.* *Tob.* 1. De sancto quoque Tobia legitur, quia pergebat ad Ierusalem ad templum domini, & ibi adorabat dominum Deum Israel, omnia primitiva sua, & decimas fideliter offerens. Ecce habes, quæ imiteris sanctorum patrum exempla, qui de omnibus quæ habebant Deo decimas fideliter offerebant. Et quid hoc de laudabilibus proponimus patriarchis, cum audiamus dicentem in euangelio a Deo reprobatum pro tumore jactantiæ Pharisæum: *Luc.* 18. *Decimas do omnium quæ possideo* & ipsum Deum improperantem Scribis & Pharisæis, *Matth.* 23. quod prætereuntes mandata Dei decimarent etiam anethum & ciminum, & omne olus? Saltem pudeat nos Christianos, aut nolle aut non posse in hac imitari parte Pharisæos, cum audiamus ipsum sic comminantem nobis Christum: *Matth.* 5. *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* & tamen hi decimas dabant omnium quæ possidebant. Sed forte adhuc inquies, pluribus enumeratis, nondum de tonsione lanarum aliquod divinum nominatim protulisse præceptum. Nonne tibi posset sufficere quod dicitur, *ex omnibus*? Sed quia, quod dictu pudori est, ex hac etiam decimatione quidam causantur, audiant dominum, dicentem in Deuteronomio: *Deut.* 18. *Hoc erit iudicium sacerdotum a populo, & ab his qui offerunt victimas, sive bovem, sive ovem immolaverint, sacerdoti dabunt armum & ventriculum, primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ovium tonsione. Ipsum enim elegit dominus Deus tuus de cunctis tribubus eius, ut stet & ministret nomini domini.* Adhuc autem & quod est amplius, hoc nescientibus innotescimus, scientibus ad memoriam reducimus, & ut ad hæc verbis beati papæ Gregorii utamur. non tantum decimas rerum, sed etiam dare Deo debemus decimas dierum: quod fideles quique annuatim student agere tempore quadragesimæ. Et ne quid videatur prætermissum in exsolvendis Deo decimarum vel primitiarum debitis, noverint cuncti quid etiam lex statuat de cibis. [illegible] Scriptum est in Deuteronomio: *Cum veneritis in terram quam dabo vobis. & comederitis de panibus re[illegible]llibus, separabitis primitias domino de cibis [illegible] sicut de areis primitias separabitis, ita & de [illegible] dabitis primitiva domino.* Et ne hæc om-

A nia Deo largitori omnium bonorum offerenda, vel potius ex debito reddenda, quis quolibet modo, ne dicamus subtrahere audeat, vel fraudare, quin nec differre, audiat Deum sibi in Exodo, dicentem: *Decimas tuas, & primitias non tardabis offerre mihi.* *Exod.* 22. Si igitur prævaricatio legis est, tardius dare: quanto pejus est hæc non dedisse? Ergo si secundum domini imperium vobis præcepta devote adimplere statueritis, promissa per prophetam Malachiam ab eo præmia vos percipere gaudebitis: *Inferte*, inquit, *omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit dominus, si non aperuero vobis cataractas* *Malach.* 3. B *cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit dominus exercituum, & beatos vos dicent omnes gentes.* Et iterum scriptura dicit: *Honora dominum de tua substantia, & ac primitiis frugum tuarum, ut impleantur horrea tua frumento, & vino torcularia redundabunt.* *Prov.* 3. En vides, quomodo tibi magis quam Deo tuæ proficiunt decimæ, quando eas citissime centuplicato recipis fœnore. Item dicit scriptura: *Dabunt singuli redemptionem animarum suarum, & non erunt in eis morbi, neque casus.* *Exod* 30. Ecce & cum abundantia fructuum, corporis etiam consequeris sanitatem. Addimus adhuc, quia divina adimplendo præcepta, cælestia promereris C præmia; & violando illa, infernalia tibi, ut pote prævaricator, acquiris tormenta, nisi Deo, & ecclesiæ pœnitentia & emendatione satisfeceris congrua. Etenim quia denegamus Deo primitias rerum, idcirco justo ejus judicio in nostris pervertimur primitiis: ipsique revocamur ad decimam, cum denegatis novem vix partem recipimus decimam. Ideo denique messis nostra, pluviarum benedictione subtracta, jejuna deficit, vindemiam aut grando percutit, aut pruina decoquit: & quia ex debito nolumus dare Deo, ejusque sacerdoti, ex non debito damus pagano, & impio militi. His igitur diligenter perspectis, monente scriptura, Deum devote honoremus in dandis omnium, quæ possideD mus rerum primitiis & decimis, ut ab ipso percipere mereamur, & necessaria boni commoda temporalis, & æternæ præmia felicitatis.

VII.

Nunc de his agendum est, qui rapinis diverso modo dediti, innocentibus insidias, vel damna, & mortes inferunt, domosque suas hujusmodi spoliis implent: qui comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt: quorum pedes incessanter ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem, vel ablata omni substantia fame interficiant innocentem: & dum vel alieno sanguini insidiantur, vel fraude sibi vivendum æstimant, ut Salomon dicit, *ipsi contra sanguinem suum insidiantur,* *Prov.* 1. *& moliuntur fraudes contra animas suas.* Contra sanguinem quippe suum faciunt, quia quasi fuerit E judex, qui judicium in eos justum exerat, temporali morte plectuntur: contra animas autem suas, quia æterna perditione damnabuntur, & qui ob philargyriam rapinis innocentum & cædibus invigilant, semet hoc agentes perdunt. quos dominus per Isaiam prophetam increpat, dicens: *Vos depasti estis vineam meam*, id est, populum *Isaia* 3. Christianum: *rapina pauperum in domo vestra.* in domo scilicet mansionis, & in domo corporis, dum ex ea non tantum vosmetipsos usque ad crapulam, sed & thesauros vestros repletis. Sed quid talibus immineat, per eumdem prophetam dominus non tacet: *Væ*, inquit, *impio in malum, retributio enim*

manuum

ANNO CHRISTI 909.

Ibidem. Isa. 5.

manuum fiet ei. Itemque : *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis*, &c. Horum, quod dictu dolendum est numerus, quique adeo rapinæ amorem imbiberunt, quasi licitum sit & pulchrum vivere rapto. Nec considerant miseri & miserandi homines, quot millia hominum innocentum perimant quotidie, non gladio, quod esset utique levius, sed durissima atque atrocissima famis morte. Et possunt miseri tot homicidiorum rei esse vel una hora securi? Et certe esurienti non dare panem damnabile est, ipso domino in extremo judicio dicturo : *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*, &c. quibus subjunxit : *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Hinc ergo colligendum, qua damnatione plectendi sint, qui aliena diripiunt, si tali animadversione feriuntur, qui sua indiscrete & immisericorditer tenuerunt. Quam multiplex autem sit rapina, & quot modis agatur, Iob breviter enumerat, inquiens : *Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges. asinum pupillorum abegerunt, abstulerunt pro pignore bovem viduæ. subverterunt pauperum viam, oppresserunt pariter mansuetos terræ. agrum non suum demetunt, & vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant. nudos dimittunt homines, vestimenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperum spoliaverunt. Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas. De civitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamabit, & dominus inultum abire non patietur.* De talibus per prophetam dicitur : *Væ ei qui multiplicat non sua usquequo, & aggravat contra se densum lutum.* Densum lutum contra se aggravare est, terrena lucra cum peccati pondere cumulare. Et in euangelio dominus ait : *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* id est, quid prodest si totum quod extra se est congregat, si id quod ipse est damnat? Illa enim quæ rapiunt in hoc sæculo, dimittunt; sed secum ad judicium causas rapinæ & suam damnationem ferunt. Audiant raptores quid de eis vas electionis Paulus, qui ad tertium cælum raptus est, dixit : *Neque rapaces*, inquit, *regnum Dei possidebunt.* Non ergo raptor, non prædo pauperum, regnum Dei possidebit, nisi perfectam egerit pœnitentiam, & injuste sublata reddiderit. Sunt enim quidam, qui pœnitere quidem volunt, sed rapta reddere nolunt, pessimum certe hominum genus, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res rapta cum reddi possit non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Hi enim, ut dicit sanctus Augustinus, scelus cupiunt sibi relaxari, & illud propter quod scelus admissum est, possidere. Non ergo remittetur rapinæ peccatum, nisi restituatur ablatum, sed cum restitui potest. plerumque enim qui aufert amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse male vivendo, nec habet unde restituat. Sciat ergo unusquisque raptor, non sibi dimitti rapinæ peccatum, nisi cum potest id quod rapuit restituat. Nam & Zachæus publicanus, qui dominum hospitio susceperat, in vitam sanctam repente mutatus, dixit : *Ecce dimidium bonorum meorum, domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Sic ergo unusquisque raptor agat : restituat primum quod injuste abstulit, si veram pœnitentiam agere, & veram Dei misericordiam obtinere cupit. Si autem non habet unde reddat, non possumus ei dicere, redde quod abstulisti. Quamvis, etsi aliquos sustinet cruciatus, dum existimatur habere quod reddat, nulla est iniquitas : quia etsi non est unde reddat ablatam pecuniam, merito tamen, dum eam per molestias corporales reddere compellitur, peccati quo male ablata est pœnas luit. Ergo quia absque respectu timoris Dei innumerabiles rapinæ & deprædationes in isto regno olim factæ sunt, & hactenus fiunt, & in oculis, & in auribus domini exercituum sunt : idcirco nunc vastitatem patimur, & sterilitatem, quam dominus quondam Israelitico populo comminabatur, dicens : *Nisi domus desertæ fuerint grandes, & pulcræ absque habitatore : decem iugera vinearum facient langunculam unam*, &c. Et quoniam judicio justo Dei, exigente pœna nostri peccati, in tantam devenimus amentiam, ut nec eam qua verberamur sentiamus, aut scire velimus correptionem, jure duplicem experimur captivitatem, scilicet barbaricam, & quod est gravius, dæmonicam, sicut dominus testatur per Isaiam prophetam : *Propterea*, inquit, *ductus est captivus populus meus, quia non habuit scientiam* : scientiam utique divinum judicium, vel suam correptionem intelligendi, vel benefaciendi. & iterum : *Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino* : scilicet ut insatiabili ingluvie devoret in perpetuum puniendos. *Et descendent fortes terræ, & populus, & sublimes gloriosique eius ad eum.* Expergiscantur ergo tandem aliquando ad tantam tonitrui magnitudinem: audiant dominum per eumdem prophetam terribiliter comminantem : *Omnis*, inquit, *violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.* Omnis enim violenta iniquorum prædatio, & tumultus, ac turbæ, quibus pauperes quosque sibique inferiores oppresserunt, & sanguinem sanguini miscuerunt, erit in combustionem gehennę, & cibus ignis æterni. Itemque per psalmistam loquitur : *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit dominus*, id est jam jamque in proximo vindictam exercebo. Et iterum Isaias propheta dicit : *Non despiciet dominus preces pupilli; nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cælum, & dominus exauditor non delectabitur in illis.* Verum quia hæc impietas non jam tantum in extraneos, sed in sua, ut ita dicamus, sævit viscera, & unusquisque carnem brachii sui vorat, timendum est ne talibus illud apostoli contingat: *Videte*, inquit, *ne dum invicem mordetis & comeditis, ab invicem consumamini.* qui enim seipsum comedit, cito deficit. Nam cui dicit psalmista: *Tibi, domine, derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. ipse eripiet inopem de manu fortium eius: egenum & pauperem a diripientibus?* Sane "statuta ecclesiæ antiquæ præcipiunt, eorum qui pauperes opprimunt dona a sacerdotibus esse refutanda : & merito, cum sint apud dominum abominabilia, testante super hoc scriptura : *Qui offert*, inquit, *sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* De ditibus quoque, & potentibus, qui pauperes opprimunt, in libro VI. capitularium capitulo CCCCXVIII. sic continetur: Vt ,, judices, aut potentes, qui pauperes opprimunt, si ,, admoniti a pontifice suo se non emendaverint, ex- ,, communicentur. Et ipsi quidem, nisi condignam de talibus gesserint pœnitentiam, sicut beatus testatur Paulus de rapacibus, regnum Dei non possidebunt. Cæterum regalis potestas tales punire debet secundum antiquorum regum sanctiones de his

Matth. 25. Iob 24. Habac. 2. Matth. 16. 1. Cor. 6. Epist. 54. ad Macedonium. Luc. 19.

Isai. 5. Ibidem. Ibidem. Isa. 9. Psal. 11. Ecclef. 35. Galat. 5. Psal. 10. Psal. 34. " Concil. Carthag. IV. cap. 94. Ecclef. 34. Lib. 6. c. 31.

ANNO CHRISTI 909.

his prolatas qui infra regnum rapinam fecerint, vel apud quam scelus agnoscitur, & pars rapinæ inventa fuerit, sive de eis qui diripienda indicare reperiuntur. Inter quæ, de eo qui facultatem deprædationis dederit, vel si quis factam diviserit, præcipitur libro VI. capitularium capite CCCXXXIV. ut vivus comburatur. Itemque capitale supplicium excipiat, qui violentiam commisisse dignoscitur.

Li.6. c.288.

Ibid. c.289.

VIII.

Est præterea quædam execrabilis species rapinæ, vel potius sacrilegii, quam ex ipso actu rustici raptum vocant, quod quantum sit malum, & non tantum divina, sed humana quoque autoritate damnatum, paucis monstrabimus verbis, ad cautelam omnium Christianorum nobis commissorum. Ac primo de puellis raptis, ac necdum desponsatis, quid sacri canones præcipiant, retexere duximus necessarium. In concilio Chalcedonensi ubi DCXXX. patres adfuerunt, capite XXVII. ita habetur: Eos qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes, & conniventes raptoribus, decrevit sancta synodus, si quidem clerici sunt, decidant gradu proprio; si vero laici, anathematizentur. Quibus verbis aperte datur intelligi, qualiter hujus mali auctores damnandi sint, quando participes & conniventes tanto anathemate feriuntur: & quod juxta canonicam autoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possunt. De desponsatis vero puellis, & ab aliis raptis, ita in concilio Ancyrano capite X. legitur: Desponsatas puellas, & post ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi quibus ante fuerant desponsatæ, etiam si eis a raptoribus vis illata constiterit. Proinde statutum est a sancto conventu, ut raptor publica pœnitentia mulctetur: raptæ vero, si sponsus eam recipere noluerit, & ipsa ejusdem criminis consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur. Quod si & illa consensit, simili sententiæ subjaceat. Quod si post hæc ei se jungere præsumpserit, utrique anathematizentur. Quid autem lex imperatorum de hujuscemodi raptoribus jubeat, in libro V. capite CCXXXIX. scire volens reperiet. Item in libro VII. capite CCXLVII. de raptoribus viduarum vel virginum ita decernitur: Sancitum est, ut raptores viduarum vel virginum ab ecclesiæ communione pellantur. Item, de his qui rapiunt feminas, ut eas non habeant uxores, & quid de raptis agendum sit, ex eodem libro capite CCCXCV. Placuit, ut hi qui rapiunt feminas, vel furantur, aut seducunt, ut eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, & eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. Si quis autem uxorem habere voluerit, canonice & legaliter eam accipiat, & non rapiat. Qui vero eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit, numquam eam uxorem habeat, sed propinquis suis eam legibus reddat, & in triplo bannum dominicum componat, & insuper canonice publicam pœnitentiam gerat. ad quod omnes una voce clamaverunt, dicentes: Ista omnes tenere firmiter volumus, & in perpetuum ab omnibus conservari optamus. Ergo decernimus & nos, secundum constitutionem antiquam, ut nullus occultas nuptias, aut raptum faciat, vel quam propinquus habuit ducat uxorem: sed dotatam, & a parentibus traditam, per benedictionem sacerdotum accipiat, qui vult uxorem, sicut in libro supradicto capite CLXXIX. monetur his verbis: Sancitum est, ut publicæ nuptiæ ab his qui nubere cupiunt fiant: quia sæpe in nuptiis clam factis gravia peccata, tam insponsis

Lib.1.c.102

Chalced. can.27.

Conc. Ancyr. can.10.

L.7 c.127.

A aliorum, quam in propinquis sive adulterinis conjugiis, & quod pejus est dicere, consanguineis, accrescunt vel accumulantur. Ex his autem procreari solent cæci, claudi, gibbi, & lippi, sive alii turpibus maculis aspersi. & hoc ne deinceps fiat omnibus cavendum est. Sed prius conveniendus est sacerdos, in cujus parochia nuptiæ fieri debent, in ecclesia coram omni populo: & ibi inquirere una cum populo ipse sacerdos debet, si ejus propinqua sit, an non, aut alterius uxor, vel sponsa, vel adultera. Et si licita & honesta pariter omnia invenerint, tunc per consilium & benedictionem sacerdotis, & consultu aliorum hominum bonorum, eam sponsare, & legitime dotare debet. Scribit namque de legitimo matrimonio beatus Augustinus ita: Talis esse debet quæ uxor habenda est, ut secundum legem sit casta in virginitate, & dotata legitime, & a parentibus tradita sponso, & a paranymphis accipienda, & ita secundum legem, & euangelium publicis nuptiis honestata, in conjugio licite sumenda, & omnibus diebus vitæ suæ, nisi ex consensu & causa vacandi Deo, numquam propter hominem separanda. & si fornicata fuerit, & vir ejus voluerit, dimittenda: sed illa vivente, altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non possidebunt: & pœnitentia illi accipienda. Nolite vos viri habere uxores, quarum priores mariti vivunt: adulterina enim sunt ista conjugia. Et hoc, ut diximus, omnino providendum est, ne ejus sit propinqua, quia scriptum est: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* Similiter scriptum est: *Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis eius commixtione maculaberis.* Et in decretalibus papæ Gregorii legitur: Si quis diaconam, aut monacham, aut commatrem spiritualem, aut fratris uxorem, aut neptem, aut novercam, aut nurum suam, aut consobrinam, aut de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit: & responderunt omnes tertio, anathema sit. Item: Si quis viduam rapuerit, vel furatus fuerit uxorem, vel consentientes ei, anathema sit. Et si quis virginem, nisi desponsaverit eam, rapuerit vel furatus fuerit, vel consentientes ei, anathema sit: & responderunt omnes tertio, anathema sit. Et alibi in canonibus præceptum est, ut nemo usque ad affinitatis lineam, & propinquitatem sui sanguinis, connubia ducat: neque virginibus, sine benedictione sacerdotis, quis nubere præsumat. oppido enim ista cavenda sunt ne fiant. Sed postquam ista omnia probata fuerint, & nihil impedierit: tunc si virgo fuerit, cum benedictione sacerdotis sicut in sacramentario continetur, & cum consilio multorum bonorum hominum, publice & non occulte ducenda est uxor, ut boni ab his filii domino miserante procreentur, & non tales sicut superius dictum est. Item in VI. libro capitulo CCCCIX. Si quis non æquo gradu, sed incestuoso ordine, cum iis personis, quibus a divinis regulis prohibitum est, se conjunxerit, usquequo post* pœnitentiam sequestratione testentur, utrique communione priventur: & neque in palatio habere militiam, neque in foro agendarum causarum licentiam habebunt. Nam si se quoquo modo prædicto incesto conjunxerint: episcopi, seu presbyteri, in quorum diœcesi vel pago actum fuerit, regi vel judicibus scelus perpetratum denuntient, ut cum ipsis denuntiatum fuerit, ab eorum communione aut cohabitatione sequestrentur. Res autem eorum ad primos parentes, usque ad sequestrationem perveniant, sub ea conditione, ut antequam segregentur,

Levit. 18.

Ibidem.

Greg. II. in synodo Romana I.

Li.6.c.306.

*dele post

ANNO CHRISTI 904. „ tur, per nullum ingenium, neque per parentes, A
„ neque per emptionem, neque per autoritatem re-
„ giam, ad proprias perveniant facultates, nisi præ-
„ fatum scelus sequestrationis separatione, & pœnitentia fateantur. Item ex libro legum Theodosii III. capite XII. Quod incesti non sint legitimi heredes, sed infamia sint notatæ utræque personæ. Quapropter iterum iterumque autoritate ecclesiastica interdicimus, ut deinceps, sicut canones ecclesiastici prohibent, nullus Deo devotam virginem, nullius sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam professam, vel sui proximam generis, aut etiam de cujus admixtione incestiva notam possit subire infamiæ, illicito connubio, aut vi, aut consensu accipiat conjugem: quia nec verum poterit esse conjugium, quod a meliori proposito deducitur ad deterius, & sub B falsi nominis culpa, incestiva pollutione & fornicationis immunditia perpetratur. Hoc vero nefas si agere cujuslibet gentis amodo homines sexus utriusque tentaverint, ab invicem omnimodis separati exilio perpetuo relegentur. Item in libro VI.

Codex Theod. l. III. XII.

Lib. 6. 309. „ capite CCCCXII. Scire vos convenit, quia blasphe-
„ miam Deo irrogat, qui cum Deo sacrata, vel cum
„ velata femina se commaculat. Item capite CCCCXIII.
c. 310. „ Si clericus cum velata femina, vel cum Deo sacra-
„ ta se maculaverit, proprio honore privetur. Item
c. 311. „ capite CCCCXIV. Sciendum est omnibus, quod
„ Deo sacratarum feminarum corpora per votum
„ propriæ sponsionis, & verba sacerdotis Deo con-
„ secrata, templa esse scripturarum testimoniis com-
„ probantur: & ideo violatores earum sacrilegi, ac C
Cor. 3. „ juxta apostolum filii perditionis esse noscuntur.

IX.

Sane quoniam hæc pestis non tantum populares quoslibet, sive superioris, sive inferioris ordinis, occupat homines, verum, quod non sine nostro pudore, & cum maximo fatemur dolore, ecclesiasticas commaculat dignitates: in tantum ut ipsi quoque sacerdotes, qui ab aliis debuerant hujus putredinem morbi resecare, computrescant in stercore luxuriæ: nec sua solum ignominiosa contenti perditione, bonorum etiam sacerdotum vitam sua lædant infami opinione, dum a sæcularibus dicitur, tales sunt sacerdotes ecclesiæ: D & sic dantes aliis offensionem vituperant ministerium sanctum, insuper & canonica sanctorum statuta violant patrum, quibus interdicitur cum feminis accessus & frequentatio ac cohabitatio clericorum: cogimur & priorum quædam commemorare decreta patrum, & contra nova recrudescentium semper genera morborum, novâ quærere experimenta medicamentorum. Unde nunc ea retexemus, quæ de talibus a bonæ memoriæ prædecessore nostro Hincmaro præsule in conventu presbyterorum in metropoli civitate Remorum habito, dicto & scripto prolata sunt anno ab incarnatione domini DCCCLII. hoc modo: De accessu autem & frequentatione ac cohabitatione clericorum cum feminis, unde secundum sacros canones in omnibus synodis specialiter interdicimus, firmiter & expresse atque solicite a nobis, & a comministris nostris est inquirendum. Sicut enim his qui domini in carne adventum præcesserunt, & his qui subsequuntur, pro temporum ratione sunt sacramenta disparia: ad religionem tamen unius ejusdemque fidei & salutis recurrentia, &, ut scriptum est, *pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*, per incrementa temporum, tam per seipsum, quam & per angelos in veteri testamento, in novo autem similiter per se, & per doctores catho-

Hincmarus ad presbyteros, cap. 21. *Hinc usque ad cap. X. Hincmarus*

Dan. 12.

licos ac magistros ecclesiæ, qui & attestante propheta angeli nominantur, aucta est sublimitas & multiplicatio præceptorum. Per se quidem dominus in paradiso Adæ, & post diluvium Noe mandata, & Abrahæ de circumcisione dedit præceptum, legem autem per angelos Moysi mediatori inter se & populum, ut ostendit apostolus. In novo autem testamento incarnatus per se, dicens: *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* & : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* & : *Dictum est antiquis; Qui occiderit, reus erit judicio*, &c. & per sanctos suos, de quibus dictum est: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Per incrementa temporum virtutem castitatis excrescere, maxime autem apud ministros ecclesiæ docuit, decernens hoc modo per mysticam Nicænam synodum: Interdixit per omnia „
magna synodus, non episcopo, non presbytero, „
non diacono, nec alicui omnino qui in clero „
est, licere subintroductam habere mulierem, ni- „
si forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel „
eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt. „
Et inde lex a Christianis imperatoribus est promulgata hoc modo: Quicumque clericatus utun- „
tur officio, extranearum mulierum familiaritatem „
habere prohibentur: matrum, sororum, vel filia- „
rum sibi solatia intra domum suam noverint tan- „
tum esse concessa. Sed quia sub occasione istarum „
personarum aliæ mulieres subintroduci cœperunt: sancti Africani canones decreverunt, ut nec ipsi episcopi, aut presbyteri, soli habeant accessum ad viduas, vel virgines, vel ad quascumque feminas: sed ubi aut clerici præsentes sint, aut graves aliqui Christiani. Unde, sicut beatus Gregorius ad ministros ecclesiæ Romanæ scripsit, beatus Au- „
gustinus nec cum sorore habitare consenserit, „
dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ „
non sunt. Et ex hoc dicit sanctus Gregorius: Docti ergo viri cautela, magna nobis debet esse in- „
structio. nam inhonestæ "præsumptionis est, quod „
fortis pavet, minus validum non timere. Sa- „
pienter enim illicita subtrahit", qui didicerit „
etiam non uti concessis. Et quoniam tunc temporis, novella adhuc fide, de legitime conjugatis, atque a conjugio ad continentiam conversis, clerici fiebant, unde & apostolus, si de conjugatis agendum erat, unius uxoris virum ad summum sacerdotium præcipit eligi: hunc Christiani imperatores legem decreverunt, dicentes: Presbyteris, & „
diaconis, & subdiaconis, & aliis in clero scriptis, „
non habentibus uxores, secundum regulas divinas „
interdicimus & nos, mulierem habere in sua do- „
mo, excepta matre, & filia, & sorore, & aliis per- „
E sonis, quæ omnem querelam effugiunt. Si quis „
autem adversus istam observationem mulierem in „
sua domo habuerit, quæ potest suspicionem inferre „
turpitudinis, & ille a conclericis suis audierit quod „
cum tali muliere non debeat habitare, & noluerit „
eam sua domo repellere, vel accusatore emergen- „
te probatus fuerit inhoneste cum tali muliere ver- „
sari: tunc episcopus, secundum ecclesiasticos canones, clero eum repellat, curiæ civitatis, cujus clericus est, tradendum. Et ut sanctus Innocentius, „
& prædecessor ejus Siricius scribunt, si priscis temporibus sacerdotes Dei de templo anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex

ANNO CHRISTI 909. Malach. 2. Matth. 5. Ibidem. Ibidem. Matth. 10. Concil. Nicæn. can. 3. Codex Theod. de episc. eccl. & cler. l. 44. Concilium Afric. can. can. 3. Gregor. lib. 7. indi. 2. epist. 39. " incautæ " superat 1. Tim. 3. Tit. 1. Novella Iusti. 123. c. 29. Innocent. epist. 1. ad Victricii.

ANNO CHRISTI 909.

ex alia tribu, & præter ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi sacerdotes vel Levitæ pudicitiam servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si Paulus etiam laicis scribit, dicens: *Abstinete ad tempus, ut vacetis orationi*: multo magis sacerdotes quibus orandi & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab ejusmodi consortio abstinere. Qui si contaminatus fuerit a carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare forsitan usurpabit? aut qua conscientia, quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum*? Et ne quis dicat, si habito cum mulieribus, sufficit mihi conscientia mea dicente apostolo: *Gloria mea hæc, testimonium conscientiæ nostræ*: attendat quod item idem dicit apostolus, per quem, ut ipse fatetur, veraciter loquitur Christus: *Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*. Quoniam, Augustino docente, sanctorum, quibus dominus dicit, *sancti estote*, conversatio non solum sancta, sed debet esse & cauta: ne forte cum mala non sit per lasciviam, sit mala per negligentiam. Et item apostolus præcipit: *Ut sine offensione omnibus simus: nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*, Et: *ne pereat in nostra conscientia frater, propter quem Christus mortuus est. Sic*, inquiens, *peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis*. Et ideo repleti Spiritu sancto statuerunt sancti patres nostri, ut ministri altaris mulieribus non cohabitent, neque subintroducant secum mulieres: ne vel concupiscentia urant, vel consensu pessimo polluant, & ne vel mala suspicione infirmorum conscientias maculent. Proinde de concubitu presbyterorum cum feminis, per parochianos, vel vicinos cujuscumque presbyteri, inquirere non laboramus. Abolita est quippe vetus hæresis, quæ Cynica, id est canina, propter impudicitiam fuerat appellata, dicens concubitum esse naturalem, & ob id agendum sine verecundia publice, cum legamus primos homines post peccatum inobedientiæ sensisse concupiscentiam in membris genitalibus, & a mutuis conspectibus contexisse. Nam licet humanæ mentis cæcitas in operatione turpitudinis, divinis & angelicis atque sanctorum qui in cælis sunt oculis abscondi non possit: tamen etiam quilibet rusticanus concumbens, & cum propria conjuge, prout potest plurimorum devitat aspectus: quanto magis presbyter, si sensum hominis habet, malum agens curabit abscondere, propter quod patefactum scit se non solum ecclesiasticum gradum amittere, sed & sua quælibet in sæculo perdere? Non igitur de hoc inverecunde quærimus, quod & apostolus non nudo, sed velato nomine, loquens apud legitime conjugatos, statuit appellare, dicens: *Iterum revertimini in id ipsum*. &: *Ne quis circumveniat in negotio fratrem suum*. tantummodo autem de accessu & frequentatione, ac cohabitatione presbyterorum contra canonicum interdictum cum feminis, per tales homines inquiremus, sicut sancti Africani canones jubent, id est, quos publicæ leges ad accusationem, vel ad testimonium recipiunt, sive in mallo, sive in audientia. Qui testes, ad exemplum Danielis, & sicut leges præcipiunt, examinabuntur. & si quiscumque presbyter, non solum in nostra parochia, sed in nostra diœcesi, confessus, vel legali ac regulari judicio fuerit convictus de cohabitatione, vel frequentatione, sive accessu cum feminis contra canones, dicente apostolo: *Si quis non obedierit verbo nostro, sive per verbum, sive per epistolam, hunc notate, & nolite commisceri cum eo*: modis omnibus, secundum decreta beati Gregorii, sine gradus sui restitutione deponetur, juxta capitulum magni Leonis papæ quo dicit: Hæc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, & prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid vero sit, quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut, si quis in illa commiserit, veniam deinceps sibi noverit denegari. Nam & B. Augustinus suo archiepiscopo de Abundantio presbytero suæ parochię ita scripsit: Qui cum non ambularet vias servorum Dei, non bonam famam habere cœpit. qua ego conterritus, non tamen temere aliquid credens, sed plane solicitior factus, operam dedi, si quomodo possem ad aliqua malæ conversationis ejus certa pervenire indicia. Ac primo comperi eum pecuniam cujusdam rusticani de vino apud se commendato intervertisse, ita ut nullam inde posset probabilem rationem reddere. Deinde convictus, atque confessus est, cum secum nullum clericum haberet, apud quamdam malæ famæ mulierem prandisse & cœnasse, & in vicinia, & in eadem domo mansisse. Nam quæ negavit, Deo dimisi: quæ occultare permissus non est, judicavi. Propterea, sicut Gregorius decrevit, per idoneos, ut præmisimus, testes, sacramento inquiretur de malæ famæ presbytero: & qui proinde jurabunt, hoc modo jurent: De hoc quod me interrogatis de isto presbytero quid inde sciam, me sciente nec mendacium tibi dicam, nec veritatem reticebo, sic me Deus adjuvet, & isti sancti Dei. Post istud sacramentum, interrogari debet hoc modo: Sancti canones præcipiunt, ut presbyter talem accessum & frequentationem ac cohabitationem cum feminis non habeat, unde mala suspicio, & inconveniens sacerdoti fama possit exire. Propterea dic mihi, si vidisti, aut pro certo scis, talem accessum vel frequentiam aut cohabitationem habere feminas cum isto presbytero, unde mala suspicio esse possit, & mala fama possit exire, illo sacramento quod modo jurasti, ut veritatem inde non reticeas, & mendacium inde non dicas. Exceptis accusatoribus, septem sint testes idonei, qui inde veritatem per sacramentum dicant, ex quibus sex jurent, & septimus, si conditio vel qualitas personæ permittit, ad judicium exeat quod illi sex veritatem inde per sacramentum dixerunt: quia multi jam deprehensi apud nos habentur, quoniam precio conducti se pejuraverunt. Et si hoc modo presbyter convictus fuerit de inconvenienti cohabitatione cum feminis, deponetur, sicut Zosimus papa decrevit, dicens: Sciat quisquis hoc postposita patrum & apostolicæ sedis autoritate, neglexerit, a nobis districtius vindicandum, ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, quidquid interdictum toties usurpatur. In lege est statutum, quod & in euangelio est confirmatum, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: & apostolus Timotheo præcipit, in cujus persona, ut Leo dicit, omnium Christi sacerdo-

Margin notes (left): 1. Cor. 7. — Tit. 1. — 2. Cor. 1. — Rom. 12. — 1. Cor. 10. — 1. Cor. 8. — 2. Cor. 6. — 1. Cor. 7. — 1. Thess. 4. — Concilium Africanum can. 96. 98.

Margin notes (right): ANNO CHRISTI 909. — 2. Thess. — Leo epist. ad Episcopos per Campaniam — Augustin. epist. 2… — Epist. ad Hesychium cap. 2. — Matt. 18. — 1. Tim. 5.

ANNO CHRISTI 909. Conc. Nic. can. 2. sacerdotum numerũ erudivit, ut accusatio adversus presbyterum non recipiatur, nisi sub duobus vel tribus testibus. Et sacrum Nicænum concilium, neophytum episcopum a duobus vel tribus testibus redargutum a clero abstinere præcipit. Sed quia in historia Susannæ duo testes, qui idonei videbantur; & in historia Nabutæ, verum & in historia passionis domini duo testes dixisse falsum testimonium legimus: quoniam Christus Dei virtus & Dei sapientia dicit: *Per me conditores legum justa decernunt*, &c. & sanctus Gregorius frequenter in epistolis suis causam ministrorum ecclesiasticorum legaliter & regulariter præcipit definiri: & sanctus Augustinus exponens sententiam apostoli, *Si quis frater nominatur fornicator*, &c. dicit: Noluit apostolus hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei, secundum ordinem ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum, atque convictum: eam nominationem volens intelligi, quæ fit in quemquam, cum sententia ordine judiciario, atque cum integritate profertur. Nam si nominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes: quia sæpe falso in quoquam crimen nominatur. In accusatione presbyterorum, de numero testium idoneorum autoritatem legum sequendam vidimus, ut septem scilicet testes idonei, ut supra diximus, requirantur: &, si ratio vel causa coegerit, quatuordecim vel viginti & unus testes quærantur, ut veritas patefacta monstretur.

Dan. 13. 3. Reg. 21. Matth. 26. Prov. 9. In libro de pœnitent. 1. Cor. 5.

Hincmarus ibid. c. 23. Si autem mala fama ex verisimilitudine per parochiam de presbytero exierit, & accusatores atque testes legales defuerint, ne infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministeriũ nostrum, neque securiores presbyteri existentes licentius in peccatũ labantur, secundum decretum Gregorii junioris fit jusjurandum in medio, & habeat malæ famæ presbyter in sacramento purgationis suæ eum testem, quem habebit & judicem. Et quoniam legimus in epistolis beati Gregorii sæpe infamatum sacerdotem in purgatione suæ famæ tantum jusjurandum præbuisse, & legalis atque apostolica & canonica autoritas, trium testium testimonium recipit ad condemnationem, non ab re videtur si recipiatur ad purgationem. In historia quoque sacra, & in epistola beati Gregorii, legimus beatum Petrum apostolorum primum, cum a fidelibus reprehensus fuit, cur ad gentes intrasset, humili eos ratione placasse, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuisse, dicens: *Venerunt autem mecum, & sex fratres isti*. & Carthaginenses canones decernunt, ut si presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis proprius episcopus legitimo numero collegarum, id est, una secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tres, ipsorum causam discutiant. Autoritati convenire dicimus, ut si presbyter infamatus fuerit, & accusatores uel testes idonei defuerint, secundum qualitatem ac quantitatem causæ atque personæ, & utilitatem ac sanctionem cordium infirmorum, aut singulis, aut cum aliis duobus testibus, aut cum aliis sex testibus, seipsum sacramento a mala opinione purget. Et non est contrarium decretum Gregorii junioris, si plures testes ad purgationem infamati presbyteri requiruntur: quia scribens idem pontifex ad Bonifacium Moguntinum episcopum per Denualdum presbyterum dicit, ut si probari idoneis testibus presbyter infamatus nequiverit, fit jusjurandum in medio: & non definivit, utrum ipse solus an cum aliis juret. Et quoniam, ut scriptum est, & in angelis reperta est nequitia; & teste Malachia propheta, atque euangelista Ioanne, sacerdotes angeli appellantur; & experti sumus quosdam ad invicem conspirasse, ut se mutuo in sua purgatione adjuvarent, sed revera nocerent, sicut & presbyteri pleni iniqua cogitatione adversus Susannam conspiraverunt: non incongruum videtur, ut cum credibili misso episcopi, presbyteri, qui in purgatione infamati sacerdotis, & una cum eo, ad jusjurandum se obtulerint, talem examinationem per advocatum infamati presbyteri recipiant, ut in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc jam revictos comperimus. Quia vero, ut sanctus Augustinus dicit, nova morborum genera nova quærere cogunt experimenta: hæc, præfatis autoribus instructi, non præjudicantes, si quæ sunt, sanius intelligentium sententiis, hoc modo agenda vidimus, quatenus & presbyteros a luxuriæ præcipitio revocare, & toties repetitam canonum prohibitionem a prævaricatoribus quoquo modo possimus evindicare, & nos de dissoluta correptione non judicemur, sicut Heli sacerdos damnatus est, quia filios suos, segnius ac levius quam debuerat, corripuerat, & ipse & filii ejus perierunt. Quia, ut Leo dicit, inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Et sanctus Gregorius dicit: Qui non corrigit resecanda, committit. Et item Leo scribens ad Ianuarium episcopum, singulis nobis dicit: Non autem dubitet dilectio tua, nos si, quod non arbitramur, neglecta fuerint quæ pro custodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos. Quia ut Hilarus papa dicit: Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsius domini injuriam prosilitur. Qualiter autem his agendum sit, qui per contemptum in sanctarum traditionum sanctiones delinquunt, vel in ipsius domini injuriam prosiliunt, sanctus Leo ad Rusticum episcopum decernit hujusmodi inquiens: Lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. A qua districtionis regula Spiritu sancto promulgata non licet nobis quacumque pietate indebita declinare: quia etsi debetur compassio proximis, rectitudo tamen debetur vitiis. Vnde sancta scriptura simplicitati rectitudinem semper conjungit, quia simplicitas sine rectitudine fatuitas est. Simplicitas igitur erga vitia, sicut catholici doctores dicunt, dissoluta & stulta est; & rectitudo erga proximos, sine pietatis simplicitate, austera existit & dura.

Greg. II. epist. 9. Hincmarus Cap. 24. Act. 11. Concilium Carthag. cap. 20. Hincmarus Cap. 25 Iob 4. ANNO CHRISTI 909. Malach. 2. Apoc. 1. Dan. 13. Hincmarus Cap. 26. 1. Reg. 2. Epist 3 ad. Ianuar. Ibidem. Hilarus. Idem.

X.

Omni fidelium ordini denuntiamus, cavendos esse summopere libidinis æstus, domino per euangelium præcipiente: *Sint lumbi vestri præcincti*. Denique cum oporteat nos contra reliqua vitia omni virtute resistere, contra libidinem non tam expedit repugnare, quam fugere. Vnde & apostolus Paulus præcipit dicens: *Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*. & iterum: *Fornicatores & adulteros judicabit Deus*. & cum ibidem dicat Apostolus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*: itemque: *Empti estis precio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*: absit ut brevi oblectatione miseræ carnis tollentes membra Christi, faciamus ea membra meretricis. Luxuria nempe carnis, cum Deo sit odibilis, ideo

Luc. 12. 1. Cor. 6. Heb. 13. 1. Cor. 3. 1. Cor. 6.

ANNO CHRISTI 929.

ideo bonis omnibus est notabilis, quoniam statim per seipsam est turpis. Cujus prima tela sunt oculorum, secunda verborum. sed qui non rapitur oculis, potest resistere verbis; & qui delectationem refrenat libidinosæ suggestionis, non transit ad consensum libidinis. Convalescit vero luxuria epulis, exardescit saturitate nimia ventris, perfodit animam stimulo ebrietatis. Inter delicias namque pudicitia servatur difficile. Denique saturitas cibi & potus mentem ad lusum, carnem movet ad luxum. Nec ideo tamquam sint deliciæ potentum, minor debet esse cautela pauperum: quoniam & in serico, & in pannis, exercet libido jus suæ potestatis: nec timet purpuram regum, nec spernit squalorem mendicantium. Hæc, cum vitam animæ perimat, & cor auferat, cæcitatem quoque menti ingerit, ipsum etiam corpus cito debilitat, fractumque in miseram celeriter senectutem præcipitat. & nisi solius Dei miserantis pietas manum benignissimæ extendens clementiæ, jacentem sublevet, & antequam mors veniat, resipiscere faciat, in infernum hominem mergit, & in pœnas tartari pertrahit. Væ denique illi, qui tunc habuerit terminum luxuriæ, quando, & vitæ. Idcirco nobis necessarium omnimodis est obtemperare salubri consilio scripturæ monentis: *Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere.* & iterum: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, & immunditiam, & concupiscentiam malam*, &c. Hoc omni gradui, omni ordini, & utrique obtestamur sexui, putridam prorsus fugere luxuriam, & succinctis lumbis castitatis tenere virtutem: scientes pro certo verissimam esse vocem apostolicam, quæ inter cætera terribiliter clamat: *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.*

Eccl. 18. Colos. 3. 1. Cor. 6.

XI.

Inter cætera quoque admonitionis nostræ officia videtur nobis illud satis necessarium esse, quatenus nefanda cohibeantur perjuria, non solum quæ alicujus factionis fiunt commento, vel fallendi aliosque decipiendi studio, sed & ea, quæ ex ipsa prava consuetudine jam veluti inolita pene per singula admittuntur verba ab eis, quibus æque falsa constat jurare ut vera. Cum, si forte propter eos, qui pigri sunt ad credendum, neque moventur ad fidem verbi, qui & in hoc graviter delinquunt, quod sibi loquentes jurare cogunt, necesse fuerit proferre jusjurandum, hos comites habere debeat jusjurandum, veritatem, judicium, & justitiam, dicente domino per prophetam Ieremiam: *Et jurabis, vivit dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.* Si enim ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium. Et vetus quidem lex jurare concessit, pejerare prohibuit: *Non assumes*, inquit, *nomen domini Dei tui in vanum: nec enim insontem habebit dominus eum, qui assumpserit nomen domini Dei sui frustra.* Quo mandato altius intellecto, dum sciamus nobis præcipi, ne Christum Dei Patris Filium existimemus esse creaturam, dicentes eum simplicem hominem, & honore divinitatis privantes: ad simplicem tamen sensum, ille nomen Dei sui in vanum assumit, qui in qualibet frivola re, & in dolo jurans proximo suo, aliquando in causa non necessaria, vel in verbo otioso, nomen sanctum ejus in tali vanitate assumere non pavescit. In novo autem testamento ipse dominus dicit: *Audistis, quia dictum est antiquis, Non perjurabis. Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, &c. Ergo euangelica veritas non recipit juramentum, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit. Sunt quoque multi qui assidue faciunt jurare, sed & non timent pejerare per Deum, & omnes sanctos: quidam per corpora sanctorum per animam vel suam, vel matris aut patris, aut alicujus cari sui, parvipendentes suæ ipsius animæ, suorumque salutem: quidam per totum jurant mundum, contemnentes illud dominicum præceptum: *Nolite jurare, neque per cælum, neque per terram*, &c. qui enim jurat in cælo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. Qui vult ergo cavere crimen perjurii, non teneat usum jurandi, dicente scriptura: *Jurationi non assuescat os tuum*, & item: *Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga.* Vnde Isidorus episcopus dicit: Sicut mentiri non potest qui non loquitur, sic perjurare non poterit, qui jurare non appetit. Numquam ergo juret, qui peccare timet. Quid vero de his dicendum est, qui, ut alios fallant, mentiuntur, vel quacumque verborum arte se potius quam alium decipiendo pejerant. Dominus namque, qui testis est conscientiæ, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit. Vnde sanctus Augustinus ait: Perjuri non sunt, qui verbis non servatis, illud quod ab eis, cum jurarent, expectatum est, impleverunt: & perjuri sunt, qui etiam servatis verbis, expectationem eorum quibus juratum est decipiunt. Hi miseri heu quantis rei tenentur criminibus, prævaricatores totius sacræ legis veteris & novæ proditi, quia loquuntur mendacium, quia assumunt nomen Dei sui in vanum, quia proximum dolo capiunt, insuper & perjurant. Tales, nisi condignam egerint pœnitentiam adhuc in vivis corporibus mortuas gestare videntur miseras animas. Qua de re a Christianis quoque regibus de sacramentis leviter non jurandis ita statutum est libro v. capite CCCXLIX. Volumus ut sacramenta cito non fiant: sed unusquisque judex prius causam veraciter cognoscat, ut eum veritas latere non possit, ne facile ad sacramentum veniant. Item de perjuriis cavendis, ex lib. v. cap. CCLXXVI. Præcipimus, ut perjuria caveantur, nec admittantur testes ad sacramentum antequam discutiantur. Et infra: Si quis convictus fuerit perjurii, perdat manum, aut redimat. Itaque cum propter cavendum perjurium necesse sit, si forte contigerit, servare jusjurandum: illud tamen volumus omnibus esse notum, quoddam juramentum nullo modo a Christianis observandum: videlicet quo malum aliquod incaute, vel etiam scienter, jurando promittitur. velut si quispiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur; aut, si quis, ne ad pacem redeat, vel ut aliquod flagitium committat, se sacramento constrinxerit. Tolerabilius est denique, non implere sacramentum, quam in illud quod male spopondit permanere, vel quod decrevit perficere flagitium. Et ne forte quis dicat, aut perjurium a nobis suaderi, aut hoc nullum vel parvum esse putetur: quid de talibus Ilerdense statuat concilium capite VII. commemoretur: Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno a communione corporis & sanguinis domini segregetur, reatum suum eleemosynis & fletibus, & quantis potuerit jejuniis absolvat. Ad caritatem vero, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet.

Ier. 4. Exod. 20. Matth. 5. Ibidem. Eccles. 29. Ibidem. Isid. lib. II. sentent. cap. 31. Lib. 5. c. 197. Concil. Ilerdens. can. 7.

XII.

Quia vero de discordantibus, iracundis, & litigiosis sermo nobis est, hæc quoque vitia quantum sint animæ nociva, quantumque omnibus Christianis cavenda, paucis demonstrare verbis

Anno Christi 909.

bis necessarium duximus. Dominus in euangelio A ait: *Væ mundo a scandalis. necesse est enim, ut veniant scandala: verumtamen væ homini, per quem scandalum venit.* (*Matth. 18.*) Cum enim necesse sit, ut beatus dicit Hieronymus, in isto mundo fieri scandala, & unusquisque suo vitio scandalis pateat: væ tamen ei homini, qui quod necesse est ut in mundo fiat, vitio suo facit ut per se fiat. Hinc Salomon: *Homo perversus suscitat lites, & verbosus separat principes.* (*Prov. 16.*) Item: *Semper jurgia quærit malus: angelus autem crudelis mitettur contra eum.* (*Prov. 17.*) Angelus crudelis immundus est spiritus, qui a domino contra peccantes & jurgia quærentes mittitur, ut eos, vel in præsenti affligat, vel etiam post mortem ad interitum B rapiat. Item Salomon: *Vir iracundus provocat rixas: qui autem patiens est, mitigat suscitatas.* (*Prov. 15.*) Item: *Qui meditatur discordias, diligit rixas.* (*Prov. 17.*) Cum talibus certe Deus non est: quoniam attestante Paulo apostolo: *Non est Deus dissensionis, sed pacis.* (*1. Cor. 14.*) In pace autem vocavit nos Deus. Hinc suavis doctor ecclesiæ Gregorius: Deus in unitate [illegible] illi ejus merentur gratiam habere, qui se ab invicem per sectarum scandala non dividunt. Et dominus in euangelio: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo.* (*Matth. 5.*) Unde supradictus doctor ostendens quam gravis sit culpa discordiæ, dicit: Munus a Deo non accipitur, nisi ante discordia ab animo pellatur. De iracundis quoque C dominus dicit: *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio.* (*Ibidem.*) Hinc Iacobus: *Ira viri justitiam Dei non operatur.* (*Iac. 1.*) & Paulus apostolus nos admonet, dicens: *Sol non occidat super iracundiam vestrã.* (*Ephes. 4.*) & Salomon: *Ne velox sis ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* (*Eccl. 7.*) item: *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* (*Prov. 18.*) itemque: *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?* (*Prov. 17.*) Ergo cohibenda est iracundia, pellenda discordia, refrenanda est rixa, ut non solum nostro vitio non provocemus quemquam, sed ut provocati, & graviter læsi, juxta Pauli vocem, simus cum patientia supportantes invicem, & donan- D tes nobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. Sicut Deus in Christo donavit nobis, ita & nos dimittamus invicem quod debetur nobis, ut dimittatur quod debetur a nobis. (*Coloss. 3.*) Tale quippe pactum cum Deo facimus in oratione, dicendo: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Luc. 11.*) Unde summopere cavendum est omnibus nobis. Qui enim non dimittit ei qui sibi facit injuriam, hoc petendo non pro se facit orationem, sed superinducit maledictionem: & frustra sibi Deum propitium fieri quærit, qui placari proximo neglігit. Et quia tales ab eo qui pax est separati sunt, jure & ab ecclesia separantur, nisi inimicitias deposuerint, decernente concilio Agathensi hoc modo capite XXXI. (*Concil. Agath. can. 3.*) Placuit etiam, ut sic- E „ ut plerumque fit, quicumque odio, aut longinqua „ inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari diu„ tina intentione nequiverint, a civitatis primitus „ sacerdotibus redarguantur. Qui si inimicitias de„ ponere perniciosa intentione noluerint, de ec„ clesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur. Et in concilio Carthaginensi statutum est (*Conc. Carthag. IV can. 93.*) „ capite XCIII. Oblationes dissidentium fratrum ne„ que in gazophylacio recipiantur. Quorum igitur obligatio in præsentis ecclesiæ non recipitur sacrario, horum procul dubio animæ a cælestis sacrarii, scilicet regni Dei, repelluntur consortio.

XIII.

Ideo tantopere compescendam monemus discordiam, & iram cum litigio, quia ex eis odibilem Deo & ejus dilectoribus scimus procreari sobolem, nefandum scilicet homicidium: quod crimen, quam grave sit, & quanta illud comitentur infausta, omnibus sanum sapiẽtibus patet. Cujus miseram originem idcirco altius repetere, & cunctis libet propalare, ut, dum omnes mortiferam ejus cognoverint esse radicem, aut nullo modo, si fieri potest, eam contingant, aut si forte, ut assolet, se ingesserit, mox primo attactu ejus amarissimum virus a labiis, antequam inficiantur, submoveant. Igitur cum protoplasti, qui ea naturæ qualitate creati fuerant, ut immortalitatis ac mortis capaces essent, post primæ prævaricationis reatum, non mori propria voluntate perdito, & posse mori jam non sponte retento, vel, ut ita dicamus, nõ posse non mori sibi acquisito, ita fuissent morte mulctati, ut etiam quidquid ex eorum stirpe esset exoitum, eadem teneretur pœna obnoxium, & quod illis propter peccatum successit pœnaliter, in ex eis nascentibus sequeretur naturaliter: non tamen hic serpentina antiqui hostis quievit invidia, sed quæ vetito se infuderat pomo, ut dulcesceret faucibus parentum, in sequentem transfusa propaginem, ad intima transiit præcordia filiorum. Et licet ipsa agente mors taliter intraverit in orbem terrarum, parum tamen sibi fecisse visa est, si jam mortales pateretur debitæ mortis expectare terminum. Unde, quod dictu lugubre est, in tantum se dilatando, & primæ conditionis innocentiam persequendo effudit, ut nec illi, qui primi in terra editi sunt, germani fratres pacem inter se & concordiam habere possent, sed cum adhuc soli cum parentibus totius orbis domini existerent, alter alterum invidendo occiderit, & præoccupato sibi debiti finis articulo, ante supremas maturæ metas vitæ, cum in terram suam redire coegerit. Cumque Deus illum sub maledicto redactum septupla pro tanto facinore ultione damnasset, ut & ipse usque ad septimam generationem fratricidii & invidiæ suæ vagus profugusque pœnas lueret, & progenies ejus in septima similiter generatione maledictioni subjaceret: cumque demum secundum homicidam Lamech, ut addito jam interdicti & maledictione mulctati sceleris crimine, sic addita multiplici vindicta, septuagies septies juxta interpretationem sui nominis percussisset: non sic quidem semel corruptus sensus, & avito infecta veneno humani cordis cogitatio, quæ ipso dicente domino, in malum prona sunt ab adolescentia sua, timore saltem pœnali ab impietate cœpta potuit refrenari (*Genes. 8.*): sed quo magis humani generis crevit propago, eo amplius non solum crudelium homicidiorum, sed & omnium scelerum concrevit magnitudo, ab invidia diaboli sumpto principio, dum illum imitantur qui sunt ex parte ejus. Quapropter quod divino nequaquam cohibebatur timore, necessario legis, & veteris, & novæ, & ecclesiasticæ, & sæcularis, prohiberi, & post prohibita perpetratum jure puniri debuit animadversione. Ideo de insanis homicidiorum patratoribus quid sancitum sit antiquitus ex parte retexamus. In Decalogo legis veteris dominus per Moysen præcipit: *Non occides.* (*Exod. 20.*) Item: *Qui percusserit hominem, & occiderit, morte moriatur.* In euangelio vero dominus per seipsum dicit: *Audistis quia dictum est antiquis, non occides, qui autem occiderit reus erit judicio.* (*Matth. 5.*) Ubi dum ira penitus tollitur, quis homicidii locus relinquitur? Dum enim jubemur verberanti alteram præbere maxillam, inimicos quoque diligere, ac pro persequentibus orare

ANNO CHRISTI 909.

orare, omnis, non dicam homicidii, sed & ejus, ex qua nascitur, iræ videlicet occasio aufertur. Qui vero, & quales, cujusque filii sint, & cujus opera faciant homicidæ, dominus loquens ad Iudæos manifestat, cum dicit: *Quæritis me interficere, quia sermo non capit in vobis.* Ac si diceret, non capit cor vestrum, quia non recipitur a corde vestro. si enim caperetur, caperet: caperet autem ad salutem, non ad perniciem. Item: *Vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.* Qualia denique sunt, quæ apud patrem suum viderunt, in consequentibus aperit, cum quis sit ille illorum pater patenter ostendit: ille videlicet quem imitati, non a quo sunt creati. Item: *Vos facitis opera patris vestri.* Cumque illi, sicut & adhuc quidam miseri, nomine Christiani, opere vero diabolici, gloriarentur de paternitate unius Dei, dicentes: *Nos*, inquit, *ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum*: audierunt: *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me.* Ac si diceret, dicitis Deum patrem, agnoscite me vel fratrem. Vtinam audiamus hoc nos Christiani, quod audire noluerunt Iudæi: ut si vere volumus de gratia paternitatis cælestis patris gloriari, & adoptivi ejus esse filii, diligamus ex toto corde fratrem nostrum dominum Iesum Christum, verum & proprium Filium Dei: diligamus & proximos nostros, secundum ejus imperium, sicut nosmetipsos: cognoscamus vocem loquelæ ejus, sicut propriæ oves ipsius: ne exprobret nobis quod dixit Iudæis: *Quare*, inquit, *loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem.* & hoc unde? *Vos*, inquit, *ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri facere vultis.* Et quasi interrogaretur, quæ sunt illius desideria: *Ille*, ait, *homicida erat ab initio, & in veritate non stetit. Homicida*, inquit, *erat ab initio*, utique in primo homine. Ex illo ille homicida, ex quo fieri potuit homicidium. invidit enim primo homini, & occidit hominem. Ergo qui illum imitando talia faciunt, vel facere desiderant, ejus utique filii sunt: & cum tali patre, nisi cito resipuerint, hereditabunt pœnas ignis æterni, qui paratus est illi, & angelis ejus, & filiis ejus. Et quia se locus impræsentiarum obtulit, ut de mendacibus quid loquamur, audiamus ipsum dominum ostendentem nobis quis pater mendacii & mendacium hominum habeatur. Cum enim dixisset de diabolo: *Ille homicida erat ab initio*, addidit unde: *& in veritate*, inquit, *non stetit, quia veritas non est in eo. cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus*, id est pater mendacii sui quod ipse genuit, quia a nemine illud audivit. Nam quisquis homo ab alio mendacium accipit, & dicit, mendax est, sed pater ejus non est. Mendaces igitur apud patrem suum diabolum vident & audiunt quod loquitur, id est mendacium, quod ex se natum idcirco docet proferri ore hominum, ut eorum animas per ipsum prolatum interficiat mendacium, attestante nimirum scriptura: *Os quod mentitur, occidit animam.* & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ignis ardentis sulphure. Propter quod omnes admonet apostolus Paulus: *Nolite*, inquit, *mentiri invicem.* Itemque: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* & Salomon: *Abominatio domino est lingua mendacii: qui autem fideliter agunt, placent ei.* & iterum: *Liberat animas testis fidelis: profert mendacia versipellis.* Item: *Qui quod novit loquitur, index iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus.* Hinc Iesus filius Sirach: *Noli*, inquit, *velle mentiri omne mendacium.* Cum enim, ut beatus pater Augustinus dicit, octo sint

[Margin: Ioan. 8. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem. — Sap. 1. — Coloss. 3. — Ephe. 4. — Prov. 12. — Prov. 14. — Prov. 12. — Eccl. 7.]

genera mendacii, nullo eorum a perfectis viris mentiendum est. Vnde Isidorus: *Summopere cavendum est omne mendacium.* & item: Omne genus mendacii summopere fuge. Omne enim quod a veritate discordat, iniquitas est. Esto in verbo verax, neminem mentiendo fallas, non aliud loquaris, & aliud facias: non aliud dicas, & aliud in animo teneas. Et in epistola Callisti papæ: Nihil mali vult qui fidelis est. si quis fidelis est, videat ne falso loquatur, aut cuiquam insidias ponat. Dicit psalmus: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Si quæritis, quare? quia veritati, quæ Christus est, contrarium est. Pertinet namque ad id quod non est, non ad id quod est. Si enim hoc dicitur quod est, verum dicitur: si autem hoc dicitur quod non est, mendacium est. Ideo, inquit, *Perdes eos qui loquuntur mendacium*: quia recedentes ab eo quod est, ad id quod non est declinaverunt. Licet quidam hoc non de omni mendacio, sed de hæreticis tantum intelligi velint. Nos autem fugientes a patre mendacii, curramus ad patrem veritatis, & loquamur veritatem ex corde & ore cum proximis nostris, ut mereamur inveniri participes veritatis æternæ, & Patri coæternæ, cum eo regnantes in sæcula. Sed revertamur ad homicidas, qui unum cum mendacibus dicuntur habere patrem, id est diabolum. Attendant quid dominus post diluvium famulo suo Noe dixerit: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu hominis: de manu viri, & fratris eius, requiram animam eius. Quicumque effuderit humanum sanguinem, sanguis ejus fundetur pro eo: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Qua sententia cum sub interminatione prohibeatur homicidium, tamen ne quis insipientium putet animam hominis in sanguine constitutam, quæ immortalis est, & quæ ideo sic appellatur, quasi anæma, id est a sanguine longe discreta, noverit sanguinem animarum typice intelligendum ipsum vitale, quo vegetantur, & sustentantur, & vivunt homines in carne per animam. Non enim sanguis hominis ad substantiam animæ creditur pertinere, quamvis alibi legislator dicere videatur: *Anima omnis carnis in sanguine est.* Quod non ideo dictum est, ut hoc sit anima, quæ est proprie spiritalis substantia: sed quod per sanguinem anima, ut diximus, typice significetur, per rem scilicet visibilem res invisibilis, sicut & illud: *Petra autem erat Christus*: non quia hoc erat, sed quia hoc significabat. Quo sensu & illud intelligendum est, quod sequitur: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur & sanguis illius.* Multi denique effuderunt sanguinem, & sanguis eorum effusus non est. perimuntur etiam plurimi veneno, vel suspendio, vel quolibet alio modo, & sanguis eorum non effunditur. Ergo cum ille qui occidit, sanguinem non effuderit, quomodo ejus sanguinem dominus effusurus est? nisi quia, ut diximus, sanguis hominis ipsum vitale eius, quo subsistit, debet intelligi: quod qui effuderit, id est, qui aliquo genere mortis hominem occiderit, fundetur sanguis illius, hoc est vitalis portio ejus: quoniam sicut illi, quem occidit, temporalem vitam, sic sibimet ipsi peccando vitam abstulit æternam. Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur. Cui simile est illud quod Petro dicitur: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ac si diceretur, omnes qui iniuste occidunt hominem, eadem occisione ipsi in anima pereunt. Et quia ad imaginem suam Deus hominem fecit, in eo quod huic manere ad æternitatem voluit: idcirco animas hominum ab his, a quibus de corporibus fugantur, requirit. Audiant igitur

[Margin: ANNO CHRISTI 909. — Psal. 5. — Genes. 9. — Levit. 17. — 1. Cor. 10. — Gen. 9. — Matth. 26.]

ANNO CHRISTI 909.

igitur dolosi & falsi testes Psalmistam dicentem: A *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Item: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* & quia tales abominatur dominus, abominabitur etiam illos & ecclesia. Unde taliter de eis in concilio Agathensi capite trigesimo quinto statutum est: Itaque censuimus homicidas & falsos testes a communione ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint. & in concilio Ancyrano capite vigesimoprimo. Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem se jugiter submittant, perfectionem vero circa vitæ exitum consequentur. De his autem qui homicidium non sponte committunt, in eodem Concilio capite vigesimo B secundo, sic dicitur: De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda vero quinquennii tempus explere. Et de homicidis maleficis, in concilio Elibeitano capite sexto. Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in finem impertiendam esse illi communionem. Igitur cum hoc scelus homicidiorum inter nostros jam crebrius actitatur, & non solum quorumlibet Christianorum, sed ipsorum etiam Christi ministrorum, insuper & summorum sacerdotum temerarie sanguis effunditur, & Dei timor, sacræque legis veteris & novæ observatio, ac sacerdotalis reverentia, canonum quoque statuta C conculcantur, atque omnis ordo ecclesiasticus a talibus passim confunditur, & ludibrio habetur, & repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum: quid nobis agendum est, dum religio sancta annullatur, dum fas & jus confunditur? Restat solummodo cum Psalmista proclamare ad dominum, & dicere: *Exurge Deus, judica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.* Verumtamen quos divinus non restringit, saltem humanus timor coerceat. Proponantur eis edicta imperatorum. In libro capitularium VI. capite XC. ita censetur: Qui occiderit monachum, aut clericum, arma relinquat, & Deo in monasterio serviat cunctis D diebus vitæ suæ, nunquam ad sæculum reversurus, & septem annos publicam pœnitentiam gerat. Ex eodem libro capite vigesimooctavo. Si quis sacerdotem, vel levitam, aut monachum interfecerit, vel debilitaverit, juxta statuta priorum capitulorum, quæ legi Salicæ sunt addita, componat, & insuper bannum nostrum, id est LX. solidos, nobis persolvat, & arma relinquat, atque in monasterio diebus vitæ suæ sub ardua pœnitentia Deo serviat, nunquam postmodum sæculo vel sæcularibus militaturus, neque uxori copulaturus. Item in libro VII. cap. CCXXV. De homicidis ita jussimus observari, ut quicumque ausu temerario alium sine causa occiderit, vitæ periculo feriatur, E & precio se redimere nunquam valeat. Et si contigerit ut ad compositionem quisque descendat, nullus de parentibus aut amicis eum quidquam adjuvet. quod si fecerit, suum wirgildum omnino componat. Cum ergo de istis tam districtum proferatur judicium, quid censebitur de nece episcoporum? Quod fortassis hic ideo videtur omissum, quia post sopitam persecutionis Christianorum, quæ a paganis exercebatur, sævitiam, vel si fuit rarissimum, vel nullum tam immane facinus inter Christianos est perpetratum: & idcirco quomodo pœniteri aut puniri debeat, hac non est lege diffinitum. Hoc tantum inter cætera capitularium

Psal. 5.
Psal. 54.
Concil. Agath. c. 35.
Concil. Ancyr. c. 21.
Ib. c. 22.
Con Illiber. c. 6
Psal. 73.
Lib. 6. c. 90.
Lib. 6 c. 97.
Lib. 7. c. 183.
Lib. III. c. 25.

scripta, libro V. cap. CCLXI. reperitur, quod qui episcopum occiderit, nongentis solidis culpabilis judicetur. Sane quomodo in talibus vindicandum sit, quia non hominis vindicta quæritur, sed Dei, ne quantum ad humanum spectat intuitum, tantum facinus remanere videatur inultum, & super eos, qui Dei vindices esse debuerant, dum suas gravius, Dei vero vel levius, vel nullatenus ulciscuntur injurias, justum ejus superducatur judicium, videat rex ut recta de talibus judicando nomen suum factis adimpleat. Videant duces ejus & comites, qui gladium Dei portant ad vindictam malefactorum, de quibus ait apostolus: *Principes non sunt timori boni operis, sed mali: vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malefeceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Et sibimetipsis, suisque prospiciant subditis, juxta exemplum Moysi famuli Dei, qui in Dei vindictam sibi conjunxit, armavit, & animavit filios Levi, & cum esset mitissimus, in quosdam idololatras puniendo eos velut desæviit, præcipiens suis: *Ponat vir gladium super femur suum.* Et rursus: *Ite & redite de porta usque ad portam, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum*: ne in omnem populum ira Dei desæviret. Si enim ipse rex videlicet, atque sui, quibus hoc agendum negotium instat, Dei judicium quoquo modo dissimulaverint, ipsi viderint. Stat namque firma Pauli sententia apostoli, in quo ipsa veritas Christus loquebatur, qua dicitur: *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum, eorumque qui veritatem Dei in injustitia detinent.* & post pauca: *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt*, id est, intelligere noluerunt, *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* & iterum: *Scimus quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* Nos vero talibus, si forte tandem aliquando vel in ultimis suis resipuerint, tamque gravium admissorum veniam corde tenus postulaverint, ne videamur eam, quæ claudi non potest, januam pietatis Dei obstruere velle, & de ejus misericordia aliquos, quod absit, desperare, immo, ut ita dicatur, mortuis mortem addere, nequaquam pœnitentiam denegari dicimus: cum Deum misericordem ad subveniendum miseris, ad benignitatis ejus portum confugientibus, paratissimum credamus, invitantem omnes ad pœnitentiam, atque per prophetam clamantem: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Quibus tamen pœnitentiæ modos & tempora juxta qualitatem peccati dicimus decernenda, sicut taxatur in concilio Africano capite decimo. Pœnitentibus, inquit, secundum differentiam peccatorum, episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. Item in eodem Concilio capite LXXIV. Ut sacerdos pœnitentiam imploranti, absque personæ acceptione, pœnitentiæ leges injungat. Nos quidem de istis quod nostrum erat egimus. Denique secundum sententiam beati apostoli Pauli, ut tollerentur de medio Christianorum qui hoc egerunt, jam judicavimus qui sic operati sunt, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis nobis & ejus spiritu cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die domini nostri Iesu Christi, si tamen pœnitentiam agere voluerint. Sic enim idem Apostolus se egisse testatur de his qui circa

Rom. 13.
Exod. 32.
Rom. 1.
Rom. 2.
Ezech. 33.
Concil. Afric c. 10.
Concil. ... c. 74.
1. Cor. 5.

ANNO CHRISTI 909.

1. Tim. 1.

circa fidem naufragaverunt, id est in fide male vivendo erraverunt, scribens ad Timotheum: *Ex quibus est*, inquit, *Hymenaus, & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare.* Si vero ut inceperunt in sua perseveraverint malitia, & divitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contempserint, secundum duritiam suam, & impœnitens cor, thesaurizantes sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: quoniam a nobis modo non traduntur satanæ in interitum carnis, ut spiritu salventur, sed ipsi potius seipsos ex toto tradiderunt satanæ, ut cum ipso in die domini nostri Iesu Christi pereant: nos quoque, cum omni ecclesia Christi, quia nec debemus, nec possumus, eis nec vivis nec mortuis communicabimus. Insuper & secundum potestatem nobis in beato Petro & in cæteris collatam apostolis, quibus dictum est: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis*, illius anathematis vinculo eos adhuc innodabimus, ut juxta Pauli vocem, quia non amant dominum nostrum Iesum Christum, quin immo oderunt, & persequuntur, & illum qui nomen eius cum sacra unctione gestabat, vicesque illius agebat, Christum domini interfecerunt, sit quisque eorum, qui hoc nefandissimum scelus opere perpetravit, & quicumque eis quoquo modo favendo, & communicando consentit, anathema maranatha, id est condemnatus, donec dominus redeat, vel perditio, sive ut dictum est, condemnatus in die judicii, quando dominus veniet. Gratia autem & misericordia domini nostri Iesu Christi sit nobiscum, & cum omni ecclesia eius. Amen.

Matth. 18.

1. Cor. 16.

XIV.

Quamquam superius de sacrilegis inter nos sermo sit habitus, ubi ex parte ostendimus, quam grave sit illud facinus, & qua pœna jure plectatur sacrilegus: tamen quia inter nostrates hic pessimus inolevit mos, ut defuncto ecclesiæ episcopo, mox a quibuscumque potentioribus pervadantur res ecclesiasticæ, quasi episcopi fuerint propriæ, cum etiam si ejus essent, contra omne ius id fieret: hoc tam immane sacrilegii facinus, & iam sæpius factum scientes dolemus, &, ne ulterius a quolibet præsumatur, autoritate Dei, & sanctorum ejus, qui cum illo regnant in cælo, nostro etiam episcopali ministerio, quibus Dominus licet indignis potestatem dedit in suis apostolis, dicens: *Quodcumque alligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælis*, interdicimus. Unde inter cæteras de hac re canonum constitutiones, in concilio Valentino cap. II. ita scribitur: Hoc etiam placuit, ut episcopo ab hoc sæculo jubente domino accersito, clerici ab omni omnino supellectili, vel quæcumque sunt in domo ecclesiæ, vel episcopi, in libris, in speciebus, utensilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omnino re, rapaces manus abstineant, & nihil latronum more diripiant. Qui nisi canonum autoritate cohibiti fuerint, omnia quæ pervaserint, metropolitani vel omnium comprovincialium sacerdotum districtione coacti, in pristinum statum redintegrare cogantur: ut nihil antistiti, vel dispensatori futuro necessariorum sub hac justa constitutione depereat. Quod ut confidentius justitia manente servetur, secundum Regensis synodi constituta, episcopo e corpore recedente, vicinior illi accedat episcopus, qui ex more exequiis celebratis, statim ecclesiæ illius curam districtissime gerat, ne quid ante ordinationem pontificis futuri, remanentium clericorum subversioni vel direptioni jam liceat. Ita ut de repertis omnibus inspectio certior, descriptioque fidelissima, si fieri potest, intra octavas defuncti, sub diligentia præsentis episcopi peragatur: dehinc ad metropolitani notitiam habita ordinate descriptio deferatur, ut ejus electione talis persona ordinandæ domui ecclesiasticæ procuretur, quæ vel consueta clericis stipendia dispenset, & creditarum sibi rerum, si forsitan tarditas in episcopo ordinando successerit, metropolitano congruis temporibus reddere possit rationem: ut sub hac salubri constitutione clerici stipendiis suis omnino contenti, labores non diripiant episcopi decedentis, & in vacuam ecclesiæ domum futurus pontifex non sine dolore succedat: sed magis de præcessoris sui dimisso possit & ipse gaudere, & aliis ministrare. Item cap. III. Similiter quoque modo parentibus & propinquis decedentis episcopi, si intestatus obierit, denuntietur, ut sine metropolitani vel comprovincialium sacerdotum conscientia, nihil de rebus defuncti occupare pertentent: ne forte hereditariis rebus etiam aliqua ad ecclesiam pertinentia vel permixta usurpent; sed usque ad ordinationem futuri expectent antistitis, aut certe, si longum fuerit, ad metropolitani, ut dictum est, admonitionem recurrant. Si quis autem immemor divini timoris, contra hæc sancta synodica clericus quisque vel laicus venire improba mente tentaverit, & communione & consortio privetur ecclesiæ: quia durum est ut ad illam conveniat, quam exspoliare non metuit: nisi forte spiritu meliori correptus, dum a præsumptione cessaverit, recuperat indulgentiam. Si autem rationabiliter modesteque unusquisque repetit quod sibi jure debetur, ei absque aliqua animadversione a metropolitano, vel cui injunxerit, aut res aut ratio non negetur. Hos etiam omnes canones constringunt, qui tam in præteritum, quam in futurum, res ecclesiæ vel episcopi usurpantes diripuerint. Item cap. IV. Illud etiam provido consilio, decernentes, ut quia sæpe sanctorum antistitum, per absentiam commendatoris episcopi, exequiæ differuntur, ita ut veneranda pontificis membra, dum tardius funerantur, injuriæ omnino subjaceant, episcopus, qui post mortem fratris ad sepeliendum eum solet invitatus occurrere, infirmum magis, & adhuc in corpore positum, admonitus visitare non differat, ut aut de relevatione sacerdotis amplius gaudeat, aut certe de ordinatione domus suæ fratrem admoneat, eisque probabilem voluntatem in effectum transmittat, ac recedentem a sæculo, post oblatum in ejus commendatione sacrificium Deo, mox sepulturæ tradat diligentissime, & superius constituta canonice non differat adimplere. Si autem, ut fieri solet, antistes obitu repentino discesserit, & collimitanei sacerdotes de longinquo minime adesse potuerint: uno die tantum cum sua nocte exanimatum corpusculum sacerdotis maneat, nec sine fratrum ac religiosorum frequentia, vel psallentium excubatione, servatum a presbyteris, cum omni diligentia in loculo conditum seorsim, non statim humetur, sed honorifice commendetur, donec sine mora invitato undecumque pontifice, ab ipso, ut condecet, solenniter tumuletur: ut & injuriæ tollatur occasio, & mos antiquus in sepeliendis sacerdotibus observetur. In decreto quoque synodali Toletana urbe gesto, can. III. sic legitur. Ea quæ competunt honestati contingit sæpe quorumdam desidia non impleri. Proinde quia notum est, quæ dignitas in exequiis

Matth. 18.

Conciliū Valentinum in Hispania c. 2.

Conciliū Regense c. 5.

ANNO CHRISTI 909.

Concilium Valent. can. 3.

Concilium Valentinum can. 4.

Concilium Tol. VI can. 3.

ANNO CHRISTI 909.

» exequiis morientis episcopi ex canonibus conser- A
» vetur, traditioni moris antiqui hoc tantum adjici-
» mus, ut si quis sacerdotum, secundum statuta Va-
» lentini concilii, ad humana decidentis episcopi
» membra venire commonitus, pigra voluntate distu-
» lerit, appellantibus clericis obeuntis episcopi apud
» synodum, sive apud metropolitanum episcopum,
» tempore anni unius nec faciendi Missam, nec com-
» municandi habeat omnino licentiam. Presbyteri
» autem, sive cæteri clerici, quibus major honoris
» locus apud eamdem ecclesiam fuerit, cujus sacer-
» dos obierit, si solicitudine pro exequiis aut jam
» mortui, aut continuo antistitis morituri, ad com-
» monendum tardi inveniantur, aut per quamcum-
» que molestiam animi id negligere comprobentur: B
» totius anni spatio ad pœnitentiam in monasteriis deputentur. Ergo cum de exequiis episcopi decedentis talis habeatur patrum constitutio, non ab re tamen ducimus, & nunc omnibus notum fieri, quatenus nullus audeat tantum scelus perpetrare sacrilegii, & quod nefas est, legesque prohibent alicui specialiter homini fieri, hoc nemo præsumat sanctæ matri ecclesiæ ullo modo facere. Et quoniam in quibusdam opportunitas locorum se offert, ut ad obitum, uel exequias alicujus ex nobis, duo vel tres episcopi convenire possint, & vestræ amabili in Christo fraternitati ita placitum esse dignoscitur: decet ut sancta caritas se ostendat in mortuorum funeribus, quæ in vivorum flagravit pectoribus. C Sane quia innotuit nobis sancta sedes apostolica, adhuc errores blasphemiasque cujusdam vigere Photii in partibus orientis in Spiritum sanctum, quod non a Filio, nisi a Patre tantum procedat blasphemantis: hortamur vestram fraternitatem una mecum, ut secundum admonitionem domini Romanæ sedis, singuli nostrum, perspectis patrum catholicorum sententiis, de divinæ scripturæ pharetris acutas proferamus sagittas potentis, ad confodiendam beluam monstri renascentis, & ad conterendum caput nequissimi serpentis.

XV.

His ita prælibatis, nunc omnes generaliter alloquamur, qui juste & pie volunt vivere in communione sanctæ ecclesiæ catholicæ, quæ est unum D corpus Christi, cui unus est dominus, una fides, unum baptisma. Quæ cum generaliter ab ipso suo capite Christo super petram, id est, super confessionem Petri sit ædificata: manifestum tamen est, in omnem Italiam, Gallias, & Hispaniam, nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes. Et quoniam ecclesia in nostris quoque partibus, ut dictum est, super hanc petræ soliditatem non tantum fundata, sed ab eo ejusque est successoribus etiam edocta, cum Dei gratia, ipsius beati Petri suffragantibus meritis, firmitatem fidei, quam primo percepit, hactenus inconcussam servare studuit, nullaque perfidorum consortia recepit. At E vero quia multi fide tantum Christiani sunt, opere vero a Christiana doctrina dissentiunt, & attestante Iacobo apostolo didicimus, fidem non solum otiosam, sed etiam esse mortuam sine operibus: ait enim: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habet? numquid poterit fides salvare eum?* (Iac 2.) Et beatus Hieronymus: Quid proderit, si impie agens Deum voce invocas, quem operibus negas? Sanctus quoque papa Gregorius: Quid prodest, si Redemptori nostro per fidem jungamur, si ab eo moribus disjungamur? Itaque ille vere credit, qui exercet opere quod credit. Magnopere satagendum est, ut qui fideles esse dicuntur, si cum fideli Abraham benedici cupiunt, qui non tantum ex fide, sed ex operibus justificari meruit, beate vivere studeant. Ille enim, ut sanctus ait Hieronymus, beatus est, qui & recte credendo bene vivit, & bene vivendo fidem rectam custodit. Sed heu, proh dolor! nostris, nostrorumque comministrorum, & qui jam discesserunt, & qui adhuc supersunt, tam incuria, quam insciencia, perditi vitiis multi, & pene innumerabiles adhuc inveniuntur in plebe ecclesiastica, cujuscumque sexus & ætatis pariter & conditionis, qui ad usque sua tempora senectutis necdum, ut debuerant, percepere fidei notitiam simplicis, usque adeo ut nec ipsius symboli verba salutaris, nec saltem supplicationem dominicæ noverint orationis. Hi vero tales etsi aliquid videantur habere bonæ conversationis, quomodo sine fidei fundamento ædificium construent boni operis? Et ad hæc quid excusationis prætendere possumus, dum tales a corpore exeuntes non ad vitam, quam non noverunt, sed ad mortem rapiuntur æternam, quam evadere sine fide, ex qua justus vivere creditur, minime potuerunt? Nos ergo, ut beatus ait Gregorius, pereunte populo auctores mortis existimus, cum duces esse ad vitam debuimus. Ex nostro enim peccato populi turba prostrata est, quia faciente nostra negligentia ad vitam erudita non est. Quam terribilem nimis, imminentemque nobis & ipsis damnationem, & per nos, & per secundi ordinis consacerdotes, omnimodis evadere conemur, erudientes assidue commissos nobis, & fidei verbis, & bonorum operum exemplis: ut in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum. ne de nobis dicatur: *Sacerdotes ignoraverunt scientiam.* & item: *Sacerdotes non dixerunt ubi est dominus, & tenentes legem nescierunt me.* (Ierem. 2.) & ne illam incurramus offensam, quam Heli sacerdos incurrisse dignoscitur eo quod (1. Reg. 4.) filios suos indigne agentes non digne corripuit.

GENERALITER OMNIBUS. Ergo primo omnium collocet sibi unusquisque Christianus, qui aliter Christianus vere dici & esse non potest, fundamentum Christianæ religionis, id est, fidem catholicam, ut credat in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum & verum Deum, trinum in personis, unum in substantia. Credat nihilo minus, quod sola persona Filii pro salute nostra carnem assumpsit, in qua passus est, & resurrexit, & in cælos ascendit, cum qua etiam ad judicium venturus est. Credat & in Spiritum sanctum, & quod in baptismate per eum tribuatur omnium remissio peccatorum: & quod ejus dono in ecclesia Christi per pœnitentiam, & per sacerdotale ministerium, incunctanter peccatorum detur indulgentia. Credat quoque veraciter in vera carne futuram in adventu Christi resurrectionem omnium. Hoc vere fidei fundamentum bonis necesse est exornetur operibus: quia sicut sine fide impossibile est placere Deo, ita & fides perfecta esse non valet, nisi per dilectionem operetur: insuper si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Exornetur ergo sancta fides, ut vera & fructuosa sit, spe, caritate, humilitate, castitate, continentia, sobrietate, unanimitate, concordia, justitia, misericordia, innocentia, & simplicitate, & ceteris his similibus quæ in dilectione Dei consistunt, & proximi. Videat unusquisque, ne ejus decorem diversis commaculet flagitiis. Inter quæ maxime hæc cavenda pervidemus, & quanto occultiora, tanto periculosiora esse pro certo scimus. Superbiam scilicet, quæ & de angelo diabolum facere, & de cælo novit præcipitare. Invidiam, a dia-

ANNO CHRISTI 909.

a diabolo inventam ad deiiciendum de paradiso hominem, & ad mortem in orbem terrarum introducendam. Odium & discordiam, prædictorum criminum sequaces, sed non minus perniciosos, quia matrem omnium virtutum caritatem expellunt, & illa fugata, omnia simul, si qua fuerint, bona opera pervertunt. Hæc igitur principaliter a fidelium cordibus sunt extirpanda, & cum his, ea quæ superius partim denotando perstrinximus, penitus abominanda. Similiter & illa, quæ quasi natutaliter in usu habentur, sicut sunt ebrietates, comessationes, contentiones, detractiones, & inimicitiæ, & his similia, quæ iuxta Apostolum homines a regno Dei excludunt: *Quoniam*, inquit, *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Simili modo & illa cohibenda omnimodis, quæ contra jus humanæ societatis, sicuti sunt furta, & iam superius dictæ execrabiles rapinæ, calumniæ, oppressiones, invasiones, quæ prius reddenda, postea sunt pœnitentiæ remedio corrigenda. Inhibemus quoque modis omnibus, cum ingenti protestatione, pessimam lucri rabiem, vsurarum scilicet adinuentionem, quam non minus clerici sectantur, quam laici, dominici immemores præcepti, quo dicitur: *Pecuniam tuam non dabis ad vsuram.* & iterum: *Non accipies a fratre tuo vsuram, nec amplius quam dedisti.* Exstant & alia diversorum criminum mala, quæ improbat & condemnat lex divina, pro quibus populus vastitate & gladio, fame & pestilentia atteritur, & ecclesiæ status infirmatur, regnumque periclitatur: ut sunt nefandissimæ cum masculis aut pecoribus pollutiones, pro quibus dulcis & benignus Deus noster ad amaritudinem iracundiæ tanto gravius provocatur, quanto contra naturam fieri comprobantur: & ut sunt illa, quæ ex paganorum ritu adhuc superesse videntur: scilicet magica, sortes, phylacteria, veneficia, divinationes, somniorum conjectationes: quæ omnia puniri jubet lex divina, quia manifestissime in talibus servitus est diabolica. De quibus in Concilio Ancyrano titulo XXIII. ita scriptum est: Qui divinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii iaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos. Similiter unusquisque Christianus caveat & ab his, quæ videntur quidem levia, sed contra divina fiunt mandata, a scurrilitate & stultiloquio, a fabulis otiosis, turpibusque & obscœnis sermocinationibus. Hæc nempe plurimi non solum in domibus & conviviis suis loquuntur, & libenter audiunt: sed etiam, ad provocandum Deum ad iracundiam, in basilicis illi & sanctis ejus consecratis, absque respectu timoris alicujus, irreverenter his vacare non desistunt. Servetur sane cultus honor & reverentia dominici diei, & sanctarum solennitatum. Iejunium quoque tam indictum, quam etiam quatuor temporum. Cessent mendacia pericu'osa & noxia, quæ assidue nimis fiunt, iuramenta, maledicta, turpia necnon cantica, & cætera his similia, quæ longum quidem est enumerare, sed pernecessarium cito corrigere. Considerantes igitur, nos omnium operum & sermonum, insuper & cogitationum, reddituros esse rationem ei qui venturus est in majestate terribili reddere unicuique secundum quod gessit, sive bonum sive malum, & peccata sive parva sive magna non posse impunita esse: ad flagella quoque, quę pro eisdem jam nunc juste, gravia quidem, sed minora quam meremur, patimur, non insensibiles, non incorrigibiles, non murmurantes, manum ejus ad feriendum extentam, quam ne percuteret anticipare neglexirnus, dum adhuc paterna pietate sicut filii verberamur, saltem ne usque ad internecionem, ne usque ad animam feriat, mitigare celeri conversione & condigna satisfactione curemus: ne sicut mali servi, & in præsenti districta animadversione feriamur, & ad severiora in futuro supplicia pertrahamur. Dum adhuc vacat, dum adhuc qui offensus peccata nostra propter pœnitentiam dissimulat, & ut ab ejus severitate ad illius bonitatem revertamur, blandimentis & minis clamat: non obduremus corda nostra, sicut hactenus patres nostri & nos egimus. Peccavimus enim cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Iam nunc ergo reversi ad conscientias nostras, & mala quæ gessimus dijudicantes, pura & vera confessione confiteamur domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Procidamus & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est dominus Deus noster, quia benignus & misericors est, præstabilis super malitia, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Si igitur ex toto corde conversi ad Deum, veram pœnitentiam, fructusque pœnitentiæ dignos fecerimus, crebris & sanctis instantes jejuniis, vigiliis castis, illique bene complacitis, & orationibus salso lacrymarum imbre perfusis, cum eleemosynis justis, cæterisque misericordiæ & caritatis operibus, atque profiteamur nos ad pristina impietatum nostrarum scelera nunquam redituros, juvante eius gratia, sine quo nihil possumus: si in istis perseveraverimus, satisfacientes Deo & ecclesiæ de præteritis peccatis per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, & per contriti cordis sacrificium: cito ejus, qui cor contritum & humiliatum non spernit, & cui proprium est misereri semper & parcere, misericordiam consequemur. Cito dicimus, quia apud benignum Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris. Ipse enim per prophetam loquitur, dicens: *Cum conversus ingemueris, salvus eris.* itemque: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Cum ergo tanta sit benignitas Domini Dei nostri non negligamus, non differamus, non tardemus converti ad ipsum, sed sicut nos hortatur sanctus Paulus apostolus, *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*, per Iesum Christum Dominum nostrum, cui est cum coæterno Patre & Spiritu sancto virtus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Gal. 5. — Levit. 25. — Concil. Ancyr. c. 23. — Ezech. 33. — Hebr. 4.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Heriveus Rem. archiep. his edictis annuens subsc.
VVito Rothomagensium episcopus subscripsit.
Rodulfus Laudunensis præsul subscripsit.
Erluinus Beluacensium episcopus subscripsit.
Raubettus Noviomagorum episcopus subscripsit.
Letoldus Catalaunicus episcopus subscripsit.
Abbo Suessorum episcopus subscripsit.
Stephanus Cameracensis episcopus subscripsit.
Hucbertus Meldensis ecclesiæ episcopus subscr.
Otfridus Silvanectensis episcopus subscripsit.
Stephanus Morinorum episcopus subscripsit.
Otgarius Ambianensis episcopus subscripsit.

NOTA IACOBI SIRMONDI S.I.

Trosleium vici nunc etiam nomen est paucis milibus distantis ab Augusta Suessorum. Vbi & alia deinceps hoc sæculo habita Concilia, quæ Flodoardus in chronico identidem commemorat. hujus enim an meminerit, quia partem illam chronici mutilam habemus, incertum est. Videntur etiam hoc concilium ignorasse canonum collectores Burchardus, Iuo, Gratianus, & posteri, ita de illo silent omnes: nisi quod nostra memoria primus eius testimoniis in epitome sua usus est Antonius Augustinus.

GVILLELMI

GVILLELMI COMITIS ARVERNORVM ET DVCIS AQVITANIÆ TESTAMENTVM.

Quo prima Cluniacensis monasterii fundatio instituta est anno Christi DCCCCX. *Caroli Simplicis regis post obitum Odonis anno* XIII.

CVNCTIS sane considerantibus liquet, quod ita Dei dispensatio quibusque ditibus consulit, ut ex rebus quæ transitorie possidentur, si eis bene utantur, semper mansura valeant præmia promereri. Quod videlicet divinus sermo possibile ostendens, atque ad hoc omnino suadens, dicit : *Divitiæ viri redemptio animæ ejus*. (Prov. 13.) Quod ego VVillelmus dono Dei comes & dux solicite perpendens, ac propriæ saluti, dum licitum est, providere cupiens, ratum, immo pernecessariũ duxi, ut ex rebus, quæ mihi temporaliter collatæ sunt, ad emolumentum animæ meæ aliquantulum impertiar. Quippe quia in his videor excrevisse, ne fortassis totum ad curam corporis redarguar in supremo expendisse : quin potius cum suprema sors cuncta rapuerit, quiddam mihi gaudeam reservasse. Quæ scilicet causa nulla specie vel modo congruentius posse fieri videtur, nisi ut juxta domini præceptum, amicos mihi faciam pauperes ejus, (Luc 16.) utque hujusmodi actio non ad tempus, sed continue peragatur, monastica professione congregatos ex propriis sumptibus sustentem. Ea siquidem fide, ea spe, ut quamvis ipse cuncta contemnere nequeam, tamen dum mundi contemptores, quos justos credo, susceperim, justorum mercedem accipiam. Igitur omnibus in unitate fidei viventibus, Christique misericordiam postulantibus, qui sibi successuri sunt, & usque ad sæculi consummationem victuri, notum sit, quod ob amorem Dei & salvatoris nostri Iesu Christi, res juris mei sanctis apostolis, Petro videlicet & Paulo, de propria trado dominatione: Cluniacum scilicet villam, quæ sita est super fluvium, qui Graona vocatur, cum cortile & manso indominicato, & capella quæ est in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sancti Petri apostolorum principis, cum omnibus rebus ad ipsam villam pertinentibus: villis siquidem, capellis, mancipiis utriusque sexus, vineis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, exitibus, & regressibus, cultum & incultum, cum omni integritate. Quæ etiam res sunt sitæ in comitatu Matisconensi, vel circa, suis unaquæque terminis conclusæ. Dono autem hæc omnia jam dictis apostolis ego VVillelmus, & uxor mea Ingelberga, primum pro amore Dei, deinde pro anima senioris mei Odonis regis, progenitoris ac genitricis meæ, pro me & uxore mea, salute scilicet animarum nostrarum & corporum : pro Avanæ nihilo minus, quæ mihi easdem res testamentario jure concessit : pro animabus quoque fratrum ac sororum nostrarum, nepotumque, atque omnium utriusque sexus propinquorum : pro fidelibus nostris, qui nostro servitio adhærent : pro statu etiam ac integritate catholicæ religionis : postremo vero, sicut omnes Christiani unius compage caritatis ac fidei tenemur, ita pro cunctis, præteritorum scilicet, præsentium, sive futurorum temporum orthodoxis hæc donatio fiat.

Eo siquidem dono tenore, ut in Cluniaco in A honore sanctorum apostolorum Petri & Pauli monasterium regulare construatur, ibique monachi juxta regulam beati Benedicti viventes congregentur, qui ipsas res perenni tempore possideant, teneant, habeant, atque ordinent. Ita dumtaxat, ut ibi venerabile orationis domicilium votis ac supplicationibus fideliter frequentetur, conversatioque cælestis omni desiderio & ardore intimo perquiratur & expetatur. Sedulæ quoque orationes, postulationes, atque obsecrationes domino dirigantur, tam pro me, quam pro omnibus, sicut eorum memoria superius digesta est. Præcepimus siquidem, ut maxime illis sit hæc nostra donatio ad perpetuum refugium, qui pauperes de B sæculo egressi, nihil secum præter bonam voluntatem attulerint, ut nostrum supplementum sit abundantia illorum. Sint ipsi monachi, cum omnibus præscriptis rebus, sub potestate & dominatione Bernonis abbatis, qui quamdiu vixerit, secundum suum scire & posse eis regulariter præsideat. Post discessum vero ejus, habeant iidem monachi potestatem & licentiam quemcumque sui ordinis, secundum placitum Dei, atque regulam sancti Benedicti promulgatam, eligere maluerint abbatem atque rectorem: ita ut nec nostra, nec alicujus potestatis contradictione, contra religiosam dumtaxat electionem impediantur. Per quinquennium autem Romæ ad limina apostolorum, ad luminaria ipsorum concinnanda, decem solidos præfati monachi persolvant, habeantque tui- C tionem ipsorum apostolorum, atque Romanum pontificem defensorem. Et ipsi monachi corde & animo pleno prælibatum locum pro posse & nosse suo ædificent. Volumus etiam, ut nostris, successorumque nostrorum temporibus, prout opportunitas atque possibilitas ejusdem loci se dederit, quotidie opera misericordiæ pauperibus indigentibus, advenis peregrinantibus, summa intentione exhibeantur.

Placuit etiam huic testamento inseri, ut ab hoc die, nec nostro, nec parentum nostrorum, nec fascibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet terrenæ potestatis jugo subjiciantur iidem monachi ibidem D congregati. Neque aliquis principum sæcularium, non comes quisquam, nec episcopus quilibet, non pontifex supradictæ sedis Romanæ, per Deum, & in Deum, omnesque sanctos ejus, & tremendi judicii diem contestor ac deprecor, invadat res ipsorum Dei servorum, non distrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet alicui personæ, non aliquem prælatum super eos contra eorum voluntatem constituat. Et ut hoc nefas omnibus temerariis ac improbis arctius inhibeatur : adhuc idem inculcans subjungo, & obsecro vos, o sancti apostoli Petre & Paule, & te pontifex pontificum apostolicæ sedis, ut per autoritatem canonicam E & apostolicam, quam a Deo accepisti, alienes a consortio sanctæ Dei ecclesiæ & sempiternæ vitæ prædones & invasores atque distractores harum rerum, quas vobis hilari mente promptaque voluntate dono : sitisque tutores ac defensores jam dicti loci Cluniaci, & servorum Dei ibi commorantium, harum quoque omnium facultatum, propter eleemosynam & clementiam & misericordiam pissimi Redemptoris nostri. Si quis forte, quod absit, & quod per Dei misericordiam & patrocinia apostolorum evenire non [illegible], vel ex propinquis, vel extraneis, vel ex quolibet conditione sive potestate, qualicumque c[illegible]ditate contra hoc testamentum, quod pro am[ore] D[e]i omnipotentis ac veneratione principum [ap]ostolorum

Petri & Pauli fieri sancivi, aliquam concussionem inferre tentaverit, primum quidem iram omnipotentis Dei incurrat, auferatque Deus partem illius de terra viventium, & deleat nomen ejus de libro vitę, fiatque pars illius cum his qui dixerunt domino, *Recede a nobis*, & cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutivit, & vivos infernus absorbuit, perennem incurrat damnationem: socius quoque Iudæ Domini proditoris effectus, æternis cruciatibus retrusus teneatur. Et ne ei in præsenti sæculo humanis oculis impune transire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, sortitus duplicem* direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter diris verberibus coercitus vix semivivus evasit, alter vero nutu superno percussus, putrescentibus membris, & scatentibus vermibus, miserrime interiit: cæterisque sacrilegis, qui ærarium domus domini temerare præsumpserunt, particeps existat, habeatque, nisi resipuerit, archiclavum totius monarchiæ ecclesiarum, juncto sibi Paulo, obstitorem, & amœni paradisi aditus contradictorem, quos, si vellet, habere poterat pro se piissimos intercessores. Secundum mundialem vero legem, his quibus intulerit calumniam, centum auri libras, cogente judiciaria potestate compulsus, exsoluat, & congressio illius frustrata nullum omnino obtineat effectum: sed hujus firmitas testamenti omni autoritate suffulta, semper inviolata ac inconcussa permaneat cum stipulatione subnixa. Actum Bituricæ ciuitatis publice.

Apoc. 13.

* *for.* correptionem.

SVBSCRIPTIONES.

Ego VVillelmus hanc auctoritatem fieri & firmari rogavi, ac manu propria roboravi.
Sigillum Ingelbergæ uxoris eius.
Sigillum Madalberti peccatoris Bituricensis archiepiscopi.
Signum Adalardi peccatoris episcopi.
Signum Attonis peccatoris episcopi.
Signum Villelmi nepotis eius.
Signum Armanni, & aliorum.

Anno XIII. regnante Carolo rege, indictione XIII. Ego Oddo Levita ad vicem cancellarii scripsi & subscripsi.

VITA ANASTASII PAPÆ III.

ANNO CHRISTI 910.

Anastasius quando pontifex factus.

ANASTASIVS, patria Romanus, Luciani filius, anno Domini nongentesimo decimo Sergio invasori sedis est subrogatus, tempore Lamberti & Leonis imperatorum. Sedit annos duos, & menses totidem. Ticinensem ecclesiam, teste Sigonio libro 6. de regno Italiæ, plurimis iisdemque magnificis ornamentis decoravit, concedens ei usum umbellæ, equoque vehi albo, crucem pręviam in itinere habere, & in Conciliis a læva pontificis assidere.

Hujus tempore Lambertus imperator, cum esset annorum triginta duorum, ab Vgone comite Mediolanensi in venatione occulte necatus est, summa regni deinceps ad Berengarium devoluta.

Lamberti & Leonis imperator. obitus.

Leo sextus eius nominis imperator orientalis, ventris profluvio laborans excessit e vivis anno imperii sui vigesimosexto. Præterea centum & tredecim novellas constitutiones, Iustinianum imitatus, de sacris simul & profanis ridicule nimis edixit. Extat una sub eius nomine epistola in bibliotheca sanctorum patrum de Christianæ fidei veritate inscripta, qua Spiritum sanctum a Patre Filioque procedentem profitetur his verbis: Ego sum Dominus Deus tuus, creator tuus, lumen de lumine, verbum de Patre, ex quibus Spiritus sanctus procedit. Quod ideo dictum velim, ut intelligas orthodoxam doctrinam hujus temporis viros disertos recepisse; exclamasse tamen, quod sine œcumenici Concilii autoritate in symbolo posita esset. Defuncto Leoni in oriente frater illius Alexander homo nefarius, anno ætatis suæ 20. una cum Constantino imperatoris Leonis filio puero succedit in imperio, & post sextum mensem imperii, propter contemptum Dei, & sanctarum imaginum, infami exitu, ut tradunt Curopalates & Aretas, mortuus est, solique Constantino imperium reliquit. Anastasius papa, cum sedisset annos duos & menses totidem, obiit anno Redemptoris nostri 912. sepultus est in basilica sancti Petri, ut habet epitaphium illius, quod ex Manlio recitat Baronius.

Leo profitetur Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere.

Anastasii papæ tempus sedis.

**" CONCILIVM NARBONENSE. APVD FONTEM COOPERTVM Anno Dom. DCCCCXI.

ANNO CHRISTI 911.

" *Cor.* Nantigisum.

DE eo *Ioannes Mariana libro* VIII. *historiæ Hispanicæ hæc refert.* Anno nongentesimo quadragesimo (*immo quadringentesimo undecimo*) conventus episcoporum est habitus ad oppidum, cui Fonti Cooperto nomen est, in agro Narbonensi. In eo conventu controversia inter episcopos " Antigisum Vrgelitanum, & Adulphum Pallariensem, agitata de finibus: ac vero de tota ditione Pallariensis, quam ad Vrgelitanos præsules pertinere Antigisus disputabat. Patrum sententia, Adulpho mortuo sancitum uti Pallaria urbs ab Vrgelitano præsule sacra peteret; quod certissimis documentis probabatur olim in usu fuisse. Actionum præses Arnustus Narbonensis, Tarracone a Mauris occupata: cujus præsulis partes fuissent controversias inter vicinos episcopos componere, juraque iis populis dicere. *Hæc Mariana. Cæterum hujus concilii annum fuisse Christi* 911. *didicimus ex schedis illustrissimi Petri de Marca archiepiscopi Parisiensis, qui eius acta ex Vrgelitanæ ecclesiæ tabulario descripsit. Et aliunde constabat habitum non fuisse anno quem assignat Mariana* 940. *cum Arnustus Narbonensis archiepiscopus qui ei præfuit, ante* 25. *ut minimum annos obiisset. Nam Agius Arnusti successor iam anno* 915. *Narbonensis erat archiepiscopus, ut intelligimus ex concilio Cabilonensi illius anni, cui interfuit.*

VITA LANDONIS PAPÆ.

ANNO CHRISTI 912.

Lando quando pontificatum adeptus.

LANDO patria Sabinus, Trani filius, successit Anastasio pontifici anno Christi nongentesimo duodecimo, tempore Constantini octavi imperatoris orientalis. Hic ad importunam instantiam potentissimi, nobilissimi, & impudentissimi scorti Theodoræ, quæ duarum filiarum, alteram Maroziam Sergio papæ, Theodoram vero alteram Adelberto marchioni Tusciæ prostituerat, & per hoc monarchiam urbis tenebat, Ioannem, quem illa turpissime deperibat, ex Ravennate presbytero episcopum Bononiensem creavit, defunctoque Petro Ravennate archiepiscopo, eumdem in ejusdem ecclesiæ Ravennatis archiepiscopum transtulit. Et paulo post quam rem tam fœdam peregisset, inquit Luitprandus libro 2. cap. 13. ex hac vita migravit.

CONCILIVM

ANNO CHRISTI 912.

*** CONCILIUM TURONENSE, A
Anno Christi DCCCCXII. de celebrando festo Translationis S. Martini.

Hujus concilii memoriam debemus sancti Odoni Cluniacensi abbati II. qui peculiarem libellum scripsit, De reversione B. Martini a Burgundia, *editum in Bibliotheca Cluniacensi. Eius hic summam exhibeo.* Normannorum Turonibus jamjam imminentium metu, Sancti Martini corpus Autissiodorum delatum fuerat. Rollone illorum duce Christianis sacris initiato, quod anno Christi 912. factum est, relatæ sunt ad Turonas sacræ reliquiæ. In reditu, *inquit Vincentius Bellovacensis, qui hanc libelli Odonis partem in compendium redegit*, qui- B cumque qualicumque incommodo detenti, etiam non rogantes, etiam non volentes sunt sanati. Nam duo paralytici de morbo suo victum quærentes, audientes quæ fiebant, commutato consilio, aptatis baculis sub ascellas repere magis quam fugere tentabant: fugientesque, inviti sanati sunt. Quod ipsi postea inviti confessi sunt, non audentes celare. Ingresso autem Martino fines parochiæ suæ, tempore brumali, omnia frutecta vestita sunt foliis & floribus; & tam cerei quam lampades accendebantur igne divinitus misso, maxime in duabus basilicis in ejus nomine consecratis, in Majori Monasterio, & ecclesia novi castri, in qua nunc usque servatur; & dextera lævaque in omnibus ecclesiis campanæ divinitus pulsabantur C nemine tangente. Factum est hoc anno a transvectione ejus XXXI. Id. Decembr. & synodali autoritate decretum est, ut hoc festum celebre ageretur, ab Adalardo archiepiscopo Turonensi, & Raymone Aurelianensi fratre Adalardi, Mainoldo Cenomanensi, Lupo Andegavensi, & suffraganeis totius provinciæ episcopis.

Speculi hist. lib. 24. c. 54.

G. C. In S. Odonis libello, gestum hoc memoratur anno 887. sed vel Odonis, vel librarii error est. id enim evenisse dicit Odo anno quo Rollo ad Christum conversus est: quem annum Christi 912. fuisse certum est.

VITA ET EPISTOLÆ
IOANNIS PAPÆ X. D

ANNO CHRISTI * 913.

IOANNES, de quo supra in Landone, ex archiepiscopo Ravennate factus est pontifex, vel potius pseudopapa, anno domini nongentesimo duodecimo*, tempore Constantini imperatoris orientalis. Theodora meretrix impudentissima in hujus speciei decorem vehementer exardens, Landoni pontifici subrogari procuravit eumdem, quem ipse Lando ex Bononiensi episcopo archiepiscopum Ravennatem ordinaverat. Fecerat illud Theodora, inquit Luitprandus, ne amasii ducentorum milliarium interpositione, quibus Ravenna sequestratur a Roma, rarissimo concubitu potiretur. Ita impudicus homo meretricis viribus Romæ pollens, factus est pseudopapa & nefarius sedis invasor. Quod ut fieri potuisse credas, memineris lector, Theodoram, ut testatur Luitprandus, duas habuisse filias, unam Maroziam nomine, quam Sergio pseudopontifici prostituit: alteram Theodoram, quæ per adulterium ex Adelberto Tusciæ marchione suscepit Albericum, qui hoc tempore urbis Romæ principatum usurpabat, eique fere solus dominabatur: præterea Maroziam post obitum Sergii nupsisse VVidoni filio Adelberti legitimo Tusciæ principi, cujus tanta erat potentia, ut rex potius quam marchio videretur appellandus. His fluctibus agitabatur navicula Petri. Verum Christus in ea dormiens patiebatur illam istis procellis operiri & immergi: sed non plane absorberi. Nam liberatam ab infinitis hæresibus, contra gravissima scandala reddidit adeo tutam, ut qua de causa hæretici novatores ecclesiam velut impii blasphemant, eamdem ob causam filii ejusdem ecclesiæ Deo grati Deum laudent & benedicant. Initium pontificatus Ioannis ad annum Christi 912.* referendum esse, certo argumento colligitur ex chronico Cassinate Leonis Ostiensis lib. 1. cap. 55. ubi ingentem victoriam de Sarracenis obtentam, dicit contigisse anno Redemptoris nostri 915. indictione 3. invasionis vero Ioannis anno 3. Quod si verum est, opus est affirmare eum anno 912. se in sedem apostolicam intrusisse. Ex rebus sub hoc pontifice gestis verisimile esse colligitur, quod qui invasor, fur, & latro ingressus erat, accedente cleri consensu legitimus Romanus pontifex haberi cœperit, quando copiis suis cum Alberico filio Adelberti marchionis Tusciæ conjunctis, cum eodem contra Sarracenos in prælium venit. Nam post Sarracenos debellatos diversæ legationes ex diversis orbis partibus pro palliis aliisve rebus implorandis ad eum missæ leguntur. Ad referendam gratiam Berengario pro auxilio quod contra Sarracenos tulerat, eumdem mense Septembri anno 915. imperatorem inunxit. Ex delictis pluribus retroactis conscientia sauciatus, animi dolore languens, legatum misit Compostellam ad venerandum corpus sancti Iacobi apostoli, deditque literas ad sanctum Sisenandum ejusdem ecclesiæ episcopum, petens pro se juges preces apud sanctum Iacobum Deo offerri, ut in hac vita, & in hora obitus sui, Deum propitium habeat. Cumque Sisenandus in pervestigandis Romanæ ecclesiæ ritibus totus intentus, invenisset eos in multis plane diversos esse ab iis qui in missali Hispanorum Mozarabi nominato continebantur, legatis pontificiis ex Hispania discedentibus suum ille adjunxit, per quem a Ioanne papa facultatem accepit emendandi ritus missalis sui in iis quæ maioris momenti viderentur. *Ambr. Morales chron. Hisp. lib. 15. c. 47.*

Ioannes papa per Theodoram meretricem in sedem pontificiam elevatus.

Theodora per quos urbi dominata fuerit.

* Immo 913 nam victi Saraceni an. 915 mense Aug. Ioannes pontificatum init an. 913 sub finem Ianuarii. Erat annus tertius.

Acta Ioannis papæ probant eum post actam pœnitentiam in sede cōfirmatum.

Idem pontifex Hilduinum Tungrensem episcopum, quem clerus & populus elegerat, rejecit, & Richarium abbatem a rege propositum ordinavit, eique causam & controversiam biennalem adjudicavit. *Flodoardus.* Seulfo Remensi archiepiscopo post Heriveum defunctum pallium misit. Cum hoc Heribertus comes Aquitaniæ potentissimus pactum iniverat, ut filius suus præficeretur Remensi ecclesiæ; ea nimirum intentione, ut potestate ungendi reges penes Remensem constituta, rex Galliarum ungeretur, quem ille electum vellet. Dum ergo ministri comitis moræ impatientes Seulfum archiepiscopum propinato veneno e medio sustulissent, filius Heriberti comitis, puer non dum quinquennis, proh scelus inauditum! electus est Remensis archiepiscopus. Factum plane monstrosum, nunquam hactenus in orbe Christiano visum nec auditum, imo nec puto mente conceptum, E Ioannes papa non modo non improbavit, sed factam potius electionem ratam esse voluit, muneraque episcopalia Abboni Suessonico episcopo commisit & delegavit: suoque hoc facto infamis pontifex posteris exemplum præbuit, ut complures principes non tantum hoc, sed etiam subsequentibus sæculis, proh dolor! adolescentulos sibi sanguine junctos in summas cathedras maximo malo ecclesiarum promoveri procuraverint. Opus sane tali pontifice dignum, quem infamis femina infami opere in solium Petri intruserat. *Flodoard. lib. 4. c. 10.*

Quinquennis puer fit Remensis archiepiscopus.

Hujus temporibus ecclesia Constantinopolitana inter Euthymii & Nicolai patriarcharum fautores schismate divisa, unita est, sublataque est con-

troversia

troversia illa de trigamia, quæ occasione Leonis Sapientis quarto nubentis Constantinopoli oborta fuit. *Curopalates*. Henricus post obitum Conradi factus est rex Germaniæ, qui cum velatam viduam Eruini senioris filiam duxisset uxorem, de sacrilegio correptus, illa deserta, pedibus Romam contendens pœnitentiam egit. Ad subjugandos Lotharingos profectus, per legatum Caroli Simplicis, dono accepit manum sancti Dionysii auro inclusam. Berengarius imperator, cum in odium Rodulphi regis fœdus injisset cum Saracenis, a suis occisus est. *Luitprandus*.

Quamdiu Ioannes sederit. Cumque post hæc omnia Ioannes papa annos sedecim sedem tenuisset, VVido Tusciæ Marchio, suasu Maroziæ conjugis, quæ quondam Sergio papæ prostituta fuerat, eumdem propter Petrum papæ germanum, quem summa invidia prosequebantur, sede amotum in carcerem conjecit: atque in eodem non multo post defunctus, vel cervicali ori ejus imposito pessime suffocatus fuit, atque dignum suis sceleribus finem accepit invasor & injustus detentor sedis apostolicæ: ut qui per impudicam matrem Theodoram, sacrosanctam sedem violenter arripuit, per filiam æque impudicam justa Dei vindicta ejectus, & in carcerem conjectus, ea simul cum vita caruerit. *Hæc ex Luitprando & Flodoardo Baronius*.

[a] Caroli Simplicis

EPISTOLA CAROLI III. [a] REGIS AD EPISCOPOS REGNI SUI.

Adversus Hilduinum ecclesiæ Tungrensis pervasorem, cujus loco Richarium ordinari jubet.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus vir illustris divina propitiante clementia rex Francorum, omnibus archiepiscopis & episcopis in regno nobis a Deo commisso constitutis, pax & salus ab eodem Deo æterno.

QVIA divinæ propitiationis beneficia, quæ ab ipso ab ipsis crepundiis experti sumus, nullatenus enumerare possumus: idcirco laudem domini loquetur os meum, & benedicet nomen sanctum ejus in sæculum sæculi. Vnde quia pluribus nostris exigentibus meritis multotiens adversa quæque sustinuimus, credimus non hoc ad nostræ damnationis meritum, sed ad gratiam suæ reconciliationis nobis fore permissum: ut flagellis ejus eruditi, discamus perversa cavere, & in cunctis ejus voluntatibus parere. Sicut vobis de multis notum est, cum olim quidam nostri fideles, a nostra debita fidelitate exorbitantes, vitam & regnum nobis auferre moliti sunt, euntes post inimicos nostros, eisque familiariter inhærentes, res & episcopia nostri regni ab ipsis dari sibi concupierunt.

CAPUT I.

Vt ergo de multis taceamus, unum, qui nobis nostris visceribus serpentinum virus infudit, vestræ sanctitati propalavimus; Hilduinum videlicet, qui contra regalem agens potestatem, contra quoque apostoli dicta, ubi dicitur: *Deum timete, regem honorificate*. (1. Petr. 2.) &: *Non est potestas nisi a Deo*. &: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: non est enim potestas, nisi a Deo*. (Rom. 13.) & adversus citharœdi David dicta, ubi ad dominum loquitur: *Imposuisti homines super capita nostra*. (Psal. 65.) Quique ultra Rhenum ad inimicos nostros proficiscens, minimeque reminiscens sacramentorum suorum nobis promissorum, eaque retro dorsum abiciens, ab Henrico inimico nostro episcopium Tungrensis ecclesiæ expetiit, suaque damnatione contra omnia statuta, tam sacrorum patrum, quam regum videlicet antecessorum nostrorum, usurpavit. De qualibus in libro regum capitulari ita dicitur: Si quis præsumpserit quam non meruit a principe vel seniore justo dignitatem, sacrilegus habeatur. & beatus Gregorius: Sicut qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit, vel qui importunus se ingerit, proculdubio est repellendus. Nam qui nititur ad altiora contendere, quid agit nisi ut crescendo decrescat? cur non perpendit quia benedictio illa in maledictum convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur?

II.

Cum quidam pestiferi viri, ut supra memoravimus, a nostra fidelitate deviarent, convocavimus archiepiscopos præsules XVI. nostri regni. Nonnullos etiam proceres, marchiones, & comites, optimatesque, ut eorum consilio, autoritate, atque virtute tantæ vesaniæ resisteremus. Inventum est, ut nova gibborum genera novis medicationibus secarentur ac sanarentur, pellentes eos episcopali autoritate, sacrorumque canonum constitutione, a cœtu & consortio Christianorum. Quorum præsumptione ac nefandæ tyrannidi Hilduinus se immiscens, datis Henrico suisque proceribus complurimis auri argentique ponderibus, non solum cum eis scienter participavit, sed etiam ex thesauris ecclesiæ Tungrensis, quos instinctu diabolico rapuerat, vel furatus fuerat, quibusdā minis ac terroribus egit, ut Herimannus Agrippinæ civitatis archiepisc. per violentiam Henrici suorumque fidelium, illum in pontificem consecraret. Nam si non fecisset, sicut ipse venerabilis archiepiscopus nobis postea in præsentia plurimorum retulit, sibi vitam resque ecclesiasticas auferret, omnemque familiam trucidaret, ac illorum bona diriperet. Ideoque absque legitimorum antecessorum autoritate eum consecravit, ut ipse adhuc testatur, sed tantis terroribus ac diris crudelitatibus coactus. Vnde in Niceno concilio ita ad locum invenitur: Si quis ex clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam ipse privetur communione, tamquam qui regulas confundit. (Concil. can. 5.) quæ longe lateque in diversis conciliis & capitularibus regum de excommunicatis inveniuntur.

III.

Idem etiam Hilduinus res nostri regni ex præfato episcopio invasit, diripuit, & pro libito abduxit, agens contra statuta Anacleti papæ, ubi dicitur: Sanctus Anacletus, qui ab ipso Petro apostolo ordinatus est presbyter, postea in sede Roma successor illius factus episcopus, cum totius mundi sacerdotibus iudicavit. (Anacletus epist. 1.) „Qui abstulerit, inquit, patri, vel matri aliquid, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est: mater vero nostra ecclesia est, quæ nos in baptismo regeneravit. Ergo qui pecunias Christi & ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atque homicida in conspectu justi judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & ut sacrilegus judicandus est."

IV.

Præfatus denique Hilduinus thesauros ecclesiæ Tungrensis & Aquisgrani palatii, juxta beati Lamberti corpus martyris in quadam arca positos, avida cupiditate rapuit, eosque inimicis nostris, suis videlicet fautoribus, contulit, & ecclesiæ abstulit. De quo quibusque hujuscemodi sacri canones ita decernunt: Si quis inventus fuerit aliquid de ministeriis ecclesiæ vendidisse vel abstulisse, qui

sacrile-

sacrilegium commisit, placuit eum in ordine ecclesiastico non haberi. Vnde beatus Augustinus XLVII. euangelii homilia Ioannis dicit: Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas: & ne contemnas, fur hic sacrilegus est, non qualiumcumque fur loculorum, sed dominicorum loculorum, sed sacrorum. Et post pauca: Quicumque aliquid de ecclesia aufert vel fraudat, Iudæ proditori comparatur.

V.

Hos ecclesiæ thesauros episcopis, & comitibus, & fautoribus, pro sua ordinatione dedit, non præ oculis habens statuta Africani concilii, quibus præcipitur ut nullus per pecunias ordinetur, ita inquiens: Si quis episcopus per pecunias obtinuerit dignitatem, dejiciatur, modis omnibus abscidatur, sicut Simon magus abscissus est a Petro. Item in concilio Calchedonensi: Si quis episcopus, presbyter, aut diaconus sub precio Spiritus sancti gratiam obtinere voluerit, proprii gradus periculo subjacebit; & nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed anathematizetur. n. 2.

VI.

Iam dictus Hilduinus ad cumulum suæ damnationis, ante venerabilis Herimanni præsentiam veniens, super sacra nefanda juravit, quod ego Carolus episcopium Tungrense dederim, & quosdam ex clericis & laicis jurare compulit. Quod quam sit absurdum quamque vitandum, sparsim sanctarum scripturarum testimonia approbant.

VII.

Memoratus præterea Hilduinus per domnum Herimannum episcopum tertio vocatus ad synodum, ut contra hæc quæ sibi objiciuntur responderet, si justam causam haberet, aut, si non posset, canonum feriretur spiculis. Qui quoniam quidem venire distulit, incidit sententiam Bonifacii papæ ita dicentis: Probat vera esse illa quæ adversus se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minime vult. Et ne dubitet, quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit. Et post pauca: Confitetur enim de omnibus, quisquis subterfugere judicium posse dilationibus putat. Item ipse: Si adesse voluerit, præsens si confidit ad objecta respondeat. Quod si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur.

[...]istola ad [...]rotorum [...]lios epi[...]pos.

VIII.

Omnes tam clerici quam laici supradictæ ecclesiæ, nostram adeuntes sublimitatem, luctuosis vocibus innotuerunt, quod jam sæpe memoratus Hilduinus cum suis prædonibus bona illorum diripuit, omnemque illorum facultatem & supellectilem abstulit, nihilque illis remansit, unde saltem sibi victus sufficientiam adhiberent. Addentes etiam in precibus, ut vestro consilio citius ageretur, ne amplius prædæ & direptioni paterent; sed illis ad ordinandum daremus pontificem Richerum, quem concorditer elegerunt. De quibus videlicet omnibus hic capitulatim insertis vestrum precamur pontificium, ut propter Deum, & debitam quam nobis polliciti estis fidelitatem, pro viribus exinde adjuvetis, ut noster honor in hujusmodi negotiis amplius non decrescat, & status sanctæ Dei ecclesiæ stabiliatur.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

Adversus Hilduinum.] Totius controversiæ summam compendio refert Flodoardus in chronico DCCCCXX. *Hoc anno, sequenti quoque, agitatur inter Hilduinum episcopum & Richarium abbatem de episcopatu Tungrensi contentio: siquidem rex illud episcopium Richario, quia Hilduinus a se defecit, cui prius ipsum concesserat, dedit. Hermannus vero archiepiscopus Hilduinum ibi episcopum, eligente clero ac populo, favente necnon Gisleberto, quem plurimi Lotharienses principem relicto Carolo rege delegerant, ordinavit. Carolus vero reversis ad se Lothariensibus & ipso Gisleberto, Richario abbati, non Hilduino, ipsum episcopatum consentiebat.* & an. DCCCCXXII. *Richarius, qui Romam profectus fuerat propter episcopium Tungrense, reversus est ordinatus a Ioanne papa episcopus, Hilduino ab ipso papa excommunicato, qui etiam illo abierat.*

EPISTOLA HERIMANNI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS, ad Richarium abbatem.

Mittit ei literas Ioannis papæ, quibus Romam una venire jubebantur.

Magnifice venerando omnique dilectionis affectu veraciter colendo Richero abbati, Herimannus sanctæ Coloniensis ecclesiæ servorum Christi famulus, præsens & permanens vale in Christo.

SANCTIMONIAM vestram, ut sæpe solemus, etiam nunc denuo postulamus, quo nostræ senectutis imbecillitati impræsentiarum incumbenti, pia intentione memores, orationum vestrarum remedia, quibus plus omnibus indigemus, impendere non dedignemini: nihilo minus ambigentes quin idipsum pro virium sufficientia pro beatitudine vestra die noctuque agere minime cessemus. Cæterum intimetur almæ reverentiæ vestræ, his nos diebus epistolam ex domino papa Ioanne transmissam accepisse: quæ quid contineat, sine permutatione literæ vel syllabæ, in hoc exemplari liquido perspicere licebit.

EPISTOLA IOANNIS PAPÆ X. AD HERIMANNVM ARCHIEPISCOPVM Coloniensem.

Iubet ut Romam veniat una cum Hilduino & Richario, qui de Tungrensi episcopatu contendebant.

Ioannes episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Herimanno sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopo.

CVM simus dominicæ plebis superna miseratione rectores, studiosius nos convenit Dei præsidium pro subditorum sæpe cogitare salute, ne frustratis, quod absit, animabus antiqui hostis insidiis, ante omnium pastorem districtam cogamur solvere rationem: quia ideo fidelis servus & prudens domini super familia constitutus esse dignoscitur, ut congruo tempore det illis fructum. Congruo tempore sacerdotes propositi Deo fructum dant, cum pro salute omnium sibi subditorum, quod opportunum est offerunt. Et quia vestra fraternitas sententiam apostoli reprobavit operando, qui monet nullo modo alicui leviter manus imponere, cum Hilduvinum, canonicis sibi obviantibus regulis, absque clericorum electione, & laicorum acclamatione, Gisleberti metu, episcopali infula decorare non denegastis, cum prisca consuetudo vigeat, qualiter nullus alicui clerico episcopatum conferre debeat, nisi rex, cui divinitus sceptra collata sunt. Quo vero ordine Gislebertus hoc quod illi concessum non est agere non metuit, ut arbitror, quia illicite præsumpsit, rationabiliter imbecille permanebit. Tamen quia Richerus, ut Caroli regis testimonium perhibet, atque nostri dilecti filii Berengarii gloriosissimi Imper. literæ testantur, primitus a clero electus, & a populo expetitus est: cur donum S. Spiritus, quasi temporale commodum, cui non licuit imponere nõ distulisti, omnino miramur, cum scriptum sit: *Intelligens gubernacula possidebit.* In vere-

Tim 5.

Prov. 1.

In veteri etiam testamento divina lege sancitum est, ut sacerdotes de sacrificio domini pectusculum sumant. (*Leuit 7.*) Non equidem ob aliud, nisi ut sacrificio discant, quid de semetipsis ipsi suo conditori debeant immolare. Et cum nosmetipsos Deo offerre sedulo debeamus, cur alios errantes sequi non contemnimus? cum scriptum sit: *Si separaveris preciosum a vili, quasi os meum eris.* (*Ierem. 15.*) Igitur quia magis hominis quam Dei formidine metuistis, quod inutiliter gestum est, nostra imbuti admonitione, ut citius emendare delectemini omnino monemus. Valde namque admirari non distulimus, cur contra rationem absque regis jussione agere pertentastis: cum vobis reminiscentibus hoc nullo modo esse debeat, ut absque regali præceptione in qualibet parochia episcopus sit consecratus. Tamen mediante Octobrio ad limina apostolorum cum Hilduvino & Richero venire satagite, ut ante præsentiam nostri nostrorumque episcoporum coadunati, quid ex hoc canonica jubeat autoritas explicare non denegetur. Et si forsitan pro paganorum metu tunc venire non valetis, in Kalendis Aprilis, omni occasione postposita, ad nos quantocius, sicut superius statutum est, pervenite. Et tunc omni errore radicitus extirpato, qui dignus inventus fuerit, per ostium ingrediatur in ovile ovium, & non aliunde, ut fur æstimetur. Quia nos Caroli regis decus nullo modo auferre volumus, sed pro vigore atque dilectione, vel consanguinitate nostri dilecti filii Berengarii gloriosissimi Imp. ut prior antecessorum suorum regum mos fuit, eum ita illibatam atque inconcussam dominationem obtinere delectamur: & sicut priores suos antecessores, nostrorum antecessorum autoritate, episcopum per unamquamque parochiam ordinare probabiliter statutum est, ita ut Carolus rex faciat confirmando jubemus. Tamen usque ad illud temporis, sicut superius statutum est, Leogis episcopatus in vestra maneat potestate: ita ut Hilduvinus illic aliquod sacerdotale ministerium nullo modo audeat exhibere.

Pergit Herimannus.

His apostolicis Romam vocati præceptis, ejusdem domini papæ sanctorumque canonum autoritate, eo vos præscripto inevitabiliter invitamus tempore. Valere vestram optamus almitatem, semper memores vestri memoris.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

Richero abbati.] Abbas erat Prumiensis monasterii: Gislebertus vero, quem Lotharienses ducem sibi adsciverant, ut dictum est, comes de Capræmon e dicitur a nonnullis.

EPISTOLA II. IOANNIS PAPÆ X. AD CAROLUM III. REGEM.

Significat se ad Herimannum scripsisse, ut cum Hilduvino & Richario Romam veniat: Hubertum etiam ob ecclesiæ Romanæ deprædationes excommunicasse.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Carolo glorioso regi.

CUM sincera in vobis caritas, atque perfecta mansuetudo clarescat, quia divina dispensatione hoc agitur, conditori nostro Deo immensas gratiarum actiones referimus. Unde hortantes vestram filiationem monemus, ut semper soliciti manentes, subditos quoque vobis commissos per abrupta diutius ire non permittatis. Quia in hoc vestri regni sceptra sublimia manent, cum Spiritus sancti dispensatione quod inutiliter gestum est emendare non negligitis. Noster namque dilectus filius Berengarius gloriosissimus imperator apostolatui nostro literas ex Richero a vobis electo in Leodio, atque a cuncto clero & populo, transmisit: & qualiter Gislebertus vester infidelis Hilduvinum illic consecrare præcipiendo non formidavit. Nos vero, prece dilecti filii nostri moti, Herimanno archiepiscopo nostri apostolatus apices transmittere studuimus, quatenus mediante Octobrio cum illis pariter junctus ad limina apostolorum non differat venire: ut tunc probabilibus documentis canonice, qui dignus est, approbetur; qui vero indignus esse contemplatur, tunc reprobatus appareat. Usque ad illud vero tempus, ut Hilduvinus in supradicta ecclesia, quæ Legia dicitur, aliquod regimen detinere, & sacerdotale officium exhibere non audeat, commonendo præcepimus. Tamen quia dilectio nostri filii in vobis abundanter emanat: dignum est sinceritas atque consanguinitas vestra ut in illo promptius appareat; & ita fidissimus ex vestra dilectione permaneat, quatenus ex illius adminiculo in præsenti cognoscatis. De hoc vero quod Gislebertus contra vestra sceptra inutiliter gessit, valde doluimus: eo quod prisca consuetudo, & regni nobilitas censuit, ut nullus episcopum ordinare debuisset absque regis jussione. Et quia Herimannus archiepiscopus, magis hominis quam Dei formidinem metuens, Gisleberti jussione Hilduvinum consecrare non distulit, hac pro ratione sententiam vocationis illi transmisimus, ut mediante Octobrio, &, si pro metu paganorum venire tunc nequeunt, in Kalendis Aprilis, omni remota occasione, tunc nullo modo cum Hilduvino & Richero venire differat. Quia tunc inibi conjuncti, ex decore vestri regni subtiliter colloquentes, ita radicitus hoc quod vobis per Gislebertum contingit extirpare non denegabimus, ut postmodum nec ipse, qui autor iniquitatis contra vestra sceptra gessit, nec alius aliquis audeat aliquam læsionem vestro in regno inferre. Illud etiam vestræ filiationi innotescimus, qualiter nos juncti cum Berengario gloriosissimo imperatore dilecto filio nostro, ad Hubertum, ut deprædationes atque incendia, quæ in sancta Romana ecclesia committere non formidavit, emendare studuisset, admodendo misimus: qui renitens, atque superba voce hoc contradicens, emendare noluit. Nos autem, secundum nostri ministerii effectum, illum sub excommunicatione misimus, eumque anathematis vinculo alligavimus cum omnibus suis sequacibus. Unde vestræ celsitudini hoc patefacimus, ut nullus vestri regni illum sequatur, vel ei adjutorium impendat, quia non solummodo qui eum sequuntur alligavimus, sed etiam qui ei adjutorium impendere delectantur.

** III. AD EPISCOPOS NARBONENSIS PRIMÆ,

Agii metropolitani ordinationem confirmat: Geraldum pervasorem damnat: Agio pallium mittit.

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, Reginaldo Biterrensi, Armano Tolosensi, Riculfo Elnensi, Gimaræ Carcassensi, VVigoni Gerundensi, Gerardo Agathensi, Teuderico Lutovensi, Huberto Nemausensi, item Teuderico Barchinonensi, Georgio Ausonensi, Rudolpho Orgelitanensi, ecclesiarum Christi reverendissimis ac sanctissimis episcopis.

SANCTITATIS vestræ literas de metropolitano Agio suscipientes, huic insidias & fraudes

des Gerardi nequissimi ei illatas agnoscentes, valde doluimus, & quasi nostro corpore suscipientes defecimus. Vnde vestræ sanctitati notum esse volumus, quia præfatus Geraldus falsidicus, ad hanc sanctam Romanam atque apostolicam ecclesiam, cui autore Deo deservio, veniens, a nobis quasi innocens, surripere voluit episcopatum, cui nos, licet ejus iniquitatis versutiam plenius non agnoscentes, commodare sine canonica censura noluimus. Ipse vero, ut multorum veridica relatione comperimus, nescio quas falsas epistolas per surreptionem, quasi ex nostro nomine vobis perferens, episcopatum Narbonensem hac occasione armata manu deprædatur, venerabilis Agius ejus insidiis captus, venire ad sanctam sedem apostolicam differtur, & alia quamplurima de illo, antequam per vestras literas, cognovimus audientes. Quapropter vobis per Eyminum archiepiscopum*, nostras apostolicas literas misimus, ut ipsum sæpe nominatum Geraldum per omnia falsidicum tenentes, inter episcopos non haberetis. Nunc, quia ejus malitiam, iniquitatem, atque fraudes, a vestra fraternitate pleniter agnovimus: volumus, atque apostolica autoritate mandamus, ut, sicut jam vobis scripsimus, & sacri canones testantur, eum inter episcopos non habeatis: quippe nec a clericis, vel populo civitatis sit expetitus, nec a vobis suis comprovincialibus more solito ordinatus. Privilegium, pallium, usum pallii, vestro metropolitano Agio, ut vestra petivit dilectio, misimus: quia nulli ecclesiæ hoc quod illi juste competit, denegamus. Optamus vos in Christo nunc & semper bene valere.

Vesonsionensem

CONSTITVTIONES EX CONCILIO GALTERI ARCHIEP. SENONENSIS.

Obiit 923. Archiepiscopus 53.

I.

STATVIMVS, ut abbates, & priores conventuales, qui nec venerint*, nec se excusaverint, prætendendo canonicum impedimentum, per octo dies ab ingressu ecclesiæ suspendantur, & pœna, quantum ad hoc concilius statuta est, sub comminatione majoris pœnæ, si aliis annis supra his culpabiles inveniantur*.

Videtur esse. ad nodum.

Videtur esse, mul-ntur.

II.

Propter scandala gravia quæ ex monialium conversatione proveniunt, statuimus de monialibus nigris, ne* aliquem dispositum recipiant in domibus suis ab aliquibus personis, nisi de licentia episcopi sui: maxime arcas clericorum, vel laicorum, custodiæ causa minime permittant apud se deponi.

forte aliquod depositum

III.

Item communiter omnes in refectorio comedant, & in dormitorio dormiant, nisi ex causa justa, & necessaria, de licentia speciali abbatissæ aliter fieri permittatur.

IV.

Item cameræ monialium omnes destruantur, nisi aliqua quæ in susceptione episcopi necessario retineatur, vel ad infirmariam faciendam, vel alia de causa, quæ episcopo justa & necessaria videatur.

V.

Item quod moniales nullatenus exire permittantur, vel extra pernoctare, nisi ex magna causa, & raro: & abbatissis injungatur, ne aliter egredi permittantur: & si aliquando abbatissa ex causa justa alicui permittat, eidem injungat quod sine mora revertatur.

A

VI.

Ostia suspecta & superflua obstruantur. Circa hoc autem episcopi diligentiam adhibeant & curam per se & per ministros suos; & vitas & conversationes ipsarum restringant: ut per eorum diligentiam scandala, quæ in præsenti de vita earum proveniunt, sopiantur.

VII.

Statuimus, ut omnes judices, tam ordinarii quam delegati, temperent se & refrenent a generalibus excommunicationibus: nec in generali participantes excommunicent, nisi valde gravis & enormis excessus contingat.

VIII.

B

Moneantur capitula sæcularium personarum; maxime cathedralia, ut ipsi conveniant, & ordinent, & tractent, quod in ecclesiis suis die & nocte, per se & per clericos ecclesiarum, divinum servitium assidue, competenter, secundum numerum institutorum, & facultatem ecclesiarum celebretur, & circa servitium divinum diligentiam & curam adhibeant efficacem, ita quod modus habendi se in ecclesia, tam in choro quam extra, evidenter & sufficienter, ubi emendatione opus erit, emendetur infra annum.

IX.

Moneantur etiam canonici & clerici sæculares, quod ipsi, in habitu suo & aliis, præcepta tradita in generali concilio fideliter & obedienter observent.

C

X.

Statuimus ut in locis sive prioratibus, ubi conventualis congregatio solet esse, si facultates illius ecclesiæ suppetant, conventus ibidem restauretur.

XI.

Item quod in domibus sive locis, ubi solebant esse prioratus, si facultates locorum sufficient, monachi vel canonici regulares ad divinum servitium ibidem celebrandum reducantur.

XII.

D

Monemus abbates & priores conventuales, quod tot servitores in abbatiis & prioratibus sibi subditis instituant, si ad hoc sufficiant facultates locorum, quot ibi deservire solent: & ne pensionem sive censum ab eisdem exigant, quem non solent exigere ab antiquo, nisi forte alicui ex justa causa ab episcopo suo permittatur.

XIII.

Statuimus quod clerici ribaldi, maxime qui vulgo dicuntur de familia Goliæ, per episcopos, archidiaconos, officiales, & decanos Christianitatis, tonderi præcipiantur, vel etiam radi, ita quod eis non remaneat tonsura clericalis: ita tamen quod sine periculo & scandalo ista fiant.

XIV.

E

Item antiquum statutum concilii provincialis rursus renovantes præcipimus, quod quando aliqua terra, propter delictum domini terræ vel ballivorum, supposita fuit interdicto, nullatenus relaxetur, donec ad arbitrium & moderamen relaxantis, presbyteris parochialibus de damnis & de perditis interdicti occasione illatis plane fuerit satisfactum, vel de satisfaciendo cautum.

ANNO CHRISTI 915.

** CONCILIVM CABILONENSE, IN ECCLESIA S. MARCELLI MARTYRIS, in suburbio.

CVM in nomine domini & salvatoris nostri Iesu Christi resideret dominus Austerius venerabilis archiepiscopus in suburbio Cabilonicæ civitatis,

Ex Severtii chronol.

vitatis, in ecclesia beati Marcelli martyris, cum archiepiscoporum & episcoporum collegio, videlicet cum Aldrado ejusdem urbis venerabili episcopo, Geraldo Matisconensi, Eymino Vesontionensi archiepiscopo, Agio Narbonensi archiepiscopo. Alisachar Belicensi episcopo, Odilardo Mauriennensi: anno videlicet dominicæ incarnationis DCCCCXV. indictione III. & nonnulla ibi pro juribus, de statu atque utilitate ecclesiæ canonice definirent: quidam presbyter Bererius nomine, eorum adiit præsentiam, proclamans quod quidam presbyter Ivo nomine quamdam villam ex parœcia S. Clementis, quam Bererius tenebat, contra jus ecclesiasticum usurpasset. Cujus querimoniam pontifices diligenti examinatione inquirentes, decrevere, ut villa ad matricem ecclesiam S. Clementis, antiquitatem suam reverteretur, via publica, quæ ab Arari incipit........ Et ut firmius teneretur, propriis manibus subfirmaverunt.

In eadem synodo, ut rerum Burgundicarum scriptores narrant, Roculfus comes Matisconensis, cum res ecclesiæ illius pervasisset, intentata, ni pareret, excommunicationis metu, ablata restituere coactus est.

ANNO CHRISTI 921.

CONCILIVM APVD TROSLEIVM, IN QVO ERLEBALDVS COMES EXCOMMVNICATVS, post mortem est absolutus anno DCCCCXXI.

De hac synodo, causisque, ob quas Erlebaldo inflicta fuerat excommunicatio, scribit in hæc verba Flodoardus libro IV. historiæ cap. XVI. Excommunicaverat, *inquit*, Heriveus præsul Erlebaldum comitem Castricensis pagi, propter Remensis episcopii terram quam pervaserat, ibique munitionem quamdam super Mosam construxerat, indeque frequentia ecclesiasticæ familiæ mala ingerebat. Insuper & castium Altmontem furtim nuperat. Sed cum nec ita cessaret a malis quæ cœperat, pergit archiepiscopus cum suis ad capiendam munitionem quam ille construxerat, Maceriasque nominabat: quam per quatuor pene hebdomadas obsidens, deferente tandem Erlebaldo, cepit, & dispositis inibi custodiis Remis rediit. At Erlebaldus profectus ad regem, qui tunc morabatur in pago VVarmacensi contra Henricum principem Transrhenensem, ibidem ab hostibus regis sibi supervenientibus interemptus est. Quem tamen postmodum in synodo. quam apud Trosleium idem domnus archiepiscopus cum diœcesanis suis habuit, intercedente rege, & obnixe flagitante, a vinculo excommunicationis absolvit. *Flodoardus idem in chronico:* Anno, *inquit*, DCCCCXXI. synodus apud Trosleium habita, cui præsedit Heriveus archiepiscopus. præsente quoque Carolo rege, cujus obtentu Erlebaldus ibi Castricensis absolvitur. *Hæc ibi hoc anno, cætera exposuerat anno præcedenti.*

ANNO CHRISTI 922.

** CONCILIVM CONFLVENTINVM octo episcoporum, præsentibus Carolo Franciæ, & Henrico Germaniæ, regibus.

Burch rd. l 7. c 30 Ivo p 9. cap. 66.

Anno dominicæ incarnationis DCCCCXXII. apud Confluentiam jussu venerabilium principum, Caroli videlicet & Henrici regum reverendissimorum, congregati sunt episcopi numero octo, Herimannus Agrippinensis archiepiscopus, Herigerus Moguntinensis archiepisc. Thiedo VVircebergensis episcopus, Luitharius Mindanensis episcopus, Doto Osneburgensis episcopus, Richgovuno VVormatiensis episcopus, Richuvinus Strazburgensis episcopus, Vncuvanus Padebrunensis episcopus, cum abbatibus, aliisque sacri ordinis viris quamplurimis.

CAPITVLA.

I. De incestuosis qui admonitiones sacerdotum contemnunt.

Qui ipso cooperante, & sententias eorum confirmante domino Christo, in synodali residentes conventu, multa utilia, ac sanctæ Dei ecclesiæ profutura, saluberrimo tractantes consilio, inter cætera quæ statuerunt hoc maxime necessarium, & instanti proh dolor! tempore per abusionem frequentissimum cognationis incestum summa cautela vitandum firmaverunt: hoc est, Ne ullus Christianus infra sextam * generationem nuptias copulare præsumat. Burchard. ibid. Ivo ibid. * Ivo, septimam.

II. III. IV. non extant.

V. De laicis qui proprias ecclesias habent.

Si laici capellas proprias habuerint, a ratione & autoritate alienum habetur, ut ipsi decimas accipiant, & inde canes, aut geneciarias * suas pascant; sed potius presbyteri ecclesiarum eas accipiant, & inde restaurationem ecclesiarum, & luminaria, & hospitum ac pauperum receptionem exhibeant, & pro sancta ecclesia, ac pro statu regni, Dei misericordiam studiose implorent. Burchard. l. 3. c. 239. Ivo p. 3. c. 281. Sed Burchardus Remensi concilio hunc canonem tribuit. * gynæcia. rias *Sic habet* i. *collectio decret. edita ab Ant. Augustino l. 3. tit. 13.*

VI. De ecclesiis monachorum.

Hoc quoque statutum est, quatenus ecclesiæ quorumcumque monachorum in singulis parochiis sitæ, episcoporum, ut decet, divinitus subdantur regimini, eisque debita obsequia in exercendis ecclesiasticæ curæ negotiis solicite exhibeant. Ipsi procul dubio monachi episcopis suis in omnibus obediant. Burchard. l. 3. c. 240. Ivo p. 3. c. 280.

VII. De eo qui Christianum mancipium seduxerit, & sic vendiderit.

Item interrogatum est, quid de eo faciendum sit, qui Christianum hominem seduxerit, & sic vendiderit: responsumque est ab omnibus, homicidii reatum, ipsum hominem sibi contrahere. Burchard. l. 6. c. 49. Ivo p. 10. c. 176.

VIII. De illis qui dum suæ proprietatis loca alicubi dare voluerint, decimam nusquam tradere se posse cognoscant.

Si quis vero laicus vel clericus, seu utriusque sexus persona, proprietatis suæ loca, vel res alicubi donare delegaverit, decimationum proventum priori ecclesiæ legitime signatum inde abstrahere nullam habeat potestatem. Quod si facere tentaverit, talis traditio irrita prorsus * ducatur, & ipse ad emendationem ecclesiastica coerceatur censura. Burchard. l. 3. c. 241. Ivo p. 3. c. 284. * Ivo dicatur

OBSERVATIO

OBSERVATIO GABR. COSSARTII S. I.

Hoc concilium recte huic anno attribuit V. Cl Petrus de la Lande, Burchardum secutus. Et satis alioqui constabat errorem esse apud Ivonem Carnotensem, neque potuisse anno 912. ipsi interesse Henricum Germaniæ regem, qui nisi anno 919. regnum adeptus non erat.

Canones collegimus ex variis titulis Burchardi, ut pote antiquioris Ivone, apud quem etiam reperiuntur Octo saltem fuerunt, ut ex Ivonis & Burchardi citationibus constat. Secundus, tertius, quartus apud eos non extant. Cæteros proponimus iisdem servatis numeris, quos apud illos reperimus.

Concilii locum recte observat idem fuisse Confluentes ad Rhenum, qui limes erat utriusque regni, Occidentalium scilicet Francorum & Orientalium. Quæ fuit eadem causa, cur Bonnam castrum anno superiore reges iidem convenerint.

ANNO CHRISTI 923.

CONCILIVM REMENSE INCERTI LOCI,

In quo pœnitentia indicta est iis qui bello Suessionico inter Robertum & Carolum reges interfuerunt anno * DCCCCXXIII.

* al 924.

ANNO dominicæ incarnationis DCCCCXXIII. episcopatus autem domni Seulfi secundo, convenientes sancti patres, Seulfus scilicet Remorum archiepiscopus, Abbo Suessionicæ urbis episcopus, Adelelmus Laudunensis, Stephanus Camaracensis, item Adelelmus Silvanectensis, Airardus tunc inibi ordinatus Noviomagensis, cum cæterorum ejusdem Remensis diœceseos episcoporum legatis, decreverunt hanc pœnitentiam his qui bello Suessionis inter Robertum ac Carolum acto interfuerant injungendam: videlicet, ut tribus quadragesimis per tres annos agant pœnitentiam: ita ut prima quadragesima sint extra ecclesiam, & cœna domini reconcilientur. Omnibus vero his tribus quadragesimis, secunda, quarta, & sexta feria, in pane, sale, & aqua abstineant, aut redimant. Similiter quindecim diebus ante natiuitatem sancti Ioannis Baptistæ, & quindecim diebus ante nativitatem domini salvatoris, omni quoque sexta feria per totum annum, nisi redemerint, aut festivitas celebris ipsa die acciderit, vel eum infirmitate sive militia detentum esse contigerit.

ANNO CHRISTI 924.

CONCILIVM APVD TROSLEIVM, IN QVO ISAAC COMES CVM STEPHANO episcopo Camaracensi redit in gratiam, anno DCCCCXXIV.

FLODOARDVS *in chronico*: Anno, *inquit*, DCCCCXXIV. Isaac comes quoddam castellum Stephani Camaracensis episcopi dolosa infestatione comprehendens incendit. *Et post alia*: Synodus episcoporum Remensis diœceseos apud Trosleium Octobri mense habita, Seulfo archiepiscopo præsidente: in qua Isaac comes ad emendationem & satisfactionem venit pro his quæ prave adversus ecclesiam Camaracensem perpetraverat: & vadatus argenti libras centum, pacatur cum Stephano præfatæ urbis episcopo, præsente Heriberto, & pluribus qui aderant, Franciæ comitibus.

NOTA SEVERINI BINII.

De hoc concilio in Galliis habito Flodoardus libro 4. capite 19. Duarum aliarum synodorum eodem loco celebratarum idem Flodoardus meminit: quarum una habita fuit sub præsidio Herivei Remensis archiepiscopi, in præsentia Caroli anno 921. Altera vero post occisum Seulfum, & quinquennalem Heriberti comitis filium Remensis ecclesiæ episcopum electum, celebrata est anno 927. in qua Herluinus comes publicam egit pœnitentiam, eo quod duxisset uxorem alia adhuc supervivente. Vide chronicum Cameracense libro 1. cap. 63

Extat supra sub Sergio III. anno 909.

ANNO CHRISTI 926.

CONCILIVM APVD CARILOCVM ANNO DCCCCXXVI.

EX *tabulis Carilocensis monasterii*: Anno incarnationis dominicæ DCCCCXXVI. domnus Ancherius sanctæ Lugdunensis ecclesiæ archiepiscopus, domnus quoque Geraldus Matiscensis ecclesiæ venerabilis pontifex, necnon Odelardus Maurianensis episcopus, ad Carilocum monasterium convenerunt, ibique diu vigilanti cura synodali consuetudine tractaverunt, qualiter ecclesiis locisque sanctorum desolatis propter pravorum hominum nequissimam cupiditatem subvenire potuissent, &c. *Enumerantur deinceps ecclesiæ decem, quas synodus monasterio diversis locis ablatas restitui jussit.*

ANNO CHRISTI 927.

CONCILIVM APVD TROSLEIVM, IN QVO HERLVINVS COMES POENITENTIAM subiit pro uxore quam duxerat alia vivente, anno DCCCCXXVII.

FLODOARDVS *item in chron.* Anno, *inquit*, DCCCCXXVII. synodus sex episcoporum apud Trosleium habita, contradicente rege Rodulfo, per missos Heriberti comitis, & mandante illi ut synodum differret, sibique obviam ad Compendium veniret. Quod ille agere renuit, synodo vero interfuit: ubi Herluinus comes ad pœnitentiam venit pro uxore quam duxerat, alia vivente. *Brevius etiam in historia Remensi lib.* IV. *cap.* XXI. Synodus, *inquit*, sex episcoporum Remensis diœceseos apud Trosleium habita, Heriberti comitis jussione convocata, rege tamen Rodulfo contradicente, patrata est.

ANNO CHRISTI 927.

CONCILIVM DVISBERGENSE, IN QVO ILLI QVI BENNONEM METENSEM EPISCOPUM excœcarant excommunicantur, anno dom. DCCCCXXVII. tempore Ioannis papæ X.

ANNO domini 927. Benno, dum in Alpibus eremiticam vitam duceret, electus est Metensis episcopus, & post biennium a Metensibus est excœcatus: cujus immanis sacrilegii causa hæc synodus congregata, omnes illius sceleris autores excommunicavit, & Adalberonem loco ejus substituit. Porro Benno hæc omnia patienter tolerans, exemplo magnæ tolerantiæ relictus, cognominatus est benedictus. *Flodoardus in chronico anno* 928.

Benno ex eremita episcopus Metensis.

ANNO CHRISTI 929.

VITA LEONIS PAPÆ VI.

LEO Christophori primicerii filius, hujus nominis sextus, factus est pontifex circa finem anni Christi 928. tempore Constantini imperatoris. Sequenti anno in carcerem detrusus, post sex menses & dies quindecim mortuus est. *Baronius ex Vaticanis indicibus anno* 929. *numero* I.

Leo VI. quando & quamdiu pontifex.

CONCILIVM GRATELEANVM AB ATHELSTANO REGE ANGLORVM habitum, circa annum domini DCCCCXXVIII.

In quo leges plurimæ, cum civiles tum ecclesiasticæ, statuuntur: prætermissis vero illis, collector has concinnavit.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *De decimis reddendis, paupere alendo, & eleemosyna e regiis prædiis annuatim eroganda.* Ll. Sax. in proœmio. Iorn. cap. 1.

II. *De irruptione in ecclesiam.* Ll. Sax. cap. 5. Iorn. cap. 10.

ANNO CHRISTI 928.

III. *De sagis.* Ll. Sax. cap. 6. Iorn. cap. 11.
IV. *De monetariis.* Ll. Sax. cap. 14. Iorn. cap. 20.
V. *De ordalio se sistere spondentibus.* Ll. Sax. cap. 23. Iorn. cap. 30.
VI. *De rerum emptione in die dominica.* Ll. Sax. cap. 24. Iorn. cap. 32.
VII. *De peierantibus.* Ll. Sax. cap. 25. Iorn. cap. 34.
VIII. *De has leges non exequentibus.* Ll. Sax. cap. 26. Iorn. cap. 34.
IX. *De legum latoribus, & loco.* Ll. Sax. cap. ult. Iorn. cap. 35.

CAPITVLA.

I.

Ego Æthelstanus rex, ex prudenti Vlfhelmæ archiepiscopi aliorumque episcoporum meorum consilio, summopere iis omnibus qui in ditione nostra sunt præfectis, per sacrosancta Dei omniumque sanctorum numina, & pro mea in eos benevolentia, mando & præcipio, ut præ cæteris justas ex meo ipsius proprio, ac debitas pendant tam vivorum animalium, quam annuorum terræ proventuum, decimas: id quod singuli episcopi, senatores, præpositi præterea nostri faciunto. Episcopi autem, & præpositi nostri omnes qui sedent in alios judices, sub eadem formula judicia exercento, atque hæc omnia ad eum quem in hoc condiximus diem (festum scilicet Ioannis Baptistæ capite truncati anniversarium) conficiunto.

Porro autem nobiscum cogitemus, atque animo diligenter expendamus, quod Deo dixerit pater excelsus Iacob: *Decimas meas & hostiam pacificam offeram tibi:* & quod dominus in euangelio fatus est: *Omni dabitur habenti, & is abundabit.* Recolamus præterea quæ in hoc ipso minaciter scripta sunt libro: *Si decimas dare noluerimus, sola nobis remanente decima, novem detrahentur partes.* Sermone etiam admonemur divino terrenis cælestia, & caducis his nostris æterna illa promereri. Quandoquidem igitur audistis quid dominus jubeat, quidque nos exequi debeamus: ea mihi vos tantummodo comparetis velim, quæ juste ac legitime parare possitis. Neque enim mihi ad vitæ usum quidquam injuste acquiri cupiverim. Etenim cum ea ego vobis lege vestra omnia benigne largitus sim, ut mea mihi vos itidem concedatis: prospicitote sedulo, ne quis vestrum, neve eorum aliquis qui vobis paruerit, offensionem aut divinam aut nostram concitetis.

Genes. 28. *Matth.* 25. Rex justa tantum a subditis poscit.

Ego Æthelstanus rex clare omnibus qui in ditione nostra sunt præpositis significo, me ex Vlfhelmæ archiepiscopi aliorumque episcoporum & servorum Dei consilio, ad expianda peccata mea statuisse, ut præfectorum quisque Anglum unum (si quidem ejusmodi quis inter eos fuerit) cibo sustentet; si non fuerit, aliunde quæsito ad hunc modum victum subministret. Ex binis singulis villis meis, quoque dantor mense, amphora farinæ una, porci perna una, aut quatuor denariis æstimandus aries, atque in singulos annos operimenta corporis. Libertate insuper mulctatum unum aliquem pristinæ restituunto libertati. Atque hæc omnia pro Dei in nos omnes misericordia, nostraque in eos benevolentia, præsente illius regionis episcopo fiunto. Quin si præpositorum quisquam hoc sciens prætermiserit, triginta mulctator solidis, eaque inter oppidi illius, in quo fuerit hoc prætermissum, egentes, præsente episcopo mulcta distribuitor.

Præpositi singuli singulos alant pauperes. Et servum liberent.

II.

Si quis ipsa triplicis ordalii sententia in fanum irrupisse convincatur, is, prout in libro habetur judiciali, compensato.

III.

Sagæ, mulieres barbara factitantes sacrificia, aut pestiferæ, si cui mortem intulerint, neque id inficiari potuerint, capitis pœna esto. Sin omni se criminis suspicione liberare conantes, ipsa triplicis ordalii sententia in reas referantur, 120. dies in carcerem conjiciuntor: quibus peractis, 120. solidorum numeratione earum eas cognati custodia liberanto, atque cognatis interfecti justam capitis ejus æstimationem pendunto. Illæ vero, se id genus sceleris in posterum non perpetraturas esse, fidejussores adhibento. Eadem habetor incendiariorum ratio, & eorum omnium qui a juris severitate prædones vindicare studuerint. Immo si quis furem liberare contenderit, etsi quidem nemini vulnus impresserit, regi tamen eo nomine 120. solidos numerato.

IV.

Præterea autem statuimus, ut unus per omnem ditionem nostram atque idem sit nummus: eumque nemo extra oppidum cudito. Atqui si monetariorum quisquam nummos corruperit, ei manus scelere violata præciditor, atque nummariæ conspicienda fabricæ affigitor. Sin nummi adulterati postulatus aliquis criminis suspicionem diluere voluerit, candentis ferri quæstione manum sceleris puram atque immunem ostendito. Quin si ipsa ordalii sententia reus extiterit, ita uti antea a nobis dictum est, fiat.

Cantuariæ monetarii septem sunto, quorum quidem quatuor regi, duo præsuli, ac unus cœnobiarchæ deservito. In civitate Roffensi tres sint: regis duo, tertius episcopi. Londini sint monetarii octo, Vintoniæ sex, in vico Levvisio duo, in vico Aastingo unus, Cicestriæ unus sit, Hamtonæ duo, VVerhamiæ duo, Excestriæ totidem, Schaftesbyriæ duo, ad aliud quodque oppidum monetarius unus esto.

V.

Qui se ordalii quæstione examinandum obtulerit, triduo quam id sit aggressurus, sacerdotem, ut is sacra de more peragat, adito, atque interim pane, sale, aqua, & oleribus tantummodo vescitor: Missæ præterea illis ipsis diebus interesto, munusque suum offerto. Sub ipso autem quo est ordalium ingressurus die, panem eucharisticum sumito, ac jurejurando se illius de quo appellatur sceleris purum minimeque conscium jurato. Tum si aqua gelida faciunda est quæstio, ad sesquiulnam funis in aquam mergitor. Sin ferro fiat cadenti, per continuum triduum obsignanda non resignetur manus. Accusator autem, quemadmodum de accusato antea a nobis dictum est, jurejurando interposito criminationem persequitor: uterque etiam jussu Dei ac sacerdotis jejunato: nec pluribus quam duodecim alteruter stipatus advenito: quin si accusatus pluribus eo comitatus accesserit, perinde sit (ni illi discedant) atque is in judicio cecidisset.

VI.

Si quis testato rem aliquam mercatus fuerit, quam alius deinceps quisquam suam esse contenderit, eam venditor præstet, atque in se recipiat, sive is servus, sive ingenuus fuerit.

Die autem dominico nemo mercaturam facito: id quod si quis egerit, & ipsa mercede & triginta præterea solidis mulctator.

VII.

Si quis falsum jurasse convictus fuerit, ei postea non modo non creditor, verum sacra is etiam prohibetor sepultura: nisi quidem illius in qua is degit diœcesis

ANNO CHRISTI 928.

diœcesis episcopus, data ei in mandatis omnia modeste confecisse illum significarit. Episcopum autem loci illius sacerdos, num alter animo libenti corrigi sese atque emendari patietur, intra triginta dies certiorem facito: id quod ni fecerit, episcopum penes pœnæ arbitrium esto.

VIII.

Porro autem si præpositorum quisquam mandata hæc nostra exequi noluerit, aut in administratione sua fuerit remissior: suæ in regem contumaciæ pœnas luito, atque rex severiorem alium in hoc munere substituet. Mulctæ autem capiendæ munus ejus loci in quo degit præpositus episcopo imponimus. Si quis denique jussa ac scita hæc nostra contempserit, pendito primo libras quinque; secundo proprii capitis æstimationem dato; tertio, si deliquerit, fortunis suis omnibus mulctatus nostri omnium amicitia privator.

IX.

Decreta actaque sunt hæc omnia in celebri Grateleano concilio, cui VVlfhelmus interfuit archiepiscopus, & cum eo optimates ac sapientes ab Æthelstano evocati frequentissimi.

LEGVM ECCLESIASTICARVM ÆTHELSTANI REGIS PRISCA VERSIO juxta codices manuscriptos, regium & Iornalensem, multa quæ in Saxonico desiderantur exemplari proferentes, ac seorsum alias discrepantes.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I.

EGO Adelstanus rex consilio VVlfelmi archiepiscopi mei, & aliorum episcoporum meorum, mando præpositis meis omnibus in toto regno meo, & præcipio in nomine domini & sanctorum omnium, & super amicitiam meam, ut in primis reddant de meo proprio decimas Deo, tam in viventi capitali, quam mortuis frugibus terræ. Et episcopi mei similiter faciant de suo proprio,

A & aldermanni mei, & præpositi mei. Et volo ut episcopi & præpositi mei hoc indicent omnibus qui eis parere debent: & hæc ad terminum expleant quem eis ponimus, id est decollatio sancti Ioannis Baptistæ.

Cogitemus quid Iacobus pater dixit Deo: *Decimas & hostias pacificas offeram tibi.* Et dominus ipse dicit in evangelio: *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Recolendum quoque nobis est quam terribiliter in libris positum est: *Si decimam dare nolumus, ut offerantur nobis novem partes, & decima sola relinquatur.* Gen. 28. Matth. 25.

II.

B Et volo, cyricsceatta reddantur ad illum locum cui recte pertinent, & inde gaudeant in ipsis locis, qui hæc dignius erga Deum & nos volunt deservire. Hortatur nos sermo divinus, æterna cum terrenis, cælestia cum caducis promereri. Nunc auditis quid in Deo præcipiam, & quid complere debeatis. Facite etiam ut mihi mea propria cupiatis, quæ mihi recte poteritis acquirere. Nolo aliquid injuste mihi conquiratis: sed omnia vestra concedo vobis eo tenore quo mihi mea similiter exoptetis. Cavete simul & vobis, & eis quos admonere debetis, & ab ira Dei & transgressione mea.

III.

Ego Adelstanus rex notifico præpositis meis omnibus in regno meo, quod consilio VVolfelmi archiepiscopi mei, & omnium episcoporum meorum, C & Dei ministrorum, ad remissionem peccatorum meorum, & acquisitionem vitæ æternæ, volo ut pascatis omni via pauperem unum Anglicum indigentem, si sit ibi, vel alium inveniatis. De duabus Nith-firmis detur eis singulis mensibus ambra plena farinæ, & una perna, vel unus aries qui valeat quatuor denarios, & casei quatuor: & in tertia die paschæ triginta denarii ad vestitum duodecim mensium unoquoque anno. Et liberetis unum *vvite theovvne*, id est, forisfactum servum. Et hoc totum peragatur in misericordia Dei, & amicitia mea, sub testimonio episcopi in cujus episcopatu sit. Et si præpositus hoc superteneat, emendet 30. sol. & dividatur hæc pecunia per testimonium episcopi D pauperioribus qui in ipsa villa erunt ubi hoc non fuit executum.

IV.

Et de infracturis ecclesiarum, si quis reus appareat in triplici ordalio, emendetur sicut judicialis liber dicit.

V.

Decrevimus etiam de sortilegis, & liblacis, & sortem dantibus, si hominem occidant, & negare non possint, vitæ suæ culpa judicentur. Si pernegare velint, & in triplici ordalio culpabiles inveniantur, sint centum viginti noctibus in carcere, & cognatio earum educat eas, & emendetur regi centum viginti solidis, & occisum hominem reddant parentibus suis, & eant eis in plegium, E quod super iis abstineant in æternum.

VI.

Placuit nobis ut una moneta sit in toto regni imperio, & nullus monetet extra portam. Si monetarius reus fuerit, amputetur ei manus, & ponetur sub monetæ fabricam. Si inculpatio sit, & se purgare velit, eat ad ferrum calidum, & adlegiet manum ad caniferam quod non falsum fecit. Si in ordalio reus fuerit, fiat ei quod supradictum est. In Cantuaria sunt octo monetarii regis, quatuor episcopi, tres abbatis: & in Roucestria tres regis, duo episcopi. In London octo, in VVinton sex, in Levves duo, in Hastingecestria unus, in Scheastbury duo, in Oxonia duo, & in aliis burgis.

ANNO CHRISTI 928.

VII.

Si quis judicium ferri vel aquæ vadiaverit, accedat ante tribus noctibus ad presbyterum qui sanctificare debet eum, & pascat se pane, & sale, & aqua, & herbis, & audiat missas ipsorum singulorum trium dierum, & offerat, & eat ad sacrosanctam communionem ipsa die qua ordalium examinari debebit: & juret quod jure publico sit innocens illius accusationis antequam ad ordalium veniat. Et si judicium aquæ frigidæ sit, tunc mergatur una ulna & dimidia in fune. Si ferrum calidum sit, tres noctes transeant antequam inquiratur; & videatur manus ejus, & prosequatur omnis homo compellationem suam præ juramento, sicut supra dictum est, & sint uterque jejuni ex præcepto Dei & archiepiscopi; & non sint in alterutra parte amplius quam in alia: & hoc sit utrobique duodecim homines. Si autem accusatus homo majorem defensionem habeat quam duodecim hominum, sit ipsum ordalium fractum in eo, nisi recedere velint ab illo.

VIII.

De ordalio præcipimus in nomine Dei, & præcepto archiepiscopi, & omnium episcoporum meorum, ne aliquis intret ecclesiam, postquam ignis infertur unde judicium calefacere debet, præter presbyterum, & eum qui ad judicium iturus est. Et sint mensurati novem pedes a staca usque ad mercam, ad mensuram pedum ejus qui ad judicium ire debet. Et si aquæ judicium sit, calefaciat donec excitetur ad bullitum, & sit alfetum ferreum, vel æreum, vel plumbeum, vel de argilla, & si *anfealt tyhla* sit, immergatur manus post lapidem, vel examen usque ad *vvyrste*, & si triplex accusatio sit, usque ad cubitum. Et quando judicium paratum erit, ingrediantur ex utraque parte duo homines, & certi sint ut ita calidum sit, sicut prædiximus, & introeant totidem ex amba parte, & consistant ex utraque parte judicii de longo ecclesiæ, & sint omnes jejuni, & ab uxoribus suis se continuerint ipsa nocte, & aspergat presbyter aquam benedictam super eos omnes, & humilient se singuli ad aquam benedictam, & det eis omnibus osculari textum sancti euangelii, & signum sanctæ crucis. Et nemo faciat ignem diutius quam benedictio incipiat, sed jaceat ferrum super carbones usque ad ultimam collectam: postea mittatur super staplas, & non sit illic alia locutio quam ut precentur sedulo Deum patrem omnipotentem, ut veritatem suam in eo manifestare dignetur: & bibat accusatus aquam benedictam, & inde conspergatur manus ejus qua judicium portare debet, & sic adeat. Novem pedes mensurati distinguantur inter ternos. In primo signo secus stacam teneat pedem suum dextrum. In secundo transferat dextrum pedem, in tertium signum, quando ferrum projiciet, & ad sanctum altare festinet, & insigilletur manus ejus, & inquiratur die tertia si munda vel immunda sit intra sigillationem, & qui leges istas fregerit, sit ordalium, id est judicium vel examen, fractum in eo, & reddat regi centum viginti solidos VVitæ.

IX.

Qui aliquid emit, emat cum testibus: &, si appellandum inde sit, recipiat hoc venditor suus a quo emit, sit liber, sit servus, sit quod sit: & non fiat aliquid negotiatio, vel forensis actio die dominica. Si quis hoc præsumat, perdat ipsum capitale, & emendet overhirnessam meam.

X.

Qui falsum juramentum jurabit, & convictus inde fuerit, numquam postea juramento dignus sit, nec in sanctificato atrio aliquo iaceat, si moriatur, si non habeat episcopi testimonium in cujus diœcesi sit, quod pœnitentiam exceperit: & presbyter hoc referat episcopo infra triginta noctes, utrum ad emendationem & satisfactionem venerit. Si non faciat hoc, componat sicut episcopus ei concedet.

ANNO CHRISTI 928.

Totum hoc institutum, & confirmatum est in magna synodo apud Greateleyam, cui archiepiscopus VVlfelmus interfuit, & omnes optimates & sapientes quos Athelstanus rex congregare potuit.

XI.

Hæc ex man. scripto Iornalensi.

Episcopo jure pertinet omnem rectitudinem promovere, Dei videlicet ac sæculi. In primis debet omnem ordinatum Dei instruere, quid ei jure sit agendum, & quid sæcularibus judicare debeant. Debet etiam sedulo pacem & concordiam operari cum sæculi judicibus qui rectum velle diligunt, & in compellationum adlegationem docere, ne quis alii perperam agat in jurejurando, vel in ordalio.

Nec pati debet aliquam circumventionem injustæ mensuræ, vel injusti ponderis: sed convenit ut per consilium & testimonium ejus, omne legis scitum, & burgi mensura, & omne pondus, ponderis sit secundum dictionem ejus institutum, valde rectum.

Ne quis proximum suum seducat, pro quo decidat in peccatum. Et semper debet Christianus providere contra omnia quæ prædicta sunt; & ideo debet se magis de pluribus intromittere, ut sciat quomodo grex agat quem ad Dei manum custodire suscepit, ne diabolus eum laniet, nec malum aliquid superseminet.

Numquam enim erit populo bene consultum, nec digne Deo conservabitur, ubi lucrum impium & magis falsum diligitur. Ideo debent omnes amici Dei quod iniquum est enervare, quod justum est elevare: non pati ut propter falsum & pecuniæ quæstum se forisfaciant homines erga vere sapientem Deum, cui displicet omnis injustitia.

Episcopi debent interesse sæcularibus negotiis.

Christianis autem omnibus necessarium est, ut rectum diligant, & iniqua condemnent, & saltem sanctis ordinibus evecti, justum semper erigant, & prava deponant. Hinc debent episcopi cum sæculi judicibus interesse judiciis, ne permittant, si possint, ut illius aliqua pravitatum germina pullulaverint.

Et sacerdotibus pertinet in sua diœcesi, ut ad rectum sedulo quemcumque juvent, nec patiantur, si possint, ut Christianus aliquis alii noceat, non potens impotenti, non summus infimo, non prælatus subditis, non dominus hominibus suis, vel servis aut liberis molestus existat. Et secundum episcopi dictionem, & per suam mensuram convenit, ut servi testamentales operentur super omnem sciram cui præest.

Et rectum est, ut non sit aliqua mensurabilis virga longior quam alia, sed per episcopi mensuram omnes institutæ sint, & exæquatæ per suam diœcesim. Et omne pondus constet secundum dictionem ejus: & si aliquid controversiarum intersit, discernat episcopus.

Et uniuscujusque domini necesse proprium est, ut compatiatur, & condescendat servis suis, sicut indulgentius poterit, qui a domino Deo empti sunt, æque cari servus & liber, & omnes eodem precio redemit: & omnes sumus Dei necessario servi: & sic judicabit nobis, sicut ante judicavi-

ANNO CHRISTI 928.

judicavimus eis quibus iudicium ſuper habuimus in terris.

XII.

Singulis quoque diebus Veneris, decantent omnes Dei miniſtri in omnibus cœnobiis, ſeu maioribus eccleſiis, quinquaginta pſalmos pro ipſo rege, & omnibus ei audientibus, necnon aliis qu.buſcumque promerentibus.

Vnicuique etiam qui voluerit fas eſto, ſi quid criminis ei imponatur, jam compenſare, ni in luſtrationis diebus (quas *Gang-dayes* vocant) ſit commiſſum: & deinceps res ſe habeat ſicut prius.

XIII.

Regis vveregildum eſt cum Anglis in jure publico, triginta millia Thrimſa, id eſt Trium. Quindecim millia Thrimſa ſunt de vvera. Et quindecim millia Cynedomas, id eſt regiæ cenſuræ. ipſum natale eius precium pertinet cognationi :& Cynebot ipſius terræ nationi.

[1] Quem ducem nunc vocant. [2] Qui nunc comes dicitur.

Archiepiſcopi & [1] comitis vveregildum eſt quindecim millia Thrimſa.

Epiſcopi & [2] aldremanni octo millia Thrimſa.

Meſſetheines & vvoruldtheines, id eſt preſbyteri & ſæcularis Thani, duo millia Thrimſa.

Hæc immediate ſequuntur præcedens capitulum de vveregildis, in regio codice, fol. 143. col. 4.

ALIQVANDO fuit in Anglorum * laga quod populus & leges conſilio regebantur, & tunc erant ſapientes populi, magni prorſus nominis & precii : comes & villanus, tainus, & alius, ſinguli pro modo ſuo.

* id eſt, lege

Villanus. Et ſi villanus excreviſſet ut haberet plenarie quinque hidas terræ ſuæ propriæ, eccleſiam & coquinam, tympanariam, & januam, & ſedem, & ſunder notam in aula regis, deinceps erat taini lege dignus.

Tainus. Et ſi tainus aſcendiſſet ut ſerviret regi, & equitatus ſui vice fungeretur in familia ſua, ſi tunc habebat tainum qui ad ut vvaram regis quinque hidas haberet, & in aula regis domino ſuo ſerviret, qui tertio veniſſet in nuntium ejus ad regem, iſte poterat deinceps jurare pro domino ſuo in magna neceſſitate, & accuſatorem ejus recte admallare ubicumque opus eſſet. Et qui ſic promotum hominem non habet, ipſe cauſam ſuam ſuperjuret, vel amittat.

Et ſi tainus provehatur ad conſulatum, ſit poſtea dignus rectitudine comitis & honore : & ſi * maſſere aſcenderet ut ter magnum mare transfretaret, per proprium negotium ſuum fuit deinde taini dignus rectitudine.

* id eſt, mercator.

Scholaris. Et ſi ſcholaris profeciſſet in doctrina, cur ad ſacros ordines pertranſiret, & Chriſto Domino miniſtraret : erat denique dignitatis & pacis dignus, quanta pertinebat ſuper illud, niſi forisfaceret cur ipſius ordinis officio non utatur.

Ordinatus. Et ſi eveniret vt ordinatus vel alienigena diſturbaretur alicubi verbis vel operibus: tunc pertinebat regi & epiſcopo hoc emẽdare quam citius poſſent.

* Ceorles vveregildum eſt in Mircenorum laga 200. ſol.

* id eſt, ruſtici æſtimatio

Taini vveregildum eſt ſexies tantum, id eſt, duodecies centum ſolidi.

Regis ſimplum vveregildum eſt ſex tainorum, vveregildum in Mercenorum laga, hoc eſt, triginta millia ſceatta, id eſt, totaliter centum viginti libræ. tantum eſt de vveregildo, ſed pro regni dignitate debet addi tantumdem in Kenegildo. Ipſam vveram debent habere parentes ejus, & ejus emendationem ipſius terræ populus.

* *Tvvelfhindes* hominis juſiurandum, contra valet juſiurandum ſex villanorum, quia ſi tvvelfhindus homo vindicari debet, plene vindicaretur in ſex ceorlis, & eius vveregildum eſt ſex ceorlorum vveregildum.

* qui 1200. ſolidis æſtimatur.

ANNO CHRISTI 928.

Miſſæ presbyteri & ſæcularis taini juſiurandum in Anglorum lege reputatur æque earum, & pro ſeptem ordinibus eccleſiæ, quo ſacerdos per Dei donum aſcendit ut haberet, taini rectitudine dignus eſt.

Presbyteri Miſſæ. De ſeptem ordinibus eccleſiæ compenſandis.

1. SEPTEM ſunt dona ſancti Spiritus, & ſeptem gradus eccleſiæ & ſanctorum ordinum, & ſepties in die laudes Deo canendæ ſunt ab omni eccleſia. Et omnibus amicis Dei recte pertinet ut ſanctam eccleſiam diligant & honorent, & Dei miniſtros pacificate cuſtodire gaudeant :& qui eos nocebit verbo vel opere, ſepties emendet ſecundum quod factum ſit, & ſecundum ordinem, ſi Dei miſericordiam habere velit, quia ſanctificationes & ordines, & Deo dicatas domos, ſemper debent pro timore Dei diligenter venerari.

2. Et ad ordinis emendationem, ſi ordinatus occidatur, ſupra rectam vveram primus gradus emendetur una libra, & digna pœnitentia ſedulo perquiratur.

3. Et ad emendationem ordinis, ſi vitæ ſit amiſſio, ſuper rectam vveram in ſecundo gradu duæ libræ reddantur cum Deo digna pœnitentia.

4. . . . .

5. Et ad emendationem ordinis, ſi plena infractio fiat, ſuper rectam vveram in quarto gradu quatuor libræ reddantur cum pœnitentia.

6. Et ad emendationem ordinis, ſuper rectam vveram in quinto gradu quinque libræ componantur cum idonea pœnitentia.

7. In ſexto gradu ſex libræ reddantur cum pœnitentia.

8. Et ad emendationem ordinis, ſeptimo gradu infracto, ſeptem libris ſuper rectam vveram emendetur cum injuncta pœnitentia.

9. Et ad ordinis * infracta de pace digne componatur ſecundum factum. Semper enim debet judicium factum, & moderatio ſecundum menſuram pro Deo & ſæculo fieri, & de emendatione ordinis una pars epiſcopi, ſecunda ſit altari, tertia ſocietati.

* deeſt emendationem.

Vide hæc ſupra ſub titulo, De ſacris ordinibus compenſandis.

Et in Concilio epiſcoporum Londonienſi, cap. 12. ſic habetur de congildonibus.

Et diximus etiam omnibus illis qui in noſtram [1] gildſcyram vadium [2] dederunt, ſi contingat [3] eum mori, omnis congildo det unum panem & companagium pro anima ejus, & cantet unum quinquagenarium pſalmorum, vel perquirat cantandum infra triginta noctes. *Ionnalenſis, fol. 44.*

[1] ſodalitium [2] *male* dedit [3] *lego* unum

VITA STEPHANI PAPÆ VII.

ANNO CHRISTI 929.

STEPHANVS natione Romanus, Theudemundo patre genitus, hujus nominis ſeptimus, ſubrogatus eſt Leoni ſexto, anno Domini DCCCCXXIX. tempore Conſtantini & Romani imperatorum orientalium. Qui dum ſediſſet annos duos, menſem unum, & dies quindecim, ex hac vita migravit. Hujus tempore Henricus rex Germaniæ lanceam ex clavis Chriſti confectam, a Rodulpho rege Burgundionum, precibus, precio, & minis obtinuit, eamque ſucceſſoribus ad defenſionem imperii reliquit. Reges Northmannorum & Abroditarum ad Chriſtum convertit. *Sigebertus.*

ANNO CHRISTI 931.

VITA IOANNIS PAPÆ. XI.

IOANNES patre Sergio pſeudopontifice ex ſcorto Marozia prognatus, VVidonis Tuſciæ marchionis

Ioannes XI. quando & qua ratione pontificatum invaſerit.

nis & Maroziæ matris potentia in locum Stephani A intruditur, anno Christi 931. tempore Constantini & Romani imperatorum orientalium, quo ipse nondum per ætatem tantæ dignitatis capax esse potuisset, etiamsi nullum aliud impedimentum obstitisset. Artaldus ex monacho Remensis archiepiscopus electus, vir sanctissimus, post puerum illum quinquennalem ejectum, ab ejusmodi monstro pallium nequaquam petiisset, nisi tanti ipse fecisset Romani pontificis nomen, ut etiam in homine immerito & illegitime collocato illud honorandum esse putasset, sedemque apostolicam a nemine, præterquam a Deo, dijudicandam esse sibi persuasisset. Hunc pontificem Albericus frater una cum matre Marozia custodiæ mancipatum usque B ad diem obitus detinuit. Marozia Hugoni regis VVidonis defuncti mariti germano urbis dominium obtulit, si ille suo se conjugio confœderandum promitteret. Acceptavit conditionem Hugo, & clanculo arcem sancti Angeli ingressus, post incestum cum relicta fratris uxore commissum, Romanos despexit, Albericum privignum suum, dum jussu matris Maroziæ aquam manibus ejus infunderet, quasi immoderate effudisset, in faciem cecidit. Quam ut ille injuriam ulcisceretur, Romanos ad defectionem commovit, postque arcem impugnatam, ut ait Luitprandus, Hugonem vitricum suum incestuosum fugavit: matrem C vero Maroziam una cum fratre Ioanne pseudopapa mandavit detineri sub custodia, in qua violentus invasor violenter dejectus obiit, postquam sedem apostolicam quinque annis & aliquot mensibus non tam rexisset, quam turpiter inquinasset.

Anno Christi 932.

CONCILIVM ERPFORDIENSE,

IN CAVSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ celebratum, anno domini DCCCCXXXII. tempore Ioannis papæ XI.

PRÆFATIO.

Anno ab incarnatione domini nostri IesuChristi nongentesimo trigesimo secundo, anno D etiam domini [1] H. regis Christianissimi decimoquarto, indictione quinta, sub die Kalendarum Iuniarum, congregata est apud Erpesfurt sancta & uniuersalis synodus, ut rex sapientissimus cum concilio primatum suorum decrevit, inspirante omnium salvatoris clementia, pro utilitate & statu sanctæ matris ecclesiæ. Cujus regis solertiam prudentissimi viri Hildiberti archiepiscopi [2] gubernabat. Considentibus religiosissimis sacerdotibus, id est [3] R. sanctæ Treverensis ecclesiæ archiepiscopo, Vnni sanctæ Hamburgensis ecclesiæ episcopo, Adalguardo [4] Fardunensis ecclesiæ episcopo, Rino E Argentinæ civitatis episcopo, Nodingo Constantinæ ecclesiæ episcopo, Vnuvano Padeburnensis ecclesiæ episcopo, Bernardo Halberstadensis ecclesiæ episcopo, Othilrico Augustodunensis ecclesiæ episcopo, Burchardo VVirtzeburgensis ecclesiæ episcopo, Duodone Osnaburgensis ecclesię episcopo, Rumaldo [5] Memigernafurdensis ecclesiæ episcopo, Eburgiso [6] Mimidonensis ecclesiæ episcopo: necnon & abbatibus, aliisque sacri ordinis viris. Porro cum eorum unanimitate, ac primum Deo favente, eorum capitula infra notata, [7] quam pro populi Christiani correctione collecta sunt.

1 Henrici

2 *deest aliquid.*

3 Ruitgero, *qui an.* 934. *obiit.*

4 Virdunensis hodie in Gallia, sed malim de Germania capi. Nam Φ[illegible] Germaniæ populi, qui forte sunt Tacito Sardones

5 Monasteriensis

6 Antonino Minnodunum, vulgo *Milden.*

7 *deest hic membrum præcedens,* tam; *ut insinuat sequens particula,* quam.

CAPITVLA.

I.

Vt deinceps natalitia duodecim apostolorum summa veneratione solenniter celebrentur. Et in vigiliis antiquitus statutis, atque hactenus ab antecessoribus nostris servatis, jejuniorum vota omni diligentia persolvere decernimus: quia quos cælitus sublimioris meriti scimus, hos & amplioris dignitate honoris a nobis colendos esse non dubitamus.

II.

Placita sæcularia dominicis, vel aliis festis diebus, seu etiam in quibus legitima jejunia celebrantur, secundum canonicam institutionem, minime fieri volumus. Insuper quoque gloriosissimus rex augmentum Christianæ religionis concessit, ut nulla judiciaria potestas licentiam habeat Christianos sua autoritate ad placitum bannire septem diebus ante natale domini, & a quinquagesima usque ad octavas paschæ, & septem diebus ante nativitatem sancti Ioannis Baptistæ, quatenus adeundi ecclesiam, orationibusque vacandi liberius habeatur facultas.

Burch. l.13. c.21 Ivo p. 4. c. 51. Decret. 15. q. 4. c. Placita.

III.

Præcipimus namque, ut nullus Christianus ecclesiam pro reverentia petendo, ibique manendo, indeque revertendo, alicujus publicæ potestatis banno ibidem constringatur: ne forte, dum ad ecclesiam causa orationum properat, per bannum impediatur pro salute animæ devote insistere.

Burch. l.13. cap. 28. Ivo part. 4. cap. 60.

IV.

Si quis presbyter aut diaconus negligens vitæ suæ, mala de se suspicari permiserit, & ejus infamia coram episcopo canonice denotatur, admoneatur ab episcopo semel, bis, ac tertio: ut vel prodendo reatum, culpabilem se esse cognoscat, & sic justæ correptionis sententiam excipiat; aut adhibitis secum collegis, juramento se expurgando, innocentem se esse demonstret.

Similia quædam in concilio Agathensi c. 4. Apud Ivon. part. 9. cap. 226.

V.

Vt nemo nisi consentiente proprio episcopo, aut ejus misso, sub obtentu religionis jejunium sibi imponat, unum diem præ aliis excipiendo, omnimodo interdicimus. Quod & factum displicet, & in futurum fieri prohibemus: quia plus causa ariolandi esse cognoscitur, quam supplementum legis catholicæ.

Burch lib. 13. cap. 27. Ivo part. 4. cap. 59.

CONCILIVM AD CASTELLVM THEODERICI ANNO DCCCCXXXIII.

Anno Christi 933.

Synodum hanc ex Flodoardi chronico liquet inter obsidendum habitam fuisse, cum Heriberti comitis munitionem ad Matronam, cui a Theoderico nomē est, rex Radulfus obsideret. Quid autem in ea præcipue actū

sit,

ſit, præter epiſcopi Bellovacenſis ordinationem non commemorat. Rodulfus rex, *inquit*, munitionem Heriberti, quæ dicitur caſtellum Theoderici, obſidet hebdomadas ſex. Synodus inter obſidendum prædictum præſidium celebratur, congregatis nonnullis Franciæ vel Burgundiæ præſulibus: cui præſederunt domnus Artaldus antiſtes Remorum, & domnus Teutolo Turonenſis epiſcopus. Tunc quoque domnus Artaldus Hildegarium ordinavit epiſcopum urbis Belüacenſis.

ANNO CHRISTI 935.

CONCILIUM APUD SANCTAM MACRAM ANNO DCCCCXXXV.

Adverſus rerum eccleſiaſticarum pervaſores.

A*d hanc ſynodum ſeptem epiſcopos conveniſſe, Artaldumque Remorum archiepiſcopum præfuiſſe, docet Flodoardus in chronico.* Anno, *inquit*, DCCCCXXXV. ſynodus ſeptem epiſcoporum apud ſanctam Macram, domno Artaldo archiepiſcopo præſidente, celebratur: in qua prædones & eccleſiaſticarum rerum pervaſores ad correptionem venire vocantur.

NOTA SEVERINI BINII.

Hæc ſynodus celebrata eſt in Remenſi diœceſi apud ſanctam Macram, oppidum nunc *Fiſmes* dictum, præſente Artaldo archiepiſcopo Remenſi, cum ſex aliis epiſcopis, in qua prædones & eccleſiaſticarum rerum invaſores ad correctionem vocantur. *Flodoardus lib. 4 cap. 23.*

ANNO CHRISTI 936.

VITA ET EPISTOLÆ LEONIS PAPÆ VII.

Leo VII. quando pontifex factus.

Leo hujus nominis ſeptimus pontificatum adeptus eſt anno Redemptoris DCCCCXXXVI. tempore Conſtantini & Romani imperatorum orientalium: de quo Flodoardus in chronico prædicto anno iſta ſcribit: *Ioanne papa fratre Alberici defuncto, Leo quidam Dei ſervus Romæ papa conſtituitur.* Hic Odonem abbatem Cluniacenſem, virum ſanctitate celeberrimum, vocavit Romam, ut inter Hugonem regem Italiæ, qui Romam obſidere cœperat, & Albericum Romæ principem, pacis componendæ ſequeſtrum ageret. Venit abbas ſanctiſſimus, ſuaque interceſſione apud utrumque hoc obtinuit, ut Albericus filiam Hugonis conjugem acciperet, & Hugo obſidionem ſolveret.

Henrici regis Germaniæ obitus.

Hujus tempore mortuus eſt Henricus rex Germaniæ, decus Chriſtianæ religionis, qui poſt multas alias gentes, de quibus ſupra, Cuuſum Daniæ regem ad Chriſti fidem convertit, ipſoſque Danos ab hominum immolatione revocavit, regnique heredem filium ſuum Ottonem, pietate & fortitudine militari ſibi non diſſimilem, reliquit.

Manaſſes Arelatenſis epiſcopus eccleſiæ perturbator.

Eodem hoc tempore, ad afflictionem & perturbationem eccleſiæ, Manaſſes Arelatenſis epiſcopus novam addidit miſeriam, quando homo ambitioſus ſua ſede nequaquam contentus, opera Hugonis regis Italiæ, non tantum Veronenſem, Tridentinam, & Mantuanam, verum etiam Mediolanenſem eccleſiam invaſit, aſſerens ſe id facere exemplo principis apoſtolorum, qui etiam Romanam, Antiochenam, Alexandrinam eccleſias ſimul poſſediſſet. Hæc Luitprandus, qui Dei & legum contemptorem peracri invectura perſtringit. Leo cum ſediſſet annis tribus, & ſex menſibus, defunctus eſt.

*** EPISTOLA I.

LEONIS PAPÆ VII. AD HUGONEM FRANCORUM PRINCIPEM, ET MONASTERII SANCTI Martini Turonenſis Abbatem.

Vetat ne in B. Martini monaſterium aditus detur mulieribus.

Leo epiſcopus ſervus ſervorum Dei, glorioſo Principi Francorum, filio noſtro, Hugoni videlicet Abbati beatiſſimi Martini, & perpetuis ſucceſſoribus in perpetuum.

Ex tomo II Spicilegii D. Lucæ Dacherii.

Conditor univerſitatis atque diſpoſitor Chriſtus dominus, per ſacroſanctum ſuæ incarnationis Myſterium, univerſalem eccleſiam ſibi copulare dignatus eſt, diverſos vero ſanctos in eadem eccleſia quaſi diverſa in uno corpore membra diſpoſuit: & unumquemque, prout interno ejus conſilio placuit, in ipſius eccleſiæ corpore, cujus ipſe caput fieri dignatus eſt, mirabiliter ordinavit: quoſdam excellentius decorans, ut ſicut membra in corpore quædam honeſtiora ſunt, & ſuis officiis apta, ita & in eccleſia vel excellentior, vel inferior quiſque vices ſuas ipſo autore diſponente convenienter expleat, ut ſcilicet juxta apoſtolum, *ſtella differat a ſtella in claritate.* At vero inter eos, quos divina diſpenſatio ſublimius evexit, prædictus beatiſſimus Martinus Turonicæ ſedis archiepiſcopus non mediocriter effulget, cujus videlicet gloriam univerſalis Chriſtianitas atteſt itur, quæ illum, divino inſtinctu quodam, ſpeciali affectu communiter amat, ita ut nuſquam alio poſt ſanctorum apoſtolorum limina, de tam longinquis & diverſis nationibus confluant oratores, ſicut faciunt ad ipſius venerabile ſepulchrum. Nam & ipſe ſacer locus ubi quieſcit, in magna reverentia etiam ab antiquis diebus non ſolum apud vulgares, ſed & apud excellentiſſimos reges ac principes fuit, ſicut nonnulli veſtrum videndo ſciunt. Ut enim audivimus, nulli unquam fœminæ intra ambitum monaſterii, etiam ſub tempore paganorum, permittebatur acceſſus. Cum vero neceſſe fuit, ut propter illorum incurſionem in civitate collocaretur, plangebant ſui cultores, quia non valebant eum ſic in tanta reverentia, ut olim, venerari, nec mulierum prohibere concurſum. Ob quod etiam juxta ejus baſilicam fundari murum ſtuduiſtis, ut ita vel ab incendio defendi, vel in priſtina honeſtate poſſet ipſe locus haberi. Sed res in contrarium verſa eſt, quia per occaſionem caſtelli, mulieribus & impudens & libera converſatio eſt: cum tamen hoc nil aliud facit, niſi ſola negligentia, & tepor ſervitorum ejus. Siquidem veniet dies judicii, & unuſquiſque in ſuo ordine inſurget, & manifeſtum erit per quos religio ſit erecta, vel per quos neglecta. Dolendum nobis eſt tempora jam pericuLoſa veniſſe, & ſic apparet caritatem apud multos refrixiſſe, iniquitatem vero nimium ſuperabundare. Verum quia ſancta eccleſia beato Petro apoſtolorum principi ſpecialiter commiſſa eſt, & per eum ſucceſſoribus ejus: neceſſe eſt, ut quiſque noſtrum, prout Deo largiente potuerit, ejuſdem eccleſiæ, quouſque indiget, utilitatem per aliquam autoritatem ſuſtentet. Et idcirco videtur nobis, ut veſtram negligentiam quæ eſt erga cultum illius loci ſanctiſſimi, per noſtrum interdictum commoneamus.

1. Cor 15.

Itaque in primis observamus in Domino, ut tu Abbas excellentissimus Hugo, & ipsius cœnobii præpositi, curam summopere adhibeatis, quatenus per totum veteris muri ambitum, usque ad viam quæ iuxta latus Basilicæ aquilonare vergit, nulla, postquam hanc epistolam videritis, fœmina licentiam habeat commorandi, sed nec intrandi quidem, nisi solius causa orationis. Si quis vero de ministris hoc apostolicum interdictum neglexerit, aut aliqua fœmina intrare præsumpserit: tamdiu excommunicatus sit, quousque promissa emendatione absolui mereatur. Sin autem, quia per audaciam & contemptionem, ad hoc transgrediendum pertinax extiterit, illum prorsus, vel illam excommunicamus. Observantibus hæc gratia & pax Christi per suos B apostolos, & beati Martini preces multiplicetur.

Scriptum per manum Theodori Notarij & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Ianuario, & indictione undecima, Ludovico Francorum rege.

"** LEONIS VII. EPISTOLA II.

AD GERHARDVM LAVREACENSEM ARCHIEPISCOPVM.

Pallium ad eum mittit.

Leo episcopus servus servorum Dei, reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Gerhardo sanctæ Laureacensis ecclesiæ archiepiscopo omnibus diebus vitæ tantum tuæ exhinc amodo. C

Si pastores ovium, solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, & ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore, quantaque cura debeamus esse pervigiles nos qui pastores animarum dicimur, attendamus, & susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro nostra desidia ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet. Vnde modo honoris reverentia sublimioris inter cæteros judicamus. Pallium autem fraternitati tuæ ad missarum solennia celebranda concedimus, quo tibi, non aliter ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus, uti largimur, non solum in die consecrationis chrismatis, ac sanctæ & venerandæ resurrectionis domini nostri Iesu Christi, seu in natalibus sanctorum apostolorum, atque beati Ioannis Baptistæ, necnon in festivitatibus sanctæ Dei genitricis Mariæ, simulque in domini nostri Nativitatis die, pariterque in solennitatis ecclesiæ tuæ die, & natalitio tuo die: verum etiam in consecratione episcoporum & presbyterorum, & quando a te synodus celebratur, si forte conventiculum illic fuerit neophytorum, qui ad fidem tua exhortatione sunt perducendi, necnon in festivitate sancti Stephani protomartyris, sanctique Laurentii; & illorum sanctorum, qui corporaliter in tua requiescunt parochia, uti concedimus die, sicut a prædecessore nostro domino Gregorio hujus almæ sedis præsule sancitum est. In secretario vero tua fraternitas pallium induere debet, & ita ad missarum solennia proficisci, & nihil tibi ausu, temeritate præsumptionis arrogare: ne, dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate, etiam quæ licere poterant, amittantur. Cujus quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est: hortamur, ut & morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus autore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita A tua filiis tuis sit regula: in ipsa, si qua tortitudo illis ingesta est, dirigant; in ea quod imitentur, aspiciant; in ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum post Deum videatur esse beneficium quod vixerint. Cor ergo neque prospera quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant: sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiscretus inveniat. Benignum te sentiant boni, districtum mali cognoscant; insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat; nocentem gratia non excuset. Remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas. Sit in te & boni pastoris dulcedo, sit & judicii severa districtio: unum scilicet quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos feriendo a pravitate compescat. Sed quod nonnunquam propositorum scelus * dum districtus malorum vult vindex existere, transit in crudelitatem correctio: iram judicio refrena, & censura disciplinæ sic utere, ut & culpas ferias & a dilectione personarum, quas corrigas, non recedas. Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibe. Oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus modesta correctio contradicat. Nullius faciem contra justitiam accipias, nullum quærentem justitiam despicias, custodia in te æquitatis excellat, ut nec divitem potentia sua aliquid extra viam apud vos suadeat rationis audere; nec pauperes de se sua faciat humilitas desperare: quatenus Deo miserante talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit, dicens: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse.* Sed his omnibus salubriter uti poteris, si magistram caritatem habueris: quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, frater carissime, inter multa alia, ista sunt sacerdotii, ista pallii: quæ si studiose servaveris, quod foris accepisti, intus habes. Fidem autem quam in tuis epistolis breviter assignasti, licet latius explanare debueras, Redemptori tamen nostro gratias agimus, quod eam in ipsa brevitate ratam esse cognovimus. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, D atque in timoris sui via nos dirigat: ut post hujus amaritudines, ad æternam simul pervenire dulcedinem mereamur. Amen.

1. Tim. 3.

"** LEONIS VII. EPISTOLA II.

AD GALLOS ET GERMANOS.

Multa quæ ad disciplinam spectant emendari jubet.

Leo episcopus servus servorum Dei, regibus, ducibus, episcopis, abbatibus, comitibus, pari etiam modo Egilolpho Iuvavensis, Isingrimo Ratisponensis, Lantberto Frisingensis, VVisundo Sebonensis ecclesiæ venerabilibus episcopis, & cæteris per Galliam, Germaniam, Bavvariam, Alemanniam commorantibus. E

Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis apostolis tradita, integra vellent servare domini sacerdotes: nulla diversitas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum: inde diversa in diversis locis vel ecclesiis, aut teneri aut celebrari videntur. Hac de re fit scandalum populis, dum multa in vestra provincia contra canones ecclesiasticos decretaque majorum usurpare videntur: quæ quidem possent facile resecari, si episcopi in

in his non viderentur autores, qui sæcularibus intenti, humanum favorem captantes, religionem violant, ordinesque corrumpunt. Nos siquidem divinis præceptis & apostolicis incitamur monitis, ut pro omnium ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu. Idcirco fraternitati vestræ cognitum facimus, quod Gerardus sanctæ Lauriacensis ecclesiæ archiepiscopus, causa orationis ad limina veniens apostolorum, nostram apostolicam præsentiam visitare, & benedictionis gratiam a nobis percipere sollicite studuit: multa quæ reprehensione digna sunt, nostris auribus, lacrymosis vocibus intimavit: tota cordis intentione, a nostra apostolica autoritate, de his quæ contra canonum regulam & decreta majorum in vestris geruntur B provinciis, quærens consilium. Scitis enim quod ab ipso domino beato Petro principe apostolorum, ejusque vicariis, omnium ecclesiarum cura commissa est, veritatis voce dicente: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam:* cui etiam proprias oves commendavit, dicens; *Si diligis me pasce oves meas.* Et idcirco pro universis ecclesiis sollicitudinem gerimus: & veluti in specula positi, quid per totius orbis provincias geratur, vigilanti cura insistimus. De quibus ergo apostolicam sedem consuluit, & qualia nos ei responsa dedimus, per hos nostros apices vobis intimare curamus. Ejus namque interrogatio seriatim talis erat.

Matth. 16. Joan. 21.

C De auguratoribus, & incantatricibus, & maleficis vario modo mortificatis a populo, si aliqua pœnitentia debeat exigi. De talibus namque personis, quid veteris ac novi testamenti pagina censeat, manifestum est. In lege namque Mosaica scriptum est: *Maleficos non patiaris vivere.* Similiter in Samuelis libro legitur, quia exterminavit Saul omnes Pythonissas de terra, & alia quæ enumerare longum est. Sed nos etiam tales nostris exhortationibus ad pœnitentiam trahere debemus, ut magis ecclesiastico iudicio pœnitendo vivant, quam gladio vindice puniantur, dicente beato Paulo apostolo: *Non enim posuit nos Deus ad iram, sed in acquisitione salutis.* Quod si ecclesiastica judicia spreverint, humanis subjaceant D legibus. Meminisse enim debent, a Deo potestates fuisse concessas, & ad vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei ministrum fuisse datum in hujusmodi vindictam. Et dum in talibus improbis legum exercetur autoritas, dicente beato Innocentio: erit dictator immunis.

Exod. 22. 1 Thess. 5.

Consultum est etiam utrum episcopi *Pax vobis*, an *Dominus vobiscum*, pronunciare debeant. Sed non aliter per omnem vestram provinciam tenendum est, quam in sancta Romana ecclesia. In dominicis enim diebus, & in præcipuis festivitatibus, atque sanctorum natalitiis, *Gloria in excelsis Deo*, & *Pax vobis* pronuntiamus. In diebus E vero Quadragesimæ, & in quatuor Temporibus, sive in Vigiliis sanctorum, & in reliquis jejuniorum diebus, *Dominus vobiscum*, tantummodo dicimus.

Post hæc consuluit. Si Dominica oratio in benedictione ciborum debeat usitari. Quod fieri non oportet, quia in sanctificatione corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi, hanc solummodo orationem sancti apostoli decantabant: & in Euangelio legitur, quia post cœnam a domino factam hymno dicto exierunt in montem Olivarum.

A Post hæc interrogavit de eo, qui matrem & filiam spirituales in conjugio ducit, quod ne fiat sacri canones per omnia vetant. In canonibus Zachariæ ita habetur: ut presbytera, diacona, monacha, vel etiam spirituali commatre, aut spirituali filia nullus utatur. Nam qui hujusmodi opus perpetravit, sciat se anathematis vinculo innodatum, & Dei judicio condemnatum, atque a sacro corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi alienum: & quicumque sacerdotum eis communicare præsumpserit, eorum judicio condemnatus, sacerdotii sui honore privetur.

Dehinc intulit lamentabile & nimis lugendum, ut domini sacerdotes publice ducant uxores, etsi filii eorum valeant promoveri. Quod scelus, quia omnis sacra scriptura contradicit, quia sanctum & venerandum Nicænum concilium vetat, ne sacerdotes cum feminis habitare præsumant, multo magis ne copulari vel sociari mulieribus debeant, juxta sacros canones modis omnibus prohibemus. In Neocæsariensi namque concilio ita habetur. Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine » deponatur. Et qui in tali scelere fuerint reperti » nostra apostolica autoritate ab omni priventur honore. Filii vero eorum immunes ab eorum peccato sunt, dicente Propheta: *Filius non portabit iniquitatem patris*: & in sacro baptismate omnia dimittuntur peccata.

Neocæs. can. 1. Ezech. 18.

Dehinc perquisivit, si a chorepiscopo ecclesiæ debeant consecrari, aut presbyteri ordinari, vel consignatio chrismatis & manus impositio fieri. Quæ omnia a chorepiscopis ne fiant, interdicimus juxta canonum decreta. In concilio Antiocheno capite decimo sic habetur: Qui in vicis & possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint: tamen sanctæ synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, & gubernent subjectas sibi ecclesias, ordinent etiam lectores & subdiaconos atque exorcistas: quibus promotiones istæ sufficiant, nec presbyterum, nec diaconum audeant ordinare. Si quis autem transgredi statuta tentaverit, depositus, quo utebatur honore, privetur.

Antioch. can. 10.

Perquisivit etiam, si vir & mulier tertio vel quarto gradu consanguinitatis conjuncti, & inscii, conjugio copulantur, postea Dei respectu compuncti, ostendunt se sacerdoti secrete confitentes peccata sua, utrum valeant eleemosynarum largitione, ac bonorum operum exhibitione purgari. De talibus enim personis in veteri & novo testamento multa reperiuntur exempla, maxime in conciliis Gregorii & Zachariæ, in quibus hæc continentur, ut consobrinam, novercam, neptem, fratris uxorem, nurum, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, nullus conjugio præsumat sibi copulare. Si quis vero hoc nefario conjugio convenerit, & in eo permanserit, sciat se autoritate apostolica anathematis vinculo innodatum, & nullus sacerdos: ei tribuat communionem: & si inclinatus divisusque fuerit ab illicita copula, pœnitentiæ submittatur, ut sacerdos loci consideraverit.

De vastatoribus autem ecclesiarum unde inquisivit, nihil aliud scribimus, nisi quod Paulus apostolus ad Timoth. scribens ait: Argue, increpa, obsecra cum omni imperio.

His vero omnibus prælibatis fraternitatem vestram monemus, per hanc nostram apostolicam jussionem, ut huic Gerardo archiepiscopo, cui vicem

cem nostram in cunctis finibus vestris commisimus in omnibus, quæ ad ecclesiasticum ordinem pertinent, obedientes & adjutores sitis, quatenus in una concordia persistentes, ut ecclesiastica jura & christianitatis religio in vestris partibus, quæ paganorum incursione, & malorum Christianorum persecutione corrupta & depravata esse videntur, domino largiente, & beato Petro apostolorum principe cooperante, ad rectitudinis normam valeant reformari, & vos in futuro examine securi possitis audire vocem domini, dicentis: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui.*

Præter hæc Eberardo duci Bavariorum nostra autoritate injungimus, ut præfato Gerardo archiepiscopo in omnibus auxilium præstet, ut suæ ecclesiæ status & rectitudo ac proprius vigor ad integrum culmen & priscum decorem suo juvamine valeat pervenire, si Dei indulgentia & sancti Petri etiam suorum delictorum a nobis vult accipere remissionem.

ANNO CHRISTI 939.

VITA
STEPHANI PAPÆ VIII.

Stephanus papa quando, & a quibus electus.

STEPHANUS, patria Germanus, opera Ottonis regis, posthabito cardinalium suffragio, electus est a Romanis anno Christi redemptoris DCCCCXXXIX. tempore Constantini VIII. & Romani imperatorum orientalium. Hic a tyrannis, quorum odium propter sui electionem in se concitavit, crebris ictibus sacrilegis facie deformatus fuit. Albericus enim, qui his temporibus principatum in Urbe gerebat, existimabat non posse se dominium Urbis securum possidere, si non gentilis aliquis ipsi bene notus Romanæ urbis pontificatum teneret. Qua occasione in eumdem Stephanum parum æquus existens, eum manibus impiorum tantopere lancinari, & in facie deturpari permisit. Et quamquam hæc stigmata propter justitiam a satanæ ministris inflicta, non dedecori, sed ornamento essent: tamen ipse a publico hominum congressu hac de causa ut plurimum abstinuit. Hoc facto excitatus est animus Ottonis ad vindicandum scelus Romanorum, & ad cohibendam vim illam tyrannicam, quam hactenus in promotione pontificum usurparant. quando autem illud perfecerit, infra suo loco dicetur.

Ab Alberico quæ sit passus.

Quid Francis mandaverit.

Francorum proceribus adversus Ludovicum regem rebellantibus, eumque recipere detrectantibus, per Damasum quemdam legationis munere fungentem nuntiavit, ut regem suum recipiant: quod si facere nolint, excommunicationis sententiam se incursuros noverint. In Italia bellum inter Hugonem & Albericum, antehac semel per Odonem Cluniacensem abbatem compositum, fracta pace recruduit: qua occasione Odo a Stephano iterum Romam vocatus, pace nondum composita, ibidem ex hac vita decessit. Paulo post etiam Stephanus papa defunctus est, cum, ut habent Vaticani indices, annos tres, menses quatuor, & dies quinque sedisset.

Quamdiu sederit.

LEGES ECCLESIASTICÆ
HOELI DHA* REGIS SEU PRINCIPIS TOTIUS WALLIÆ.

CIRCA ANNUM CHRISTI 940.
* id est, BONI,

DEI providentia Hovvel Dha filius Cadell, rex totius Cambriæ, videns suos VVallenses insolenter legibus abuti, accivit de quolibet * *Kemut* totius regni sui sex laicos viros autoritate & scientia pollentes, & omnes ecclesiasticos dignitate baculosos, vel archiepiscopos, vel episcopos, abbates, vel priores de regno suo ad locum qui dicitur *Gvin* super *Taff yn deued*, quam domum voluit ædificari virgis albis in hospitium sibi ad venandum, quando ad partes Demetiæ veniret, & ideo vocatur *Ty Gvyn*.

* id est, centuria

Rex autem & congregati, morati sunt ibidem per totam quadragesimam, orantes altissimum per jejunium perfectum, petendo gratiam ad bona facienda secundum regis propositum, & de congregatis elegit rex 12. laicos doctissimos, & unum clericum doctissimum qui vocabatur Blangoridus, ad instruendas sibi leges & usus, ut propinquius possent ad veritatem & justitiam intendi: & in tres partes scribi præcepit, quarum prima, lex curiæ suæ quotidianæ, secunda lex patriæ, tertia usus utriusque. Tres autem libros legis præcepit fieri consimiles, unum ad curiam suam quotidianam sequi semper, & alium ad curiam de Dinevvr, & tertium ad curiam de Aberfrau, vel qualibet de tribus partibus Cambriæ, scilicet Guenet & Povvys, & Deheubarth haberet in se autoritatem legis ad opus paratam.

I.

Ex quo * distein in aula steterit post prandium in tribus festis principalibus ponens in ea pacem Dei & regis, reginæ & optimatum curiæ, pacem illam transgredienti nusquam erit refugium & *navt. tc' n'* omnium refugium. Si quis ergo refugium regis & omnium violaverit, nec usquam, nec ab unius refugio, vel a reliquis sanctorum defendi potest nisi ab ecclesia.

Ecclesia supremum refugium.
* id est, præfectus, vel œconomus.

II.

Qui sacerdoti * *sarhaed* fecerit, vel eum occiderit, judicio synodi puniatur præter *gueli tanavd.*

Sacerdotē violans.
* id est, injuriam

III.

Hospitium sacerdotis & clericorum erit domus capellani villæ. Hospitium sacerdotis reginæ est insimul.

Sacerdotis hospitium

IV.

* *Offeirad eulen* contra pascha regis indumenta habebit, quibus usus est in quadragesima.

Sacerdos regis.
* id est, sacerdos Reginæ.

V.

Simili modo sacerdos reginæ ipsius habebit indumenta in quibus regina agat pœnitentiam. Sacerdos reginæ a regina equum debet habere. Sacerdoti, & accipitrario, & *penk ynyt*, & judicii curiæ, & *gvvastravd afvyn*, equi a rege restaurantur cum opus fuerit. Terram suam tenebit liberam.

VI.

Triplex est officium sacerdotis curiæ in placitis, scilicet, lites discretas de scripto delere, lites indiscretas ad judicium in scripto servare, & ad opus regis, quantum ad literas missas & mittendas, paratum esse, & numquam ebriatum.

Officium sacerdotis curiæ.

VII.

Tria sunt judici pertinentia, scilicet quæstiones solvere, lites discernere; & quod per judicium discreverit, per vadimonium confirmare, si tunc litigans

Sacerdos judici præstat sacramentum.

gans ei contradicit per aliud. Sic agat per annum. Anno autem elapso capellanus adeat ecclesiam, & cum eo duodecim officiales curiæ digniores, & Missa celebrata, & oblatione ad Missam ab omnibus facta, capellanus faciat eum jurare per sacrum incelebratum, & per altare, & reliquias superpositas, quod in tota vita sua nec prece, nec precio, nec amore, nec odio falsum scienter faciet judicium. Quo facto ad regem venient, indicantes ei quæ circa eum acta sunt. Si regi gratum sit, officium suum illi præstabit, & locabitur in sede sibi debita. Tunc dabuntur ei *ouer clyffeu*, a rege *taulbord*, a regina annulus aureus, quæ dona nec vendet, nec unquam donabit. Non debet judex esse, nisi in tali solennitate approbatur. A

VIII.

Et si aliquis de gentibus homicidæ vel occisi sit ecclesiasticus, sacris ordinibus, vel religioni obligatus, vel leprosus, vel mutus, vel stultus, nihil reddet vel recipiet pro * *galanas*. Nullam autem vindictam super eos vel ab eis propter occisum debet fieri, nec tales possint per legem istam ad reddendum vel recipiendum aliquo modo compelli.

[Margin: ...clesiasti...s in vin...cta tan...inis non mittitur. * id est, ...ecio homicidii.]

IX.

Si fur coram presbytero socios suos nominando manifestet, & affirmet hoc jurando in ostio cœmeterii, in ostio chori: quidquid de illo postea contingat, verbo presbyteri abinde de dicto illius absque contentione credendum est. Simili modo fit, quando quis pro mercede dicat furem qui rem furatus est, & hoc faciat coram sacerdote modo prænotato. Si quis alicui deprædari dicitur, & ille negaverit, 50. hominum juramento habet negare. Hic est unus homo eorum cui soli creditur, scilicet *Managur*, dictator continens cum testimonio sacerdotis, si ipse cum illo qui rem perdiderit venerit coram sacerdote ad ecclesiam, & dicat ei sacerdos prohibendo similiter, ne pro Deo ducat eum in falsitatem, hoc faciat in ostio ecclesiæ, si ibi juraverit se verum dicere, & non falsum: similiter faciat in introitu cancelli, deinde super altare idem faciat, & ille qui reus dicitur adhuc negaverit: sacerdos affirmet verbo suo ter quod vidit, & audivit, & semel jurando confirmet illud: hoc facto, qui prius negaverit pro confitente habetur, nec poterit contradicere. Mercedem quidem statim habebit ille qui dictavit, & verbo sacerdotis testificantis dictatoris sacramentis non contradicetur, & *finz* pro confitente habetur, & dicitur hoc *dogynnuariac*.

[Margin: ...nius sa...rdotis ...antum testimo...um.]

X.

Tria sunt genera [1] *dirvy*, unum de pugna, alterum de *treis*, id est raptu, tertium de furto. Duplex autem fit *dirvy*, & duplex *camlurv*, in curia, & in ecclesia: quæ ecclesia si summa fuerit, de pugna quæ in cœmeterio agitur, quatuordecim libræ sunt reddendæ: si vero extra, id est in [2] *nodva*, septem libræ: quarum librarum abbati medietas cedit, si legalis sit, id est ecclesiastica doctrina instructus & literatus; altera medietas, presbytero & canonicis ibi Deo servientibus. Talis divisio fit inter abbatem & presbyteros de pugna illorum scilicet, [3] *navtur*, qui ab abbate & presbytero refugium acceperint: sicque dividitur omne quod tantummodo sancto, non alteri, nec alii abbatum erogatur. De pugna in [4] *nodva* sanguis & *cleis* stabunt pro testibus abbati & presbyteris per dignitatem ecclesiasticam abbatiæ.

[Margin: ...ulcta pu...næ in lo...o sacro. 1 id est, mulctæ. 2 id est, asylo. 3 id est, refugium. 4 id est, in asylo.]

XI.

Lingua quantum omnia membra valet. Summa valentiæ omnium membrorum est octoginta octo lib. Sanguis cujuslibet hominum precium est viginti quatuor denariorum. Sanguis Christi precium est triginta denariorum: scilicet indignum videtur ut Dei sanguis hominis minoris precii est.

[Margin: Mulcta sanguinis effusi.]

XII.

Tribus de causis poterit uxor a viro divertere, & suum [1] *egveti* habere: scilicet, si lepra vir inficitur, & si fœtidum habeat anhelitum, & si cum ipsa coire non valeat. Ter a viro suo, si aliam cognoverit, [2] *vynebvverth* uxor habitura est, primo dimidiæ libræ, secundo libram, tertio cum toto jure suo libera [3] *dilis* poterit ab illo discedere. At si ultra tertiam vicem patienter sustineat, de cætero *vynebvverth* non habebit. *Redvvit* dicit quod tertio triginta sol. quarto libera cum toto jure suo abiit: si patienter sustineat, de cætero *vynebvverth* non habebit. B

[Margin: Cur virum uxor deserat. 1 id est, dotem. 2 id est, satisfactionem. 3 publice vel soluta.]

XIII.

Cum puellæ suo tempore * *covvyll* comparetur, nisi mane de illo antequam a viro consurgat a lecto voluntatem suam declaret, inter virum & mulierem commune erit. Si viro detur puella ætatem habens, dicatque vir illam ab alio defloratam percepisse: puella, si possit, quinque hominum juramento (scilicet patris & matris, fratris & sororis, & suo proprio) hoc falsum esse adstruat & se ad illum advenisse incorruptam, scilicet, sit matura in pilis & uberibus, & si venerint muliebria ejus, id est *teithi*, ætatis * *gvreic*. Si primo tacuerit, & secundo eam agnoverit, & sic usque ad mane cum illa dormierit: licet illam corruptam invenerit primo, de iure puellæ nihil potest auferre. Si vero statim hoc noverit, ad viros surrexit nuptiales, alia non contradicente, hoc eis testificaverit, nihil ei jure reddere debebit. C

[Margin: Puella. * Vestimenti genus. Læsæ pudicitiæ insimulata. * id est, ephebiæ.]

XIV.

Si cujus uxor de alio infametur, & hoc tamen sit incertum, septima manu mulierum expurget. Si secundo infametur, cum quatuordecim. Si tertio cum quadam certitudine hoc dicatur, juramento 50. mulierum se expurgabit. D

[Margin: Vxor infamata.]

XV.

Si qua mulier datores habuerit, sit vir sub dote sua usque ad septem annos; & si habuerit tres noctes de septimo anno, totius substantiæ eius medietatem in divortio eorum mulier habebit. Substantia autem hoc modo dividitur: vir sues habebit, mulier oves. Postea mulier dividat, vir eligat. Et primo supellex sic dividatur. Omnia vasa lactis præter unum sinum, id est *baeol* mulieris erunt, & discos omnes habebit præter unum, ∴ & illa duo viri erunt, currum vero cum uno jugo, & omnia vasa, potus, & dolia viri erunt; quæ desuper vero, mulieris. Si vir incontinenti aliam duxerit uxorem, vestimenta primi lecti scilicet repudiatæ mittere debet. Vir habebit caldarium & tapetum, id est *brycan* & pulvinar, & cultrum, & securim lignorum, & terebrum, *&c.* E

[Margin: Datores mulieris, &c. Divisio bonorum.]

XVI.

Si uxorem suam quis sine lege repudiaverit, & aliam superduxerit, repudiata debet de jure domui redire, & in ea permanere per novem dies, & in nono die, si a viro omnino dimittatur, omnia quæ illius sunt de domo prius exeant: & ultima rerum suarum ipsa de domo exeat: & postea vir repudiatam quietem, id est *dilys* clamabit, superducta alia, quia de jure duas uxores insimul nullus debet

[Margin: Vir repudians uxorem.]

debet habere. Si quis uxorem suam dimiserit, & postea ipsum operis sui pœnituerit, & illa viro alteri data fuerit: si prior vir eam poterit attingere unum pedem cum viro altero in lecto habentem, & alterum extra, prior de jure debet eam recuperare.

XVII.

Mulier negans adulterium.

Si mulier negat adulterium, det juramentum 50. mulierum: similiter adulter negans, juramentum 50. virorum. Et tribus de causis datur tale juramentum: si videantur mulier veniens de luco ex una parte, & vir veniens ex altera parte ejusdem luci in eadem hora, vel si videantur insimul jacentes sub uno pallio, vel si videatur vir inter femora mulieris.

XVIII.

Causæ repudiandi uxorem.

Si qua mulier rem turpem cum alio viro, vel osculo, vel manu, vel stupro egerit, de jure potest repudiari a viro suo, & omnia jura sua debet amittere, etiam pro solo osculo, nedum pro aliis. Adulter pro stupro reddet injuriam cum una elevatione illi cujus uxorem violaverit: quia de genere hostilitatis est. Pro palpatione manuum in vulva, quæ dicitur *govys*, reddet injuriam sine elevatione. Pro osculo tantum adulter injuriam reddet, sed de injuria tertia pars cadet: quia non habuit rem cum ea ex toto, & hoc causa decipiendi eam, sic dicunt quidam, alii vero, ut nisi consequuntur, declaratur, qualitercumque facta fuerit.

XIX.

Osculans uxorem alterius.

Qui uxorem, alicujus osculatur, quartam partem injuriæ ei reddet, similiter de *govys*, nisi in ludo qui dicitur *gvare raffau*, vel in convivio, vel quando quis de longe venerit.

XX.

Volentem stuprans.

Goronvy ab moridyc dicebat quod vir alterius uxore ipsa volente abutens, nihil debet reddere, dum mulier sui facti laudat autorem; sed si factum notum fuerit, mulier habet viro suo * *saraed* reddere, vel vir eam libere repudiet, & ab ea divertat.

* *id est*, injuriam.

XXI.

Precium virginitatis domino solvendū.

Nemo feminam det viro antequam de mercede domino reddenda fidejussorem accipiat. Puella dicitur esse desertum regis & ob hoc regis est de ea **amaabyr* habere. Si aliquam quis in * *lathrud* adducat, & ad domum alicujus optimatis cum illa vadit, fidejussorem a viro de toto jure abductæ, antequam insimul dormiant, optimas accipiat.

* *id est*, preciū virginitatis.
* *id est*, raptus mulierum.

XXII.

Rex & ecclesiastici non sistentur in lege.

Tres autem sunt homines quorum nullus potest per legem impignorare contra aliquod judicium. Primus est rex, ubi non poterit secundum legem in lite stare coram judice suo, agendo, vel respondendo per dignitatem naturalem, vel per dignitatem terræ, ut optimas vel alius. Secundus est ecclesiasticus sacris ordinibus obligatus. Tertius est ecclesiasticus religiosus obligatus. Nemo enim secundum legem potest dare pignus contra judicium, nisi sub periculo precii suæ linguæ, sed nullum precium constitutum est in lege Hovvel super membrum & sanguinem, vel *saraed* ecclesiastici, ut sunt prædicti: & ideo nullus eorum potest dare vadium de jure contra judicium vel cum iudicio. Omnia autem nocumenta sacrilega quæ fient ecclesiasticis, debent in synodo secundum legem ecclesiasticam emendari.

XXIII.

Ordinatus non sit iudex.

Tres sunt homines, quorum nullus potest esse per legem judex dignus. Primus est mendosus, id est *anavus*, vel cæcus, vel surdus, vel leprosus, vel stul-

A tus, qui sit semel ligatus propter stultitiam suam, id est *gorffvyllavc*, vel qui nesciat recte loqui, vel *cryc aneannaul*, Secundus est ecclesiasticus sacris ordinibus vel religioni obligatus. Tertius est laicus sine potestate judicandi per dignitatem terræ, vel servitoriæ.

XXIV.

Conquestores querul.

Tres sunt rei conquestores, a rege propter querelas suas puniendi. Primus est, qui det pignus contra judicium quod per aliud, id est *ghurgvystyl*, & autoritatem scriptam de legibus contra ipsum poterit confirmari: ille precio linguæ suæ debet puniri. Secundus qui det pignus contra judicium quod super aliquem alium quam seipsum detur, ille suo * *camlvrv* debet puniri. Tertius est, si quis

* *id est*, mulcta

B careat dignitate impignorandi, videlicet sacerdos vel alius: licitum est ei contradicere judicio per autoritatem de legibus: & si sic contradicat, & autoritas ei fallat, *camlvrv* amittat. Nemo autem per judicium litigiosum amittet plus quam *camlvrv*, nisi vera sit impignoratio vadio contra vadium.

XXV.

IX. hominum singulari credendum testimonio.

In lege Romana repetitur: Vbi numerus testium non definitur, ibi duo sufficiunt. Dicit quoque lex: Vnius testimonium non est admittendum. Hoc vero dicitur quod novem homines sunt, quorum vnicuique & soli in ferendo testimonio credendum est; sed tamen jurejurando. Primus est, dominus inter duos hominues: ita tamen quod non sit particeps litis & rei ex lite consequendæ, & confiteantur contentionem suam prius coram domino C suo fuisse, & non fuerit * *undull*. At si alter eorum negaverit, cum juramento negabit. In alio casu novem dies dantur domino, ad connumerandum qualiter juramentum præstiterit: sacerdoti vero ad idem dantur induciæ usque ad tempus quo possit Missam celebrare. Secundus est, patronus sacerdos inter duos parochianos, inter duos monachos suos. Tertius est, pater inter duos ipsius filios, ponendo manum super caput illius contra quod testificatur, sic dicendo: Per Dominum qui me creavit de patre, & te de me, verum inter vos dico. Quartus est, iudex de judicio suo: scilicet si quidam de judicio quod inter eos judex dederit dubitantes certaverint. Quintus est, fidejussor de fidejus-D sione sua, si partim negat, & partim confitetur. Sextus est sacerdos de testimonio sibi attestato inter duos parochianos suos. Septimus est, puella de virginitate sua, si vir cui data est dixerit eam invenisse corruptam, ut jus suum ei tollat, jus ei tamen illa est, & ei tamen credendum est, antequam fuerit matura. Item de puella, si vi oppressa fuerit, & violator dixerit eam invenisse defloratam, contra eum testimonio puellæ credendum est. Octavus est, communis pastor villæ de animali ab alio inter animalia suæ custodiæ mortificato. E Nonus est, latro ad patribulum ductus, & de morte sua certus: illius verbis sine sacramento, id est *creir*, de socio vel sociis credendum est, vel de re quam ipse furatus est. Iste scilicet socius ejus propter dictum alterius non debet vita seu membris condemnari. De verbis tamen illius qui suspenditur, manifestatur eum esse latronem, cui credendum est, sicut lege ista cautum est. Est ergo iste condemnandus, non ad vitam seu membra perdenda, sed ad redemprionem sui faciendum. De illo latrone, qui constituto juramento in patria, latrocinio non poterit se purgare. Eritque *dirvyus et n' lleidyr gvverth*.

* *id est*, uniformis

XXVI.

XXVI.

Fidejussor. Fidejussor negans fidejussionem suam de septimo proximorum sibi redemptione negabit, vel solus jurans super septem altaria dedicata *os bri duva divvad*, si partim negat, & partim profitetur, solus semel jurabit, & sic *kynnogyn*, si fidejussionem negaverit, scilicet de septimo.

XXVII.

Fidejussor rei vendi-tæ. Si quis nomine emptionis rem aliquam ab aliquo acceperit, deinde ab hac vita ereptus res suas cum amicis reliquerit, cum ipse pro se de precio rei acceptæ reddendo fidejussor extiterit, id est *yn uach kynnogyn*, ab amicis præfatis, licet factum ignorantibus & obdormientibus, de rebus mortui precium rei suæ venditor consequatur. Iuret tamen de septimo proximorum sibi in redemptione super sepulchrum debitoris, si possit invenire: sin autem, super altare dedicatum, quod illi rem suam vendidit, & quod ipse pro fidejussore fuit.

XXVIII.

Exul & femina non sunt fidejussores. Non debet fidejussor dari qui exul est, neque qui fortior est; neque monachus, nisi consentiente abbate; neque scholaris, nisi magistro consentiente; neque femina, nisi domina fuerit principalis debitoris; neque filius, nisi patre consentiente, dum pater debet esse pro filio. Quamvis autem fidejubeant, alicujus eorum fidejussio non est compellenda.

XXIX.

Sacerdos, ... imus re... necessarius. Tria sunt sine quibus rex esse non potest, scilicet, sacerdos ad missam celebrandam, & ad escas regis & potus benedicendos, & judex curiæ ad causas discernendas, & ad danda consilia, & familia quoque ad negotia regis parata.

XXX.

Vulnus linguæ. Tribus hominibus vulnus linguæ redditur: regi semper: judici, quando quis conatur ire contra judicium: sacerdoti quando fuerit in ecclesia, sive in tribus festis principalibus.

XXXI.

...uria non ... ubi non ... facer-...os. Vbicumque sacerdos familiæ & [1] *distein* & judex curiæ insimul fuerint, ibi erit dignitas curiæ, id est [2] *breint llys*, licet rex absens est.

XXXII.

...d est, pre-...ctus cu-...æ, vel œ-...onomus ...id est, au-... regia, ... synodo ...lum judicandus ...clesiasti-...s. Nullus autem rex habet potestatem constituendi precium super aliquem ecclesiasticum sacris ordinibus obligatum, vel super membra, vel sanguinem, vel *saraed* ejus, vel super aliquem de suis, quia quisque ecclesiasticus, ut prædictus, habet potestatem per legem ecclesiasticam probandi in synodo quodlibet nocumentum vel damnum quod ei laicus faciat, aut rex, aut alius. Item nullatenus talis ecclesiasticus potest compelli ad respondendum alicui extra synodum de delictis sibi oppositis.

XXXIII.

...isi pro ...rris sæ-...laribus. Si autem talis ecclesiasticus teneat terram sub rege per debitum, de qua servitium regi pertineat fieri, in curia regis debet respondere de terra cum pertinentiis, quia regis est tota terra regni sui: & nisi inde respondeat humiliter idem, regis erit terra illa totaliter. Quamvis autem talis ecclesiasticus possit per dignitatem terræ in judicio cum laicis esse usque ad tempus narrandi illud, nullum judicium debet referre inter litigantes, quia non est precium super linguam ejus in lege constitutum: per quod quisque judex si injuste judicet, punietur, si confirmet judicium injustum per vadimonium.

XXXIV.

...clesia res ...clesiasti-... Cum de villarum sive agrorum terminis quæ curia contingat, contentionem curia terminabit: A si ecclesia & non curia contingat, ecclesia terminabit. Postea *Bremt*, demum *kygvvarchadv*, id est *ar deffeith, ty ac odyn ac ysgubavr*. Verum cum terminabit *maer* & *kyghellavr*, debent pro ea terminos assignare, pro ecclesia vero baculus, & euangelium. Sin autem terra litigiosa, inter litigantes in duo dividatur. cas sæculi sæculares judicat.

XXXV.

Si regia dante licentia in rusticana villa ecclesia construatur, & in ea missæ celebrentur, & in atrio illius corpora sepelientur, extunc libera erit villa illa. Ecclesia rusticana.

XXXVI.

Si quis nomine quo matrix fuerit ecclesiæ, judicio terram ad illam pertinentem petierit, nonus B dies mensium non est expectandus. Dies nonus.

XXXVII.

Si regis villanus rege annuente optimatis filium nutriendum susceperit, defuncto villano cum filiis æquali portione alumnus ille succedet. Nutritius optimatis.

XXXVIII.

Si in terra regis cum homine ipsius homines episcopi vel abbatis inter se conflictum fecerint, * *dirvy* eorum regi. Conflictus. * id est, mulcta seu mulctatio.

XXXIX.

Septem domus episcopales sunt in *Dyved*, *Menevia*, quæ est sedes principalis in Cambria, ecclesia *Ismael*, ecclesia *Degenian*, ecclesia *Yssyl*, ecclesia *Teylav*, ecclesia *Teulidavc*, ecclesia *Keneu*. Abbates *Teylav*, & *Teulydavc*, & *Ismael*, & *Degenian* C tenentur clerici esse & ordinati. *Ebediv* cujuslibet istorum domino *Dyued* erunt, scilicet duodecim libræ, vel qui illis successerint reddant. *Menevia* ab omni debito libera manet & soluta. Ecclesia *Keneu* & ecclesia *Yssyl* ab illo debito liberæ erunt, quia terris carent. VII. sedes episcopales.

L X.

De furto redemptionis non fit contentio super aliquid, nisi prius fuerit *manac* cum juramento in tribus locis, in ostio cœmeterii, in ostio ecclesiæ, in ostio chori coram presbytero ipsius ecclesiæ, & hoc presbyter ille in placito domini testatus sit, cujus verbo credendum est tunc. De furto D * *Kyssvyn* non fit contentio juramenti, id est *reith*, super aliquid, nisi prius fuerit *manac* in curia. Furtum redemptionis. * id est, communicatio.

CONCILIVM SVESSIONENSE,

CVIUS DECRETO HUGO HERIBERTI comitis filius, dejecto Artaldo, Remorum archiepiscopus consecratus est anno DCCCCXLI. ANNO CHRISTI 941.

De episcopatu Remensi post obitum Seulfi archiepiscopi diuturna & anceps fuit altercatio. Nam cum Heribertus comes Seulfo mortuo anno DCCCCXXV. *Hugonem filium suum adhuc quinquennem eligendum curasset, ecclesiamque illam interea pro arbitrio administraret: sexto post anno Ro-* E *dulfus rex, capta urbe Remorum, Artaldum e sancti Remigii cœnobio monachum in ea sede ordinari jussit anno* DCCCCXXXI. *Artaldum Heribertus post annos octo & menses septem, Remorum urbe iterum in potestatem suam redacta, episcopatu cedere & abdicare se coegit anno* DCCCCXL. *Tum anno insequente synodum apud Suessiones convocavit, cuius decreto Hugo filius, jam cæteris ordinibus initiatus, Remorum archiepiscopus consecratus est. Flodoardus in chronico:* Anno, *inquit*, DCCCCXLI. Hugo & Heribertus comites, episcopos convocant Remensis diœceseos. Qui conuenientes apud Suessionem in ecclesia sanctorum Crispini & Crispiniani, tractant de statu Remensis episcopi, definiuntque, conque-

ANNO CHRISTI 941.

conquerentibus clericis atque nobilibus laicis, diu pastore sedem ipsam vacare, ut quoniam Artaldus episcopus juraverat quod nunquam se de ipso episcopatu intromitteret, ad ipsius gubernationem reverti non deberet; Hugo vero filius Heriberti comitis, qui prius ad ipsum episcopatum fuerat evocatus, clero populoque petente, ordinaretur episcopus. Indeque Rhemos adeuntes episcopi eumdem præsulem electum consecrant apud sanctum Remigium. *Flodoardus idem de seipso & Hugone loquens lib.* IV. *historiæ cap.* XXVIII. *&* XXIX. Sexto, *inquit*, Kalendas Aprilis egressus ipse cum præfato electo nostro ad urbem Suessonicam profectus sum. Ubi convenientes episcopi hujus diœceseos cum principibus Hugone ac Heriberto, tractarunt quid eis esset agendum super episcopali hujus Hugonis ordinatione: sicque decreverunt, petentibus quibusdam filiis ecclesiæ Remensis, tam clericis quam laicis, eum ordinandum: asserentibus fautoribus ipsius quod Artaldus nequaquam electus, sed per violentiam fuerit intromissus, seseque episcopali abdicaverit ditione. Nec mora, civitatem Remensem a præfato conventu adeuntes episcopi prætaxatum electum nostrum in ecclesia sancti Remigii dignitate sublimant.

NOTA SEVERINI BINII.

Locus & causa Concilii.

Hæc Synodus celebrata est apud Suessiones in causa altercationis duorum, qui se Remenses archiepiscopos profitebantur, videlicet inter Hugonem, quem in gratiam patris puerum adhuc quinquennalem electum fuisse supra dixi; & Artaldum, qui post illum ejectum, ex monacho in eam sedem cooptatus fuit. Decretum est in hac Synodo Artaldum amovendum esse, ut pote qui jurasset nullum se unquam archiepiscopatum accepturum; Hugonem vero recipi debere, eo quod clero populoque petente vocatus esset. Post absolutam Synodum, & Hugonem sedi Remensi restitutum, Flodoardus, quem Heribertus comes & pater Hugonis detinuerat, ab exilio liberatus fuit. Post hæc episcopi Remos profecti Hugonem archiepiscopum consecrarunt. *Flodoardus in chronico, lib. 4 cap. 28. & sequentibus.*

Decretum.

PRÆCEPTUM ADELBERONIS EPISCOPI METENSIS.

De monachis in cœnobio sancti Arnulfi clericorum loco constitutis.

TOTIUS ordo expetit æquitatis, quo in omni statu & habitu si qua manent justo correcta moderamine, instantius in augmento promoveantur summo; nec minus justo, quæ videntur pessumdari, æquæ reformari mensura librationis. Idcirco ego indignus Adelbero, sanctæ sedis Metensium episcopus, operæpretium duxi, ut qui diu mihi commissa in torporis negligentia cuncta duxeram, saltem aliqua quæ corrigere valerem congruebat sagaci providerem industria. Itaque monasterium cunctis notum, scilicet beati Arnulfi, quo videbatur coadunatio clericorum, utque veridice dicam, & sub testimonio totius ecclesiæ, acephalorum sub specie canonicorum regulæ existere, succrevit ardor summi desiderii, ut qui illorum mores & vitam incorrigibilem noveram (namque & hoc experientia diversarum admonitionum antea cum nostris expertus eram suffraganeis) quo potioribus & vitæ præstantissimis ipsius loci præbendam converterem disciplinis. Hujus siquidem deliberationis summa fuit, ut eos inde expellerem, & Deo autore vitam instituerem monasticam, nisi seipsos sanctæ illius subderent vitæ. Sed hoc quasi despectui habentes, ut erant jurati cœtu, maluerunt esse pares in imperfectionum consensu. Denique consultu nostrorum clericorum, scilicet abbatum utriusque ordinis, atque fidelium laicorum, præfecimus ibi abbatem, Arbertum nomine, cujus institutionibus in reliquum adventantes inibi, eodem quo definivimus ordine, scilicet monastico erudirentur. Quapropter furoris stimulo veluti de paternis reditibus accensi quidam eorum adierunt regem, seniorem nostrum videlicet Ottonem, vanam super hoc garrientes declamationem, quod injuste proprium abstulissem & veluti hereditarium locum. Cumque ut egeram præfato seniori totum indicassem, illorum floccipendens rationem, ut sapiens & iustus rex, ne in reliquum querimoniis inibi Deo famulantes molestarentur invidorum, tunc & ipse quod feceram confirmavit testamento regiæ autoritatis, præcipiens ut pari consensu ad corroborationis autoritatem identidem nostra sanciret ecclesia. Quod iuxta desiderii ardorem exequens, ut dehinc sicut statuimus maneat, cum consensu ducis nostri, Ottonis videlicet, totiusque ecclesiæ nostræ, hoc præceptum confirmationis scriptum manibus propriis roboravimus, & roborandum tam prædicto duci, quamque coepiscopis nostris, fidelibusque dedimus: in Domino, & propter Dominum, omnes successores nostros humiliter postulans, ut sicut diffinivimus, utque volunt sua quæ diffinierint, rata habere consentiant nostra. Actum Metis publice, sub die Idus Martii, indictione XV. concurrente V. anno XIII. adeptionis episcopatus domni & venerabilis episcopi Adelberonis, hoc testamentum fuit coram cunctis in palatio recitatum, & ab omnibus voluntarie corroboratum.

NOTA IACOBI SIRMONDI S.I.

Adelberonis Metensis.] Depromptum est ex tabulario sancti Arnulfi. Ottonis vero ducis Lotharienfium, cui Otto rex ducatum hunc aliquanto post Gisleberti mortem dederat, meminit in gestis hujusce anni DCCCCXLII. Flodoardus. Errat enim more suo Sigebertus Gisleberti obitum differens in annum DCCCCXLIII.

VITA MARINI PAPÆ II.

QUI PERPERAM MARTINUS II. NOMINATUR.

ANNO CHRISTI 943.

Marinus pontifex quando electus, & qualis fuerit.

MARINUS natione Ro[illegible]us, post obitum Stephani factus est pontifex, anno Redemptoris nostri DCCCCXLIII. Hic est ille, qui ante viginti tres annos Udalrico Romam venienti prophetice obitum Adelberonis prædecessoris sui revelavit, eumque eidem successurum prædixit. In vita Udalrici nominatur pontifex per anticipationem, qui post annos circiter viginti ab eo tempore sedem pontificiam vere occupavit. Pontificatum adeptus, omissis insanabilibus tumultibus bellicis, totum se tradidit ad componendam ecclesiam, tam in cleri, quam in monachorum reformatione, & in basilicarum restauratione, & pauperum cura. Literis vero egit, ut inter Christianos principes mutuo decertantes pax componeretur. Unicum *monumentum Marini, quo continetur privilegium concessum sancti Vincentii monasterio super Vulturni fontes, extat apud Baronium anno 944.

Res a Marino gestæ.

**Solum hoc monumentum viderat Binius: nos alterũ ei adjungimus.*

Hujus temporibus, post Heribertum comitem defunctum, filio ejus Hugoni Remensi archiepiscopo Artaldus novum facessit negotium. Imago Christi Redemptoris, miraculo expressa, & ad Abagarum regem transmissa, translata est Constantinopolim, dum Edessa a Romanis obsideretur anno Redem-

Imago Christi ad Abagarum missa.

Redemptoris 946. inquit Flodoardus, Marinus papa decessit, cum, iuxta Vaticanos indices, annos tres, menses sex, & dies tredecim sedisset.

*alias ODÆ

CONSTITVTIONES * ODONIS ARCHIEPISCOPI CANTVARIÆ,

tempore regis Edmundi latæ, hoc est annum circiter Domini DCCCCXLIII. in quibus cavetur de officio regis, magistratuum, & cleri, & de juribus ecclesiæ rite conferendis.

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

In nomine sanctę Trinitatis & unicæ divinitatis. Licet, nullis existentibus meritis, monita piæ exhortationis ausu temerario quempiam docere præsumam: tamen quia certantibus, & videlicet laborantibus in stadio hujus vitæ, spirituale bravium auctore donorum Spiritu promittitur, & pastorum curæ populus Dei multiplicandus fide & numero caute conceditur: ideo ego Oda humilis & extremus, divina largiente clementia, almi præsulis & pallii honore ditatus, quædam documenta, omni Christicolæ, ni fallor, non indigna, quæ a præcedentibus illustrium virorum præceptis certissima comperi, ad consolationem domini mei regis, scilicet Edmundi, omnisque populi excellenti imperio ejus subjecti, in ista chartula coadunare decrevi. Vnde devotissime obsecro, & clementissime hortor audientium mentes, ut si quando hæc recitanda audiant, interius videlicet in corde frequenti meditatione plantent: & multiplici bonæ operationis munere, ex eo fructum pacatissimum in tempore messis sibi colligant.

CAPVT I.

Primo capitulo præcipimus & mandamus, ut sancta Dei ecclesia, quæ sanguine Christi primum fundata est, & fidelium multitudine, sponsa dealbata, nullis ingredietur malorum interruptionibus. Nec alicui liceat censum ponere super ecclesiam Dei: quia filii ecclesiæ, id est filii Dei, ab omni censu terrestri liberi sunt in omni regno. Ambrosius ait, Ecclesia catholica libera est ab omni censu principis. In historia ecclesiæ: Si quæ domus agri, vel quælibet prædia a Christianis direpta sunt, sive sub fiscum regalem, sive in dona collata sunt, hæc omnia in antiquum jus Christianis præcipimus revocari. Gregorius enim ait: Si quis ecclesiam Christi denudaverit, anathema sit, si non satisfactione emendaverit. Et iterum: Quisquis ecclesiæ Dei parochias violare vel usurpare per rapinam tentaverit, ab ecclesiæ ministris excommunicandus est, & omnimodo a corpore Christi alienus. Audent enim extra milites qui Christum crucifixerunt aliquid, qui ecclesiæ ejus disciplinæ regulis obedire contemnunt: ecclesia enim habet potestatem ligandi atque solvendi.

II.

Secundo capitulo ammonemus regem, & principes, & omnes qui in potestate sunt, ut cum magna humilitate suis archiepiscopis, omnibusque aliis episcopis obediant: quia illis claves regni cælorum datæ sunt, & habent potestatem ligandi atque solvendi: nec se magni pendant in sæculari potentia, quia Deus superbis resistit; humilibus dat gratiam: habetque rex prudentes consiliarios, Deum timentes super regni negotia; ut populus bonis exemplis regis & principum eruditus, proficiat in laudem & gloriam Dei. Neminem injuste per potentiam opprimere: sine acceptione personarum inter virum & proximum suum judicare: advenis, pupillis, & viduis, protector esse: furtum prohibere: adulteria punire: iniquos non exaltare: pauperes eleemosynis alere: quia etsi omni homini necessarium est Christi custodire mandata, præcipue tamen regibus & omnibus in sublimitate positis; qui & pro seipsis etiam, & pro universis sibi subjectis, in die districti examinis justo judici rationem sunt reddituri.

III.

Tertio, ammonendi sunt episcopi, quatenus cum omni honestate & modestia in sanctæ religionis pietate prædicent & ostendant exempla bona omnibus. Vt suas parochias omni anno cum omni vigilantia, prædicando verbum Dei, circumeant; ne aliquis per incuriam pastoris, per devia cujuslibet ignorantiæ errans, lupinis pateat morsibus lacerandus. Ne quis turpis lucri gratia, sed spe mercedis æternæ, gregem sibi commissum pascere studeat: quod enim gratis excepimus, gratis impendere non differamus. Absque ullo timore vel adulatione cum omni fiducia verbum veritatis prædicare, regi, principibus populi sui, omnibus dignitatibus, & nunquam veritatem subterfugere. Neminem injuste damnare, neminem nisi juste communicare, omnibus viam salutis demonstrare.

IV.

Quarto capitulo, ammonemus presbyteros ut populum Dei bonis exemplis habitu sancto doceant, & doctrina sancta erudiant & informent. Vt illorum conversatio in omni bonitate & modestia moribus populi excellentior sit: quatenus qui eum viderit secundum presbyteratus sui dignitatem vestitum incedentem, bene & laudabiliter enuntiat habitus ejus.

V.

Quinto capitulo ammonendi sunt clerici, ut canonice cum omni honestate & reverentia iuxta sanctorum patrum decreta vivant, præbentes bona omnibus exempla: quatenus in eorum bona conversatione laudetur episcopus, honoretur ecclesia, populus proficiat in laudem Dei, & illi secundum nominis sui dignitatem, digni in Dei hereditatem venire efficiantur.

VI.

Sexto capitulo hortamur monachos, & omnes qui votum Deo voverunt, ut in omni humilitate & obedientia die noctuque hoc adimplere studeant, permanentes in timore Dei in ecclesiis ubi se voto constrinxerunt. Non sint vagabundi, neque gyrovagi, qui nomem monachi desiderant, officium autem ejus contemnunt: sed secundum exempla apostolorum, per habitum humilitatis, laboribus manuum, & lectione sacra, & continuis orationibus se exercentes, parati, præcinctis lumbis, ardentibusque lucernis, patremfamilias expectent, ut veniens eos faciat in æterna requie sine fine permanere.

VII.

Septimo capitulo prohibemus & interdicimus omnibus Christianis injusta connubia, & incestuosa, cum monialibus, vel cognatis, vel cum aliis illicitis personis. Sanctæ enim recordationis Gregorius papa, cum pluribus episcopis, seu sacerdotibus cæteris, in basilica beati Petri apostoli constituit: Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugio duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes: Amen. Nos quippe eamdem apostolicam autoritatem sequentes, simili modo jaculum maledictionis talibus imponamus, nisi correptus a tam nefanda præsumptione ad satisfactionem pervenerit.

VIII.

Octavo capitulo observamus: ut quando in aliquo conventu venerimus, tota intentione consideremus quid Psalmista nos admonet, dicens: *Dominus prospicit super filios hominum*: & reliqua. Et iterum: *Dominus dissipat consilia gentium*: & reliqua usque *in hereditatem sibi*. Ideo prævidendum est, fratres, ut sit concordia & unanimitas inter episcopos, & principes, omnemque populum Christianum, ut sit unitas ubique ecclesiarum Dei, & pax: imo una sit ecclesia, fide, spe, & caritate, unum habens caput, quod est Christus: cujus membra se invicem adjuvare mutuaque caritate diligere debent, ut ipse ait: *In hoc cognoscant omnes*: & reliqua.

Psal. 32. *Psal. 32.* *Ioan. 14.*

IX.

Nono capitulo ammonemus jejunium * cum eleemosynis caute & vigilanter conservare: istæ enim sunt tres alæ quæ ducunt sanctos ad cælum. Quatenus quadragesimale iejunium, quatuor tempora, & alia legitima jejunia, videlicet IV. feriam, & VI. feriam, cum magna vigilantia observare studeatis: & super omnia dominicum diem, & sanctorum festivitates, sicuti canon & exempla præcedentium affirmant, ab omni sæculari opere cautissime custodire procuretis, nec superstitionibus vanis consensum præbeatis: neque creaturam pro creatore magicis illusionibus adorabitis, quia qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.

addendum & orationem.

X.

Decimo capitulo mandamus, & fideliter obsecramus, de decimis dandis, sicut in lege scriptum est: *Decimam partem ex omnibus frugibus tuis, seu primitiis, deferas in domum Domini Dei tui.* Rursum per prophetam: *Afferte*, inquit, *omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea, & probate me super hoc. Si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero benedictionem usque ad abundantiam: & increpabo pro vobis qui comedit & corrumpit fructum terræ vestræ, & non erit ultra in ea sterilis.* Vnde & cum obtestatione præcipimus, ut omnes studeant de omnibus quę possident dare decimas, quia speciale Domini Dei est: & de novem partibus sibi vivant, & eleemosynas tribuant. Veritatem autem facientes, in caritate maneamus in illo qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Deut. 12. *Malach. 3.*

EPISTOLA SYNODALIS ODONIS ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS.

Ad episcopos sibi suffraganeos.

Ex lib. 1. VVillelmi Malmesb. de gestis Pontif. Angl.

MIRABILI cunctipotentis polorum præsulis clementia opitulante, ego Odo ecclesiæ Salvatoris domini nostri Iesu Christi archiepiscopus,

A Dorobernensis civitatis metropolitanus, coepiscopis fidei catholicæ compaginatoribus, spiritali caritate, etiam comitatus rigore, meis confratribus, præsentium prosperitatem æthereique decoris beatitudinem. Si aliquo modo fieri posset, ut totius mundi opes ante nostros ponerentur obtutus, ita ut imperiali munere nobis universaliter deservirent, libenter illa omnia distribuerem, meque ipsum insuper pro vestrarum animarum salute impenderem. Quippe quoniam meipsum a vestræ sanctitatis studio cupio & spero corroborari super eo, in quo dominus Deus nos operarios constituit. *Et multa, quibus onus pontificatus exponit, subdidit: *Idcirco humiliter, quasi indignus, sed devotus, precor

B & hortor sanctitatem vestram, ne tepide & negligenter in regimine animarum conversemini, ut non in tempore tremendæ vindictę conqueratur de vobis Dominus, dicens: *Pastores non pascebant gregem meum, sed semetipsos.* Et iterum: *Principes extiterunt, & ego ignoravi.* Sed potius curemus familiæ Domini, super qua nos constituit rectores, cibum dare in tempore suo, mensuram tritici, probatam scilicet doctrinam. Et quamvis meritorum qualitate non præsumam consolari & hortari quemquam, quippe qui solus indignus, & innumerabilium culparum reus, gaudeo & indigeo fraternis admonitionibus fideliter corroborari: tamen propter antiquam autoritatem prædecessorum meo-

C rum, beatæ scilicet memoriæ Augustini, & aliorum sanctorum, quorum studiis regula Christianitatis, primum de hac archiepiscopali sede cunctis finibus Anglorum innotuit; idcirco istos divinos apices ad utilitatem omnium vestrum caraxare decrevi, quatenus rex augustissimus egregio vocabulo Edmundus cum omni populo suo imitari gaudeat, quod in nobis & ex nobis audiat, omnesque gentes, quæ un lique regali imperio ipsius subjectæ sunt, titulos liquidæ nostræ conversationis ouanter sequi ament & delectent.

Quæ asteriscis sunt inclusa puto esse VVillelmi Malmesb. qui hanc epistolam refert. *Ezech. 34.*

LEGES ECCLESIASTICÆ EDMVNDI REGIS ANGLIÆ A SÆCVLARIBVS SVIS SEGREGATÆ.

CIRCA ANNVM CHRISTI 944.

D TITVLI CAPITVLORVM PARTIS I.

Pars II. huc nihil confert.

TITVLI CAPITVLORVM PARTIS III.

PARS PRIMA.

PROOEMIVM.

EDMVNDVS rex ipso solenni paschatis festo frequentem Londini, tam ecclesiasticorum quam laicorum, cœtum celebravit, cui interfuerunt Oda, & Vulstanus archipræsul, plurimique alii episcopi

epiſcopi, ut animorum ſuorum, & eorum omnium qui eis curæ ſunt, conſuleretur ſaluti.

CAPITVLA.

I.

Imprimis qui ſacris ſunt initiati, atque ex quibus populus Dei virtutis exemplum petere debebit ad imitandum, caſte (ut eorum feret ordinis ratio) ſive viri, ſive mulieres fuerint, vitam traducunto : ſin minus id fecerint, prout illorum ſe habent normæ, plectuntor, omni ſcilicet ſua poſſeſſione terrena mulctantor vivi, & (niſi mores in melius emendaverint) mortui ſacra prohibentor ſepultura.

II.

Chriſtianus quiſque decimas ſeminum primitias, nummumque eleemoſynarium illum religioſe pendito : qui non ſoluerit, anathema eſto.

III.

Si quis hominis Chriſtiani ſanguinem effuderit, ad regium conſpectum (etſi ei ſervierit) non admittitor, ni prius id ſceleris, iuxta ac fuerit ei ab epiſcopo imperatum, compenſarit.

IV.

Si quis monialem ſtuprarit, aut inſtar homicidæ compenſato, aut ſacra ſepultura prohibetor. Idem juris eſto, ſi quis adulterio commiſſo conjugium violarit.

V.

Epiſcopus omnis ſuis ipſius ſumptibus domum Dei inſtaurato, regemque de reliquis ſacris ædibus (id quod valde eſt neceſſarium) compoſite ornandis commoneto.

VI.

Qui pejerarint, aut barbara factitarint ſacrificia, divinis omnibus [ni ocius reſipuerint, animumque in melius emendarint] perpetuum arcentor.

Omiſſa eſt pars ſecundæ, quia ad res eccleſiaſticas non ſpectat.

PARS TERTIA.

PROOEMIVM.

EGO Edmundus rex omnibus qui in ditione ac poteſtate mea ſunt, ſenibus ac juvenibus, clare ſignifico, me a ſcientiſſimis regni mei in celebri, tam eccleſiaſticorum quam laicorum frequentia, ſtudioſe requiſiviſſe, quo tandem pacto Chriſtiana proveheretur fides. Atque nobis omnibus commodiſſimum viſum eſt, ut amorem ac mutuam inter omnes benevolentiam per omnem ditionem noſtram foveamus. Etenim nos omnes harum tædet quotidianarum pugnarum, & propterea ad hunc modum ſtatuimus.

CAPITVLA.

I.

Si quis alium poſthac interfecerit, ſolus cum interfecti cognatis inimicitias capitales ſuſcipito, ni integram capitis ejus æſtimationem (cujuſcumque is fuerit conditionis) amicorum ope fretus intra duodecim menſes perſolverit. Sin eum cognati ejus pro derelicto habuerint, neque vero quidquam pendere voluerint, ipſe inimicitias ſubito ſolus, ac illi pro inimicis non habentor. Ei tamen interim cognati ejus victum ne ſuppeditanto, neve cum eo pacem habento : id quod ſi quis eorum fecerit, fortunis ſuis omnibus regi mulctator, & qui prius cognatum ſuum pro derelicto habuit, is iam cognatis interfecti pro inimico habetor. Atqui ſi alium quemcumque præter interfectorem ipſum cogna-

A torum quiſquam ultus perſecutuſque fuerit, is fortunis ſuis omnibus mulctatus, regi, & omnibus amore eum proſequentibus, pro inimico putandus eſt.

II.

Si quis ad templum opidumve regium confugerit, eumque alius oppugnarit, damnove affecerit, is, prout antea effati ſumus, tenetor.

III.

Nulla pugnæ aut homicidii nomine irrogata remittitor mulcta.

IV.

Clare autem ſignifico, non fore ei qui ſanguinem humanum effuderit ſuffugio domum meam, ni prius Deo ac cæſi cognatis cumulate ſatisfecerit, &
B præterea impleverit quodcumque ei fuerit ab epiſcopo, in cujus id diœceſi acciderit, imperatum.

V.

Maximas autem Deo & vobis omnibus ago gratias, qui me auxilio veſtro in hac pacis, quam nunc ad profligandos fures ſancivimus, lege adjuviſtis, ac vehementer confido, eo vos prop[illegible] nobis in poſterum opitulaturos, quo hujus decreti obſervatio magis videbitur neceſſaria.

Quomodo deſponſanda virgo, & quibus ritibus procedendum ſit.

Hæc addita ſunt ex alio manuſcripto.

I.

Si quis virginem ducere aut feminam voluerit, ipſa & amicis ſuis conſentientibus : debitum eſt,
C cum ex jure divino, tum ex humana inſtitutione, ut ſponſus primo non ſolum fidem præbeat de prælocutis perimplendis, ſed una etiam cautionem, ſe eam ita cupere, ut ſecundum legem Dei eam habeat uxorem, & hoc etiam vadient amici ejus.

II.

Tum habenda victus ratio, & ſciendum eſt quis eos ſuſtinuerit. Stipuletur hoc ſponſus ipſe, idemque pariter amici ejus.

III.

Edicat jam tum ſponſus, qua bonorum parte uxorem donat, præter hanc quam ex ejus beneplacito ipſa prius cooptaverit.

IV.

Sin & ipſa eum ſupervixerit (quod ſi quidem
D eveniat) tunc juſtum eſt ut ipſa habeat dimidiam partem omnium bonorum, & ſi prolem inter ſe ſuſceperint, integritatem ipſam, donec tranſeat ad ſecundas nuptias.

Priſca dotationis formula.

V.

Sponſiones autem vir quas jam pactus eſt, cautione interpoſita illibatas ſemper cuſtodito, & amici ſui eas vadianto.

VI.

Si de omnibus iam inter ipſos convenit, ſpondeant conſanguinei ſuam conſanguineam uxorem
E ei qui illam petiit, vitæ etiam integram fore, ſatiſdationemque accipiant de celebrandis nuptiis.

VII.

Si maritus eam poſtea de territorio Thani [*ſeu baronis*] quo jam nutrita eſt, eduxerit in alterius Thani territorium : cautione ſatiſdatum ſit amicis ſuis, quod exinde nemo ei inferet injuriam. Et ſi ipſa contra mali quid patraverit, prompti ſint amici ejus marito facere emendationem, ſi ipſa non habuerit unde compenſaverit.

VIII.

Nuptiali huic dationi miſſalis aderit ſacerdos : is de jure eorum conjunctionem Dei benedictione in omnem felicitatis plenitudinem promovebit.

IX.

Caute etiam providendum est, ut intelligatur nullum inter eos esse consanguinitatis vinculum, ne juste postea separentur qui injuste primitus jungebantur.

LEGVM ECCLESIASTICARVM EDMVNDI REGIS PRISCA VERSIO.

TITVLI CAPITVLORVM PARTIS I.

PROOEMIVM.

EDMVNDVS rex congregavit magnam synodum Dei ordinis & sæculi apud London civitatem in sancto paschæ solenni, cui interfuit Odo & VVulstanus archiepiscopi, & alii plures episcopi, qui perquirentes de consilio animarum nostrarum, & eorum qui subditi sunt illis.

CAPITVLA.

I.

Inprimis est ut sanctis ordinibus evecti, qui plebem Dei docere debent lumen vitæ, castitatem teneant secundum ordinem suum, sit *vverhades*, sit *vvifhades*, sit alterum, sit alioquin, sint ejus digni quod in canone dictum est, hoc est, ut perdant sæcularem pecuniam, & sanctificatum * *legerstovva*, id est positionis locum, si non convertantur & emendentur.

* id est, sepulturæ locum.

II.

Decima præcipimus omni Christiano super Christianitatem suam dare, & emendent: *cyricsceatum*, id est ecclesiæ censum, & *elmesfeoh*, id est eleemosynæ pecuniam. Si quis hoc dare noluerit, excommunicatus sit.

III.

Si quis sceleratis manibus effundat sanguinem Christianum, non appareat in conspectu regis priusquam emendationem ineat, sicut episcopus docebit, & pœnitentiam consulet.

IV.

Qui cum nunna vel sanctimoniali fornicabitur, sanctificato atrio sit indignus, nisi emendet, sicut homicida, sic idem diximus de * *evvice*, id est de adulterio vel infracto conjugio.

* l. euvbrice.

V.

Amplius dixi ut omnis episcopus reficiat Dei domus in suo proprio, & regem admoneat, ut omnes ecclesiæ Dei sint bene paratæ, sicut magnum nobis opus est.

VI.

Qui falsum jurabunt, & liblacum facient, sint in æternum a Dei consortio segregati, nisi ad dignam satisfactionem per omnia revertantur.

Pars II. huc nihil confert.

TITVLI CAPITVLORVM PARTIS III.

A

PROOEMIVM.

EGO Edmundus rex mando & præcipio omni populo seniorum ac juniorum qui in regione mea sunt ea quæ investigans investigavi cum sapientibus clericis & laicis.

CAPITVLA.

I.

In primis quomodo possem Christianitatem magis erigere, & magnum nobis necesse visum est, ut amicitiam vestram & benevolentiam teneamus inter vos in toto regno meo: & mihi valde displicent, & vobis omnibus, multiplices & injustæ pugnæ quæ inter vosipsos fiunt, unde diximus: Si quis post hæc hominem occidat, ipse sibi portet inimicitiæ factionem, nisi amicorum suorum B auxilio intra unum persolvet eum plenum vveregildo, sit natus sicut sit. Si eum cognatio sua deserat, & pro eo gildare noluerit: tunc volo ut omnis tribus vel cognatio illa sit extra factionem, præter solum malefactorem: sed deinceps ei nec victum det nec pacem. Si quisquam cognationis suæ firmet eum postea, reus sit omnium quæ habebit erga regem, & portet fudam erga contribunales, quia primitus reprobaverat eum. Si ex mortui cognatione quis vindictam perpetret in aliquem alium præter ipsum malefactorem, sit inimicus regis, & perdat totum quidquid habet.

II.

Si quis ecclesiam requirat vel burgum meum, & ibi assailiatur vel affligatur, qui hoc fecerit, ejusdem culpabilis quod supra dictum est. C

III.

Et nolo ut aliqua *fihtevvita*, vel manbota, condonetur.

IV.

Amplius indico, quod qui sanguinem fundat humanum, nolo socnam habere in familia mea, antequam divinam emendationem susceperit, & ad omne rectum inclinetur, sicut episcopus docebit in cujus scyra fuerit.

Sequitur in Iornalensi libro hoc capitulum.

De sponsalibus contrahendis tempore regis Edmundi.

D Si quis virginem vel viduam ducere velit, & hoc illi placeat & amicis suis: tunc rectum est ut bridguinum, per Dei justitiam & sæculi jus competens, in primis promittat & vadiet eis qui paranymphi sunt, quod eo modo quærat eam, ut secundum Dei rectum pertinere velit, sicut sponsus debet legitimam sponsam, & plegient hoc amici sui. Post ea sciendum est cui fosterleanum pertineat. Vadiet hoc bridguina, id est sponsus, quid ei dare disponat, cur ejus eligat voluntatem, & quid ei destinet, si supervixerit ipsum. Si sic quoque conveniat, rectum est ut dimidiam pecuniam habeat, & totam, si simul puerum habuerint, nisi deinceps virum capiat. Totum hoc vadio confirmetur, & E amici sui plegient. Si tunc omni re concordent, adeat cognatio & despondeat eam *to vvyte & to ryghtlyte*, id est in uxorem & rectam vitam, & excipiat inde plegium qui jus habet in vadio. Sed si de ipsa terra velit ipsam ducere in terram alterius taini: consilium est, ut amici habeant pactionem, ne quis ei faciat injuriam. Et si illa forisfaciat, ut possint esse propinquiores emendationi, si non habeat unde componat. Huic dationi debet interesse presbyter, qui cum Dei benedictione debet eorum consortium adjuvare in omnem sanctitatem. Bonum est prævidere ne ex aliqua consanguinitate sibi pertineant: ne juste postmodum separentur, qui sceleratis nuptiis consenserunt.

CONCILIVM

ANNO CHRISTI 944.

CONCILIVM TRENORCHIANVM

A

ANNO CHRISTI DCCCCXLIV.

AVCTOR est Petrus a sancto Iuliano in originibus Trenorchianis, anno Christi DCCCCXLIV. *Gisalberti ducis evocatione congregatam fuisse synodum in eius loci monasterio, ad eamque convenisse archiepiscopos duos, Guidonem Lugdunensem & Goffridum Vesontionensem; episcopos quinque, Gotescalcum Lausanensem, Rotmundum Æduensem, Hildebadum Cabilonensem, Maimbodum Matisconensem, & Alchierum Gratianopolitanum, cum abbatibus, clericis, & monachis permultis. Ab his autem uno consensu decretum, ut sacræ monasterii reliquiæ, quæ orto inter monachos discidio propter ducem, qui ineptum illis abbatem imponere nitebatur, ad sanctum Portianum apud Arvernos exportatæ fuerant* B *ante triennium, missa legatione reposcerentur, solennique pompa exceptæ, in pristinis sedibus collocarentur. Re peracta, omnem protinus qua vexati fuerant calamitatem desiisse.*

CONCILIABVLVM

ANNO CHRISTI 944

CONSTANTINOPOLITANVM,

QVO TRYPHON PATRIARCHA

Constantinopolitanus dolose depositus est, substituto in locum ejus Theophylacto imperatoris filio. Habitum fuit anno domini DCCCCXLIV. tempore Marini papæ II.

C

Causa concilii.

CVM tempore Ioannis XI. anno Christi 933. Stephanus patriarcha Constantinopolitanus obiisset, statim exemplo principis sive comitis Heriberti, imperator Constantinopolitanus invasit patriarchatum ista ratione. Tryphonem monachum, quod nunquam in ecclesia est auditum, temporaneum constituit antistitem, qui sederet usque dum Theophylactus filius Constantini imperatoris legitimæ esset ætatis, qua posset episcopus & patriarcha ordinari: placuit Tryphoni conditio. Exacto tempore quod ipse Tryphon definiverat, de sede, ut promiserat, discedere nolebat, nisi legitimo synodali judicio convinceretur. Congregato igitur ob eam rem Concilio, ibidem gesta sunt quæ a Curopalate his verbis describuntur: D *Statim igitur cunctam synodum alloquitur patriarcha: Qui me de sede iniuria detrahere cupiunt, o sacri ministerii collegæ, multis admotis machinis, ut probabili causa inventa me expellerent non invenere. Ad extremum hoc mihi obiiciunt: expertem me literarum esse aiunt. Nunc igitur coram omnibus vobis has literas inscribo, ut videntes, ac certiores facti calumniatores, desinant iniuria mihi negotium facessere. Dixit, & sumpta charta non scripta, coram omnibus ita scripsit: Tryphon miseratione divina archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ, & œcumenicus patriarcha. Et scripta per protothronum mittit imperatori. Quibus ille acceptis, & alia in non scripta charta desuper contenta, causam cur se abdicaret scripsit, videlicet indignum se throno cuicumque volenti cedere. Et hac excusatione ad synodum allata, ab ecclesia Tryphon removetur. multum conquerens de fraude, & protothronum graviter accusans. Anno vero post, & mensibus quinque, (tantum enim temporis requirebatur ad perfectam Theophylacti ætatem, qua princeps sacerdotum deligeretur) Februarii mense, indictione secunda, creatur patriarcha Theophylactus imperatoris filius.* Hæc Curopalates. E

ANNO CHRISTI 946.

VITA ET EPISTOLA AGAPITI PAPÆ II.

AGAPITVS Marino successit, anno Christi DCCCCXLVI. tempore Constantini VIII. Hic post multas synodos in causa Hugonis & Artaldi celebratas, Remensem archiepiscopatum Artaldo adjudicatum confirmavit. Brunoni Coloniensi archiepiscopo Ottonis fratri pallium petenti concessit. Debellatis ab Ottone rege magna victoria Danis, iisdemque in Christianam religionem acceptis, gratulatus est Hamburgensi ecclesiæ, eiusque privilegia a majoribus accepta innovavit. *Adam. lib. 2. cap. 2.* Agapitus quando pontifex factus.

Hujus tempore post obitum Lotharii Berengarius regnum Italię invasit. Otto imperator vero ab Adelheide filia Rodulphi relictaque Lotharii uxore, & Agapito pontifice, fugata tota Berengarii familia, pro suppetiis frequentius solicitatus, Adelheidem reginam, olim Lotharii conjugem, uxorem accepit. Idem regnũ integerrime defendit. Agapitus, cum novem annis, mensibus septem & diebus decem, munere pastorali bene functus fuisset, ex hac vita migravit.

EPISTOLA AGAPITI PAPÆ AD GERARDVM LAVREACENSEM ARCHIEPISCOPVM.

Dissidium ecclesiarum Laureacensis (hoc est Pataviensis) & Salisburgensis componit. Salisburgensi occidentalem Pannoniam attribuit; Laureacensi, ut pote antiquiori, benedictionis & sedis honorem, orientalem Pannoniam, regiones Avarorum, Moravorum, Sclavorum: potestatem libere prædicandi per omnes Sclavorum terras, episcopos ibi ordinandi, omniaque autoritate apostolica constituendi.

Agapitus episcopus servus servorum Dei, fratri dilectissimo & reverendissimo Gerardo sanctæ Lauriacensis ecclesiæ archiepiscopo, in Christo salutem.

PETITIONES tuas pro renovandis sive approbandis ecclesiæ tuæ privilegiis, venerabilis Fuldensis monasterii abbas Hademarus, huc causa orationis veniens, cum magna benevolentia nostræ experientiæ suggessit, pariterque iurgia & disceptationes gravissimas inter te & Heroldum archiepiscopum, pro utrinque suscepta in una provincia pallii autoritate exortas, flebiliter nunciavit: quod & ipsi ex debita pastorali cura nimio cordis mœrore dolemus, detestabiliterque profanamus. Quippe sancta & universalis ecclesia, cui autore Deo præsidemus, a religiosis atque pacatis sacerdotibus suis, & in caritate non ficta solidatis, quasi totidem columnis innisa fulcitur; discordantibus autem & adversum se hostiliter inflante superbia animum tollentibus, prȩsertim tantis pontificibus, velut evulsis sustentaculis casura, non sine magno periculo & vigoris sui detrimento a proprio statu concutitur. Insuper etiam dum deforis inter vos pro pallii honore pertinaciter hujusmodi contentio exercetur: agitur ut in fraterna æmulatione decor sacerdotii intus evacuetur.

Inde ergo, frater, officium nostrum illud esse perpendentes, ne inimicitiarum fomite in vobis succrescente dissidium sanctæ Dei ecclesiæ, atque scandalum sine consilii & utilitatis vestræ respectu diutius nutriatur: ad sequestrandum litem vestram accedimus nos arbitres, tam ex sollicitudine a do-

mino regiminis injuncti, quam amborum vestrorum amore ad hoc permoti; ita videlicet ut & de prælibata conflictus vestri querimonia rationabilibus judiciis rite justitiæ satisfaciamus, & vos omni explosa controversia in fraternam concordiam Christo moderante revocemus.

Notum est igitur, literisque penes nos commendatum, quibus ecclesiarum locis dignitas pallii ab hac apostolica sede debeatur. Lauriacensem autem urbem antiquitus metropolitanam fore, & archiepiscopi sedem cui sanctitas tua præesse dignoscitur, sicut in privilegiis authenticis ad nos usque a te directis legimus, ita quoque inventis quibusdam exemplaribus chartæ vetustate admodum attritis in archivo sancti Petri reperimus. Hanc etiam in exordio nascentis ecclesiæ, & immanissima Christianorum persecutione, a doctoribus istius sedis catholicæ fidei novimus rudimenta percepisse, & exinde a succedentibus prædicatoribus in superioris atque inferioris Pannoniæ provincias ejusdem fidei emanasse gratiam. Quibus etiam duabus provinciis, illarumque pontificibus, usque ad tempora Hunnorum non alius, quam sanctæ Lauriacensis præfuit archiepiscopus, quorum barbarica feritas non solum prædictam Lauriacensem civitatem, verum etiam in circuitu adjacentes regiones depopulavit, atque funditus desolavit. Inde quidem contigit, ut episcopi hac necessitate compulsi, sede illa deserta atque alio translata, simul etiam archiepiscopalem ipsius sedis desererent honorem. Modernis autem, nec multum retro elapsis temporibus, vacante ab apostolico vicario Bavvariorum regno, Arno primus sanctæ Salzburgensis ecclesiæ subrogatur archiepiscopus. Hæc testatur annosa memorialis sacri scrinii historia. Modo autem mortalibus propitiante Christo, ab hostibus sanctæ Lauriacensis ecclesiæ quiete & inhabitandi securitate concessa, non alibi quam ibidem fraternitatis tuæ cathedram oportet haberi. Quapropter reinthronizamus te eidem ecclesię, sanctorum patrum videlicet prædecessorum nostrorum, sed & beatæ memoriæ domini Leonis papæ, a quo excellentia tua pallio ac privilegio donata est, sanctiones atque statuta exequentes: ac sæpe dictam sanctam Lauriacensem ecclesiam potestate & vice beati Petri apostolorum principis absolvimus, & archiepiscopamus, & in culmen metropolitanum sublimamus, & privilegia nobis transmissa manu propria munimus & corroboramus, ac rata esse firmamus, denuoque tibi pallium cum præsenti præcepto secundum usum prius concessum, successoribusque tuis perpetim tenendum tradimus. Hisque ex amussi ita ad justitiam reintegratis, decrevimus rixas vestras, & dissensiones præfata ex causa derivatas dirimere, atque in fraternum amorem vos reconciliare, sic ut utrique vestrum modo susceptus servetur pallii honor illæsus, hortantes quatenus apostolice instituti, amodo non in contentione & æmulatione maneatis. Constat quidem quod canonice singulis provinciis singuli ordinantur metropolitani. Proinde distribuere atque determinare ita vobis parochias, bonum & pacificum æstimamus: ut divisis duabus Noricæ regionis provinciis, Heroldo archiepiscopo, occidentalis Pannoniæ cura committatur & custodia; tibi autem successoribusque tuis, propter emeritam antiquitatem sanctæ Lauriacensis ecclesiæ, cui jure iuniorum reverentia assurgit, in benedictionis & sedis ordine prælatis atque præpositis, providentiam orientalis Pannoniæ, regionemque Avarorum atque Maraharorum " sed & Schlavorum, qui

" hoc est Moravorum qui & Marav.., & Maraci.

A modo Christiani, vel adhuc per baptisma Christo lucrandi sunt, circumquaque manentium, credimus, nostramque apostolicam vicem in illis partibus prædicandi, & pro arbitrio vestro ubi opus est episcopos constituendi, omniaque disponere atque ordinare tali autoritate atque potestate delegamus, ac si ipsi præsentes assuissemus. Quod si jam dictus Heroldus archiepiscopus deinceps, suorumve quispiam successorum, minime diffinito limite contentus, sed interdictam atque a sua potestate separatam diœcesim repetere pervicaciter conatur, nec a prohibitæ contentionis schismate per istas nostras apostolicas traditiones atque determinationes compescitur: ipse etiam pie concessa dignitatis munificentia penitus privetur, atque secun- B dum jus pristinum, superior Pannonia continuetur inferiori, atque tuæ tuorumque successorum ambæ perpetualiter subjaceant ditioni. Allubescentes autem assensumque præbentes istis nostris saluberrimis decretis benedicimus & catholicos approbamus: resistentes vero, atque infirmare vel omnino pervertere contendentes, anathemate Maranatha sanctæ Trinitatis districte percutimus, & apostolica sententia, qua mulctati Anania & Saphira exspiraverunt damnamus, & cum blasphematoribus sancti Spiritus sempiternis cruciatibus puniendos destinamus.

C EPISTOLA II. AGAPITI PAPÆ AD AYMARDUM ABBATEM CLUNIACENSEM.

Privilegium Abbatiæ Cluniacensis.

Agapitus servus servorum Dei, dilecto filio Aymardo venerabili abbati monasterii Cluniacensis, ædificati in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli, siti in pago Matisconensi, & per te in eodem Monasterio, tuisque successoribus in perpetuum.

CONVENIT apostolico moderamini benivola compassione pie poscentium votis succurrere, & alacri devotione his præbere assensum. Ex hoc enim potissimum præmium a conditore omnium Deo promerebimur. Igitur quia petistis a D nobis, quatinus Monasterium prædictum in illo statu quo a Guillelmo duce per testamentum manere decretum est, nostra apostolica autoritate decerneremus, sanctæ Romanæ, cui Deo autore deservimus, ecclesiæ subjectum esse: inclinati precibus tuis, tibi ad regendum concedimus. Itaque sit illud monasterium cum omnibus rebus, vel quas nunc habet, vel quæ deinceps ibi traditæ fuerint, liberum a dominatu cujuscunque regis, aut episcopi, sive comitis, aut cujuslibet ex propinquis ipsius Guillelmi. Nullus ibidem contra voluntatem monachorum prælatum eis post tuum decessum ordinare præsumat: sed habeant liberam facultatem, E sine cujuslibet principis consultu, quemcumque secundum regulam sancti Benedicti voluerint, sibi ordinare: nisi forte, quod absit, personam suis vitiis consentientem eligere maluerint. Hoc quicunque voluerit, cum Dei zelo prohibeat. Decimas vero, quæ olim ad vestras capellas pertinuerunt, & per modernam quasi autoritatem, sive licentiam, a quolibet episcopo subtracta sunt, vobis ex integro restituimus. Capellas autem, si aliquæ jam factæ, vel faciendæ inibi sint, ita manere concedimus, ut vestris ecclesiis nihil ex decimis minuatur. Hoc vero quod dilectus filius noster Bruno episcopus de prædictis capellis vobis concessit, ratum & firmum esse decrevimus in perpetuum.

tuum. Præterea, quicquid ex vineis, vel culturis ad vestram partem pertinet, partem quoque decimarum, ad hospitale vestrum pertinere sancimus. Simul & de his rebus, quas percepturi estis. Hoc etiam quod Leobaldus ad prædictum monasterium dereliquit. Simul & illud quod Magiona, * vel alicubus * rebus, quæ ad id monasterium pertinere debent. Confirmamus etiam nostra apostolica auctoritate abbatiam Carilocensis cœnobii quæ eidem collata est monasterio. Abbatias sancti Ioannis, atque beati Martini in suburbio Matiscensi sitas, nihilominus in perpetuum constare decernimus ad prædictum locum, ut nullus episcopus vel comes, vel aliqua persona inibi temerario ausu quicquam ordinare præsumat, sine jussione rectoris jam dicti loci. Similiter censemus B de Celsanicas Alodo Hecfredi comitis, quem filius noster Stephanus, justa lance causam examinans, pro omnium remedio Christianorum prælibato delegavit loco. Præterea villas omnes quæ pertinent ad idem cœnobium Cluniacense, soliditate apostolica roboramus, Solustriacum videlicet, Caninias, Seneciacum, Arpagiacum, sanctum Victorem, & Scociolas, Kaerdasemscum, Dabormacum, & Piscatoriam, quam Osam vocant; Tosciacum, & ecclesiam sancti Desiderii, Ambariacum, & Saviniacum alodum, quem Engelbaldus dedit, & alodum quem VValdo, veniens ad conversionem, dedit. Similiter & Amberiam, & ecclesiam sancti Abundi, quam Artaldus moriens C ad prædictum reliquit cœnobium. Ecclesiam sancti Saturnini, cum omni alodo, quem Geraldus archiepiscopus dedit prædicto cœnobio. Et quia ordo monasticus summam desiderat immunitatem: ita vobis concedimus, sicut locis sanctis ubique reverentia debetur, ut nullus vestra municipia, aut res quaslibet, sine vestro consultu distringere, aut invadere ullo modo præsumat. Sane, ad recognoscendum, quod prædictum cœnobium sanctæ apostolicæ sedi, ad tuendum, atque fovendum pertineat, dentur per quinquennium x. solidi. Si quis autem contra hanc saluberrimam nostram constitutionem resistendo venire tentaverit, aut aliquid horum corrumpere conatus sit, D & omnia quæ in hoc privilegio sancimus, non observaverit, sciat se sub divini judicij obtestatione, anathematis vinculo æternaliter, nisi resipuerit, innodatum, & a regno Dei alienandum, & cum diabolo sine fine cruciandum. Qui vero nostræ hujus saluberrimæ sanctionis custos & observator extiterit, a Christo domino benedictionem, & a sanctis apostolis mundi judicibus absolutionem hic & in futuro consequi mereatur.

Scriptum per manus Leonis notarii regis, & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Mart. per indictionem VII.

ANNO circiter CHRISTI 947

"**CONCILIVM HELENENSE IN FONTANIS. E

CIRCA annum DCCCCXLVII. habitum est concilium in Fontanis, diœcesi Helenensi, sub Aymerico Narbonensi archiepiscopo: quo in concilio, secundum sententiam Romani pontificis depositi sunt episcopi Gerundensis & Vrgellensis, sed statim patrum clementia restituti. In eodem statutum, ut episcopus Helenensis post Narbonensem archiepiscopum primas obtineat tam in conciliis, quam in ordinationibus episcoporum. *Hactenus schedæ Petri de Marca Parisiensis archiepiscopi, qui summam hanc Helenensis istius concilii excerpsit ex actis ipsis, quæ in Helenensi tabulario servantur.* A

ANNO CHRISTI 947.

CONCILIVM VIRDVNENSE, IN QVO SEDES REMENSIS ARTALDO adjudicata est, mense Novembri celebratum anno DCCCCXLVII.

DE *hac synodo scribit Flodoardus tum in chronico, tum in historia Remensi libro* IV. *capite* XXXIII. *iisdem fere utrobique verbis in hunc modum*: Anno, *inquit*, DCCCCXLVII. Conventus placiti regum Ludovici & Ottonis super Charam fluvium, intrante mense Augusto, celebratur, Hugone principe circa Mosomum & Duodeciacum castrametato: ubi res litis inter Artaldum & Hugonem Remensis ecclesiæ præsules ab episcopis auditur. Et quia synodus tunc convocata non fuerat, altercatio determinari non potuit: synodus autem circa medium mensis Novembris habenda denuntiatur. Interim vero sedes Remensis Artaldo conceditur: Hugo autem præsul in Mosomo commorari permittitur. *Et post alia*: Synodus prædicta Virduni habita est, præsidente Rotberto Treverensi præsule, cum Artaldo Remensi, Odolrico Aquensi, Adelberone Metensi, Goslino Tullensi, Hildebaldo Transrhenensi Mimegardovvrdensi, Israele Brittone, presente Brunone abbate fratre regis Ottonis, Agenoldo quoque, & Odilone, cum aliis quibusdam venerandis abbatibus. Ad quam Hugo episcopus evocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum episcopis Adalberone & Goslino, venire noluit. Vniversa vero synodus domno Artaldo Remensi tenendum adjudicavit episcopium. Indicitur iterum synodus Idibus Ianuarii habenda.

ANNO CHRISTI 948.

CONCILIVM MOSOMENSE, IN QVO SEDES REMENSIS ARTALDO iterum adjudicata, Hugoni communio usque ad generalem synodum interdicta est: mense Ianuario celebratum anno DCCCCXLVIII.

FLODOARDVS *idem in chronico*. Anno, *inquit*, DCCCCXLVIII. Synodus prædicta celebratur in ecclesia sancti Petri, ante prospectum castri Mosomi, a domno Rotberto cæterisque Treverensis diœceseos episcopis, & aliquibus Remensis. Veniens autem illuc Hugo præsul, & locutus cum Rotberto, synodum noluit ingredi: literas vero quasdam ex nomine Agapiti papæ misit ad episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes, hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Remensi redderetur episcopium. Quibus lectis, inuntes episcopi consilium cum abbatibus & cæteris sapientibus qui aderant, responderunt non esse dignum vel congruum, ut mandatum legationis apostolicæ, quam dudum Rotbertus archiepiscopus, deferente Friderico præsule Moguntiacensi, coram regibus & episcopis tam Galliæ quam Germaniæ susceperat, & partem jam præceptionis ipsius exegerat, propter illas literas intermitteret, quas insidiator Artaldi præsulis exhibebat: immo quod regulariter cœptum fuerat, canonice pertractaretur. Sicque præceptum est, ut recitaretur capitulum XIX. Carthaginensis concilii de accusato & accusatore. Quo recitato

ANNO CHRISTI 948.

tato, judicatum est secundum definitionem ipsius A capituli, ut Artaldo præsule retinente communionem & parochiam Remensem, Hugo, qui ad duas synodos evocatus venire contempserat, a communione & regimine Remensis episcopii abstineret, donec ad universalem synodum, quæ indicebatur Kalendis Augusti, se purgaturus occurreret. Ipsumque capitulum mox in charta describi fecerunt episcopi coram se, subnectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eamdem chartam Rotberto præsuli remisit, hoc verbis remandans, quod ipsorum judicio nequaquam obediturus esset.

CONCILIVM ENGILENHEIMENSE,

IN QVO ARTALDO SEDES REMENSIS restituta, Hugo comes Ludovico regi perduellis excommunicatus est, præsidente Marino sedis apostolicæ legato celebratum indictione VI. septimo Idus Iunias, anno Christi DCCCCXLVIII. Agapiti II. papæ anno II. Ludovici ejusdem transmarini regis, qui concilio aderat, anno XIII.

TITVLI CANONVM.

I. *Hugo comes, qui Ludovici regnum infestabat, excommunicatus.*
II. *Artaldo sedes Remensis restituta: Hugoni, qui eam usurpabat, anathema dictum.*
III. *Hugo idem comes ob episcopum Laudunensem sede sua ejectum excommunicatus.*
IV. *Ut laici sine licentia episcopi ecclesias non dent, nec auferant.*
V. *Ut laici presbyteros non vexent.*
VI. *Quot diebus feriandum sit in pascha & pentecoste.*
VII. *Ut in litania maiore ieiunetur.*
VIII. *Ut oblationes altaris a laicis non attingantur.*
IX. *Ut decimarum causæ non apud seculares, sed in synodo discutiantur.*
X. *De incestis nuptiis.*

PRÆFATIO.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione domini DCCCCXLVIII. indictione VI. septimo Idus Iunias, anno serenissimi regis Ottonis XIII. ipso quoque cum illustrissimo rege Ludovico in præsentia manente, sancta ac generalis synodus apud Engilenheim, in ecclesia sancti Remigii confessoris Christi, in pago Nagavvi dicto collecta est, præsidente videlicet domni Agapiti papæ apocrisiario, venerabili Polymartiensis ecclesiæ episcopo, Marino, & E considentibus archiepiscopis, VVicfredo sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopo, Friderico sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopo, Rotberto sanctæ Treverensis ecclesiæ archiepiscopo, Artaldo sanctæ Remensis ecclesiæ episcopo, Adalgago sanctæ Hammaburgensis ecclesiæ archiepiscopo, Richavone Vangionensis ecclesiæ episcopo, Geroldo Iuvavensis ecclesiæ episcopo, Vdalrico Augustensis ecclesiæ episcopo, Bernardo Halberstatensis ecclesiæ episcopo, Theodardo Hildinesheimensis ecclesiæ episcopo, Dudone Padebrunnensis ecclesiæ episcopo, Conrado Constantiensis ecclesiæ episcopo, Starcando Eistetensis ecclesiæ episcopo, Reginbaldo Nemetensis ecclesiæ episcopo, Poppone VVirciburgensis ecclesiæ episcopo, Adalberone Metensis ecclesiæ episcopo, Goslino Tullensis ecclesiæ episcopo, Berengero Virdunensis ecclesiæ episcopo, Balderico Trajectensis ecclesiæ episcopo, VVichardo Basileensis ecclesiæ episcopo, Dodone Osnaburgensis ecclesiæ episcopo, Eboriso Mimidonensis ecclesiæ episcopo, Hildiboldo Mimigardeuurdensis ecclesiæ episcopo, Faraberto Tungrensis ecclesiæ episcopo, Fulberto Cameracensis ecclesiæ episcopo, Rudolfo Lugdunensis ecclesiæ episcopo, Michaele Ratisbonensis ecclesiæ episcopo, Adalberto Laureacensis ecclesiæ episcopo, Liopdago Ri- B puensis ecclesiæ episcopo, Oredo Suevvicensis ecclesiæ episcopo, Reginbrando Arusvensis ecclesiæ episcopo, cum cœtu abbatum, canonicorum, necnon & monachorum, unius spiritus amore ferventium, quatenus cælitus adminiculati, zizania divini cultus agro ab inimica manu superseta canonicarum sarculis sententiarum radicitus extirparentur.

Igitur recitato primitus euangelio, oramineque finito, & sanctorum canonum quamplurimis institutionibus linguarum clavibus coram reclusis, missus apostolicæ sedis chartam suæ legationis honorifice protulit, in qua pro debitæ reverentiæ dono Romano pontifici exhibendo commoniti sunt, ut universalis ecclesiæ puppis exo- C ptatæ tranquillitatis portui secura succedat, seque procelloso tribulationum turbine vexari diutius non timeat. Significatum est autem in ejusdem recitaminis sententia, prædictum præsulem Marinum ab ipso universali papa tali tenore ad nostros fines directum fuisse, quo in omni ecclesiasticarum legum discussione ipsius existens vicarius, quæcumque liganda essent, apostolica autoritate ligaret; & quæ solvenda viderentur, parili solveret potestate. Hujusmodi procul dubio affaminis tam salubri missatico gloriosissimi reges præfati, cum pontificibus, omnique clero, congratulantes, ut dignum fuit, se in omnibus consentire & obedire professi sunt. A quibus, autorante & D confirmante legato apostolico, capitula subsequentia statuta sunt. Dehinc ex sessionis suæ loco se subrigens inclytus rex Ludovicus, ad præsentiam serenissimi regis Ottonis, totiusque sanctissimi concilii unanimitatem, satis lacrymosi conquestus protulit querimoniam: videlicet quod regia privaretur potestate a quodam principe Hugone nominato, quondamque sibi subjecto. Cujus anxietati & multimodæ reclamationi condolentes in unitate spiritus coadunati sanctissimi patres, ejusmodi super hac re sententiam protulere:

CANONES.

I.

Nullus deinceps regiam potestatem præsumat populari, seu aliquam perfidiæ maculam sibi fallaciter exhibere. Decrevimus enim, Toletani Concilii judicium exequendo, Hugonem regis Ludovici regni invasorem & raptorem excommunicationis gladio feriendum, nisi forte tempore statuto ad synodale concilium veniat, & a tam nefaria protervitate satisfaciendo resipiscat. Concilium Tolet IV. can. 75.

II.

ANNO CHRISTI 948.

II.

Artaldus Remensis ecclesiæ archiepiscopus propria de sede expulsus, ex canonica autoritate in pristinum honorem inthronizatus; Hugo autem, qui ejus sedem contra fas sibi usurpat, anathematis est mucrone mulctatus: ejusque ordinatores, & qui ab eo sunt ordinati, nisi VI. Idus Septembris Treuiris veniant, & ibi pro erratibus dignam satisfaciendo pœnitentiam subeant, similem excommunicationis sententiam sustineant.

III.

De antedicto Hugone comite, qui Rudolfum Lugdunensis ecclesiæ episcopum propria de sede, non causa alicujus criminis, sed pro fidelitate Ludovici regis proprii senioris expulit, decrevimus eum in sancta synodo pro hac re, sicut de præscripta, excommunicandum, nisi veniendo satisfecerit.

IV.

Vt laici sine episcopali licentia presbyteris ecclesias dare, vel eos dimittere non præsumant.

V.

Vt nullus laicorum presbyterum flagitare, seu fatigare, vel aliquam sibi injuriam inferre audeat.

VI.

Vt paschalis hebdomada festive tota celebretur, & in pentecosten secunda, tertia, quarta feria, non minus quam dies dominicus, solenniter honorentur.

VII.

In litania majore jejunium, sicut in rogationibus ante ascensionem domini, exerceatur.

VIII.

Vt oblationes fidelium, quatenus altari deferantur, nihil omnino ad laicalem pertineant potestatem, dicente scriptura: *Qui altario deserviunt, de altario participentur.* (1. Cor. 9.)

IX.

Vt decimæ, quas dominus præcipit in horreum suum deferri, si ecclesiis Dei non fuerint redditæ, sed nefaria cupiditate, quæ sæuior Ætnæ ignibus ardet, a sæcularibus fuerint retentæ, sæcularia super hoc non exerceantur judicia, nec in forensibus discutiantur causis, sed in sancta synodo ab ipsis sacerdotibus, quorum deputatæ sunt usibus, quid exinde debeat actitari certis diffiniatur promulgationibus.

X.

Vt euangelica autoritate & sacrorum canonum institutione * pœnasque proponere divini judicii, ut nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cavendum est quippe, quod de earum moribus actibusque beatus Paulus testatur apostolus. Quod ple-

A nius exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri quam admoneri videatur.

SYNODI EJUSDEM
APUD ENGILENHEIM HABITÆ
ACTORUM NARRATIO ALTERA.

Ex Flodoardo lib. IV. historia Remensis cap. XXXV.

DOMNUS igitur Agapitus papa vicarium suum Marinum episcopum mittit ad Ottonem propter evocandam & congregandam generalem synodum: literæque ipsius papæ mittuntur ab urbe Romana speciatim quibusdam episcopis Galliæ Germaniæque, vocantes eos ad synodum. Quæ B synodus congregata est in Engelenheim palatio regali, in ecclesia beati Remigii honori dicata, VII. Idus Iunii, causa videlicet maximarum dissensionum, quæ agitabantur inter regem Ludovicum & Hugonem principem, inter Artaldum quoque Remensem episcopum & Hugonem illicite substitutum ejusdem urbis præsulem: quæ dissentiones omne perturbaverant regnum Francorum. Ad quam synodum celebrandam, advenien-te prædicto Marino sedis apostolicæ vicario, convenerunt etiam Germaniæ præsules, cum quibusdam Galliarume piscopis. Rotbertus videlicet Trevirensis archiepiscopis, Artaldus Remensis, [1] VVicfridus Coloniensis, [2] Hildebaldus Mimigardovur-C densis, [3] Adalbero Metensis, Berengarius Virdunensis, Fulbertus Cameracensis, Rodulfus Laudunensis, Richoo VVarmatiensis, Raimbaldus Spirensis, Poppo VVirzburgensis, Conradus Constantiensis, Odelricus Augustensis, Tethardus Hildesheimensis, Bernardus Halberstatensis, Dudo Paderbornensis, Fridericus Moguntinensis, Adalgagus Hammaburgensis, Goslenus Tullensis, Michael Ratisponensis, Farabertus Tungrensis, Lioptacus Ribunensis, Dodo Osnaburgensis, Everis Mindensis, Baldricus Trajectensis, Heroldus Salzburgensis, Adelbertus Bazsoensis, Starcandus Eistadiensis, Horat Neovicensis, VVicardus Basileensis, Lidac Ribuensis. Residentibus his præsulibus in ecclesia dicti loci, post præmissas preces D secundum ordinem celebrandi concilii, & post lectiones sacræ autoritatis, ingressis gloriosis regibus Ottone ac Ludovico, & simul residentibus, post allocutionem præfati Marini sedis apostolicæ legati, exurgens Ludovicus rex e latere & consensu domni regis Ottonis, proclamationis suæ querimoniam propalavit coram præmisso Romanæ sedis vicario, cæterisque considentibus episcopis: referens qualiter accersitus fuerit a transmarinis regionibus per legatos Hugonis, cæterorumque Franciæ principum, ad suscipiendum suę paternę hereditatis regnum, cunctorumque votis & acclamationibus procerum, militięque Francorum, sublimatus & E consecratus sit ad apicem regalis moderaminis obtinendum: postea vero ejectus sit a præfato Hugone, & dolis appetitus ac comprehensus per annum integrum sub custodia fuerit ab eo detentus: nec aliter ejus absolutio potuerit obtineri, nisi Laudunum castrum, quod solum tunc regina Gelberga cum fidelibus suis regiis sedibus retinebat, Hugone id occupante dimitteret. De his omnibus malis, quę post regni susceptionem passus fuerat, si quis objiceret quod sui facinoris causa eidem fuissent illata, inde se juxta synodale judicium, & regis Ottonis præceptionem purgaret, vel certamine singulari defenderet. Deinde surgens Artaldus archiepiscopus protulit secundum jus-

Rr sionem

Hæc Sirmondi ad libri marginem annotarat.
[1] Fridericus Moguntinensis
[2] Adeldanus Hammaburgensis
[3] Goslenus Tullensis

sionem papæ Romani, quam ei delegaverat, initium atque tenorem litis, quæ versabatur inter ipsum & Hugonem subrogatum sibi ecclesiæ Remensis antistitem. Et recitatæ sunt literæ quæ sequuntur.

Sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis vicario domno Marino, universæque sanctæ synodo apud Engelenheim congregatæ, Artaldus divina propitiante clementia Remorum archiepiscopus.

DOMNUS Agapitus papa literas nobis & cæteris coepiscopis nostræ diœceseos direxit, in quibus præcepit, ut ad hoc sanctitatis vestræ concilium convenire studeremus, ita instructi de omnibus, ut rei veritas de miseriis nostræ sedis, quas patimur, coram sanctitate vestra manifesta fieri posset. Quocirca propalare prudentiæ vestræ commodum duximus, qualiter res exordium ceperit litis hujus, quæ adhuc inter me & Hugonem miserrime ventilatur. Defuncto siquidem Heriveo archiepiscopo, Seulfum, qui archidiaconatus urbis nostræ tunc officio fungebatur, ad præsulatum ejusdem sedis elegimus. Qui pontifex ordinatus, assumens zelum contra proximos prædecessoris sui, cum eos per semet a loco depellere non valeret, consilio inito cum quibusdam laicis, scilicet consiliariis suis, amicitiam quæsivit Heriberti comitis, quam dato jurejurando per eosdem consiliarios obtinuit, eo tenore ut post obitum ipsius ad electionem pontificis milites ecclesiæ nullatenus aspirarent sine consilio ipsius Heriberti: idem vero comes fratrem Herivei præsulis, & nepotes ipsius, a participatione rerum Remensis episcopii separaret. Quibus patratis, insimulati sunt iidem propinqui Herivei præsulis a consiliariis Seulfi episcopi de infidelitate ipsius senioris sui, accersitoque Heriberto comite cum pluribus suis jubentur ad rationem reddendam coram ipsis venire. Et quia contra eos, a quibus accusati fuerant, singulari congredi certamine noluerunt, sublatis ab eis rebus quas ex episcopio possidebant, comprehensi sunt, atque deducti per Heribertum comitem ad Robertum regem, a quo etiam sub custodia sunt detenti usque ad mortem ipsius Roberti. Tertio demum sui episcopatus anno Seulfus episcopus, ut plures asserunt, ab Heriberti familiaribus veneno potatus defungitur. Mox itaque comes Heribertus urbem Remensem adiit, & ecclesiæ milites, clericorum quoque quosdam, de rectoris electione ad suum consilium, ceu juratum fuerat, intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo, ut sibi committeretur idem episcopium, eo tenore, ut tam clericis quam laicis debitum honorem concederet & conservaret, nec injustitiam alicui faceret: sed ipsum episcopium æquo jure gubernaret, donec talem clericum eidem regi præsentaret, qui ad episcopale ministerium exequendum rite ordinari valeret. Qui comes ad eamdem urbem regressus, res episcopii, prout sibi placuit, fautoribus suis divisit, cæteris abstulit, & absque ullo judicio vel lege, quos voluit rebus expoliavit, vel ab urbe propulit. Odalricum denique Aquensem episcopum in eadem urbe suscipiens, episcopale inibi ministerium celebrare præcepit. Sicque annos sex, & eo amplius, idem episcopium suo dominio vindicavit, pro libitu proprio illud tractans, & in sede præsulis residens tam ipse quam conjux sua: donec septimo tandem anno, ortis inter ipsum & regem Rodulfum atque Hugonem comitem quibusdam simultatibus, Rodulphus rex cum Hugone & Bosone fratre suo, cæterisque pluribus tam episcopis quam comitibus, Remorum obsidet urbem, succensentibus sibi episcopis, & conquerentibus adversus eum, quod tam diuturno tempore contra divinæ legis autoritates hanc urbem permiserit vacare pastore. Quorum querimoniis permotus rex admonet clerum & populum de pastoris electione, dans eis id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis tam clericis quam laicis qui extra obsidionem erant, pluribus etiam eorum, qui clausi tenebantur, in idipsum faventibus, eligitur humilitatis nostræ persona in hoc magis onere quam honore subeundo. Aperientibus tandem tam militibus quam civibus portas urbis regi Rodulpho, & episcopalem benedictionem mihi tradentibus episcopis, qui erant decem & octo, & suscipientibus nostram humilitatem tam clero universo, quam reliquis civibus, inthronizatus ab episcopis nostræ diœceseos, impositum mihi, prout Deus concessit, ministerium per annos ferme novem tractavi, ordinans per diœcesim episcopos octo, & in episcopio multos, prout competens videbatur, clericos: quousque nono postmodum anno, postquam Ludovicum regem, favente Hugone, cunctisque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benedixeram, & sacro perfuderam crismate, instigatus Hugo comes iracundia, quod ei consentire vel conjungi noluerim ad ipsius regis infidelitatem, adhibitis secum Heriberto comite, & VVilelmo Nortmannorum principe, Remensem obsidet urbem. Nec longum, sexta scilicet obsidionis die, deseror ab omni pene cœtu laicalis militiæ: sicque derelictus ab his, ad Hugonem & Heribertum compellor exire. A quibus coarctatus & contritus cogor memet episcopali procuratione abdicare, & ita me propellentes in cœnobio sancti Basoli habitare constituunt: Hugonem vero filium Heriberti, qui Autisiodori diaconus ordinatus fuerat, in urbem introducunt, & ciuitate potiuntur. Ludovicus autem rex a Burgundia rediens, me apud sanctum Basolum reperit, & assumens secum simul cum propinquis meis, quorum res Heribertus comes abstulerat, Laudunum deducit, quod castrum tunc obsidebant Heribertus & Hugo: solutaque obsidione oppidum ingredimur, nobisque metatus degendi disponitur. Interim clerici nostri loci, sed & laici quidam pessime ab Heriberto tractantur, & quidam clericorum in custodiis retruduntur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam urbem late perpetrantur. Interea convocantur episcopi nostræ diœceseos ab Hugone & Heriberto satagentibus & quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filii Heriberti. Qui Suessionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegarium episcopum, cum aliis quibusdam legatis, mandantes ut ad eos venirem, ad consentiendum scilicet hujus ordinationis perversitati. Quibus remandavi quod non esset mihi competens ad eos illo proficisci, ubi adversarii & inimici mei cum ipsis erant aggregati. Quod si loqui mecum vellent, ad talem locum devenirent, ubi sine periculo ad eos accedere possem. Quibus advenientibus in locum ab eisdem delectum, profectus sum ad eos, veniensque prosternor coram ipsis, obsecrans ut propter amorem & honorem Dei tam mihi quam sibi competens consilium dare studerent. Qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare cœperunt, & hoc omnimodis suadere, ut eis in hac ordinatione consensum præberem;

ANNO CHRISTI 948.

berem; promittentes res nonnullas episcopii mihi se impetraturos. At ego, postquam responsum diu distuleram, videns eos cunctos in proposito quod ceperant perseverantes, surgens interdixi palam cunctis audientibus, excommunicans autoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, ut nullus eorum ad eamdem ordinationem accederet, nec alicui in episcopali honore me vivente manus imponeret; sed nec ullus eamdem benedictionem suscipere præsumeret. Quod si forte fieret, ad sedem apostolicam eos provocabam. Illis inde furentibus, ut possem exire de medio eorum, & Laudunum reverti, temperavi responsum, dicens ut mitterent mecum qui B eis renuntiaret, quid consilii reperire valerem super hac re in domina mea regina & fidelibus ejus, quia rex non aderat. Ad hoc illi mittunt Deroldum episcopum, putantes me esse mutaturum consilium. Quo veniente, & coram domina regina & fidelibus ejus inde me interpellante, iterum exurgens præfatæ modum excommunicationis in eosdem episcopos jaculatus sum: vocationem quoque ad sedem apostolicam iterare curavi, excommunicans ipsum hunc Deroldum, ut id eis omnino non taceret, sed cunctis manifeste proferret. His ita gestis, parvi pendentes illi nostram excommunicationem, Remis accedunt, & quidam eorum ordinat oni huic manus applicuerunt, quidam vero se subduxisse feruntur. C Ego vero cum rege manens, quas ille fertur angustias pertulisse, & secum pertuli, & quando eum bello aggressi sunt Hugo & Heribertus, cum ipso eram, & vix evasi mortis periculum. Prolapsus itaque, auxilio & protectione Dei, de medio inimicorum, profugus & vagabundus loca invia quæque silvasque perlustro, non ausus certo consistere loco. Comites autem Hugo & Heribertus, affati quosdam amicos nostros sibi subditos, suadent ut me requirentes ad ipsos deducant, pollicentes se mihi benefacturos, & rebus quas ipsi petissent ditaturos. Requirentes ergo me amici reperiunt per diversa vagantem, & ita perducor a fratribus meis & amicis ad præ- D fatos comites. Qui postquam me in potestate sua conspiciunt, quærere cœperunt, ut eis pallium a sede Romana mihi collatum traderem, & sacerdotali me ministerio penitus abjurarem. Quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore vitæ hujus præsentis, attestor. Districtus igitur, & coangustiatus ab eis, episcopii tandem rebus abrenuntiare compellor: sicque rursus ad sanctum Basolum, quasi vacans, habitaturus deducor. Mansi denique paucis diebus in ipso cœnobio, quoadusque comperiens per certos ex familiaribus Heriberti comitis nuntios, quod ab eo male de mea tractabatur perditione, iterum iterumque nuntiis hujusmodi pavefactus & impulsus, locum deserui, & abdita lustra silvarum E vagabundus repetii: horisque silentibus, & itinere devio, Laudunum revertor, ibique susceptus a rege secum manere constituor. Mansi vero ibidem cum ipso vel fidelibus ejus, expectans & deprecans misericordiam Dei, donec ipse est dignatus in cor domini regis Ottonis mittere, ut ad subventionem senioris mei regis, & nostram, properaret in Franciam. Denique, postquam domina nostra regina Laudunum propter absolutionem domini regis reliquerat, egressus inde ad dominum regem Ottonem cum seniore meo deveni rege, simulque Remos accessimus. Cingitur itaque urbs exercitibus, & episcopi qui ad-

A erant me sedi nostræ restitui censent. Mandatur ergo Hugoni a domino rege Ottone, ut egrediatur, & pervasam deserat urbem. At ille nutans aliquamdiu, & pro posse, ubi vidit ad resistendum penitus sufficere se nequaquam valere, nec amicorum sibi præsidia subvenire, decernit exeundum, quærens ut liber cum suis dimitteretur abscedere. Permittitur itaque sanus exire cum omnibus qui secum voluere comitari: & quæcumque secum voluit ferre, nullo contradicente asportavit. Sicque cum regibus introgressus urbem, præcipior loco nostro & honori restitui. Susceptus igitur a dominis archiepiscopis, Rot- B berto Treverensi, & Frederico Moguntiacensi, comitantibus cæteris, & congratulantibus, tam clericis ecclesiæ nostræ, quam reliquis civibus, ab ipsis restituor cathedræ episcopali. Hugo vero Remis egressus Mosomum castrum cum suis occupat, & muniens contra fideles regis senioris nostri detinet. Habito denique colloquii placito inter reges, seniorem meum videlicet ac dominum Ottonem, super Charam fluvium, convenimus ad illud tam ego quam ipse Hugo cum ordinatoribus suis. Ibique res litis hujus ab episcopis auditur: protulitque literas ad sedem Romanam quasi ex persona nostra datas excusationis meæ, ac si vacationem petentes administrationis episcopii nostri; quas me umquam di- C ctasse, neque subscribendo aliquatenus corroborasse, protestatus sum, atque protestor. Et quia tunc synodus convocata non fuerat, id opponentibus fautoribus ipsius Hugonis, altercatio nostra determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Novembris habenda Virduni, utriusque partis episcopis annuentibus, denuntiatur. Interim vero sedes Remensis mihi regenda decernitur; idem vero Hugo Mosomi commorari permittitur. Nec longum, instante scilicet vindemiæ tempore, hic noster æmulus Hugo, assumens secum Theobaldum regis inimicum, & regni nostri, cum aliis pluribus malefactoribus, in villas Remensis episcopii con- D tiguas urbi devenit, & omne pene vinum ex his colligens in diversos pagos abduci fecit. Tum multa mala mihi perpetrata, & ecclesiæ nostræ homines captivi abducti, & ad redemptionem variis sunt adacti tormentis. Synodus autem denuntiata Virduni celebratur, præsidente Rotberto præsule Treverensi, præcepto domni papæ Romani, præsente quoque domino Brunone, cum episcopis & abbatibus nonnullis. Ad quam præfatus Hugo evocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum episcopis, Adalberone & Gozlino, venire contempsit. Universa vero synodus mihi Remense regendum decernit episcopium. Indicturque iterum synodus habenda die Iduum mensis Ianuarii, quæ & E aggregatur, ut denuntiata fuerat, in ecclesia sancti Petri, ante prospectum castri Mosomi, a domino Rotberto convocatis ceteris quoque Treverensis diœceseos episcopis, & aliquibus Remensis. Veniens autem illuc æmulus noster Hugo, & locutus cum domino Rotberto, synodum nolebat ingredi: literas vero quasi ex nomine domini papæ direxit ad episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulisse ferebatur, nihil autoritatis canonicæ continentes, sed hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Remensi redderetur episcopium. Quibus recitatis, ineuntes episcopi consilium cum abbatibus, & cæteris qui aderant sapientibus, responderunt non esse

ANNO CHRISTI 948.

dignum vel congruum, ut mandatum legationis apoſtolicæ, quam dudum Rotbertus archiepiſcopus, deferente Friderico præſule Moguntiacenſi, coram regibus & epiſcopis tam Galliæ quam Germaniæ ſuſceperat, & partem jam præceptionis ipſius exegerat, propter illas literas intermitteret, quas inſidiator noſter exhibebat: immo quod regulariter cœptum fuerat, ut canonice pertractaretur unanimiter cenſent. Præcipiturque recitari capitulum Carthaginenſis concilii XIX. de accuſato & accuſatore. Quo recitato, judicatum eſt juxta definitionem ipſius capituli, ut communionem & parochiam Remenſem me retinente, Hugo qui ad duas jam ſynodos evocatus intereſſe contempſerat, a communione & regimine Remenſis epiſcopii abſtineret, donec ad univerſalem ſynodum, quæ indicebatur ad Kalendas Auguſti, ſeſe purgaturus, vel rationem redditurus, præſentaret. Ipſumque capitulum mox in charta epiſcopi coram ſe deſcribi fecerunt, ſubnectentes hanc etiam definitionem ſuam. Qui poſt alteram diem chartam eamdem Rotberto præſuli remiſit, hoc verbis remandans, quod ipſorum judicio nequaquam obediturus exiſteret. Sicque abſoluto concilio ipſe Moſomum contra mandata regum & epiſcoporum retinet: & ego Remos regreſſus, reclamationis mox querelas ad ſedem Romanam per legatos domini regis Ottonis deſtinavi, præſtolans mandata ipſius ſedis, ejus decretis, & univerſalis hujus ſancti concilii veſtri judiciis parere paratus.

Poſt quam literarum recitationem, & earum propter reges juxta Theotiſcam linguam interpretationem, ingreſſus ſynodum quidam Sigeboldus, præmiſſi Hugonis clericus, attulit literas quas Roma detulerat, quaſque jam in alia ſynodo Moſomi propalaverat, aſſerens eaſdem literas ſibi Romæ ab ipſo qui aderat Marino vicario datas. Qui Marinus proferens literas quas idem Sigeboldus Romam tulerat, præcepit eas coram ſynodo recitari. In quarum recitatione repertum eſt, prout ipſæ literæ fatebantur, quod VVido epiſcopus Sueſſionicus, Hildegarius quoque Bellovacenſis, Rodulfus Laudunenſis, cæterique cuncti Remenſis diœceſeos epiſcopi, eaſdem literas ad ſedem delegaverant apoſtolicam pro reſtauratione Hugonis in ſede Remenſi, & expulſione Artaldi. Poſt quorum lectionem exurgentes Artaldus & præfatus Rodulpus, qui in iiſdem literis nominabantur, Fulbertus quoque Cameracenſis antiſtes, eaſdem literas refutarunt, adſtruentes quod eas antea numquam viderint vel audierint, neque in earum delegatione conſenſum præbuerint. Quibus cum idem clericus contraire non poſſet, licet in eos calumniis obſtrepens, præcepit dominus Marinus, ſuggerens univerſæ ſynodo, ut ſibi conſilium & rectum judicium proferrent ſuper hujuſmodi calumniatore, & calumniarum in epiſcopos delatore. At illi, poſtquam delator publice confutatus eſt falſa detuliſſe, lectis capitulis de hujuſmodi calumniatoribus, judicant & unanimiter cenſent, eum qui fruebatur honore privari debere, ac ſecundum capitulorum tenorem in exilium detrudi. Diaconatus igitur, quo fungebatur, miniſterio multatus, a conſpectu ſynodi reprobatus abſceſſit: Artaldo vero præſuli, qui omnibus ſe ſynodis præſentabilem fecerat, non refugiens ſynodale judicium, epiſcopium Remenſe juxta canonum conſtituta, & ſanctorum patrum decreta, omnino retinendum atque diſponendum decernunt, laudant, atque corroborant. Secunda conſeſſionis die, poſt recitatas divinæ autoritatis lectiones, & Marini vicarii allocutionem, ſuggeſſit dominus Rotbertus Trevirenſis archiepiſcopus, ut quoniam juxta ſacræ legis inſtituta reſtauratum atque reſtitutum fuerat Remenſe Artaldo præſuli epiſcopium, in ejuſdem ſedis invaſorem ſynodale perageretur judicium. Præcepit itaque Marinus vicarius, ut canonicam ſuper hac præſumptione ſynodus proferret ſententiam. Iubentur ergo ſanctæ legis catholicæ recitari capitula. Quibus recitatis, ſecundum ſacrorum canonum, & ſanctorum decreta patrum Sixti, Alexandri, Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Cæleſtini, Leonis, Symmachi, cæterorumque ſanctorum eccleſiæ doctorum, excommunicaverunt, atque ab eccleſiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Remenſis eccleſiæ pervaſorem, donec ad pœnitentiam & dignam ſatisfactionem venire procuraret. Cæteris quoque diebus tractata ſunt quædam neceſſaria de inceſtis conjugiis, & eccleſiis, quæ preſbyteris in partibus Germaniæ dabantur, immo venumdabantur indebite, & auferebantur a laicis illicite. Prohibitum igitur atque ſtatutum eſt, ne id omnino præſumeretur ab aliquo. Sed & de aliis eccleſiæ Dei utilitatibus tractata ſunt & definita nonnulla.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

1 *Synodi ejuſdem.*] Narrationis hujus prior pars, quæ Artaldi epiſtolam ad ſynodum antecedit, ex Flodoardi chronico petita eſt, epiſtola ex hiſtoria Remenſi ejuſdem. Quæ vero epiſtolæ ſubjiciuntur, eadem ad verbum leguntur in chronico & in hiſtoria. Cæterum in elencho epiſcoporum ſynodi, quædam interpolata paulo aliter quam apud Flodoardum.

CONVENTVS EPISCOPORVM IN ECCLESIA S. VINCENTII Laudunenſis.

ANNO CHRISTI 948.

De hoc epiſcoporum conventu, ejuſque actis, ſcribit in chronico Flodoardus, ubi res bellicas a Ludovico rege, Lothar ienſibuſque cum eo Conrado duce conjunctis, hoc anno adverſus Hugonem comitem geſtas perſequitur.* Obſident, *inquit*, dux & exercitus quamdam munitionem, quam ædificaverat, & tenebat Tetbaldus in loco qui dicitur Mons acutus, qui & Laudunum contra regem retinebat. Hoc etiam oppidum oppugnantes tandem, non ſine mora capiunt. Indeque Laudunum adeunt, & in eccleſia ſancti Vincentii epiſcopi prædictum Tetbaldum excommunicant. Hugonem vero principem vocant literis ex parte Marini legati apoſtolicæ ſedis, & ſua, venire ad emendationem pro malis quæ contra regem & epiſcopos egerat.

a CONCILIVM TREVIRENSE, IN QVO EXCOMMVNICATVR ITERVM HVGO comes, Ludovici regis perduellis, cum epiſcopis aliquot ab Hugone Remenſi ordinatis a Marino legato celebratum eodem anno DCCCCXLVIII.

ANNO CHRISTI 948.

Actorum ſynodalium breviarium ex chronico Flodoardi.

POSTHÆC Artaldus Treviros proficiſcitur ad ſynodum, cum epiſcopis VVidone Sueſſonico, Rodulfo Laudunenſi, & VVicfredo Morinenſi. Quo pervenientes Marinum ſeſe præſtolantem repererunt cum Rotberto archiepiſcopo Trevirenſi: cæterorum vero Lotharienſium atque Germanorum præſulum illic invenere neminem. Conſidentibus igitur illis, ſciſcitari cœpit Marinus vicarius, quid egiſſet poſt præmiſſam ſynodum Hugo princeps erga ipſos & regem Ludovicum. At illi referunt ſupra memorata quæ ipſis & eccleſiis eorum intulerat

Anno Christi 948.

intulerat mala. Requirit ergo de vocatione ipsius principis Marinus, utrum perlatæ fuissent literæ vocationis, quas ei perferendas delegaverat. Cui respondetur ab Artaldo archiepiscopo, quod quædam earum perlatæ sunt, quædam vero perferri non potuerunt, earum gerulo ab ipsis grassatoribus intercepto: vocatus tamen fuerit tam literis quam internuntiis. Requiritur itaque, si adsit aliquis ex parte ipsius legatus: ubi cum nullus fuisset inventus, decernitur expectandum, si forte adventurus esset in crastinum.

[Ac]tio II. Quod cum minime contigisset, & omnes qui aderant tam clerici quam illustres laici excommunicandum esse acclamarent, definitur ab episcopis hanc excommunicationem differendam usque ad diem tertiam. Tractatur autem de episcopis qui vocati fuerant, & venire distulerant, vel his qui ordinationis Hugonis participes extiterant. Et VVido quidem Suessonicus se culpabilem, prostratus coram Marino vicario & Artaldo archiepiscopo, profitetur. Intercedentibus autem pro eo apud Marinum Rotberto & Artaldo archiepiscopis, absolvi ab hac noxa meretur. VVicfredus Morinensis immunis ab hac ordinatione reperitur. Adest Transmari Noviomensis episcopi legatus quidam presbyter, adstruens eumdem præsulem ita gravi languore detentum, ut ad eamdem synodum venire non valuerit: idque nostrates qui aderant testabantur episcopi.

[Act]io III. Tertia tandem die, insistente præcipue Liudulfo legato & capellano regis Ottonis, quoniam idem rex id omnino fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo comes, inimicus Ludovici regis, pro supra memoratis malis ab ipso perpetratis: eo tamen modo, donec resipiscat, & ad satisfactionem coram Marino vicario, vel episcopis quibus injuriam fecit, deveniat. Quod si facere contempserit, Romam pro absolutione sui proficiscatur. Excommunicatur & duo pseudoepiscopi ab Hugone damnato ordinati, Tetbaldus & Ivo: prior post expulsionem ipsius in Ambianensi urbe, alter post damnationem ejusdem Hugonis in Silvanectensi ab eo constituti. Excommunicatur etiam clericus Laudunensis, nomine Adelomus, quem accusavit Rodulfus episcopus suus, eo quod Tetbaldum excommunicatum in ecclesiam introduxerit. Vocatur Hildegarius Bellovacensis episcopus literis præfati Marini ut veniat coram eo, vel eat Romam rationem reddíturus coram domino papa pro illicita ordinatione prædictorum pseudoepiscoporum, cui interfuerat. Vocatur & Heribertus, Heriberti comitis filius, ad satisfactionem venire pro malis quæ contra episcopos agebat. His gestis, episcopi revertuntur ad sua.

Nota Severini Binii.

[Ca]usa concilii. Marinus duplici de causa missus fuerat ab Agapito in Galliam. Quarum prima erat, ut controversia inter Hugonem & Artaldum de Remensi archiepiscopatu decideretur: altera erat, ut regnum Ludovici, quod factione Hugonis principis variis tumultibus nutabat, ille stabiliret. Illud prius præcedente concilio peractum fuit: hoc posterius præstitum est Treviris in ista synodo, quam compendiose Flodoardus lib. 4 cap. 36 & 37. describit his verbis: *Post hac Artaldus Treviros proficiscitur*, &c. ut supra

CONCILIVM LONDONIIS

HABITVM SVB EDREDO REGE TOTIVS Angliæ in nativitate beatæ Mariæ virginis, anno domini DCCCCXLVIII. præsentibus VVulstano archiepiscopo Eborum, Odone archiepiscopo Dorobernìæ, cæterisque episcopis, abbatibus, ducibus, & comitibus; in quo agitur de negotiis regni, & confirmatur charta regis Edredi monasterio Croylandensi facta, quam dictavit dudum cancellarius regis Turketulus, modo abbas ibidem constitutus, & de more regum Angliæ pastorali baculo investitus.

De *hoc concilio ita Ingulphus*: In festo ergo nativitatis B. Mariæ, cum universi magnates regni per regium edictum summoniti, tam archiepiscopi, & episcopi, ac abbates, quam cæteri totius regni proceres & optimates, Londoniis convenissent, ad tractandum de negotiis publicis totius regni: consummatis omnibus, coram universis, domino Turketulo abbati, monachisque suis accersitis rex Edredus dedit monasterium Croyland per chartam suam, dictatam ab eodem Turketulo abbate, jamdudum regis cancellario, consiliarioque familiarissimo, & conscriptam in his verbis:

Pax in summæ Trinitatis nomine, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Ego Edredus rex terrenus sub imperiali potentia regis sæculorum æternique principis magnæ Britanniæ temporale gerens imperium, universis Christianis tam præsentibus quam posteris, salutis beneficium in autore salutis. Vobis liqueat omnibus quod, *&c. Vide chartam, si desideres, longam satis, utpote prædia plurima & libertates continentem, apud Ingulphum ipsum p. 874. ubi sic in fine*: Stabilivi, *inquit rex Edredus*, in anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi nongentesimo quadragesimo octavo, in præsentia archiepiscoporum, episcoporum, & procerum regni mei subscriptorum.

Ego VVlstanus archiepiscopus Eboracensis devotus subnotavi.

Ego Odo Dorobernensis archiepiscopus consilium & consensum meum ad istud dedi.

Ego Alfredus Schireburnensis episcopus affectavi, *&c.*

Inferius autem sic Ingulphus: Tandem adveniente festo beati Bartholomæi apostoli, in præsentia regis, *Turketulus* monachus factus, & statim baculo pastorali a rege donatus, & ab episcopo benedictus, universum monasterium cum omnibus ejus possessionibus in manum regis resignavit. Qui apud London in communi concilio coram archiepiscopis, episcopis, & totius terræ magnatibus, dictum monasterium cum omnibus terris ejus, tam ab antiquo ei pertinentibus, quam ab eodem Turketulo noviter datis ac acquisitis, dicto domino Turketulo abbati, monachisque suis reddidit, & cum charta sua (prout præmissum) liberum & solutum ab omni terreno servitio in perpetuam eleemosynam confirmavit, *&c.*

CONCILIVM ROMANVM,

IN QVO CONFIRMATA EST SYNODVS Engilenheimensis.

Anno Christi 949.

Hujus *synodi paucis etiam meminit Flodoardus in chronico anni* DCCCCXLIX. Agapitus, *inquit*, papa synodum habuit apud sanctum Petrum, in qua damnationem Hugonis episcopi apud Ingulenheim factam confirmavit: excommunicans etiam Hugonem principem, donec Ludovico regi satisfaciat.

SYNODVS LANDAVENSIS

SVB PATRE VIGESIMO QVINTO IBIDEM episcopo sacrilegii causa in regem Nougui in ecclesia Mainuon congregata.

Circa an. Christi 950.

Nougui rex filius Guriat vastavit [A]rcoit filium Dissaith in podo Mainuon in medio Tri-

Circa an. Christi 950.

loc podo ſanctorum Dubricii, Teliavi, & Oudocei, per iram ſuam, & furore nimio, & violato ſanctorum refugio, epiſcopus Pater congregavit clericos totius parochiæ infra *Taratir* & *Tivi*, propter factam vim ſacrilegii. Et audiens Nougui rex adventum epiſcopi, & conventam ſynodum negotio ſacrilegii facti, & violati refugii, veniam requiſivit apud Patrem epiſcopum & totam ſynodum in eccleſia Mainuon, & redditis rebus eccleſiæ omnibus, cum ſatisfactione & lacrymarum effuſione, protinus cadens in terram, ut data ſibi venia, & juncta pœnitentia, largitus eſt in eleemoſyna Deo & ſanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & Patri epiſcopo, & omnibus epiſcopis Landaviæ, villam *Guidcon* cum toto ſuo territorio, id B eſt cum tribus modiis terræ, & cum tota ſua libertate, & omni communione in campis & in ſilvis, in aqua & in paſcuis. De clericis teſtes ſunt Pater epiſcopus, Daſaith lector, Dunin ſacerdos, *&c.* De laicis Nougui rex, *&c.* Quicumque cuſtodierit, *&c.*

Anno Christi 952.

Graviter erravit Binius qui hanc ſynodum ſub Ioan. XII. collocavit, cum revera ad Agapiti II. tempora pertineat, ut patet ex æra & indictione in ipſius præfatione ſignatis.

SYNODVS AVGVSTANA, IN CAVSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ anno domini DCCCCLII. tempore Agapiti papæ II. celebrata.

PRÆFATIO.

CVM excellentiſſimus piiſſimuſque Otto rex, C ſuperna attractus clementia, non minus de negotio ſpiritali quam de ſtatu Chriſtiani imperii tractaret, in primis pontificum aliorumque primatum ſuorum communi conſilio fretus, anno incarnationis DCCCCLII. indictione decima, anno vero regni ejus XVI. ſub die VII. Idus Auguſti, placitum conventumque ſynodalem Auguſtæ fieri decrevit; quatenus concordi diligentia, tam ſancti cleri, quam populi eccleſiæ ſtabilitatis profectus, & totius Chriſtianitatis utilitates tractarentur. Cujus divinæ rei diſpoſitionem per reverendiſſimi atque prudentiſſimi Frithurici, Moguntinæ ſedis archiepiſcopi induſtriam maxime gubernari deliberavit. Geroldo etiam * Iuvauenſis eccleſiæ archi- D epiſcopo, Manaſſe quoque Mediolanenſis eccleſiæ archiepiſcopo, Petro Ravennate archiepiſcopo, cæteriſque Italiæ, Galliæ, Germaniæ ſubnotatis pontificibus, huic diſcuſſioni operam exigentibus, Vdalrico Auguſtenſis eccleſiæ epiſcopo, Annone VVangionenſis eccleſiæ epiſcopo, Starcando Eiſtetenſis eccleſiæ epiſcopo, Conrado Conſtantienſis eccleſiæ epiſcopo, Poppone VVirciburgenſis eccleſiæ epiſcopo, Godefrido Nemetenſis eccleſiæ epiſcopo, Hartberto Curienſis eccleſiæ epiſcopo, Votone Argentinenſis eccleſiæ epiſcopo, Lantberto Friſingenſis eccleſiæ epiſcopo, Hugone Aritienſis eccleſiæ epiſcopo, Michaele Ratiſponenſis eccleſiæ epiſcopo, Adalberto Patavenſis eccleſiæ E epiſcopo, Ludfrido Picinenſis eccleſiæ epiſcopo, Giſibrando Terdonenſis eccleſiæ epiſcopo, Antonio Brixienſis eccleſiæ epiſcopo, Vultone Cumano epiſcopo, Deodato Parmenſis, Adelardo Regienſis eccleſiæ epiſcopo, Sigolpho Placentinæ eccleſiæ epiſcopo, Adalgiſo Aquenſis eccleſiæ epiſcopo, cum eorum unanimis diligentia huic eccleſiaſtico negotio vigilanter inſtaret, omnibus ratum putabatur, principem regni, beatæ matris eccleſiæ devotum filium poſtulare, quatenus ibidem divina diſcutientibus intereſſe dignaretur. Tum die præfinito eo veniens dulciſona modulationum jucunditate, honorifice, uti regiam dignitatem decuerat, ab omnibus acceptus, Miſſa celebrata fini- A ta, ſatisfaciendo pontificum petitioni, cum inſigni privatim turba ſynodum intravit. Interim reverendus Moguntinæ ſedis archiepiſcopus Frithuricus ſe e ſolio erigens, humiliter ſtrenueque ſermonem regulari ſtudio congruentem protulerat, deinde cuncta, quæ de jure eccleſiaſtico juxta canonicam autoritatem & imitanda ſanctorum patrum decreta erant ventilata, pronuntians, in hiſce omnibus huic rei neceſſariis ſe in commune ejus præſidium ſentire poſtulabat. Quibus rex ſuperni amoris igne ſuccenſus, & zelo divini amoris animatus, mentis corporiſque niſu eccleſiaſticarum rerum auxiliatorem, defenſorem promptiſſimum ſe eſſe promittendo certificavit. Hac videlicet proB miſſione audita regali, prælibatus archiepiſcopus reſidens, communi cæterorum aſſenſu, capitula ſubſequentia titulari præcepit.

* hoc eſt Saliſburgenſis.

Anno Christi 952.

CAPITVLA.

I.

SI quis epiſcoporum, preſbyterorum, diaconorum, ſubdiaconorumque, uxorem accepit, a ſibi injuncto officio deponendus eſt, ſicut in concilio Carthaginenſi tenetur, cap. 25.

II.

C Epiſcopos, preſbyteros, vel aliquem de clero, canes venandi amore vel accipitres habere non licet, ſicut in concilio legitur Toletano cap. 10. Quiſquis autem perſonarum hujuſmodi in hac voluptate denudatus fuerit, quamdiu in illa deteſtabili voluptate detinetur, ab omni eccleſiaſtico officio ceſſet.

III.

Epiſcopus, preſbyter, aut diaconus, aleæ vacans, ſi ab hoc interdicto opere ceſſare noluerit, velut in canone apoſtolorum habetur cap. 42. deponendus erit.

IV.

D Nullus in clericatus officio manens mulierem ſubintroductam ſecum habitare permittat. Si vero aliqua ſuſpicionum maculis aſperſa contra hæc agere tentaverit, ab epiſcopo vel ejus miſſo virgis cæſa detondeatur. Si autem ſæcularis poteſtas fieri prohibuerit, regia poteſtate femina coacta prælatæ ſententiæ ſubjaceat.

V.

Diverſa ſæcularis vitæ negotia fugientes, monaſticæ inſtitutionis normam aggreE dientes, extra clauſtrum ſine licentia proprii abbatis ire non licet: ſed tantummodo jejunio & orationi vacare: in locis quibus renuntiaverunt ſæculo permanentes, ſicut in concilio Calchedonenſi præcipitur.

VI.

Oportet etiam epiſcopum, in cujus diœceſi cœnobium ſitum eſt, monachorum providentiam gerere: & ſi aliquid correctione dignum reperit, corrigere feſtinet.

VII.

Clericis monachicum habitum ſequi cupientibus,

ANNO CHRISTI 952.

pientibus, & pro remuneratione divina sæcularibus spretis arctiorem vitam adire volentibus, nullatenus introeundi aditus ab episcopo denegetur, sed potius eum in tali conversatione perstare exhortari conetur, sicut in concilio Toletano habetur capitulo 50.

VIII.

Sanctimonialis, quæ spontanea voluntate strictiori vitæ proposito se alligare voluerit, nulla re obstante, id quod bona intentione disposuerat peragendum, ab episcopo impediatur.

IX.

Vt laïci presbyteros sine conscientia & consensu proprii episcopi ab ecclesiis eis canonice commendatis non ejicere præsumant, nec alios locum eorum subire faciant; quia ut ab episcopis ordinantur, ita necesse est ab ipsis ecclesias procurandas accipiant, sicut in concilio habetur Arelatensi cap. 4.

X.

Vt omnis decimatio in potestate episcopi sit, & si neglecta fuerit, quidquid inde emendandum sit, coram episcopo ejusve misso corrigatur.

XI.

Episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, ut in multis conciliis firmatum est, quia divina ministeria contrectant, ab uxoribus abstineant. Cæteri autem clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes, ad continentiam cogantur.

ANNO CHRISTI 953.

CONCILIVM APVD S. THEODERICVM, ADVERSVS RAGENOLDVM COMITEM.

FLODOARDVS *in chronico.* Anno DCCCCLIII. Synodus quinque episcoporum apud sanctum Theodericum in territorio Remensi celebratur, Artaldo archiepiscopo præsidente: ad quam vocatus Ragenoldus comes, ob res ecclesiasticas ab eo pervasas, venire noluit; sed deprecatus est regem, ne excommunicaretur, ut ad synodum mitteret: cujus excommunicatio, rege petente, tunc intermissa est. *Idem autor ab Odalrico Artaldi successore anno tandem* DCCCCLXVI. *excommunicatum docet.* Odelricus, *inquit*, archiepiscopus Ragenoldum comitem excommunicat pro villis ecclesiæ Remensis, quas pertinaciter detinebat: & ipse comes loca quædam ejusdem episcopii cum suis pervadens, rapinis incendiisque devastat.

CIRCA AN. CHRISTI ....

SYNODVS LANDAVENSIS SVB PATRE VIGESIMO QVINTO ibidem episcopo habita.

Ex causa diaconi cujusdam ante ipsum altare sacrilege interfecti.

ANNO DCCCCLV. indictione XIII. a nativitate domini hoc nefarium opus factum est. In diebus enim Nougui filii Guriat, atque Patris episcopi sedis episcopalis famosissimæ quæ ad ri-

A pam Tavi fluminis posita est, quadam die tempore messis quidam diaconus nomine Ili filius Beli, quem in uno eodemque anno ordinavit episcopus, transiens per segetes: obviavit ei quidam rusticus nomine Merdutir filius Iuduc, vituperando dicens, ait: Quid tibi timidissime, & armis? Dum verbis vituperationis colloquebantur, irruit Merdutir in eum, extendens manum ad gladium ejus, gladio evaginato succidit digitum illius diaconi. Derivante autem sanguine ejus, ait ad eum: Reverte ad me, ut liges digitum meum. Convertens autem ad eum, & ligans digitum ejus, jugulavit eum diaconus, & statim defunctus est. Ipse autem diaconus vertens se in fugam, declinavit ad B ad ecclesiam sanctorum Iarmen & Febric, refugium inquirens. Dum autem hæc aguntur, nuntiatum est amicis defuncti. Postea congregati sunt amicorum ejus multi, & conati sunt frangere ecclesiam in qua erat diaconus. Tunc adfuit famosissimus ille vir Bledcuirit filius Enniaun, qui prohibuit eos ne ecclesiam frangerent, quod scelus erat dictu. Novissime vero adfuerunt sex viri de familia Nougui, quorum autem sunt nomina, Birtulf & Britilm frater ejus, Budat & Biguan filius ejus, & alii duo fratres filii Cunulic, Guodcun, & Alla. Statim venientes irruerunt in ecclesiam, & occiderunt diaconum ante altare sanctorum, scelus dictu, resperso sanguine in altari & in parietibus ecclesiæ. C

Diaconus ante ipsum altare occiditur.

His malis peractis, nuntiatum est episcopo qui tunc morabatur apud Hovel Britannicum regem in regione Bracham. Ipse statim ut audivit, transmisit nuntios ad monasteria omnium provinciarum totius parochiæ infra ostium *Taratır ig guı* usque ad ripam *Tingui*: quarum obedientiæ subjectæ sunt ecclesiæ Landaviæ & sanctis ejusdem Dubricio, Teliavo, Oudoceo, & Patri episcopo, & omnibus episcopis succedentibus in perpetuo, ut congregarentur sacerdotes, diaconi, & omnes gradus ecclesiastici in unum convenirent. Audiente quoque Nougui cum optimatibus suis totius ecclesiæ maledictionem irruentem in se, & descendentem super eum, non audens tale pondus maledictionis D sustinere, inito consilio cum doctissimis regionis suæ, & legatis transmissis, appellavit episcopum ad se. Postea vero obviarunt sibi Nougui, & episcopus cum optimatibus suis in Guentonia urbe, & ex consilio omnium doctorum utriusque partis dati sunt illi sex viri crudeles in manu episcopi. Adducti sunt ad monasterium sancti Teliavi, illis facientibus sex menses in ferreis carceribus. Nougui iterum postulavit ut adducerentur viri illi ad supradictum monasterium, in quo occiderunt diaconum, & illic divinum judicium acciperent.

Episcopus synodum indicit.

Synodo quoque judicante definitum est, ut unusquisque eorum suum agrum, suamque totam substantiam, insuper & precium animæ suæ, hoc est E septem libras argenti redderet ecclesiæ quam maculaverat. Sed hoc prætereundum non est, quod ante judicium, redacti sunt viri illi Idguallaun filius Moruid, & Guinan, Iunathan, & Guelfird, tres filii Ceretic, & totus ager generationis Guorvot, cum campo & fontibus, cum silvis & accipitribus, cum omni censu qui antea dabatur regi, in manu episcopi, & in potestate ecclesiæ sancti Teliavi. Determinantibus omnibus divino judicio surrexit episcopus in medio, & omnes steterunt juxta eum, tenentes euangelium, & ait ad Nougui: Pone manum tuam super hoc euangelium. Et extendit Nougui manum super euangelium,

Iudicium in homicidas sacrilegos.

Prædiorum collatio.

lium, dicens: Sit hæc terra cum incolis suis in sempiterna consecratione Deo & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & Patri episcopo, & omnibus episcopis Landaviæ, libera ab omni laicali servitio, nisi tantum oratione quotidiana in perpetuo. De clericis testes sunt Pater episcopus, Dium sacerdos, Dissaith lector, *&c.* De laicis Nougui rex, *&c.* Quicũque custodierit, custodiat illum Deus. Qui autem ab ecclesia Lãdaviæ se separaverit, anathema sit. Amen.

ANNO CIRCITER CHRISTI 955.

CONCILIVM INCERTI LOCI EPISCOPORVM QVI IN FINIBVS BVRGVNDIÆ.

Anno circiter DCCCCLV. sub Agapito papa II. in quo actum de excommunione Isuardi, qui agros ad abbatiam S. Symphoriani pertinentes injuste detinebat.

Concilii istius nihil nobis superest præter Commonitorium episcoporum, cujus exemplar, uti & cæterorum quæ ad Isuardi excommunicationem pertinent, debemus viro eruditissimo Francisco Chiffletio S. I. qui ea descripta ex tabulis sancti Symphoriani Augustodunensis nobiscum humanissime communicavit.

COMMONITORIVM EPISCOPORVM in finibus Burgundiæ, de excommunicatione Isuardi.

SVMMORVM summo, primorum primo, domno Manassæ, metropolitanæ sedis Arelatensis archiepiscopo, cum cæteris coepiscopis, Landrico Avenionensi, Odolberto Vallensi, & aliis Provinciæ episcopis, Emblardus Lugdunensium sedis archiepiscopus, Rodmundus Eduensium episcopus, Hermannus Senonensis ecclesiæ archiepiscopus, Hildebodus Cabilonensium episcopus, Maimbodus Matisconensium episcopus, Acardus Lingonensium episcopus, Ansegisus Trecassensium episcopus, VVido Altissiodorensium episcopus, Gautbertus Nevernensium episcopus, cum cæteris episcopis, Burgundiæ partibus commorantibus, assiduas in Christo orationes. Sciat vestra fraternitas, quod cura nostri officii est, causas sanctarum ecclesiarum inquirere, & ad meliora quæque provocando reparare. Nam domnus Rodmundus nuper a Roma veniens, detulit literas ex parte domni Agapiti papæ, in primis admonitorias de terra sancti Symphoriani, quæ conjacet in partibus provinciæ: scilicet in circuitu Arelatensi, & Avenionensi: quam tenent Isuardus & socii ejus, sine voluntate illorum, qui corpus sancti Symphoriani custodiunt & venerantur. Vos enim estis in partibus illorum: & vos intelligere potestis rationem sancti Symphoriani, ut impleatur illud apostoli: *Frater fratrem adjuvet, & ambo consolentur.* Ergo petimus communiter, ut omnes illos invasores terræ sancti Symphoriani, semel, bis, & ter vocando ammoneatis ut resipiscant a talibus, & permittant tenere sancti Symphoriani ecclesiam quod suum est. Et, si tenere voluerint, impetrent ab eo qui loco sancti Symphoriani præest, quoquo modo impetrare potuerint. Sin autem nec reddere voluerint, nec impetrare: sicut scriptum est & mandatum nobis a domno papa, ex parte illius & ex parte nostra sint anathematizati & damnati, & societate Christianorum separati: in ecclesiam Dei non intrent, Missam non audiant, pacem cum Christiano non faciant: nec manducent, nec bibant, nec dormiant cum ullo Christiano; si infirmati fuerint, non visitentur; & si mortui, non sepeliantur: sed in baratrum confusionis & perditionis, cum Core, Dathan, & Abiron, quos vivos terra absorbuit, demergatur.

Cum nihil profuisset ea excommunicatio, & Agapito papæ successisset Ioannes XII. ab eo Girardus Augustodunensis episcopus, eam quæ sequitur, in prædictos rerum sancti Symphoriani invasores sententiam obtinuit. *Eam vide infra ad annum 959. sub Ioanne papa XII.*

ANNO CHRISTI 955.

VITA ET EPISTOLA IOANNIS PAPÆ XII.

IOANNES Alberici illius qui urbi dominabatur filius, apostolicam sedem invasit anno domini DCCCCLV. tempore Constantini VIII. imperatoris. Et quamquam huic legitima ætas aliaque omnia deessent quæ in legitimo pontifice requiruntur: tamen accedente postea consensu totius cleri visum est hunc potius esse tolerandum, quam ecclesiam schismate aliquo, quod alioquin exortum fuisset, dividendam. Cumque universa ecclesia catholica sciret minus malum esse, caput quantumlibet monstrosum proferre, quam unum corpus in duo secari, & duobus capitibus informari, eumdem toto orbe terrarum tamquam verum & legitimum pontificem venerata fuit. Hic revera primus est inventus, qui sibi nomen mutavit, quique ex Octaviano, pro mutata non exuta tyrannide, voluit Ioannes nominari. Ob temporale urbis dominium, Albericus pater filium suum Octavianum nominaverat: ille e contra pontificatum & spirituale dominium totius orbis consecutus, spirituali nomine hoc Ioannis appellari voluit. Idem juvenili ardore spirans minarum & cædis, collecto exercitu copiisque auxiliariis ex Spoletano ducatu conductis, adversus principem Capuanum nomine Pandulphum bellum movit: cui cum ille Salernitanorum ope & auxilio fortiter resisteret, ad propria redire pacemque per legatos petere coactus fuit. Hujus tempore Berengarius solutus timore defuncti Luithulphi filii Ottonis, qui ad coercẽdam ipsius Berengarii tyrannidem in Italiam missus erat, per universalem Italiam impune grassabatur, & profana simul & sacra absque delectu devastabat. Qua de causa Ioannes papa tyrannidem illam non amplius ferens, legationem misit ad Ottonem regem Germaniæ, suppliciter, autore Luitprando, literis & signis regem orans, quatenus pro Dei amore, sanctorumque apostolorum Petri & Pauli, quos delictorum suorum cuperet esse remissores, se sibique commissam sanctam Romanam ecclesiam ex suorum inimicorum faucibus liberaret, ac saluti & pristinæ libertati restitueret. Cumque idem eodem tempore autore Deo Mediolanenses per deputatam legationem petivissent, Otto, antequam e Germania recederet, VVormatiæ comitia habuit, in quibus filium suum Ottonem, ex Adelheide genitum, creavit regem, eumque VVilelmo Moguntino archiepiscopo ex alia uxore filio nutriendum commisit, præstitaque per juramentum fidelitate & securitate sedi apostolicæ, de futura successione in Romano imperio ejusque juribus ac titulis promissionem accepit. His præviis rex piissimus, inquit Luitprandus, collectis copiis in Italiam percitus venit, tantoque Berengarium atque Adelbertum celerius expulit, quanto evidentius constat, quod commilitones Petrum & Paulum sanctissimos apostolos habuit. Postquam ablata suis quæque dominis restituisset, ann. Christi Redemptoris 962. qui erat 7. an. pontificatus Ioannis,

Ioannes qua ætate pontifex factus sit.

Nomen suum primus post Petrum mutavit.

Legationem ad Ottonem misit Ioannes.

Ottonem imperatorem creat.

nis, Romam venit, ibique magno cum honore miroque ornatu & apparatu susceptus, a pontifice cum applausu totius populi imperator & Augustus vocatus, & ordinatus, unctionem imperii suscepit. Quæ vero post hæc legitime peracta Ioanni papæ restituerit, quæque dona ille ecclesiæ Romanæ adjecerit, indicat ipsum authenticum donationis diploma, quod aureis literis exaratum Romæ in castello sancti Angeli asservatur. Pro gratia referenda pontifex omnesque urbis optimates supra corpus beati Petri jurarunt, se numquam Berengario atque Adelberto auxiliaturos: atque ita imperator Roma discedens Papiam se contulit.

anres ficu ab perato-

Interea Ioannes pontifex ad defectionem sollicitatus, immemor juramenti præstiti, Adelberto se conjunxit. Quod cum imperator per nuntios undique redeuntes verum esse intellexisset, Luitprandus cum dixisse scribit: Puer est, facile bonorum immutabitur exemplo virorum: spero cum objurgatione honesta, suasione liberali facile ex illis sese emersurum malis. Cum hæc de causa imperator Romam redisset, papa simul & Adelbertus aufugerunt. Cives vero, inquit Luitprandus, sanctum imperatorem cum suis omnibus in urbem susceperunt, fidelitatemque promiserunt: hæc addentes, firmiterque jurantes, numquam se papam electuros aut ordinaturos præter consensum atque electionem domini imperatoris Ottonis Cæsaris Augusti, filiique ipsius regis Ottonis. Post triduum quam Romam venisset, autoritate Ottonis habita est pseudosynodus, qua Ioanne in ordinem redacto subrogatus est pseudopapa Leo VIII. quem ille, post abitum Ottonis in urbem revocatus, velut adulterum & invasorem sedis deposuit, rescissis omnibus illius conciliabuli actis, quibus, nullo juris & antiquitatis ordine servato, Ioanne papa amoto, suffectus fuerat. De infausto Ioannis papæ exitu, autor qui asseritur Luitprandus hæc scribit: Quadam nocte extra Romam dum se cum cujusdam viri uxore oblectaret, in temporibus adeo a diabolo est percussus, ut intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus. Non quia, ut ille ait, juste damnatus, injuste receptus fuerit; sed quia tot tantisque vexationibus a Deo admonitus, a peccatis consuetis non abstinuit. Quamquam ista quæ apud Luitprandum narrantur, non tam ipsius sint, quam hominis adversarii, & Ottoni plus nimio adscribentis: tamen veritatem eorum non controverto, utpote quod nullum dispendium afferant fidei catholicæ, de qua unanimi consensu profitemur, Petrum Petrique successores post acceptam Christi promissionem, in moribus quidem, non autem in fide, deficere posse. Contigisse obitum Ioannis papæ anno 964. pridie Idus Maii, in Reginonis auctario asseritur.

ante ...a amo- Leo ...II pseu- papa ...roga-

EPISTOLA IOANNIS PP. XII. AD SANCTVM DVNSTANVM, CANTVARIENSEM EPISCOPVM.

De concessione pallii.

Ioannes episcopus servus servorum Dei confratri Dunstano Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopo, vitæ perpetuæ permanendam in Christo salutem.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, & oculis conspectant vigilantibus, ne aliqua ex ovibus aut errando pereat, aut laniata morsibus rapiatur: quanta cura quantoque sudore debemus esse pervigiles ob salutem animarum, qui dicimur pastores esse earum? Attendamus igitur nos officium exhibere erga custodiam ovium dominicarum, ne quasi lupo veniente territi fugiamus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem, & negligentia vestra, excruciemur, unde modo honoris reverentia in sublimiore arce cæteris dijudicamur. Primatum itaque tuum, in quo tibi ex more antecessorum tuorum vices apostolicæ sedis exercere convenit, ita tibi ad plenum confirmamus, sicut beatum Augustinum ejusque successores præfatæ ecclesiæ pontifices habuisse dignoscitur.

Pallium vero fraternitati tuæ ex more ad missarum solennia celebranda commendamus: quo tibi non aliter uti concedimus, quam eo usu quo antecessores nostri prodiderunt, ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus. Neque tua prudentia hoc incognitum habet, vel quicumque, quantum indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honestati morum tuorum hæc ornamenta conveniunt, quatenus, Deo autore, posses esse conspicuus, ita ut vita tua filiis tuis sit regula: & in illa, si qua fortitudo illis inest, dirigantur, dum in ea quæ imitentur aspiciant. *Et in fine epistolæ.*

Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui viam te dirigat, ut post vitæ hujus amaritudinem ad æternam pervenire simul mereamur dulcedinem. Et hoc scriptum est per manum Leonis scriniarii sedis apostolicæ, in mense Octobris, indictione quarta, die primo Kalend. Octob. anno * duodecimo summi pontificis Ioannis.

* sexto Ioannis pontificis.

RESCRIPTVM IOANNIS PAPÆ XII. pro excommunicatione Isuardi & sociorum.

ANNO CHRISTI 959.

De hoc Isuardo vide Paulo ante Concilium episcoporum finium Burgundiæ. pag......

Ego in Dei nomine Ioannes papa, sedis apostolicæ, & Romanæ urbis apostolicus, divina clementia largiente, notum volo fieri omnibus qualiter veniens quidam episcopus a partibus Galliarum, nomine Girardus, Augustodunensis civitatis præsul egregius; pro regis etiam amore, & beati Petri principis apostolorum servitio Romam expetiit: nostram honorifice adgressus præsentiam. Qui dum nobis pro sua industria, & honoris magnificentia gratus, acceptabilis, & carus existeret: dum de pluribus sermo inter nos haberetur, manifestavit mihi humillime reclamando de quibusdam hominibus, qui terram de suo episcopatu præsumptuose & violenter tenere videntur. Insuper deprecatus est, ut eos excommunicaremus, & maledictionis jaculo illos damnaremus. Cujus petitionem benevole suscipiens, jussi ego Ioannes papa, servus servorum Dei, talem excommunicationem & maledictionem fieri, scriptam manu propria Benedicti archiepiscopi nostri. Conjacet autem eadem terra, in patria quæ dicitur Provincia, de abbatia sancti Symphoriani. Quicumque ergo eam tenent terram S. Symphoriani, aut aliquid ex terra S. Nazarii, sine assensu Girardi ejus civitatis episcopi, ex autoritate Dei patris omnipotentis, & filii, & Spiritus sancti, omniumque sanctorum Dei: potestate insuper beati Petri senioris nostri, cum cæteris apostolis quibus data est potestas ligandi atque solvendi, & ex ministerio nostro, sint excommunicati & anathematizati, atque a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alienati; nisi conversi ad satisfactionem venerint. Omnes enim maledictiones, quæ in veteri testamento & novo scriptę sunt, veniant super eos nisi ad emendationem venerint. Sint maledicti in civitatibus, in villis,

Anno Christi 959.

villis, in agris, in viis, in castellis, in silvis, & in omnibus locis. Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur, nisi resipiscendi ad satisfactionem & emendationem venerint. Fiat.

Transmissio excommunicationis.

ANNO incarnationis dominicæ DCCCCLIX. indictione III. imperante Michaele imperatore Constantinopoli, domno autem Ioanne apostolico Romæ præsidente, regnante vero Lothario Francorum rege, transmissa est hæc excommunicatio archiepiscopis Franciæ, & Burgundiæ; Artaldo Remensis ecclesiæ archiepiscopo, & subjectis sibi episcopis; Amblardo Lugdunensis ecclesiæ archiepiscopo, Rodmundo Eduensis ecclesiæ episcopo, Achardo Lingonensis sedis episcopo, Frotgario Cabilonensis ecclesiæ episcopo, Natranno Nivernensi episcopo, Richardo Autissiodorensi episcopo: de terra, & alodo sancti Fausti, & sanctæ Augustæ, & sancti Symphoriani, quæ est in regione Provinciæ, in finibus loci qui vocatur Magna: quam tenet per potestatem Isuardus, & socii ejus.

Excommunicatio.

AVTORITATE Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & ordine omnium sanctorum, & nostra communi excommunicatione alligamus, & anathematizamus Isuardum, & omnes socios ejus, qui tenent terram sancti Symphoriani. Vt ullus eorum postquam hoc audierit, ecclesiam non intret, Missam non audiat, pacem cum Christiano non faciat, neque manducet, neque bibat, neque dormiat: & si infirmaverit, non visitetur; & si mortuus fuerit, non sepeliatur, neque pro eo oretur; nisi ad emendationem & satisfactionem venerit.

De his terris S. Symphoriani, quæ sitæ sunt in comitatibus, Avenionense, & Cavellico, tandem satisfecit Isuardus Girardo Augustodunensi episcopo. Feria III. XVII. Kalendas Augusti, anno domini DCCCCLXXII. Indictione XV. regnante quidem rege Gondrado. Rerum autem in Cavellicensi episcopatu sitarum restitutionem, Hugoni ecclesiæ S. Symphoriani Cavellicēsis decano, & clericis ejus factam, confirmavit Desiderius episcopus Cavellicensis.

Anno Christi 962.

DIPLOMA OTTONIS IMPERATORIS, De confirmatione jurium Romanæ ecclesiæ.

Autographum ipsum aureis literis exaratum asservatur Romæ in castello sancti Angeli.

In nomine domini Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

EGO Otto Dei gratia imperator Augustus, una cum Ottone glorioso rege filio nostro, divina ordinante providentia, spondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro principi apostolorum & clavigero regni cælorum, & per te vicario tuo domno Ioanni summo pontifici & universali XII. papæ, sicut a prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate atque ditione tenuistis & disposuistis civitatem Romanam, cum ducatu suo, & suburbanis suis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus, montanis, & maritimis, litoribus atque portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac viculis Tusciæ partibus, id est Portum, Centumcellas, Cerem, Bledam, Marturianum, Sutrium, Nepem, Castellum, Gallisem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus insulis suis, id est Majore, Minore, Pulvensim, Narniam, & Vtriculum, cum omnibus finibus ac territoriis ad suprascriptas civitates pertinentibus. Nec non exarchatum Ravennatem sub integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis, & castellis, quæ piæ A recordationis domnus Pippinus, & domnus Carolus excellentissimus imperator, prædecessores videlicet nostri, beato Petro apostolo, & prædecessoribus vestris, jamdudum per donationis paginam contulerunt, hoc est civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cesenam, * Forum populi, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum, & Hadrianis, atque Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis, terra marique ad suprascriptas civitates pertinentibus: simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forum Sempronii, Montem Feltri, Vrbinum, & territorium Balnense, Calles, Luciolis, & Eugubium, cum omnibus finibus, & territoriis ad easdem civitates pertinentibus. B

* Forum Pompilii

Eodem modo territorium Sabinense, sicut a domno Carolo imperatore antecessore nostro, beato Petro apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate. Item in partibus Tusciæ Longobardorum Castellum Felicitatis, Vrbem veterem, Balneum regis, Ferentum, Viterbium, Ortem, Nartam, Tuscanam, Suanam, Populonium, Rosellas, cum suburbanis atque viculis omnibus, & territoriis ac maritimis, oppidis ac viculis seu finibus omnibus. Itemque Almus cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantua, atque in Monte Silicis, atque provincia Venetiarum, & Istria, C necnon & cunctum ducatum Spoletanum, seu Beneventanum, una cum ecclesia sanctæ Christianæ posita prope * Papiam juxta Padum quarto milliario.

* Paduam

Item in partibus Campaniæ Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, & Capuam, necnon patrimonia ad potestatem & ditionem vestram pertinentia, sicuti est patrimonium Beneuentanum, & patrimonium Neapolitanum, & patrimonium Calabriæ superioris & inferioris. De civitate autem Neapolitana, cum castellis & territoriis & finibus & insulis suis sibi pertinentibus, sicut ad easdem respicere videntur, necnon patrimonium Siciliæ, si Deus nostris illud tradiderit manibus. Simili modo civitatem Caietam, & Fundum, cum omnibus earum pertinentiis. D

Insuper offerimus tibi, beate Petre apostole, vicarioque tuo domno Ioanni papę, & successoribus ejus, pro nostræ animę remedio, nostrique filii, & nostrorum parentum, de proprio nostro regno civitates & oppida cum piscariis suis, id est, Reatem, Amiternum, Furconem, Nursiam, Balbam, & Marsim, & alibi civitatem Interamnem cum pertinentiis suis.

E Has omnes supradictas provincias, urbes, civitates, oppida, & castella, viculos, & territoria, simulque & patrimonia pro remedio animę nostrę, & filii nostri, sive parentum nostrorum, ac successorum nostrorum, & pro cuncto a Deo conservato atque conservando Francorum populo, jam dictæ ecclesiæ tuæ, beate Petre apostole, & per te vicario tuo spiritali patri nostro domno Ioanni summo pontifici & vniversali papæ, ejusque successoribus, usque ad finem sæculi, eo modo confirmamus, ut in suo detineat jure, principatu atque ditione.

Simili modo per hoc nostræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas piæ recordationis domnus Pippinus rex, & postea domnus Carolus excellentissimus imperator, beato Petro apostolo spontanea voluntate contulerunt: necnon &

Anno Christi 962.

& censum vel pensionem, seu cæteras dationes, quæ annuatim in palatium regis Longobardorum inferri solebant, sive de Tuscia, sive de ducatu Spoletano, sicut & in suprascriptis donationibus continetur, & inter sanctæ memoriæ Hadrianum papam, & domnum Carolum imperatorem convenit, quando idem pontifex eidem de suprascriptis ducatibus, id est Tuscano & Spoletano, suæ autoritatis præceptum confirmavit: eo scilicet modo, ut annis singulis prædictus census ad partem ecclesiæ beati Petri apostoli persolvatur: salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione, & illorum ad nostram partem & filii nostri subjectione. Cæterum, sicut diximus, omnia superius nominata ita ad vestram partem per hoc nostræ confirmationis pactum roboramus, ut in vestro permaneant jure, principatu atque ditione: & neque a nobis neque a successoribus nostris per quodlibet argumentum, sive machinationem, in quacumque parte vestra potestas imminuatur; aut a vobis inde aliquid subtrahatur de suprascriptis videlicet provinciis, urbibus, civitatibus, oppidis, castris, viculis, insulis, territoriis, atque patrimoniis, necnon & pensionibus atque censibus: ita ut neque nos ea facturi simus, neque quibuslibet ea facere volentibus consentiamus. Sed potius omnium quæ superius leguntur, id est, provinciæ, civitates, urbes, oppida, castella, territoria, & patrimonia, atque insulæ, censusque & pensiones ad partem ecclesiæ beati Petri apostoli, atque pontificum in sacratissima illius sede residentium, nos in quantum possumus defensores esse testamur, ad hoc, ut ea in illius ditione, ad utendum, & fruendum, atque disponendum firmiter valeant obtinere: salva in omnibus potestate nostra, & filii nostri, posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto & constitutione ac promissionis firmitate Eugenii pontificis, successorumque illius, continetur, id est:

De Romanorũ pontificum electione.

Vt omnis clerus, & universa populi Romani nobilitas, propter diversas necessitates, pontificum irrationabiles erga populum sibi subjectum asperitates retundendas, sacramento se obligent: quatenus futura pontificum electio (quantum uniuscujusque intellectus fuerit) canonice & juste fiat; & ut ille qui ad hoc sanctum atque apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente, consecratus fiat põtifex, priusquam talem in præsentia missorum nostrorum, vel filii nostri, seu universæ generalitatis, faciat promissionem pro omnium satisfactione, atque futura conservatione, qualem domnus & venerandus spiritalis pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur.

Præterea alia minora huic operi inserenda prævidimus, videlicet, ut in electione pontificum, neque liber, neque servus, ad hoc venire præsumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram institutionem ire præsumpserit, exilio tradatur.

Insuper, ut nullus missorum nostrorum cujuscumque impeditionis argumentum componere in præfatam electionem audeat, prohibemus. Nam & hoc omnimodis instituere placuit, ut qui semel sub speciali defensione domni apostolici sive nostra fuerint suscepti, impetrata juste utantur defensione. Quod si quis quemquam illorum qui hoc promeruerunt violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum.

Illud etiam confirmamus, ut domno apostolico

Anno Christi 962.

A justam in omnibus servent obedientiam, sive ducibus ac judicibus suis ad justitiam faciendam. Huic enim institutioni hoc necessario annectendum esse perspeximus, ut missi domni apostolici seu nostri semper sint constituti, qui annuatim nobis vel filio nostro renuntiare valeant, qualiter singuli duces ac judices populo justitiam faciant. Hanc imperialem constitutionem quomodo observent qui missi, decernimus ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam ducum seu judicum fuerint inventi, ad notitiam domni apostolici deferant. Et ipse unum e duobus eligat, aut statim per eosdem missos fiant ipsæ necessitates emendatæ, aut misso nostro nobis renuntiante per nostros missos a nobis B directos emendentur. Hoc ut ab omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, & nostris firmum esse credatur, propriæ manus signaculo & nobilium optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostræ roboravimus, & bullæ nostræ impressione obsignari jussimus.

Signum domni Ottonis serenissimi imperatoris, ac suorum episcoporum abbatum & comitum.
Signum Adalgagi Hammaburgensis ecclesiæ archiepiscopi.
Signum Hartberti Curiensis ecclesiæ episcopi.
Signum Druogonis Osnaburgensis ecclesiæ episcopi.
Signum Votonis Argentinensis ecclesiæ episcopi.
C Signum Otvvini Hildesheimensis ecclesiæ episc.
Signum Landvvarti Mindonensis ecclesiæ episc.
Signum Otgeri Nemetinensis ecclesiæ episcopi.
Signum Gezonis Tortonensis ecclesiæ episcopi.
Signum Hucberti Parmensis ecclesiæ episcopi.
Signum VVidonis Mutinensis ecclesiæ episcopi.
Signum Attonis Fuldensis monasterii abbatis.
Signum Guntharii Herolfeldensis monasterii abbatis.
Signum Eberarti comitis.
Signum Guntharii comitis.
Signum Burgharti comitis.
Signum Vtonis comitis.
Signum Cronratis comitis.
D Signum Ernustes.
Signum Thietheris, Ricdages, Liupen, Hartvviges, Arnolves, Ingilthies, Burchartes, Retinges.

Anno dominicæ incarnationis nongentesimo sexagesimo secundo, indictione quinta, mense Februarii, decimotertio die ejusdem mensis, anno vero domni Ottonis imperii invictissimi imperatoris vigesimoseptimo, facta est hæc pactio feliciter.

EX CONSTITVTIONE IMP. PRIMI OTHONIS ET PRIMI HENRICI.

Edidit Holstenius in collectione Romana. Pars est superio. is diplomatis, quæ propter clausulam hic edenda visa est.

Ex Anselmo Lucense lib. VI. cap. XXXV.

E *Vt in electione Romani pontificis nullus se audeat interponere, præter eos quos antiqua consuetudo admittit.*

IN electione Romani pontificis neque liber, neque servus ad hoc venire præsumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo, aliquot faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram institutionem præsumpserit, exilio tradatur.

Insuper etiam, ut nullus missorum nostrorum cujuscumque impeditionis argumentum componere in præfata electione audeat, prohibemus.

Nam & hoc omnimodis instituere placuit, ut A qui semel sub speciali defensione domni apostolici, sive nostra, fuerint suscepti, impetrata juste utantur defensione. Quod si quis quemquam illorum, qui hoc promeruerint, violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum. Et subscripserunt ambo imperatores, quisque suo tempore, & episcopi XXIII. & abbates VI. comites XII. optimates XVII.

Anno Christi 962.

CONCILIVM AD MATRONAM FLVVIVM IN PAGO MELDENSI, anno DCCCCLXII.

Post *obitum Artaldi archiepiscopi, quem anno* B *DCCCCLXI. pridie kalendas Septembres vita functum tradunt, annitentibus episcopis quibusdam, ut Hugoni vacua jam sedes Remensis redderetur, res in synodo discussa est episcoporum XIII. qui ex duabus provinciis, ut autor est in chronico Flodoardus, hoc anno sub medium Aprilem convenere, nihilque sibi de Hugonis causa inconsulto Romano pontifice statuendum censuere.* Synodus, *inquit*, tredecim episcoporum in pago Meldensi super Maternam fluvium, ex Remensi videlicet ac Senonensi diœcesi celebratur, præsidente Senonensi præsule, satagentibus quibusdam episcopis, ut Hugoni sæpe dicto redderetur Remense episcopium: renitentibus autem præcipue Roricone Laudunensi & Gibuino C Catalaunensi præsulibus, & asserentibus quod a tot episcopis excommunicatus, a minore numero absolui non poterat. Ita relinquitur usque ad interrogationem papæ Romani. *Et paucis interjectis, post allatum Roma responsum, rejecto Hugone, Odalricum in Remensi ecclesia ordinatum fuisse docet his verbis:* Legatio veniens ab Ioanne papa intimat præfatum Hugonem, quondam episcopum, tam ab ipso papa, quam ab omni Romana synodo excommunicatum: sed & ab alia synodo apud Papiam celebrata. Cujus legationis redditi certiores per Brunonem archiepiscopum, elegimus ad episcopium Remense Odalricum illustrem clericum, Hugonis cujusdam comitis filium, favente Lothario rege, cum regina matre, præfatoque Brunone: D quique Remis ordinatur ab episcopis VVidone Suessonico, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi, Hadulfo Noviomensi, VVicfredo Virdunensi.

* ** *Hugo Flaviniacensis in chronico concilium hoc tribuit anno antecedenti, & alia quædam addit, quæ a Flodoardo non commemorantur.* Eodem, *inquit*, anno (DCCCCLXI.) obiit Artaldus Remensis episcopus, & celebrata est synodus in pago Meldensi ad Maternam fluvium, ubi ordinatus est VVigfridus Virdunensis episcopus, vivente adhuc domno Berengario Virdunensi episcopo, & sedem episcopatus tenente. Ordinatus est autem ab eis absque conscientia metropolitani, eo quod domno E Berengario inimicarentur, quod conciliis eorum interesse nollet, & quædam eorum facta improbaret. Unde nacti occasionem, cum incumberet eis ordinatio Remensis ecclesiæ, cujus erant suffraganei, ordinaverunt & hunc, ut haberent eum conciliorum suorum consortem & operis participem, quasi qui alium qui præsidebat pro nullo haberent, quem sibi in nullo videbant adclinem. Abjectus est etiam ibi Hugo Remensis pervasor, a Romana synodo excommunicatus, & Odalricus inthronizatus a VVidone Suessionensi, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi, VVigfredo Virdunensi, Aistulfo" Noviomensi.

" Hadulfo *vel* Hadulfo

Nota Severini Binii.

Acta concilii quæ?

Per obitum Arthaldi Remensis archiepiscopi vacabat sedes Remensis, in quam cum Hugo nuper per Agapitum dejectus, favore Lotharii regis iterum intrusus fuisset, convocata est hæc synodus tredecim episcoporum; qui in Meldensi pago congregati decreverunt quæ a Flodoardo in chronico describuntur. Ex quibus intelliges, quod sæpius inculcandum est, qua reverentia episcopi colerent apostolicæ sedis antistitem, licet sedentem in ea juvenculum, & pravis moribus depravatum pontificem: quem sic observant & venerantur, ut omnis ille conventus inter se dissidens ex ejus responsione quiesceret.

Anno Christi 963.

CONCILIABVLVM ROMANVM, QVO IOANNES PAPA XII. DEPONITVR, & Leo quidam, quem scriptores perperam octavum ejus nominis appellatum inter veros pontifices annumerant, in locum ejus subrogatur: habitum fuit anno domini DCCCCLXIII. in præsentia Ottonis imperatoris.

Acta conciliabuli extant apud Luitprandum lib. 6. cap. 6. 7. & sequentibus; quæ capita non esse Luitprandi, sed alterius cujusdam, scribit Baronius anno 963. numero 3. sunt autem hæc:

Post triduum, rogantibus tam Romanis episcopis quam plebe, magnus in sancti Petri ecclesia fit conventus, sederuntque cum imperatore archiepiscopi. Ab Italia pro Angelfrido Aquileiensi patriarcha, quem in eadem urbe languor repente, ut fit, ortus arripuerat, Rodulphus diaconus, VValbertus Mediolanensis, Petrus Ravennas. A Saxonia, * Adeltac archiepiscopus, & Landolardus episcopus * Numedensis. A Francia, Otgerius episcopus Spirensis, Buprus* Parmensis. Ab Italia, Luitprandus Cremonensis, Hermelandus Regensis. A Tuscia, Conradus Lucensis, Everarius Aricensis, Pisanus * Senensis, Florentius Pistoriensis. Ex aliis Italiæ locis, Petrus Camerinensis, Romanus Spoletinus, Gregorius Albanensis, Sico Ostiensis, Benedictus Portuensis, Lucidus Cannensis, Theophylactus Prænestinus, VVido Silvæ candidæ, Leo Velitrensis, Sico Blerensis, Stephanus Senensis, Joannes Nepesinus, Ioannes Tiburtinus, Ioannes Forojuliensis, Romanus Ferentinensis, Ioannes * Hormensis, Ioannes Verulensis, Martinus Sutrinus, Ioannes Narniensis, Ioannes Sabinensis, Ioannes Gallacensis, ... Phalarensis, ... Alatrensis, ... Hortanus, Ioannes Anagniensis ...... Trebensis, Salibatinus Tarraconensis. Hucusque episcopi, sequuntur cardinales. Stephanus cardinalis archiepresbyter tituli Balbinæ, Dominicus tituli Anastasiæ, Petrus tituli Damasi, Theophylactus tituli Chrysogoni, Ioannes tituli Equitii, Ioannes tituli Susannæ, Petrus tituli Pammachii, Hadrianus tituli Callisti, Ioannes tituli Cæciliæ, Hadrianus tituli Lucinæ, Benedictus tituli Sixti .... tituli quatuor Coronatorum, Stephanus tituli Sabinæ, Benedictus cardinalis archidiaconus, Ioannes diaconus, Bonfilius cardinalis diaconus primicerius, Georgius secundicerius, Stephanus adminiculator, Andreas arcarius, Sergius primicerius defensorum, Ioannes Sacellarius, Stephanus, Theophylactus, Hadrianus, Stephanus, Benedictus, Azo, Hadrianus, Romanus, Leo, Benedictus, item Leo, & Leo scriniarii, Leo primicerius scholæ cantorum, Benedictus subdiaconus & oblationarius, Azo, Benedictus, Demetrius, Ioannes, Amicus, Sergius, Benedictus, Benedictus subdiaconus subpulmentarius, Urso, Ioannes, Stephanus archidiaconus cum omnibus acolytis & regionariis.

* Adalgagus
* Mindensis.
* *alias* Bremensis.
* *alias* Saonensis,
* Normensis,

Hucusque

ANNO [C]HRISTI 9[6]3.

Hucusque ex clero Romano. Interfuerunt & proceres Romanorum ab eodem Luitprando sic recensiti :

[...]ęi nomi[...] mendo[...] sunt.

Ex primatibus Romanæ civitatis Stephanus filius Ioannis superista, Demetrius Meliosi, Crescentius Caballi marmorei, Ioannes cognomento Nuzina, Stephanus de Muza, Theodorus de Rusina, Ioannes de Primicerio, Leo de Carmizuli, Richardus...... Petrus de Canaparia, Benedictus cum Bulgamino filio suo explebe, Petrus qui & imperiola est dictus, cum omni Romanorum militia.

[O]tto im[pe]rator al[lo]quitur [sy]nodum.

His ita residentibus, silentiumque summum tenentibus, ita sanctus est imperator exorsus: Quoniam decorum esset tam claro sanctoque papam Ioannem interesse concilio, cur tantum declinaverit cœtum, vos, o sancti patres consulimus, quibus communis labor ecclesiasticus ac commune negotium existit.

[Q]uæ Ioan[ni] objecta [su]nt crimi[na].

Tunc Romani pontifices, episcopi scilicet suffraganei, & cardinales presbyteri ac diaconi, cum universa plebe, dixerunt: Miramur sanctissimam prudentiam vestram nos hoc velle percontari, quod nec Babylonicos, nec Ibericos, nec Indicos incolas latet : ita aperte diabolica pertractat negotia, ut nihil circuitionis utatur. Imperator respondit : Iustum nobis videtur, ut accusationes nominatim exprimantur : deinde quod agendum est communi consilio pertractetur.

Tunc consurgens Petrus cardinalis presbyter, se vidisse illum Missam celebrasse, & non communicasse, testatus est. Ioannes episcopus Narniensis, & Ioannes cardinalis diaconus, se vidisse illum diaconum ordinasse in equorum stabulo non certis temporibus, sunt professi. Benedictus cum cæteris condiaconis & presbyteris dixit, se scire quod ordinationes episcoporum faceret precio, & quod annorum decem episcopum in Tudertina civitate ordinarit. De sacrilegio non est necesse percontari, quia plus videndo quam audiendo scire potuissemus. De adulterio, dixerunt quod oculis non viderant, sed pro certo scirent, viduam Rainarii, & Stephanam patris concubinam, & Annam viduam, cum nepte sua abusum esse, & sanctum palatium lupanar & prostibulum fecisse. Venationem dixerunt publice exercuisse, Benedictum spiritualem patrem suum lumine privasse, & mox mortuum esse: Ioannem cardinalem subdiaconum, virilibus amputatis, occidisse, incendia fecisse, ense accinctum, galea & lorica indutum fuisse testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse omnes tam clerici quam laici acclamarunt. In ludo aleæ, Iovis, Veneris, cæterorumque dæmonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas & canonicas horas eum non celebrasse, nec signo crucis se munisse professi sunt.

His auditis imperator, quia Romani ejus loquelam propriam, id est Saxonicam, intelligere nequibant, Luitprando Cremonensi episcopo præcepit, ut Latino sermone hæc Romanis omnibus quæ sequuntur exprimeret. Surgens itaque sic cœpit:

Luitprandus lib. 6. cap. 8.

Persæpe contigit, & nobis expertis credimus, ut in dignitatibus constituti invidorum infamia maculentur : displicet bonus malis, quemadmodum & malus bonis. Atque hoc rei est, quod hanc in papam accusationem, quam modo Benedictus cardinalis diaconus legit, & vobiscum fecit, amphibolam retinemus, incerti utrum e zelo justitiæ an impietatis livore proruperit. Vnde mihi indigno secundum concessæ dignitatis autoritatem, omnes obtestor per Deum, quem fallere, etsi vult, nemo potest, sanctamque ejus genitricem intemeratam

Otto dubitat an calumniose Ioannes sit accusatus.

A virginem Mariam, perque preciosissimum apostolorum principis corpus, in cujus hæc recitantur ecclesia, ut nulla in dominum papam jaculentur convicia, quæ non sint ab ipso patrata, atque a viris probatissimis visa.

ANNO CHRISTI 963.

Tunc episcopi, diaconi, clerus, & cunctus Romanorum populus, quasi vir unus, dixerunt : Si non & quæ per Benedictum diaconum lecta sunt, hisque turpiora & ampliora, Ioannes papa indigna commisit facinora, non nos a peccatorum vinculis absolvat apostolorum princeps beatus Petrus, qui verbo cælum indignis claudit, justis aperit : simus anathematis vinculo innodati, atque in die B novissima in sinistra parte positi cum eis qui dixerunt domino Deo : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Quod si fidem non adhibetis, exercitui domini imperatoris saltem debetis credere, cui ante quinque dies ense accinctus, clypeo, galea, lorica indutus occurrit. Solus Tiberis qui interfluxit, ne sic ornatus ab exercitu caperetur, impedivit.

Publica omnium conclamatio de facinoribus Ioannis.

Iob 21.

Mox sanctus imperator dixit : Tot sunt hujus rei testes, quot sunt nostro in exercitu bellatores. Sancta synodus dixit: Si placet domino imperatori, mittantur literæ domino papæ, ut adveniat, seque ex his omnibus purget. Tunc eidem sunt literæ destinatæ, quæ sic se habent.

C *Summo pontifici & universali domino Ioanni, Otto divina respectu clementiæ imperator Augustus, cum archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Franciæ, in domino salutem.*

Synodalis epistola ad Ioannem.

ROMAM ob servitium Dei venientes, dum filios vestros, Romanos scilicet episcopos, cardinales presbyteros, diaconos, & universam plebem de vestra absentia percontaremur, & quid causæ esset, quod nos ecclesiæ vestræ vestrique defensores videre noluissetis: talia de vobis, tamque obscœna protulerunt, ut si de histrionibus diceretur, nobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem vestram lateant omnia, quædam vobis sub brevitate describimus, quoniam si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret. D Noveritis itaque, non a paucis, sed ab omnibus tam vestri quam alterius ordinis, vos homicidii, perjurii, sacrilegii, & ex propria cognatione atque ex duabus sororibus incesti crimine esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum, diaboli vos in amorem vinum bibisse: in ludo aleæ, Iovis, Veneris, cæterorumque dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaque paternitatem vestram obnixe venire, atque ex his vos omnibus purgare non dissimuletis. Si forte vim temerariæ multitudinis formidatis, juramento nobis affirmamus, nihil fieri præter sanctorum canonum sanctionem. Data VIII. Idus Novembris.

E Hanc epistolam cum legisset, hujusmodi apologeticum scripsit :

Ioannes episcopus servus servorum Dei omnibus episcopis.

NOS audivimus dicere, quod vos vultis alium papam facere. Si hæc feceritis, excommunico vos de Deo omnipotenti, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, & Missam celebrare.

Que rescripserit Ioannes papa ad synodum.

Cum hæc epistola in sancta synodo legeretur, advenerunt qui prius defuerant religiosi a Lotharingia, Henricus Trevirensis archiepiscopus, ab Æmilia & Liguria VVido * Mutiensis, Gezo Tortonensis, Sigulphus Placentinus: quorum consilio domino papæ ita rescribunt :

*Mutinensis.

Alia epistola e synodo ad Ioannem papam.

Summo pontifici & universali papæ domino Ioanni Otto divinæ respectu clementiæ imperator augustus, sed & sancta Synodus Romæ ob servitium Dei congregata, in Domino salutem.

PRÆTERITA synodo quæ celebrata est VIII. Idus Novembris, literas vobis direximus, in quibus accusatorum vestrorum verba, atque accusationis causæ continebantur. Rogavimus etiam iisdem literis magnitudinem vestram, quemadmodum justum est. A vobis, non quales temporis qualitas, sed inconsultorum vanitas exposcit hominum, literas accepimus. Non veniendi ad synodum rationabilis esse excusatio debuit: sed & præsentes magnitudinis vestræ debuerunt nuntii interesse, qui aut ægritudinis, aut certe difficultatis causa, satisfacerent sanctam vos synodum declinasse. Est & aliud vestris in literis scriptum, quod non episcopum, sed puerilem ineptiam scribere deceret: excommunicastis enim omnes, ut non habeamus licentiam canendi missam, ordinandi ecclesiasticas dispositiones, si alium Romanæ sedi constitueremus episcopum; ita enim scriptum erat: Non habeatis licentiam ullum ordinare. Nunc usque putavimus, imo credimus, duo negativa unum facere dedicativum, nisi vestra autoritas priscorum sententias infirmaret autorum. Nos vero intentioni vestræ, non verbis, respondeamus. Si ad synodum venire & objecta purgare non differtis, autoritati vestræ procul dubio obediemus. Sed si, quod absit, venire, & objecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, cum præsertim vos venire nihil impediat, non maris navigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo: tunc excommunicationem vestram parvipendemus: eam potius in vos retorquebimus, quoniam quidem juste facere possumus. Iudas Domini nostri Iesu Christi proditor, immo venditor, cum cæteris prius ligandi atque solvendi potestatem a magistro in hæc verba accepit: *Amen dico vobis: Quæcumque ligaveritis super terram*, &c. (Matth. 18.) Quamdiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atque solvere valuit. Postquam vero cupiditatis veneno homicida factus vitam occidere voluit: quem postea ligatum solvere, solutum ligare potuit, nisi seipsum, quem infelicissimo laqueo strangulavit? Data X. Kalendas Decembris, & missa per Hadrianum cardinalem presbyterum, & Benedictum cardinalem diaconum.

Ioannes non inventus.

Qui cum ad Tiberim pervenissent, eum non invenerunt: pharetratus enim in campestria jam abierat: nec quisquam erat, qui, ubi ipse erat, indicare posset. Cumque eum invenire non possent, cum iisdem literis ad sanctam synodum, quæ tunc tertio est habita, sunt reversi.

Ottonis in Ioannem querelæ.

Mox imperator ait: Expectavimus adventum ejus, ut præsente eo quod nobis egerit quereremur. Verum quoniam eum non affuturum certo scimus, quam perfide nobiscum egerit ut diligenter agnoscatis etiam atque etiam flagitamus. Notum itaque vobis facimus archiepiscopis, episcopis, presbyteris, diaconis, reliquoque clero, necnon & comitibus, & judicibus, omnique plebi, quod idem Ioannes papa oppressus a Berengario atque Adelberto rebellibus nostris, misit in Saxoniam nuntios, rogans ut pro amore Dei in Italiam veniremus, & ecclesiam sancti Petri, & seipsum ex faucibus eorum liberaremus. Nos vero Deo adjuvante quantum fecerimus non est necesse dicere, ut impræsentiarum videtis. Ereptus vero mea opera ex eorum manibus, & honori debito restitutus, oblitus juramenti & fidelitatis quam mihi supra corpus sancti Petri promisit, eumdem Adelbertum Romam venire fecit, & contra me defendit, seditiones fecit, & videntibus nostris militibus dux belli factus, lorica & galea est indutus. Quid super hoc sancta synodus decernat, edicat.

Publica in Ioannem declamatio.

Ad hæc Romani pontifices, suffraganei scilicet episcopi, reliquusque clerus, & cunctus populus, dixerunt: Inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum: si corruptis moribus sibi soli & non cunctis obesset, quoquo modo tolerandus esset. Quot prius casti, hujus facti sunt imitatione incesti? quot probi, huius exemplo conversationis sunt reprobi? petimus itaque magnitudinem imperii vestri, monstrum illud nulla virtute redemptum a vitiis, a sancta Romana ecclesia pelli, aliumque loco eius constitui, qui nobis exemplo bonæ conversationis præesse valeat, & prodesse sibi: recte vivat, & bene vivendi nobis exemplum præbeat.

Tunc imperator: Placet, inquit, quod dicitis, nihilque gratius nobis, quam ut talis qui huic sanctæ & universali sedi præponatur, inveniri possit.

Leonis in Ioannis locum electio.

His dictis, omnes una voce dixerunt: Leonem venerabilem sanctæ Rom. ecclesiæ protoscriniarium, virum approbatum, ad summum sacerdotii gradum nobis in pastorem eligimus, ut sit summus & universalis papa Romanæ ecclesiæ, reprobato ob mores improbos Ioanne apostata. Cum hoc omnes tertio dixissent, annuente imperatore, nominatum Leonem ad Lateranense palatium, secundum consuetudinem, cum cardinalibus ducunt, & certo tempore in ecclesia sancti Petri ad summum sacerdotium sancta consecratione attollunt, & fideles se ei adfuturos jurejurando promittunt.

His ita gestis, sperans sanctissimus imperator cum paucis Romæ se degere posse, ne consumeretur Romanus populus ob multitudinem exercitus, multis ut redirent licentiam dedit.

NOTA SEVERINI BINII.

Hanc Pseudosynodum errasse probatur. Ratio 1.

Nullus unquam habitus est orthodoxorum conventus synodalis, in quo contra jus ecclesiasticum, sacros canones, & traditiones apostolicas, peccatum fuerit sæpius quam in hoc conciliabulo. Omnes episcopi in concilio Romano sub Symmacho publice contestati leguntur, quod contra pontificem, absque illius consensu, cogendi concilii facultatem nullam habeant. Illegitima est ergo hæc synodus, quæ in causa Ioannis papæ, quem episcopi hic congregati literis ad eum datis pro capite ecclesiæ venerati fuerunt, sine eius consensu & autoritate, indicta & congregata fuit. Secundo in concilio Suessionensi contra Marcellinum habito, requisitus est septuaginta duorum testium numerus: contra Ioannem in hoc patrum conventu præter accusatores vix unus testis productus fuisse legitur. (Ratio 2.) Tertio, ut minimum, ter vocari & citari debebat, cum in nullo concilio quisquam hæreticus ante tertiam citationem legatur fuisse condemnatus. (Ratio 3.) Quarto, nulla concessa est dilatio pontifici, quæ ne quidem vilissimo homuncioni unquam in judicio etiam externo & politico negata fuit. (Ratio 4.) Quinto, contra morem omnium conciliorum hactenus habitorum, petitum est ab imperatore, ut ille Romanum pontificem condemnet, qui nec clericum ullum condemnare debebat. (Ratio 5.) Sexto, sine ulla sententia abdicatus est Ioannes: & quidam Leo, quem octavum nominant, in locum illius subrogatus fuit: adeoque, quod omni juris ordini repugnat, ab executione processum inchoarunt. (Ratio 6.) Septimo, universa synodus eum judicare præsumpsit, qui a jurisdictione sua plane exemptus erat. In concilio sub Marcellino, & Romanis duobus sub Symmacho & Leone tertio, una vox episcoporum omnium erat ista: *Prima sedes non judicatur a quoquam.* Insigni ergo impudentia vel ignorantia hic patrum orthodoxorum conventus Romanum pontificem condemnavit, in quem nemo alius quam hæreticus vel schismaticus ullum sibi judicium hactenus usurpavit. (Ratio 7.) Accedit ad hæc, quod in epistola ad Ioannem (Ratio 8.)

ANNO CHRISTI 963.

nem scripta aperte profiteantur, idque exemplo Iudæ proditoris confirment, propter peccatum, clavium potestatem a pontificibus auferri, eosque tradita sibi a Deo ligandi atque solvendi facultate privari & destitui; quod hæreticum & erroneum esse nemo catholicus unquam negaverit. Præterea ab omni ecclesiastica consuetudine abhorret, quod Romanos pontifices sedis Romanæ suffraganeos appellant: quodque stultissime reprehendunt Ioannem, quod in sua responsione dixisset: *Non habeatis licentiam ullum ordinare.* Putantes enim ipsi, idem esse *ullum quod nullum*, summa cum ignorantiæ suæ proditione redarguerunt eum, quod duabus negationibus affirmasset illud idem quod prohibere intendebat. Ad extremum non est silentio prætereunda præpostera illa nomenclatura, qua contra morem majorum, inverso penitus loquendi usu, imperatorem, sanctissimum; & pontificem, magnum nominant: cum ante sententiam, consuetos honorum titulos nemini adimere liceret: prout in actis magnæ Calchedonensis synodi factum apparet Nestorio, qui quamvis heresiarcha accusatus & convictus esset, nunquam tamen eum, nisi post prolatam sententiam, patres desierunt reverendissimum & sanctissimum nominare.

[…]atio 9.

[…]atio 10.

Cum ergo propter tot nullitates, quas vocant, in hoc judicio commissas, nulla sit sententia, sitque nullum & irritum judicium cum omnibus actis quæ in eo gesta fuerunt: nullam & plane irritam esse oportet abdicationem Ioannis, & subrogationem alterius, qui vero pontifici adhuc viventi, nulloque jure abdicato, suffectus fuit. Tollatur igitur & explodatur e numero & ordine pontificum Leo ille schismaticus, quem scriptores infiniti numeri octavum ejus nominis Ioanni XII. subjungunt, omissoque Benedicto V. tamquam sedis invasore illegitimo, Ioanni XIII. anteponunt.

[…]o VIII. […]umero […]ntificum […]mēdus.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM, IN CAVSA NICEPHORI IMPERATORIS orientalis habitum anno domini DCCCCLXIII. tempore Ioannis papæ XII.

ANNO CHRISTI 963.

DEFVNCTIS hoc anno duobus in oriente imperatoribus, Leone, ejusque filio Romano, acclamatus fuit ab exercitu successor imperii Nicephorus Phocas victoriis clarissimus. Coronatus a Polyeucto patriarcha Constantinopolitano, voluit in uxorem accipere Theophanem relictam Romani imperatoris defuncti viduam. Qua de causa cum illi Polyeuctus resisteret, tum quod non liceret ei absque quadam pœnitentia secundam uxorem ducere; tum etiam quod filium Theophanes in baptismate suscepisset: convocata est hæc synodus, ejusque sententia indultum (crimen enim quod illi objiciebatur probari non poterat) ut prædictæ Theophani connubio legitimo jungeretur. *Hæc Curopalates.*

[…]casio […]ncilii.

[…]usa & […]a con[…]ii.

CONCILIVM ROMANVM, AVTORITATE IOANNIS PAPÆ congregatum, quo Leo schismaticus pseudopapa esse declaratur, actaque præcedentis conciliabuli Romani reprobantur, anno domini. DCCCCLXIV.

ANNO CHRISTI 964.

ANNO domini nongentesimo sexagesimo quarto, domini Ottonis imperatoris tertio, indictione septima, habitum est concilium in ecclesia beati Petri apostolorum principis, v. Kalendas Martii, hoc est mense Februarii die vigesima sexta, indictione VII. Positis in medio sacrosanctis Christi quatuor euangeliis, præsidente piissimo & coangelico domno Ioanne summo pontifice, sacræ Romanæ ecclesiæ duodecimo papa, in venerabili basilica ejusdem, præsidentibus etiam cum eo reverendissimis episcopis, videlicet Ioanne Gallesianæ ecclesiæ episcopo, item Ioanne ecclesiæ Anagniæ episcopo, Ioanne item Narniensis ecclesiæ episcopo, Ioanne Numentanæ ecclesiæ episcopo, item Ioanne ecclesiæ Verulensis episcopo, VVidone sanctæ Silvæ candidæ ecclesiæ episcopo,

A Gregorio sanctæ Albanensis ecclesiæ episcopo, Lunisso sanctæ ecclesiæ Lavicanensis episcopo, Romano sanctæ ecclesiæ Ferentinatis episcopo, Sabbatino sanctæ ecclesiæ Ferrariensis episcopo, Zachæo sanctæ ecclesiæ Gentianæ episcopo, Ioanne * Matturanensis ecclesiæ episcopo, item Ioanne Sabinensis ecclesiæ episcopo, item Ioanne sanctæ Nepesinæ ecclesiæ episcopo, Benedicto sanctæ Trevicensis, Ioanne sanctæ Salernitanæ ecclesiæ episcopo, seu venerabilibus presbyteris, Stephano archipresbytero tituli sanctorum Nerei & Achillei, Leone presbytero tituli sanctæ Balbinæ, Domino presbytero tituli sanctæ Anastasiæ, Petro presbytero tituli sancti Laurentii, B Hadriano presbytero tituli sanctæ M[…]næ. Theophylacto presbytero tituli sancti Chrysogoni, item Theophylacto presbytero tituli sanctorum quatuor Coronatorum, Ioanne presbytero tituli sanctorum Silvestri & Martini, Stephano presbytero tituli sanctæ Sabinæ, Benedicto presbytero, tituli sancti Sixti, Ioanne presbytero tituli sanctæ Cæciliæ, Hadriano presbytero tituli sancti Laurentii in Lucina. Astantibus diaconis, videlicet Benedicto archidiacono, item Benedicto diacono, Bonfilio diacono, seu reliquis astantibus.

ANNO CHRISTI 964.

* Mantuanensis

ACTIO PRIMA.

C Ioannes piissimus ac sanctissimus sanctæ Romanæ ecclesiæ papa dixit: Scitis dilectissimi fratres, me fuisse expulsum imperiali vi a propria sede per duos menses. Quapropter vos plurimum rogo, si dici potest regulariter synodus illa quæ habita est me absente in ecclesia mea, quarto videlicet Decembris, ab Ottone imperatore suisque archiepiscopis atque episcopis, an non? Sanctum concilium respondit: Prostibulum favens adultero, invasori scilicet alienæ sponsæ, nempe Leoni intruso. Piissimus ac sanctissimus papa dixit: Ergo damnanda est a nobis? Sanctum concilium respondit: Autoritate sanctorum patrum damnanda. Tunc piissimus ac sanctissimus papa damnavit eam in perpetuum, cum eorumdem episcoporum consona re- D sponsione.

Concilium schismaticorũ damnatur.

Post hæc autem interrogavit idem papa sanctum concilium, dicens: Dicite, dilectissimi fratres, si episcopi a nobis ordinati, in nostro patriarchio ordinationem facere potuerunt, an non? Sanctum concilium respondit: Minime. Piissimus ac sanctissimus papa dixit: Quid censetis de Sicone episcopo a nobis dudum consecrato, qui in nostro patriarchio Leonem curialem & neophytum atque perjurum nostrum, jam ostiarium, lectorem, acolytum, subdiaconum, diaconum, atque subito presbyterum ordinavit, eumque sine aliqua probatione contra cuncta sanctorum patrum statuta in nostra apostolica sede consecrare non formidavit? E Sanctum concilium respondit: Deponatur ipse qui ordinavit, & qui ab eo est ordinatus. Piissimus atque sanctissimus papa dixit: Nescitur ubi latet. Sanctum concilium respondit: Requiratur diligenter, si placet, usque ad tertium conventum. Quod si minime repertus fuerit, canonica feriatur sententia. Piissimus ac sanctissimus papa dixit: Placet.

De ordinatoribus Leonis schismatici.

Tunc sanctissimus papa consuluit concilium, dicens: Quid igitur, reverendissimi fratres, sancitis de istis duobus episcopis a nobis ordinatis, Benedicto scilicet Portuensi, & Gregorio Albanensi, qui super præfatum curialem, & neophytum atque perjurum nostrum orationes dederunt? Sanctum concilium

ANNO CHRISTI 964.

concilium respondit: Simili pœna mulctentur, A sed vestræ interim relinquantur potestati usque ad tertium conventum. Piissimus ac sanctissimus papa dixit: Quid ergo de illo curiali & neophyto, perjuro atque invasore nostræ sedis censetis? Sanctum concilium respondit: Omnino damnetur, ut nullus deinceps curialium aut neophytorum, aut judicum, aut publice pœnitentium, ad summum ecclesiæ gradum aspirare præsumat. Tunc piissimus ac sanctissimus papa dixit: Sit Leo curialis ac neophytus ac perjurus noster, domini omnipotentis ac beatorum apostolorum principum Petri & Pauli, & omnium simul sanctorum, atque venerandorum & universalium conciliorum autoritate, necnon & Spiritus sancti per nos judicio, omni sacerdotali honore & nomine alienus, & omni clericatus officio prorsus exutus. Ita ut si post hanc constitutionem divina inspiratione depromptam, & unanimitate atque concordia sancti concilii promulgatam, tentaverit in apostolico throno residere, aut si ulterius ausus fuerit aliquid de sacro ministerio more sacerdotis contingere juxta præcedentem consuetudinem, nullo modo liceat ei communionis spem aut locum habere satisfactionis, sed anathematis vinculis innodatus maneat una cum sociis suis atque fautoribus perpetuo, Dei per nostram mediocritatem judicio ac sententia, & sacrum corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi non nisi vicino mortis periculo omnino percipiat. Quicumque autem prædicto curiali & neophyto atque invasori sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ consilium aut adjutorium dederit ad percipiendum ecclesiasticum honorem, quo regulariter expoliatus est, anathema sit. Piissimus atque sanctissimus papa dixit: Quid sentitis de iis qui ab eo ordinati sunt? Sanctum concilium respondit: Priventur honore quem ab ipso acceperunt. Tunc idem benignissimus papa præcepit ingredi eos in concilium cum vestimentis, planetis, atque stolis, & unumquemque eorum in chartula scribere fecit hujusmodi verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit. Et sic eos exutos privavit honore quem dederat eis ipse invasor & neophytus atque curialis, & revocavit eos in pristinum gradum.

Leo schismaticus damnatus.

B

De ordinatis a schismatico

C

ACTIO SECVNDA.

Ioannes piissimus atque benignissimus papa dixit: Recordari credimus vestram dilectionem, qualiter de Sicone refuga episcopo, hesterno die definitum est in præsentia vestra, ut diligenter inquireretur: sed plurimum quæsitus inveniri non potuit. Nunc decernite quid agendum sit de eo. Sanctum concilium respondit: Suspendatur ejus damnatio, si placet, usque in tertium concilium. Piissimus ac mitissimus papa dixit: Fiat secundum vestram sanctionem.

Tunc convocavit episcopos, Benedictum Portuensem & Gregorium Albanensem, qui super ipsum neophytum orationes dederant. Et fecit tenere eos chartulas in manibus, continentes hæc verba: Ego Benedictus episcopus sanctæ Portuensis ecclesiæ, vivente patre meo consecravi in loco ejus Leonem curialem & neophytum atque perjurum illius, contra statuta sanctorum patrum. Ego Gregorius episcopus sanctæ Albanensis ecclesiæ, vivente patre meo consecravi in loco ejus Leonem curialem & neophytum atque perjurum illius, contra statuta sanctorum patrum. Post hæc autem piissimus atque sanctissimus papa consuluit concilium, dicens: Quid agendum sit de his dicite.

Sententia in ordinatores schismatici.

Sanctum concilium respondit, dicens: Suspendantur & isti, si placet, usque ad tertium concilium.

Tunc idem piissimus ac sanctissimus papa consuluit iterum concilium, dicens: Quid censetis, dilectissimi fratres, de his qui præfato neophyto precium accommodaverunt ad * tuendam gratiam Dei quæ vendi non potest? Sanctum concilium respondit: Si episcopus fuerit, aut presbyter, aut diaconus, proprii gradus periculo subjaceat: si vero monachus aut laicus, anathematizetur. Benignissimus atque sanctissimus papa dixit: Recte judicastis. Idem sanctissimus papa dixit: Dicite, quæso, quid agendum sit de abbatibus nostris qui supradictæ damnatæ synodo interfuerunt. Sanctum concilium respondit: Hi autem vestro relinquantur judicio, in cujus potestate consistunt. Piissimus atque sanctissimus papa dixit: Potest aliquis vendere suum ecclesiasticum gradum cuiquam, an non? Sanctum concilium respondit: Minime, quoniam neque vendi, neque emi ab aliquo potest. Benignissimus atque sanctissimus papa dixit. Hoc etiam statuite, ut numquam minor majori suo gradum tollere præsumat; si autem fecerit, communione privetur usque ad emendationem. Simili modo statuite, ut monachi in locis quibus sæculo renuntiaverunt habitent; sin alias fecerint, revocentur ad loca quæ dimiserint, aut communione priventur, donec resipuerint. Sanctum concilium dixit: Statutum atque confirmatum hoc nobis maneat.

* obtinendum

Sententia in schismaticos.

ACTIO TERTIA.

Ioannes piissimus atque sanctissimus papa dixit: Reverendissimi fratres, domino protegente, jam ad tertium venimus concilium: modo finite de Sicone episcopo ordinatore ipsius neophyti quid agendum sit: nam a nostris diu quæsitus, sed minime inventus est. Sanctum concilium respondit: Canonico mucrone feriatur. Tunc benignissimus atque sanctissimus papa dixit: Siconem, qui sanctæ Ostiensi ecclesiæ, irregulariter atque Deo contempto, præfuit, & Leonem curialem & laicum, necnon & perjurum nostrum, subito consecrare in pontificali honore non formidavit, sancimus, & juxta canonicam deliberationem apostolica autoritate definimus atque statuimus, omni sacerdotali carere atque privatum fore ministerio: ita ut nullo modo liceat ei, in qualibet synodo, restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. Quod si de reliquo præsumpserit in sacro officio more sacerdotis quovis tempore ministrare, anathema sit. Et omnes communicantes ei ab ecclesia abjiciantur; sed & ipsi anathema sunto. Eos vero quos ipse Leo neophytus & invasor sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ in quolibet ecclesiastico ordine provexit, apostolica atque canonica autoritate & synodali decreto in pristinum revocamus gradum, quia ordinator eorum nihil sibi habuit, nihil illis dedit. Sicuti olim noster prædecessor piæ memoriæ papa Stephanus sententiam tulit de iis qui ordinati fuerant a Constantino quodam neophyto & invasore sanctæ sedis apostolicæ, & postmodum quosdam eorum sibi placabiles presbyteros aut diaconos consecravit, statuens ut hi qui ab eo consecrati erant numquam ad superiorem honorem ascenderent, nec ad pontificatus culmen promoverentur, ne talis impiæ novitatis error in ecclesia pullularet.

Sententia in Siconem episcopum Ostiensem.

D

E

Piissimus atque sanctissimus papa dixit: Et hoc nefarium est: statuite, si placet, dilectissimi fratres, ut in

Canones sanciti in hac synodo.

ANNO CHRISTI 964.

A ut in circuitu altaris, aut in presbyterio, nullus laicorum stare præsumat, quoties Missarum solennia celebrantur: quod si fecerit quis, communione privatus maneat usque ad emendationem. Sanctum concilium respondit: Hoc quoque omnibus placet. Secuta subscriptio.

Ioannes sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ episcopus, huic decreto a nobis, ut supra legitur, promulgato subscripsi.

Et sic cæteri præfati episcopi fecerunt: & finis impositus est præsenti concilio.

NOTA SEVERINI BINII.

rgumen- m acto- m syno- lium ex geberto.

B De hac synodo Sigebertus, qui acta synodalia legisse visus est: dum ea summatim refert in chronico, hæc ait: *Ioannes synodo collecta Leonem deposuit, & ejus gesta cassavit: statutum quoque est publico omnium judicio synodum a Leone habitam nec nominandam synodum, sed prostibulum fautris adulteris* (ita Leonem nominabat, quod is Romanam ecclesiam alteri desponsatam invasisset) *Quicumque eo ordinante erant damnati, jussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta hæc continente verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit: & sic depositi remanserunt in illis gradibus quos habuerant non a Leone ordinati. Si qui autem digni judicantur, ut non accepta prius consecratione ordinentur, indicto illis eodem decreto quod & damnato a Constantino neophyto.* Hæc Sigebertus.

o VIII. eudo- ntifex.

Tollatur ergo & explodatur e numero verorum pontificum pseudopontifex & antipapa schismaticus; iterum clamo, tollatur: facessat illorum qui post hæc tempora vixerunt, & pseudoleonem inter legitimos sacræ Romanæ C ecclesiæ pontifices numerarunt, inscitia: damnetur vero illorum qui ista tunc perpetrarunt, occasionemque errandi posteris dederunt, temeritas, & in sacerdotibus non toleranda vel excusanda sacrorum canonum ignorantia, & antiquarum traditionum ecclesiasticarum imperitia. Imperatoris autem factum excusetur verbis Apostoli dicentis: *Testimonium illis perhibeo quod zelum habent, sed non secundum scientiam.* (m. 10.) Nimis enim leviter existimabant, una cum moribus depravatis minui atque penitus tolli Romani pontificis autoritatem. Quod cum erroneum sit, ut supra notavi, sitque ab hæreticis Donatistis olim cum periculo totius ecclesiasticæ œconomiæ disseminatum: nemo sane prudens defenderit, quod Ioannes pontifex ob vitam non satis integram, per conciliabulum Ottonis imperatoris autoritate collectum, recte & legitime depositus, & Leo ejus nominis octavus eidem juste subrogatus fuerit.

fellitur jectio.

Si dicas Leonem hunc communi scriptorum sententia & consensu inter Romanos pontifices numerari, Leonem- D que octavum nominari, adeoque temerarium esse, qui ab ista vulgari opinione dissentit: respondeo, scriptorum errorem veritati nihil præjudicare potest. Nam sicut canis aliquis Leonis nomine insignitus, vel etiam in numerum leonum relatus, per solam nominationem vel numerationem, canis naturam non immutaret, neque leo esse inciperet: ita non incipiet esse verus Leo pontifex ejus nominis octavus, quem errantium scriptorum communis sententia inter pontifices veros numerat, & Leonem octavum nominat. Ab eo enim quod res est vel non est, rectissime, inquit Aristoteles, oratio vera est vel falsa. Simili censura perstringatur quidquid de juribus vel constitutionibus hujus pseudopapæ inconsiderate nimis suo more Gratianus, & ignoranter Crantzius, scripserunt locis quæ infra in notis Pseudosynodi Lateranensis sub Benedicto V. assignabimus.

ratianus Crant- us redar- untur.

CONCILIVM BRANDANFORDIÆ E

ANNO CHRISTI CIRCITER 964.

AD EDGARO REGE CONVOCATVM, IN quo Edvvini regis decreta rescinduntur, ablata ecclesiæ restituuntur, & Dunstanus ab exilio revocatur.

Osburn. & Malmsb.

NON *occurrunt in concilio, actorum formulæ: breviter autem sic notantur in antiquitatibus Britannicæ ecclesiæ cap. 13* Interea Mercii & Norrenses, ac inter Humbrum & Thamesim mediterranei, in regem Edvvinum arma capiunt. A quibus autem hic tumultus motus fuerat, monachi caute omittunt. In hoc tumultu Edgarus regis frater regni partem obtinet. Hi multis utrimque illatis præliis, regni vires labefactarunt: sed Edgarus tandem potior, convocato ad Bandanfordia regni concilio, fratris Edvvini acta & decreta rescindit, ablatas ecclesiis & monasteriis opes restituit, Dunstanumque ab exilio ad pristinum honorem revocat, deinde ad episcopatum VVigornensem, nolentem, ut ajunt, & volentem promovit, postea ad Londinensem tandem, biennio vix transacto ad Cantuariensem archipræsulatum.

PRIVILEGIVM QVO REX EDGARVS
confirmat Dorobernensem ecclesiam matrem esse & dominam aliarum ecclesiarum regni sui.

Datum anno 959. sed hic occasione superioris concilii collocatum.

ANNO dominicæ incarnationis 958. * ego nempe Edgarus rex Anglorum, divinaque concedente clementia monarchus, regum antiquorũ Ethelberti & successorum illius, ac archiepiscoporum Brythvvaldi & Athelardi statuta, & privilegia monasteriorum Kancegenum, cum venerabilis archipontificis Dunstani consultu atque consilio, ad maledictionem impiorum raptorum, immo magis Deo favente ad benevolentiam justorumque benedictionem, æterna conclusione renovamus, & in domino summo roboramus, statuentes,

* Cor 959.

Vt ecclesia Christi in Dorobernia aliarum ecclesiarum regni nostri mater sit & domina, & cum suis omnibus perpetualiter sit ubique libera præter expeditionem, pontis, & arcis constructionem.

VITA BENEDICTI PAPÆ V.

ANNO CHRISTI 964.

BENEDICTVS ex Romanæ ecclesiæ diacono, totius cleri & populi Romani unanimi consensu in locum Ioannis XII. defuncti electus est anno domini 964. tempore Ottonis & Nicephori imperatorum. Quo facto, cum Romani proceres contra datam fidem juramento firmatam egissent, Otto imperator, inquit Luitprandus, collecta undique secum fidelium suorum multitudine Romam adiit, & firma eam omni parte obsidione, ne quis pateret exitus, munivit. Cives vero hortatu Benedicti pontificis valde animati, obsidionem tamdiu sustinuerunt: donec fame constricti, ad urbis deditionem cogerentur. Post urbem captam, Benedicto Hamburgum relegato, in sedem ejus pseudopontifex Leo quidam ejus nominis octavus elevatur, pseudosynodus indicitur, vanæque constitutiones decernuntur. Quibus peractis discessit ab urbe imperator; sed Dei vindicis pœnam non evasit: nam ob sacrilegium quod hac in re commiserat, tanta exercitum ejus, ut habet appendix Reginonis, pestis & mortalitas invasit, ut vix sanus quis a mane usque ad vesperam, & a vespera usque ad mane se victurum speraret.

Benedictus obiit in exilio anno domini 965. titulo ac honore martyrii condecoratus instar Pontiani & Martini pontificum, qui ob gloriosam Christi confessionem pro nomine ejus exilium aliasque injurias ac contumelias sustinuerunt. Ossa ejusdem Benedicti, Ditmaro apud Reginonem attestante, Romam relata fuerunt. Hunc scriptorum alii velut injuste intrusum omittunt, alii Leoni schismatico & antipapæ eumdem anteponunt; sed

Benedictus martyr.

Benedictus a quibusdam chronographis e numero pontificum male eximitur.

ANNO CHRISTI 964.

sed utramlibet harum sententiam tuentes falluntur. Nam ex iis quę supra dixi, manifeste constat, Leonem nunquam nisi pseudopontificem & antipapam fuisse, indignum qui nomine pontificio condecoratus in numerum eorumdem referatur.

CONCILIABVLVM ROMANVM,

Quo per Leonem Antipapam, & sedis apostolicæ invasorem schismaticum, Benedictus papa V. exautoratur, & Hamburgum relegatur anno domini DCCCCLXIV. *sub Ottone & Nicephoro Phoca imperatoribus.*

Luitprand. lib. 6. c. 11.

RESIDENTIBUS itaque domno Leone summo & universali papa in ecclesia Lateranensi, necnon & imperatore sanctissimo Ottone, & episcopis Romanis, Italicis, a Lotaringia & Saxonia, archiepiscopis, presbyteris, diaconis, omnique Romanorum plebe, quorum nomina superius* adscribuntur, advenit Benedictus apostolicæ sedis invasor, eorum qui se elegerant manibus adductus, pontificalibus vestibus indutus. Quem Benedictus cardinalis archidiaconus tali est sermone aggressus: Qua tibi autoritate, quave lege, o invasor, hæc pontificalia indumenta usurpasti, superstite hoc præsente domno nostro venerabili papa Leone, quem tu nobiscum, accusato & reprobato Ioanne, ad apostolatus culmen elegisti? Num inficiari potes, præsenti domino imperatori juramento promisisse, nunquam te cum cæteris Romanis papam electurum, aut ordinaturum, absque illius filiique sui regis Ottonis consensu?

* Nimirum cap 8 ejusdem libri Luitprandi.

Benedictus respondit: Si quid peccavi, miseremini mei. Tunc imperator, effusis lacrymis, quam misericors esset ostendens, rogavit synodum, ne Benedicto præjudicium fieret: si vellet, & posset, ad interrogata responderet; quod si non posset, aut nollet, ac se culpabilem redderet, tamen pro timore Dei misericordiam aliquam inveniret. Quo audito, ad domni Leonis papæ pedes, ipsiusque imperatoris, idem Benedictus concite procidens, se peccasse, seque sanctæ Romanæ sedis invasorem esse acclamavit. Post hæc pallium sibi abstulit, quod simul cum pontificali ferula, quam manu gestabat, domino papæ Leoni reddidit, quam ferulam idem papa fregit, & fractam populo ostendit. Deinde Benedictum in terra sedere præcepit: cui casulam, quam planetam vocant, cum stola pariter abstulit. Post autem omnibus episcopis dixit: Benedictum sanctæ & apostolicę sedis Romanæ invasorem omni pontificatus & presbyteratus honore privamus: ob eleemosynam vero domini imperatoris Ottonis, cujus sumus opera in sedem debitam restituti, diaconatus eum ordinem habere permittimus, & non jam Romæ, sed in exilium destinamus.

Benedictus papa exautoratur.

NOTA SEVERINI BINII.

An Luitprandus hujus concilii acta viderit, & usus eis fuerit.

Hæc acta extant libro 6. capite 11. illius autoris, qui Luitprandus male inscribitur, quique ut anterioribus capitibus in Ioannem XII. ita & multo magis in Benedictum se iniquum ostendit, & plusquam oportebat (ut testantur scriptores Germaniæ) Ottoni favit. Non tantum ipse graviter erravit, verum etiam a iis errandi viam satis amplam aperuit vivificans, ut ait propheta, eos qui non vivunt, & interficiens eos qui non moriuntur: dum quos judicare non potuit synodus, condemnatos abjicit; & quem alio vivente ipsa eligere non potuit, nec debuit, Leonem VIII. velut legitimum colendum exhibuit. Apud Gratianum inconsiderate nimis hæc aliaque his similia tractantem distinctione 63. sub nomine & titulo hujus pseudosynodi Romanæ Canon 23. reperitur, quo profitetur Leo pseudopapa octavus ejus nominis, se de electione Romanorum pontificum, aliorumque episcoporum imperii, idem jus eamdemque potestatem Ottoni imperatori concedere, quam facultatem Hadrianus secundus Carolo imperatori olim per privilegium attribuerat. Sed cum supra in notis ad vitam Hadriani II. copiose ostenderim, totum illud quod de jure eligendi & investiendi episcopos Carolo imperatori concesso Sigebertus in gratiam Henrici imperatoris scripsit, fabulosum esse commentum: iisdem rationibus detegitur impostura hujus privilegii, quod Gratianus per Leonem octavum Ottoni imperatori collatum suo more fabulatur. Cum enim ad exemplum Hadriani hanc gratiam imperatori a Leone fuisse concessam scribat: nihil illi collatum profitetur, quoniam Hadrianus, ut supra probavi, horum jurium nihil Carolo unquam obtulit. Quæ si non sufficiant, addimus alia adhuc esse plura, quibus eadem constitutio manifestæ falsitatis arguitur. Primum illud, quod Otto jam supra a Ioanne XII. imperator consecratus, hic rex atque patricius constituatur; quasi cum imperio non fuerit eidem regia & patricia potestas concessa. Præterea quod illic in fine legitur, ut ultimo afficiatur supplicio, si quis ejus constitutionis transgressor inveniatur. Quantopere autem illud a Romanorum pontificum constitutionibus, quarum violatoribus irrogatur non pœna mortis, sed anathematis dumtaxat, vel suspensionis, aliaque ecclesiastica censura, abhorreat, quisquis harum pauculas legerit, facile intelliget. Addo ad extremum, etiamsi hæc constitutio vere contigisset, nullius tamen roboris esset, quod non e legitimo papa, sed schismatico quodam pseudoleone & antipapa promulgata fuerit. Simili censura perstringatur illa Leonis VIII. apud Crantzii metropolim libro 4. cap. 10. recitata, qua profitetur ipse pseudopontifex se Ottoni imperatori restituere, quæcumque ipsum Romanum occidentale imperium antehac possedisset, atque ecclesiæ Romanæ donasset. Imposturam illius deteges, si promulgatæ constitutionis tempus cum tempore advenientis Ottonis in urbem conferas, & si nomina subscriptorum episcoporum, cum nominibus episcoporum eorum qui Romano conciliabulo sub Ioanne XII. interfuerunt, compares. Item ex eo commentitiam fuisse probaveris, quod profiteatur se etiam restituere ea quæ Romana ecclesia dono acceperat a Iustiniano, qui Silverii & Vigilii persecutor potius quam remunerator existens, ne unam quidem glebam Romanæ ecclesiæ contulisse alibi legitur. Sicut ergo præcedentes constitutiones probantur excogitatæ & effictæ ab iis qui tempore schismatis ipsis schismaticis imperatoribus adhærebant: ita probabile est, hanc constitutionem ab iisdem excogitatam esse. *Sed Deo gratias*, anno 964. ait Baronius, *quod impostor insulsus, ineptus, stolidus, talis extiterit, qui adeo affectata mendacia vestire nescivit, sed opprobrio sempiterno nudata deridenda reliquit.*

Ezech. 1[3]

Ius eligendi episcopos Germaniæ nullus pontifex Carolo vel Ottoni magno concessit.

An Leo VIII. dona Romanæ ecclesiæ collata restituerit?

EDGARI REGIS ANGLORUM CHARTA DE OSVVALDES-LAV. hoc est.

ANNO CHRISTI 964.

De eyciendis clericis uxoratis & introducendis monachis.

ALTITONANTIS Dei largiflua clementia, qui est rex regum & dominus dominantium, ego Edgarus Anglorum basileus, omniumque regum insularum Oceani quæ Britanniam circumjacent, cunctarumque nationum quæ infra eam includuntur, imperator & dominus, gratias ago ipsi Deo omnipotenti regi meo, qui meum imperium sic ampliavit & exaltavit super regnum patrum meorum, qui licet monarchiam totius Angliæ adepti sint, a tempore Æstelstani, qui primus regum Anglorum omnes nationes quæ Britanniam incolunt sibi armis subegit: nullus tamen eorum ultra ejus fines imperium suum dilatare aggressus est. Mihi autem concessit propitia diuinitas, cum Anglorum imperio omnia regna insularum Oceani cum suis ferocissimis regibus usque Norvegiam, maximam partem Hiberniæ, cum sua nobilissima civitate Dublina, Anglorum regno subjugare: quos etiam omnes meis imperiis colla subdere, Dei favente gratia, coëgi.

Æthelstanus primus monarcha Angliæ. Edgarus ultra dominatur.

Quapropter & ego Christi gloriam & laudem in

in regno meo exaltare, & ejus servitium amplificare, devotus disposui: & per meos fideles fautores, Dunstanum videlicet archiepiscopum, & Athelvvoldum ac Osvvaldum episcopos (quos mihi patres spirituales & consiliatores elegi) magna ex parte, secundum quod disposui, perfeci, &c. A

Monasteria pene deleta per totam Angliam reficit.

Si quidem temporibus antecessorum meorum regum Anglorum, monasteria, tam monachorum quam virginum, destructa, penitus rejecta in tota Anglia erant: quæ ego ad Dei laudem pro remedio animæ meæ reparare, & servorum & ancillarum Dei numerum multiplicare devovi. Et ipsis supradictis meis cooperatoribus strenue annitentibus, jam quadraginta & septem monasteria cum monachis & sanctimonialibus constitui: & si Christus vitam mihi tamdiu concesserit, usque ad quinquagessimum * remissionis numerum, meæ devotæ Dei munificentiæ oblationem protendere decrevi. B

Constituit 47. monasteria, & quinquagesimum spondet.

* id est, jubilæi.

Osvvaldus episcopus clericos uxoratos ejicit VVigornia.

* Al. Suffultus.

Rex hoc confirmat immutabiliter.

Vnde nunc in præsenti monasterium, quod prædictus reverendus episcopus Osvvaldus, in sede episcopali VViogreceastere, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ amplificavit, & eliminatis clericorum næniis & spurcis lasciviis, religiosis Dei servis monachis meo consensu & favore* consultus locavit: ego ipsis monasticæ religionis viris regali autoritate confirmo, & consilio & astipulatione principum & optimatum meorum corroboro & consigno. Ita ut jam amplius non sit fas neque jus clericis reclamandi quidquam inde: quippe qui magis elegerunt, cum sui ordinis periculo & ecclesiastici beneficii dispendio, suis uxoribus adhærere, quam Deo caste & canonice servire. Et ideo cuncta quæ illi de ecclesia possederunt, cum ipsa ecclesia, sive ecclesiastica, sive sæcularia, tam mobilia quam immobilia, ipsis Dei servis monachis ab hac die perpetualiter regiæ munificentiæ jure deinceps possidenda trado & consigno, ita firmiter, ut nulli principum, nec etiam ulli episcopo succedenti, fas sit aut licitum quidquam inde subtrahere, aut pervadere, aut ab eorum potestate surripere, & in clericorum jus iterum traducere, quamdiu fides Christiana in Anglia perduraverit, &c. C D

Datio.

Facta sunt hæc anno dominicæ incarnationis DCCCCLXIV. indictione VIII. regni vero Edgari Anglorum regis sexto, in regia urbe quæ ab incolis .. .. nominatur; in natali domini, festivitate sanctorum innocentium, feria quarta.

SVBSCRIPTIONES.

Ego *Eadgar* basileus Anglorum, & imperator regum gentium, cum consensu & principum & archiepiscoporum meorum, hanc munificentiam signo crucis corroboro.

Ego *Ælfrith* regina consensi, & signo crucis confirmavi.

Ego *Dunstan* archiepiscopus Dorobernensis ecclesiæ Christi consensi & subscripsi. E

Ego *Oscitel* archiepiscopus Eboracensis ecclesiæ consensi & subscripsi.

Ego *Alferic* dux.

Ego *Bruthnod* dux.

Ego *Aridgari* dux.

VITA ET EPISTOLA IOANNIS PAPÆ XIII.

ANNO CHRISTI 965.

Ioannes XIII quando papa factus?

IOANNES Narniensis episcopus, post obitum Leonis pontificis pseudopapæ (vivente, an defuncto Benedicto quinto, incertum) factus est pontifex anno Domini 965. temporibus Ottonis & Nicephori Phocæ imperatorum. Qui cum initio pontificatus optimates Romanorum acrius fortasse quam oportebat insequeretur, eorum monitu ab urbis præfecto captus, relegatus est in Campaniam. Sed dum imperatori Ottoni hæc innotuissent, ad vindicandam injuriam pontifici illatam, ipse in Italiam profectus est, restitutoque Ioanne, de illius hostibus vindictam sumpsit istam. Præfectum urbis viventem curavit denudari, impositumque asino & utre redimitum, ad ludibrium circumduci, virgisque cædi, ac demum carceribus mancipari: cadaver defuncti præfecti, a quo Ioannes papa urbe ejectus erat, e sepulcro extractum in diversa loca distrahi ac dissipari præcepit. *Regino.* Ad conversionem Polonorum Ægidium Tusculanum episcopum legatum a latere misit, data illi potestate regem Mieziflaum, qui per connubium Christianæ uxoris Dambronuuchæ Bohemorum primi ducis filiæ conversus erat, in fide cum populo stabiliendi, episcopatus erigendi, eaque faciendi quæ ad totius regni conversionem populique instructionem pertinere videntur.

Per Ottonem ab exilio liberatur.

Polonos & VVandalos ad fidem Christi convertit.

Idem ad convertendos VVandalos, VVillibaldum, Prochorium, aliosque viros doctissimos emisit: qui & Meisconem monarcham (verba Stanislai Orichovii apud Sanderum de visibili monarchia num. 695. refero) & genus nostrum illi subjectū „ sacri baptismatis undis ab originali culpa abluerent, „ & ex civitate diaboli ablutos & mundatos in civitatem Dei transferrent, in Christique ecclesiam ducarent: quod etiam factum est. Nam illi viri sanctissimi VVandaliam (sive tu malis Poloniam dici) ingressi prædicabant nobis Christum & gratiam ejus, qua nos in communionem suorum Deus convocaverat, celebrabant: homines turmatim ad flumina confluentes baptizabant: idola ex VVandalia exterminabant. „ Ottonē juniorem magni illius Ottonis filiū imperatorem coronavit. Roma cum imperatore Capuam profectus, Capuensem ecclesiam, eo quod se Roma fugatum honorifice excepisset, digneque habuisset, & ab insidiis Pandulphi principis Capuani fideliter custodivisset, archiepiscopatus dignitate gratitudinis ergo insignivit. His peractis contigit, cum ad urbem revertisset, primariam Lateranensis ecclesiæ campanam, miræ magnitudinis, recens fusam, super campanile elevari, quam primum idem pontifex sacris ritibus Deo consecravit, atque nomine Ioannis Baptistæ haud dubie, cui ipsa ecclesia dicata erat, nuncupavit. Agnoscunt illud & redarguunt novatores hæretici, quasi ille hoc suo exemplo posteros omnes pontifices & episcopos in illum errorem induxisset, ut campanis sacramentum baptismatis impendendum esse crederent & docerent: sed falluntur imperiti; cum non tam baptizentur, quam prævia benedictione sacrisque ritibus, sicut etiam alia vasa sacra, cultui divino dicentur & consecrentur: in qua consecratione imponuntur iis nomina, velut a cæteris campanis discernantur; uel saltem, quod magis ad pietatem conduceret, si voce alicuius sancti populus ad ecclesiam convocari diceretur.

Capuensem ecclesiam honoravit.

Campanæ quam divino cultui consecraverat nomen Ioannis Baptistæ cur imposuerit

Redarguuntur Novatores.

Ad Theophanem Nicephori imperatoris orientalis filiam Ottoni imperatori juniori desponsandam legationem misit, qua functus est Luitprandus Cremonensis episcopus. Sed cum Nicephorus coronatione duorum Ottonum graviter exacerbatus huic legationi nihil detulisset, Græca tamen fide, sub falso prætextu nuptiarum, legationem ipse ad Ottonem remisit, nuntians illi ut nuptias pararet: se cum filia brevi adfuturum. Cumque hac occasione exercitus Ottonis in nuptiis parandis occuparetur: orientales ex improuiso militem imperatoris aggressi, eumdem magna strage fugarunt. Verum quando ea victoria elati secundo eumdem exercitum aggrederentur, innumera multitudo hostium cæsa fuit. Contigit hac de causa Nicephorum interfici, eique Ioannem quemdam cognomento Zemisces ad imperium elevari. Qui paulo post quam imperator factus esset, occisi imperatoris Nicephori filiam ad Ottonem misit: quam ipse, ut ait Vvitichindus, statim filio tradidit, celebratisque magnifice nuptiis omnem Italiam super hoc & Germaniam lætiores reddidit. Eamdem a Ioanne papa coronatam imperatricem fuisse testatur Sigebertus.

Ottonis exercitum qua fraude Græci fugarint.

Theophanes Græca Ottoni desponsatur, & a Ioanne papa coronatur.

Per catenam sancti Petri, arreptitii collo circumdatam, dæmonem expulit. In Magdeburgensi civitate recens ab Ottone condita primum episcopum Adelbertum constituit. Cumque sedem apostolicam annos sex, menses vndecim, & dies vigintiquinque tenuisset, VIII. Idus Septembris obiit. Sepultus est in basilica sancti Petri, ut videre est in epitaphio quod extat apud Baronium anno 972. num. 1.

Ioannes papa dæmonem ejicit.

EPISTOLA I.

IOANNIS PAPÆ XIII.

AD EPISCOPOS CITERIORIS BRITANNIÆ.

Vt archiepiscopo Turonensi debitam reverentiam exhibeant.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, episcopus Romanæ urbis, in Christo fratribus universis episcopis citerioris Britanniæ salutem in Christo & visitationem.

QVIA vice beati Petri apostolorum principis, Domino Deo dignante, omnium ecclesiarum curam suscepimus: solicitudinem, qua unicujusque fides integra in eodem Domino reservetur, sine qua nullus ei placere valebit, ubique severe observare debemus. Ideoque notum sit vobis, quoniam carissimus frater noster Arduinus, sanctæ Turonensis ecclesiæ archiepiscopus, veniens ad apostolorum limina Romam oratum, interpellavit nos, quod jura sui archiepiscopatus, quæ ab antiquis temporibus per decreta sanctorum pontificum sanctæ Romanæ matris ecclesiæ suis prædecessoribus concessa & confirmata fuerunt, a vestro archiepiscopo, & suis decessoribus, per violentiam, & paganorum Northmannorum contrarietatem sublata videntur. Vnde apostolica autoritate vobis sciatis esse interdictum, ne illius ullo modo juri resistatis deinceps de omnibus, quæ prædictus archiepiscopus confirmat archiepiscopatui suo pertinere debere, quousque ille vester archiepiscopus, aut aliquis ex vobis, cum Arduino archiepiscopo, sive cum suo suffraganeo, vel alio fideli misso, ad nostram sanctam matrem ecclesiam veniat: ut ibi percognitis causis inter vos & illum, quod æquum comprobabimus, diffiniatur ad laudem Dei & Domini nostri Iesu Christi. Quod si aliter quam quod jubemus, contra voluntatem ejus feceritis: cognoscatis vosmetipsos Dei & beati Petri principis apostolorum, per nostræ humilitatis mandatum, autoritate excommunicatos ab omni ecclesiastico officio. Quod si vero debitam reverentiam circa prædictum fratrem nostrum observare vobis placuerit: secundum justitiæ decretum a sancta Romana ecclesia statutum, permaneatis cum Dei benedictione in unitate nostræ catholicæ communionis. Inter hæc sciant vestri regni homines, maxime nobiliores, nominatim Berengarius, & filius suus Conanus, & Hoel cum fratre suo Guerech, cum cæteris majoribus, ut si contra justitiam inobedientes fuerint huic nostræ jussioni, & contrarii seu rebelles extiterint prædicto fratri nostro Turonensi episcopo, sint & ipsi excommunicati, & nostra benedictione apostolica privati.

NOTA IACOBI SIRMONDI S.I.

Epistola. I. Ioannis XIII. Meminit hujus epistolæ Innocentius III. libro II. ad Bartholomæum Turonensem. Quotus numero Ioannes hic fuerit, vetus exemplar non exprimit. Nos ex Arduini Turonensis archiepiscopi ætate Ioannem XIII. conjecimus. Quod si exploratum non est: verisimilius certe, quam ut ex aliorum sententia Ioanni X. tribuatur, cui convenire non potest.

EPISTOLA II. AD EDGARUM REGEM ANGLORUM

De episcopatu VVintoniensi expellendis clericis, & introducendis monachis.

Ioannes episcopus servus servorum Dei Edgaro regi excellentissimo, atque omnibus episcopis, ducibus, comitibus, abbatibus, & cuncto fideli populo Anglicæ gentis, Christianam salutem & apostolicam benedictionem.

QVONIAM semper sunt concedenda quæ rationalibus quæruntur desideriis, oportet ut vestræ piæ petitionis studium in privilegiis minime offendatur præstandis. Scimus enim, gloriose fili, imperii uestri dignitatem zelo divinæ legis ita undique munitam, ut indesinenter pro venerabilium locorum percogitet stabilitate; quatenus proveniente pro labore, schola dominici multiplicetur servitii, & largitori omnium Deo abunde fructus referantur milleni. Quare, rex inclyte ac fili carissime, quod vestra excellentia per fratrem & coepiscopum nostrum Dunstanum ab hac apostolica sede, cui licet immeriti præsidemus, exposcit, omnibus modis concedimus, autoritate apostolica sancientes, ut de monasterio in VVintonia civitate, in honorem sanctæ Trinitatis & beatissimorum apostolorum Petri & Pauli constructo, quod vetus, differentia novi illius quod juxta est cœnobii, cognominatur, canonici, Domino, episcopo, & omnibus catholicæ fidei cultoribus ex patentibus culparum suarum turpitudinibus odibiles, & in eisdem secundum impœnitens cor eorum inverecunde perdurantes, cum suo præposito, utpote vasa diaboli, ejiciantur: & sicut vestra sublimitas desiderat, dilectissimus frater & coepiscopus noster Ethevvaldus, regularibus disciplinis apprime imbutus, monachorum secundum præcepta regulæ viventium gregem enutriat, eisque inibi perpetuam mansionem statuat ille: qui eorum vitam ita sanctitatis moribus exornet, ut pastore ad laboris sui præmium

præmium vocato, non aliunde quam ex illa congregatione alter in locum regiminis succedat. Quod si impedientibus, quod absit, peccatis, ad hoc pontificale officium in eadem congregatione idoneum inveniri minime posse contigerit: autoritate apostolorum principis Petri, cui dominus ac salvator noster ligandi solvendique potestatem contradidit, præcipimus, ut nemo ex clericorum ordine ad hujus regimen ecclesiæ promoveatur: sed potius ex alia qualiter congregatione qui dignus inventus fuerit monachus assumatur, & huic ecclesiæ præficiatur. Si quis enim interea, quod non credimus, hæc apostolicæ sedis privilegii decreta irrita facere, & ea quæ nobis pie indulta sunt intaminare præsumpserit: autoritate ejusdem cælestis clavigeri Petri, omniumque successorum ejus, sciat se anathematis vinculo innodatum, & in illo magni judicij die perpetualiter damnandum. In Christo valeas, domine fili.

bibliot., Labb. 1.

"** EPISTOLA III. AD BERENGARIUM EPISCOPUM VIRDUNENSEM.

Privilegium monasterii a Berengario constructi.

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, Berengario fratri nostro, Virdunensis ecclesiæ episcopo, cum omnibus sibi a domino commissis, bravium æternæ remunerationis.

CONVENIT apostolico moderamini, pia religione pollentibus benevola caritate favere, & poscentium animis alacri devotione assensum præbere. Ex hoc enim potissimum præmium lucri a conditore omnium domino promerebimur, si venerabilia sanctorum loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint statum nostra autoritate perducta. Igitur quoniam te, carissime frater, inter cætera sanctæ conversationis exercitia comperimus quoddam monasterium in tuo episcopio, juxta civitatem Virduni, in ecclesia beati Petri, pro amore Dei construxisse, in quo requiescunt corpora sanctorum confessorum, atque præfatæ ecclesiæ sanctæ Mariæ quondam episcoporum, Vitoni, Pulcronii, Possessoris, atque Firmini, & de rebus tuæ ecclesiæ provida cōsideratione sublevasse: ut si quando filii ecclesiæ tuæ, compuncti amore, terrena despiciētes ad contemplativæ vitæ perfectionem cōfugere desiderarent, ne a tua penitus ecclesia dissociati viderentur, in monasterio, quod membrum est ejusdem ecclesiæ, solatii refugium sub habitu religionis sibi invenirent, & domino quieta tranquillitate inibi famularentur. Noverit omnium fidelium, tam præsentium, quam & futurorum industria, nos idem monasterium tua ordinatione constructum, cum omnibus rebus, regalibus præceptis tuo consultu sibi sancitis, in æternum velle permanere inconvulsum: Scanciam cum suis pertinentiis: abbatiam sancti Amantii, & quidquid ad eam pertinet: Novavillam cum suis locis: Amantionis curtem quantum ad eam pertinet: Parridum cum suis adjacentiis: Harbodi villam cum suis pertinentiis: Castonis curtis ecclesiam cum his quæ ad eam pertinent: ecclesiam de Marleio cum suis adjacentiis: ecclesiam de Marculfi curte cum suis adjacentiis: ecclesiam de Amonzei villa cum suis adjacentiis, cum terris, vineis, molendinis, cum servis & ancillis: abbatiam sancti Petri & ecclesiam de Marca: ad Liriacum quidquid ad illum locum pertinet: ad Novamvillam in Barrensi comitatu, quod ad eum locum pertinet. Hæc vero omnia prædicta loca cum suis omnibus generaliter & specialiter pertinentiis, & quicquid domino opitulante, voto fidelium huic monasterio concessum fuerit, in futuro tempore, per hoc nostrum apostolicum privilegium perenniter firmamus, tam vobis, quam vestris successoribus, & insuper hoc nostræ autoritatis privilegio esse corroboratum volumus: quatenus eadem Virdunensis ecclesia, quæ hactenus de filiis ab ipsis infantiæ rudimentis in gremio suo expositis, dum ad externa monasteria confugerunt, fraudabatur, abhinc & deinceps, in membro sibi subjecto, consilio sui episcopi, atque providentia gloriosi abbatis Humberti, de eorum sancta conversatione sublimata glorietur. Si autem temerario ausu magna parvaque persona, cujuscumque ordinis aut potestatis, contra hanc nostram apostolicam præceptionem ire tentaverit: sciat se autoritate beati Petri apostolorum principis excommunicatum, atque anathematis vinculo innodatum, & a regno Dei alienum, cum omnibusque impiis æterno incendio atque supplicio condemnatum. Qui vero observator extiterit hujus nostri præcepti, gratiam, atque misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Leonis scriniarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Ianuario per Indictionem XIV. Datum quinto Idus Ianuarii per manum Marini episcopi & sanctæ sedis apostolicæ bibliothecarii, anno, domino propitio, pontificatus domni Ioannis summi pontificis & universi XIII. papæ in sanctissima beati Petri apostoli sede, decimo [a], primo in mense, Indict. XIV. anno ab Incarnatione domini DCCCCLXXI.

[a] Cor. septimo.

"** EPISTOLA IV. AD ADALBERONEM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Privilegium Monasterii sancti Remigii.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, dilectissimo in domino fratri Adalberoni, sanctæ Remensis ecclesiæ dignissimo archipræsuli, perpetuam salutem.

CONVENIT apostolatui nostro, pro universis Dei ecclesiis, ne damna rerum suarum sustineant, sed magis semper in melius augeantur & & crescant, curam habere. Igitur quia fraternitatis tuæ dilectio nos postulavit, quatenus monasterium quod corpore beati Remigii nobilitatur, privilegio sanctæ nostræ sedis apostolicæ muniremus, quo ad Dei omnipotentis laudem, & ejusdem beati Remigii honorificentiam, nullius hominis avaritia & temeritate valeat in quoquam violari, & minui, sed potius augeatur & crescat. Quapropter per interventum tuæ dilectionis, archimonasterio, quod in Francia situm est non longe a civitate Remensi, cui præesse videris, confirmamus & corroboramus hoc nostræ autoritatis privilegio omnes possessiones, omnesque res mobiles & immobiles, quæ dici & nominari possunt, de terris, vineis, servis & ancillis, colonis & colonabus, ædificiis & habitationibus, thesauris, & ornamentis, & quibuslibet pecuniis. Statuentes sub divini judicii obtestatione, & anathematis validis interdictionibus, ut nunquam, neque ullus rex, neque archiepiscopus vel episcopus, vel etiam quorumlibet hominum magna parvaque persona, præsumat eidem archimonasterio ad damnum sive molestiam incumbere, sive de rebus & possessionibus ipsius auferre & alienare. Promulgamus autem & hoc autoritate beati Petri apostolorū principis, per hujus nostri apostolici privilegii constitutionem,

 ut

CIRCA ANNVM CHRISTI 966.

ut omnia quæ a te vel a quibuslibet Christi fidelibus eidem archimonasterio donata sunt, vel in futurum donata fuerint, firma stabilitate ad jus & dominium ipsius permaneant: nec licentia sit cuiquam homini, vel conferre, vel alienare quid ex omnibus quæ ad illud pertinent, nisi ad communem utilitatem roborandam justitiæ, & gratiam competentis commutationis. Insuper abbatiam sancti Timothei, quam eidem sancto Remigio ad usum hospitalitatis tua largita est industria, quatenus cum tuorum, tum etiam successorum atque monachorum, ad hospitum necessaria, rara benevolentia non deficiat, abbas loci provideat, atque ad communem utilitatem distribuat: ita dumtaxat, ne archiepiscopalis affluentia in suis nimium, non prout ferre locus possit, excedat. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu, contra hujus nostri apostolici privilegij paginam sciens agere præsumpserit, sciat se Dei, & sancti Petri apostolorum principis, nostræque humilitatis judicio excommunicatum, immo anathematizatum cum diabolo & omnibus impiis, quibus præparatus est cruciatus æternus. Qui vero pio intuitu hæc observare & custodire studuerit, a misericordissimo domino Deo nostro benedictionis gratiam, & æternæ vitæ gloriam inter sanctos & electos consequi mereatur.

Scripta per manus Stephani scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Apr. Indict. xv. Datum per manum Andreæ episcopi VIII. Kalend. Maii anno pontificatus domini nostri Ioannis sanctissimi & tertii decimi papæ VIII. imperii autem domini Ottonis majoris Augusti XI. junioris vero v. in mense quarto, Indictione quintodecima.

An. 972.

* Cor. VII.

CHARTA REGIS EDGARI NOVO VVINTONIÆ MONASTERIO quod Hydam vocant confecta,

In qua angelorum refert creationem atque lapsum, hominem fieri ad capessendum cum prole sua vacuum iam ipsorum ordinem. Invidet, inquit, hoc diabolus, fraudeque circumventum sui cum prole reddit similem. hos misertus Christus redemit, & hos inter, ipsum regem Edgarum, qui tanta raptus benignitate, totum se effundit in gratitudinem & bona opera. Christo igitur & familiæ suæ plurima condit monasteria, unumque hoc VVintoniæ: cuius cœnobitis vitæ regulas & honestatis imponit, tam ecclesiasticas, quam sæculares.

INCIPIT charta privilegii Edgari benignissimi principis concessa novo monasterio VVintoniæ quod modo Hyda appellatur: cujus rubrica sic cancellatur:

Ex chronico monasterii VVintoniensis quod Hyda dicebatur.

EDGAR REX HOC PRIVILEGIVM novo edidit monasterio, ac omnipotenti domino eiusque genitrici Mariæ eius laudis magnalia concessit.

CAPITVLVM I.

Omnipotens totius machinæ conditor, ineffabili pietate universa mirifice moderatur quæ condidit, qui coæterno videlicet verbo, quædam ex nihilo edidit, quædam ex informi subtilis artifex propagavit materia. Angelica quippe creatura, ut » informis materia, nullis rebus existentibus, divi- » nitus formata luculento resplenduit vultu. Male, » proh dolor! libero utens arbitrio, contumaci arro- » gans fastu, creatori universitatis famulari dedi- » gnans, semetipsum creatori æquiparans, æterni » barathri incendiis cum suis complicibus demersus, » jugi merito cruciatur miseria. Hoc itaque thema- » te totius sceleris peccatum exorsum est.

II.

Quare hominem condidit, & quid ei commisit.

Evacuata * animaque polorum sede, & eliminata tumidi fastus spurcitia, summus totius bonitatis arbiter lucidas cælorum sedes non sine cultore passus torpere, formatis ex informi materia diversarum rerum speciebus, hominem tandem ex limo conditum, vitæ spiraculo ad sui formavit similitudinem, cui universa totius cosmi superficie condita subiiciens seipsum suosque posteros sibi subiecit, quatenus eius executura posteritas angelorum suppleret numerum, cælorum sedibus superbia turgente detrusum.

III.

Qualiter in paradiso sine crimine conversatus sit.

Qui paradisiacæ voluptatis amœnitate locatus, nullius rei patiebatur dispendium, sed ei totius mundi ad votum suppeditabat facultas. Totius namque bonitatis ubertate fruenti nulla ei res insita resistebat. Amore altithrono devote obsequenti creatura cuncta famulabatur subjecta. Fruebatur lætabundus creatoris tripudio, & angelorum alacriter vtebatur consortio. Non eum corporalis debilitabat imbecillitas, nec animi affligebat anxietas. Non typho levis raptabatur superbiæ, sed suo se conjungens autori, humilis pollebat mirifice. Non eum inanis tumidum vexabat gloria, sed devotum creatoris magnificabat memoria. Non invidia eum alieno torquebat profectu, sed caritas jugiter lætabatur amplexu. Non ira cruciabatur infestus, sed caritatis tranquillitate leviabatur patientissimus. Non eum tristitia mœrore dejiciebat, sed gaudii spiritalis spe pollente florebat. Non avaritia nimium incitabatur cupidus, sed dapsilitatis studio exercebatur largissimus. Non illicito massicus delectabatur edulio, sed parcitate contentus licito utebatur cibario. Non luxuria eum stimulabat nefaria, sed continentia competens constringebat ad præmia; omnium polycrates virtutum, cunctis carens adversis, omnibus florens prosperis, rite pollebat ingenuus.

IV.

Quomodo cælum sine morte conscendere confidebat, & diabolus invidus ne ascenderet impediebat.

Qui ptole ad numerum patrata, superbientium angelorum universa comitante prosapia, sine loto gustato ligni vetiti fructu, æthereos æternæ beatitudinis suggestus triniatim cum domino regnans conscendere macrobius confidebat. Invidus igitur hoc animadvertens zabulus, nimia perculsus invidia, rimari callide versutus cœperat, qui insidiis, ne ad tantam numinis conscenderet gloriam, subdolus deciperet: pro nihilo forte ducens concessa, illicita nimium adlubescendo laudans, mulierem admodum fragilem pellexit. Quæ sui detrimenti minime contenta, virum muliebriter victum blandis suasionibus delinitum, exili heu malo gustato sibi similem faciens, perdidit.

V.

Quomodo in hac miseria omnibus privati virtutibus deiiciuntur, tandemque cataclysmata.

Vtrique tandem præfatis privati odonariis, paradisi

ANNO CHRISTI 966.

radisi eliminati metis, in præsentis vitæ ærumna A miserrimi dejiciuntur: contemnentes conditorem, a cunctis insequuntur creatis. Vita desiit, mors inolevit. Virtutum caterva recedente, vitiorum cumulus successit. Succedente nepotum prosapia, successit cumulata criminum collegio*: universi cum suis sceleribus cataclysmate dempti, tandem, octo utriusque sexus reservatis, tabescendo deficiunt. Vitiis copiose surgentibus, conditor se hominem fecisse indoluit. Postremo misericors mortalibus, ut pollicitus est, succurrit.

* collectio

VI.

Quomodo Christus natus sua nos passione redemit, & cælos conscendere fecit.

Stella emicuit matutina, quæ suo radio, mundi tenebras fugaret. Fausta resplenduit Maria, cujus utero virginali Christus ineffabiliter editus, peccatorum B tenebras mediator clementissimus dempsit. Viguit Christus virtutibus plenus. Incanduit Iudæa ingenti rancore repleta. Carnem suscipiens pro nobis pati voluit: quod ejus permissu infelix audacter complevit Iudæa. Ligno quippe perditum, ligni scandens gabulum, genus redemit humanum. Vniversas namque hominum dæmon nationes ludificando insultans, jure ut mandati transgressorem possidens, morte mulctabat perpetua. Sanguis vero a mortuis ultorem trophæo crucis divisit. Prædam de perfidi leonis ore tulit, secumque super æthera vehens superius angelorum cœtibus consociavit: ut cum eo communi contubernio fruentes, bonitate perspicui, virtutum omnium ubertate referti, expertes peccati, omni contagio- C ne privati, sine fine post diem judicii restauratis corporibus exultantes regnarent. Hanc præcipuam sine dubio gloriam credentibus, qui Trinitatis veræque unitatis fidem bonis insudantes operibus sectantur, pollicitus, non credentibus supplicium minatus æternum perpetuis barathri incendiis, justissime spopondit.

VII.

De benevolo regis meditamine.

Hinc ego Edgarus, divina favente gratia totius Albionis basileus, rimari magnopere cœperam quid operum studio exercerem, ut ad tantam gloriam perveniens, Christi sanctorumque ejus cælo collo- D catorum contubernio coronatus fruerer, tantamque inferni miseriam devitarem. Instigante etenim domini clementia, occurrit animo ut ipse criminibus cessarem cunctis, atque bonis operibus insistens, forma factus gregi, quousque nostri regiminis gubernamine degentes lucrifacerem. Quosdam igitur suasionibus invitans ad præmia, quosdam terroribus compellens ad gloriam, bona ædificans, mala, ut domino faciente potui, dissipavi. Scriptum quippe per Ieremiam memini prophetam: *Ecce constitui te super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Talibus igitur exhortatus doctori- E bus, quibus nos dominus per prophetam clementer admonuit, agens Christo favente in terris quod ipse juste egit in cælis, extricans videlicet domini cultura criminum spurcitias, virtutum semina sedulus agricola inserui.

Ierem. 1.

VIII.

Qua ratione clericos eliminans, monachos collocavit.

Timens ne æternam incurrerem miseriam, si adepta potestate non facerem quod ipse, qui operatur omnia quæ in cælo vult & in terra, suis exemplis justus examinator innotuit, vitiosorum cuneos canonicorum e diversis nostri regiminis cœnobiis Christi vicarius eliminavi: quod nullis mihi intercessionibus prodesse poterant, sed potius, ut beatus ait Gregorius, justi vindictam judicis provocarent, qui vicariis vitiorum nævis contaminati, non agentes quæ Deus jubendo volebat, omnia quæ nolebat rebelles faciebant: avidus inquisitor advertens gratos domino monachorum cuneos, qui pro nobis incunctanter intercederent, nostri juris monasteriis devotus hilariter collocavi.

IX.

Quod sancti Spiritus gratia compunctus abbatem & monachos in novo constituit monasterio.

Hac itaque ratione, sancti Spiritus attactus flamine, locum domini mundans VVintoniensis ecclesiæ, novi monasterii arcisterium* nostro salvatori ejusque genitrici semper virgini Mariæ, & omnibus apostolicis, cum cæteris sanctis, dicatum restauravi. Sciens scriptum: Consentientes & facientes pari constringuntur pœna rebellionis, omnipotentis voluntati obviantes. Possessionem domini usurpare non sustinens, clericos lascivientes repuli, ac veros Dei cultores monachico gradu fungentes, qui pro nostris nostrorumque inibi quiescentium excessibus sedulo intercederent servitio, quo eorum intercessionibus nostri regiminis status vigeret munitus, abbatem Christo cooperante eligens, altithrono subjectus illic devote ordinavi. Hoc subnixe efflagitans deposco, ut quod in suis egi, hoc agat in mihi ab ipso collatis: scilicet adversarios nostros dejiciens, amicos sublimando provehat; ut inimicos sanctæ Dei ecclesiæ deprimens, amicos ejus monachos videlicet beatificans justificavi.

* hoc est, monasterium

X.

De illorum anathemate qui monachis insidiantur.

Si autem qualibet occasione, diabolo instigante, contigerit, ut fastu superbientis arrogantiæ, dejecti canonici, monachorum gregem, quem ego venerans cum pastore in Dei constituti possessione, dejicere insidiando voluerint: agatur de eis, & de omnibus qui quolibet munere cœcati juvamen eis impenderint, quod actum est de angelis superbientibus, & de protoplasto diaboli fraude seducto; ut paradisi videlicet liminibus sublimibusque regni cælorum sedibus ejecti, cum iis qui domini famulatum aspernantes contempserunt, barathri incendiis detrusi, jugi crucientur miseria. Nec inde evulsi se glorientur evasisse tormenta, sed cum Iuda Christi proditore, ejusque complicibus, Acheronte conglutinati, frigore stridentes, fervore perusti, lætitia privati, mœrore anxii, catenis igneis compediti, lictorum metu perculsi, scelerum memoria confusi, totius bonitatis recordatione semoti, æterno lugubres puniantur cruciatu.

XI.

Item de anathemate insidiantium.

Qui autem jam prædictos novi VVintoniensis ecclesiæ cœnobii monachos, vel quoslibet ejusdem ordinis nostro regimine degentes, monasteriis, quæ vitiorum spurcitiis expurgans, Iesu Christo domino nostro, victo dæmone, acquisivi, eliminare præsumens voluerit, anathema sit: & eadem maledictione qua Cain parricida, qui fratrem suum Abel, stimulante invidia lividus interemit ma- stigia, adductus est, sine termino teneatur obnoxius: atque in Dei persecutione continuo perseverans, in hac vita nullum dignitatis acquirat honorem, nec in futuro sine miseria numquam persistat, sed cum Anania & Sapphira una Styx * portagine ejulantem crucians complectatur.

* forte voragine

XII.

XII.

De benedictione monachos venerantium.

Quicumque prætitulatos monachos bonis quibuslibet locupletans ditare voluerit, creator cunctitenens clementer eos eorumque progeniem totius ubertate prosperitatis hic & in futuro sæculo ditando locupletet. Scriptis decenter eorum in libro vitæ nominibus, cum Christo portionem in cælorum habitaculis habeant, qui monachos suos quos nostris congregatos temporibus possidet, vel verbis, vel factis, sanctitatis studio honoraverint.

XIII.

Quales & qualiter monachi in hoc monasterio conserventur.

Regulares igitur monachi, non sæculares, in præfato, Christo comite, degentes monasterio, regulæ moribus obtemperent: patres venerantes spirituales, sanctorum patrum imitentur exempla: nil agentes, nisi quod communis monasterii regula, vel majorum demonstravit norma. A sæcularibus igitur pompis remoti, toto nisu corporis custodiant & animæ castitatem. Humilitatis studio pollentes, & corpus parcimoniæ vigore minuentes, alacri constringant animo. Civium convivæ intra urbem perpetuo interdictu fieri erubescant. In civitate degentes, in refectorio pompaticas lascivasque sæcularium delicitias ut melancholiam aporiantes, licitis caritatum utantur cibariis. Extra refectorium autem minime, nisi in domo infirmorum ægroti decubuerint, edentes licite quæ jussi fuerint. Sacri summique ordinis hospites, si ratio exegerit, & peregrini ordinati, longo terrarum spatio venientes, ad abbatis mensam in refectorio cautissime invitentur: laicis in hospitio condecens exhibeatur humanitas. Monachorum quispiam manducandi vel bibendi cum eis secundum patrum decreta licentiam non habeat: in refectorio autem edendi causa vel bibendi non introducantur. Pauperes, ut Christi, ingenti cordis suscipiantur tripudio.

XIV.

De abbatum electione.

Divinarum studio scripturarum luculentissime eruditi, orationum frequentia assidue occupati, caritatis amplexu lætissimi, fidei exercitio promptissimi, spe provehente sincerissimi, pace concorditer fixi, omniumque virtutum flore decorati, ad finem usque cœptum tantæ bonitatis initium, Christo juvante, perducentes, eadem gloriosi fruantur libertate, quam beatus patronus Benedictus omnibus regulæ præcepto subjectis instituit, scilicet ut post abbatis obitum tunc temporis regentis, abbatem....... ordinent congregatione, quem sibi omnis concors congregatio, sive pars quamvis minima congregationis, salubriori elegerit consilio.

XV.

Qualiter rex abbatem & monachos venerãtes muniat.

Reges itaque, quicumque nostri fuerint successores, nullam extraneam personam jus tyrannidis super monachos exercentem imponant, ne forte Deus eos damnans, & regno deponat & vita. Electum vero a fratribus Christi vicarium dignanter suscipiant, eumque caritatis igne succensi locupletando venerentur: juvamen, in quantum indiguerit, Christi amore compuncti, alacriter impendant. Mutuo namque confortati juvamine, in nullo a regulæ præceptis discordantes, domini gregem, non mercenarii, sed pastores fidissimi, luporum rictibus eximentes, intrepidi defendant.

A

B

C

D

E

XVI.

Qualiter abbas & monachi regem a dæmonum tentatione eripiant.

Abbas autem armis succinctus spiritalibus, monachorum cuneo hinc inde vallatus, charismatum cælestium rore perfusus, aereas dæmonum expugnas versutias, regem, omnemque sui regiminis clerum, Christo, cujus virtute dimicant, juvante, a rabida hostium persecutione invisibilium solerter spiritus gladio defendens, fidei scuto subtili protegens tutamine, robusto prælians triumpho, miles eripiat imperterritus.

XVII.

Qualiter rex abbatem & monachos ab hominum persecutione defendat.

Rex itidem terrenus, cælestis castra regis fortissimo roborans munimine, armis sæcularibus visibiles expugnans adversarios, hostiumque rabiem sævientium annihilando dejiciens, conditoris sui pascua gregemque solicita inexpugnabilis tueatur custodia, quatenus ad vitæ bravium perveniens æternis tripudians fruatur bonis, quæ nec oculus videre aliquatenus potuit humanus, nec in hominis cor ullatenus ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se.

XVIII.

De monasticæ possessionis libertate.

Sint præfati monasterii rura, omnis monachorum possessio, in rebus magnis vel modicis, internis vel externis, in urbanis vel suburbanis, prædiis, campis, pratis, pascuis, silvis, molendinis, rivulorum cursibus, æterna libertate in Christi nomine ejusque genitricis ditata.

XIX.

Quo nullus sæcularium monasterii possessionem illicite usurpet.

Sæcularium quispiam ausu temerario jus tyrannidis non in Christi cultura præsumptuosius exerceat, non minuet, instigante diabolo, quod sancti Spiritus instinctu tam a me quam a prædecessoribus meis, necnon a catholicis utriusque sexus hominibus, largiflua concessum est dapsilitate.

XX.

De benedictione augentium.

Augenti tribuat rerum cunctarum opifex tranquillum vitæ præsentis excursum, longævam instantis temporis* futurum æternæ beatitudinis talionem, sufficientem victualium ubertatem, interminabile prosperitatis augmentum, copiosum virtutum omnium juvamen.

XXI.

De maledictione minuentium.

Minuentem perpetua possideat miseria: in domini manens persecutione, ejus genitricis sanctorumque omnium incurrat offensam: præsentis vitæ adversitas illi semper eveniat: nulla eis bonitatis accidat prosperitas: omnia ejus peculia inimici astantes diripiant: in futuro autem, æterni miserrimum cum hœdis in sinistra positum damnent cruciatus, si non satisfactione emendaverit congrua quod in domini usurpans detraxit censura.

XXII.

Quibus modis sæcularibus obtemperent, & quod nullus reatus hoc domini privilegium minuere valeat.

Non habetur hujus tituli caput in manuscripto.

Tribus tantummodo causis, sæcularibus obtemperent præceptis, rata videlicet expeditione pontis arcisve constructione; alias æterna ditati glorientur libertate. Reatus quidpiam si incitante dæmone seductus vel abbas vel fratrum aliquis fragiliter, quod absit contraxerit, justitia purgante secundum

ANNO CHRISTI 966.

secundum regulæ præceptum abolitus damnetur, maneatque præfatæ munificentiæ libertas altithrono per nostram humilitatem oblata, ad monachorum usus gratuite sibi famulantium inviolabilis, æterna libertate jocunda: quia Deus, qui hanc privilegii largifluam donationem, locumque cum universa monachorum familia, juraque omnia sacro subjecta cœnobio possidet, numquam reatum commisit, nec ullo umquam tempore committet. Sit igitur præfata libertas æterna, quia Deus libertatis possessor æternus est.

XXIII.

Quoties & quare in anni circulo hoc fratribus legatur privilegium.

...est capitum, cu... ...icti... ...us.

Anno incarnationis dominicæ nongentesimo sexagesimo sexto scripta est hujus privilegii syngrapha, his testibus consentientibus, quorum inferius nomina ordinatim charaxantur.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Edgar, divina largiente gratia, Anglorum basileus, hoc privilegii donum nostro largiens redemptori, locoque ejus sanctissimo, primus omnium regum, monachorum inibi collegium constituens, manu propria signum hagiæ crucis imprimens confirmavi.

Ego Dunstan Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopus, largifluam benevoli regis donationem venerans, crucis signaculo corroboravi.

Ego Eadmund clytos legitimus præfati filius, crucis signaculum, infantuli florens ætate, propria indidi manu.

Ego Edvvard eodē rege clyto procreatus, præfatam patris munificentiam crucis signo consolidavi.

Ego Ælfthryth legitima præfati regis conjux, mea legatione monachos eodem loco rege annuente constituens, crucem impressi.

Ego Eadgifa prædicti regis ava, hoc opus egregium crucis thaumate consolidavi.

Ego Oscytyl Eboracensis ecclesiæ archiepiscopus firmavi.

Ego Athelvvold ecclesiæ VVintoniensis episcopus, regis gloriosissimi benevolētiam, abbatem mea altum mediocritate, & alumnos quos educavi, illi commendans, crucis signaculo benedixi.

Ego Ælfstan Londoniensis ecclesiæ pontifex consolidavi.

Ego Osulf episcopus confirmavi.
Ego Osvvold episcopus consignavi.
Ego Byrhtelm episcopus confirmavi.
Eælfstan episcopus consolidavi.
Ego Eadelm episcopus confirmavi.
Ego Athulf episcopus consignavi.
Ego Vryntyge episcopus confirmavi.
Ærcvvig abbas consolidavi.
Ego Osgar abbas consignavi.
Ego Orobyrihe abbas.
Ego Ælfstan abbas.
Ego Adelgar abbas primus huic loco abbas ordinatus.
Ego Osdgar dux.
Ego Æthelstan dux.
Ego Athelvvine dux.
Ego Æthelvveard m.
Ego Ælfvveard m.
Ego VVulrtan m.

Omnes qui nominatim huic privilegio regis jussu descripti videntur, posteritatis nostræ prosapiam subnixe deposcimus, ut manuum nostrarum vadimoniū Christi cruce firmatum nequaquam violantes irritum faciant: si successorum quispiam humilitatis ausu violare præsumpserit, corporis & sangui-

A nis Iesu Christi participatione privatus, perpetua damnatus perditione, anathema sit, nisi divino propitiante respectu ad humilem satisfactionem resipiscens conversus fuerit.

ALIA CHARTA EDGARI REGIS,

QUA NULLOS UMQUAM FUISSE PERHIBET in VVintoniensi hoc cœnobio monachos, ante hos quos ipse jam introduxit e monasterio Abingtoniensi.

ANNUENTE altithroni moderatoris imperio totius Albionis triniatim potitus regimine, non immemor ob hoc mihi recidiva fore concessa, ut his strenue æterna lucrarer: quapropter ego Edgar totius Britanniæ basileus, quasdam villas, ut no-
B minantur, Dunkitone habens, quinque hydas terræ, & ecclesiam Sueyse, cum viginti octo hydis terræ, & ecclesiam Titlescumbe cum decem hydis terræ, & quamdam ruris portionem, duos videlicet cassatos terræ, loco qui celebri VVynterburna nuncupatur vocabulo, do & concedo in puram & perpetuam eleemosynam novæ VVintoniensi ecclesiæ, beato Petro apostolorum principi dicatæ, necnon S. Edotio, cujus reliquiæ inibi miraculis clarescūt, cum omnibus utensilibus, pratis videlicet, pascuis, rivulis, æterna largita sint hereditate perspicuis, ut canonicos qui incorrigibiles perdurarent de ecclesia dicta ejeci, monachos de Abundonie loco substitui. Sint autem prædictæ villæ, rus, mansiones, terræ, rivuli, omni terrenæ servitutis jugo liberæ in perpetuum, tribus exceptis, rata videlicet expeditione, pontis, arcisve re-
C stauratione. Si quis autem hanc nostram donationem in aliud quam constituimus transferre voluerit, privatus consortio sanctæ Dei ecclesiæ, æternis barathri incendiis lugubris jugiter cum Iuda Christi proditore ejusque complicibus puniatur, si non satisfactione emendaverit congrua quod contra nostrum deliquit decretum.

CONCILIUM RAVENNATENSE,

IN CAUSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ celebratum, anno domini DCCCCLXVII. tempore Ioannis papæ XIII.

ANNO CHRISTI 967.

DE hac synodo fit mentio apud Reginonem * his verbis: Anno dominicæ incarn. DCCCCLXVII. Otto imperator natalem domini celebravit: & ex-
D cepto præfecto urbis, qui aufugerat, tredecim ex majoribus Romanorum, qui autores expulsionis domini Ioannis papæ fuerant, suspendio interire jussit. Inde progrediens per Spoletum, Ravennam adiit: ibique pascha celebrans cum domino Ioanne papa, plurimos ex Italia & Romania episcopos coadunavit; & habita synodo, multa ad utilitatem sanctæ ecclesiæ adinvenit. Et apostolico Ioanni urbem & terram Ravennatium, aliaque complura, multis retro temporibus Romanis pontificibus ablata, reddidit: (*vel potius restitutionem jam ante fa-*
E *ctam confirmavit*) eumque inde Romam cum magna lætitia remisit.

*Dicere debuit Binius Reginonis continuatorem.

** DIPLOMA IOANNIS PAPÆ XIII. in Ravennatensi concilio datum: quo Heroldum Salisburgensem archiepiscopum deponit, & excommunicat; Fridericum vero, ejus loco archiepiscopum creat.

Ioannes sanctæ Romanæ & apostolicæ ecclesiæ præsul, Omnibus archiepiscopis & episcopis, nostris dilectis in Christo fratribus apud S. synodum Ravennæ nobiscum aggregatis, æternæ beatitudinis gaudia.

SANCTITATI ac dilectioni notum vestræ esse volumus, quod Heroldus dudum Salisburgensis

ANNO CHRISTI 967.

ecclesiæ archiepiscopus, contra canonicam & apo- A stolicam autoritatem nefaria præsumptione post suorum oculorum amissionem videatur sacrum celebrare mysterium; &, quod ridiculum est, pallium gestare solenniter. Hoc namque non ad modicam hæreseos vesaniam attinet, & nobis, omniumque fratrum orthodoxorum prudentię debet videri execrabile: præsertim cum ipse pro sua culpa & perfidiæ temeritate exoculatus sit, eo quod ecclesias Dei expoliaverit, thesaurum paganis erogaverit, seseque eis junxerit, in Christianorum necem & deprædationem, contra dominum & piissimum imperatorem suum seniorem rebellis & infidelis extiterit: & proinde a decessoribus nostris sãctæ memoriæ pon- B tificibus omne sacerdotale officium sæpe ei sit interdictum: atque electione & postulatione omnium pene nobilium, Bavvariorum scilicet clericorum & laicorum, S. Romana mater ecclesia, suæ autoritatis privilegio Fridericum virum venerabilem & cunctis laudabilem loco ejusdem Heroldi fieri esseque archiepiscopum omnino decreverit. Quapropter itaque nostrorum decessorum autoritatem sequentes, vestræque omnium fraternitatis assensione roborati, ipsius Heroldi hæreticam & temerariam pravitatem amodo ac deinceps damnamus ac penitus confutamus ex vice beati Petri principis apostolorum, necnon omnes sequẽtes cæcitatem corporis & mentis ejus in tali præsumptione: eique communicantes excommunicamus primo & anathematizamus usque C ad plenissimam emendationem. Insuper jam dicto Friderico per autoritatẽ sedis apostolicæ dignissimo archiepiscopo honorem & dignitatem Salzburgensis archiepiscopatus confirmamus, & corroboramus, & universos humilitati ejus allubescentes, benedicimus, & catholicos approbamus. Vnde rogãtes hortamur sanctitatem vestræ fraternitatis, & in hoc nobiscum pariter assentiatis, & huic nostrę apostolicæ sanctioni vestram confirmationem præbeatis.

Mendosissimæ subscriptiones.

Ioannes sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ huic sanctioni editæ a me in synodo apud Ravennam subscripsi.

Signum domini Ottonis serenissimi imperatoris.

Rodoaldus patriarcha Aquilegensis ecclesiæ in- D terfui & subscripsi.

Petrus S. Ravennatis ecclesiæ archiepiscopus.

VValpertus S. Mediolanensis ecclesiæ archiepisc.

Lanvvardus S. Mindensis ecclesiæ episcopus.

Otkerus sanctæ Spirensis ecclesiæ episcopus.

VVindo sanctæ Silvæ candidæ ecclesię episcopus, & bibliothecarius apostolicæ sedis.

Martinus sanctæ Sutriensis ecclesiæ episcopus.

Benedictus sanctę Portuensis ecclesiæ episcopus.

Everardus episcopus Aretinensis.

Sichelmus episcopus Florentinæ.

Petrus episcopus sanctæ Volternensis ecclesiæ.

Ioannes sanctæ Ariminensis ecclesiæ episcopus.

Hubertus[n] sanctæ Lunensis ecclesiæ episcopus. (n Adalbertus)

Honestus episcopus sanctæ Perusinæ ecclesiæ. E

Petrus sanctæ Camerinæ ecclesiæ.

Ingizo episcopus sanctæ Asisinatæ ecclesiæ.

Leo episcopus sanctæ Asinatæ ecclesiæ.

Ioannes episcopus sanctæ Calliensis ecclesiæ.

Ersemarius Anconitanæ ecclesiæ episcopus.

Attingus episcopus Auximanensis ecclesiæ.

Benedictus Humanatæ ecclesiæ episcopus.

Eberardus Esinatæ ecclesiæ episcopus. (Æsinatæ)

Benedictus Fuliginæ ecclesiæ episcopus.

Iulianus Lucerniæ ecclesiæ episcopus.

Gregorius Comaclensis ecclesiæ episcopus.

Ruodo sanctæ Cesinatæ ecclesiæ episcopus.

Arnaldus Popiliensis episcopus.

Radaldus Rosiliensis episcopus.

Martinus Mantuanensis episcopus.

Stephanus Ficodensis episcopus.

Ioannes Bellunensis episcopus.

Albericus Perusunensis episcopus.

Rodulphus Vicentinus episcopus.

Gerhardus Faventinæ ecclesiæ episcopus.

Petrus Metaumaucensis episcopus.

Hubertus Parmensis episcopus.

Luizo Cremonensis.

Ermenaldus Regionensis episcopus.

Gorboldus Polonensis episcopus.

Gauslinus Patavensis episcopus.

Arnaldus Tridentinus episcopus.

Teutpertus * Feltrensis episcopus. (* vel Rupertus)

Zenobius Fesulanus episcopus.

Gothofredus Aquensis episcopus.

Roilo Astensis episcopus.

Luido Glosinensis episcopus.

Adalbertus Bonensis episcopus. (Bononiensis)

VVido Mutinensis episcopus.

Ioannes Imolensis episcopus.

Ratherius Veronensis episcopus.

Antonius Brisuensis episcopus.

Vdalricus Bergomensis episcopus.

Ioannes Iordanensis episcopus.

Aupaldus Novariensis episcopus.

Lupus Spoletinæ ecclesiæ.

Sigihardus Cetensis episcopus.

Rihelardus Fanensis ecclesiæ episc. subscripsi.

Actum Ravennæ VII. Kal. Maii, per manum Stephani scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ. In mense Aprili, & indictione decima: in præsentia omnium sanctorum episcoporum.

[u]** INSTITVTIO ARCH. MAGDEBVRG. *in concilio Ravennatensi.*

ANNO incarnationis dominicæ plus minusve nongentesimo sexagesimo septimo, regnante Ottone imperatore Augusto, Christianæ religionis ac divinæ servitutis propagatore solertissimo, ejusdẽ imperatoris industria, habita est synodus Ravennę in suburbio, in ecclesia beati confessoris episcopi Severi, residentibus domno Ioanne summo universali pontifice, & pluribus Italiæ, Germaniæ, ac Galliæ præsulibus, & de statu ecclesiæ tractantibus, adstante etiam innumerabili clero & populo. Idem ergo serenissimus imperator Augustus Otto, qui eandem sanctam synodum ob communem imperii sui salutem congregaverat, plurimas Sclavorum nationes ultra flumen Albiæ in confinio Saxoniæ multo se labore & maximis sæpe periculis ad Christum convertisse coram omnibus retulit. Et quia rudes & necdum stabiles erant, qua tuitione, quave custodia & quotidiana solicitudine in fide corroborari deberent, S. synodum consuluit: rogans, ut quod ipse summo studio Deo mancipaverat, pastoris negligentia ad vomitum redire non sineret. Hujus dignam relationem, & tantam fidei confessionem S. synodus benigna aure suscipiens, Deoque in his omnibus gratias agẽs, tot Sclavorum populos ad Deum noviter conversos nonnisi per episcopos in convenientibus locis, in unaquaque eorum provincia, secũdum populi quantitatem, in rationabilẽ terræ divisionem constituendos, ad hoc animari atque erudiri posse censuit, & ratũ ęstimavit. Ad quod agendum, ut major firmitas, & tutior in episcopis ordinandis sit opportunitas, archiepiscopum, ad quem negotium suum, & controversiam, si qua orta fuerit, quasi ad caput referre, & discutere valeant, eis constitui atque præponi, communi deliberatione, censuit; & hoc

hoc ejus judicio & discretione, in quo maxima reparandæ, & confirmandæ religionis post Deum fiducia erat, fieri debere, omnino indicavit. Est præterea civitas in parochia Halberstadensis episcopii, Magdeburg dicta, in confinio Saxonū, & Sclauorū, in ripa prædicti fluminis Albiæ: in qua isdem serenissimus Cæsar populi multitudinem adunavit, ecclesias construxit, plurimorumque martyrum, beati scilicet Mauritii, & Innocentii, aliorumque innumerabilia corpora sanctorum illuc transferens, canonicosque inibi Deo famulantes constituens, ad eorumdem victum & ecclesiæ utilitatem, castra, villas, prædia, decimasque cum universis adjacentiis affluenter ex proprio concessit. Placuit igitur omnibus, apud prædictam civitatem Magdeburg archiepiscopalem fieri cathedram, eo quod hæc in cōfinio Sclavorum, ut prædiximus, loco videretur opportunior, & in ejus propagatione voluntas Imperatoris esset amplior. Ad hæc Imperator precibus, & Dei voluntate commotus, sanctę congregationis decreto paruit, & hoc privilegio apostolicæ sedis corroborari dignum duxit: quod & actum est, & a summo pontifice, omnibusque præsulibus Italiæ, Galliæ, & Germaniæ, qui aderant, propriis manibus corroboratum. Cæterum quia præsul Halberstadensis synodo huic non affuit, causæ clausulam in ejus adventum differre placuit, ut civitatem ipse a debito subjectionis absolveret, & tunc demum privilegium & subscriptio illibata fieret. Anno igitur integro, & dimidio jam evoluto, cū Hatto archipræsul Magontiēsis cum præfato Hildevvardo, suo videlicet suffraganeo, eo devenisset, & Imperator illos pro prædicta causa blanda petitione convenisset: Hildevvardus episcopus, tam ex archiepiscopi consensu, quam omnium qui aderant consulto, prompta & hilari mente, piæ ejus petitioni annuit, ac facto impiæ sentiarum pari æstimatione concambio synodali decreto sancto Mauritio Magdeburg, sanctoque Laurentio Merseburg, quæque petita tradidit, id est omnem parochiam sitam inter fluvios Albiam, Salam, Horam & Bodam, usque ad ea loca, ubi castra Vnnesburch Vnantzleva, Hortesleva, cum omnibus pertinentiis, & villis, quæ Burchvvart appellantur, versus occidentem longius protenso fine terminantur, cum omni decimatione, banno, subjectione, obedientiis in omni ecclesiastico ordine, prout Halberstadensis ecclesia visa est eatenus possedisse. Recepit autem ad vicem ab Imperatore, in partem & utilitatem suæ ecclesiæ, omnem decimationem in Hosgovve, ut terminatur in fluviis Sala VVillerbiche, & VVippera, cum omni possessione, quam de abbatia in honore B. VVicberti in territorio Herolvesfelt constructa, idem imperator æqua commutatione acquisierat, cujus etiam abbatiæ ipse fundator erat. Huic autem concambio confirmando jussione domni Ioannis summi & universalis pontificis, & Cæsaris Augusti Ottonis, petitione quoque Hildevvardi Halberstadensis antistitis, Ambrosius Palatinus cancellarius, & Petrus sanctæ Ravennatis ecclesię archiepiscopus, alii quoque quamplurimi episcopi Italiæ, & Germaniæ subscripsere, quorum etiam nomina in præsenti paginula studuimus annotare.

Mendosissimæ subscriptiones.

Ego Ambrosius Palatinus cancellarius subscripsi, complevi, & dedi.

Petrus archiepiscopus sanctæ Ravennatis ecclesiæ interfui, & subscripsi.

Hatto Moguntinus archiep. interfui, & subscripsi.

Ego Hildivvardus Halberstadensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Vngfridus * sanctæ Virdunensis ecclesiæ episcopus & pastor libens subscripsi. *cor.* VVigfridus

Ego Reginoldus Rubilocensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Ego Evverardus sanctæ Leodicensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Ego Adelbertus Lunensis episc. interfui, & subscr.

Ego Rupertus [1] sanctæ Feltrensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Ego Albertus sanctæ Tarvisiacensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Ego Gauslinus sanctæ Pataviensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Abraham S. Frinsingensis ecclesiæ episc. interfui.

Martinus episc. S. Fr [2] ..... episc. interfui, & subscr.

Vinth [3] episcopus sanctæ Mutinensis ecclesiæ consensi, & subscripsi.

Rudolfus episcopus [4] consensi, & subscripsi.

Elberich [5] consensi, & subscripsi.

Ioannes ep. Eugubiensis eccl. consensi, & subscr.

Ego Lirgiso episcopus sanctæ Ordinatæ ecclesiæ consensi, & subscripsi.

Ioannes episcopus Calliensis ecclesiæ consensi, & subscripsi.

Luto [6] episcopus sanctæ Clusensis ecclesiæ consensi, & subscripsi.

Albericus episcopus sanctæ Pisensis ecclesiæ consensi, & subscripsi.

Ludini episcopus consensit, & subscripsit.

Hubertus episcopus subscripsit.

Sichelmus sanctæ Florentinæ ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

Adalbertus S. Bononiensis eccles. episc. consensi.

Arnolfus episcopus consensi.

Ioannes Imolensis eccl. episc. interfui, & subscr.

Luitprandus S. Cremonensis episcopus ecclesiæ interfui, & subscripsi, his juste peractis Constantinopolim rediens.

Odelricus Bergomensis episc. interfui, & subscr.

Grimoaldus sanctæ Rhegiensis ecclesiæ episcopus interfui, & subscripsi.

. Antonius Brixiensis eccl. ep. consensi, & subscr.

Sigulfus episcopus consensi, & subscripsi.

Sigulfus S. Placentinæ eccl. ep. consensi, & subscr.

Petrus episcopus subscripsit.

[1] *vel* Teutpertus

[2] *f.* Sutriensis ecclesiæ

[3] Vido

[4] *f.* Vicentinus

[5] *f.* Albericus Conc. episcopus. Hūc omisit Vghellus, quanquam in Adamo Parent. episcopo, ejus mentio apud ipsum.

[6] Lutus

Explicit fundatio archiepiscopatus Magdeburgensis.

G C. Hæc repræsentavimus ex chron. MS. Anonymi Saxonis, desinente in an. Chr. 1180. cujus hoc fragmentum ad nos transmissum est ab eruditissimo viro Alexandro Viltheim S. I. Henricus Meibomius, post VVitichindi annal. Saxonicos edidit hujus archiepisc. instituti narrationes duas: quarum prioris idem est initium, & eadem fere verba, atque hujus nostræ; posterioris, idem finis. Hanc cum istis conferre inutile non erit. Episcoporum subscriptiones ex Meibomio, apud quem sunt ampliores, quamquam & in multis mendosæ, edidimus. Quæ deinde consecuta sunt, quamquam pars non sunt concilii: quia tamen ad integram rei in concilio constitutæ notitiā pertinent, ex eodē MS. cod. hic exhibeo.

His ita peractis, Cæsar admodum lætatus, nec minus pro adhuc peragendis secundum Deum solicitus, accersito Richario Magdeburgensis cœnobii abbate tertio, coram Annone VVormaciensi, & Othvvino Hildineshemensi episc. secum tunc forte commorantibus, volebat illum officio episcopatus fungi, in ipsa mutatione sedis suæ. Sed impedierunt quidam occulto consilio, & Imperatori pro hoc secreto delatæ literæ. Qui dum se tanto honore privatum intelligens minus æquo animo ferret, ac in impediendo tam sancto proposito, Imperatori quoquo pacto obviare proponeret: ne malitia mutaret intellectum illius, brevi pulsatus valetudine, terrena mutavit cælestibus, successitque in ipsa sedis mutatione Herdingius in eadem congregatione nutritus, & electus. Transmutata est itaque abbatia in mōtem suburbio

suburbio ejusdem civitatis adjacentem, deputaturque sancto Ioanni Baptistæ, & adhuc habetur, & o utinam diu feliciterque habeatur, famulatura. Monachi quoque succedentibus sibi clericis reliquerunt in libris, & aliis rebus, plurima ornamenta, quæ ibidem imperiali munere, & propria industria fuerant congregata. Cumque illorum corda de hac migratione non immerito gravaret tristitia: Cæsar eis pro consolatione, prædiorum suæ hereditatis non parva dona adjecit, & quocumque in loco cum canonicis in una statione conveniant, ipsi dextra in parte supremum locum obtineant constituit; sed & præterea ut recurrente annuatim translationis hujus die, quæ est v. Idus Augusti, id est, in vigilia victoris ignium leuitæ Laurentii, pedibus nudis processione lugubri sedem suam visitantes, missam celebrent: quo dum apud canonicos, quã & apud monachos facti perpetim hujus staret inviolabilis memoria, eos quoque dilectio jungeret indivulsa: quatenus illi hos tãquam primos ecclesiæ suæ patres omni honoris exhibitione præveniant, illique non dispari talione quod membra debent capiti, quod etiam testator heredi, plena devotione restituant. Sed nec fefellit adinventorum tam prudens consilium, sicut est usque hodie cuique scire volenti publicum. Erat tunc temporis quidam magni nominis & meriti Adelbertus, qui dudum Treviris de cœnobio S. Maximini monachus abstractus, & episcopus consecratus, sicut in superioribus partim tractavimus, ad prædicandum Rugis fuerat destinatus. Sed populus exasperans dura fronte, & indomabili corde, expulit illum de finibus suis, contemnens euangelium pacis, quia Dei providentia in terra nostra populus illi committendus erat novæ acquisitionis.

ANNO DOMINI DCCCCLXX. OTTONIS XXXIV.

Igitur Imperator prædictum Adelbertum de VVizinburgensi abbatia, quam interim regebat, assumptum, prædictæ ecclesiæ, per omnia dignum, & probatum, sacerdotio promovit, eumque pro pallio, & privilegio ab apostolica sede suscipiendo, cum literis suæ autoritatis direxit. Quem Ioannes apostolicus nominis illius XIII. in ordine vero Romanorum pontificum CXXXVI. benignissime suscipiens, proprio etiam studio gloriosissimi Imperatoris, quod in amplificatione divini cultus habebat, gaudens, ideoque justis ejus petitionibus annuens, apostolica illum autoritate archiepiscopum fore, ejusque successores, decrevit. Dans etiam eidem pallium ad missarum solennia celebranda, nimia dilectione commonitus, XV. Kal. Novemb. id est, in festo sancti Lucæ euangelistæ, ipse circumposuit, & privilegio apostolicę autoritatis sanxit, ac cõfirmavit, eum in omni ecclesiastico ordine primatum habere omnium ecclesiarum, archiepiscoporum, qui in Germania ordinati sunt; in Gallia quoque, Coloniensi, Magontiensi, Trevirensi archiepiscopis per omnia honore similem esse. Crucis signaculum ante se ferre, & inter cardinales episcopos Romanæ sedis consortium habere. Præterea XII. presbyteros, VII. diaconos, XXIV. subdiaconos cardinales, ad morem sanctæ Romanæ ecclesiæ ordinare, qui ad principale altare ministrantes quotidie, excepto jejunio, dalmaticis; festis vero, sandaliis uterentur: & ut presbyteri & abbates sancti Ioannis Baptistæ, tunicis induerentur: & ut his exceptis, & episc. super altare in honore beati Mauritii dedicatum, missam celebrare aliquis nullo modo præsumeret. Præterea statuit eũ esse metropolitanum totius ultra Salam, & Albiam, Sclavorum gentis, tunc ad Deum conversæ, vel convertendæ, & ut secundum desiderium Imperatoris in his civitatibus, in quibus olim barbari ritus maxima viguit superstitio, id est Cizi, Misni, Merseburg, Brandenburg, Havelberga, Poznani, in honore domini episcopi a fundarentur, quorum pastores, secundum canonicam autoritatem, Magdeburgensi archiepiscopo fidem & subjectionem debendo, sociarentur. His & aliis, quæ privilegia adhuc inibi conservata testantur, synodali decreto ordinatis, & sub interminatione Dei, & apostolici nominis confirmatis, præfatus archiepiscopus, cum legatis Romanæ ecclesiæ, VVidone scilicet episcopo, bibliothecario, & Benedicto cardinali, qui illum cum Hildvvardo Halverstadensi episcopo sedi suæ inthronizarent, dimissus, ad Imperatorem remeavit lætus, quem Imperator nihilominus gaudens, utpote beati desiderii compos, cum literis commendatitiis Magdeburg destinavit. Illuc ergo ex præcepto Imperatoris, episcopi, marchiones, & reliqui Saxoniæ principes convenientes, ipsum honorifice susceperunt, & vocum acclamatione, manuumque elevatione electum, cum præfatis apostolicæ sedis legatis, celebri ritu inthronizaverunt. Adfuit omnis sexus, & ætas gaudentium, fuit prorsus generale tripudium, ubi ad confirmationem sui, idem archiepiscopus in præsentia eorumdem natalem domini secum celebrantium, Bosonem monachum, Mersburgensi; Burchardum, Misnensi; Hugonem, Cizensi ecclesiis, primos episcopos ordinavit: & Adeldagum primum ecclesiæ Magdeburgensi præpositum instituit. Dudo quoque Havelbergensis, & Dudelinus Brãdeburgensis episcopi, primus quidem Moguntino episc. subjecti, sed tunc agente Imperatore a debita sibi obedientia absoluti, Magdeburgensi ecclesiæ, ejusque archiepiscopo cum præfatis confratribus fidem, & subjectionem promisere. Ipse namque felicis memoriæ imperator Otto, erat constructor omnium harum, quas archiepiscopatui subjecerat, episcopalium sedium: nimirum infinitæ hereditatis suæ potissimum cupiens heredem esse Deum, non pauca tamen relinquens successioni filiorum. In tanti ergo talisque solennii pro summi regis exortu, celebratione, tum etiam pro nova populi ipsius, vel cultus augmentatione, gaudebat chorus Magdeburgensium a summo principe missum principem, canit frequentia principum, palamque a pastoribus ecclesiæ, laudabili numero hic adauctis, laudatur pastor creator omnium.

LEGES ECCLESIASTICÆ REGIS EDGARI

VT PER SE HABENTVR IN SAXONICO libro, a sæcularibus disjunctæ, & a Lambardo versæ.

TITVLI CAPITVLORVM.

LEGES EDGARI REGIS.

LEGES quas Edgarus rex frequenti senatu ad Dei gloriam, regiæ majestatis ornamentum, ac reipublicæ utilitatem sancivit.

I.

Primum, ecclesia Dei jura atque immunitates suas

ANNO CHRISTI 967.

suas omnes habeto: decimas quisque primariæ (cui is fuerit subjectus) ecclesiæ, ut ipsum quidem circumducitur aratrum, dato, sive id in prædiis thanorum propriis, sive in terris villicorum fuerit.

II.

Thanus si in terra ex scripto possessa templum habuerit, circum quod fuerit destinatus sepulturæ locus, decimarum suarum trientem unum in id conferre ei integrum esto. Sin circa templum nullus fuerit designatus humationi locus: dato qui est fundi dominus sacerdoti novem partium reliquarum quantulum visum fuerit. Atque ex omni quidem ingenuorum terra, ipsæ seminum primitiæ, primariæ penduntor ecclesiæ.

III.

Quisque fetuum decimas omnes ante pentecosten persolvito: terræ quidem fructuum decimas ante æquinoctium pendito: ipsas autem seminum primitias sub festum divi Martini reddito. Si quis non solverit, pœnas, ut judiciali libro proditum est, dato. Atque si quis decimas, ad eum quem diximus modum, dare noluerit: præpositus regius, illius loci episcopus, & sacerdos conveniunto, atque eo vel invito decimam ecclesiæ cui debeatur partem, nona ei reliqua facta, reddunto. Quod ad residuas octo partes attinet, quatuor dominus, quatuor episcopus habeto: id quod fiat, sive is fuerit minister regis, sive thani alterius cujuscumque.

IV.

Denarius autem in domos singulas impositus, ante festum divi Petri redditor. Qui tum non solverit, denarium illum ac alios prætera triginta ad Romam comportato, certaque literarum testificatione, domum rediens, se eo detulisse confirmato, ac regi denique centum viginti solidos numerato. Si quis secundo non dederit, denarium illum ac prætera ter denos Romam deferat, regique postquam redierit ducentos solidos dependito. Sin tertio deliquerit, rebus suis omnibus exuitor.

V.

Dies sabbati ab ipsa diei Saturni hora pomeridiana tertia usque in lunaris diei diluculum festus agitor: qui non celebrarit, pœnas in judiciali libro descriptas pendito. Cæteri autem dies, perinde ut fuerint a sacerdote indicti, festi aguntor. Instituta etiam quam religiosissime observantor jejunia.

LEGUM ECCLESIASTICARUM EDGARI REGIS PRISCA VERSIO.

Hoc est, institutum quod Edgarus rex consilio sapientum suorum instituit Deo ad gloriam, & sibi ad regiam dignitatem, & genti suæ ad commodum.

I.

Primum est, ut ecclesiæ Dei, recti sui dignæ sint, & reddatur omnis decimatio ad matrem ecclesiam cui parochia adjacet de terra thaynorum & villanorum, sicut aratrum peragrabit.

II.

Si quis thaynorum sit qui feodo suo ecclesiam habeat ubi cœmeterium sit, det ei tertiam partem decimæ suæ. Si non sit ibi atrium, det ex suis novem partibus presbytero quod vult, & etiam omne ciricsceatum ad matrem ecclesiam de omni libera domo.

A

III.

Et omnis decimatio juventutis reddita sit ad pentecosten, & terræ frugum ad æquinoctium, & omne ciricsceatum ad festum sancti Martini, per plenam forisfacturam quam judicialis liber dicit.

IV.

Si quis decimam dare noluerit, sicut diximus, adest præpositus regis & episcopi * sacerdos illius ecclesiæ, & reddat ecclesiæ cui pertinebit decimam suam, & nonam partem dimittant ei qui decimam suam detinuit, & octo partes in duo dividantur, dimidium domino, dimidium episcopo, sit homo regis, sit homo thayni.

* *f* & episcopus, & sacerdos, &c.

V.

B Et omnis heordpen reddat ad festum sancti Petri: & qui non solvit ad terminum illum, deferat eum Romam, & etiam triginta denarios, & afferat inde significationem quod tantum ibi reddidit. Et cum redierit domum, emendet centum viginti solidos. Et si iterum reddere nolit, deferat eum Romam, & emendationem eamdem. Et cum redierit, emendet centum viginti solidos regi. Ad tertiam vicem, si adhuc non reddiderit, perdat totum quod habebit.

VI.

Et solenne diei dominicæ conservetur ab hora nona sabbati usque ad lucidum diei lunæ, super forisfactura quam liber judiciorum dicit & docet.
C Et alia festivitas, sicut a sacerdote nuntiabitur. Et omne indictum jejunium cum omni devotione servetur.

CANONES EDITI SUB EDGARO REGE, ET AD LEGES SUAS PERTINENTES, UT in veterrimo manuscripto codice Saxonico collegii corporis Christi Cantabrigiæ reperiuntur, sub hoc frontispicio:

CIRCA ANNUM CHRISTI 967.

Hæc quæ sequuntur pertinent ad constitutiones Edgari regis, de ordinatorum vivendi formula.

I.

D Docemus ut ministri Dei ardentius Deo serviant & ministrent, & pro omni Christiano populo apud Deum intercedant; & ut eorum singuli superioribus suis fideles sint & obedientes, & in communi necessitate unanimes, auxiliumque invicem præstantes coram Deo & hominibus, & ut sæcularibus suis dominis firmi etiam sint & fideles.

II.

Docemus etiam, ut unusquisque alterum honore prosequatur, & ut juniores senioribus obedientiam religiose præbeant & amorem: senioresque juniores suos diligenter instruant.

III.

E Docemus etiam, ut ad synodum unamquamque annuo habeantur libri, & vestimenta servitio Dei congruentia: nec non atramentum & pergamena ad eorum constitutiones describendas: triduanusque insuper commeatus.

IV.

Docemus etiam, ut sacerdos quilibet ad synodum veniens clericum suum habeat, & * manupastum suum seu fidelem in ministrum, neminem autem incognitum, aut stultitiæ deditum: & adveniant omnes in fidelitate & timore Dei omnipotentis.

V.

Docemus etiam, ut si mali quid acciderit sacerdoti,

Anno Christi 967.

doti, vel ei quis injuriam fecerit, synodo referat, suscipiantque omnes ut illatam omnibus, ferantque opem ut emendatio fiat pro arbitrio episcopi.

VI.

Docemus etiam, ut sacerdos faciat synodo innotescere, si quem in parochia sua in Deum reperit contumacem, vel qui graue aliquod peccatum foveat, nec hunc valeat audeatque ob metum sæcularium ad reformationem perducere.

VII.

Docemus etiam, ut inter sacerdotes non sint lites sive jurgia, nec ad arbitrium sæcularium deferantur; sed vel a paribus suis sint composita, vel, si opus fuerit, ad episcopum promoveantur.

VIII.

Docemus etiam, ut nullus sacerdos e propria sua voluntate ecclesiam deserat, cui sive consecratus sive benedictus fuerat; sed habeat eam pro legitima conjuge.

IX.

Docemus etiam, ut nullus sacerdos his se intromittat quæ ad alium spectant sacerdotem: siquidem nec in sua ecclesia, nec in sua parochia, nec in suo sodalitio seu fraternitate, nec in re alia quapiam ad eumdem pertinentè.

X.

Docemus etiam, ut nullus sacerdos alterius scholasticum subtrahat, ejus non impetrata venia ad quem prius pertinuit.

XI.

Docemus etiam, ut sacerdos quilibet ad augendam scientiam opificium discat diligenter.

XII.

Docemus etiam, ut doctus quisque sacerdos semidoctum aliquem non respuat; sed qua poterit operam det, ut doctiorem reddat.

XIII.

Docemus etiam, ut nullus sacerdos claris ortus natalitiis, inferioris stirpis sacerdotem levipendat: recte enim sentienti omnes homines sunt ejusdem geniture.

XIV.

Docemus etiam, ut sacerdos quilibet bene se gerat, nec mercator sit indebite, nec mercaturæ......

XV.

Docemus etiam, ut sacerdos quilibet baptismum administret quam cito requisitus fuerit: & ut per parochiam suam quosque moneat, ut infantes quoslibet intra XXXVII. noctes curent baptizari, & ut nullus ab episcopo confirmari diu nimium detrectarit.

XVI.

Docemus etiam, ut singuli sacerdotes Christianam religionem omni promoveant diligentia, nervisque omnibus gentilium deleant superstitiones. Prohibemus utique fictas ad libitum adorationes, necromantiam, divinationes, incantationes, hominum cultus divinos, & quæ præterea mortales adigunt in varios errores, & in *frithsplottum and on ellenum*, variarumque aliarum arborum, saxorum, & rerum multiplicium phantasmata, quæ decipiunt multos quos non deberent.

XVII.

Docemus etiam, ut Christiana quisque imbutus fide, liberos suos fide etiam imbuat Christiana: eosdemque doceat *Pater noster* & *Credo*, id est orationem dominicam, & symbolum apostolicum.

XVIII.

Docemus etiam, ut in festis diebus unusquisque abstineat a carminibus seu canticis gentilium profanis, & a * ludis diabolicis.

* subsannationibus

XIX.

Docemus etiam, ut in die Solis quisque abstineat a mercatura & popularibus comitiis.

XX.

Docemus etiam, ut unusquisque abstineat a fabulosis & absurdis lectionibus; quin & a cantilenis turpibus & blasphemis.

XXI.

Docemus etiam, ut quisque abstineat a contubernio pellicis, & legitimum amplectatur conjugium.

XXII.

Docemus etiam, ut quisque discat *Pater noster* & *Credo*, priusquam in consecrato sepeliatur cœmeterio, vel idoneus censeatur eucharistiæ percipiendæ: propterea quod Christiani non est dignus nomine, qui hæc noluerit ediscere: nec in baptismo alios valeat e sacro levare fonte, nec in confirmatione a manibus episcopi suscipere, si hæc prius non calluerit.

XXIII.

Docemus etiam, ut festis diebus, & in jejuniis, nulla sit inter homines ultra modum contentio.

XXIV.

Docemus etiam, ut festis diebus & in jejuniis nulla habeatur aut juramentorum aut ordalij (*hoc est forensium examinum*) administratio.

XXV.

Docemus etiam, ut festorum temporibus, & statis jejuniis, conjugatus quilibet ab uxore sua se contineat.

XXVI.

Ecclesiarum observatio.

Docemus etiam, ut sacerdotes ecclesias suas omni honorificentia custodiant in divinum ministerium purumque servitium, & in nihilum prætera: nec illic hi permittant quid superflui, ne vel intro, ne vel in proximo. Nullum illic vaniloquium, nihil factum indecore. Non hic inordinatæ compotationis locus, nec vanitatis unquam alicujus. Nec ecclesiæ cœmeterium canis intret, nec porcorum plures quam * quis possit regere.

* custos.

XXVII.

Docemus etiam, ut nemo quid in ecclesia reponat, quod illic habeatur indecorum.

XXVIII.

Docemus etiam, ut in ecclesiarum encæniis unusquisque se modestum exhibeat, & orationi incumbat diligenter, non poculis, non luxui deditus.

XXIX.

Docemus etiam, ut nemo quempiam in ecclesia sepeliat, quem non constat ex vitæ probitate Deo placuisse, & ex eo judicetur hujusmodi sepultura dignus.

XXX.

Docemus etiam, ut nullus sacerdos missam celebret in ulla domo quæ non sit ecclesia consecrata, nisi ob extremam alicujus ægritudinem.

XXXI.

Docemus etiam, ut sacerdos ne vel unquam Missam celebret, præterquam super altare consecratum.

XXXII.

Docemus etiam, ut sacerdos nunquam missam celebret sine libro: habeatque igitur ipsum canonem coram oculis, ne alioquin impingat.

XXXIII.

Docemus etiam, ut sacerdos quilibet missam celebrans habeat vestem, quam dicunt corporalem, * subumlemque infra albam suam, & missalia omnia, prout decet, vestimenta debite contexta.

XXXIV.

Docemus etiam, ut unusquisque sacerdos solicite curet ut librum probum habeat, saltem vel fideliter correctum.

XXXV.

XXXV.

Docemus etiam, ut nullus missalis sacerdos missam solus celebret, ne sic desideretur qui respondeat.

XXXVI.

Docemus etiam, ut nemo non jejunus eucharistiam accipiat, nisi ob nimiam ægritudinem.

XXXVII.

Docemus etiam, ut nullus sacerdos missam sæpius in uno die celebret quam ter ad summum.

XXXVIII.

Docemus etiam, ut sacerdos semper habeat præparatam, prout opus fuerit, eucharistiam, & hanc in puritate custodiat, caveatque ne inveterascat. Sin diutius reservata fuerit quam oportuit, & ut nauseam pariat: comburetur tunc in puro igne, condanturque cineres sub altari, & noxæ reus apud Deum componat.

XXXIX.

Docemus etiam, ut ne vel unquam sacerdos adeo temerarius sit, ut missam celebret, nisi omnia habeat ad eucharistiam pertinentia: scilicet oblationem puram, vinum purum, & aquam puram. Væ illi qui missam occeperit, istorum aliquo desiderato: & væ illi qui turpe aliquid in hoc patraverit: similis enim est Iudæis illis qui acetum & fel commiscuerunt, & per ludibrium postea Christo porrexerunt.

XL.

Docemus etiam, ut ne unquam dignus sit sacerdos missam celebrare, qui ipse eucharistiam non percepit: nec in sacris ordinibus alium consecret, qui nunquam ipsemet consecratus fuit.

XLI.

Docemus etiam, ut quivis calix quo quis eucharistiam consecraverit, fusilis sit: & in ligneo, ne omnino consecrato.

XLII.

Docemus etiam, ut omnia circa altare & ad ecclesiam pertinentia mundissima sint, & apprime concinnata. Indignum nihil huc accedat, sed quod sanctum est, honorifice reponatur: & semper in ecclesia lumen ardeat, dum missa decantetur.

XLIII.

Docemus etiam, ut nemo negligat sacratum aliquid: aquam scilicet benedictam, sal, thus, panem, & hujusmodi cætera.

XLIV.

Docemus etiam, ut altari mulier non appropinquet, dum missa celebratur.

XLV.

Docemus etiam, ut quis statis temporibus campanas pulset, & ut omnis tunc sacerdos cantum suum horarium in ecclesia psallat, Deum in timore invocet solicite, & pro omni populo preces fundat.

XLVI.

Docemus etiam, ut nec missalis sacerdos, nec parochialis aliquis, intra ostium ecclesiæ veniat, vel intra cancellos, absque superiori suo indumento: nec ad altaris unquam ministerium absque vestitu designato.

XLVII.

Docemus etiam, ut nemo in sacris ordinibus constitutus cæsariem alat, nec tonderi perperam se permittat, si Dei benedictionem speraverit, & sancti Petri, & nostram.

XLVIII.

Docemus etiam, ut in festivitatibus & jejuniis celebrandis sacerdotes omnes sint unanimes, eademque uno & eodem modo indicent populo, ne hunc alioquin in errorem ducant.

XLIX.

Docemus etiam, ut jejunium omne erogatis eleemosynis fiat gratius: quisquis enim ex devotione erga Deum solicite elargitur eleemosynas, jejunium suum procul dubio apud Deum reddit complacentius.

L.

Docemus etiam, ut sacerdotes in ecclesiæ ministeriis unanimiter operam navent, & in omni ecclesia consimile stipendium annuum mereantur.

LI.

Docemus etiam, ut sacerdotes sedulo erudiant juventutem, & ad artificia ediscenda eos pertrahant, futuros utpote in rem ecclesiæ.

LII.

Docemus etiam, ut sacerdotes in qualibet die Solis populo prædicent, præbeantque se exemplum bonæ vitæ.

LIII.

Docemus etiam, ut nemo Christianus ullius generis sanguinem comedat. *litura opprimit sequentia.*

LIV.

Docemus etiam, ut sacerdotes populum instruant de his quæ de jure Deo sunt reddenda. Decimæ scilicet, & res aliæ, inter quas & illa primum quæ aratri dicitur eleemosyna, alias cirisceatum, & primitiæ seminum intra quindecim noctes a paschatis festo: fetuum decimæ ante pentecostem: fructuum terræ ante omnium sanctorum celebritatem: nummus Romanus, qui denarius sancti Petri dicitur, ad festum vinculorum ejus: & cirisceatum, id est primitiæ seminum, ad Missæ sancti Martini celebrationem, id est tertio Iduum Novembris, solvantur.

LV.

Docemus etiam, ut sacerdotes ita distribuant populi eleemosynas, ut & Deum reddant magis propitium, & populum ad eleemosynas procliviorem.

LVI.

Docemus etiam, ut sacerdotes psalmos canant, cum datas distribuerint eleemosynas, hortenturque pauperes, ut pro populo qui has dabant solicite intercedant.

LVII.

Docemus etiam, ut sacerdotes ipsi ebrietatem caveant, aliisque perhibeant studiosius cavendam.

LVIII.

Docemus etiam, ut nullus sacerdos aut poeta sit, aut ullatenus histrio, sive ut sibi placeat, sive ut aliis: ita autem se gerat ut ordini suo convenit, prudentem scilicet & pro dignitate gravem.

LIX.

Docemus etiam, ut sacerdotes ne jurent caveant: aliosque a jurando cohibeant.

LX.

Docemus etiam, ut nullus sacerdos mulierum consortium plus æquo diligat: sed propriam suam uxorem diligito, id est ecclesiam.

LXI.

Docemus etiam, ut nullus sacerdos falso adstet testimonio, nec sit furibus a consiliis.

LXII.

Docemus etiam, ut sacerdos nunquam se ordalio implicet præter debitum suum officium, nec forensibus juramentis.

LXIII.

Docemus etiam, ut sacerdos * contra thanum in compurgatione non juret, nisi thanus præjuraverit.

* *vel* cum thano, *id est*, barone.

LXIV.

Docemus etiam, ut sacerdos non sit venator, nec accipitrarius, nec potator, sed libris suis versatus, prout ordini suo convenit.

LXV.

Anno Christi 967.

LXV.

Docemus etiam, ut sacerdos quilibet confessionem doceat & pœnitentiam, necnon ut peccata confitentes, satisfactionem utique prosequantur. Ægrotis etiam, prout opus fuerit, eucharistiam præbeat, &, si desideretur, unctionem. Post obitum involucro sedulo detur, & apud corpus nihil permittatur vanum, aut indecorum, sed in timore Dei sepelitor.

LXVI.

Docemus etiam, ut sacerdos quilibet oleum habeat, cum ad baptizandos infantes, tum ad ægrotos ungendos, & reliquum omnem apparatum publicis suis debitum ministeriis. Fidem Christianam modis omnibus promoveto; hinc bene prædicando, illinc bene vivendo exemplum præbens: tunc lucrabitur ut omnipotens Deus ei sit propitius.

LXVII.

Docemus etiam, ut sacerdos quilibet chrisma repetens ab episcopo, non obliuiscatur enarrare quid in orationibus suis pro rege fecerit & episcopo.

DE CONFESSIONE.

I.

Modus confitendi.

Quando aliquis voluerit confessionem facere peccatorum suorum, viriliter agat, & non erubescat confiteri scelera & facinora, se accusando: quia inde venit indulgentia, & quia sine confessione nulla est venia: confessio enim sanat, confessio justificat.

Magna hic lacuna sive spatium ἄγραφον in manuscripto codice, cui cætera alias insferturus videbatur scriba.

Præveniat hunc famulum tuum, quæso Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur: per Iesum Christum Dominum nostrum.

Exaudi, quæso Domine, supplicum preces clamantium ad te, quæso Domine.

II.

Officium confessarij.

Hoc illi serio cogitandum est, qui hominum animabus medicus constituitur, ut eorum noverit actiones: eas scilicet recte ut discriminet, rectamque teneat in censura singulis imponenda rationem. Vtcumque res se habuerit, ne præjudicet peccatorem medicus, nec in desperationem eum adigat. Cum vero quis peccata sua confiteri voluerit, exaudiet eum primo comiter, quænam sit hæc sua intentio, & utrum velit & possit ea quæ patraverit humiliter confiteri, & reatus suos quoscumque perscrutari.

III.

Interroga ipsum de sui ipsius moribus: extorque scelera, & quæ fecit propone omnia: sed hoc tecum semper recognoscens, ut uno eodemque modo nunquam judicabis divites & pauperes, liberos & servos, seniores & juuenes, firmos & infirmos, humiles & superbos, fortes & debiles, ordinatos & sæculares.

Iudex prudens prudenter distinguet de facto; quod videlicet, quomodo, ubi, & quando sit perpetratum. Et quamvis nullo loco seu tempore licitum sit peccatum: festis tamen diebus, & in jejunij temporibus, festivisque locis, cautius quisque ab hoc tenetur abstinere. Quanto etiam quis potentior est, & majoris dignitatis, tanto gravius pro peccatis coram Deo & hominibus corrigendus est. Forti enim atque debili non imponetur onus simile, nec infirmo quidem prout firmo: sed prudenti inter

A istos moderamine distinguendum est.

IV.

Anno Christi 967.

Fidei symbolum.

Post hæc assurgat humillime pœnitens ad confessionem suam, & primo dicat: Credo in Dominum Patrem altissimum, rerum omnium gubernatorem: & in Filium, & in Spiritum sanctum: & credo esse vitam post mortem. Et credo me resurrecturum in die judicij: & credo me per potentiam Dei, & ipsius misericordiam, hisce omnibus dignum fore.

V.

Post hæc lugenti animo confessionem suam suo confessario humillime referat, & conquiniscens dicat suppliciter in hunc modum:

Confessionis forma.

Confiteor Deo omnipotenti, & confessario meo spirituali medico, omnia peccata quæ malorum spirituum inquinamento unquam perpetravi; sive in facto, sive in cogitatione, sive cum masculis, sive cum feminis, aliave creatura, sive secundum naturam, sive contra naturam.

VI.

Confiteor ingluviem ciborum & mane & vesperi. Confiteor omnimodam avaritiam, & invidiam, & detrectationem, & bilingue vitium, mendacitatem, & inanem jactantiam, & vaniloquium, prodigalitatem impiam, & cujusque generis fastum, qui effrenato huic corpori meo aliqualiter acciderit. Confiteor me frequentius fuisse peccati autorem, peccati fautorem, peccati conscium, & peccati doctorem.

VII.

Confiteor animo meo perpetratum homicidium, perjuria, seditionem, superbiam, & neglectum præceptorum Dei. Confiteor omnia quæ oculis unquam viderim, vel concupiscendo, vel vituperando indebite: etiam omnia quæ vel auribus audiverim vana & superflua, vel ore meo locutus fuerim.

Confiteor etiam corporis mei peccata omnia, cutis, carnis, ossium & nervorum, renum & cartilaginum, linguæ & labiorum, faucium, dentium, & cæsariei, medullæ, & rei cujusque alterius, quæ vel mollis est vel dura, humida vel sicca. Confiteor baptismum meum me pejus observasse, quam Domino meo sum pollicitus, professionemque qua tenebar in Dei & sanctorum suorum laudem custodire, & in mei ipsius salutem æternam. Confiteor me horas meas canonicas sæpius neglexisse, sæpiusque pejerans Domini vitam & nomen ejus in vanum accepisse.

IX.

Rogo & obtestor Dominum meum pro his omnibus remissionem, ut in me nunquam ex insidiis prævaleat diabolus, ne forte moriar absque confessione, & peccatorum meorum emendatione, sicut hodie confessus sum omnia mea peccata coram Domino nostro salvatore Christo, qui cælum & terram moderatur, & coram sacro isto altari, & reliquiis istis, & coram confessario meo & Domini missali sacerdote: & sicut puram edidi & veracem confessionem, & prompti sum animi corrigere omnia peccata mea, & qua possim sedulitate ea semper postea declinare.

X.

Et tu, Iesu Christe salvator mi, miserere animæ meæ, & remitte, precor, deletoque peccata mea & transgressiones meas, quæ vel olim vel recentius unquam perpetravi; & ducas me in sublime regnum tuum, ut illic verser cum electis & sanctis tuis absque fine & in æternum. Nunc & te humiliter obsecro, sacerdos Domini, ut tu mihi testis sis in die judicij, ut nullam in me potestatem habeat diabolus, & ut tu apud Dominum mihi sis causidicus, ut peccata mea & transgressiones commissas corrigam,

&

ANNO CHRISTI 967.

& ab ejusmodi aliis committendis desistam. Ad A hoc præstandum adjuvet me dominus ille qui vivit & regnat absque termino in æternum. Amen.

MODUS IMPONENDI POENITENTIAM.

I.

Si quis senex vel juvenis, dives vel pauper, sanus vel infirmus, alteriusve alicujus ordinis, invitus peccaverit: non ita accipiendum est, tanquam voluntarie fecisset, vel ex industria. Si quis etiam necessitate coactus mali quidpiam perpetraverit: ex hoc ipso quod necessitate coactus perpetravit, veniam & censuram mitiorem semper mereatur.

II.

Caute distinguendum est de quolibet facto, Dei atque hominum causa.

Hæc ministeria observantur in partibus transmarinis. B

III.

Omnis episcopus sedem suam episcopalem capessat in die illa Mercurii, quæ caput jejunii appellatur: & tunc ad eum veniat unusquisque illius diœcesis qui capitali laborat crimine: & cum hoc confessum fuerit, docebit eum confessarius pœnitentiam juxta rationem cujuslibet reatus sui. Dignus vero si quis sit sententia graviori, separabit eum ab ecclesiastica communione: concedet tamen & hortabitur, ut negotia sua necessaria exequatur, & sic demum impetrata venia domum redeat.

IV.

Post hęc etiam in die Iovis, paschatis festum præcedentis, convocantur omnes utique ad eumdem locum: decantansque super eos episcopus hymnorum aliquid, absolutionem eis cedit, & revertendi domum cum benedictione concedit veniam. Hoc ab omnibus Christianis observandum est. C

V.

Verumtamen debet sacerdos, puta parochialis, diligentius indagare, quali contritione, & quali insuper perfectione vel plenitudine, impositam sibi pœnitentiam unusquisque perimpleverit; & secundum hanc, remissionem exhibere.

VI.

Si laicus alium sine causa occiderit, pane & aqua septem jejunet annos, & eorumdem quatuor prout confessarius suus instituerit. Emensa vero septennali illa pœnitentia, scelus tamen semper lugeat omni qua poterit industria: propterea quod incognitum est hominibus qualiter apud Deum valuit ejus pœnitentia. D

VII.

Qui alterum voluerat occidisse, & implere nequierat desiderium, annos tres jejunet, unum scilicet pane & aqua, eorumque duos prout confessarius suus ipsi imposuerit.

VIII.

Si laicus alium * invitus occiderit, tres annos jejunato, unum pane & aqua, & eorum duos ut confessarius ejus indicaverit, & transgressiones suas semper deplorato.

*[...]e' coa-[...]s.

IX.

Si fuerit subdiaconus, jejunet sex annos.

Si fuerit diaconus, jejunet septem annos.

Si fuerit missalis sacerdos, jejunet decem annos: & episcopus duodecim annos: & semper lugeat.

X.

Si quis filium suum ita castiget ut inde moriatur, licet contra voluntatem suam, jejunato quinque annos pane & aqua, ut supra.

XI.

Si episcopus, vel missalis sacerdos, aliquem occiderit, amittat ordinis sui dignitatem, & pœnitentiam semper agat.

XII.

Si mulier infantem aut in utero suo necaverit, aut cum jam in lucem ediderit, sive potione adhibita, sive re alia quacumque ejusmodi: jejunato decem annos, tres videlicet in pane & aqua, & septem reliquos prout confessarius suus per misericordiam imposuerit, factumque semper defleat.

XIII.

Si quis * *æht* suum sine causa in furore suo occiderit, tres annos jejunato.

* æht, *id est*, pecunia, possessio, pecus, & *forte* mancipium.

XIV.

Si uxorem ex impia aliqua zelotypia maritus verberaverit, & illa inde moriatur insons: jejunet tamen annos tres, & ipsius nequitiam semper defleat.

XV.

Si quis seipsum sponte interfecerit, sive mucrone aliquo, sive diabolica alia instigatione: nulli licitum est pro ejusmodi missam decantare, nec cum psalmodia corpus eius terræ tradere, nec honesta positum sepultura humo condere. Illud idem judicium in eum exequendum est, qui flagitij causa vitam tormentis finierit, latro siquidem, & homicida, & domini sui proditor.

XVI.

Si quis viginti * annos natus, se cum bestia coinquinaverit, vel masculus cum masculo, jejunet annos quindecim: & si uxorem habeat, fueritque ipse quadraginta annorum ætatis, & tale quid fecerit, abstineat jam, & jejunet totius vitæ spatio; nec præsumat, donec moriturus sit, corpus domini suscipere. Iuvenis & insipiens acriter flagellabuntur, qui simile quidpiam perpetraverint.

* *Sax. hiemes.*

XVII

Quisquis coniugium fregerit, sive uxor, sive maritus, tres dies in qualibet hebdomada pane & aqua per septennium jejunato.

XVIII.

Quisquis uxorem suam repudiat, & aliam ducit, coniugium solvit. Non enim abjiciat quisquam (vitæ aut mortis intuitu) eorum quidpiam quæ jure debito ad Christianos pertinent: nec sepeliatur ille, qui hoc facit, inter Christianos; & de uxore idem fiat. Propinqui etiam qui his aderant a consilio, eadem plectantur sententia, ni citius resipiscant, & diligenter emendent.

XIX.

Si quis uxorem habeat, & etiam concubinam, nihil ei Christianorum iurium prębeat sacerdos aliquis, nisi pœnitens redeat ad emendationem: eademque illi lex esto, fueritne femina sive coniugata, sive concubina.

XX.

Si coniugatus quispiam cum legitima alterius uxore adulterium patraverit, vel uxor ipsa cum legitimo alterius marito, jejunet uterque septem annos; tres nimirum in pane & aqua, & quatuor reliquos prout docuerit confessarius: lugeat autem transgressiones suas quoad mortem.

XXI.

Si mulier aliqua duos sibi accipiat fratres in coniugium, alterum scilicet post alterum: iudicio sint obnoxii, & insistant pœnitentiæ, usquedum vixerint, solertissime, prout instruxerit ipsorum confessarius: morientibus demum debita Christianorum * obsequia sacerdos illis conferat; si & hoc promiserint, se diutius acturos fuisse pœnitentiam, si diutius eis vivere contigisset. E

* *alias berichi, id est* viaticum & unctionem.

XXII.

Si quis in impii alicuius peccati exercitio per totius vitæ suæ spatium manserit absque omni resipiscentia, nescimus quid huic consilii excogitemus, nisi quod ad Dei pertineat iudicium: & absolvi non poterit.

Anno Christi 967.

XXIII.

Si quæ mulier viro desponsata sit, non licet alteri hanc abducere: si quis hoc fecerit, sit excommunicatus.

XXIV.

Si quis nuptam aut virginem invitam dolo rapuerit ad illicitum concubitum, anathema sit.

XXV.

Si quis suis illecebris alterius : pedissequam stupri causa seducat, & cum eadem invita concumbat; si ordinatus sit, amittat ordinis dignitatem, sin vero laicus, totius rei Christianæ communione careat.

XXVI.

Si quæ virgo desponsata sit, & ante nuptias consummatas captiva fiat, vel ex alia occasione ab illo cui despondebatur elongata, & contingat postea ut ipsa in conspectum sponsi sui veniat: data jam tum venia possunt ii coire, propterea quod hæc ab illo invita aberat.

XXVII.

Si femina ordinem religiosum susceperit, & postea ad mundanas rediens vanitates, familiæ susceperit administrationem, cogitans apud se, ut e facultatibus suis Deo a quo declinavit satisfaciat: hoc omnino nihil est, ni peccatorum etiam declinet consuetudinem, & ad Christum redeat, vitam suam instituat, ut confessarius suus docuerit, & transgressionem semper corrigat studiose.

XXVIII.

Si missalis sacerdos, sive monachus, hominem occiderit, ordinis amittat dignitatem, & jejunet decem annos, scilicet quinque annos pane & aqua, & per alterum quinquennium tres dies in qualibet septimana, in reliquis autem cibo fruatur: & donec vixerit, crimen lugeat diligenter.

Diaconus octo annos pane & aqua, & reliqua ut supra.

Clericus sex annos, unde quatuor pane & aqua.

Laicus quinque annos, tres pane & aqua, ut supra.

XXIX.

Si quis ordinatum occiderit, aut sui ipsius proximum cognatum, dimittat terras suas & facultates, & fiat ei ut papa instituerit, & præterea defleat.

XXX.

Si missalis sacerdos, sive monachus, lascivum coitum concupiscat, vel conjugium violaverit, jejunet decem annos, & semper defleat: diaconus septem, clericus sex, laicus quinque. Ita fiat.

XXXI.

Si missalis sacerdos, sive monachus, vel diaconus, legitimam uxorem habuit priusquam ordinem induerat, & relicta ea sacros ordines ingrediatur, postea tamen libidine pruriens eam denuo clam susceperit: jejunet eorum quilibet tanquam pro homicidio, & lugeat insuper vehementius.

XXXII.

Si missalis sacerdos, vel monachus, vel diaconus, vel laicus, uel clericus, cum moniali fornicaverit, jejunet quilibet prout ordini suo convenit, tamquam pro homicidio; & quoad vixerit, a carne abstineat. Monialis autem decem annos, sicuti & sacerdos missalis; & semper factum lugeat.

XXXIII.

Si quis cum moniali vellet rem habere. & ipsa abnuerit, jejunet ille propter impiam illam cogitationem annum unum pane & aqua. Si quis cum legitima alterius uxore rem habere vellet, & ipsa noluerit, jejunet ille propter impiam illam cogitationem, annum unum pane & aqua.

XXXIV.

Si quis cum alterius legitima uxore vellet rem

A habere, & ipsa id noluerit, jejunet ille tres quadragesimas pane & aqua; primam scilicet in æstate, alteram in autumno, & tertiam in hieme.

Anno Christi 967.

XXXV.

Si quis velit cum femina rem illicitam habere, jejunet quadraginta dies in pane & aqua.

XXXVI.

Si quis alium cum filia deprehenderit, componat reus cum amasia, & jejunet uterque per annum unum in diebus Mercurii & Veneris; ceteris vero, fruantur quovis cibo, præter carnem: & legitimum amplectantur conjugium.

XXXVII.

Si quis cum bestia coeat, jejunet quindecim B annos, scilicet octo pane & aqua, & in septem reliquis tres quadragesimas quolibet anno; diebus etiam Mercurii & Veneris, usquedum vixerit: & defleat semper iniquitatem illam.

XXXVIII.

Si quis propria sua voluntate seipsum polluat, jejunet tres annos, & in eorum quolibet quadraginta dies in pane & aqua, & abstineat a carne in unaquaque, excepta die Solis.

XXXIX.

Si quis alium veneficio interfecerit, jejunet septem annos, videlicet tres annos pane & aqua, & in quatuor reliquis tres dies cujuslibet septimanæ pane & aqua, & semper lugeat.

XL.

Si quis alicui morbum intulerit, jejunet tres C annos, unum scilicet pane & aqua. Sin vero exinde moriatur, tunc jejunato septem annos, sicut hic adscriptum est, & peccata sua semper lugeat.

XLI.

Si quis veneficio utatur in alterius amore comparando, eique ideo pharmacum misceat, aut philtrum, ad edendum vel bibendum, aut arte utatur necromantica: si laicus sit, jejunet in singulis diebus mercurii & veneris per dimidium anni, pane & aqua; cæteris vero diebus cibo fruatur, excepta carne: clericus unum annum, ut supra, tribus diebus in septimana, pane & aqua: diaconus tres annos, ut supra: missalis sacerdos quinque annos, eorumque unum pane & aqua; & per cæteros qua- D tuor, unamquamque diem veneris pane & aqua; sed & in aliis diebus abstineat a carnibus.

XLII.

Si quis turpiter contra naturam & contra bonam Dei creaturam aliqualiter se inquinaverit, lugeat id quamdiu vixerit quod perpetravit.

XLIII.

Si quis in somno infantulum suum ita compresserit ut moriatur, jejunet tres annos, unum eorum pane & aqua, & in duobus aliis tres dies in qualibet septimana. Sin ex ebrietate acciderit, atrocius vindicator, ut confessarius docuerit; delinquens autem semper lugeat.

XLIV.

Si infans infirmus absque baptismo obierit ethnicus, & hoc ex culpa sacerdotis evenerit, amittat E ille ordinationis gradum, & solicite componat. Et si amicorum negligentia acciderit, jejunent illi tres annos, scilicet pane & aqua, & per duos reliquos, tres dies in hebdomada, & id semper lugeant.

XLV.

Si quis Christianum aliquem infideli vendiderit, indignus sit ut aliquo fruatur christianorum beneficio, nisi e contra eum denuo domum redemerit, quod foris vendiderat. Et si hoc non poterit, distribuat precium illud Dei omnino gratia, captivumque alium alio precio liberet, & liberatum dimittat

ANNO CHRISTI 967.

tat. Ad hoc præterea per triennium integre satisfaciat, prout confessarius suus designaverit. Et si desint ei facultates quibus captivum redimat, gravescat eius pœnitentia in annos septem integros, & semper defleat.

XLVI.

Si quis multimodis peccatis seipsum valde labefactaverit, & hæc demum relinquere & solicite corrigere voluerit, declinet ocius ad monasterium, ibidemque Deo semper & hominibus, prout docebitur, inserviat: vel a patria discedat longe, & pœniteat semper donec vixerit; succurretque saltem hic in terra animæ suæ profundissima emendatione quam invenire posset, ut docebitur.

DE SATISFACTIONE.

I.

In hoc confessionis genere valde conduxerit ad peccati expiationem theologi alicujus auxilium, non minus quam in morbi curatione docti cujuspiam medici consilium.

II.

Sæpe peccant homines e propria ipsorum concupiscentia, nec raro per diaboli instigationem. Illud vero formidabile est, quod ecclesiastici toties in Deum peccantes, ordinis sui amittunt dignitatem.

III.

Ad hoc corrigendum, opus est rigida pœnitentia; semper tamen juxta modum ordinis & peccati, ut in canonibus est sancitum. Et debet quilibet hanc ambire totis suis viribus & conatu, intimi etiam cordis ipsius anxietate. Alii pœnitentiam subeant unius anni, alii plurium, sed pro modo semper delictorum. Alii mensis unius, alii plurium mensium, alii unius septimanæ, alii plurium septimanarum, alii unius diei, & alii plurium dierum, & alii quidem omnium dierum totius vitæ ipsorum.

IV.

Oportet medicum qui integre sanabit gravia vulnera, exquisita habere medicamenta. Nulla autem adeo gravia sunt vulnera, ut peccati illa: hæc enim vulnera adigunt in æternam mortem, ni confitendo, resipiscendo, & satisfaciendo, sanata extiterint.

V.

Possunt igitur & vir & femina medici esse, qui curent hæc vulnera. Primum, fovendum est vulnus pio consilio: deinde emulgenda sanies venenosa, quæ putrescit interius: hoc est, ut confessione primum se purget.

VI.

Delebit unusquisque peccata sua, qui cum confessione salutiferam amplectitur doctrinam, non minus quam letalem ille morbum, qui salutarem percipit a medico potionem.

VII.

Non potest medicus quispiam morbo aut vulneri recte mederi, donec exhausta fuerit sanies illa venenosa quæ putrescit interius: nec quis unquam pœnitentiam illum recte doceat, qui confiteri renuit: nec sine confessione peccatorum cedere absolutionem, sicuti nec recte posset sanari qui mortiferum quid exhauserit, ni venenosus ejus expellatur impetus.

VIII.

Peracta confessione posset quis per pœnitentiam, Dei misericordiam cito consequi, si hanc ex intimo suo corde fecerit, deploretque insuper, se a diabolo seductum, iniquitates suas perpetrasse.

IX.

Hujusmodi etiam confessioni valde conducit prudens emendatio, ut curatio morbi bono medico.

De operibus etiam cujusque potest confessarius secundum canones inquirere, & moderari juxta vires & facultates confitentium, prout sentiat cordis uniuscujusque compunctionem & solicitudinem.

X.

Profunda illa pœnitentia est, cum laicus deponat arma, & peregrinetur longe lateque nudus pedes: qui bis non pernoctatur loco uno: qui jejunat multum, & vigilat: qui dies & noctes ardenter orat, & non invitus semet conterit; & qui adeo est incultus, ut nec crines nec ungues ferro tetigit. Pœnitentiæ indicia.

XI.

Qui nec balneum intrat calidum, nec cubile molle, nec carnem gustat, nec quid e potibus quod faciat ebrium: qui ecclesiam non ingreditur, sed tamen loca sancta quærit fervidus, & peccata confessus intercessionem rogat: qui neminem osculatur, semper autem reatus suos acerrime deplorat.

XII.

Propitius sibi agit qui in hunc modum se præjudicat; & felix hic quidem, licet nihilo magis invigilet, quam ut plene se corrigat. Nemo enim per terrarum orbem gravis adeo unquam peccator extitit, quin apud Deum componat, si hoc ardentius aggrediatur.

XIII.

Peccatorum apud Deum compositiones fiunt variis modis, & ad eorum solutionem plurimum conducunt eleemosynæ.

XIV.

Cui ad hoc facultas suppetat, ecclesias ædificet in laudem Dei: & si præterea valeat, adiiciat prædia, & introducat juvenes qui pro ipso sacrum præstent servitium, & quotidie Deo celebrent ministeria. Instauret etiam pro facultate sua ecclesiam Dei, & vias publicas: aquis inuiis adjungat pontes, etiam & cœnosis locis. Distribuat Dei gratia id quod habet, & maxima qua possit diligentia. Egenis assidue subveniat, viduis, orphanis, & peregrinis. Servum suum proprium manumittat, redimatque ab aliis suos servos manumittendos, pauperem præsertim bello captum: inopesque pascat atque vestiat: tectum, focum, balneum, & grabatum eis præbeat: & in sui ipsius necessitatem, ubique locorum comparat intercessionem ex missis & psalmis decantandis; & seipsum in devotione erga dominum Deum suum castiget valde acriter, per abstinentiam a cibo potuque, & ab aliis quibuscumque corporis cupiditatibus.

XV.

Cuicumque autem minus suppetat facultatum, operam quam enixius possit dato, ut in devotione erga Deum decimas reddat ex omnibus quæ possidet: examinet seipsum toties quoties poterit, & cum eleemosynis suis crebro visitet ecclesias, & loca sancta luminibus salutet. Et præbeat hospitium, edulium, & protectionem quibus opus fuerit; focum etiam & alimentum quodlibet, lectum, & balneum; & curet vestiendum adjuvandumque pauperem, quoad poterit.

XVI.

Ex amore Dei ægros animo & ægrotos visitet, mortuos sepeliat: provolutus sæpe in oculto super genua, sæpe super terram prostratus & extensus, jejunet, vigilet, oret noctes atque dies solertissime. Qui minoris adhuc potestatis est ad hæc omnia perimplenda, faciat tamen quantum poterit & eni-

ANNO CHRISTI 967.

xius. Conterat jam labore corpus suum adversus libidinem, si quando per mollitiem & libidinem diabolo complacuerit. Iejunando nunc peccatum corrigat, quod per ingluviem prius perpetraverat. Evigilet etiam & laboret, si quando e contrario somnolentus fuerit & acediæ deditus, cum sic minime debuisset, vel quod alias supra modum evigilasset inutiliter. Affligat se frigore & rigenti balneo, propter æstum illum quo in libidinis usquam rapiebatur vitium. Si ipse alicubi injuste alium offenderit, satisfaciat solicite: & si quis ipsum offenderit, pacate ferat, in quantum poterit, contra peccata illa quæ in semetipso ex diaboli semine adoleverint. Et si quempiam de via seduxerit, ut sibimetipsi lucri quidpiam inferret, reducat eum diligenter in rectam viam: hoc est quod volo. Si quempiam ad peccandum provocaverit, faciat illi quod est necessarium: reducat scilicet a peccatis, & conducat denuo in viam rectam. Qui alium a peccando solicite dehortatur, sui ipsius peccata leviora reddit.

XVII.

Hoc idem judicium potest quisque confessarii sui consilio sibimet inferre, qui constanti animo sua vult abrumpere peccata, eademque corrigere. Distribuat scilicet ob amorem Dei omnia quæ habet, deserat cum eisdem terras, patriam, & mundi huius omnia desiderabilia, & domino suo noctes diesque serviat, nitaturque omnibus quibus potest nervis contra proprias suas cupiditates per totius vitæ suæ extensionem Quid huic denique restat? Siquidem ut alios exhortando sibi aggreget in pietatis studium, modis quibus possit exactissimis.

Hic in se quentibus dicetur, quonam modo ægrotus quis posset indictum jejunium redimere.

XVIII.

Quisque poterit unius diei jejunium unico denario redimere. Potest etiam unusquisque unius diei jejunium ducentis & viginti psalmis redimere. Potest etiam quisque duodecim mensium jejunium triginta solidis redimere: vel unum aliquem liberando tanti æstimatum: & pro unius diei jejunio decantet vir ille senis vicibus, *Beati*: & senis vicibus, *Pater noster*. Et pro unius diei jejunio genuflectat homo ille, & ad terram se inclinet sexaginta vicibus, dicens: *Pater noster*. Possit etiam quis unius diei jejunium absolvere, si in oratione semetipsum per omnia membra sua Deo extendat, vera contritione & fide recta, & quindecim vicibus cantet, *Miserere mei Deus*: & quindecim etiam vicibus, *Pater noster*. Iam tum conceditur illi totius diei peccatorum allevatio.

XIX.

Septenne jejunium potest quis in anno uno absolvere, si quotidie cantaverit psalterii psalmos, itidemque nocte, & quinquaginta vespere. Vnica etiam missa potest quis absolvere duodecim dierum jejunium: & cum decem missis eximatur quatuor mensium jejunium: & cum triginta missis potest quis eximere totius anni jejunium, si voluerit ex vero Dei amore pro seipso intercedere, & peccata sua suo confiteri confessario; eademque, prout is edixerit emendare, & semper postea declinare.

DE MAGNATVM POENITENTIA.

I.

Hoc modo potest vir illustris, & amicis fretus, amicorum ope leniorem reddere suam pœnitentiam. Primum in Dei nomine, & confessarii sui testimonio, manifestet fidem suam rectam esse: & condonet omnibus qui in eum quid peccaverint, & faciat confessionem suam absque omni omissione peccatorum; polliceaturque resipiscentiam, & suscipiat pœnitentiam cum multo gemitu.

II.

Deponat tunc arma sua & inutilia quæque *ranca*, & accepto sibi in manum scipione, vadat diligenter nudus pedes: laneis utatur, vel cilicio: & non intret lectum, sed in casa jaceat. Faciat hoc, dum septem compleatur annorum numerus. Paret se per triduum hunc in modum: sumatque sibi in auxilium duodecim socios: jejunent tres dies pane, & crudis oleribus, & aqua: & acquirat præterea quaqua poterit, ad opus consummandum, septies cẽtum viginti homines, qui jejunent singuli illius gratia totum triduum, tres videlicet quisque dies. Sic accrescet horum jejuniorum numerus ad tot jejunia, quot sunt dies in toto septennio.

III.

Iejunãtis & pœnitentis officium.

Cum quis jejunaverit, distribuat fercula, seu eduliorum præparationes, quibus ipse frueretur, omnibus Dei pauperibus: & in tribus illis diebus sui jejunii, seponat mundana quæcumque negotia, dieque & nocte, quoties poterit, ecclesiam petat, & eleemosynario lumine ibidem vigilato solicite, & clamet ad Deum peccatorumque exoret remissionem lugenti animo & genibus innixus. Sæpe etiam se extendat super signum crucis, nunc erectus, nunc in terram prostratus. Discat etiam vir quisque potens lacrymas ab oculis suis sincere fundere, & peccata sua deplorare. Pascat etiam in triduo illo tot egenos, quotquot prorsus valeat. Quarto autem die lavet omnes, ciboque donet & pecunia. Quin & ipse qui hanc agit pœnitentiam, pedum eorum incumbat lotioni: celebrenturque ea die pro eodem pœnitente tot missæ, quot ulla unquã industria comparare quisquam poterit, & missarũ earum tempore exhibeatur illi absolutio: & jam tum suscipiat eucharistiam, nisi quod ex nimio reatu suo adeo impeditus sit, ut hanc adhuc non accipiat. Spondeat tamen se in posterum Dei, quantum poterit, semper operaturum voluntatem, omnemque injustitiam, auxiliante Deo, usque vixerit, declinaturum; ita ut perpetuo & præcipue Christianitatem recte teneat, & gentilismum omnino explodat. Cogitate, ministri Dei, verba & opera ejus solicite corrigere, ut sic justitiam omnem erigat, & auxilio Dei injustitiam, quantum poterit, semper destruat solertissime. Maxime necessarium est, ut is Deo id præstiterit quod vel in minimis est pollicitus.

IV.

Hæc est magnatum, & eorum qui amicorum fruuntur multitudine, pœnitentiæ allevatio; sed non datur inopi sic procedere. Oportet igitur a seipso fortius hanc exigere: & illud quidem est æquissimum, ut unusquisque suas per se luat iniquitates, correctionemque subeat studiose. Scriptum est enim, *quia unusquisque onus suum portabit*. Ezech. 18.

ORATIO EDGARI REGIS AD DVNSTANVM ARCHIEPISCOPVM Cantuariæ, Osvvaldum VVigorniæ, & Ethelvvaldum VVentanæ, episcopos.

In qua clericorum conjugatorum enumerat vitia, ejiciendosque decernit, & introducendos monachos. Curam rei his demandat episcopis regia fultus autoritate.

QVONIAM magnificavit misericordiam suam dominus facere nobiscum: dignum est, o patres reverendissimi, ut innumeris illius beneficiis, dignis respondeamus operibus. Neque enim in gladio nostro

nostro possidemus terram, & brachium nostrum non servavit nos, sed dextra ejus, & brachium sanctum ejus, quoniam complacuit illi in nobis. Iustum proinde est, ut qui omnia subjecit sub pedibus nostris, subjiciamus illi & nos & animas nostras: &, ut hi, quos nobis subdidit, ejus subdantur legibus, non segniter elaboremus. Et mea quidem interest laicos cum æquitatis jure tractare, inter virum & proximum suum justum judicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum ejus, egenum & pauperem a diripientibus eum. Sed & meæ solicitudinis est, ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, choris virginum, & necessaria eorum procurare, ac saluti, & quieti, vel paci consulere. De quorum, omnium moribus ad nos spectat examen, si vixerint continenter, si honeste se habeant ad eos qui foris sunt; si divinis officiis soliciti, si ad docendum populum assidui, si victu sobrii, si habitu moderati, si in judiciis sint discreti. Pace vestra loquor, reverendi patres: si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda & abominanda ad aures nostras de clericis pervenissent.

Taceo quod non est illis corona patens, nec tonsura conveniens: at in veste lascivia, insolentia in gestu, in verbis turpitudo, interioris hominis produnt insaniam. Præterea in divinis officiis quanta sit negligentia, cum sacris vigiliis vix interesse dignentur, cum ad sacra missarum solennia ad ludendum, subridendum, magis quam ad psallendum, congregari videantur. Dicam quod boni lugent, mali rident: dicam dolens (& si tamen dici potest) quomodo diffluant in comessationibus, in ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis, ut jam domus clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleæ, ibi saltus & cantus, ibi usque ad medium noctis spatium, protractæ in clamore & horrore vigiliæ. Sic patrimonia regum, eleemosynæ pauperum, immo, quod magis est illius preciosi sanguinis precium profligatur. Ad hoc ergo exhauserunt patres nostri thesauros suos? ad hoc fiscus regius, detractis reditibus multis, elargitus est? ad hoc ecclesiis Christi agros & possessiones regalis munificentia contulit, ut deliciis clericorum meretrices ornentur, luxuriosa convivia præparentur, canes, ac aves, & talia ludicra comparentur? Hoc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant & saltant, & vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis. Vbi gladius Levi & zelus Simeonis, qui ut scorto abutentes filia Iacob Sichimitas (eorum habentes figuram, qui Christi ecclesiam pollutis actibus fœdant) etiam circumcisos succiderunt? Vbi spiritus Moysis, qui caput vituli adorantibus etiam domesticis sui sanguinis non pepercit? Vbi pugio Phinees sacerdotis, qui fornicantem cum Madianita confodiens, sancta hac æmulatione Deum placavit iratum? Vbi spiritus Petri, cujus virtute perimitur avaritia, hæresis simoniaca condemnatur?

Æmulamini, o sacerdotes, æmulamini vias domini, & justitias Dei nostri. Tempus insurgendi contra eos qui dissiparunt legem Dei. Ego Constantini, vos Petri, gladium habetis in manibus. Iungamus dexteras: gladium gladio copulemus, ut ejiciantur extra castra leprosi, ut purgetur sanctuarium domini, & ministrent in templo filii Levi, qui dixit patri & matri, nescio vos; & fratribus suis, ignoro vos. Agite quæso solicite, ne pœniteat nos fecisse quod fecimus, dedisse quod dedimus: si viderimus illud non in Dei obsequium, sed in pessimorum luxuriam impunita libertate consumi. Moveant vos sanctorum reliquiæ, in quibus insultant; veneranda altaria, ante quæ insaniunt. Moveat vos antecessorum nostrorum mira devotio, quorum eleemosynis vesania clericalis abutitur. Proavus meus Edvvardus, ut scitis, omnem terram suam ecclesiis & monasteriis decimavit. Sanctæ memoriæ atavus meus Aluredus, ut ecclesiam ditaret, non patrimonio, non sumptibus, non reditibus, parcendum putavit. Avus meus senior Edvvardus quanta contulerit ecclesiis, paternitatem vestram non latet. Pater meus, & frater, quibus donariis Christi altaria cumulaverint, meminisse vos decet.

O pater patrum Dunstane, contemplare quæso patris mei oculos ab illa lucida cæli plaga in te radiantes. Audi querulas ejus voces cum quadam pietate in tuis auribus resonantes: Tu mihi, pater Dunstane, tu mihi de construendis monasteriis, de ecclesiis ædificandis, consilium salubre dedisti: tu mihi adjutor in omnibus & cooperator extitisti: te quasi pastorem, patrem, & episcopum animæ meæ, morumque meorum custodem elegi. Quando tibi non parui? Quos unquam thesauros tuis consiliis prætuli? Quas possessiones, te præcipiente, non sprevi? Si quid pauperibus erogandum existimabas, præsto fui. Si quid conferendum ecclesiis judicabas, non distuli. Si quid monachis clericisve deesse querebaris, supplevi. Æternam dicebas eleemosynam esse, nec aliam fructuosiorem, quam quod monasteriis ecclesiisve confertur, quo Dei servi sustententur, & quod superest pauperibus erogetur. O pretiosam eleemosynam, & dignum animæ precium! O peccatis nostris salubre remedium! quod a sinu Sibyllæ in peregrini muris pellicula fœtet, quod ejus auriculas ornat, quod componit digitulos, quod corpus delicatum in bysso stringit & purpura. Ecce, pater, eleemosynarum fructus mearum, & tuæ permissionis effectus.

Quid huic querimoniæ respondebis? Scio, scio: cum videbas furem, non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguisti, obsecrasti, atque increpasti. Contempta verba sunt, veniendum est ad verbera, & non deerit tibi potestas regia. Habes hic tecum venerabilem patrem Ethelvvaldum VVintoniensem episcopum: habes reverendum præsulem VVigorniensem Osvvaldum: vobis istud committo negotium, ut & episcopali censura, & regia autoritate, turpiter viventes de ecclesiis ejiciantur, & ordinate viventes introducantur.

CONCILIVM ANGLICVM A DVNSTANO ARCHIEPISCOPO CANTVARIÆ adversus clericos conjugatos celebratum.

In quo monachatus promovetur: comes quidam præpotens ob incestas nuptias publicam agit pœnitentiam. Referuntur obiter Edgari regis cum velata virgine violentus concubitus, & injuncta ei pœnitentia septennalis.

HVIVS *concilii occasionem præbuit dicta jam Edgari regis oratio, & indulta pariter autoritatis copia, de qua sic Hovedenus:* Anno 969. rex Anglorum pacificus Eadgarus sancto Dunstano Dorobernensis, & beato Osvvaldo VVigornensis, & sancto Ethelvvaldo VVintoniensis ecclesiæ episcopis, præcepit ut expulsis clericis, in majoribus monasteriis per Merciam constructis monachos collocarent. Vnde sanctus Osvvaldus sui voti compos effectus, clericos VVintoniensis ecclesiæ monachalem habitum suscipere renuentes de monasterio expulit; consentientes vero huic, ipse antistes mona-

Marginal notes (left): ANNO CHRISTI 969. — [O]fficium [r]egis in [s]ecularibus. — [I]n ecclesiasticis. — [A]d vos. — [E]piscopos [d]issimulat [n]egligentiæ. — [C]lericorũ [en]umerat [vi]tia. — [P]atrimonium ecclesiæ, pau[pe]rum est, [n]o luxuriæ. — [Cl]erum accusat episcopos negligentiæ. — [H]ortatur [a]d vindicandum [sc]elera.

Marginal notes (right): ANNO CHRISTI 969. — Antecessorum ejus munificẽtia. — Dunstanũ sigillatim provocat. — Eleemosynæ laus. — Regiam opem cedit. — Annal. parte 1. p. 426. Et Matth. VVest. in hoc anno 969.

ANNO CHRISTI 969.

Surius item & Baronius.

monachizavit, eisque VVilsinum magnæ religionis virum loco decani præfecit.

De ipso autem concilio sic Osbernus præcentor Cantuariensis, qui floruit anno domini 1074. & hunc secutus Ioannes Capgravus. Per idem tempus (*intellige sub quinquennio annum 974. præcedenti*) autoritate Ioannis papæ Dunstanus archiepiscopus, coacto generali concilio, statuit, & decreto firmavit, ut canonici omnes, presbyteri, diaconi, subdiaconi, aut caste viverent, aut ecclesias quas tenebant dimitterent. Habebat autem regem Edgarum in hoc negotio fidelem adjutorem, & firmum defensorem. Hujus enim decreti executio Osvvaldo VVigornensi, & Ethelvvoldo VVintoniensi episcopis commissa est. B. ergo Osvvaldus septem monasteria in sua diœcesi, ejectis clericis insolenter viventibus, construxit, & monachos introduxit, & abbates eis præfecit, *&c. Addit præterea post aliquot Osbernus*: In aliis etiam Angliæ locis insignes ecclesias B. Osvvaldus ob eamdem causam, ejectis clericis, monasticæ institutionis viris tradidit; puta ecclesiam sancti Albani, sanctæ Æthelredæ virginis in Eli, & eam quæ apud Beamfledam honorabilis habebatur. In ecclesia sancti Albani Elfricum abbatem, in ecclesia Eliensi Brithnotum, in Beamfledensi Gotmannum. Quæ vero monasteria constituit, ea invisere solebat, & tum sermone, tum opere, ea quæ ad animarum salutem pertinerent illis paterno affectu ministrare. Porro monasterio in Ramesciæ Abbo Floriacensem monachum degere voluit, morum sanctitate præclarum, & literis egregie eruditum, ut monachos doceret, scholis præesset, & tum regularem sive monasticam disciplinam, tum literarum scientiam promoveret. Is Abbo Dunstani hortatu, beati Edmundi regis & martyris passionem accurate conscripsit. Tandem Floriacum reversus, & abbas effectus, a suis monachis occisus est. *Hæc in actis sancti Osvvaldi habentur, juxta Baronium, qui ad historiam Edgari regis claustralem virginem vi comprimentis jam deflectens, semet ad præmissa demum recipit, & ex Osberno (quem Osbertum vocat) ita pergit.*

S. Ethelvvoldus corrector incontinentium clericorum.

Præsidebat ea tempestate VVentanæ ecclesiæ Ethelvvoldus vir eximiæ sanctitatis, & educatione patris Dunstani non parum insignis. Hic cognita de canonicis ecclesiæ suæ, quod nimium sæculares existebant, voluntate Dunstani, monuit eos semel & sæpius, mores & actus mutare, correctionis vitæ semitas relictis feminis arripere. At impræsentiarum quidem id sibi possibile esse negantes, voce corvina semper in crastinum correctionem sui pollicebantur. Quod ipse gnarus non diu sustinuit: paratis namque quamplurimis monachorum cucullis, die quo communio, Servite domino in timore, cantabatur, chorum intravit, vestes quas paraverat secum deferri faciens. Et projectis illis in medium, canonicis ait:

Animadvertistis quid modo cantaveritis? Animadvertimus, inquiunt. Igitur, inquit, si servire domino in timore, & ei vultis exultare cum tremore, apprehendite disciplinam, vestem scilicet monachalem, ne pereatis, sicut cantastis, de via justa. Ad quod illi obstupefacti, more solito inducias petunt: id se facturos in futuro promittunt. Tunc ille: Mihi credite, amplius non credam huic vestræ responsioni corvinæ. Sed aut disciplinam in præsenti apprehendetis, aut loci istius beneficiis & conversationi, hinc eliminati, jamjam cedetis. Itaque nonnulli ex illis statim, abjecto clericali habitu, monachi facti sunt, cæteris verbo pontificis de ecclesia eliminatis. Cæterum quia isti qui novi-

Clerici in monachos conversi.

CIRCA ANNUM CHRISTI 969.

ter fuere conversi, regularis disciplinæ normam sine aliorum magisterio docte servare nequibant, monachi de Abendonia illuc ab eodem pontifice adducti sunt, qui monasticæ institutionis tramitem ibi docerent. † *Quæ autem post hæc secuta sint de duobus conciliis eadem de causa celebratis, VVintoniense & Calense, inferius suis locis opportune dicetur.*

† Verba Baronii.

Ad idem concilium generale (ita ab eis nominatum, quod omnes Angliæ episcopi in idem convenissent) spectat quod de publica comitis incestuosi pœnitentia ibi facta idem Osbertus scribit his verbis.

Quare concilia Anglicana dicuntur generalia.

Comes quidam præpotens cognatam suam illicito sibi matrimonio copulaverat, & a Dunstano semel, secundo, & tertio redargutus, incestum suum divortio expiare nolebat. Quapropter gladio spiritus sancti a viro Dei percussus, a liminibus est sanctæ ecclesiæ separatus. Qui typho tactus superbiæ, regem adit, Dunstanum impiæ & immoderatæ severitatis accusat, regia sanctione se ab ejus tyrannide liberum constitui querula voce precatur & obsecrat. Cujus verbis rex acquiescens, Dunstano mandat, ut hominem cum ea quam duxerat in pace manere sinat, & a quibus ipsum suspenderat, liminibus sacris restituat. Miratur ille ad audita, & dolet religiosum regem per mendacem hominis linguam, ante rei inquisitionem & examinationem, esse seductum. Ponit tamen hominem ad rationem, & tam pro commisso crimine, quam & propter injustam sui criminationem apud principem terræ factam, paulo durius increpat, cupiens eo modo ad pœnitentiam & correctionem cor illius emollire. At ubi vidit ipsum non solum verbis suis non consentire, sed insuper contumaci spiritu contra se furere minarique, supra id quod ab ingressu domus Dei suspenderat, ut dixi, omnem ei communionem fidelium, donec a sua pravitate discederet, interdixit. Tunc ille seipso deterior effectus, immani est furore correptus, & nihil eorum quæ possidebat alicujus esse momenti reputans, ad hoc solum se totum studebat impendere, ut Dunstano excitaret scandalum, & Christianæ legis jugum, quo a sua libidine coercebatur, sibi faceret alienum. Legatos itaque suos Romam destinat, & talibus assueta quorumdam Romanorum corda & ora in suam causam largo munere, largiori sponsione, permutat. Quid inde? præsul apostolicæ sedis Dunstano, peccatori homini condescendere, verbis ac literis mandat, & eum ecclesiæ gremio integre conciliare monet, hortatur, imperat. † *Sed si pœnitens peccatum relinqueret, voluit mandatum intelligi; nec enim aliter potuit intellexisse. Pergit enim:*

De comite incestuoso. Osbertus in Dunstano cap. 31. apud Sur. die 19. Maii. tom 3.

† Verba Baronii.

Ad quæ Dunstanus ita respondet: Equidem cum illum, de quo agitur, sui delicti plenitudinem gerere videro, præceptis domni papæ libens parebo. Sed ut ipse in peccato suo jaceat, & immunis ab ecclesiastica disciplina nobis insultet, & exinde gaudeat, nolit Deus. Avertat etiam Deus a me, ut ego causa alicujus mortalis hominis, vel pro redemptione capitis mei, postponam legem quam servandam statuit in sua ecclesia idem dominus meus Iesus Christus Filius Dei. Hæc ille relata sibi audiens, & Dunstanum ex his quæ certo diceret inflexibilem esse certissime sciens, & excommunicationis suæ pœna, cum pudore hominum, constrictus, tum timore periculorum quæ talibus nonnunquam accidere solent perterritus, obstinationem suæ mentis deposuit, & abdicato illicito conjugio, pœnitentiæ sibi cultum imposuit. Dunstano itaque generale totius regni concilium de observantia Christianitatis celebrante, ipse suimet oblitus, nudis

Comes incestuosus in concilio publice pœnitet.

CIRCA ANNVM CHRISTI 969.

nudis pedibus, laneis indumentis corpus amictus, virgas manu ferens, concilio sese medium ingessit, & ante pedes Dunstani gemebundus & ejulans corruit. Quo viso moti sunt omnes qui aderant ad pietatem; & ipse pater omnium majori præ ceteris pietate motus est. In vultu tamen servato disciplinæ rigore, utpote hominem Deo conciliare desiderans, lacrymas ejus ad horam severus sustinuit: ac demum a toto concilio postulatus, lacrymans & ipse culpam indulsit. Ita ab excommunicationis vinculo absolutum, communioni fidelium, gaudentibus cunctis, eum restituit. *Hucusque Baronius.*

Sequitur prælibata narratio de Edgaro rege claustralem virginem comprimente, & de injuncta illi septennali pœnitentia.

PERPETRATVM *est Edgari hoc scelus pluribus annis ante istud concilium, & injuncta tum etiam hæc pœnitentia, in qua in conjugatos clericos rex gravissime excitatur. Anteriori igitur loco erant ista tribuenda: sed cum hæc ab autoribus referantur, nos sic utique collocamus, Osbertum e Baronio recitantes.*

Quadam enim vice rex Edgarus in monasterium virginum, quod* VVIltoniæ situm est venit. Ibique captus specie cujusdam puellæ, quæ de nobilibus Anglorum nata, inter non velatas nutriebatur & custodiebatur: eam in suum colloquium adduci secretius jussit. Illa cum duceretur, timens pudori suo, raptum ab una sanctimonialium capiti suo velum imposuit, eo modo se protegi sperans, si forte rex quid inhonesti a se exigere vellet. Quam ipse velatam intuens: quam subito, inquit, sanctimonialis effecta es! arreptumque velum detraxit capiti ejus, illa conatu quo poterat frustra obnitente: abusus siquidem ipsa est, & gravi scandalo quoque per Angliam religiosi ex hoc mente vulnerati sunt. Quod scandalum eo vehementius fuit, quod rex idem legitimam uxorem habebat, Elfledam videlicet cognomine Candidam, Ordineri prępotentis orientalium Anglorum ducis filiam, de qua & sanctum Edvvardum genuerat.

l, Mulniæ. ud Sur. 19. Maii n. 3. c. 38.

Vbi vero res Dunstano innotuit, acerbo mœrore percussus est. Igitur cum in re non segnis ad regem veniret, & ille venienti pro more occurreret, eumque per manum ad solium suum perducere vellet: manum Dunstanus turbato vultu retraxit, nec eam ab homine contingi passus est. Ad quod ille attonitus (non enim illum scire putabat quod clanculum a se factum existimabat) cur manum sibi non dimitteret inquisivit. Ait: Tu, postposito omni pudore, adulterium commisisti: tu, despecto Deo, & signum castitatis non veritus, virgini suam integritatem præripuisti: & cur manum summo Patri Virginis Filium immolanti* impuris manibus non tradam, quæris? Lava prius per pœnitentiam manus tuas a sordibus suis: & tunc demum, quo gratiæ Dei concilieris, honora & amplectere manum pontificis. Territus ille ad hęc, terræ procumbit, pedes antistitis petit; se peccasse gemitu verba interrumpente contestatus. Quod Dunstanus videns tantum in rege humilitatis exemplum, vehementer complectitur. Velocius ergo illum erexit, & pacato vultu cum eo familiariter quę salutem animę ejus operarentur loquens, septennem ei pœnitentiam injunxit. At ille pontificali absolutione potitus, omni studio injunctę sibi pœnitentiæ operam dare, & multa quibus Deum placaret pietatis opera ipsi pœnitentię, instinctu & consilio patris sui, solicitus cœpit superaddere.

mmolan...n.

...pœni... suscí... ura ...nstano.

Ipse præterea omni ordini hominum in suo regno consistentium legibus sibi in Christiana religione sancitis uti pręcipiebat: ipse secus agentes indicta vindicta corripiebat: ipse in pravitate persistentes condigno examine puniebat. Exempli causa, ordo clericalis plurimum ea tempestate erat corruptus, & canonici cum presbyteris plebium, voluptatibus carnis plus æquo inserviebant. Quod malum Dunstanus corrigere cupiens, autoritate Ioannis apostolicę sedis antistitis apud regem obtinuit, quatenus canonici, qui caste vivere nollent, ecclesiis quas tenebant depellerentur, & monachi loco eorum intromitterentur.

CIRCA ANNVM CHRISTI 969.

Correctio incontinẽtium clericorum.

Hæc ex Osberto & Surio Baronius, de quibus etiam videndus Capgravius in vitis sanctorum Dunstani, Osvvaldi: Ethelvvoldi. Et audi quid idem Capgravius referat de pœnitentia ista regi imposita:

Denique cum magnitudinem peccati exposuisset Dunstanus, & paratum illum regem ad omnem satisfactionem reddidisset, septennem ei pœnitentiam indixit, ut in toto hoc spatio coronã regni non gestaret: jejunium in hebdomada biduanũ transigeret: thesauros suos pauperibus large dispergeret. Super hæc sacrandis Deo virginibus monasterium Sceptonix fundaret: quatenus qui unam per peccatum Deo virginem abstulisset, plures & per plura sæculi volumina aggregaret. Clericos etiam malæ actionis de ecclesiis propelleret, monachorum agmina introduceret, justas Deoque acceptas leges sanciret, & per omnes fines regni, populis custodiendas mandaret. Nihil enim erat quod minus aut segnius rex impleret, quod a rectore vitæ suæ præceptum fuisset. Elapso tandem septennalis pœnitentiæ termino, congregatis omnibus Angliæ principibus, episcopis, & abbatibus, imposuit regi coronam coram omni multitudine populi Anglorum, cunctis lætantibus, & Deum in sancto Dunstano laudantibus, &c.

Forma pœnitentiæ Edgaro regi injunctæ.

NOTA SEVERINI BINII.

Hæc synodus celebrata est in Anglia a sancto Dunstano Cantuariensi archiepiscopo, autoritate Ioannis Romani pontificis; de quo in actis sancti Osvvaldi episcopi VVigorniensis apud Surium 15. Octobris ista habentur: *Per idem tempus autoritate Ioannis papa Dunstanus archiepiscopus, coacto generali concilio, statuit & decreto firmavit, ut canonici omnes, presbyteri, diaconi, subdiaconi, aut caste viverent, aut ecclesias quas tenebant dimitterent.* Generale concilium nominatur, quia in eo omnes Angliæ episcopi convenissent. In eodem hoc concilio comitem quemdam præpotentem ob incestuosas nuptias publicam egisse pœnitentiam refert Osbertus apud Surium in Dunstano, decimonono Maii.

Cur generale concilium appelletur

CONCILIVM LONDONIENSE, HABITVM SVB EDGARO REGE ANNO regni sui XII. hoc est domini nostri DCCCCLXX. vel DCCCCLXXI.

ANNO CHRISTI 970.

In quo celeberrima privilegia ab Edgaro rege Glastoniensi cœnobio concessa confirmantur, reservata autem regi & heredibus suis conferendi baculum pastoralem fratri electo potestate.

GLORIOSÆ recordationis Edgarus Anglorum rex, filius Edmundi regis, cujus studium divinis cultibus potissimum invigilabat, ad monasterium sanctæ Dei genitricis Mariæ in Glastingabiri frequenter adveniens, & eumdem locum clariori præ cæteris dignitate excolere summo elaborans studio, plura admodumque magnifica privilegia contulit communi episcoporum, abbatum, primorumque consilio.

Malm. de gest reg. l. 2. c. 8.

Quorum primum, ut nullus nisi ejusdem loci monachus ibidem fungatur abbatis nomine vel officio; nec alius nisi quem secundum tenorem regulæ

Vt nullus nisi monachus fit abbas Glastẽ

ANNO CHRISTI 971.

gulæ concorditer elegerit parilis conventus assensio. Quod si alterius loci abbatem vel monachum eidem loco præfici necessitas ingruerit: non alium assumi censuit, nisi quem congregatio ipsius monasterii secundum timorem Dei sibi præesse elegerit. Tamen ne hoc fiat, observato omnimodo, si ibidem quispiam, vel extremus congregationis, illi officio aptus reperiri potuerit. Monachis siquidem electionem sui abbatis perpetuo manere censuit: sibi vero suisque heredibus tribuendi fratri electo pastoralem baculum potestatem retinuit.

Monachi abbatem eligent, rex baculum dabit.

Sanxit etiam, ut quoties abbas loci vel monachi aliquos suorum sacris ordinibus insigniri decernerent, a quocumque præsulum canonice ordinato, aut in illius sede, aut in eodem sanctæ Mariæ Glastingensi monasterio, tam monachos quam clericos, quos idoneos judicarent, ad titulum sanctæ Mariæ ordinari facerent.

Monachi eligent qui suos ordinet.

Concessit etiam, ut sicut ipse in propria, ita totius insulæ causas in omnibus tam ecclesiasticis quam secularibus negotiis, absque ullius contradictione, abbas aut conventus corrigeret. Nec ulli omnino insulam nativitatis suæ conscium, sive episcopus, sive dux, aut princeps, aut cujuscumque ordinis alius, licitum foret intrare causa quidpiam faciendi quod contrarium inibi Deo servientibus esse possit: sicut & prædecessores sui sanxerunt, & privilegiis suis confirmaverunt, videlicet Cemvvines, Ines, Ethelardus, Cuthredus, Elfredus, Edvvardus, Ethelstanus, Edmūdus, omnino prohibuit.

Glastonia abbati, ut Anglia regi.

Vbi ergo generali assensu, ut dictum est, pontificum, abbatum, optimatumque suorum, hæc privilegia ipsi loco conferre disposuit: lituum proprium ebore decentissime formatum, auroque decoratum, super altare sanctæ Dei genitricis posuit, ipsiusque donatione eidem sanctæ Dei genitrici, ac suis monachis, ea perpetualiter possidenda attribuit. Eumdemque lituum mox in sui præsentia fecit secari in medium, ne eum cuiquam dare vel vendere posset quilibet abbatum sequentium: præcipiens partem illius servari in loca ad jam dictæ donationis testimonium. Recogitans vero quam multa temeritas humanæ levitatis, quibusque solet subrepere, verensque ne forte quis in posterum vel hæc privilegia loco illi auferre, vel monachos inde molīretur ejicere: inclyto domno Ioanni papæ, qui Octaviano in regiminis honore successerat, direxit idem chirographum regiæ liberalitatis, orans ut & ipse hęc roboraret scripto apostolicæ autoritatis: qui benigne directam suscipiens legationem, concordi assensu Romani concilii sancita ab iis firmavit, scribendo apostolicæ autoritatis præceptionem; terribiliter, intorquens in violatores, si qui forte emerserint perpetui anathematis ultionem. Igitur domni prædicti apostolici eidem loco directum testamentum, venustæ recordationis rex Edgarus, super aram beatissimæ Dei genitricis Mariæ ibidem ad perpetuale posuit monumentum, jubens diligenter asservari in posterum ad notitiam quorumque sequentium.

Lituus super altari ponitur traditionis symbolū.

Petit confirmationem papæ.

Ea etiam utraque, ne videamur talia commentari, his gratum habuimus subdere adversus eos, qui non ut pastores per ostium intrare, sed ut fures & latrones in idem ovile sanctæ Mariæ aliunde quærunt irrumpere.

[1] DIPLOMA IOANNIS PAPÆ XIII.

Noverit cunctorum notitia fidelium quod ego Ioannes * XII. conditoris clementia, sanctæ Romanæ sedis existens indignus papa, gloriosi Anglorum regis Edgari, necnon & sanctę Dorobernensis ecclesiæ archiprǽsulis Dunstani, summisso pulsatus sum rogatu, pro monasterio sanctæ Mariç, videlicet Glastingeberi, quod ipsi acti amore superni regis, in multis & magnis possessionibus ditaverant, monachorum inibi multiplicantes normam, pręceptoque regali firmaverant, quod & ipse facere non differam. Quorum assentiens benignæ petitioni, in sinu Romanæ ecclesiæ, & beatorum apostolorum protectione, eumdem locum suscipio, & privilegiis astruo & corroboro; quo fine tenus in eo quo nunc pollet, permaneat monachali ordine. Ipsi quoque monachi de suis sibi adhibeant pastorem. Ordinatio vero tam monachorum quam clericorum in arbitrio abbatis & conventus sit. Decernimus etiam, ut nulli omnino hominum eamdem insulam, causa placitandi, vel aliquid perscrutandi aut corrigendi, intrare liceat. Si quis autem id molitus fuerit contraire, aut possessiones ejusdem ecclesiæ auferre, retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ex autoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sanctæque Dei genitricis Mariæ, ac sanctorum apostolorum Petri & Pauli, omniumque sanctorum, perpetuæ sit addictus maledictioni, nisi resipuerit. Omnibus vero eidem loco justa servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, Amen: nostraque stipulatio inconvulsa permaneat.

Ioannis papæ XIII. * Sic in exemplari.

Actum tempore Ælfardi ejusdem monasterii abbatis. Hæc igitur prædictus rex Edgarus duodecimo anno regni sui sacro scripto Londoniæ confirmavit, eodemque anno (qui fuit * nongentesimus sexagesimus quintus dominicæ incarnationis) præfatus papa Romæ in generali synodo autorizavit: cunctosque potioris dignitatis, qui præfuerunt eidem concilio generali ea corroborare imperavit. Perpendant ergo contemptores tantæ conminationis, quantæ subjaceant sententiæ excommunicationis, &c.

*Corr 971.

CHARTA EDGARI REGIS.

Ex vetusto manuscripto codice Glastoniensi.

IN nomine domini nostri Iesu Christi. Quamvis decreta pontificum & verba sacerdotum inconvulsis ligaminibus, velut fundamenta montium, fixa sunt: tamen plerumque tempestatibus & turbinibus sæcularium rerum religio sanctæ ecclesiæ maculis reproborum dissipatur ac rumpitur. Idcirco profuturum succedentibus posteris esse decrevimus, ut ea quæ salubri consilio, & communi assensu diffiniuntur, nostris literis roborata firmentur. Quapropter dignum videtur, ut ecclesia beatissimæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ Glastoniæ, sicut ex antiquo principalem in regno meo obtinet dignitatem, ita speciali quadam & singulari privilegii libertate per nos honoretur.

Glastonia principalis regni ecclesia.

Hoc itaque, Dunstano Dorobernensi atque Osvvaldo Eboracensi archiepiscopo adhortantibus, consentiente etiam & annuente Brithelmo Fontanensi episcopo, cęterisque episcopis, abbatibus, & primatibus, ego Edgar divina dispositione rex Anglorum, cæterarumque gentium in circuitu persistentium gubernator & rector, in nomine almæ Trinitatis, pro anima patris mei qui ibi requiescit, & antecessorum meorum, presenti privilegio decerno, statuo, confirmo, ut prædictum monasterium, omnisque possessio ejus, ab omni tributo fiscalium negotiorum nunc & in perpetuum libera & quieta permaneant, & habeant socam & sacam, &c. ita libere & quiete sicut ego habeo in toto regno: eamdem quoque libertatem & potestatem, quam ego in curia mea habeo, tā in dimittendo quam in puniendo, & in quibuslibet omnino negotiis, abbas & monachi prefati monasterii

Ejus privilegia sæcularia.

Sicut regis in regno.

ANNO CHRISTI 971.

monasterii in sua curia habeant. Si autem abbas vel quilibet monachus loci illius, latronem qui ad suspendium, vel quodlibet mortis periculum ducitur, in itinere obvium habuerit, potestatem habeat eripiendi eum ab imminenti periculo in toto regno meo.

Ejus abbas vel monachus obvium latronem a suspendio liberet.

Ejus privilegia ecclesiastica.

Confirmo etiam & corroboro, ut, quod hactenus ab omnibus nostris antecessoribus diligenter observatum est, Fontanensis episcopus, vel ejus ministri, super hoc monasterium, vel super parochiales ejusdem ecclesias, videlicet Streete, Mirielinge, Budeclea, Schapvvicke, Sovvi, aut super eorum capellas, nec etiam super eas quæ insulis continentur, scilicet Bekeria, quæ parva Hibernia dicitur, Godeneia, Marteneseia, Ferramere, Padenebergia, & Adredeseia, nullam potestatem omnino habeant: nisi tantum cum ab abbate, causa dedicandi vel ordinandi, advocati fuerint; nec eorum presbyteros ad synodum suam, vel capitulum, vel ad quodlibet placitum convocent; nec ab officio divino suspendant, & omnino nullum jus in eos exercere præsumant. Monachos suos & prædictarum ecclesiarum clericos, secundum antiquæ ecclesiæ Glastoniæ consuetudinem, & apostolicam autoritatem, archipræsulis Dunstani, & omnium episcoporum regni mei assensu, abbas a quocumque comprovinciali episcopo voluerit ordinari, faciat.

Dedicationes & chrisma petat a Fontanensi episcopo.

Dedicationes vero ecclesiarum, si ab abbate rogatus fuerit, Fontanensi episcopo permittimus. In pascha quoque chrisma sanctificationis & oleum a Fontanensi episcopo ex more accipiat, & præfatis ecclesiis suis distribuat.

In violatores.

Hoc etiam super omnia Dei interdictione & nostra autoritate (salva tamen sanctæ Romanæ ecclesiæ & Dorobernensis dignitate) prohibeo, ne persona cujuscumque potestatis, sive rex, sive episcopus, sive dux, aut princeps, vel quilibet ministrorum eorum, Glastoniæ terminos, vel supradictarum parochiarum, perscrutandi, rapiendi, placitandi gratia, vel quidquam aliud faciendi quod contrarium possit esse ibidem servientibus, intrare præsumant: abbati tantummodo & conventui potestas sit, tam in notis causis quam in ignotis, in modicis & in magnis, & in omnibus omnino negotiis, sicut super memoravimus. Quisquis autem hujus privilegii mei dignitatem qualibet occasione, cujuscumque dignitatis, cujuscumque ordinis, cujuscumque professionis, pervertere vel in irritum deducere sacrilega præsumptione amodo tentaverit: sciat se procul dubio ante districtum judicem, titubantem tremebundumque rationem redditurum, nisi prius digna satisfactione emendare studuerit.

Acta est hæc privilegii pagina & confirmata apud Londoniam communi consilio omnium primatum meorum, anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi nongentesimo septuagesimo primo, indictione quartadecima. Hujus doni constipulatores fuerunt, quorum nomina inferius charaxari videntur.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Edgar rex totius Britanniæ præfatam libertatem cum sigillo sanctæ crucis confirmavi.

Ego Eilfgina ejusdem regis mater cum gaudio consensi.

Ego Edvvard clyto* patris mei donum cum triumpho sanctæ crucis impressi.

* clytos.

Ego Kinedius rex Albaniæ acquievi.

Ego Mascusius archipirata confortavi.

Ego Dunstanus Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopus, cum trophæo S. Crucis, & cum suffraganeis præsulibus, regis donum corroboravi.

A

Ego Osvvalde Eboracensis ecclesiæ primas consentiens subscripsi.

Ego Ethellvvolde VVintoniensis ecclesiæ minister, & Glastoniensis monachus, signum sanctæ Crucis impressi.

Ego Britchtelm Fontanensis episcopus consentiens corroboravi.

Ego Ellstan episcopus confirmavi.

Ego Osvvolde episcopus acquievi.

Ego Elfvvolde episcopus concessi.

Ego VVinsige episcopus cum signo sanctæ crucis conclusi.

Ego Segegar abbas vexillum sanctæ crucis impressi.

B

Ego Escvvi abbas confirmavi.

Ego Ordgar abbas corroboravi.

Ego Ethelgar abbas concessi.

Ego Kinvvorde abbas consensi.

Ego Fideman abbas consolidavi.

Ego Elpheh abbas subscripsi.

Ego Adulf Herefordensis ecclesiæ catascopus coorroboravi.

Ego Ellphere dux dominæ meæ sanctæ Mariæ Glastoniensis ecclesiæ libertatem omni devotione cum sigillo sanctæ crucis confirmavi.

Ego Osllac dux consensi.

Ego Ethelvvine dux hoc donum triumphale hagiæ crucis propriæ manus depictione impressi.

C

Ego Osvvolde minister confirmavi.

Ego Elfvvrde minister corroboravi.

Ego Ethelsie minister consensi.

Ego Ellfkie minister consensi.

Hanc privilegii paginam rex Edgarus, duodecimo anno regni sui, sacro scripto apud Londoniam, communi consilio optimatum suorum, confirmavit. Eodemque anno Ioannes papa XIII. hanc ipsam paginam Romæ in generali synodo autorizavit: cunctosque potioris dignitatis viros, qui præfuerũt eidem concilio, confirmare fecit, ad instantiam prædicti regis Edgari, & beati Dunstani, ac aliorum nobilium præscriptorum. Et ad supplementum firmioris securitatis idem apostolicus dictum privilegium apostolica suffulsit autoritate, cujus hæc est series;

D

DIPLOMA IOANNIS PAPÆ XIII.

Noverit cunctorum notitia fidelium, quod ego Ioannes XIII. conditoris clementia sanctæ Romanæ sedis existens indignus papa, gloriosi Anglorum regis Edgari, nec non & sanctæ Dorobernensis ecclesiæ archipræsulis Dunstani, summisso pulsatus sum rogatu, pro monasterio sanctæ Mariæ Glastengeburi, quod ipsi acti amore superni regis in melius restauraverunt, & monachorũ ibi majorem numerum aggregantes, normamque acriorem instituentes, præcepto regali firmaverunt, ut & ipse idem facere non differam. Quorum assentiens benignæ petitioni, in sinum Romanæ ecclesiæ & beatorum apostolorum protectionem eumdem locum suscipio, & privilegiis astruo & corroboro; quo fine tenus in eo quo nunc pollet permaneat monachali ordine: ipsique monachi de suis sibi adhibeant pastorem, & se suosque, quos idoneos judicaverint, quocumque in Dorobernensi diœcesi placuerit, ad ordinandum dirigant.

Aliter hæc in Malmesburio.

E

Decernimus etiam ut nulli omnino hominum eamdem insulam, placitandi causa, vel aliquid aliud ibi perscrutandi, aut corrigendi, intrare liceat. Si quis autem huic rei molitus fuerit contraire, aut possessiones ejusdem ecclesiæ auferre, retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ex autoritate

A autoritate Patris & Filii & Spiritus sancti, sanctæque Dei genitricis Mariæ, sanctique Petri apostoli, omniumque sanctorum, perpetuæ sit addictus maledictioni, nisi resipuerit. Omnibus autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi: nostra autem astipulatio inconvulsa permaneat.

ANNO CHRISTI 971.

CONCILIVM ROMANVM QVO privilegia monasterio sanctæ Mariæ Glastoniæ a rege Anglorum Edgaro concessa confirmantur, anno domini DCCCCLXXI. tempore Ioannis papæ XIII.

Causa concilii.

EDGARVS rex Anglorum, & Dunstanus Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopus Glastingebiri monasterium quoddam in honorem Dei & beatæ Virginis crexerant, plurimisque opibus ditarant. B Et cum metuerent, ne posteris fortasse temporibus ab aliquo successore ea quæ ipsi pie sancteque fundaverant everterentur: misso per legationem ad Ioannem pontificem fundationis instrumento, rogarunt illud autoritate apostolica muniri & confirmari. Pontifex cum benigne directam legationem suscepisset, *concordi assensu*, inquit VVilelmus de gestis regum Anglorum, *Romani concilii, sancita ab eis firmavit, scribendo apostolicæ autoritatis præceptionem, terribiliter intorquens in violatores, si qui forte emerserint, perpetui anathematis ultionem.*

ANNO CHRISTI 972.

CONCILIVM APVD MONTEM SANCTÆ MARIÆ IN PAGO TARDANENSI.

In quo a comprovincialibus episcopis confirmatum est decretum Adalberonis archiepiscopi Remensis, qui monachos in Mosomensi cœnobio pro canonicis collocarat, habitum anno Christi DCCCCLXXII.

Hujus concilii nihil edidit R.P. Iacobus Sirmondus, præter Adalberonis decretum. Reperit autem postea codicem antiquum MS. in quo & decretum idem emendatius, & litera Ioannis Papæ XIII. in eodem concilio recitatæ, & episcoporum subscriptiones, & concilii clausula. Quæ nos ex eius apographo nunc edimus, non ad annum 984. ut ille mendosi codicis vitio deceptus ediderat, sed ad annum 972. ut ex S. Arnulfi vita, & Ioannis XIII. epistola intelligimus. In illo igitur codice, post S. Arnulfi Lotharienfis adolescentis martyrium, miracula, translationem, narratur origo Mosomensis cœnobii ab Adalberone Remorum episcopo instituti. Mensis, *inquit*, erat November, VII. Id. quando in hoc loco constituti sunt monachi: ab Incarnatione ann. DCCCCLXXI. Indict. XV.* epacta XXII. concurrente VI. LII. decemnovennali cyclo lunari XIX. Adalbero natali domini celebrato legatos suos cum literis Romam dirigit ad D. Ioannem papam, cognomento albam gallinam privilegium poscit monasterio. Regressis legatis cum apocrisiariis papæ, & privilegio, CONCILIVM IN PAGO TARDANENSI apud montem S. Mariæ colligit mense Maio. (*anni scilicet consequentis* 972.) In eo lectum est privilegium Ioannis papæ.

* Inchoata mense Septembri.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, carissimo in domino fratri Adalberoni sanctæ Remensis ecclesiæ dignissimo archipræsuli, perpetuam in domino salutem.

SI ecclesias longe lateque diffusas divino nutu in sancta religione crescere cognoscimus, Deo omnipotenti laudibus exultare gratiasque juges referre debemus. Quapropter cognovimus tua industria stabilitum in Mosomo castro, quod est super fluvium Mosæ, in veneratione Dei genitricis Mariæ, monasterium monachorum religione decusatum*, tuisque proprietatibus, ecclesiæque tuæ terris & ecclesiis dotatum, quod sub pagina B. Petri apostolorum principis decreti, nostrique, te orante suscepimus. Insuper locellum, qui a Stephano viro illustri atque ejus conjuge Freduide, *Tin* nomine constitutus, sanctoque Remigio suppositus fuit, quem eidem monasterio Mosomo, quia per se ob exiguitatem rerum stare non poterat, contulisti, collatis rebus in compensatione B. Remigio, consentientibus fratribus. Vt autem cognoscat universa ecclesia, nos unanimiter assentire: a te collata vel conferenda, seu a quibuslibet, in terris cultis, & incultis, vineis, pratis, ecclesiis, mancipiis utriusque sexus, aquis, aquarum decursibus, in omnibus ad supradictum monasterium pertinentibus, B. Petri apostolorum principis, & nostri, firmamus decreto: quatenus sine livore oblatrantium locus quietus & inviolabilis jugiter permaneat. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea quæ ab hac nostra autoritate pie & firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, ire tentaverit, vel hæc quæ a nobis ob laudem Dei, pro stabilitate jam dicti monasterii, statuta sunt, frangere & in quoquam transgredi: sciat se autoritate B. Petri, cujus quamquam immeriti vices agimus, anathe- C matis vinculo innodatum, & cum diabolo & Iuda traditore domini nostri Iesu Christi, æterno incendio concremandum. At vero qui pio intuitu observator in omnibus extiterit, custodiens nostri apostolici constituti ad cultum Dei respicientis præceptionem, benedictionis gratiam, & delictorum suorum indulgentiam consequatur, & vitæ æternæ particeps efficiatur.

ANNO CHRISTI 972.

* *for.* Decoratum.

Scriptum per manum Stephani scriniarii S.R.E. in mense Aprili. Data per manus Andreæ episcopi IX. Kalend. Maii, anno pontificatus domini nostri sanctissimi*, & tertii decimi papæ septimo. Imperii autem D. Ottonis majoris Augusti XI, Iunioris II. quinto: in mense Aprili. Indictione XV.

* *Ioannis.*

D *Decretum Adalberonis archiepiscopi de reformatione cœnobii Mosomensis, & monachis in eo constitutis.*

ADALBERO divina propitiante clementia sanctæ Remensis ecclesiæ archiepiscopus. Notum fiat universis tum præsentibus, tum etiam & futuris fidelibus, quondam nobis episcopio gratia ac benignitate regia contradito, sanctorum quoque loca quædam honore integro reperisse plurimum valentia, quædam vero pristinæ dignitatis statu deficiente prorsus neglecta. Inter quæ etiam ille Mosomi cœnobialis locus, antiquitatis studio E certatim constructus, ab exordio scilicet sanctimonialium vitæ aptatus, postmodum vero canonicorum ordine ab Heriveo prædecessore nostro melius informatus, atque in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ digne consecratus, sed nefandis usibus utrobique negligenter incultus, rebus quidem partim subtractis, partim vero intercurrentibus malis, sinistræ cessit fortunæ. Quo igitur comperto, adhibito fidelium nostrorum diligenti consilio, liquido perpendens eumdem locum, pro mundi infelicitate, in canonicali ordine utiliter stare non posse, æternorum spe, prout opportunum extitit, ibidem monasticæ religionis vitam ordinato abbate Ledaldo constituit: ut ejusdem loci religiosi cultores, tam rebus delegatis quam

ANNO CHRISTI 972.

A etiam forte delegandis utentes, continua vota Deo solventes, sint & pro nobis,& pro posteris nostris, cæterisque ordinibus jugiter orantes. Quocirca paternitatem loco nostri subrogandorum in illâ caritate enixius imploramus, quo sub divini amoris respectu, hujus rei gestæ conducibili negotio consentaneæ pietatis faveant zelo, idque liberalis auxilii indeficienti base dignentur temporũ curriculis consolari atque fulcire: ut ex eo gratiam Dei feliciter adipiscentes, hujus præstantioris emolumenti mereantur fore consortes. Sed & hoc ex decretis sanctorum patrum, sub autoritate pastorali omnimodis inhibemus, immo etiam cum divini nominis obtestatione omnino interdicimus, ne unquam hujuscemodi statutum qualibet temeritate ab ullo nostri ordinis violetur: quin potius in reliquum stabile & inconcussum jure perpetuo id ipsum venerabiliter conservetur. Nam si per laicos in rem hanc injuria invehatur, in eos procul dubio excommunicationis jaculum cum anathemate intorqueatur.

Anno igitur ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi, DCCCCLXXII. provinciali synodo mense Maio constituta, generaliter congregata apud montem sanctæ Mariæ in pago Tardanensi, hoc decretum solenniter recitatum est coram venerandis episcopis, abbatibus, cæterisque fidelibus, huic nostræ institutioni pio assensu faventibus, immo etiam collaudantibus atque confirmantibus, Quorum videlicet primus ego Adalbero jam præscriptus archipræsul, eidem concilio Deo autore pontificali autoritate præsidens, manu nostra subscribens,idem corroboravi. Sed & cæteri non secus censuerunt manibus impositis solidari hoc ipsum pontificale statutum, apostolicæ autoritatis privilegio, petitionis nostræ obtentu, undecumque subnixum, ac per hoc summo honori omnibus reverenter habendum.

Ego Adalbero sanctæ Remensis ecclesiæ archipræsul subscripsi & corroboravi.
Ego VVido Suessionensis ecclesiæ episcopus.
Ego Hildricus Belvacensis ecclesiæ episcopus.
Ego Thebaldus Ambianensis episcopus.
Ego Haidulfus Noviomensis episcopus.
Ego Theudo Cameracensis episcopus.
Ego Adalbero Laudunensis episcopus.
Ego Gibvinus Catalaunensis episcopus.
Ego Constantius Silvanectensis episcopus.
Ego Lindulfus Tarvanensis episcopus.
Signum Alberti Remensis archidiaconi.
Signum Leudonis.
S. Tebaldi archidiaconi.
S. Hugonis archidiaconi.
S. Geranni archidiaconi.
S. Rogeri archidiaconi.
S. Erluini archidiaconi.
S. Emmonis archidiaconi.
S. Rodulfi abbatis sancti Remigii.
S. Odelei abbatis sancti Medardi.
S. Ratoldi abbatis Corbeiensis.
S. Berlandi abbatis sancti Vincentii.
S. Azonis abbatis sancti Basoli.

Postquam hæc acta sunt, bonæ memoriæ præsul Adalbero data benedictione solvit concilium, cum pace & gratia redeuntibus singulis ad propria. Mosomensi abbatiæ advocatum dedit Godefridum fratrem suum, & ejus successores. Annis XIX. ecclesiam Remensem rexit. Obiit x. Kal. Februar. Cui eodem anno successit Arnulfus.

NOTA IACOBI SIRMONDI S.I.

ANNO CHRISTI 972.

Decretum hoc Adalberonis exstat in appendice ad Flodoardum. *Hic etiam*, inquit, *Adalbero Mosomense Cœnobium a priori dignitate prolapsum, in monasticum ordinem reformavit, ejusdemque reformationis tenorem, ne per succedentia tempora immutaretur, hujusmodi autoritatis suæ privilegio confirmavit.* Lectæ sunt etiam in hac synodo literæ Ioannis papæ XIII. ad Adalberonem archiepiscopum, Mosomensis monasterii fundationem ab eo factam confirmantes, datæ IX. Kal. Maias. Indictione XV. Anno pontificatus ejus VII. qui annus fuit Christi DCCCCLXXII.

B

VITA DONI PAPÆ V.

ANNO CHRISTI 972.

DONUS, qui ab aliis Domnus & Domnio nuncupatur, patria Romanus, factus est pontifex hujus nominis secundus anno 972. duodecimo Kalendas Octobris. Qui, cum sedisset mensibus dumtaxat tribus, obiit XIV. Kalendas Ianuarii.

CONCILIUM IN INGELENHEIM CELEBRATUM ANNO DOMINI DCCCCLXXII. tempore Doni papæ.

ANNO CHRISTI 972.

C CUM Otto Imperator una cum filio Ottone secundo in Germaniam revertisset, ad componendas res ecclesiarum synodum per episcopos congregavit in Ingelenheim: in quo quid gestum fuerit nos præterit, nisi quod invita sancti Vdalrici episcopi Augustani legitur, quod ille relicto episcopatu ad monasticam vitam transeundi potestatem sibi fieri postulaverit, communique judicio responsum acceperit, nequaquam illud expedire, ne factum viri sanctissimi aliis peccandi occasionem præbeat, qui in gratiam suorum nepotum, quos vellent, ista ratione ecclesiis, non sine gravi totius populi detrimento, obtruderent. Vide Baronium, anno 972. num. 3. & sequentibus.

Synodus monitu Ottonis congregata.

Vdalrico quid negatum.

D

VITA ET EPISTOLA BENEDICTI PAPÆ VI.

ANNO CHRISTI 967.

BENEDICTUS patria Romanus, filius Hildebrandi, post obitum Doni subrogatus est in locum ejus XIII. Kal. Decemb. anno Redemptoris 972. Hujus temporibus Otto magnus Imperator, funeribus matris & VVilelmi Moguntini episcopi præmissis, mortuus est in Saxonia anno imperii sui duodecimo. Adelais relicta conjunx animam, defuncti Ottonis mariti sui prosecuta fuit iis pietatis officiis, quæ a VVitichindo in fine libri 3. describuntur. Post obitum patris Otto secundus solus imperare cœpit, qui cum patre sextum annum imperii sui inchoaverat. Benedictus a Bonifacio Francone Romano Fernitii filio, cardinale diacono, viro scelestissimo, captus & in carcerem detrusus, strangulatus est ab eodem, anno Christi 974. cum sedisset annum unum, menses tres, & dies aliquot. Sedem apostolicam sacrilega cæde optimi pontificis vacantem sacrilegus homicida Bonifacius, qui septimus ejus nominis reperitur

(E stands beside the line beginning "decimo.")

Benedictus VI. quando pontifex factus.

Ottonis Imperatoris mors.

Benedicti papæ mors qualis.

ANNO CHRISTI 972.

Bonifacius VII. pseudo pontifex.

peritur alibi nuncupatus, violenter invasit, eamque annum unum & mensem tenuit. Hunc ego, antiquiores scriptores imitatus, inter veros & legitimos pontifices numerandum non esse judicavi, quod sedem apostolicam turpiter ingressus, turpius deseruerit. Nam cum post multa alia scelera & flagitia homo nefarius Vaticanam basilicam omnibus ornamentis suis expoliasset, Benedictus Albericorum, de quorum familia erat, ope & auxilio fretus, eum usque adeo exagitavit, ut Roma relicta Constantinopolim abire cogeretur. Quando & qua occasione Romam redierit, dicam infra in vita Ioannis XIV.

BENEDICTI PAPÆ VI. EPISTOLA AD FRIDERICUM SALISBURGENSEM Episcopum, & ejus comprovinciales.

Ipsi ejusque successoribus vices Apostolicas in Norica & Pannonia concedit.

Benedictus divina favente gratia atque totius populi Romani electione Apostolicus, Friderico Salisburgensis ecclesiæ archipræsuli, una cum suis fratribus, videlicet Noricæ provinciæ episcopis, mansuram in Christo felicitatem.

PROTOPLASTO generis humani, atque ejus semine serpentina suasione in gemina cadente morte, multas Deus misericordia ductus medicinas misit in hunc mundum, patriarchas scilicet justos, prophetas veridicos, legiferum cum lege: & his omnibus mundum salvare non valentibus novissime filium suum humana carne indutum ad redemptionem generis humani ad terras transmittere dignatus est. Eo itaque inter homines conversante, duodecim elegit apostolos, quos ad seminandum verbum Dei in corda fidelium per universum transmisit orbem: quorum atque totius ecclesiæ sanctum constituit Petrum principem, cui gregem commisit ecclesiasticum, tertio ei dicens: *Pasce oves meas:* cui etiam ligandi atque solvendi tradidit potestatem dicens: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cælis; quodcunque solveris super terram; erit solutum, & in cælis.* Et non solum sancto talis concessa est Petro potentia, sed etiam suis successoribus, ejus vicem in ecclesia tenentibus, eadem ligandi atque solvendi a Deo tradita est potestas. Sancti itaque Petri apostoli successores per loca, prout opus erat atque decuit, constituerunt archiepiscopos, qui eorum vicem tenerent in ecclesiis: quia ipsi universas regere non poterant ecclesias. Nos quoque vicem B. Petri apostoli, prout hominibus istius temporis possibile est, in ecclesia tenentes, statuta illorum antecessorum nostrorum confirmare, quantum possumus, libenter desideramus.

Ioan. 21.

Matth. 16.

Concedimus itaque vicem apostolicam Friderico Salsburgensis ecclesiæ antistiti, ejusque successoribus, in tota Norica provincia, & in tota Pannonia, superiori videlicet & inferiori, quomodo sui antecessores eandem potestatem a nostris habuere antecessoribus: ita scilicet, ut nulli liceat in præfatis provinciis sibi usurpare pallium, nec episcopos ordinare, nec ullum officium quod ad archiepiscopum pertinere debet, præter præfatum archiepiscopum ejusque successores. Quicunque autem huic refragari, vel contendere voluerit decreto, quod nos vice B. Petri apostoli fungentes, consensu nostrorum episcoporum ac totius cleri Romanæ ecclesiæ, decrevimus; sciat se B. Petro ejusque vicario esse contrarium, atque fore anathema usque ad satisfactionem, sive sit episcopus, aut presbyter, sive clericus cujuscunque ordinis, sive laicus cujuscunque fuerit dignitatis: quia sancta sanctorum antecessorum nostrorum solvere nolumus neque valemus. Sed quomodo illi consensu suorum episcoporum ac totius cleri constituerunt, fiat ex eorum pariter, & nostro decreto firmum atque perpetuum. Quicumque autem episcopi per amicos, sive clam per aliquam fraudem, aliquando ejusdem dignitatis petierint, sive petierunt privilegium, illos suspendimus ab ea dignitate: quia illicitum judicamus, ut aliquis episcopus, sine totius suæ provinciæ, atque suffraganeorum suorum consensu, pallium, sive aliquod archiepiscopatus privilegium, a Romano Pontif. acquirere præsumat.

CONCILIUM MUTINENSE, IN QUO CONTROVERSIA INTER DISSIDENTES germanos proceres Petrum & Lambertum composita fuit, anno domini DCCCCLXXIII. tempore Benedicti papæ VI.

ANNO CHRISTI 973.

Causa & locus concilii.

HÆC synodus convocata est ab Honesto archiepiscopo Ravennate apud Mutinam, ad componendum dissidium illud quod inter duos germanos proceres, Petrum nimirum & Lambertum, agitatum fuerat. Id qua ratione factum fuerit prolixius enarrat Rubeus, libro 5. historiæ Ravennatis, anno 973.

G. C. Hæc tantum Binius. Nos vero operæpretium duximus acta ipsa hujus, seu conventus, seu concilii, quamlibet lacunosa, & barbariem redolentia, hic exhibere, uti a Rubeo, lib. 5. hist. Ravenn. edita sunt ex MS. codice Ursianæ bibliothecæ, vetustate exeso.

"**Temporibus domni Benedicti apostolici....ejus, in Dei nomine anno primo: imperante domno Ottone piissimo anno VI. die nono Septembr. Actum in loco ubi dicitur Martialia, territorio Mutinensi, dum resideret ibidem Honestus coangelicus, sanctissimus archiepiscopus S. Ravennatis ecclesiæ, prope fluvium Sicla, subtus papirione ejusdem archiepiscopi, & cum eo etiam residentibus, quamque multitudo, fulgidaque fama pollentibus, tam Romanorum, & Longobardorum, archiepiscoporum, ducum, comitum, presbyterorum, diaconorum, & aliorum graduum clericorum, judicum, consulum, castaldiorum, & aliorum ordinum, ... nobilium: inter quos etiam Ubertus episcopus Parmensis ecclesiæ, Ubertus episcopus Bononiensis, Ioannes episcopus Corneliensis, & Leo episcopus Ferrariensis ecclesiæ....... S. Ariminensis ecclesiæ, Adalbertus gratia Dei comes, filius quondam Bonifacii; Petrus comes, filius quondam Severi; comes, Garardus, & Arardus Germani comitibus, Lambertus comes,....... S. Petri, Marinus comes Ferrariensis, Ildebrando, & Rodulfo ger..... Ariminensis, Petrus, & Lambertus germ..... filiis quondam Ioanni de civitate Bononia. Paulus judex ex genere ducis, de civitate Ravenna, Petrus judex de civitate Ravenna; presbyteri....... diaconi...... S. Ravenn....... presbyteri...... diaconi...... Parmensis ecclesiæ..... dux de Traversaria.... Andrea filius quondam Petri magistri milit. Rodaldo filius Rodaldi dux, magistro militum, Romoaldo filius Sergi, Petrus filius Adelberti, Henricus filius Romoaldi ducis...... Attelianus, & Gerardus

ANNO CHRISTI 973.

Gerardus germ. consulibus. Mauritius filius quondam Romano consule, qui vocatur de Theodo...... Item Bononien. de monte celeri, de Galligata, de Bobio. In istorum suprascriptorum præsentia, orta est lis, & magna altercatio, inter Petrus, & Lambertus germ...... filii suprascripti....... ecclesiæ, quo modo suprascriptum Vbertum detinet prædia, & rebus, possessionibusque eorum, contra voluntatem Petri, & Lamberto germ. & sic cum illis contendat. Tunc domnus Honestus sanctissimus........ quale, altercationes, audientes, una voce cœperunt dicere, quod bonum & ratum est, ut lege inter se definiantur, ut inimicitia inibi non adcrescat. Suprascripti vero episcopi, & comiti, & duces atque......... episcopus sanctæ Parmensis, clara voce, dixit: Paratus sum hæc omnia adimplere, & per legem definire. Sicuti vos commendatis, atque sancitis........ suprascriptis Petro, & Lamberto germ. hæc audien......... ex jure q. perentum nostrorum jure, proprietatis, & quam per præceptores, & Emphyteosim de sancta Ravennate ecclesia...... Vbertus episcopus detinet, & contempsit nostra P........ dimus, & tu nobis contempsit ante dello potito in integro, & curte Susiano, positæ subtus pleno jure proprie...... monasterio sancti Ioannis casa Puronia, atque, & a sanct. Roman......... sancti Martini, ibi ædificata, cum suis pertinentiis, & massa Silicese, cum oratorio sancti Angeli, atque fundum Olmitula.......... & in fundo Ruda, similiter jure...... & in quarto similiter super fluvio Rheno, & intro civitate Bononia solos terræ, cum casis, & vacuamentis, una cum......... dicitur Melloncello, juxta Repone, &........ præfata sanctæ Ravennatæ ecclesiæ, & de monasterio sancti Ioannis casa Puteria..... verumetiam, & de sanctæ Romanæ ecclesiæ, & aliis rebus circo circa Bononia. vel ubi....... quam nobis pertinentibus proprio quam que, & de condi...... domnus, Domnus Vbertus episcopus sanctæ Parmensis ecclesiæ, respondit pariter cum suo avocatore, nomine Ingelfredus....... quondam Benedicti de Vallaria, de ipsius prædiis, & curte, & capellis, cum omnibus eorum pertinentiis........ Vnde vos, adversum nos convenitis, nos etiam contemptimus, & habemus pro investituris magnis Ottonis imp....... & dictum audivimus, quod pertinent suprascriptæ res, qualiter supradictum, nostræ Parmensis ecclesiæ, ante præsentiam imp. unde reclamavimus, & per ejus jussionem, inde investiti fuimus, unde nunc modo sum........ quia nullam scriptionem inde habemus, nec ullum directum inde reperire potuimus, nec nihil nostræ Parmensis ecclesiæ attinet, nec nos, sed vestra justitia est, ad habendum vos, & vestris hæredibus: & si ullum unquam in tempore, Ego Vbertus episcopus....... successoribus, aliquam scriptionem ostenderit, vel hæc ex parte nostræ ecclesiæ, & vacua, & inter scedula, & falsa computetur, & nullum in se habeat vigorem, vel firmitatem........ utrumque spopondisse suprascripta Vbertus episcopus Parmensis ecclesiæ pariter cum suo avocatore in aliquo tempore ille, vel sui successores, aliqua molestia inde fecerit, vel altercaverit, vel investitionem ille facere voluerit, vel instru........ quot inde monstraverit, tunc daturo se promisit a suprascriptis Petrus, & Lambertus Germano, vel ad eorum heredibus, argenti libras centum, & omnes istas suprascriptas res in duplum restituere scilicet suprascripto Paulo judex, & Petrus item judex de civitate Ravennæ prudenter sanxerunt, secundum manifestationem, atque sponsionem judicavimus, eidem Vberti episcopi manere in ipsa sponsione, & de ipsis omnibus rebus, & possessionibus, & curtis, seu prædiis, & capellis, & omnibus prædictis rebus, tacito, & contempto, sibi, suisque successoribus, esse & permanere, & ipsis Petrus, & Lambertus germ. quiete, & pacifice ipsi, & heredibus illorum habere, & possidere in perpetuum. Tunc senatus & populi multitudo, qui inibi aderant, laudaverunt; quod rectum, & judicatum, & definitum est. Hoc factum est sub die, mense, Indict. suprascripta secunda, Territorio Mutinense, in loco ubi dicitur Martialis.

ANNO CHRISTI 973.

Honestus Christo auxiliante, sanctæ Ravennatæ ecclesiæ archiepiscopus, huic, ut prætaxatum est, notitiæ consensi, & subscripsi.

Ioannes episcopus sanctæ Corneliensis ecclesiæ, in hac notitia, sicut judicatum est, interfui, & subscripsi.

Ioannes archidiaconus Bononiens.
Ioannes diaconus, & vest.
Ioannes presbyter Bonon.
Petrus presbyter Bonon.
.... Presbyter Bonon.
Petrus exiguus presbyter Bononien.
Adelbertus comes, & Arardus comes.
Paulus, Deo annuente, Dativo ex genere ducis, ut superius, judicavi.

Petrus, divina gratia, Dativo, ut superius interfui, &......

Asprandus judex sacri palatii.
Angelottus judex sacri palatii.
Theupertus judex sacri palatii.
Et alii plures.

CHARTA EDGARI REGIS Malmesburiensi cœnobio confecta.

CIRCA ANN. CHRISTI 974.

Se indicat clericos sæculares eiecisse, monachosque vitæ regularis induxisse.

Ego Edgarus totius Albionis basileus, necnon maritimorum, seu insulanorum regum circumhabitantium, adeo ut nullius progenitorum meorum subjectione, largiflua Dei gratia suppetente, sublimatus, quid imperii mei potissimum Regi regum dono darem, tanti memor honoris, solertius sæpe tractavi. Piæ igitur fautrix devotionis pervigili meæ studiositati superna subito insinuavit pietas, quæque in regno meo sancta restaurare monasteria, quæ velut muscivis scindulis, cariosisque tabulis, tigno tenus visibiliter diruta, sic (quod majus est) intus a servitio Dei ferme vacua fuerant neglecta. Idiotis nempe clericis ejectis, nulli regularis religionis disciplinæ subjectis, plurimis in locis sanctioris seriei, scilicet monachici habitus, præfeci pastores, ad ruinosa quæque templorum redintegranda opulentos eis fiscalium munerum exhibens sumptus. Quorum unum nomine Eluricum, virum in omnibus ecclesiasticum, famosissimi constitui custodem cœnobii, quod Angli bifario vocitant onomate Maldelmesburh. Cui pro commoditate animæ meæ, ob salvatoris nostri, ejusque Θεοτόκου semper virginis Mariæ, necnon apostolorum Petri, & Pauli, Aldelmique almi præsulis, honorem, particulam terræ, & nominatim terram cum pratis, & silvis, munifica liberalitate restitui. Hæc a prædictis accommodata clericis a contentioso injuste possessa est * Edolnoto: sed superstitiosa subtilique ejus disceptatione a sapientibus meis audita, & conflictatione illius mendosa ab eisdem me præsente convicta, monasteriali a me

Ingulph. histor. Croyl. pag. 884. Malm. de gest reg. lib. 2 cap. 8.

Monasteriorum miseria jam species.

* al. Eldinodo;

Circa an Christi 974

me reddita est usui, anno dominicæ incarnationis nongentesimo septuagesimoquarto, regni vero mei decimoquarto, regiæ consecrationis primo. *Hæc Malmesburiensis.*

SUBSCRIPTIONES.

Ego Edgarus totius Albionis finitimorumque regum basileus cum signo sanctæ Crucis istud chirographum confirmavi.

Ego Dunstanus Dorobernensis archiepiscopus istud donum regium hagiæ Crucis trophæo corroboravi.

Ego Osvvaldus Eboracensis archiepiscopus subscripsi.

Ego Athelvvoldus episcopus VVintoniensis consignavi.

Ego Lefvvinus Dorcacistrensis episcopus consensi.

Ego Alstanus episcopus Londoniensis annui.

Ego Turketulus abbas Croylandiæ subnotavi.

Ego Athelgarus abbas novi monasterii VVintoniæ approbavi.

Ego Adulphus abbas Burgensis collaudaui.

Ego Alferus dux adfui.

Ego Athelvvinus dux adstiti.

Ego Brithodus dux aspexi.

Et alii.

Anno Christi 975.

VITA BENEDICTI PAPÆ VII.

Benedictus quando & quibus auxiliis pontificatum quiete adeptus.

BENEDICTUS hujus nominis septimus, omnium suffragio anno Christi 975. creatus est Romanus pontifex, quando auxilio Albericorum, de quorum familia ipse erat, adjutus, tyrannum, & invasorem throni apostolici Bonifacium ab urbe discedere, & pontificatum deserere coegisset. Exemplo & autoritate Leonis Ostiensis, qui libro 2. cap. 4. Benedictum septimum ejusdem nominis Benedicto sexto, nullo alio interposito, successisse refert, ego cum reverendissimo & illustrissimo cardinale Baronio, Bonifacio illo sedis invasore e numero & serie pontificum expuncto, eumdem Benedictum septimum sexto cognomine Benedicto subjungo, ob causas quas supra allegavi.

Cur Bonifacio omisso hic pontifex subjungatur præcedenti Benedicto?

Hic Sergium Damascenum episcopum a Sarracenis relegatum benigne excepit, eique ecclesiam sancti Bonifacii, sive Alexii, colendam tradidit: in qua cum ille monachos collegisset, restitutaque observantia monastica annos quatuor illic egisset, sancto fine quievit. Hujus temporibus Otto secundus, dum post obitum patris decem annis imperium tenuisset, propter cladem sibi suoque exercitui in Calabria per Græcos, & Saracenos illatam mœrore confectus, obiit Romæ, anno Redemptoris nongentesimo octuagesimo tertio.

Otto II. moritur.

Otto tertius, quem pater adhuc vivens per Moguntinum, & Ravennatem archiepiscopos Aquisgrani regem eligi & coronari procuraverat, in locum patris defuncti successit. Octavo mense post mortem Ottonis, Benedictus papa ex hac vita migravit decima Iulii, anno Christi nongentesimo octuagesimo quarto, cum annos novem sedem pontificiam tenuisset. Sepultus est in basilica sanctæ Crucis.

Otto III. succedit.

Benedicti obitus.

A PILGRIMI LAURIACENSIS PRÆSULIS EPISTOLA AD BENEDICTUM PP. VII.

Petit pallium, & privilegia cætera ecclesiæ suæ alias concessa: fidei suæ confessionem mittit.

Ordinis ac nominis charismate prærogato sanctæ Romanæ sedis universali pontifici Benedicto, Pilgrimus sanctæ Lauriacensis ecclesiæ humilis servitor. Fidelitatem precum, devotumque servitium.

NOTUM fieri dignetur vobis, summe sacerdotum præsul, quod super omne animi mei desideriũ nunc delectarer, & apostolorum visitare limina, vestraque optabili perfrui præsẽtia, & ea facie ad faciẽ, B quæ literis, & internuntiorum committo indiciis, sanctissimæ paternitati vestræ coram rationari: nisi quod a neophyta Vngarorum gente huc ire prohibeor, apud quam fœdere pacto, sub occasione pacis fiduciam sumpsimus operam exercere prædicationis. Hujus enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum provinciarum prædicatoribus meæ diœcesis hactenus aditum clausit, ad quas nihilominus præsentis opportunitas temporis ire me vocavit. Quibus Deus omnipotens, quoniam solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est januam cordis sui, diu clausam: ut discisso velamine duritiæ suæ, depositaque ferina crudelitate, leni jugo domini colla submittant. A qua ergo præ- C fata Vngarorum gente multis precibus ipse invitabar venire, aut missos meos in opus euangelii illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem satis idoneos viros ex monachis, canonicosque presbyteros, atque de singulis ecclesiasticis gradibus clericos, & vita, omnique conversatione illorum sic ordinata, quemadmodum in gestis Anglorum didici: tantum divina gratia fructum statim ministravit, ut ex eisdem nobilioribus Vngaris utriusque sexus catholica fide imbutos, atque sacro lavacro ablutos circiter quinque millia Christo lucrarentur. Christiani autem, quorum major pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt captivi, quibus nunquam soboles suas licuit nisi furtive domino con- D secrare: modo certatim, nullo obstante timore, offerunt eos baptizare, & gratulantur omnes tamquam de peregrinatione sua in patriam reducti, quod Christiano more oratoria audent construere, & licentia percepta linguam ligatam in laudem salvatoris præsumunt solvere. Ipsi enim barbari mira omnipotentis Dei operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptizari, nec sacerdotibus invident, quocumque libet proficisci. Sed ita concordes sunt pagani cum Christianis, tantamque ad invicem habent familiaritatem: ut illic videatur Isaiæ impleri prophetia: *Lupus & agnus pascentur simul: leo & bos comedent paleas.* Factum Isaia 35. E est ergo, ut pene cuncta Vngarorum natio sit prona ad percipiendum fidem sanctam, sed & aliæ Sclavorum provinciæ ad credendum promptæ: & est ibi messis quidem multa, operarii autem pauci. Inde quoque visum est, jam necessarium esse, quatenus sanctitas vestra illic jubeat aliquos ordinari episcopos, quia & quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios VII. antistites eadem orientalis Pannonia habuit, & Mœsia, meæ sanctæ Lauriacensi, cui ego indignus ministro, ecclesiæ subjectos, quorum etiam quatuor, usque dum Vngari regnum Bavvariorum invaserunt, sicut præsenti cognitum est ætati, in Maravia manserunt. Quod nimium grave, ac valde onerosum est mihi, ut mei pôtissimu parochias solus prædicando circum-

eam

eam, quibus necessitate, & adjutorii inopia cogor numquam meam subtrahere præsentiam. Ecce, dominorum amatissime, hujusmodi ecclesiasticis mancipatus officiis detineor, & ne fecissem moram sæpe dictæ gentis conversioni, ire & prosterni ad vestra sanctissima vestigia distuli. Legatos autem meos, præsentium scilicet portitores, ad vestram destinavi serenitatem: quos audire dignetur, quæso, clementia vestra, & eorum, meisque mixtim precibus præbere assensum; quatenus pallium, infulamque pontificalem, quod speciale munus honoris ab hac sede tantum dirigitur metropolitanis, quod etiam mei prædecessores a gloriosis hujus principalis cathedræ primatibus accipere soliti erant, mihi vero hoc ipsum benigno animo per illos dirigere dignetur. Pariterque etiam privilegia apostolicæ autoritatis meæ ecclesiæ per eosdem missos meos vestris præsentata sacris obtutibus, more prædecessorum vestrorum roborari supplico, & confirmari: ut hac apostolica sanctione, & benedictione munitus, mihi commissi populi gubernationem canonice exequi valeam; & vestris in die judicii rationibus imputetur, quod in illis finibus ex paganis nova ecclesia domino lucratur. Quondam variæ, ac perversæ hæreticorum sectæ timendæ sunt, quos sæpe contigit deprehendi, alios, quibus præsunt, errore suo corrumpere, quos agnitione orthodoxæ veritatis debuerant illustrare. Ut hæc tam pestifera de me amputetur suspicio, solenne symbolum catholicæ fidei, quam ipse teneo, ac doceo, vestro apostolatui profitendum salubre censeo.

Confiteor, & credo sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum Deum naturaliter esse, unius substantiæ, unius naturæ, unius majestatis, & virtutis: & Patrem quidem non genitum, non factum, sed ingenitum profiteor. Fons ergo, & origo ipse est totius Trinitatis. Pater namque ineffabili substantia Filium genuit, nec tamen aliud quam quod ipse est genuit, Deus Deum, lux lucem. Filium quoque de substantia Patris, sine initio, natum ante sæcula, nec tamen factum fateor. Igitur non sicut Filius a Patre, ita Pater a Filio est: quia non Pater a Filio, sed Filius a Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed Deus non de Filio. Si enim Pater fuit, semper habuit Filium, cujus esset Pater Deus: & ob hoc Filium de Patre natum sine initio confiteor. Spiritum autem sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque æqualem cum Deo Patre, & Filio, credo esse Deum, unius substantiæ, unius quoque naturæ, nec tamen genitum, vel creatum, sed a Patre Filioque procedentem, amborum esse Spiritum. Nec enim procedit de Patre in Filium, nec de Filio tantum procedit ad sanctificandam creaturam*: sed ab utrisque procedere monstratur, quia caritas, sive sanctitas amborum esse cognoscitur, & nec Patris tantum, nec Filii tantum, sed similiter Patris, & Filii Spiritus dicitur. In relativis vero personarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrosque refertur. Quæ cum relative tres personæ dicantur, una tamen natura, vel substantia creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias prædico: sed unam substantiam, tres autem personas. Quod enim Pater est, non ad alium, sed ad Filium; & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est; similiter Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem, & Filium relative refertur, in eo quod Spiritus Patris, & Filii prædicatur. In hac ergo sancta Trinitate tres personas unum Deum confiteor. Ergo non ipsum qui Pater est, dico etiam Filium, vel Spiritum sanctum; nec ipsum Filium, Patrem aut Spiritum sanctum fateor; vel eum qui est Spiritus sanctus, Patrem vel Filium dicere valeo: sed quod Pater est, hoc Filium esse, hoc esse Spiritum sanctum, sine ulla ambiguitate pronuntio. Personas enim distinguo, non naturam Deitatis separo. Tres ergo illas unius atque inseparabilis naturæ personas sicut non confundo, ita separabiles nullatenus prædico. Cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia, vel extitisse, vel quippiam operata fuisse aliquando credatur. Inseparabiles enim inveniuntur in eo quod sunt, & in eo quod faciunt. Habet enim Pater æternitatem sine nativitate, Filius æternitatem cum nativitate, Spiritus vero sanctus æternitatem processionis a Patre & Filio sine nativitate. De his ergo tribus personis, sola Fili persona hominem verũ sine peccato pro liberatione generis humani, ex Maria virgine, novo ordine, novaque nativitate sumpsit. Novo ordine, quia invisibilis in divinitate, invisibilis monstratur in carne; nova autem nativitate est genitus, quia incorrupta virginitas, & virilem coitum nescivit, & fœcunda per Spiritum sanctum, carnis materiam ministravit. Dei enim Filius non personam hominis accepit, sed naturam. Naturam enim nostram in unitatem suæ personæ assumpsit: & idcirco Filius Dei, & Filius hominis unus est Christus. In eo namque quod Filius est Dei, æqualis est Patri; & in eo quod Filius est hominis, minor est Patre. Qui etiam ex quo homo est, pro delictis nostris passionem sustinuit: mortique addictus & cruci, veram carnis mortem accepit. Tertia quoque die virtute propria suscitatus de sepulcro. Hoc ergo exemplo capitis nostri, in hac carne, qua nunc sum, & moveor, resurrecturum me credo. Idem autem dominus & salvator noster, peracto resurrectionis suæ triumpho paternam sedem repetiit, a qua per unitatem numquam recessit. Inde in finem sæculorũ venturus, judicabit vivos, & mortuos, redditque singulis prout gessit quisque in corpore, sive bonum sive malum. Ecclesiam sane catholicam pretio sui sanguinis redemptam, cum eo credo in perpetuo regnaturam. Credo & confiteor unum baptisma, in remissionem omnium peccatorum. Hanc ergo fidem professionis meæ inviolatam me retinere, & ab ea numquam deviare promitto.

Qualiter ergo ex prælibata fide idiotas erudire debeam, & ipse in suscepta novitiorum ecclesia conversari, rescripto paternitatis vestræ cautus flagito ut merear edoceri. Memetipsum enim iterũ iterumque sanctitatis vestræ fidei, precibusque submixe commendo. Dignam autem vestræ sublimitatis memoriam, quam tota per orbem frequentat ecclesia, ego cum omnibus mihi subditis, votis & orationibus celebrare non desisto. Quidquid etiam humani servitii, quod vestram deceat magnitudinem, ex me conferri possit, totum, & ex toto, pro libitu voluntatis vestræ liberaliter expendere, pater dilectissime, satago.

*al. naturam

*** BENEDICTI PAPÆ VII. EPISTOLA AD GALLOS ET GERMANOS.

Laureacensem, hoc est, Pataviensem ecclesiam metropolitanam esse decernit: hujus & Salisburgensis limites constituit: Pilgrimo Lauriacensi archiepiscopo vices apostolicas delegat.

Dilectissimis nobis in Christo filiis, Hrodberto, sanctæ Moguntinæ ecclesiæ; & Diotrico, sanctæ Treverensis ecclesiæ; atque Adalberto sanctæ Magdeburgensis ecclesiæ; parique modo Gereoni, sanctæ Coloniensis ecclesiæ; atque Friderico sanctæ Iuvanensis

sis ecclesiæ; sed & Adaldago sanctæ Bremensis ecclesiæ, archiepiscopis. Pariterque domino Ottoni gloriosissimo imperatori Augusto, atque nepoti suo Henrico præcellentissimo duci Bavvariorum, cæterisque omnibus episcopis, & abbatibus, ducibus atque comitibus Galliæ, atque Germaniæ, Benedictus divina gratia præditus apostolicæ sedis pontifex, servus autem servorum Dei, in domino salutem.*

** præditus. nempe in superiore epistola.*

OPORTET justis supplicationum petitionibus nos semper faciles, & humiles exhibere: & præcipue cum fraternis religiosorum cōsacerdotum precibus solicitamur, qui passim ab omni mundi termino tenorem & regulam, atque proprii officii vigorem ab hac universali sancta Romana ecclesia, ejusque sortiuntur ministro, vicario scilicet beati Petri principis apostolorum: cujus quamvis indigni, ejusdem tamen gratia & dono, potestati successimus, & ordini, cui voce dominica dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* (Matth. 16.) Quapropter dignum æstimavimus, assensum præbere congruis postulationibus reverendissimi archiepiscopi, quas per probabiles personas nobis intimavit, responsalium suorum duorum presbyterorum, quatenus sibi pallium, & metropolitanum honorem cathedræ suæ, sanctæ Lauriacensi ecclesiæ restitueremus, confinio Vngrorum adjacenti: quod omnino nos eidem ecclesiæ debere testantur antiquissima secum apportata privilegiorum testimonia. In quibus enim continebatur, quod ætate pontificatus beati Symmachi hujus almæ sedis apostolici præsulis, præfata sancta Lauriacensis habetur ecclesia metropolis: & in quātum tam exinde quam etiam de passionibus beatorum martyrum, qui illic plures in tempore persecutionis pro fide Christi variis sunt tormentis mulctati, colligere possumus, ex omnibus ecclesiarum diœcesibus Pannoniæ, hæc antiquitate, & archiepiscopii dignitate esse primitiva creditur: quæ jam multis retro actis temporibus ex vicinorum frequenti populatione barbarorum deserta, & in solitudinem redacta, nullum Christianæ professionis habitatorem meminit, usquedum invictissimus Augustus, & pater gratiæ, genitor quippe pii imperatoris nostri, quem adhuc superesse, & diu dominari mundus exoptat, bellico trophæo eorum vires retundit. Nunc autem, quamobrem votis exultantibus in laudem omnipotentis Dei erumpimus, non solum sæpe dicta sancta Lauriacensis ecclesia, hostium cessante terrore, cum accolis suis pace, & tranquillitate potitur: verum etiam ipsi dudum inimici, illum quem persecuti sunt more gentili, jamjam Christum baptizati profitentur, & sacerdotes modo habere desiderant, ac prout scire rudes poterunt, venerantur; & ecclesias quasdam in sua terra, quas patres incendio dederunt, posteri restaurare videntur. Hac ergo suadente ratione: quod prænominati sanctæ Lauriacensis ecclesiæ archiepiscopi postulatio, antiqua apostolica autoritate commendatur; & præterea, quod cum justum esset, pariter etiam utile visum est, ut ad fructificandas Deo gentes, ex novitiis cultoribus fidei Vngrorum, atque Maravorum, sive etiam aliis multis provinciis Sclavorum suæ parochiæ finitimis, illic ordinatis episcopis secundum quod antiquitus depositi erant, eis hunc constitueremus archiepiscopum. Quoniam autem Salisburgensis ecclesia metropolis abusa est subjectione sanctæ Lauriacensis ecclesiæ, pontificii obliterata & attenuata sua dignitate ex devastatione barbarorum, quam propterea perceptis apostolicis privilegiis nequaquam patimur privari: cum & priora sint Salzburgensibus, & ideo autoritativa, vel autorabiliora. Quę conditio testimonii etiam apud sæcularia viget, & prævalet. Nos vero in hujusmodi constitutionibus omnem calumniam atque contentionis occasionem, domino adjuvante, facile propulsamus, ambabus parochiis ab invicem certis limitibus sequestratis, & tamen apostolicis sanctionibus ubique stabilitis, quas nostrum est semper defendere, & secundum euangelicam sententiam nihil ex eis solvere, sed adimplere. Vnde ergo autoritate & potestate beati Petri principis apostolorum, atque exemplo beatorum pontificum scilicet prædecessorum nostrorum, eandem sanctam Laureacensem ecclesiam, ejusque rectores jam archiepiscopos, amodo perpetim ab omni Salzburgensis ecclesiæ ejusque præsulum subjectione ac ditione absolvimus; & honore metropolitano sublimamus. Et sicut modernis temporibus sanctæ memoriæ Agapitus papa terminos earumdem parochiarum ab invicem distinxit, sic & ipsi diffinimus: ita quoque ut sancta Salzburgensis ecclesia superioris Pannoniæ episcopos habeat suffraganeos, quibus usque huc sui pontifices præesse videbantur, cum tanta talique diœcesi, quali hactenus in inferiori usi sunt Pannonia: sancta autem Laureacensis ecclesia in inferioris Pannoniæ, atque Mœsiæ regiones, quarum provinciæ sunt Bavvaria atque Maravia, in quibus septem episcoporum parochiæ antiquis temporibus continebantur, suique antistites archiepiscopalem deinceps habeant potestatem, cum tanta talique diœcesi, quali hactenus in superiori usi sunt Pannonia. Quibus utique in superni* præceptis injungimus, ut juxta beati Gregorii decretum, Anglorum archiepiscopis directum, alter illorum qui prior sit in ordinatione tempore, & quoad vivat, prioratum teneat & in ordine. Penitus enim determinatis utriusque ecclesiæ diœcesibus, omnique exclusa altercandi occasione: canonica sub districtione interdicimus, ut neuter earumdem ecclesiarum archiepiscopus invadere alterius parochiam præsumat, vel quibuscumque jurgiis aut disceptationibus super diffinitis a nobis modo rebus alter alterum solicitare audeat. His igitur sedatis, venerabilem confratrem nostrum Pilgrimum archiepiscopum, canonicis literis munitum, sedi sanctæ Laureacensis ecclesiæ inthronizavimus, palliumque ei secundum antiquum ejusdem ecclesiæ usum direximus: atque in provinciis Bavvariæ, regionum quoque inferioris Pannoniæ sive Mœsiæ, & in contiguis sibi Sclavorum nationibus circumquaque manentium, nostram apostolicam autoritatem, & vicem exercere committimus atque delegamus: quatenus illic, more antecessorum suorum sanctæ Laureacensis ecclesiæ archiepiscoporum, habeat potestatem presbyteros, & episcopos ordinare, atque constituere, & ex prædictis gentibus sua sancta prædicatione parare domino plebem perfectam.

** f. insuper*

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM QVO BASILIVS PATRIARCHA depositus fuit anno DCCCCLXXV. sub Benedicto papa VII.

Anno Christi 975.

IN hac synodo, quæ teste Curopalate habita fuit indictione tertia, Basilius patriarcha criminis accusatus deponitur, & in locum ejus substituitur Antonius Studites. Baronius anno 975. num. 10.

CONCILIVM REMENSE, IN QVO THEOBALDVS EPISCOPVS, AMBIANENSIS ecclesiæ usurpator, excommunicatus est, præsidente Stephano diacono Benedicti VII. papæ legato

ANNO CHRISTI 975.

legato, celebratum anno Christi DCCCCLXXV.

Epistola Adalberonis Remensium archiepiscopi, & Stephani Romani diaconi, ad Theobaldum episcopum Ambianensem.

INVETERATE dierum malorum, vide tandem quid lucri tua tibi contulit absentia: nostrane ut abutaris patientia, contemptor legum divinarum atque humanarum? Sedem apostolicam appellasti, nec adisti. Literas pecunia, & mendacio tuo Romæ editas, a te accepimus XIV. Kalendas Augusti, plusculum in te quam pro te continentes. Cui synodo nec interfuisses, nisi interposita conditione reservandi honoris: quod abesse fuit, non adesse. Cur latitas? Cur sanctam synodum fugis? Ei quæ acta est V. Non. Iul. exhibere te noluisti: & præsenti, quæ denuntiata est agi VIII. Kal. Octobr. interesse recusas. Convenerunt pro te reverendi medici, qui morbos tuos optime noverint, tyrannicam scilicet vim qua infulatus es contra regium velle, ac illum tuum pseudoarchiepiscopum ᵇ cum episcopis excommunicatis, qui suarum manuum impositione velut quodam contagio te infecerunt. Et quoniam judicio domni Benedicti VII. papæ in synodo, qua Bonifacius damnatus est, incurabilis repertus es, nec ejus filius Stephanus sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus mederi tibi prævalet: velut morbidum & morbosum hircum separamus te a grege dominico, & ex autoritate omnipotentis, & sanctæ Mariæ, sanctique Petri principis apostolorum, damnamus te, & excommunicamus, sacrisque liminibus ecclesiæ arcemus, usque ad veram tui recognitionem, & dignam satisfactionem.

ᵇ nempe Huconem.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Stephanus sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus ad vicem domni Benedicti papæ VII. huic statuto præfui, & præscripsi.

Ego Adalbero sanctæ Remensis ecclesiæ archiepiscopus interfui, & firmavi cum reliquis.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

Sententiæ hujus exemplum ex veteri libro descriptum, Andreæ Quercetani diligentiæ debemus. Annum autem ex conjectura illam adscripsimus, quo constabat damnatum a Benedicto VII. pulsumque ab apostolica sede quam invaserat Franconem, qui Bonifacius dicebatur. Theobaldum porro ante annos fere triginta episcopum Ambianis ordinarat Hugo pseudoarchiepiscopus Remensis. Quam ob causam excommunicatus jam fuerat in synodo Trevirensi, cui Marinus legatus præfuit anno 949. & nunc iterum eadem sententia percellitur.

CONCILIUM VVINTONIENSE, SUB SANCTO DUNSTANO CANTUARIÆ archiepiscopo, in interstitio regnorum Edgari, & Edvvardi martyris regum celebratum.

In quo dum acerrime contenditur de clericis uxoratis monachisve præferendis, imago dominica pro monachis dicitur elocuta, & controversiam protinus diremisse, præsentibus Edgaro rege cum sua conjuge, sancto Dunstano archiepiscopo Cantuariæ, cum cæteris episcopis, abbatibus, &c. Elfero principe Merciorum, Ethelvvino duce orientalium Anglorum, Elfvvoldo suo germano, Brithnotho comite, cum nobilitate totius regni.

DE *hoc concilio hæc Binius e Baronio:* Dum Angliæ clerici non satis probatæ vitæ, opera principum & optimatum, abbates eorumque monachos optime viventes e monasteriis ab Ethevvaldo VVintoniensi episcopo aliisque regibus & viris pie fundatis ejecissent, eorumque bona invasissent:

A delatum est negotium ad Dunstanum Cantuariensem episcopum, qui synodum apud VVintoniam congregavit, in qua circa medium utriusque partis disputantis conflictum, *inquit Matthæus VVestmonasteriensis*, imago dominica, quæ altercantibus astabat in ecclesia, expresse locuta ita allegatur: Non fiet, non fiet: judicastis bene, male mutaretis. Quare (*inquit idem Matthæus*) clerici, omnesque eorum fautores, elingues redditi, nullam deinceps monachis controversiam moverunt.

Habetur in hanc sententiam vetustioris autoritatis scriptor VVilielmus Malmesburius, qui rem sic memorat: Defuncto Eadgaro, clerici quondam ab B ecclesiis rediviva prælia suscitarunt, dicentes ingens esse, & miserabile dedecus, ut novus advena veteres colonos migrare compelleret: hoc nec Deo gratum putari, qui veterem habitationem concessisset; nec alicui probo homini, qui sibi idem timere posset quod aliis præjudicio accidisse cerneret. Ea de re in clamores & iras surrectum, & ad Dunstanum perrectum est, præcipue proceribus, ut laicorum est, succlamantibus præjudicium, quod clerici passi fuerant injuste, leniori consilio succidi debere. Nam & unus eorum Elferius omnia pene monasteria, quæ reverentissimus Ethelvvoldus monachus, & VVentanus episcopus construxerat in provincia Merciorum, magna usus insolentia evertit. Itaque frequenti synodo coacta, primum VVintoC niam ventum. Quis ibi fuerit finis certaminis, aliæ literæ docent, dominicam imaginem expresse locutam, clericos eorumque fautores confudisse; sed adhuc non sedatis animis, Calnæ concilium indictum: ubi, *&c. ut leges in Calnensi concilio hic inferius habito.*

Gest. reg. lib. 2. cap. 9.

Hæc itemque Iornalensis, & præterea quidpiam. Congregato, *inquit*, super hoc celebri concilio apud VVinton, imago Crucifixi voce humana in veteri monasterio VVinton coram omnibus viam Dunstani asseruit esse veram, sic dicens: Absit hoc ut fiat, Absit hoc ut fiat: Iudicastis bene, mutaretis non bene. In cujus rei memoriam, in capite refectorii ejusdem monasterii super caput Crucifixi sic D scribitur:

Humano more crux præsens edidit ore
Cælitus effata, quæ prospicis hic subarata.

Hujus litis, & ipsius synodi, ante Malmesburium meminit Edgari sæculi vicinus Florentius VVigornensis, non miraculi. Cujus, *inquit, scilicet Eadgari*, decessu totius regni status est perturbatus, & post tempus lætitiæ, quod illius tempore stabat pacifice, cœpit tribulatio undique advenire. Nam princeps Merciorum Alferus, quamplurésque regni primates, magnis obcæcati muneribus, abbates cum monachis de monasteriis, in quibus rex pacificus Eadgarus eos locaverat, expulerunt, & clericos cum uxoribus suis introduxerunt. Sed huic vesaniæ, viri timorati, dux orientalium Anglorum Athelvvinus Dei E amicus, & suus germanus Alfvvoldus, & Brithtnotus comes vir religiosus, restiterunt, & in synodo constituti se nequaquam ferre posse dixerunt, ut monachi ejicerentur de regno, qui omnem religionem tenuerunt in regno. Congregato dein exercitu, monasteria orientalium Anglorum maxima strenuitate defendunt. Dum hæc aguntur, de rege eligendo magna inter regni primores oborta est dissensio. Quidam namque regis filium Edvvardum, quidam vero fratrem ejus elegerunt Æthelredum. *Sic VVigornensis, totidemque plane verbis ipsum idem postea Hovedenus. Audiendus demum autor chronici VVintoniensis monasterii, ex vetusto manuscripto, qui longe aliter rem exhibuit.*

ANNO CHRISTI 975. Chronic. VVintoniense.

Anno, *inquit*, dominicæ incarnationis nongentesimo sexagesimo octavo, anno regni Christianissimi regis Edgari octavo, anno pontificatus sui Athelvvoldi quinto, sabbato Ramispalmarum, expulsi sunt clerici a novo monasterio VVintoniæ, quod modo Hyda nominatur.

Clerici vero, dum ab ecclesia, quæ vetus nominatur cœnobium, in urbe VVentana, expulsi, rediviva prælia suscitarunt; inter se altercantes, ingens esse & miserabile dedecus, ut novus advena veteres colonos migrare compelleret; hoc nec Deo gratum putari, qui veterem habitationem concessisset, nec alicui probo homini, qui sibi idem timere posset, quod aliis præjudicio accidisse cerneret: ea de re in clamores & iras surrectum, respirandique ad pristinam dignitatem propositum arripientibus canonicis, apud VVintoniam super hac re convenitur.

Adscivit rex inclytus Edgarus, & Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopus sanctus Dunstanus, pro utraque parte judices veracissimos, in refectorio prædicti monasterii pro tribunali considentes, in orientali videlicet parte ipsius refectorii, in medio sedilis, habentes a tergo murum, in quo erat crux immurata, a tempore quo canonici, rege Æthelredo * tertii filii Athulphi regis permittente, graviter tamen id ferente, monachis per Danos interfectis, ecclesiam sæpe dictam usurpantes intrabant, rege Edgaro cæterisque ibidem præsentibus penitus ignorantibus. Qui murus tunc erat ubi modo tertius gradus consistit, quo itur ad sedem præsidentis, sive ad prædictæ crucis imaginem, secundum Vigilantium in libro de basilica Petri, capitulo nono, cum quo etiam concordant plurimi antiqui chronicantes. Stant parte sinistra refectorii duces, cum totius regni magnatibus, necnon cum expulsis canonicis, pro ipsis clericis allegantibus. Ex parte vero dextra soli duo sanctissimi pontifices astiterunt, videlicet sanctus Osvvaldus Eboracensis archiepiscopus, & VVentanæ sedis antistes sanctissimus Athelvvodus, cum monachis, & pro ipsis ut permanerent, coram rege & archiepiscopo philosophantes. Tandem magnates regni contemplantes se fore victos, promissa vitæ emendatione ex parte clericorum, regem & archipræsulem humillime deprecantur, ut reintrarent canonici, quorum precibus, lacrymis, suspiriis, motus clementissimus rex Edgarus, in arcto constituitur, quid super hoc agere debeat mente ruminatur. Quid multa? Veniam clericis sub spe emendæ concessurus, licentiam reintrandi ipsis annuere proposuit. Cum igitur sententiam suæ diffinitionis erat in proximo proponendi, audita est vox divinitus afflata de imagine crucis muratæ personans: Absit hoc ut fiat: Absit hoc ut fiat: Iudicastis bene: Mutaretis non bene. Quam quidem vocem articulatam soli Edgarus inclytus princeps, & sanctus archipræsul Dunstanus, qui judices causæ extiterant, audiverunt. Ad quam quidem vocem stupefacti rex, & archipræsul, corruerunt proni in terram, cæteri vero omnes audientes vocis sonum quasi tonitrui magni, ceciderunt perterriti in terram. Quid plura? Vox secundo de cruce personuit regi, & archipræsuli sub hac forma: Surgite, ne expavescatis, quia hodie justitia, & pax in monachis osculatæ sunt. Sicque stabilimentum suscepit ordo monasticus, ut inhabitet in domo domini in longitudinem dierum, maligno consilio clericorum dissipato, ut scribit Vigilantius in libro de basilica Petri, capitulo nono, ut scribit VVilielmus Malmesburiensis de regibus libro secundo, Athelvvoldus ex monacho Glastoniensi abbas Abbandoniensis.

* *Rectius* tertio filio

Vox efflata de imagine crucis.

ANNO CHRISTI 978.

CONCILIUM * KYRTLINGTONIÆ POST PASCHA HABITUM ANNO CHRISTI DCCCCLXXVII. præsentibus Edvvardo rege, qui martyrio postea coronatur, & Dunstano archiepiscopo Cantuariensi.

* *alias* KYRTLINEGE * *al.* KYRDING. * *al.* KERLING.

Ex nota quadam Saxonica.

Post pascha, magnum habebatur concilium Kyrtlingtoniæ, ubi Sidemannus episcopus mortem celerem obiit II. Kalendas Maii. Erat is Devoniæ episcopus, voluitque corpus suum in episcopali sua sede Cridiantunæ sepeliendum.

Ordinarunt jam nunc rex Edvvardus, & Dunstanus archiepiscopus, ut homines rusticani religionis causa ad ecclesiam sanctæ Mariæ Abbandunensem peregrinarentur, quod & fecerunt.

Peregrinatio ad sanctam Mariam Abbandunensem instituta.

Sepelitur autem honorifice (puta Sidemannus episcopus) ex parte Boreali porticus sancti Pauli Cridiantunæ.

ANNO CHRISTI 978.

CONCILIUM CALNÆ VILLÆ REGIÆ VVILCERIÆ SUB SANCTO DUNSTANO archiepiscopo Cantuariæ habitum, anno IV. sancti Edvvardi martyris: cui præter episcopos alios & cæterum clerum, omnes aderant Anglorum optimates, rege tamen propter teneram ætatem absente:

In quo dum acrius contenditur de ejiciendis monachis, reducendisque presbyteris sæcularibus, cum uxoribus suis & liberis, conciliabuli decidit solarium.

Gest. reg. lib. 2. c. 9.

De *hoc Malmesburius ita*: Sed adhuc non sedatis animis, Calnæ concilium indictum: ubi cum in cœnaculo, absente propter ætatem rege, considentibus totius Angliæ senatoribus, magno conflictu, & controversia res ageretur, & validissimum illum murum ecclesiæ, Dunstanum dico, multorum conviciorum jacula impeterent, nec quaterent, suas partes cujuscumque ordinis viris summo studio tuentibus, solarium totum repente cum axibus, & trabibus dissiluit & concidit. Omnibus ad terram elisis, solus Dunstanus stans super unam trabem quæ superstes erat, evasit probe: reliqui vel exanimati, vel perpetui languoris compede detenti. Hoc miraculum archiepiscopo exhibuit pacem de clericis, omnibus Anglis tunc & deinceps in ejus sententiam concedentibus. *Hæc e Malmesburio Baronius. De eodem Henricus Huntingdoniensis hist. lib. 5.* Edvvardi sancti regis anno quarto omnes optimates Anglorum ceciderunt a quodam Solario apud Calne, præter sanctum Dunstanum, qui trabe quadam apprehensa restitit. Vnde quidam eorum valde læsi sunt, quidam vero mortui. Signum scilicet Dei excelsi fuit, quod proditione & interfectione regis sui ab amore Dei casuri essent, & a diversis gentibus digna contritione conterendi.

ANNO CHRISTI 978

CONCILIUM AMBRESBIRIÆ SEU IN URBE AMBROSII VVILTONIENSI pago celebratum anno Christi DCCCCLXXVIII.

Præter *nomen nihil exhibet hoc concilium. De hoc ita VVigornensis*: In Eastanglia apud villam quæ Kyrtlinege nominatur, maxima synodus celebratur. Dehinc apud Calneregiam villam dum alia celebraretur, totius Angliæ majores natu, qui ibidé congre-

ANNO CHRISTI ....

congregati fuerunt, excepto Dunstano, de solario corruerunt; quorum quidam mortui sunt, quidam vero mortis periculum vix evaserunt. Tertia apud Ambresbyrig synodus celebrata est. Domnaniæ præsul Sidemannus obiit. *Hac ille, & inferior Iornalensis*: Celebratæ sunt *(inquit)* in Anglia tres synodi; prima apud Kerlynge, secunda apud Calne, ubi omnes proceres, excepto Dunstano, de solario corruerunt: tertia fuit Ambresbyri. *Anni non meminit, sed hæc ille in Edgari regis vita posuit.*

A

LEGES PRESBYTERORVM Northumbrensium, cum ad mores eorum corrigendos, tum ad ipsorum ministeria promovenda.

B

I.

manuscript cod. bibliothecæ Cantuariensis. ¶. 4.

Si quis presbytero alicui injuriam intulerit, omnes sui ordinis, auxiliante episcopo, emendationem diligenter curent, & unicuique fiat justitia, prout scriptum est: *Quasi cor unum, & anima una.*

II.

[...]terius [ec]clesia non [...] invadenda.

Et prohibemus (sicut a Deo est prohibitum) presbyterum aliquem ecclesiam alterius emere; sed neque alterius recipere: nisi illius fuerit qui ob crimen aliquod capitale indignus censeatur, ut altari deserviat. Si quis presbyter contra hoc deliquerit, honore suo exuatur, & parium suorum amicitia, missam nullam celebrato, donec id legitimo permissu faciat. Solvat etiam is qui injuriam intulit 20. oras, * & episcopo 12. oras, & presbytero quem ejecit ex ecclesia sua 12. oras, comitibus suis omnibus: & amittat præterea quidquid pecuniæ vel rei alterius, si quid dederit pro ecclesia alterius presbyteri obtinenda. Vnusquisque etiam presbyter 12. inveniat fidejussores de legibus sacerdotalibus debite observandis.

Legendum [pe]nso 20. [or]as episcopo, 12. [or]as presbytero, &c. & 12. [or]as comitibus, &c.

III.

Et si presbyter quispiam deliquerit in officio, & episcopo inhibente missam celebraverit: pendat eo nomine 20. oras, & deliquium nihilo minus quod patraverit resarcito.

IV.

Si presbyter ipsius episcopi edictum neglexerit, 20. oris compensato.

V.

Si presbyter cum laicis contribuerit, quod inter sacros ordines rite debet, 20. oris restaurato.

VI.

Si presbyter edictum archidiaconi non exequatur, 12. oris luito.

VII.

Si presbyter reus criminis contra archidiaconi prohibitionem missam celebraverit, 12. oras dependito.

VIII.

Si presbyter officium baptizandi aut confitendi denegaverit, luat 12. oris, & veniam apud Deum acrius implorato.

IX.

Si presbyter chrisma tempore debito non quærat afferatque, 12. oris hoc exolvat.

X.

Infans omnis intra 9. noctes mature baptizetur, sub pœna 6 orarum. Et si infans aliquis intra 9. noctes per negligentiam mortuus fuerit, componatur apud Deum absque mulcta sæculari. Sed si exactis 9. noctibus per negligentiam mortuus fuerit, componatur utique apud Deum, & solvantur præterea illi parochiæ 12. oræ, quod infans tam diu fuisset Ethnicus.

XI.

Si presbyter in diebus festis vel jejuniis populo indicendis deliquerit, apud Deum veniam petat, & 12. oras pensato.

XII.

Si presbyter in aliena diœcesi ordinationem injuste obtinuerit, 12. oris mulctetur, diaconus 6. & exuatur ordine, nisi diœcesanus episcopus ordinationi pepercerit.

XIII.

Si presbyter in ædibus non consecratis missam celebraverit, 12. oris luito.

XIV.

Si presbyter super altari non consecrato missam celebraverit, 12. oras dependito.

XV.

Si presbyter in ligneo calice corpus dominicum consecraverit, 12. oris emendato.

XVI.

Si presbyter absque vino missam celebraverit, 12. oris abluito.

XVII.

Si presbyter corpus Christi negligenter curaverit, 12. oras solvat.

XVIII.

Si presbyter sæpius quam ter in die una missam celebraverit, 12. oris mulctator.

XIX.

Si quis pacem ecclesiæ violaverit, componat secundum ecclesiæ disciplinam, & secundum quod ejusdem sit immunitas.

C

XX.

Si quis apud ecclesiam mercaturam exerceat, *laghslit*, id est legis violatæ, pœna esto.

XXI.

Si quis ecclesiam suis necessariis deservire fecerit, ut de lege violata hoc componat.

XXII.

Si quis presbyterum ex ecclesia sua injuste ejecerit, *laghslit*, id est legis violatæ, pœnam subeat.

XXIII.

Si quis presbyterum vulneraverit, vulnerationis curam pensato, & propter sacrum ejus ordinem, in compensationem altaris etiam 12. oras numerato. Sin autem in diaconum hoc sit perpetratum, 6. oras in altaris violati precium exhibeto.

D

XXIV.

Si quis presbyterum interfecerit, plenam capitis æstimationem (quod vveram dicunt) pendito: episcopo etiam in compensationem sceleris in altare editi 24. oras. Sin in diaconum hoc sit perpetratum, 12. oras numerato, ob altaris violati compensationem.

XXV.

Si presbyter quid commiserit in dedecus ecclesiæ, honorem omnem quem ex ea consecutus est amittat integre.

XXVI.

E

Si presbyter rem aliquam indecentem in ecclesia posuerit, hoc emendato.

XXVII.

Si presbyter quidpiam ecclesiæ alienaverit, illud compensato.

XXVIII.

Si presbyter sua sponte ecclesiam deseruerit, in quam ordinatus fuit, id idem emendato.

XXIX.

Si presbyter alium contempserit, vel in eum verbis aut factis peccaverit, id etiam compensato.

XXX.

Si presbyter cum alio pugnaverit, emendet

ANNO CHRISTI ......

hoc, cum apud ipsum, tum apud episcopum.

XXXI.

Si presbyter alicui in injusta causa sit auxilio, hoc emendato.

XXXII.

Si presbyter alicui justum auxilium denegaverit, id compensato.

XXXIII.

Si presbyter alterum non admoneat de eo quod novit ipsi detrimento fore, illud compensato.

XXXIV.

Si presbyter barbam vel comam radere neglexerit, compensato.

XXXV.

Si presbyter concubinam suam dimiserit, & aliam acceperit, anathema sit.

XXXVI.

Si presbyter ad tempora constituta vices non pulset, vel horas non cantet, hoc compensato.

XXXVII.

Si presbyter cum armis ecclesiam intraverit, hoc compensato.

XXXVIII.

Si presbyter male absolverit anniversarium ecclesiæ ministerium interdiu vel noctu, illud compensato.

XXXIX.

Si presbyter ordalium male disposuerit, compensato.

XL.

Si presbyter tonsuram suam obvelet, emendato.

XLI.

Si presbyter ebriosus, aut scurrilis, aut *ealscop* fuerit, compensato.

XLII.

Si presbyter inter vicinos in parochia sua aliquid occultaverit ad injustum regimen exercendum, hoc emendato.

XLIII.

Si presbyter anniversarios ritus per oblivionem prætermiserit, emendet.

XLIV.

Si presbyter synodum declinaverit, hoc compensato.

XLV.

Si presbyter se justitiæ non submiserit, sed decreto episcopi repugnaverit: vel id corrigat, vel a communione separetur ordinatorum, & exuatur tam e societate sua, quam honore quolibet, ni se submiserit, & luculentius satisfecerit.

XLVI.

Si quis legem divinam vel humanam calumniatus fuerit, acriter corrigatur.

XLVII.

Debemus omnes Deum unum venerari & diligere, unam etiam fidem Christianam tenere mordicus, omnemque paganismum unanimiter abjicere.

Superstitionis Ethnicæ rei quomodo puniendi.

Si quis igitur posthac aliquem cognoverit, qui superstitiones aliquas Ethnicas exercuerit, sive per sortilegium, sive per torrem, vel qui veneficiis delectatur, aut idola colit: si thanus sit regius, 10. semimarcis plectitor, una scilicet medietate Christo, altera vero ipsi regi.

Si sit alius possessor prædiorum qui fecerit, 6. hic semimarcas dependito, medietatem scilicet unam Christo, alteram fundi illius domino.

Si inferior quispiam qui færbena dicitur, 2. oras solvat.

Si thanus regis hoc in lite negaverit, nominentur ei 12. compurgatores, & accipiat e consanguineis suis duodecim, duodecim etiam alienigenas...... ...... & si defecerit, lahslitam pendito 10. semimarcas.

Si possessor prædiorum hoc negaverit, accipiantur ei tot parium suorum, quot thano regis indicebantur: & si is defecerit, lahslitam pendito 6. semimarcas.

Si cyrliscus (id est rusticus, vel paganus) hoc in lite negaverit, accipiantur ei parium suorum quotquot prædictis aliis est indictum: & si is defecerit, lahslitam pendito 12. oras.

XLVIII.

Conventus superstitiosus.

Si superstitiosus ille conventus, qui *frithgear* dicitur, habitus fuerit in terra alicujus circa lapidem, arborem, fontem, vel nugas alias istiusmodi, pendat, qui hoc fecerit, legis violatæ mulctam, dimidium Christo, dimidium terræ domino; & si terræ dominus noluerit auxilium præbere ad hoc corrigendum, habeant Christus, & rex, emendationem.

XLIX.

Dies solis.

Mercaturam in die Solis exercere, & curias alicubi celebrare prohibemus, opus etiam quodlibet, & omnimodam vectionem, sive in plaustris, sive in equis, sive in aliis oneribus ferendis. Qui contra hoc deliquerit, liber mulctam solvat 12. oras; servus corium perdat, id est vapulet, ni sit viator necessitate compulsus, vel propter cibi inopiam, aut causa evitandi inimicos. In vigiliis festorum itinerari ex necessitate licet inter Eboracum & sex inde mille passus mensuratos.

L.

Qui festa aut debita jejunia violaverit, 12. oris luat.

LI.

Denarius Romanus.

Volumus etiam, ut omnis denarius Romanus integre solvatur ad cathedram episcopalem ante missam sancti Petri annuatim: & præterea volumus, ut in quolibet VVapentachio duo fideles thani, & presbyter missalis unus, eligantur ad hunc colligendum, qui acceptum protinus tradant, interposito,* si necesse fuerit, juramento.

**si audeant*

Si vel thanus regis, vel quis alius fundi dominus, hunc detinuerit, mulctam inferat 10. semimarcas, dimidium Christo, & dimidium regi.

De eodem

Si villaticus aliquis hunc denarium aut celaverit, aut detinuerit, eum solvat dominus ejus prædialis; & in compensationem bovem capiat villatici. Quod si dominus detrectaverit, accipiant Christus & rex 12. oras in pleniorem emendationem.

Decimæ.

Si decimas qui thanus est regis detinuerit, 10. pendito semimarcas, possessor prædiorum 6. & cyrliscus seu paganus 12. oras.

LII.

Conjugiû.

Prohibemus etiam (ut a Deo est prohibitum) ut nemo habeat nisi uxorem unicam, & hãc utique debite conjugatam, & in conspectu publico datam antea: & ut nemo matrimonium contrahat in cognatione sua, scilicet infra gradum seu geniculum quartum, nec cum consponsali sua ad fontem sacrum. Si quis contrarium fecerit, careat Dei misericordia, ni resipiscat, & secundum arbitrium episcopi compensaverit. Sin ulterius in nequitia progrediens moriatur: honesta careat sepultura, & a Dei misericordia alienus esto.

LIII.

Monialis.

Si quis cum moniali concubuerit, uterque pendat vveram suam, id est capitis æstimationem, ipse scilicet atque illa: & si in hoc moriantur absque pœnitentia, honesta careant sepultura, & a Dei misericordia alieni sunto.

LIV.

LIV.

Si quis uxorem suam legitimo matrimonio viventem dimiserit, & aliam illegitime duxerit, careat Dei misericordia, nisi emendaverit. Vnusquisque autem juste teneat matrimonium suum dum uxor vixerit, nisi forte acciderit quod consilio episcopi separentur, ut divisim postea vivant in castitate.

LV.

Si quis in posterum leges justas violaverit, assidue componat.

LVI.

Debemus omnes Deum unum venerari & diligere, fidem unicam Christianam tenere mordicus, omnemque paganismum penitus abjicere. Et volumus vt *land ceap & lab ceap*, & responsa prudentium, & verum testimonium, & justum judicium, & *fulloc & frum talu* firma permaneant: poculenta etiam, & esculenta, dominoque fundi debitæ rectitudines persolvantor: & una semper sit in populo Christianitas, & regnum unum.

Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc, & usque in sæculum.

[Anno Christi 983.]

CONCILIVM ROMANVM, IN CAVSA GISELERI MAGDEBVRGENSIS EPISCOPI secundi celebratum anno DCCCCLXXXIII. tempore Benedicti papæ VII.

[Giselerus Magdeburg. archiepisc.]

HOC tempore habitam fuisse Romæ synodum, in qua inter alia agitata sit causa Giseleri Magdeburgensis episcopi, testatur Ditmarus lib. 3. chron. Quod ait Giselerum malis artibus ab Imperatore eam sedem obtinuisse, fidem nullam meretur; cum Adam probatæ fidei antiquus chronographus, libro 2. cap. 14. Giselerum virum sanctum & VVinulorum apostolum nominet. Vide Baronium anno 983.

[Anno Christi 984.]

VITA IOANNIS PAPÆ XIV.

[Ioannes XIV. quando pontifex factus.]

IOANNES, qui antea Petrus nominabatur, ex episcopo Papiensi & archicancellario Ottonis secundi, anno Christi 984. sub regno Ottonis tertii factus est Romanus pontifex, hujus nominis decimusquartus. Quod cum Bonifacio VII. apostolicæ sedis invasori, qui necato pontifice & expilata basilica Vaticana, ut supra dixi, Constantinopolim fugerat, innotuisset; simulque Ottonem Imperatorem, qui suo hunc patrocinio defendebat, e vita decessisse cognovisset: sedem iteru invasurus, Romam rediit, cathedram Petri involavit, & quem in ea sedentem inveniebat Ioannem, inde non tantum exturbavit, verum etiam vinculis alligatum in sancti Angeli munitionem, quæ a suorum factione detinebatur, magna cum tyrannide intrusit, detentumque ibidem mensibus quatuor, violentus & sacrilegus prædo tandem fame perire coegit: & ne quid illi qui partium Imperatoris erant amplius sperarent, corpus extincti pontificis præ foribus munitionis Angelicæ civibus omnibus spectandum exhibuit. Illi vero dum intuitu macilenti cadaveris pontificem fame extinctum vidissent, & doluissent, venerandu corpus in basilicam S. Petri delatum sepelierunt. Interea invasor sedis, duorumque pontificum crudelissimus interfector, parricida nefandus, & truculentus prædo Bonifacius antipapa, Petri cathedram, proh nefas, per tyrannidem occupavit. Post quatuor autem menses quibus sedem apostolicam violenter & injuste detinuerat, ultore Deo punitus,

[Bonifacius VII. pseudopapa Ioannem fame enecat.]

[Bonifacius quam diu sedem illegitime detinuerit.]

morte repentina interiit. Defuncti cadaver, factiosi illi, quorum subsidio vivens nitebatur, nudatum lanceis vulnerarunt, & per urbem traxerunt. Hæc ex antiquis Vaticanis codicibus Baronius anno 984. & sequentibus. Videant recentiores chronographi, quantum prædonem & tyrannum in numerum optimorum pontificum referant, qui potius inter famosissimos latrones, & potentissimos patriæ proditores, Syllas, & Catilinas, annumerandus erat.

[Obitus Bonifacii qualis.]

[Chronographi redarguuntur.]

[Anno Christi 985.]

VITA ET EPISTOLA IOANNIS PAPÆ XV.

IOANNES patria Romanus, ex patre Leone postea presbytero natus, post extinctum tyrannum communi suffragio legitime electus est anno Christi 985. sub regno Ottonis III. Hic timore eorum quæ prædecessor passus erat, secessit in Tusciam, cum a novo tyranno Crescentio Numentano, qui titulo consulatus munitionem sancti Angeli possidere aggressus est, infestaretur. Cumque legationes ad Ottonem mittere frequentaret, Romani memores eorum quæ propter injurias pontificibus illatas ab Ottonibus anterioribus passi erant, e vestigio honorifica legatione eumdem Ioannem revocarunt, dataque illi omni securitate in urbem redire rogarunt. Quod dum faceret, omnes adventanti occurrerunt, piis officiis & obsequiis eumdem honorarunt, seque illi subjecerunt. Libentio Hamburgensi episcopo pallium concessit. Leonem Trevirensem viceepiscopu ad regem Angliæ & ducem Nortmannorum ablegavit, ut eos inter se dissidentes conciliaret. Acta pseudosynodi Remensis, qua amoto Arnulpho Gerbertus subrogatus fuerat, improbavit, & amotum sedi suæ restitui feliciter* procuravit. Ad Crescentii tyrannidem, quæ in dies magis magisque invalescebat, propulsandam, Ottonem regem Germaniæ Romam venire rogavit. Antequam vero accederet, defunctus est pontifex optimus septimo Maii, cum sedisset annos decem, menses..... dies duodecim. Sepultus est in basilica sancti Petri in oratorio sanctæ Mariæ.

[Ioannes XV. quando & quomodo electus?]

[Cur Româ discesserit?]

[Qua occasione Romam revocatus fuerit?]

[Pacem componit.]

[* non est effectum nisi sub Gregorio V. ut dicetur in notis ad concil. Remens. ann. 995. G. C.]

[Obitus Ioannis.]

[Anno Christi 975.]

EPISTOLA IOANNIS PAPÆ XV. AD OMNES FIDELES.

De pace concilianda inter Ethelredum regem Angliæ & Richardum ducem Nortmanniæ; quem marchionem vocat.

Ioannes quintusdecimus sanctæ Romanæ ecclesiæ papa omnibus fidelibus salutem.

NOVERINT omnes sanctæ matris ecclesiæ fideles, & nostri utriusque ordinis per climata sæculi dilatati, qualiter nobis relatum est a compluribus de inimicitia Ethelredi Saxonum occidentalium regis, nec non & Richardi marchionis. Vnde nimium tristis effectus, utpote de filiis nostris spiritualibus: tandem inito salubri consilio, accersivi quemdam apocrisiarium nostrum Leonem, viceepiscopum sanctæ Treverensis ecclesiæ: & misi eum illuc cum literis nostris exhortatoriis, ut resipiscerent ab hac superstitione. Qui transiens vestras intercapedines terrarum, tandem marinos transmeavit fines, & in die nativitatis domini pervenit ante conspectum regis præfati, moxque ex parte nostra salutato obtulit literas, quas illi miseramus. Qui, accersitis

[Malm. de Gest. reg. libro 2. cap. 10.]

accersitis cunctis sui regni fidelibus utriusque ordinis sapientioribus, ob amorem & timorem Dei omnipotentis, nec non & sancti Petri apostolorum principis, & per nostram admonitionem paternam, firmissimam concessit pacem cum omnibus filiis & filiabus suis, præsentibus & futuris, & cum omnibus fidelibus suis sine dolo. Qua de re misit Edelsinum sanctæ Schireburnensis ecclesiæ præsulem, nec non Leofstanum filium Alfvvoldi, & VVlstani filium Ederelnothum, qui transierunt marinos fines, & pervenerunt usque ad Richardum præfatum marchionem. Qui & monita nostra pacifice suscipiens, simulque audiens decretum suprafati regis, libenti animo pacem firmavit eamdem cum filiis suis & filiabus præsentibus & futuris, & cum omnibus fidelibus suis: eo rationis tenore, ut si aliquis eorũ, vel ipsi, injuste aliquid contra alium perpetraverint, digna emendatione purgetur. Paxque maneat perpetualiter & inconvulsa, sacramentorum utriusque partis stigmate stipulata. Ex parte scilicet regis Ethelredi, Edelsinus, præsul sanctæ Schireburnensis ecclesiæ, & Leofstanus Alfvvoldi filius, & Ederelnothus VVlstani filius. Ex parte Richardi Rogerius episcopus, Rodulphus Hugonis filius, Truteno filius Thurgis. Actum Rothomagi Kalendis Martii, anno ab incarnatione domini nongentesimo nonagesimo primo, Indict. quarta. Et de hominibus regis, vel de inimicis suis nullum Richardus recipiat, nec rex de suis, sine sigillo eorum.

II. AD ARNULFUM COMITEM ET ALIOS.

Ex chronico Centulensi, edito a D. Luca Dacherio, tom. 4. spicilegii.

Ut monasterio sancti Richarii, quæ abstulerunt, restituant.

Ioannes Episcopus servus servorum Dei, Arnulfo comiti, Balduino comiti cum matre sua, Gosberto vicecomiti, atque Ildiardæ, dilectissimis filiis nostris spiritualibus, omnimodam salutem, & apostolicam benedictionem.

MONEMUS vos a pravis operibus recedere, & bonis operibus adhærere, quatenus Dei omnipotentis misericordiam consequi mereamini, & vitam perpetuam acquirere valeatis. Quapropter, carissimi, mandamus vobis, ut omnem hereditatem, quam abstulistis ex monasterio sancti Richarii confessoris, pro Dei omnipotentis amore reddere procuretis. Nam si reddideritis, habebitis benedictionem sancti Petri, & nostram: si autem monitionibus nostris non obaudieritis, ex autoritate Dei omnipotentis & nostra, sciatis vos esse excommunicatos & maledictos, & ab ecclesia Dei, & a communione omnium Christianorum separatos, nisi ad satisfactionem perveneritis.

III. AD EPISCOPOS ALIQUOT

Ut restitui curent, quæ sancti Richarii monasterio sunt ablata.

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, Guidoni venerabili episcopo, Fulconi Ambianensis civitatis venerabili episcopo, Balduino Terganensis civitatis episcopo, dilectissimis filiis nostris spiritualibus, carissimam salutem, & apostolicam benedictionem.

In didem.

SI sospitatis copiam, alacritatisque abundantiam erga vos fore noverimus, haud aliter, quam de nobis ipsis lætamur. Cæterum mandamus vobis, quatenus pro Dei omnipotentis amore, sanctique Petri veneratione & nostra interveniente, huic abbati nomine Ingilardo succurratis, ut monasterium sancti Richarii confessoris per nostrum & per ve-

A strum auxilium relevetur. Illis quoque militibus, qui hereditatem monasterii abstulerunt, vestras excõmunicatorias literas unicuique mittere non prætermittatis, ut omnia, quæ de prædicto monasterio abstulerunt, reddere procurent. In hoc apparebit quod sanctam Romanam ecclesiam diligitis, cum nostra deprecatio apud vos venerit, si eam adimpleveritis.

SYNODUS LANDAVENSIS SUB *GUCANO XXVI. LANDAVIÆ EPISCOPO, a sancto Dunstano archipræsule Cantuariæ, anno Domini DCCCCLXXXII. consecrato,

Circa annum Christi 988.

* al. GUCAUNO.

B *Qua Arthmail rex Guentiæ ob fratricidium anathema declaratur.*

ARTHMAIL Guentiæ, filius Nougui, occidit fratrem suum Elised, imo semet ipsum, ut est metrice dictum:

E Landavensi MS.

Quicumque .... alium molitur lædere, primum
Ipsum se jaculo percutiet proprio.

Ex facto tam execrabili homicidio, & humano generi exoso, episcopus Gucaunus misit legatos per totam parochiam sibi subditam, & obtemperantem ecclesiæ suæ Landaviæ, propter clericos omnes de majoribus gradibus usque ad inferiores gradus, ut simul convenirent apud Landaviam. Et congregatis illis omnibus de fine ad finem, ut prædiximus, affirmante tota synodo, fecit regem anathematizare, & ablata sibi tota christianorum communitate, & audito sibi facto anathemate, requisivit veniam lacrymabili devotione apud Landaviam, & injuncta sibi pœnitentia de fratricidio perpetrato, largitus est in eleemosyna Deo, & sanctis Dubricio, Teliavo & Oudoceo, & Gucauno episcopo, & omnibus præsulibus Landaviæ in perpetuo, *Lanm Mihacgel, Lichrit*, &c.

CONCILIUM ROMANUM IN CAUSA sancti Adalberti episcopi Pragensibus restituendi celebratum, anno DCCCCLXXXIX. tempore Ioannis papæ XV.

Anno Christi 989.

Causa concilii.

D SANCTUS Adelbertus Pragensis episcopus cum Bohemos suos sibi valde contrarios esse experientia didicisset, secundum euangelicam sententiam eos deserens, anno Christi 983. sub Benedicto papa VII. Romam venerat, ut cõsensu Romani pontificis episcopatum dimitteret, sibique ad loca sancta peregrinari liceret. Peracta peregrinatione Romam reversus, monasterium S. Bonifacii ingressus est. Cumque in eo, tamquam in palæstra Christi, integro quinquennio se pugilem strenuissimum exhibuisset: Pragenses emendationem polliciti, episcopum suum repetiverunt, eaque de causa duos viros ad sedem apostolicam ablegarunt. Quos cum pontifex audivisset, conventum hunc synodalem collegit, in quo post diligentem facti inquisitionẽ visum E est sanctæ patrum congregationi, plane necessarium esse, ut episcopus ad pœnitentem populum redire cogatur, quantumvis ille reluctetur. Addidit pontifex hanc legem & conditionem: *Si audierint eum, teneant cum benedictione: si vero non audierint, absque periculo sui capitis malorum consortia declinet.* Sententiæ concilii & imperio abbatis Adelbertus obtemperans, magno cum dolore plurimisque lacrymis ad episcopatum rediit. Qua ratione eumdem episcopatum ob ingravescentia populi peccata iterum deseruerit; quave occasione postea Hungarorum apostolus effectus, Stephanum regem baptizaverit, refertur apud Surium in actis sancti Adelberti, die 23. Aprilis, tomo 2. & in vita Stephani Hungarorum

Decretum concilii.

Adelbertus Hungarorum apostolus.

ANNO CHRISTI 989.

Hungarorum regis apud eumdem tom. 4. die 25 A Augusti.

***CONCILIVM KARROFENSE APVD KARROFVM PICTAVENSIS diœcesis monasterium ab episcopis Aquitaniæ II. celebratum Kal. Iunii, anno Christi circiter DCCCCLXXXIX. Ioannis XV. papæ, anno V. Hugonis regis III. VVillelmo III. Aquitanorum duce.

Ex apographo Iac. Sirmondi S. I. qui illud descripsit ex Engolismensi codice Ioan. Tilii.

INDEX CANONVM.

I. Anathema infractoribus ecclesiarum.
II. Anathema res pauperum diripientibus.
III. Anathema clericorum percussoribus. B

PRÆFATIO.

PRÆDECESSORVM nostrorum autoritatibus synodalicis roborati, in nomine domini, & salvatoris nostri Iesu Christi, Kalendis Iunii: ego Gunbaldus archiepiscopus secundæ Aquitaniæ, cum omnibus episcopis comprovincialibus, convenimus aulam quæ olim Karrof vocitatur, tam episcopi, quam & religiosi clerici, necnon etiam & omnis uterque sexus, auxilium divinæ pietatis implorantes: ut qui quædam in nostris domiciliis, moribus pestiferis, per longam tarditatem concilii diu pullulare cognovimus, respectu cælestis gratiæ, & C eradicentur noxia, & plantentur utilia. Nos ergo in Dei nomine specialiter congregati decrevimus, sicut in sequentibus manifestata clarescunt, ita.

CANONES.

I. Anathema infractoribus ecclesiarum.

Si quis ecclesiam sanctam infregerit, aut aliquid exinde per vim abstraxerit, nisi ad satis confugerit factum, anathema sit.

II. Anathema res pauperum diripientibus.

Si quis agricolarum, cæterorumve pauperum, prædaverit ovem, aut bovem, aut D asinum, aut vaccam, aut capram, aut hircum, aut porcos, nisi per propriam culpam, si emendare per omnia neglexerit, anathema sit.

III. Anathema clericorum percussoribus.

Si quis sacerdotem, aut diaconum, vel ullum quemlibet ex clero, arma non ferentem, quod est scutum, gladium, loricam, galeam, sed simpliciter ambulantem, aut in domo manentem, invaserit, vel ceperit, vel percusserit, nisi post examinationem proprii E episcopi sui, si in aliquo delicto lapsus fuerit, sacrilegus ille, si ad satisfactionem non venerit, a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ habeatur extraneus.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Ego Gunbaldus archiepiscopus Burdegalensis subscripsi.
Ego Gislebertus Pictavensis episcopus subscripsi.
Ego Hildegarius Lemovicensis episc. subscripsi.
Ego Frotarius Petrocororum episcopus subscripsi.
Ego Abbo Santonum episcopus subscripsi.
Ego Hugo Engolismensis episcopus subscripsi.

***CONCILIVM REMENSE ANNO DCCCCLXXXIX. IN QVO ARNVLFVS archiepiscopus Remensis, electus est.

Sanctæ ac universali ecclesiæ catholicæ, salutem dicunt filii Remorum metropolis.

PIÆ memoriæ patro nostro Adalberone sensus corporeos relinquente, clarum lumen pastoris amisimus, præda hostium facti sumus. Itaque dum molimur tanti viri resarcire ruinas, elapsa sunt canonica tempora, violatæ sunt leges, quibus cavetur nullam sedem amplius triginta dierum spatio vacare licere. Nuncque tandem pulsantibus divina lux se aperuit: & quo sequeremur ostendit, depulso antichristo, simoniaca hæresi damnata. Nos, inquam, dicimur * episcopi diœceseos Remorum metropolis, cum omni clero, diversi ordinis populo acclamante, orthodoxis regibus nostris consentientibus, eligimus nobis in præsulem virum pietate præstantem, fide insignem, constantia mirabilem, in consiliis providum, rebus gerendis aptum; in quo hæ virtutes quæ sic clare relucent, indicio sunt cæteras abesse non posse. Arnulfum dicimus regis Lotharii filium: quem etsi altus sanguis vitio temporis sub anathemate positi aliquo infecit contagio, sed tamen hunc mater ecclesia purificans mysticis abluit sacramentis. Hunc, inquam, dicimus Laudunensis ecclesiæ filium, & ut verius fateamur, Remensis. Ea quippe civitas Remense territorium, Remensis parochia est, nec sic a B. Remigio divisa, ut fieret aliena. Nimirum ille Deo plenus, unitatem appetens, non scissionem affectans, sic scidit, ut cohæreret velut pars in toto: & quis, & quantus futurus esset intelligens, natale solum beavit sacerdotii dignitate. Eligimus ergo hunc Arnulfum, hinc ortum, hinc educatum, simoniacæ hæresis expertem, a factione tyrannica remotum, sua cuique debita jura reddentem, sanctuarium Dei non dissipantem. Sint procul ab electione nostra dolus, & fallacia: nec putent eam ad se pertinere filii Belial. Filii pacis & concordiæ, stabilem, & solidam in perpetuum faciunt, confirmando, corroborando, subscribendo.

LIBELLVS FIDELITATIS SVB specie chirographi editus ab Arnulfo archiepiscopo.

EGO Arnulfus, gratia Dei præveniente Remorum archiepiscopus, promitto regibus Francorum Hugoni & Roberto, me fidem purissimam servaturum; consilium & auxilium, secundum meum scire & posse, in omnibus negotiis præbiturum; inimicos eorum, nec consilio, nec auxilio ad eorum infidelitatem scienter adjuturum. Hoc in conspectu divinæ majestatis, & beatorum spirituum, & totius ecclesiæ assistens, promitto, pro bene servatis laturus præmia æternæ benedictionis. Si vero, quod nolo, & quod absit, ab his deviavero: omnis benedictio mea convertatur in maledictionem, & fiant dies mei pauci, & episcopatum meum accipiat alter. Recedant a me amici mei, sintque perpetuo inimici. Huic ego chirographo a me edito, in testimonium benedictionis, vel maledictionis meæ subscribo, fratresque, & filios meos, ut subscribant, rogo.
Ego Arnulphus archiepiscopus SS.

NOTA SEVERINI BINII.

Argumentum in libellos duos qui sequuntur, nempe Arnulphi commonitorium cum excommunicatione; & concilii Silvanectensis invectivam & anathema.

Arnulfus

ANNO CHRISTI 989.

* Adalgerum.

Arnulfus Remensis archiepiscopus ab Hugone Francorum rege ad eam dignitatem promotus, venerat in suspicionem, quasi conscius foret illius proditionis, qua per presbyterum quemdam Remensem * Gislebertum nomine Carolus frater Lotharii civitate Remensi potitus erat, ipsumque Arnulfum captivum abduxerat. Augebat suspicionem, quod filius Lotharii regis defuncti, & Caroli nepos esset, adeoque ejus jussu civitas Carolo patruo suo tradita fuisset. Ad quam suspicionem tollendam cum ille sententiam excommunicationis, quæ extat in concilio Remensi, cap. 12. adversus omnes qui tam nefaria perpetrassent, privatim intorsisset; voluit Galliarum episcopos, convenire, idemque quod ille fecerat præstare. Obtemperarunt suo archiepiscopo aliarum ecclesiarum antistites, atque eosdem prædones, post habitam orationem invectivam, sententia anathematis condemnarunt. Recitata sunt ista omnia postea in Remensi concilio, atque inde a Gerberto in suum commentarium translata fuerunt.

ARNVLFI ARCHIEPISCOPI REMENSIS COMMONITORIVM ET ANATHEMA in prædones Remorum.

Arnulfus gratia Dei archiepiscopus. Commonitorium prædonibus Remorum.

QVID tibi vis prædonum Remensium scelerata manus? Nihilne te movent pupilli, & viduæ lacrymæ, nec advocatus eorum? Velis nolis, dominus tuus ipse testis, & judex, & gravis ultor, cujus judicium non effugies. Vide quid ante oculos ipsius egeris. Sanctam pudicitiam virginum non erubuisti: matronas, etiam barbaris verendas, nudas reliquisti: orphanum & pupillum non respexisti. Parvum tibi hoc. Accessisti ad templum matris Dei cunctis mortalibus reverendum, ejus atrium perfregisti, polluisti, violasti. Quod oculi ibi viderunt, concupivisti: quod manus attrectare potuerunt, rapuisti. Et nos quidem contra divinum ac humanum jus, misericordia abutentes, quod cibi & potus abstulisti, non indulgemus; sed propter impia tempora non exigimus. Exigimus autem reliqua omnia, quæ pollutis manibus pervasisti ac retines. Redde ergo, aut sententiam damnationis in pervasores rerum ecclesiasticarum a sacris canonibus promulgatam, eam in te latam, multotiesque ferendam, excipe.

Anathema in prædones.

Autoritate omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, interveniente & adjuvante beata Maria semper Virgine, autoritate quoque & potestate apostolis tradita, nobisque relicta, excommunicamus, anathematizamus, maledicimus, damnamus, & a liminibus sanctæ matris ecclesiæ separamus vos, Remensium prædonum autores, factores, cooperatores, fautores, & a propriis dominis rerum suarum sub nomine emptionis abalienatores. Obtenebrescant oculi vestri, qui concupiverunt: arescant manus, quæ rapuerunt: debilitentur omnia membra, quæ adjuverunt. Semper laboretis, nec requiem inveniatis, fructuque laboris vestri privemini. Formidetis ac paveatis a facie persequentis, & non persequentis hostis, ut tabescendo deficiatis. Sit portio vestra cum Iuda traditore domini, in terra mortis & tenebrarum, donec corda vestra ad plenam satisfactionem convertantur. Hic autem sit modus plenæ satisfactionis, ut omnia injuste ablata, præter cibum & potum, propriis dominis ex integro restituatis, coramque Remensi ecclesia pœnitendo humiliemini, qui sanctam Remensem ecclesiam reveriti nō estis. Ne cessent a vobis hæ maledictiones, scelerum vestrorum persecutrices, quamdiu permanebitis in peccato pervasionis. Amen, fiat, fiat.

ANNO CHRISTI 990.

CONCILIVM SILVANECTENSE IN QVO PROVINCIÆ REMENSIS EPISCOPI, prædonibus Remensis civitatis anathema dixerunt, anno domini DCCCCXC.

Invectiva episcoporum Remensis diœceseos vice decreti.

QVOVSQVE se extendet effrænata licentia vestra, alterius proditoris Iudæ satellites? Ad quem finem scelerum progredietur incepta vestri ducis audacia? Ducis dicimus Adalgeri presbyteri, qui nomen sacerdotalis dignitatis suo nomine polluit. Te igitur interpellamus, funeste presbyter. Quid tibi visum est, post illa cruenta arma, quibus te Lauduni exercuisti, ut iterū vilis apostata factus, Arnulfum Remorum archiepiscopum traderes: cum ante velut fidissimus custos cubares, conviva assiduus esses, consilia disponeres, sacrosancta administrares? Num rigorem ecclesiasticæ severitatis, vel judicium omnipotentis Dei effugere te putasti? Vrbis portas aperuisti, hostes introduxisti, venerabile templum matris Dei, atque ipsis barbaris reverendum, velut hostium castra oppugnasti. Num etiam vos, prædonum maxima portio, qui ecclesiæ ingentibus beneficiis eratis obligati; qui dicitis, hereditate possideamus sanctuarium Dei; qui signa militaria loricati, & galeati, cum scutis, & lanceis ante aram B. Dei genitricis intulistis; qui pollutis manibus pastorem cum clero, & populo, inter sancta sanctorum comprehendistis, custodiæ distribuistis, carceri mancipastis, & adhuc retinetis. Num, inquam, vos divina jura effugietis? Vos quoque, quorum dolo & fraude, consilio & auxilio, tantum scelus factum est, cum his qui principes tanti facinoris fuerunt, consociandi estis: ut pœnam peccati simul feratis, qui causa peccati simul conspirastis, bonaque civiū Remensium prædones impiissimi, velut sub hasta distraxistis. Nec etiam vos abesse debetis, qui in Adalberonem Laudunensem episcopum non minus levia perfecistis. Et ut pullulantem hæresim rescindamus, quæ dictitat omnia licere Karolo etiam in sacris locis: Remensem simul ac Laudunensem ecclesiam, utramque sacrilegio, quamvis dissimili, pollutam, a sacris removemus officiis, donec legitime reconcilietur utraque. Et ne quis nos talibus monstris hominum favere, talibus negotiis assensum prebituros putet, sed pro fide, qua vivimus, omnibus expositos periculis: sententiam nostram ita confirmamus, stabilimus, corroboramus.

Anathema in reos.

Autoritate omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, interveniente & adjuvante B. Maria semper Virgine, cum omnibus sanctis: autoritate quoque ac potestate apostolis tradita, nobisque relicta, excommunicamus, anathematizamus, damnamus, & a liminibus sanctæ matris ecclesiæ separamus Adalgerum presbyterum diaboli membrum, episcopi & cleri, & totius populi Remensis traditorem: eos quoque qui hujus traditionis extiterunt inventores, autores, factores, cooperatores, fautores, civiumque depopulatores, & a propriis dominis rerum suarum sub nomine emptionis abalienatores. His adjungimus Laudunensis episcopii pervasores, ac ipsius episcopi gravissimos tortores. Fiat illis, sicut scriptura dicit: Qui dixerunt, hereditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti, sicut ignis qui comburit silvam, & sicut flamma combu-

rens

rens montes; ita persequeris eos in tempestate tua, A & in ira tua turbabis eos; imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Erubescant & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur, & pereant; & cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra: & quia pupillum & viduam non miserati sunt, neque templa Dei reveriti, dominiumque ecclesiarum sibi usurparunt, fiant filii eorum orphani & uxores viduæ, scrutetur fœnerator omnem substantiam eorum, & diripiant alieni labores illorum: nutantes transferantur filii eorum & mendicent; ejiciantur de habitationibus suis: fiant dies eorum pauci, & principatum eorum accipiat alius: & duplici contritione contere eos Domine B Deus noster: nisi resipiscant, & ecclesiæ catholicæ fluctuosa pœnitentia satisfaciant. Amen, fiat, fiat.

** EPISCOPI REMORVM DIOECESEOS

Salutem dicunt Reverendissimo Patri R.

Mittunt exemplar præcedentis anathematismi.

Qvoniam frater & coepiscopus noster Arnulfus intra suam ecclesiam captus, propter vim hostium, ut fertur, non satis quæ sui juris sunt exequi valet: nos nostri officii non immemores, quod olim in famosissimos prædones suo consilio feceramus, repetivimus: hoc addito, quod in cibo & potu contra divinum & humanum jus nulla misericordia abusi sumus "ut ipse. Sed insuper duces, & C comites, & conscios totius factionis, anathemate damnavimus: eamque ecclesiam ab officio suspendimus, cæteras Christianis fidelibus sufficere posse judicantes. Itaque decreti atque anathematis exemplar vobis mittimus, nostræque sententiæ vos favere atque idem facere hortamur, monemus, oramus.

" *Arnulfus in suo anathemate pag. 735. exceperat cibum & potum: isti non exceperunt in suo.*

OBSERVATIO GABR. COSSARTII S.I.

Hac usque Arnulfo studuerant, ut vides, comprovinciales episcopi. Mox autem Hugoni Regi obsecuti, alia omnia senserunt: ut ex epistolis & Synodo Remensi, quæ subjicio, intelliges.

** *Beatissimo Papæ Ioanni Hugo gratia Dei Francorum Rex.*

Novis atque inusitatis rebus permoti, summo D studio, summaque cura, vestra consilia expetenda decernimus: quippe cum sciamus vos omne tempus in humanis ac divinis studiis exegisse. Considerate ergo quæ facta sunt, & facienda præscribite: ut & sacris legibus suus honor reddatur, & regalis potestas non annulletur. Arnulfus Regis Lotharii, ut dicunt, filius, post graves inimicitias ac scelera, quæ in nos, regnumque nostrum exercuit, loco parentis adoptatus est a nobis, ac metropoli Remorum gratis donatus, jusjurandum præbuit, quod contra præterita & futura valeret sacramenta. Libellum fidelitatis sub nomine chirographi conscripsit, recitavit, corrobavit, corroboratque E fecit. Milites ac omnes cives jurare coëgit ut in nostra persisterent fide, si ipse aliquando in potestatem hostium deveniret. Contra hæc omnia, ut certissimi testes sunt, ipse portas hostibus patefecit; clerum ac populum suæ fidei creditum captivitati & prædæ distribuit. Sed esto eum esse addictum alienæ potestati, ut ipse videri vult: cur cives & milites pejerare cogit? cur arma contra nos comparat? cur urbem ac castra contra nos munit? Si captus est, cur non patitur liberari? si vi hostium oppressus, quare non vult sibi subveniri? & si liberatus est, cur ad nos non redit? vocatur ad palatium, & venire contemnit: invitatur ab archiepiscopis & coepiscopis, nihil se eis debere respondet. Ergo qui vices Apostolorum tenetis, statuite quid de altero Iuda fieri debeat, ne nomen Dei per nos blasphemetur: & ne forte iusto dolore permoti, ac vestra taciturnitate, urbis excidium, totiusque provinciæ moliamur incendium. Nec judici Deo excusationem prætendetis, si nobis quærentibus atque ignorantibus, formam iudicii dare nolueritis.

** *Domino & reverentissimo Papæ Ioanni, Episcopi Remorum Diœceseos.*

Non sumus nescii, beatissime pater, iamdudum oportuisse nos expetere consulta sanctæ Romanæ ecclesiæ pro ruina atque occasu sacerdotalis ordinis: sed multitudine tyrannorum pressi, longitudine terrarum semoti, desideria nostra hactenus implere nequivimus. Nunc itaque vestro examini non sine magno dolore perferimus novum atque inusitatum crimen Arnulfi Remorum Archiepiscopi, qui famosus apostata factus, locum Iudę traditoris olim in ecclesia tenet. Qui filius quondam ecclesiæ Laudunensis, cum episcopum suum dolo & fraude ceperit, ecclesiam eius pervaserit, ad cumulum suæ damnationis Remensem sibi creditam cum clero & populo captivavit. Nec movet eum nostra vocatio, vel potius saluberrima exhortatio, non Archiepiscoporum comprovincialium multoties repetita admonitio, non canonice facta coram Deo & Angelis eius professio, non chirographi in conspectu ecclesiæ recitata descriptio, non numerosa sacramenta miris excogitata consiliis. Stant suo vitio quamplures ecclesię pastoribus viduatæ: pereunt innumerabiles populi sine sacerdotali benedictione & confirmatione: ipse factione tyrannica, divina humanaque iura contemnens, tyrannidem exercet: regibus nostris, a quibus tantam gloriam gratis consecutus est, interitum meditatur. Ergo tandem ad monstra perditissimi hominis expergefacti, ivimus in sententiam Domini dicentis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore testium duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ: si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Matth 18.

Adesto, pater, ruenti ecclesiæ, & sententiam ex sacris canonibus promulgatam, vel potius ab ipsa veritate prolatam, profer in reum. Sentiamus in vobis alterum Petrum defensorem & corroboratorem Christianæ fidei: ferat sancta Romana ecclesia sententiam damnationis in reum, quem universalis damnat ecclesia. Suffragetur nobis vestra autoritas, & in huius apostatæ dejectione, & in eius qui domui Dei præesse possit, archiepiscopi nova ordinatione, simulque invocatis episcopis nostris fratribus necessaria promotione: ut sciamus & intelligamus, cur inter cæteros apostolatum vestrum præferre debeamus.

CONCILIABVLVM SIVE PSEVDOsynodus Remensis, qua Arnulfus archiepiscopus depositus, & Gerbertus eidem substitutus fuit, anno Domini DCCCCXCI. tempore Ioannis papæ XV.

ANNO CHRISTI 991.

Quid in hac pseudosynodo gestum fuerit, ex legitimis actis Eginaldus in auctario quod est apud Aimoinum descripsit his verbis: In illis diebus in Remensium civitate erat archiepiscopus vir bonus & mode-

Quid actū in Conciliabulo.

ANNO CHRISTI 991.

modeſtus, frater * Lotharii regis ex concubina, nomine Arnulfus. Hugo autem rex invidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharii regis. Congreganſque in urbe Remenſi ſynodum, in eum locum idem Hugo rex invitavit archiepiſcopum Senonicæ vrbis nomine Seguinum, cum ſuffraganeis ſuis. In quo concilio fecit degradari dominum Arnulfum archiepiſcopum Remorum dolo nepotis ſui, quem tenebat in carcere, dicens non debere eſſe epiſcopum natum ex concubina. In loco autem ejus conſecrari fecit dominum Gerbertum monachum philoſophum: qui Gerbertus magiſter fuit Roberti regis, filii iſtius Hugonis; & domini Leutherici archiepiſcopi ſucceſſoris venerabilis Seguini: Arnulfum autem mancipari cuſtodiæ in Aureliana civitate. Venerabilis autem Seguinus archiepiſcopus non conſenſit in degradationem Arnulfi, neque in ordinationem Gerberti: iuſsio autem regis urgebat. Alii vero epiſcopi, licet inviti, tamen propter timorem regis degradaverunt Arnulfum, & ordinaverunt Gerbertum. Seguinus autem plus timens Deum, quam terrenum regem, noluit conſentire nequitiæ regis: ſed magis quantum potuit redarguit ipſum regem, propter quam cauſam ira regis contra eum efferbuit. Cum magno itaque dedecore expelli iuſſit Arnulfũ de eccleſia beatæ Mariæ Dei genitricis Remenſis, & ſic alligatum retrudi in carcerem. Alligatus autem in carcere Aurelianæ civitatis, ubi detinebatur nepos ejus Carolus, manſit ibi annis tribus. Nuntiantur hæc omnia præſuli Romano, qui valde indignatus ſuper hoc facto, interdixit ſacris, omnibus epiſcopis qui Arnulfum deiecerant, & Gerbertum ordinaverant, *&c. Hæc de rebus in pſeudoſynodo Remenſi geſtis, prædicto loco. Poſt hæc ibidem ſubiungitur quomodo Ioannes papa indicta alia ſynodo Remenſi, in præſentia Leonis abbatis a ſede apoſtolica ablegati, acta huius conciliabuli retractari & plane improbari mandaverit. De quibus infra ſuo loco.*

* filius

NOTÆ SEVERINI BINII.

Cauſa conciliabuli.

Cauſam habiti conciliabuli præbuit rumor, qui de vrbe Remenſi per Arnulfum prodita augebatur. Nam cum Hugo rex Francorum ſua promotione Arnulfum ad hanc dignitatem archiepiſcopalem euexiſſet: hoc ſummo ſtudio deinceps peregit, ut epiſcopum ſuo judicio ingratum in ordinem redigeret, aliumque in ejus locum ſubrogaret. Cumque Arnulfus ad judicium ſynodale vocatus, ad pontificem tamquam competentem judicem prouocaſſet: miſſis iſthuc binis legationibus hoc non ſine dolo ac fraude mandatum fuit, ut ſi poſt literas ſedi apoſtolicæ ante triduum exhibitas non audirentur, in Gallias redirent. Quod cum legati præſtitiſſent, ſuoque judicio id quod leges eccleſiaſticæ de pontifice hac in re conſulendo jubent ſumma cum fraude perfeciſſent, & in Gallias revertiſſent: indicta eſt epiſcoporum congregatio: vocatus eſt, de proditione aliiſque criminibus & irregularitatibus accuſatus Arnulphus archiepiſcopus Remenſis. Cumque ille allegaret ſe a Carolo patruo ſuo Laudani captiuum detineri, neque alio proficiſcendi veniam impetrare poſſe; Hugo rex Francorum Laudunum proditione epiſcopi ſubegit, & Arnulſum qui ibidem in vinculis detinebatur captiuum abduci, & ſynodali huic patrum congregationi judicandum præſentari: eoque modo quo ſupra dixi dijudicari mandauit.

Acta conciliabuli.

Acta Concilii germana, pura, ſimplicia, & ſincera, ſicut ab exceptoribus notariis vel aliis ſcripta fuere, non extant. Gerbertus Arnulfi adverſarius in hoc conciliabulo ad Remenſem archiepiſcopatum evectus, & a Romano pontifice deinceps amotus, eadem acta edidit, ſed paraphraſtice & rhetorico magis quam hiſtorico more. Nam, ut ipſe fatetur in prologo, alibi quædam addidit, alibi vero ex iiſdem nonnulla ſuſtulit & expunxit, quædam autem paraphraſtice tranſtulit & mutilavit.

Acta Conciliabuli germana non extant.

Quod ſi ita eſt, veriſſimum eſſe apparet, libellum illum, quem multis blaſphemiis & mendaciis intextis antehac ediderant centuriatores, quemque hoc noſtro tempore in odium Romanæ eccleſiæ nouatores anno 1600. Francofurti in lucem emiſerunt, non tam acta ſynodalia Remenſis concilii, quam ſcriptum quoddam & opus Gerberti in ipſa acta ſynodalia pro arbitratu illius emiſſum, continere, vanamque & mendacem eſſe inſcriptionem, qua libellus & opus ipſius Gerberti *Synodus eccleſiæ Gallicanæ* nominatur. Si enim Romanus pontifex, prout infra dicemus, acta hujus congregationis plane improbavit, amotumque judicio ſynodali Arnulfum ſedi ſuæ reſtitui demandavit: non tam ſynodus, quam pſeudoſynodus appellanda erat. Quas blaſphemias & calumnias contra Deum & eccleſiam, quotve mendacia huic ſuo libello Gerbertus inſeruerit, videre eſt apud Baronium a quibus recenſendis atque hoc loco memorandis ego propterea in primis abſtineo, quod non tam acta alicujus conciliabuli, quam commentitio Gerberti ſcripto contineantur. Quiſquis ea ſcire voluerit, anno Domini 992. numero 12. & ſequentibus Baronium conſulat.

Libellus Gerberti ſub nomine ſynodi Remenſis editus Francofurti, qualis?

Eiuſdem ſynodi narrationem alteram a R. P. Iac. Sirmondo confectam, inter eius ſchedas cum actis nonnullis eiuſdem concilii repertam, hic ſubiicio.

*** CONCILIVM REMENSE APVD Sanctum Baſolum.

In quo Arnulfus Remorum archiepiſcopus abdicare coactus eſt: menſe Iunio, Indictione VI. celebratum, anno Chriſti DCCCCXCI. Ioannis XV. papæ anno VI. Hugonis regis V.

Bidui ſpatio duabus ſeſſionibus peractum fuiſſe conſtat hoc concilium. Priore enim conſeſſu, qui habitus eſt XV. Kalendas Iulias, diſcuſſa eſt in utramque partem cauſa Arnulfi. Poſteriore, cui Hugo & Robertus reges interfuerunt, expreſſus eſt ab Arnulfo libellus abdicationis, & iuxta libellum ſententia in eum lata. Convenerant porro ex diverſis provinciis epiſcopi, Remorum quidem diœceſani, Guido Sueſſonicæ urbis epiſcopus, Adalbero Laudunenſis, Herveus Beluacenſis, Goteſmannus Ambianenſis, Ratbodus Noviomenſis, Odo Silvanectenſis: ex provincia Bituricenſi, Daibertus archiepiſcopus: ex provincia Lugdunenſium prima, Gualterus epiſcopus Auguſtodunenſis, Bruno Lingonenſis, Milo Matiſconenſis: ex provincia Senonenſium, Seguinus archiepiſcopus, Arnulfus Aurelianenſis, Herbertus Antiſiodorenſis. Præterea diverſarum urbium abbates quamplurimi. Libellus autem ab Arnulfo conſcriptus, eius inſtar quem Ebo in ſua olim cauſa obtulerat, fuit huiuſmodi.

LIBELLVS ABDICATIONIS ARNVLFI.

Ego Arnulfus, quondam Remorum archiepiſcopus, recognoſcens fragilitatem meam, & pondera peccatorum meorum, teſtes confeſſores meos, Siguinum archiepiſcopum, Daibertum archiepiſc. Arnulfum epiſcopum, Goteſmannum epiſcop. Herveum epiſcopum, Ratbodum epiſcopum, Gualterium epiſcopum, Brunonem epiſcopum, Milonem epiſcopum, Adalberonem epiſcopum, Odonem epiſcopum, Guidonem epiſcopum, Heribertum epiſcopum, conſtitui mihi iudices delictorum meorum, & puram ipſis confesſionem dedi, quærens remedium pœnitendi, & ſalutem animæ meæ, ut recederem ab officio & miniſterio pontificali, quo me recognoſco eſſe indignum, & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccaſſe me ſecreto ipſis confeſſus ſum, & de quibus publice arguebar: eo ſcilicet modo, ut illi ſint teſtes alii ſuccedendi & conſecrandi in loco meo, qui digne præeſſe & prodeſſe poſſit eccleſiæ, cui hactenus indignus præfui; & ut inde ultra, nullam repetitionem aut interpellationem autoritate canonica facere valeam, manu propria ſubſcribens firmavi. Quo perlecto, ita ſubſcripſit. Ego Arnulfus quondam archiepiſcopus ſubſcripſi.

II. ELE-

ANNO CHRISTI 991.

II.

** ELECTIO GERBERTI REMORUM Archiepiscopi.

SEMPER quidem, dilectissimi fratres, judicia Dei justa sunt, sed interdum occulta. Ecce enim post dissolutionem bonæ memoriæ patris Adalberonis, quendam ex regio semine prodeuntem nobis ecclesiæque Remensi præfecimus, & clamore multitudinis impulsi, scriptura dicente, vox populi, vox domini; & sanctorum canonum institutis desiderium ac vota cleri & populi in electione episcopi perquirentium. Caligavit acies mentis nostræ literam incaute sequendo, cōcordem sententiam divinarum scripturarum parum investigando. Non erat quippe vox domini, vox populi clamantis, crucifige, crucifige. Ergo non omnis vox populi, vox domini: nec omnis cleri & populi vota & desideria in electione episcopi perquirenda sunt; sed tantum simplicis & incorrupti, id est ipse quæstus minime illecti. Sententiæ patrum exponendæ: non liceat, inquit, turbis electionem facere eorum qui ad sacerdotium provocantur: sed judicium sit episcoporum, ut eum ipsi qui ordinandus est probent, si in sermone & in fide, & in episcopali vita edoctus est. Nos igitur episcopi Remorum diœceseos, secundum has constitutiones patrum, favore & conniventia utriusque principis nostri domini Hugonis Augusti, & excellentissimi regis Roberti, assensu quoq; eorum qui Dei sunt in clero & populo, eligimus nobis archiepiscopum Abbatem Gerbertum, ætate maturum, natura prudentem, docibilem, affabilem, misericordem. Nec præferimus illi vagam adolescentiam, ambitionem se extollentem, omnia temere ministrantem: immo nec talibus subjugari patienter auditu perferimus, quorum sapientia & consilio ecclesiastica ac civilia jura administrari non posse scimus. Cumque in unoquoq; episcopo sit hoc speculandum, maxime tamen in eo qui cæteris præest metropolitano. Eligimus itaque hunc Gerbertum qui ...... fuit Hujus vitam ac mores a puero novimus, studium in divinis ac humanis rebus experti sumus Hujus consiliis ac magisterio informari quærimus. Ejus electionem subscribendo confirmamus, stabilimus, corroboramus communi omnium bonorum consensu.

III.

** PROFESSIO FIDEI GERBERTI REMORUM archiepiscopi.

EGO Gerbertus gratia Dei præveniente mox futurus archiepiscopus Remorum, ante omnia fidei documenta verbis simplicibus assero, id est Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, unum Deum esse cōfirmo: totamq; in Trinitate Deitatem coessentialem, & consubstantialem, & coæternalem, & coomnipotentem prædico. Singulam quamque in Trinitate personam verum Deum, & totas tres personas unum Deum profiteor. Incarnationem divinam nō in Patre, neque in Spiritu sancto, sed in Filio tantum credo, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris filius. Deus verus ex patre, homo verus ex matre. Carnem ex matris visceribus habentem, & animam humanā rationalem, simul in eo utriusq; naturæ, id est hominem & Deum, unam personam, unum filium, unum Christum, unum dominum creaturarum, omnium quæ sunt & auctorem, & dominum, & rectorē cum patre & spiritu sancto confiteor; passū esse vera carnis passione, mortuū vera corporis sui morte, resurrexisse vera carnis suæ resurrectione & vera animæ resurrectione, in qua veniet judicare vivos & mortuos assero. Novi & veteris testamenti unum eumdemque credo autorem, & dominum, & Deum. Diabolum non per conditionem, sed per arbitrium factum esse malum. Credo hujus quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionem: credo judicium futurum, & recepturos singulos pro eis quæ gesserunt vel pœnas vel præmia. Nuptias non prohibeo, secunda matrimonia non damno, carnium præceptionem non culpo, pœnitentibus reconciliatis communicari debere confiteor. In Baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quam ea quæ voluntarie admissa sunt, dimitti credo. Et extra ecclesiam catholicam nullum salvari posse confiteor. Sanctas synodos quatuor, quas universales mater Ecclesia confirmat, confirmo.

** SYNODUS PROVINCIÆ REMENSIS ADVERSUS ILLIUS PERVASORES circa ann. domini DCCCCXCIII. habita.

CIRCA ANNUM CHRISTI 984.

Hujus synodi nihil superest, præter episcoporum commonitorium quod subjicio.

GERBERTUS gratia Dei Remorum episcopus. Guido Suessonicus, Adalbero Laudunensis, Ratbodus Noviomensis, Rotardus Cameracensis, Odo Silvanectensis, Fulco Ambianensis, Hamericus Morinensis, Ill. Belluacensis, per gratiam sancti Spiritus episcopi. Vobis Gerberto*: & his qui subscripti sunt pervasoribus, atque tyrannis. Diu modestia sacerdotum, furoris vestri rabiem sustinuit: & adhuc patienter expectat. Quousque ergo insania vestra sanis intellectibus nostris obsistet? Quousque dissimulatio pravorum, simplicium quietem perturbabit? Cædes clero infertis: a cleri, monachorum, & pauperum rapinis non cessatis. Convenimus ergo conscientiam vestram omnes episcopi Remorum diœceseos, & ad satisfactionem invitamus, spatiumq; pœnitentiæ usque in proximis Kalendis attribuimus: tunc vos aut* infertiles ecclesiæ palmites recogniturі, aut tanquam inutile lignum ab agro Dei gladio sancti spiritus excisuri.

*f. Heriberto.

*f. fertiles

G. C. Circa hæc quoque tempora datam fuisse necesse est a Gerberto archiepiscopo Remensi epist. jam ad Fulconem Ambianensem episcopum: quam, quod & ad res ecclesiast. ca. attineat, neque extet in ejus epistolarum corpore, hic repræsento.

** GERBERTI REMORUM ARCHIEPISC. ad Fulconem episcopum Ambianensem epistola.

Increpat quod bona ecclesiastica pervaserit.

INTER varias magnarum rerum occupationes nulla molestia magis afficimur, quam vestrorum excessuum crebra relatione. Et si enim totius metropolis Remorum cura nobis injuncta est; sed vestri potissimum, qui & annorum teneritudine, & morum levitate, pondus sacerdotale necdum ferre didicistis. Cur ergo contra pactum in commune statutum usque ad tempus concilii pervasionem in propria parochia fecistis? nec in hoc enim alleviamini, si res ecclesiæ sunt quas diripuistis, cum hoc nisi legibus fieri non liceat. Accessit ad hoc inlicitum, armorum præsumptio, ecclesiæ violatio, quasi sacerdoti omnia in ecclesiis liceant. Sed ait apostolus, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Licent per liberum arbitrium, quo male usi estis: sed non expediunt per jura divina, quæ contempsistis. Monemus itaque fraternitatem vestram, errata corrigere; & nobis, quos offendistis, si placet, satisfacere: ut horum excessuum recognitio, multorum peccatorum possit esse abolitio. 1. Cor. 6.

ANNO CHRISTI 993.

CONCILIVM ROMANVM PRO CANONIZATIONE SANCTI VDALRICI Augustani episcopi cebratum anno Christi redemptoris DCCCCXCIII. tempore Ioannis papę XV.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, & abbatibus, in Gallia & Germania commorantibus, salutem in domino ac apostolicam benedictionem.

Quanta fuerit solẽnitas festi sancti Vdalrici, patet ex ejus vita & ex Greg VII. epist. 38. lib. 6.

CVM conventus esset factus in palatio Lateranensi pridie Kalendas Februarii, residente Ioanne sanctissimo papa cum episcopis & presbyteris, adstantibus diaconibus & cuncto clero, surgens reverendissimus Luitolphus Augustæ episcopus inquit: Domine sanctissime præsul, si vobis placet & omnibus episcopis & presbyteris hic residentibus, libellus quem præ manibus habeo, coram vobis legatur, de vita & miraculis venerabilis Vdalrici, sanctæ Augustanæ ecclesiæ dudum episcopi, & quid libitum vobis fuerit, decernatur. Quia Spiritus sancti testatur præsentia & congregatio sacerdotum, certum esse quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cujus in evangelio ista est sententia: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum.* Quod cum ita sit, nec huic tam brevi numero Spiritus sanctus deest: quanto magis cum nunc interesse credamus, quando in unum convenit turba sanctorum? sanctum namque est pro debita veneratione collegium.

Matth. 18.

Cumque perlecta esset vita prædicti sanctissimi episcopi, ventum est ad miracula, quæ sive in corpore, sive extra corpus gesta sunt, videlicet cæcos illuminasse, dæmones ab obsessis corporibus effugasse, paralyticos curasse, & quamplurima alia signa gessisse, quæ nequaquam calamo & atramento illustrata sunt.

Quæ omnia lepida satis urbanitate expolita recepimus, & communi consilio decrevimus, memoriam illius, id est sancti Vdalrici episcopi, affectu piissimo, devotione fidelissima venerandam: quoniam sic adoramus & colimus reliquias martyrum & confessorum, ut eum cujus martyres & confessores sunt, adoremus: honoramus servos, ut honor redundet in dominum, qui dixit: *Qui vos recipit, me recipit:* ac proinde nos qui fiduciam nostrę justitię nõ habemus, illorum precibus & meritis apud clementissimum Deúm jugiter adjuvemur, quia divina saluberrima præcepta, & sanctorum canonum ac venerabilium patrũ instabant efficaciter documenta omnium ecclesiarum pio considerationis intuitu, immo apostolici moderaminis annisu, utilitatum commoditatem, atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria Vdalrici jam præfati venerabilis episcopi divino cultui dicata existat, & in laudibus Dei devotissime persolvendis semper valeat proficere. Si quis interea (quod non credimus) temerario ausu contra ea quæ hac nostra autoritate pie ac firmiter per hoc privilegium constituta sunt, contraire tentaverit, vel hæc quæ a nobis in laudem Dei, & pro reverentia jam dicti episcopi statuta sunt refragari, aut in quoquam transgredi: sciat se autoritate beati Petri principis apostolorum, cujus vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum. At vero qui pio intuitu observator extiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo domino Deo nostro multipliciter consequatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur. Scriptum est per manum Stephani notarii regionarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Februario, indictione sexta, anno nongentesimo nonagesimo tertio.

Matth. 10.

SVBSCRIPTIONES.

Ego Ioannes sanctæ Romanæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ episcopus huic decreto a nobis promulgato consensi & subscripsi.

Ioannes episc. S. Anagninæ ecclesiæ consensi.

Benedictus episcopus sanctæ Pipernensis ecclesiæ consensi.

Dominicus episcopus sanctæ Ferentinæ ecclesiæ consensi.

Crescentius episcopus sanctæ Silvæ candidæ ecclesiæ consensi.

Anniso episcopus sanctæ Cerẽsis ecclesiæ cõsensi.

Bonizo archipresbyter & cardinalis sanctæ Luciæ consensi.

Benedictus presbyter & cardinalis sancti Stephani consensi.

Leo presbyter & cardinalis sancti Nerei consensi.

Ioannes presbyter & cardinalis sancti Damasi consensi.

Leo presbyter & cardinalis sancti Sixti consensi.

Ioannes presbyter & cardinalis sanctorum apostolorum consensi.

Ioannes presbyter & cardinalis sanctorum quatuor Coronatorum consensi.

Ioannes presbyter & cardinalis sancti Clementis consensi.

Crescentius presbyter & cardinalis sancti Callisti consensi.

Benedictus archidiaconus.

Ioannes diaconus & oblationarius.

Benedictus diaconus.

Ioannes diaconus.

Hi omnes consenserun & subscripserunt.

Data tertio * Kalendas Februarii per manũ Ioannis episcopi sanctę Nepesinę ecclesiæ, & bibliothecarii sanctæ sedis apostolicę, anno pontificatus domini nostri Ioannis sanctissimi papæ XV. octavo, & indictione sexta. *Nonas.

ANNO CHRISTI 990.

CONCILIVM NARBONENSE ADVERSVS ECCLESIASTICORVM BONORVM INVASORES habitum anno Christi circiter DCCCCXC.

ANNO dominicę incarnationis circiter 990. Ermẽgaudus Narbonẽsis archiepiscopus provinciale concilium habuit, adversus nobiles viros, qui non tantũ ecclesiasticorum bona omnia invadebant, sed in eos etiam sæviebant. Interfuerunt autem concilio non tantum provinciæ Narbonensis episcopi, sed etiam multi laici nobiles, ut Raymundus comes Ruthenensis, Rogerius comes Carcassonensis, ejusq; filius Raymundus, Raymundus vicecomes Narbonensis, idemque Ermengaudi archiepiscopi frater, Guillelmus vicecomes Biterrensis, aliique. *Ita Guillel. Catellus in commentariis occitaniæ. lib. V. in Ermengaudo.*

ANNO CHRISTI 994.

HVGONIS ET ROBERTI RR. FRANC. confirmatio fundationis Burguliacensis.

IN Christi nomine Hugo atque Robertus opitulante divina gratia Francorum reges, anno incarnationis dominicæ DCCCCXCIV. indictione VII. regni autem nostri VIII. communi omnium notitiæ tam præsentium, quam etiam futurorum notum esse cupimus, quia Emma Pictavensis comitissa, in quadam curti, vocabulo Burguliaca, pro amore omnipotentis Dei, cum consensu comitis Odonis sui fratris, eam ex nostro beneficio tenentis, monasterium cõstruxit, futurosq; ibidem monachos perpetualiter decrevit. Vt vero utriusque largitio firmior haberetur, jam defuncto Odone comite, uxor ipsius Berta nomine, una cum filiis suis, pariterque Gauberto

berto abbate clementiam nostram humiliter postulavit, ut nostra assertione eamdem rem corroboraremus. At nos curam sanctæ Dei ecclesiæ in mente habentes, eamque semper exaltare cupientes, cum consilio & assensu tam episcoporum, quam optimatum nostrorum, pro animarum nostrarum redemptione, eorumque, qui hoc expostulaverunt, æterna salute, ipsorum petitionem nostra autoritate munitam in perpetuum fore volumus. Sed ne postmodum humana calliditate vel invidia contrarietas aliqua oriretur, designando judicavimus, ut quicquid ad eamdem curtum pertinet, cum vicaria, & cæteris adjacentiis integrum habeatur, salvo tamen jure ecclesiastico. Præterea nostræ inscriptioni inserere placuit, quatenus nullius judiciaria potestas incolis ejusdem loci molestiam inferat, malamve consuetudinem ingerat, neque ad aliquem quicquam ex eadem re pertineat. Præter id, ut decedente abbate, alium constituendi electum a fratribus, absque ullius pretii commercio, respectus ad prædictam comitissam, filiosque ejus, habeatur. Super hoc etiam addimus, ut nulli futuro abbati liceat terras ad eumdem locum pertinentes sæcularibus distribuere, aut aliquo modo commutare absque ullius loci utilitate. Si quis vero contra prælibatam interdictionem aliquid præsumere tentaverit, libras centum coactus exsolvat, iramq; Dei omnipotentis irrecuperabiliter absolvendus incurrat: stultaque ejus repetitio omnimodo frustretur. Signum Hugonis gloriosissimi Regis. Signum Roberti regis. Data est hæc autoritas Parisiaco palatio. Regnantibus Hugone & Roberto regibus anno VIII.

Rogerius protocancellarius subscripsit.

MISCELLA EPISTOLARVM AD ARNVLFI ET GERBERTI REMENSIVM Archiepiscoporum controversiam pertinentium.

Cum Ioanni XV. renuntiatum esset, depositum esse a Remensi synodo Arnulfum suffectumque Gerbertum: episcopis omnibus, qui concilio interfuerant, sacris interdixit, quod se inconsulto id ausi essent. Hoc primum. Deinde missis ad ipsum regis & episcoporum legationibus, minime placatior effectus, legatum misit in Gallias Leonem S. Bonifacii abbatem, qui Mosomense concilium, ac deinde Remense habuit, in quo statutum, ut restitueretur Arnulfus, Gerbertus deponeretur. Datas interim epistolas quatuor, idcirco huc tanquam in fasciculum unum colligimus, quod nullam præferant certam notam temporis, cui tribuantur.

I.

HVGONIS FRANCORVM REGIS epistola ad Ioannem P. XV.

Tuetur ea quæ gesta sunt adversus Arnulfum: Pontificem rogat, veniat in Gallias, ut de iis præsens ipse judicet.

BEATITVDINI vestræ ego & episcopi mei per T*. archidiaconum Remensis ecclesiæ scripta direximus, in quibus Arnulfi rationes vobis explanavimus. Sed hoc nunc obsecrando superaddimus, ut mihi, meisque justa decernatis, nec dubia pro certis recipiatis. Nihil nos contra apostolatum vestrum egisse scimus: quod si absentibus non satis creditis, præsentes de præsentibus vera cognoscite. Gratianopolis civitas in fine Italiæ & Galliæ sita est, ad quam Romani pontifices Francorum regibus occurrere soliti fuerunt. Hoc, si vobis placet, iterare possibile est. At si nos & nostra invisere libet, summo cum honore descendentem de Alpibus excipiemus: morantem, ac redeuntem debitis obsequiis prosequemur. Hoc ex integro affectu dicimus, ut intelligatis & cognoscatis, nos & nostros vestra nolle declinare judicia. Petimus itaque, ut T. archidiaconi legationem benigne suscipiatis: &, dum quod petit obtinuerit, nos in suo adventu efficiat lætos, & in vestro obsequio ferventissimos.

* al. Ioannem.

II.

GERBERTI REMORVM ARCHIEPISCOPI epistola ad Constantinum Miciacensem abbatem.

QVID LEONIS LEGATIONE, præsertim episcopis metuendum.

SATIS super venerabilis A. legatione miratus sum. Referebat quippe! Hæc autem omnia non dolores, sed initia dolorum sunt. Majus est, quod quæritur, & quod appetitur, quam ego humilis & parvus; verumque proverbium est: Tua res agitur, paries cum proximus ardet. Et divinus sermo: *A sanctuario meo incipite*, id est a regni fundamento, & ab arce Hoc factum qui doli comitentur in aperto est. Hoc enim concesso, dignitas, vel potius gravitas confunditur sacerdotalis, status regni periclitatur. Quod si hoc inconsultis episcopis agitur, episcoporum potestas, gravitas, dignitas annullatur: qui episcopum, quamvis sceleratum, sacerdotio privare nec potuerunt, nec debuerunt. Si vero consultis, ipsi suæ damnationis testes sunt: qui a se non judicandum judicaverunt, & qui contra professionem suam & subscriptionem suam, in libello abdicationis a seipsis factam, venire præsumpserunt. Reducetur ad memoriam ejus captio, carcer prolixus, alterius in ejus sedem ordinatio: ordinatores, ordinatus, atque ab eo ordinati calumniæ subjacebunt. Ipsi quoque reges in peccatis singulis peccatores apparebunt. Nec sibi quisque blandiatur quolibet conquassato, se incolumi, nec falso nomine sponsionis decipiatur: cum res & facta non ex indulgentia judicum, sed ex stabilitate pendeant causarum.

III.

EIVSDEM AD SIGVINVM ARCHIEPISCOPVM SENONENSEM EPISTOLA.

Eum obfirmare conatur adversus Romanum judicium, quo sacris interdictum erat episcopis, qui synodo Remensi apud S. Bassolum interfuerant.

Prætermitti hæc epistola non debuit, cum jam edita sit a Baronio.

OPORTVERAT quidem prudentiam vestram callidorum hominum versutias evitasse, & vocem domini audire dicentis: *Si dixerint vobis ecce hic Christus, aut ecce illic, nolite sectari.* (Matth. 24) Romę dicitur esse qui ea, quæ damnatis, justificet; & quæ justa putatis, damnet: & nos dicimus quod Dei tantum est, & non hominis, ea quæ videntur justa damnare, & quæ mala putantur, justificare. *Deus*, (Rom. 8.) inquit Apostolus, *est qui justificat, quis est qui condemnet?* consequitur ergo si Deus condemnat, ut non sit qui justificet. Deus dicit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum*, (Matth. 18.) & reliqua usque, *ut ethnicus & publicanus.* Quomodo ergo nostri æmuli dicunt, quod in Arnulfi dejectione, Romani episcopi judicium expectandum fuit? Poteruntne docere, Romani episcopi judicium, Dei judicio majus esse? Sed primus Romanorum episcopus, immo ipsorum Apostolorum princeps clamat: (Act. 5.) *Oportet obedire Deo magis, quam hominibus.* Clamat & ipse orbis terrarum magister Paulus: (Galat. 1.) *Si quis vobis annunciaverit, præter quod accepistis, etiam Angelus de cælo, anathema sit.* Num quia Marcellinus papa Iovi thura incendit, ideo cunctis episcopis thurificandum fuit? (*Immemor est Gerbertus domini*) constanter dico, quod si ipse Romanus episcopus

ANNO CHRISTI ......

ræ vocis: Quæcunque dixerint vobis, servate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere. Rom. 8.

scopus in fratrem peccaverit, sæpiusque admonitus ecclesiam non audierit, hic, inquam, Romanus episcopus præcepto Dei est habendus sicut ethnicus & publicanus. Quanto enim gradus altior, tanto ruina gravior est. Quod si propterea sua communione nos indignos ducit, quia contra evangelium sentiendi nullus nostrum consentit, non ideo a communione Christi nos separare poterit: cum etiam presbyter, nisi confessus aut convictus, ab officio removeri non debeat, præsertim cum apostolus dicat: *Quis nos separabit a charitate Christi?* Et iterum. *Certus sum enim, quod neq; mors neq; vita, &c.* Et quænam major separatio, quam a filii Dei corpore & sanguine, qui quotidie pro nostra immolatur salute, quemlibet fidelium removere? Quod si hic, qui vitam ademit corporalem vel sibi, vel alteri, homicida est: hic qui sibi, vel alteri vitam sempiternam, quo nomine appellandus est? Neque vero Gregorii sententia, in populum relata, in episcopos referri potest: *sive*, inquit, *juste, sive injuste obliget pastor, sententia pastoris gregi timenda est.* Non enim episcopi grex dicitur, sed populus: Quantum namq; vita pastoris distat a grege, tantũ vita pastoris distare debet a plebe. Non igitur a sacra communione, quasi criminosi confessi, vel convicti, suspendi debuistis: neque vero veluti rebellis ac refuga, quia sacrosancta concilia nunquam devitastis: maxime cum actus & conscientia sit pura, nec legalis sententia damnationis in vos adhuc sit lata, nec legibus inferri possit. Legalis ideo illata non est, quia Gregorius dicit: *Sententia sine scripto prolata nec nomen sententiæ habere meretur.* Legibus inferri non potest, quia magnus Leo papa dicit: *Non tenetur Petri privilegium, ubicumque non ex æquitate fertur judicium.* Non est ergo dãda occasio nostris æmulis, ut sacerdotium, quod ubiq; unum est, sicut ecclesia catholica una est, ita uni subjici videtur, ut & pecunia, gratia, metu, vel ignorantia corrupto nemo sacerdos esse possit, nisi quem sibi hæ virtutes commendarint. Sit lex communis ecclesiæ catholicæ evangelium, apostoli, prophetę, canones spiritu Dei constituti, & totius mundi reverentia consecrati, decreta sedis apostolicæ ab his non discordantia: & qui per contemptum ab his deviaverit, per hęc judicetur, per hæc abjiciatur. Porro hæc servanti, & pro viribus exequenti, sit pax continua & continuo sempiterna. Vos bene valere optamus. xxccv. Iterum valete, & a sacrosanctis & mysticis suspendere vos nolite. Qui enim accusatus ante judicem tacet, confitetur: & qui judice judicante pœnæ se addicit, confitetur. Confessio autem fit aut salutis, aut perditionis causa: salutis, cum quis confitetur de se vera; perditionis, cum falsa de se confingit, vel in se patitur confingi. Tacere ergo ante judicem, confiteri est: confiteri porro falsa & mortalia crimina, homicidæ est: quia omnis qui sibi mortis causa fuerit, major homicida est. Et dominus dicit: *Ex ore tuo te judico.* Repellenda igitur falsa accusatio, & contemnenda illegalis judicatio: ne, dum volumus videri innocentes coram ecclesia, efficiamur nocentes.

Gregorius. — Gregorius. — Leo.

IV.

** EIUSDEM AD ADELAIDEM IMPERATRICEM, ET EPISCOPOS Remensis diœceseos epistola.

Remis aberat Arnulfus, cum Remensem synodum brevi habiturus esset Leo legatus: hortabatur Adelais, ut rediret: causas ille affert, cur redire nolit.

DOMINÆ *& gloriosæ Adelaidi reginæ semper augustæ Gerbertus gratia domini Remorum episcopus, omnibus suis confratribus, & coepiscopis Remorum diœceseos, bene valere in Christo.*

EPISTOLA vestri nominis læta principia pertulit, monita salubria habuit, sed tristi fine conclusa est. Suavem quippe animi vestri affectum circa me ostendit, ad propriam sedem reditum maturare admonuit. Sed quid sibi voluit tam acerba conclusio? Ita enim se habet. Cognoscite quia si modo hujusce monita parvi penderitis, utemur nostrorum rebus, & consiliis absque crimine vestri. Me urbi Remorum præsidente, quando non licuit, licet, vel licebit, vestris uti consiliis, & rebus mihi commissis? An melius licuit Arnulfo eam obtinente? Sed ille eam vobis dolo & fraude abstulit: ego contra multorum dolos & fraudes vobis eam multis vigiliis multoque labore conservavi. Mirum nimis est, vestrorum hostium vos non sentire insidias. Qui enim Arnulfum ad vestri regni confusioné suæ sedi restituere quærunt, non sibi hoc tutum fore putant, nisi me prius qualibet occasione perdant. Quod multum verisimile esse duplici capimus argumento, quia me Remis nuper posito eum absolvere decrevistis: & quia Leo Romanus abbas, ut absolvatur, obtinuit, ob confirmandum senioris mei regis Roberti novum conjugium, ut mihi a Remensibus per literas significatum est. Accedit ad hoc discrimen fides a præsentibus Corte-calmiciaca a Gibuino Gibuini nepote pervasa. Infinitus, credo, erat villarum numerus, nec ad possidendum sufficere poterant Remenses, nisi ad colonias obtinendas invitarentur Catalaunenses. Quid ergo si Arnulfus absolvendus est, vel si Gibuinus, vel alius quilibet in sede mea inthronizandus est? reditum meum sine capitis mei periculo intelligere non est. Quod ita esse, sed vos minus animadvertere, dubitare non debeo. Novi enim studia vestra omnibus mortalibus prædicanda, novi animi vestri dulcissimos affectus circa me. Quibus si respondere nequeo meritis, respondebo votis. Quocirca ut mea vobis minus ingerã, deq; me omnino taceam, quem divina gratia a periculorum immensitate liberat, & in quantum ad me solum attinet, in omni felicitate disponit & conservat: per terribile nomen omnipotentis Dei oro & deprecor, ut Remensi ecclesiæ desolatæ & attritæ, si quolibet modo valetis, subveniatis. Quę quoniam regni Francorum caput est, si deperierit, ut membra sequantur necesse est. At quomodo non deperit, quæ sub nomine duorum, quasi inter malleum & incudem disposita, dum eorum neutrum rectorem approbat, velut inter undas maris sine remige fluctuat? Quid porro fieri putatis, si tertius sine judicio ecclesię ad numerum accesserit? Neque vero hæc loquor tanquam augur aut divinus. Memini etiam meos conspirasse non solum milites, sed & clericos, ut nemo mecum comederet, nemo sacris interesset. Taceo de vilitate & contemptu, nihil dico de gravissimis injuriis sæpe mihi a pluribus illatis. Ad hæc ut redeam provocatis, & ut graviora patiar, minas superaddit epistola. Quid est, o divina majestas! adeo-ne me infatuatum, vel a te abalienatum putant, ut vel gladios imminentes non videam, vel ecclesiam tuam schismate confundam? Ego vero improborum versutias acute conspicio, & contra omnia schismata unitatem ecclesiæ, si sic decretum est, morte mea defendo. Peto ergo, ô domina mea semper augusta, item a fratribus meis coepiscopis, qui pro causa traditoris Arnulfi, sive juste, sive injuste sub anathemate positi sunt, ut me judicium ecclesiæ expectantem patienter ferant. Neque enim

ecclesiam

ANNO CHRISTI 995.

ecclesiam, quam episcoporum judicio regendam accepi, sine episcoporum judicio relinquere volo. Nec rursus contra episcoporum judicium, ubi major autoritas adsit, eam quasi per vim retinere dispono. Quæ judicia dum expecto, exilium, quod a multis felix putatur, non sine multo dolore tolero.

G. C. Hanc epistolam credidit Baronius scriptam post Remensem synodum Leonis legati. Probabilius autem mihi videtur, scriptam esse, cum jam jamque cogenda esset; eo scilicet tempore quo abstinere a divinis officiis jussum esse in Mosomensi concilio Gerbertum, mox videbimus.

** CONCILIVM MOSOMENSE

habitum ann. DCCCCXCV. a Leone legato apostolico, ubi lectæ litteræ Ioannis XV. auditus Gerbertus, & a divino officio usque ad Remensem synodum abstinere jussus.

ANNO ab incarnatione domini DCCCCXCV. Indictione VIII. a papa Ioanne synodus denuntiata est habenda in parochia Remensi Metropoli. Itaque IV. Nonas Iunii convenientibus Mosomum venerabilissimis episcopis, Liutolfo Treverensi, Aymone Virdunensi, Notgario Leodicensi, Sigefrido civitatis Minigardevvrdæ, Leo abbas monasterii sancti Bonifacii urbis Romæ, vicem agens domni Ioannis papæ, medius inter eos consedit in ecclesia B. Dei genitricis Mariæ. Atque in eorum prospectu Gerbertus Remorum archiepiscopus, pro sua ordinatione rationem redditurus. Interfuerunt etiam huic concilio diversarum urbium abbates non ignobiles, sed vita, moribus, & scientia præclari. Ex laicis quoque admissi sunt Godefridus comes, & reliqui. Facto itaque silentio, cunctis residentibus qui aderant, Aymo episcopus surrexit, & Gallice concionatus est, domnum Ioannem papam episcopos Galliarum, causa synodi, ad Aquas Grani palatii invitasse, & eos illo venire noluisse: iterum invitasse in urbem, & eos non venisse: nunc pro sua sollicitudine, in Remensi provincia concilium statuisse. Et qui de Arnulfi dejectione & Gerberti promotione contraria sibi dicerent, per suum vicarium velle cognoscere. Post hæc protulit epistolam plumbeo sigillo munitam, quam dissolvens coram omnibus recitavit hoc modo se habentem. Ioannes episcopus servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis Galliarum, salutem & apostolicam benedictionem, & reliqua.

Hac epistola recitata, surrexit Gerbertus Remorum archiepiscopus: & hanc orationem subintulit.

Semper quidem, reverentissimi patres, hanc diem præ oculis habui, spe ac voto ad eam intendi, ex quo a fratribus meis ammonitus onus hoc sacerdotii non sine periculo capitis mei subii. Tanti erat apud me pereuntis populi salus, tanti erat autoritas qua me tutum fore existimabam. Recordabar præteritorum beneficiorum, dulcis atque affabilis benevolentiæ vestræ, qua sæpenumero cum multa laude præstantium usus fueram: cum ecce subitus rumor vos offensos insinuat, vitioque dare laborat, quod magna paratum virtute inter alios constabat. Horrui fateor, & quos ante formidabam gladios, præ indignatione vestra posthabui. Nunc quia propitia divinitas coram contulit, quibus salutem meam semper commisi, pauca super innocentiam meam referam. Ego quippe post obitum divi Ottonis Augusti cum statuissem

A non discedere a clientela patris mei Adalberonis: ab eodem ignorans ad sacerdotium prælectus sum, atque in ejus discessu ad dominum, coram illustribus viris, futurus ecclesiæ pastor designatus. Sed simoniaca hæresis in Petri soliditate me stantem inveniens repulit, Arnulfum prætulit. Cui tamen plusquam oportuerit fidum obsequium præbui, donec eum per multos & per me apostatare palam intelligens, dato repudii libello cum omnibus suis apostaticis dereliqui, non spe nec pactione capessendi ejus honoris, ut mei æmuli dicunt, sed monstruosis operibus diaboli territus in effigie hominis latitantis. Non, inquam, ideo illum dereliqui, sed ne illud propheticum
B incurrerem: *Impio præbes auxilium, & iis qui oderunt me amicitia jungeris: & idcirco iram quidem Dei mereberis.* 1 Paralip. 19. Deinde sanctionibus ecclesiasticis per longa temporum spatia peractis, legeque peremptoria consummata, cum nihil aliud restaret, nisi ut judiciaria principis potestate coerceretur, & tanquam seditiosus ac rebellis a principali cathedra removeretur: lege Africani concilii iterum a fratribus meis & regni primatibus conventus & commonitus sum, ut excluso apostata curam discissi & dilaniati susciperem populi. Quod quidem & diu distuli, & postea non satis sponte acquievi: quoniam quæ tormentorum genera me comitarentur, omnimo-
C dis intellexi. Hæc est viarum mearum simplicitas, hæc innocentiæ puritas, & coram Deo & vobis sacerdotibus in his omnibus munda conscientia. Sed ecce ex adverso occurrit calumniator, vocum novitatibus, ut major fiat invidia, obloquitur: Dominum tuum tradidisti, carceri mancipasti, sponsam ejus rapuisti, sedem pervasisti. Itane ego dominum, cujus nunquam servus fuerim, cui etiam nullum sacramenti genus unquam præstiterim? Etsi enim ad tempus famulatus sum, fecit hoc imperium patris mei Adalberonis, qui me in Remensi ecclesia commorari præcepit quoadusque pontificis in ea sacrati mores actusque dinoscerem. Quod dum opperior, hostium præda factus sum: &
D quæ vestra munificentia, magnorumque ducum largitas clara & præcipua contulerat, violenta prædonum manus abstulit, meque pene nudum gladiis suis ereptum doluit. Denique postquam illum apostatam dereliqui, vias & itinera ejus non observavi, nec quolibet modo ei communicavi. Quomodo ergo eum tradidi, qui ubi tunc temporis fuerit nescivi? Sed neque eum carceri mancipavi, qui nunc nuper sub præsentia fidelium testium seniorem meum conveni, ut propter me nec ad momentum ulla detineretur custodia. Si enim autoritas vestra per me staret, in tantum Arnulfus vilesceret, ut mihi minimum valeret obesse. Quod si con-
E traria mihi, quod absit, sententia vestra decerneret: quid mea interesset utrum Arnulfus an alius Remorum constitueretur episcopus?

Iam de sponsa rapta, sedeque pervasa quod dicitur, ridiculosum est. Dico enim primum nunquam illius fuisse sponsam, quam pro legitima donatione spiritualis dotis collatis ante beneficiis exspoliavit, proscidit, & dilaniavit. Necdum sacerdotali anulo insignitus erat, & jam omnia quæ denominatæ sponsæ fuisse videbantur, satellites Simonis vastaverant. Dico etiam: si concederetur quolibet modo illius sponsam fuisse, utique esse desiit, postquam pollutam & violatam,

ANNO CHRISTI 995.

violatam, & ut ita dicam adulteratam, suis prædonibus prostravit. Num igitur eam, aut quam non habuit, aut quam suo scelere perdidit, illius sponsam rapui? Sedem autem multorum populorum multitudine refertam advena & peregrinus nullis fretus opibus pervadere qui potui? Sed forte apostolica sedes nobis opponitur: tamquam ea inconsulta summum hoc negotium discussum sit, vel ignorantia, vel contumacia. Certe nihil actum vel agendum fuit, quod apostolicæ sedi relatum non fuerit: ejusdem per decem & octo menses expectata sententia. Sed dum ab hominibus consilium non capitur, ad filii Dei supereminens eloquium recurritur: *Si oculus tuus scandalizat te*, & reliqua. (Marc. 9.) Et fratrem peccantem coram testibus coramque ecclesia commonitum, & non obaudientem decernit habendum tamquam ethnicum & publicanum. (Matth. 18.) Conventus ergo Arnulfus, & commonitus litteris & legatis episcoporum Galliæ, ut a cœpto furore desisteret, &, si valeret, quoquo modo se a proditionis scelere purgaret: dum monita salubria contemnit, habitus est tanquam ethnicus & publicanus. Nec tamen idcirco dijudicatus ut ethnicus ob reverentiam sedis apostolicæ, sacerdotiique sacri privilegia: sed a seipso in seipsum damnationis sententia lata, hoc solum eum in omni vita sua præclare egisse dijudicatum est. Quia nimirum si se ipso damnante episcopi absolverent, pœnam sceleris ejus incurrerent. *Si*, inquit magnus Leo papa, *omnes sacerdotes & mundus assentiat damnandis, damnatio assentientes involvit. Hoc enim Dominus omnium indicavit, qui peccantem mundum generali diluvio interemit.* Et papa Gelasius: *Error qui semel est cum suo autore damnatus, in participe quolibet parvæ communionis effecto execrationem sui gestat & pœnam.* Excluso itaque illo a Remensi ecclesia, mihi reluctanti, multumque ea quæ passus sum, & adhuc patior, formidanti, a fratribus meis Galliarum episcopis hoc onus sacerdotii sub divini nominis obtestatione impositum est. Quod si forte a sacris legibus quippiam deviatum est: non id malitia, sed temporis importavit necessitas. Alioqui tempore hostili omne jus, omneque licitum cavere, quid est aliud quam patriam perdere, & necem inferre? Silent equidem leges inter arma, quibus ille feralis bestia O...... ita abusus est, ut reverentissimos sacerdotes Dei quasi vilia mancipia caperet, nec ab ipsis sacrosanctis altaribus temperaret, commeatus publicos intercluderet. Redeo ad me, reverentissimi patres, cui specialiter ob salutem pereuntis populi, totiusque reipublicæ curam, mors furibunda cum omnibus suis incubuit copiis. Hinc dira egestas, horrea & apothecas armata manu sibi vindicat, sola vestra autoritas ut tantorum malorum levamen fieret expectata est: quæ tantam vim habere creditur, ut non solum Remensi, sed omni ecclesiæ Gallorum desolatæ & pene ad nihilum redactæ, subsidio esse valeat. Quod divinitate propitia exspectamus, & ut fiat omnes in commune oramus.

Hanc orationem Gerbertus finiens Leoni abbati scriptam protulit, & epistolam papæ recepit. Tum episcopi a concilio recedunt, & comitem Godefridum consultationibus suis adhibent. Post hæc Gerbertum ad se vocant, & Leonis abbatis monachũ Ioannem ad reges Francorum cum omni honore deduci faciat orant & obtinent. Deinde Kalendis Iuliis Remis habendam synodum denuntiant. Iam synodus soluta esse videbatur, cum ecce Gerbertus episcopus legatos episcopos accipit, tamquam a parte Leonis, ut a divino officio usque ad denuntiatam synodum abstineat. Qui cum renueret, in præsentia ipsius Leonis perventum est. Ibique breviter commemorat, non esse in potestate cujusquam episcopi, vel patriarchæ, vel apostolici, quemquam fidelium a communione removere, nisi sponte vel convictum, vel ad concilium venire nolentem. Sibi autem nihil horum obstare. Quippe qui nec confessus, nec convictus sit, & qui solus de Gallia ad concilium venerit. Non ergo se suo judicio damnaturum, qui in nullo genere oppositorum sibi male conscius sit. Sed modestia & probitate domni Luidulfi Treverensis archiepiscopi conventus, & fraterne commonitus, ne occasionem scandali suis æmulis daret, quasi jussionibus domni apostolici resultare vellet, sub nomine obedientiæ, ut a missarum tantummodo celebritate abstineret, adquievit usque ad proximas Kalendas Iulias, quo tempore altera synodus indicta erat. & sic discessum est.

CONCILIVM REMENSE,

ANNO CHRISTI 995.

Quo per Leonem sedis apostolicæ legatum Arnulfus, Gerberto deposito, Remensi ecclesiæ restitui jubetur, anno Domini DCCCCXCV. tempore Ioannis papæ XV.

HÆC est illa vera & legitima synodus Remensis, qua acta præcedentis pseudosynodi autoritate apostolica improbantur & plane annullantur. Quid in ea gestum fuerit, in append. ce Aimoini narratur his verbis: Nunciantur hæc omnia, *de quibus supra in conciliabulo Remensi*, præsuli Romano, qui valde indignatus super hoc facto, interdixit sacris, omnibus episcopis, qui Arnulfum dejecerant & Gerbertum ordinaverant. Misit quoque Leonem abbatem a sede apostolica ad dominum Seguinum archiepiscopum urbis Senonicæ, qui vice sua in urbe Remensi synodum congregaret, mandans illi, ut sine dilatione revocaret Arnulfum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur concilio iterum in urbe Remensi, ex jussione apostolica revocatus est Arnulfus de custodia, & cum honore magno receptus in propria sede. Gerbertus autem intelligens quod injuste pontificalem suscepisset dignitatem, pœnitentia ductus est. Altercationem vero Gerberti pontificis & Leonis abbatis valde utilem plenius invenies in gestis pontificum Remensium. *Hæc de actis hujus synodi, Aimoini appendix. Libellus Gerberti refert, quod in hac synodo, episcopi illi, qui Arnulfum sede sua ejecerant, dixerint, in totius regni discrimine nihil melius & utilius fieri potuisse, quam ut tyranno excluso pastor aliquis populo & regno utilis constitueretur: cumque a Leone arguerentur, quod illud sine apostolicæ sedis autoritate fecissent; respondebant, binas hac de re legationes Romam missas, non fuisse auditas ideo, quia Crescentium palatii custodem nullo munere corrupissent: nihilque, quod falsum esse constat ex verbis Aymoini supra in pseudosynodo Remensi recitatis, sine consensu & autoritate Seguini Senonensis archiepiscopi, sedisque apostolicæ legati, peregisse. Plura hac de re Baron. ann. 992. & 995.* &c.

NOTA G. C.

Persuasit sibi Baronius, quem Binius, ut in omnibus solet, secutus est, tantam fuisse Hugonis regis erga

erga Rom. Pontificem reverentiam, ut obſecutus ſit huic A poſteriori Remenſi ſynodo, eductumque de carcere Arnulfum reſtituerit: quamquam ipſum, ut germen Carolinæ ſtirpis, ſibi adverſantem expertus eſſet. Hunc in errorem inductus eſt ab Aymoini continuatore, cujus modo verba legiſti. At reſtitutum Arnulfum non fuiſſe, neque Aurelianenſi e carcere eductum, niſi annis poſt Leonis legationem ac ſynodum tribus, jam functo Hugone rege, Roberto ſolo regnante, Gregorio V. Pontifice, diſcimus ex Aymoino in libro de vita S. Abbonis. „ Paucis labentibus annis, inquit cap XI. occaſio ſe præbuit, „ ut rogatu ac precibus glorioſi regis Rotberti, (Abbo) „ Romuleam repedaret ad urbem. Præcipua vero earum, „ pro quibus directus eſt, cauſarũ hæc fuit: quia Arnulfus „ Remorum archiepiſcopus, abſque juſta audientia, ſede „ ſua privatus, cuſtodiæque fuerat mancipatus. Ob hoc „ Gregorius, qui Ioanni in apoſtolica ſucceſſerat ſede, non „ ſolum nobilitate generis, verum etiam probitate clarus „ mentis, toti regno Francorum anathema ſe invecturum „ comminatus eſt. Hac igitur ex re Italiam repetere ſervus B „ Dei cogitur. Et capite XII. Regreſſus itaque honorabilis „ Abbo ad regem, a quo miſſus fuerat: cuncta, pro quibus „ ierat, perfecta nunciat. Arnulfum Remenſem cuſtodia „ exemptũ pontificatui reſtituit: pallium illi a domno Papa „ directum reddidit. Poſt hæc per internuntios ipſi venerabili apoſtolico domno Gregorio amicabiles plenaſque „ reverentiæ dirigit literas: in quibus innoteſcit, ſe cuncta, „ uti juſſerat, perfeciſſe: quarum iſtud eſt exordium. Domino ſemper in Chriſto venerabili, S. Romanæ & Apoſtolicæ ſedis præſuli, ac ideo univerſalis eccleſiæ doctori, „ ſuus ilius, Abbo Floriacenſium rector, in Chriſto ſalutem. Sæpius contingit, ut puritas integræ veritatis, vacillet ſententia maleſidi interpretis. Quod ego, venerabilis Pater, cavens, veſtri animi ſenſa fideliter ſimpliciterque, ut præcepiſtis, deprompſi: nec animoſitatem regis perhorrui, dum fidem, quã vobis promiſeram, ex aſſe „ ſervavi. Quando quidem nihil addidi, nihil minui, nihil „ immutavi, nihil reliqui. Horum omnium, ipſe Arnulfus, „ e cuſtodia liberatus & abſolutus, teſtis eſt: cui veſtrum „ pallium coopertum obtuli, quomodo illud acceperam „ ex ſanctis manibus veſtris.

Quod ſi tunc reſtitutus Arnulfus eſt, cujus rei fides certa eſt penes Aymoinum & Abbonem: qui factum eſt, ut qui Gregorio ſucceſſit Silveſter, eumdem quaſi de integro reſtituerit, palliumque miſerit per literas, quas infra poſt Silveſtri ejuſdem vitam reperies? Ad epiſtolam illam hæc a nobis controverſia diſceptabitur.

[A]NNO [CH]RISTI [9]96.

VITA ET EPISTOLA

GREGORII PAPÆ V.

[...]ando [...]tifex [...]us.

GREGORIUS, qui Bruno nominabatur, natione Germanus, Ottonis imperatoris conſanguineus, factus eſt pontifex anno domini 996. antequam Otto Romam veniſſet. Hunc Brunonem nominatum fuiſſe ante pontificatum, teſtantur Ditmarus & Rupertus abbas Tuitienſis. Creſcentii ſtudio & opera contra eum in ſchiſmate elevatus eſt in thronum apoſtolicum Ioannes (quem XVI. nominant, & in numerum pontificum male referunt) natione Calaber, Placentinus epiſcopus. Sed cum Otto imperator ad vindicandam injuriam pontifici per Creſcentium illatam in Italiam veniſſet, Romam expugnaſſet, invaſori ſedis apoſtolicæ manus ſacrilegas amputari, aures abſcindi, atque oculos evelli præcepit. Cumque a tyrannide Creſcentii (de quo Otto obtruncatione capitis extremum ſupplicium ſumpſerat) Romani liberiores facti eſſent, poſt illam membrorum amputationem aſello impoſuerunt, tenentemque alterius aſini præeuntis tamquam rectoris caudam in manibus, compulerunt ut per publicam totius urbis viam hæc caneret: Tale ſupplicium patitur qui Romanum papam de ſua ſede pellere nititur.

[...]gorius [B]runo [...]a di[...]s.

[...]nes [...]l. pſeu[...]papa.

[...]nnes [...]dopa[...] nem[...] muti[...]s, aſino [...]oni-

Hoc ſchiſmate ſublato, Otto III. Romæ coronatus eſt imperator, poſtquam regnum Germaniæ duodecim annis obtinuiſſet.

Hic pontifex patriam ſuam inſigni aliqua dignitate ornare volens, prævio ſynodali judicio Romæ conſtituit ut penes ſolos Germanos eſſet jus eligendi regem Romanorum, qui poſt diadema a Romano pontifice acceptum imperator & Auguſtus appellaretur. Idem Bonifacium Ottonis cognatum recens ad fidem Chriſti converſum, & martyrio ſancti Adelberti inflammatum, ad prædicandum gentibus munere apoſtolatus donatum miſit in Ruſſiam. Heriberto Colonienſi archiepiſcopo pallium donavit, in numerum ſeptem electorum, quibus eligendi imperatoris Romani poteſtas conceſſa fuit, eumdem aſſumpſit. Defunctus eſt anno Chriſti 999. B pridie Nonas Februarii, cum ſediſſet annos 2. menſes 8. dies 4.

Gregorius V. jus eligendi Romanorum regem Germanis ſolis concedit.

I. GREGORII V. EPISTOLA A
AD IOANNEM RAVENNATENSEM archiepiſcopum.

Rubeus mutilam edideiat, Vghellus integram.

Placentinam eccleſiam reſtituit, Monteferetranam ſubjicit.

Dilecto filio Ioanni S. Ravennatis eccleſiæ archiepiſcopo venerando, tuiſque ſucceſſoribus archiepiſcopis in perpetuum.

DIVINÆ remunerationis præmia, & bonæ actionis noſtræ labores ab æterna manu op- C tate fructificari ſperantes, dignum duximus omni divinæ ſervitutis obſequio, hilari mente, impendere famulatum, maxime in reſtaurandis eccleſiis, quas ab anteceſſoribus noſtris ad divini uſum ſervitii dicatos conſpeximus. Quapropter conſiderantes etiam univerſas hæreſes in ſancta catholica eccleſia miſerabiliter ortas, dignas reſecari ſanctæ Ravennat. eccleſiæ, tibi Ioanni, ejuſdem eccleſiæ venerando archipræſuli, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum, paterno amore ſubvenimus. Placentinam eccleſiam injuſte tibi a meo anteceſſore ablatam, & contra canones ſub nomine archiepiſcopatus locatam, tibi, tuiſque D ſucceſſoribus refutantes in perpetuum. Inſuper etiam a noſtro apoſtolatu poſtulaſtis, quatenus pro omnipotentis Dei amore, mercedeque animæ noſtræ, necnon & pro ſtatu regni domini invictiſſimi tertii Ottonis imperatoris auguſti, epiſcopatum Monteferetranum, cum omni integritate ſua, ex noſtro dono, ſub jure ſanctæ Ravennatis eccleſiæ donando, & epiſcopum conſecrandi amodo in antea cui volueritis, tibi, tuiſque ſucceſſoribus, noſtræ apoſtolicæ autoritatis privilegio muniremus in perpetuum. Propterea tuis flexi precibus, ad honorem ſanctæ Raven- E natis eccleſiæ, & ſtabilitatem ejuſdem venerandi loci, ipſum jam fatum venerabilem epiſcopatum Monteferetranum, cum omni integritate ſua, ſcilicet eccleſiis, capellis, caſis, caſalibus, curtibus, manſis, coloniis, abbatiis, cellis, fundis, ſeu terris, vineis, pratis, paſcuis, etiam famulis utriuſque ſexus, & cum omnibus ad jus notati epiſcopii legaliter pertinentibus, ſalvum & in cunctis quietum conſiſtere ſub jure S. Ravennatis ſedis, tuitione, ſine cujuſlibet quacumque contradictione. Ita ſcilicet confirmantes, decernimus, ut epiſcopus, qui in eodem epiſcopio pro tempore fuerit a te, vel a tuis ſucceſſoribus ordinatus, ſine omni contradictione, ſub-

subjectionem impendat, & ut alii suffraganei, in omnibus secundum ecclesiæ tuæ profectum obediant. Insuper namque sub divini judicii obtestatione interminantes jubemus atque præcipimus, ut nullus imperator, vel rex, dux, aut marchio, de præfata consecratione in aliquo te, tuosque successores, lædere præsumat, sed a præsenti decima indictione in antea usque in perpetuum, quemcumque eligere voluerint, per nostram concessionem, ecclesiastico more, in præfato episcopatu, episcopum consecrare debeatis, remota omnium hominum contradictione. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, & anathematis interdictu, ut si quicumque homo, cujuslibet potestatis existens, præsumpserit ausu temerario contra hoc apostolicæ confirmationis privilegium agere, aut a jure S. Ravennatis ecclesiæ præfatum episcopatum, donum, & consecrationem subripere tentaverit, nisi resipuerit, & his monitis nostris acquieverit, autoritate Dei & nostra, non solum anathematis vinculis innodetur, sed a regno Dei alienus existat: qui autem verus custos & observator extiterit, benedictionis gratiam a Domino consequi mereatur.

Scriptum manu Petri scriniarii, notarii, & regionarii, S. R. E. in mense Iulio, indictione supradicta x. Dat. nonis Iul. per manus Ioannis episcopi sanctæ Albanensis ecclesiæ, & bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis.

**II. AD GERBERTUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

Mittit pallium, Ravennatensem ecclesiam multis ornat privilegiis, multis donationibus auget.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, Gerberto S. Ravennatis ecclesiæ archiepiscopo, ac nostro spirituali filio, & per te in eandem ecclesiam, cunctisque successoribus tuis archiepiscopis in perpetuum.

Ex Rubeo & Vghello. QVONIAM apostolicæ sedis benevolentia, & antiquæ consuetudinis zelo provocati, fraternitatem tuam Ravennati ecclesiæ præfecimus: insignia præsulum ejusdem ecclesiæ dignum duximus tibi conferenda, cum usu pallij, quo uti debeas certis temporibus, certisque modis, sicut antecessores tuos usos fuisse cognoscis. Hoc te nihilominus admonentes, ut sicut a nobis hujus decoris usum, ac sacerdotalis officii honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum, atque actuum probitate, susceptum in Christo sacerdotium adornare contendas. Sic enim alterno eris honore conspicuus, si cum habitu corporis, mentis quoque bona concordant, ut foris compositus, intus autem directus, Deo cum propheta vere dicere possis: *Provideo Deo in conspectu meo semper, ut sit a dextris mihi, ne unquam commovear.* (Psal. 15.) Vt autem caritatis in nobis fundatæ dulcedinem recognoscas: ex gratuita largitate nostra, post mortem Adeleidæ Imperatricis augustæ, donamus tibi, tuæque, ecclesiæ districtum Ravennatis urbis, ripam integram, monetam, teloneum, mercatum, muros, & omnes portas civitatis. Si vero alia privilegia aliquibus facta apparuerint, sanctæ ecclesiæ obnoxia, & huic nostro privilegio contraria: autoritate Dei, & S. Petri, ad nihilum redigenda illa dijudicamus: & hoc quod facimus, stabilimus, & intactum permanendum jubemus. Donamus etiam tibi, tuæque ecclesiæ sanctæ, Comaclensem comitatum, post mortem Adeleidæ Imperatricis augustæ: ut tu, tuaque sancta ecclesia, tuique successores, illum, cum omnibus inibi pertinentibus, libere teneant, & ordinent in perpetuum. Et quod bene factum est ut bene reservemus, & in melius corroboremus: privilegium, quod tuo prædecessori Ioanni, cum Monteferetrana, & Cerviensi ecclesiis, & cum omnibus, quæ sibi largiti sumus, ex nostra benevolentia, tibi, tuæque sanctæ Ravennati ecclesiæ, tuisque successoribus confirmamus, & incorrupta semper esse decernimus: id est, monasterium sancti Thomæ apostoli, & Euphemiæ martyris, cum omni integritate eorum, & cum omnibus rebus, & possessionibus eorum cultis, & incultis, tam in civitate Ariminensi positis, quam extra, scilicet in comitatu Pisaurensi, Ariminensi, & Monteferetrano collocatis. Quæ omnia per centum jam curricula annorum, vestra ecclesia, & vestri antecessores tenuerunt, & vos, Deo gratia, tenetis quiete: id est, castellum quod vocatur Ligabizzi, cum omni pertinentia sua, & curte de sancto Hermete, cum prædicta ecclesia, & cum casalibus, & appendicibus suis: scilicet castellum, quod vocatur Galliola, cum omni pertinentia sua: nec non & castrum, quod vocatur Granariolo, cum omnibus rebus, & possessionibus suis. Et castellum quod vocatur Montecorlino cum omni integritate sua: necnon & integrum castellum quod vocatur crucis, cum omnibus rebus, & possessionibus suis. Et ut paternitas bonitatis nostræ, filiationem tuæ devotionis summo affectu, & affluenter in Christo enutriat, autoritate Dei omnipotentis, & S. Petri principis apostolorum, hoc nostro privilegio, præceptum de Regiensi episcopatu, cum omnibus sibi adjacentiis, a venerabili Ottone augusto, tibi, tuæque ecclesiæ, tuisque successoribus attributum, confirmamus, stabilimus, & inconvulsum permanendum præcipimus, ut teneas, defendas, regas, & ad Dei honorem, tam tu, quam tui successores, libere ordineris. Confirmamus etiam tibi, tuæque ecclesiæ in perpetuum donamus Cæsenam, cum omnibus inibi pertinentibus: & potestate apostolica jubemus, ut de subtus strata, usque ad mare, nullus audeat districtum, aut venationem ullam exercere, nisi cui tu, aut tui successores jusserint: sed absque omnium hominum inquietudine, ad honorem, & utilitatem tuam, potestative omnia ibi facias & præcipias. Omnia etiam privilegia jampridem a prædecessoribus nostris tuæ ecclesiæ collata, omniaque præcepta aut a regibus, aut imperatoribus, pro Dei respectu, attributa, hoc nostro privilegio in voluntate Dei, & autoritate sancti Petri, confirmamus, corroboramus, & in æternum valere volumus, & præcipimus. Si quis igitur contra hæc, quæ per hoc nostrum privilegium pie & firmiter disposita sunt, temerario ausu ire tentaverit: sciat se autoritate B. Petri principis apostolorum, cujus immerito vices agimus, anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo, & Iuda traditore, æterni supplicii incendio concremandum; sicque irremediabiliter involuendum, ne unquam a nexibus anathematis sit absolutus. At vero qui observator in omnibus extiterit, custodiens hujus nostri apostolici constituti autoritatem, ad cultum Dei nostri respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo Deo nostro multipliciter consequatur, & vitæ æternæ particeps efficiatur.

Script. per manus Petri, notarii, & ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in menſe April. Indict. XI. Bene valete.

Dat. IV. Kal. Maii, per manum Ioannis epiſcopi ſanctæ Albanen. eccleſiæ, & bibliothecarii ſanctæ Apoſtolicæ ſedis, anno pontificatus domni Gregorii ſummi pontificis, & univerſalis papæ, in ſacratiſſima ſede B. Petri apoſtoli anno II. imperante domno Othone III. a Deo coronato, magno, & pacifico imperatore, anno II. in menſe, & indict. ſupraſcripta.

III. DIPLOMA QVO PRIVILEGIVM ABBATIÆ S. AMBROSII CONFIRMATVR.

POSTQVAM beato Petro apoſtolorum principi, dominus ac redemptor noſter Ieſus Chriſtus ex utero virginis pro noſtra redemptione, ut erat Deus verus ante ſæcula, verus homo in fine ſæculorum apparere dignatus eſt, ligandi, atque ſolvendi in cælo, & in terra poteſtatem tribuit, etiam januas regni cæleſtis reſerandas conceſſit, ſupra ſoliditatem fidei ſanctam ſtabilire dignatus eſt eccleſiam, ſecundum illius veridicam vocem, dicentis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & tibi dabo claves regni cælorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, ligatum erit & in cælo: & quodcumque ſolveris ſuper terram, ſolutum erit & in cælo.* (Matth. 16.) Poſtquam & hujus vicarii ſinceriſſime Deo famulantes, carentes nebularum denſitatibus, tantam dignius perceperunt poteſtatem, & univerſi curam ſunt ſortiti regiminis: inter quos, & noſtram parvitatem Dei omnipotentis miſericordia connumerare dignata eſt. Ob hoc univerſitati credentium innoteſcere voluimus, quoniam abbatiam in honore celeberrimi Chriſti confeſſoris Ambroſii, necnon venerabilium martyrum Protaſii & Gervaſii conſtitutam, ubi eorum ſacra corpora reconduntur, per hujus noſtræ autoritatis privilegium integerrime corroboramus cum omnibus eccleſiis, oraculis, curtibus, maſſaritiis, diſtrictis, ad ipſam reſpicientibus: ſcilicet Biſiliano, monte Feliciano, Leveniano, Cereſola, Lemonta, Capiate, Oleoducto, Campilioni, Anticiaco, Colonia, Verederio, Cavenaco, Villa Alba, Cugniano, atque cum univerſis ad præfatam abbatiā ſpectantibus: eo ſcilicet ordine, ut monachi ipſius cœnobii ſimul cū abbate, qui nūc ſunt, vel qui pro tempore fuerint, prætaxatas eccleſias, oracula, curtes, maſſaritios, ſervos, ancillas, Aldiones, & Aldianas, ſine alicujus majoris, minoriſve perſonæ cōtradictione, habeant, teneant & poſſideant, atque in eorū uſum ac ſumptū, prout melius providerint, diſtribuant, noſtra apoſtolica autoritate concedentes. Si quis vero, quod non credimus, diabolico ſuaſu contra hujus noſtræ apoſtolicæ conceſſionis firmitatem in poſterum agere tentaverit, & prælibati monaſterii cœnobitas in aliquo, quod eis conceſſimus, inquietaverit; ſit anathema horrendum a trecentis decem & octo patribus, & ex conſenſu fraudis Iudæ, Ananiæque adæquetur flammis, & a Patre, Filio, ſanctoque Spiritu, necnon a beato apoſtolo Petro maledictus in præſens, & futurum, rei criminè aſtrictus ſemper maneat; atque a catholica eccleſia ſit eliminatus, donec prænominatæ abbatiæ monachos, eorumque patrem digna ſatisfactione placare ſtuduerit.

Datum IV. Kal. Maias, per manus Ioannis epiſcopi S. Albanenſis eccleſiæ, & bibliothecarii ſanctæ apoſtolicæ ſedis: anno, Deo propitio, pontificatus domni Gregorii ſummi pontificis, & univerſalis quinti papæ, in ſacratiſſima ſede beati Petri apoſtoli, ſecundo: imperante domno Ottone tertio, a Deo coronato, magno, & pacifico imperatore, anno II. in menſe, & Indict. ſupra ſcripta XI. Scriptum per manus Petri notarii & ſcriniarii S. R. E. in menſe Aprili, & indictione undecima. P. Bene valete.

IV. AD CONSTANTIAM * REGINAM GALLIARVM.

(* Roberti R. Franc. conjugem.)

(Ex Burcha do, lib. 11. c. 22. Et ex apographo Sirmondi quod deſcripſerat ex codice S. Sergii Andegav.)

Ut qui villas Iuliani epiſcopi prædati fuerant, & incenderant, eccleſiaſtica regiaque autoritate coerceantur.

CUM devotiſſimam dominam ſciam de cæleſti vita atque remedio animæ ſuæ ſedulo cogitare, culpam me committere vehementer exiſtimo, ſi ea quę pro timore omnipotentis Dei ſunt ſuggerenda, ſiluero; & te ſanctiſſimam de eccleſiaſtica pace ſedule non commonuero. Nimis me Iuliani fratris & coepiſcopi noſtri proclamatio nuper contriſtavit: maxime cum villæ ſuæ, videlicet eccleſiæ, a nequiſſimis prædonibus ſint deprædatæ, atq; nocturnis incendiis more furum combuſtæ: & dum iidem maligni juxta noſtri prædeceſſoris Bonifacii decreta, pro emunitate illud emendare noluerint: dum & ſæculi leges hæc eadem ita habere voluerint, lege vulgari teſte in qua ſic ſcribitur: Si quis manu armata uſque ad quatuor homines in vicum alterius ad malefaciendum venerit, ille qui prior eſt pro illicita præſumptione componat ſolidos DCCCC. Sequaces vero ejus, unuſquiſque ſolidos LXXX. Si vero ibi incendium fecerint, ſibi nonam componant, prædam vero in quadruplum reſtituant. Si ſæculi leges talem juſtitiam habere voluerint, lex divina cur inferior eſſe debebit? Cum in ipſius veritatis præſentia a Zacchæo conlaudatum ſit, ſi aliquem defraudaret, ut in quadruplum reſtitueret. Et quia ſummum in regibus bonum eſt juſtitiam colere, ac ſua cuique jura ſervare, & in ſubjectos non ſinere quod poteſtatis eſt fieri, ſed quod æquum eſt cuſtodiri; quod vos & diligere, & omnino confidimus ſtudere. Quapropter excellentiæ veſtræ menſe Novembri præſentis anni * II. Indict. Petrum fratrem & coepiſcopum a gremio ſanctæ Romanæ eccleſiæ tranſmittimus, ut fratribus ejuſdem provinciæ in unum congregatis, emunitas, & præſumptio, & ſacrilegium, canonica autoritate, & veſtra regia dignitate talem terminum accipiant, ne poſt hæc membra diaboli, filii nequam, in ſancta eccleſia te etiam ibi regnante talia præſumant.

(* Cor. XII.)

NOTA GABRIELIS COSSARTII.

Indictionis certiſſima, quam appoſui, emendatio eſt. Scripta eſt enim epiſtola menſe Novemb. ann. 998. quo anno Conſtantiam Robertus rex conjugem duxit. Neque enim ſcribi potuit, vel anno præcedenti, quo nondum regina erat Conſtantia; vel conſequenti, quo Gregorius Pontifex jam inde a Februario menſe obierat. Porro Novembri ann. 998. currebat eſt indictio XII. inchoata a Kal. Septembr. quod erat iis temporibus pontificiæ indictionis initium, immo & aliquamdiu poſtea fuit, ut ex Gregorii VII. epiſtolis apparet, ac nominatim lib. I ep. 19.

Non deſignat Gregorius, cujus urbis epiſcopus eſſet ille Iulianus. Andegavi forte, ſiquidem epiſtola hujus exemplum ex Andegavenſi codice deſcriptum eſt. Quod ſi ita eſt, addendus Iulianus Andegavenſium epiſcoporum catalogo. Neque locus ipſi deerit. Nam circa hæc tempora magnus hiatus eſt in Gallia Chriſtiana.

ANNO CHRISTI 996.

CONCILIVM ROMANVM, QVO CONSTITVTVM FVIT VT IMPERATOR deinceps a septem electoribus Germaniæ principibus eligatur. Habitum fuit anno domini DCCCCXCVI. tempore Gregorii papæ V.

SEVERINVS BINIVS.

Habitum fuisse hoc concilium probatur quinque assertionibus. Prima assertio.

HVjus concilii acta omnia interierunt: ob causam tamen in titulo allegatam hoc tempore habitam fuisse evidenter satis colligit reverendissimus & illustrissimus cardinalis Baronius ex quinque assertionibus. Quarum prima est: Res magni momenti non nisi consultis patribus, & collectis episcopis in synodo, fieri consueverunt. Hæc res quanti momenti sit, indicat magna illa cõtroversia, quæ hac de re inter catholicos & novatores hæreticos jamdiu agitata fuit. Nos enim jus eligendi regem Romanum pontifici Romano Gregorio V. vel X. acceptum ferimus: illi imperatori Ottoni, aut Friderico idem acceptum referunt.

Secunda assertio.

Secunda ejusdem assertio est, hoc tempore synodum Romæ celebratam fuisse, idque probat ex vita sancti Adelberti apud Surium his verbis: *Post hæc facta est synodus, & zelo juris ductus Moguntinus archiepiscopus antiquam cantilenam cantat, & episcopum sanctum a quiete monasterii ad relictos greges revocare instituit. Assensit papa Gregorius, & semel susceptum gregem non posse impune eum dimittere scripturæ sententiis affirmat. Velit nolit vir Dei, eat, inquiunt episcopi sedentes; aliter vinculis nectatur anathematis. At ille secretum petens, ad papam ait: Hostis quieti meæ invidet, qui vos suo stimulo instigat, ut eo me redire compellatis, ubi animarum fructum non faciam, detrimenta autem capiam animæ meæ immania: mitiga ærumnam meam, defectui meo remedium appone: tristi recessui meo da vel unum solatium: si audiunt oves meæ quam clamo vocem, vivens moriar cum eis: sin minus, pietas tua mihi succurrat, ut verba vitæ eis spernentibus, cum licentia tua vadam ad exteras & incultas gentes quæ nesciunt nomen Domini. Acquievit libens voluntati hominis Dei papa Gregorius, ut erat satis bonus, quantum permisit vaga juventus. Reliquit sanctus Adelbertus monasterium non sine magno planctu suo & fratrum, moleste ferens ruptam quietem, sed habens de illo martyrio spem vivam, cujus in suo pectore ardebat longum desiderium*, &c. Ista tunc in synodo. At hujus quoque concilii mentio habetur in vita sancti Burchardi VVormatiensis episcopi, ubi pariter dicitur interfuisse eidem concilio Franco tunc episcopus VVormatiensis, accepisseque ab eo tunc abbatiam, cujus investituram in eadem synodo recitatam tradit, eumque hoc anno esse defunctum.

Tertia assertio.

Tertia ejusdem assertio hæc est. Ottoni magno a Romano pontifice concessum fuit, ut sibi successorem deligeret: cæteri autem imperatores eo jure caruerunt. Probat eadem his verbis: Extat de his Leonis papæ octavi decretum ad Ottonem primum imperatorem datum, quod & recitant ipsi novatores, cũ inter alia ipse pontifex, quo pertrahat ipsum Imperatorẽ ad liberandam Romanam ecclesiã a tyrannis oppressam, concedit ipsi facultatem eligendi sibi successorem. Sunt hæc verba ab iisdem pariter recitata: *Nos quoque Leo servus servorum Dei, episcopi similiter cum cuncto clero & universo populo Romano, omnibus ordinibus hujus almæ urbis (sicut in ipsis conscriptis apparet) constituimus, confirmamus, corroboramus, & per nostram apostolicam autoritatem concedimus atque largimur domino Ottoni primo Teutonico regi, dilectissimo spirituali in Christo nostro filio, ejusque successoribus, hujus regni Italici in perpetuum tam sibi facultatem successorem eligendi*, &c.

Cent. 10. cap. 16. pag. 710. v. 9.

idque factum, ut autoritate diplomatis hujus, ipse sibi filiũ eligeret successorem, in regnum primo, inde in imperium promovendum. Ex præscripto igitur Romani pontificis factum videmus, ut non rex eligeretur ab electoribus, sed ipsi imperatores primus & secundus Otto, successores regni in imperium promovendos filios nominaverint. Otto autem tertius, quod prole caruerit, per pontificem Gregorium aliter imperio consulendum putavit, nempe ut electoribus principibus id concederetur ab ipso.

Quarta assertio.

Quarta assertio, quam ad acta concilii investiganda affirmat, & probat, ista est. Est firma, & in omnibus constans assertio, sicut imperium autoritate Romani pontificis ex oriente in occidentem translatum est, ita jus eligendi imperatorem Germanis concessum, vel dixerimus regem in imperatorem promovendum, ab eorũdem Romanorum pontificum autoritate, & concessione manasse. Accipe quæ de his Innocentius tertius papa scripserit ad ducem Caringiæ sive Turingiæ: *Illis principibus jus, & potestatem eligendi regem, in imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus, ut debemus: ad quos de jure antiqua consuetudine noscitur pertinere, præsertim cum ad eos ius & potestas hujusmodi ab apostolica sede pervenerit, quæ Romanum imperium in personam magnifici Caroli a Græcis transtulit in Germanos.* hæc Innocentius. In concilio Viennensi eadem Clemens quintus his verbis: *Romani principes orthodoxæ fidei professores, sanctam Romanam ecclesiam, cujus caput est Christus redemptor noster, ac Romanum pontificem ejusdem redemptoris vicarium, fervore fidei, & claræ devotionis promptitudine venerantes, eidem Romano pontifici, a quo approbationem personæ ad imperialis promptitudinis apicem assumendæ, necnon unctionem, consecrationem, & imperii coronam accipiunt, ut sua submitterent capita, non reputarunt indignum, seque illi, & eidem ecclesiæ, quæ a Græcis imperium transtulit in Germanos, & a qua ad certos eorum principes ius, & potestas eligendi regem in imperatorem promovendum pervenit, astringere vinculo juramenti*, &c. id quidem adeo sine contradictione a majoribus receptum est, ut semper ipsi electores & imperatores ab eis electi, ingenue hoc ipsum professi sint, intellexerintque pariter ejus esse facultatis qui dedit, & auferre pariter, cum viderit expediens esse reipublicæ Christianæ: quod & cætera exempla demonstrant.

Extra de elect. c. venerabilem 34.

Clement. de jurejur. cap. 1.

Quinta assertio.

Quinta ejusdem assertio hæc est. Facultas eligendi imperatorem concessa est electoribus non ab alio quam a Gregorio papa V. Quod ut probet, ista præmittit: Sane quidem dum Otto Romæ fuit, tractasse inter alia quæ ad regni jura pertinent Sigebertus affirmat. Si concilii Romani, de quo agimus, monumenta extarent, nobis haud laborandum esset in perquirendo qualis fuerit ista ab ipso pontifice iisdem electoribus tributa concessio: num scilicet ipsa fuerit omnibus Germaniæ principibus generatim collata, an tantum sex vel septem certis nominatisque expressis principibus (ut nunc sunt) ecclesiasticis atque laicis exhibita. Certe quidem revocandum non est in dubitationem, generalem saltem concessam Germaniæ principibus omnibus eamdem facultatem eligendi regem in imperium promovendum. Etenim id omnino asserere, etiamsi alia quæque testimonia deessent, facta ipsa non modo suadent, sed cogunt. Cum enim, ut audisti, concessum fuerit a Leone VIII. Ottoni primo ejusque successoribus, successores eligere reges in imperium promovendos, & ab eis factum usque ad tertium Ottonem constet, & post ipsum numquam id tentatum ab ipsis fuisse inveniatur: plane dicendum est,

Sigebertus anno 1002.

ANNO CHRISTI 996.

est, eam facultatem demptam fuisse imperatoribus ipsis penitus, & Germaniæ collatam principibus, nec ab alio quam a Romano pontifice; cujus dumtaxat id esset autoritatis, quod, ut nuper audisti, electores, & electi imperatores publicis scriptis ingenue sunt professi.

His præmissis, quintam assertionem ita probat. Ut autem non ab alio quam ab ipso Gregorio id factum sit, multa sunt quæ nos id affirmare cogunt. Atque in primis, quem diximus, ipse rei usus, cum post ipsum Gregorium Ottone imperatore defuncto, non amplius per imperatores, sed per electores principes, constet fuisse successores electos, quod scriptores omnes affirmant, & quævis vetera monumenta testantur: speciatim vero complures autores, qui suorum temporum res scripserunt, id absque controversia aliqua asserunt; quod & ipsi etiam refractarii novatores, ut dictum est, profitentur.

Ista autem decernendi Gregorio ipse Otto imperator fuisse autor videri potest. Cum enim absque liberis esset, & spes omnis dempta, ut in filium, quod fecerunt prædecessores, transferret imperium: ne post ejus obitum inter omnes sibi consanguinitate, & affinitate conjunctos, & alios æmulos ejusdem honoris principes, exoriri possent bella civilia, quibus idem conflagrans perderetur imperium: in electores eam refundendam potestatem autoritate pontificia consultius existimavit. Et quod videret æmulos gloriæ Germanorum Francos, explosis Carolinis ignominiæ nomine sugillatos, novos eosdemque pugnacissimos habere cœpisse ex alia linea reges: ne illis imperium pariter affectandi, & ad Francos, e quibus in Germanos fluxerat, revocandi aliqua quærentibus pateret occasio, bene consultum rebus Germanorum putavit, si apostolica autoritate firmaret, ut iidem tantum essent Germani, quibus facultas esset creandi regem, quem idem Romanus pontifex promoveret in imperatorem: ita tamen, quod si causa aliqua esset id negandi, libere facere posset, nec aliquo necessitatis nexu, quem ipsi elegissent in regem, compelleretur probare atque ungere imperatorem. Nam audi Innocentium tertium idipsum electoribus his verbis insinuantem: *Sed & principes recognoscere debent, & utique recognoscant, sicut iidem in nostra recognovere præsentia, quod ius & autoritas examinandi personam electam in regem, & promovendam ad imperium, ad nos spectat, qui eum inungimus, & coronamus. Est enim regulariter, & generaliter observatum, ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat. Numquid enim si principes non solum in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcumque vel excommunicatum, in regem, tyrannum, vel fatuum hæreticum eligerent, aut paganum, nos inungere, consecrare, ac coronare hominē huiusmodi deberemus? Absit omnino.* Hæc Innocentius. Porro quis non intelligat, quod si personam electam in imperatorem assumendam ex causa ipse potest rejicere pontifex, multo magis ipsos electores ab electione repellere potest ex causa: præsertim vero si inquinatus sit hæresi, in qua nec recipiendus, sed spernendus ab eo esset imperator electus? Porro non sic jus eligendi in alios transtulit Romanus pontifex, ut illud apud se noluerit remansisse, & cum opus fuerit, & necessitas exegerit, eo pro arbitrio uti posset, hunc recipiendo, abjiciendo autem illum, prout opportunitas postularet. Nam audi quid dicat Glaber Rodulphus, horum temporum probatus scriptor, qui ab hoc tempore usque ad millesimum quadragesimumquintum historiam scripserit ad sanctum Odilonem abbatem suum. *Illud*, inquit, *nihilominus nimium condecens, & perhonestum videtur, atque ad pacis tutelam optimum decretum, scilicet, ut ne quisquam audacter Romani imperii sceptrum præproperus gestare princeps appetat, seu imperator dici, aut esse valeat, nisi quem papa sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum reipublicæ, eique commiserit insigne imperiale.* Hæc ipse, haud ignorans, quæ assidue ante ejus oculos versabantur, per principes imperii feudatarios eligi qui esset in imperium promovendus, probe noscens summam rerum penes pontificem esse; ut probaret, vel non probaret quem elegissent qui jus habuerant eligendi.

Extra. de elect. c. Venerabilem.

Glab. hist. libro 1 c. 5.

Cum ergo ex his manifestum sit, hanc rem tanti momenti Romæ in præsentia Ottonis tertii imperatoris a Gregorio quinto constitutam fuisse: sine dubio ea de re actum fuisse oportet in illo, quod eodem tempore Dei providentia celebrabatur, Romæ concilio in causa Adalberti Pragensis, & Burchardi VVormatiensis episcopi.

De septem electorum origine & institutione, illud ibidem subjungit Baronius: Reperitur magnopere controversum, & prolixa disceptatione agitatum, num septem tantum electorum selectio, & electio, qui Romanorum regem crearent, fuerit ejusdem Gregorii papæ quinti institutio, vel alterius Romanorum pontificum. Hujus rei occasione, scimus Panuinium commentarium de comitiis imperatoriis elaborasse: quo nihil aliud probare nititur, quam septem electores non a Gregorio quinto institutos fuisse, sed a Gregorio ejusdem nominis decimo, nullum alium habens suæ sententiæ quem sequatur autorem, nisi infectam hæresis scabie bestiam, quem indigne nimis ipse homo catholicus pectine scalpit eburneo, dum eum prædicat virum esse disertum. Quem si cominus inspexisset lucerna Cleanthis, eum potius sicut pietate, ita & doctrina intellexisset omnino desertum, nullo autem modo disertum: ut cum ex multis aliis, tum ex ipso in quo sequitur eum quem laudat, & in quo laudat errantem, intelliges. Quos ambos turpiter errantes egregie corrigit, quem jure laudavimus, Bellarminus vere doctissimus, ostendens (quod ipsos latuit) complures, eosdemque fide integros, scripsisse ante Gregorium decimum autores de septem electoribus jam antea constitutis, adeo ut nequaquam vel fingi potuerit eosdem ab ipso Gregorio decimo originem ducere, quorum ante ejus pontificatum fieret mentio a diversis ejusdem temporis claris autoribus.

De septem electorum origine, & institutione.

Avētinum autor intelligit, qui libro 5 annalium Boiorum id asserit.

Bellarminus de trāslatione Romani imperii lib. 3.

Explosis igitur novatorum falsis opinationibus, repudiatisque novitatibus eorumdem, nec sic definita remanet quæstio, ut factum a Gregorio V. affirmare possimus, quod a Gregorio X. institui potuisse negatur. Siquidem etsi in controversiam revocari non potest, ut dictum est, id quod tributum fuerat a Romano pontifice Ottonibus imperatoribus eligere successores, per Gregorium V. transfusum ad Germaniæ principes: haud tamen adeo liquet, per ipsum fuisse electores ipsos numero senario, vel septenario definitos; sed & si factum fuerit, constare tamen nequaquam id fuisse usu receptum. De his ergo modo nobis agendum, ac demum a quo potissimum Romano pontifice id primum invenerimus institutum, in medium adducendum.

De numero electorum.

Sane quidem nemo jure inficias ire poterit, post tertii Ottonis imperatoris obitum, ducentis & amplius annis, quotquot electi fuerunt Romanorum reges, imperatores designati, eosdem non septem

Feudatarii imperii iidem electores.

ptem dumtaxat electorum, sed omnium principum Germanorum qui ad comitia convenissent suffragiis fuisse ad regium culmen electos. Quod præterquam singulorum promotiones perspicue satis edocent, ut dubitationi nullus possit locus esse relictus: quæ adhuc extant de ipsis promovendis literæ diversorum pontificum Romanorum ad Germaniæ principes datæ, & inter alias, quas Gregorius scribit ad omnes episcopos, duces atque comites Teutonicos, de novi regis electione facienda, si Henricus in synodo excommunicatus non resipisceret, ostendens illorum omnium jus esse par in eligendo rege in imperium promovendo. Ita etiam perseverasse tempore Innocentii papæ tertii, anno redemptoris millesimo ducentesimo, cum mortuo Henrico sexto imperatore principes Germaniæ scissi sunt inter se, eligentibus aliis Ottonem quartum, aliis vero Philippum, literæ ambarum partium ad Innocentium papam datæ significant: quibus manifeste apparet, non penes septem tantum fuisse jus eligendi, sed penes omnes tam ecclesiasticos quam laicos feudatarios imperatoris in utraque Germania principes. Extat scriptus tunc codex omnium illarum epistolarum, quæ in ea causa ultro citroque datæ fuere, asservaturque in archivo apostolicæ sedis in castello sancti Angeli in Urbe: nimirum literæ Balduini comitis Flandriæ unius ex electoribus; aliæ comitis Daburgensis, & Metensis eodem munere perfungentis; Adolphi archiepiscopi Coloniensis, & aliorum qui elegerunt Ottonem: quæ cum non sint adeo prolixæ, hic exempli causa recitandas esse haud duximus otiosum. Sic se habent.

Gregorius VII. libro 4 epist. 3.

Eod. cod. epist. Innocentii papæ epist. 7. Eod. cod epist. 8. Eod. cod epist. 9 Eod. cod. epist. 10.

Sanctissimo patri, ac domino, Innocentio sacrosanctæ Romanæ sedis summo pontifici, principes, & barones Alemanniæ, clerici, & laici, debitam in Christo reverentiam, & sinceritatem obsequii.

CUM placuisset ei qui aufert spiritum principum, & magnus & terribilis est super reges terræ, dominum Henricum imperatorem de medio auferre: necessarium nobis fuit visum, de substituendo rege tractatum, & colloquium habere. Convenimus ergo sæpius, & miserias, & oppressiones, quas hactenus sustinueramus, recensentes, per universos regni ...... animos nostros ereximus, & quid honori ecclesiæ Dei, & paci ac quieti subjectorum expediret, deliberantes, nunc unum, nũc alium, quasi finaliter eligere putabamus. Verum quia non est prudentia, non est potẽtia, non est consilium, nisi per Deum: placuit ei qui Abrahæ filium immolare volenti victimam providit, & David fratribus juniorem de post fetantes accepit, atque Matthiam ex discipulorũ numero ad sortem apostolatus elegit, serenissimum dominum nostrum Ottonem quondam Henrici ducis Saxoniæ filium, ad regimen Romani imperii de terra peregrinationis suæ ex inopinato offerre nobis. Invocata itaque sancti Spiritus gratia, prædictum dominum Ottonem, Christianæ fidei cultorem devotissimum, atque sanctæ Romanæ ecclesiæ advocatum, & defensorem fidelissimum, & judiciariæ potestatis observatorem justissimum, de longa, & antiqua regum prosapia ex utraque linea specialiter editum, ad Romani regni fastigium juste, & rationabiliter elegimus; &, sicut debuimus, ipsius electioni cõsensimus, ipsumque in Augustorum sede a Carolo magno apud Aquisgranum huic dignitati deputata locavimus, & corona, & regni diademate, per manum domini Adolphi Coloniensis archiepiscopi, ea qua decuit solennitate, feliciter coronavimus.

Nos autem principes, qui jam dictum dominum in regem elegimus, feuda nostra quæ ab imperio tenemus, a manu ipsius recipientes, hominium sibi fecimus, & fidelitatem juravimus. Tantæ igitur dignitatis munus excellentissimus princeps divinæ potius gratiæ quam suis meritis adscribens, primitias hujus honoris afferens domino, propria voluntate juramento firmavit in primis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, deinde omnia ecclesiarum jura bona fide servare, & manutenere, & subjectos imperii, exheredatos maxime, & a suis possessionibus violenter ejectos, in sua justitia pro posse juvare, & conservare. Pravam illam consuetudinem insuper, quam imperatores antecessores sui in occupandis rebus mobilibus vel se moventibus decedentium episcoporum vel abbatum principum hucusque servaverunt, penitus extirpans, nos ecclesiasticos principes ex hac indebita vexatione, regali benevolentia, liberos dimisit, & decedentium bona suis successoribus servanda liberaliter statuit.

Paternitati ergo vestræ dignum supplicare duximus, quatenus fidem, & devotionem domini nostri regis attendentes, merita quoque illustrissimi patris sui Henrici ducis Saxoniæ, qui ab obsequio sanctæ Romanæ ecclesiæ numquam recessit, memoriter tenentes, paci, & quieti nostræ, & vestræ, intuitu Dei ac nostri obsequii, providentes, ipsius electionem, & consecrationem, autoritate vestra confirmare, & imperiali coronatione armare, paterna pietate dignemini. Sanctitatem insuper vestram obnixe rogamus, quatenus principes, & barones, a tam rationabili electione discordes, ecclesiastica censura ad concordiam revocetis, & ab illicita fidelitate partis adversæ clave sancti Petri resolutos, ad præstandam regi domino nostro fidelitatem & subjectionem autoritate vestra compellatis. Ut autem a domino rege nostro jura Romanæ ecclesiæ, ut prædictum est, integra & illibata serventur, nos in bona fide spondemus, & pro domino rege nostro fidejubemus.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Adolphus Coloniensis archiepiscopus elegi, & subscripsi.

Ego Berardus Paderbornensis episcopus elegi, & subscripsi.

Ego Thietmarus Mindensis episcopus elegi, & subscripsi.

Ego VVitichindus Condeiensis abbas elegi, & subscripsi.

Ego Gerardus Tudensis abbas elegi, & subscripsi.

Ego Eribertus VVerdensis abbas elegi, & subscripsi.

Ego Henricus dux Lotharingiæ, qui & Brabantiæ, marchio Romani imperii, elegi, & subscripsi.

Ego Henricus comes de Kuke consensi, & subscripsi.

Porro hos omnes legitimos fuisse electores, ipse Innocentius papa suis est sæpe literis testatus, ad Germaniæ episcopos & principes datis, eodem codice comprehensis. Sed neque adversarii ipsi negarunt hos legitimos fuisse imperii electores, sed tantum fuisse numero pauciores objecere, eosdemque auro corruptos ab Anglorum rege eidem nepoti suo Ottoni favente.

Sed ut scias reliquos electores Philippo Sueviæ duci studuisse, quem in regem elegerunt, ex titulo literarum earumdem ad Innocentium papam tunc scriptarum sic accipe:

Reve-

ANNO CHRISTI 996.

Reverendo in Christo patri domino Innocentio, sanctæ Romanæ ecclesiæ pontifici, Germaniarum principes & magnates, in Christo filii, Magdeburgensis archiepiscopus, Trevirensis archiepiscopus, Bisuntinæ sedis archiepiscopus, Ratisponensis episcopus, Frisingensis episcopus, Augustanus episcopus, Constantiensis episcopus, Eistetensis episcopus, VVormatiensis episcopus, Spirensis episcopus, Brixiensis electus, Hildesheimensis episcopus, imperialis aulæ cancellarius, abbas Fuldensis, abbas Hesvvoldensis, abbas de Tergente, abbas Ebuvacensis, item rex Bohemiæ, dux Saxoniæ, dux Bavvariæ, dux Austriæ, dux Moraviæ, marchio de Ruvesperg, aliique Alemanniæ nobiles.

MAGNITUDINI vestræ duximus declarandum, quod mortuo inclyto domino nostro Henrico Romano imperatore Augusto, collecta multitudine principum, illustrem dominum nostrum Philippum in imperatorem Romani solii rite, & solenniter elegimus, *&c.*

In fine autem numerantur, & alii principes absentes, qui per literas consensum præstiterunt. Incipit epistola: *Existimare non valet ratio*, &c. & ista est ad quam respondet Innocentius illa quæ habetur descripta in capitulo *Venerabilem*. Ex quibus redarguas Ostiensem, dum interpretans decretalem illam, hos, quos ipse papa redarguit, existimavit fuisse illos septem vulgatos ore omnium electores. Nam ex his perspicue intelligimus, quam procul absit ut temporibus Innocentii papæ tertii septem tantummodo fuerint electores, cum liqueat ex dictis epistolis, omnes imperii feudatarios ecclesiasticos, archiepiscopos, episcopos, & abbates, & sæculares principes, duces, marchiones, comites, & barones, legitimos esse habitos electores Romanorum regis, designati imperatoris. Sed neque id mutatum reperitur, cum anno millesimo ducentesimo duodevigesimo post Ottonem Fridericus II. creatus est Cæsar, ut apparet ex comitiis tunc ea causa habitis. Hæc cum ita luce meridiana perspicua habeantur, attamen non usque ad Gregorium decimum fuit septem electorum dilata creatio; quæ a quonam Romano pontifice fuerit primitus decreta, & ubi locorum, qui electi fuerint, certo certius ex synodalibus actis in promptu est demonstrare, ut ea tuto affirmare possimus. Et ne de impostura, vel levis suspicio possit oriri, ipsos etiam sanctæ ecclesiæ Romanæ hostes accerrimos, & implacabiles, suis libris asserentes, & in medium afferentes, & aliud licet agentes, id tamen ingenue profitentes, adhibebimus testes: quorum alter suis temporibus res gestas conscripsit, & ex epistolis Romanorum pontificum, imperatorum, regum, aliorumque principum, necnon ex conciliorum actis aliisque publicis monumentis ex integro recitatis, historiam texuit; alter vero ex recentioribus hujus temporis novatoribus, qui in odium quo flagraret adversus Romanam ecclesiam, illum e latebris erutum edidit commentarium. Hæc autem ut exacte percipias attende.

Vixit temporibus illis Matthæus Parisiensis monachus S. Albani in Anglia, qui Anglicanam historiam aggressus est scribere ab anno Redemptoris millesimo sexagesimo sexto, perduxitque eam usque ad annum millesimum ducentesimum quinquagesimum, ut in fine ipse testatur his verbis: *Hic terminatur fratris Matthæi Parisiensis monachi sancti Albani chronica, quæ pro utilitate posteritatis subsecuturæ, Dei amore, & beati Albani Anglorum protomartyris honore, ne memoriam eventuum modernorum vetustas aut oblivio deleat, literis commendavit.* His vero mox subjicit versus istos:

Virginis a partu jam mille volumina Phœbus
Cum bis centenis, & quinquaginta peregit
Annua; sed visum non est sub tempore tanto
Aprilis sexto fuerit quod pascha Kalendas,
Dum quinquagenus orbem percurreret annus.
Hoc tamen evenit anno cui terminus hic est.

Addit vero: *Fluxerunt utique ab incarnatione domini viginti & quinque annorum quinquagenæ*, &c. Hæc ad tempora autoris cognoscenda, quibus vixit & scripsit, dicta sunto. Qui suis scriptis quam fuerit animo infensissimo in apostolicam sedem, juxta illud, *loquela tua manifestum te facit*, quivis facile poterit intelligere (nisi probra illa fuerint additamenta potius ejus qui edidit novatoris hæretici hominis, cum peculiare sit illis, libros quos potuerint depravare) dum nulla in eo libro prætermittitur occasio carpendi Romanos pontifices: immo & sine occasione, omnia ipsorum facta in deteriorem accipiens partem, cordis secreta rimans, & in malum sensum semper interpretans, in eos eorumque ministros acerbissime invehitur semper, nec parcit umquam: ut plane de illo sit jure meritoque dicendum: *Malus homo de thesauro suo profert mala*: cum & secundum illud dictum Salvatoris acciderit ipsi: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit*: dum etiam quæque sancta, quæque justa ac pia in pravum sensum accipiens, sugillat pariter, & infamat. Sed quid accidit? cum liber iste, indignus luce a majoribus judicatus, occultatus lateret in angulo, his ipsis temporibus nostris, magno præconio tamquam prævia face, emersit in lucem, novatoris opera editus Londini in Anglia, anno redemptoris millesimo quingentesimo septuagesimo primo. A quo libro si quis demat invectivas, dicacitates, & blasphemias in apostolicam sedem frequenter iteratas, aureum sane dixerit commentarium, utpote quod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis, ut dictum est, egregie contextum, & coagmentatum inveniatur.

In quo quidem, inter alia nobilia monumenta, habentur acta concilii Lugdunensis œcumenici, cui interfuerunt in primis ipse qui indixit Innocentius papa IV. anno redemptoris millesimo quadragesimoquinto, simulque duo patriarchæ orientales, Constantinopolitanus videlicet, & Antiochenus: suamque præsentiam eidem exhibuit imperator Constantinopolitanus, præter alios principes, regumque legatos, post præsides diversarum ecclesiarum. In eo autem post excommunicationis sententiam promulgatam ab ipso pontifice in Fridericum imperatorem, post tractationem eorum quæ spectant ad expeditionem in subsidium terræ sanctæ, complura alia ad statum ecclesiæ bene disponendum constituta sunt: & inter alia titulus est additus de electionibus, ob litium decisionem: in eoque simul septem definiti ab eodem pontifice electores imperatorum leguntur:

ELECTORES IMPERATORUM.

LAICI: *Dux Austriæ. Dux Bavvariæ. Dux Saxonum. Dux Brabantiæ, qui & Lovaniæ.*

PRÆLATI: *Archiepiscopus Coloniensis. Archiepisc. Moguntinus. Salzburgensis.* — PRINCIPALES.

Sequun-

Marginalia: Vene[rabilem] ... de ... | [Ser]ia fides tempore creati septem electores. | Matth. 12. (for *loquela tua*, printed "Matth. 26.") | Matth. 12. | Matth. 6. | De concilio œcumenico sub Innocentio papa IV. | Septem primitus instituti electores.

Sequuntur hæc: *Isti ducentur in insulam quamdam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amovebuntur omnes naviculæ, & ibi tractabunt de electione imperatoris. Nec adveniat aliquis ad eos, donec sint concordes. Huic negotio præerit archiepiscopus Coloniensis, secundus Moguntinus, tertius Salzburgensis.*

Hæc de electoribus septenario numero definitis. Stetit numerus conscriptus, perseveravitque in futurum: personæ autem quatuor mutatæ, nempe ut pro Saltzburgensi positus fuerit archiepiscopus Trevirensis; proque tribus illis ducibus, Austriæ, Bavvariæ, atque Brabantiæ, fuerint subrogati, comes palatinus Rheni, marchio Brandeburgensis, atque rex Bohemiæ, qui potius locum teneret definitoris, si discrepent electores, quam unius ex electoribus ipsis.

A quonam autem, retento electorum septenario numero, facta fuerit ista mutatio, num ab eodem Innocentio, vel alio aliquo ex successoribus ejus, hoc fatemur nos latere. Ex conventione autem Germaniæ principum id esse sancitum, qui sui temporis chronicon scripsit, perduxitque usque ad annum ducentesimum quinquagesimum sextum, post indictum sub Innocentio IV. concilium Lugdunense annos undecim, Albertus abbas Stadensis, quod haud pridem Helmæstadii cusum est, anno domini 1587. hæc habet: *Ex prætaxatione principum, & consensu eligunt imperatorem, Trevirensis, Moguntinus, & Coloniensis.* & de sæcularibus: *Palatinus eligit* (inquit) *quia dapifer est; dux Saxoniæ, quia marscalcus; & margravius de Brandenburg, quia camerarius: rex Bohemiæ, qui pincerna est, non eligit, quia non est Teutonicus.* Hæc ipse.

Ex quibus illud in primis intelligere possumus, id ipsis exposcentibus principibus simul consentientibus, (nam hoc est illud quod ait *ex prætaxatione principum, & consensu*) vel ab ipso Innocentio IV. post Lugdunense concilium factum esse, vel sub ejus successore Alexandro IV. cujus annus secundus incidit in annum redemptoris 1256. ad quem dictus autor suum perduxit chronicon, & non ab ipsis principibus sua sponte. Nam cujus fuit de septem electoribus legem contendere, non alterius quam ipsius esse potuit eam aliquo modo mutare, vel quomodolibet moderari.

Elicitur etiam ex dicta Alberti assertione, ipsum regem Bohemiæ nondum in electorem vel definitorem inter electores ad numerum septenarium cooptatum fuisse, ante scilicet dictum annum quinquagesimum sextum post millesimum ducentesimum, quo ea ipse scribebat. Quod vero qui ab Innocentio electi principes electores, dux Austriæ, dux Bavvariæ, & dux Brabantiæ, cesserint aliis: inde provenisse videri potest, quod magis cuperent eligi, quam eligere imperatores; sicque inter eligendos potius quam inter electores locum habere maluerint.

Porro ante hæc tempora nullum historicorum invenire est, qui vel nomine tenus septem electorum meminerit. Qui primus horum meminisse reperitur Martinus Polonus, qui claruit eodem Innocentio papa IV. in Ottone III. de istis agit his verbis: *Et licet isti tres Ottones per successionem generis regnarint, tamen postea fuit institutum, ut per officiales imperii imperator eligeretur, qui sunt septem, videlicet primi tres cancellarii, Moguntinus Germaniæ, Trevirensis Galliæ, Coloniensis Italiæ; marchio Brandeburgensis camerarius est, palatinus dapifer, dux Saxoniæ ensem portat, rex Bohemus pincernam agit. Unde versus:*

A

Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis,
Quilibet imperii fit cancellarius horum.
Est palatinus dapifer, dux portitor ensis,
Marchio præpositus cameræ, pincerna Bohemus:
Hi statuunt dominum cunctis per sæcula summum.

ANNO CHRISTI 996.

Hæc Martinus, primus omnium autor qui septem meminit electorum, in Ottone III. referens quæ postea suo tempore facta essent. Unde irrepsit error, ut sub Ottone III. sub quo id ab eo scriptum invenerunt, multi putaverint septem fuisse creatos electores, scripserintque a Gregorio factum, quod scriptum repererunt sub eodem Gregorio papa V. nimirum ab ipso eosdem septem constitutos fuisse electores. Cum tamen illud quod Martinus ait: *Tamen postea fuit institutum, ut per officiales imperii*, &c. ad sua ipsius Martini tempora, ut audisti, sit referendum. Et cum non alius quam Martinus, ut dictum est, ut primus autor hujus assertionis habeatur (nullus enim, quod repetendum est, ante eum repertus est autor qui vel nomine tenus septem electorum meminerit) ad ipsum allusisse oportuit sanctum Thomam, dum de regimine principum scribens hæc obiter ait: *Otto imperium tenuit usque ad tertiam generationem, quorum quilibet vocatus est Otto. Et tunc, ut historici tradunt, per Gregorium V. genere similiter Teutonicum provisa est electio, ut videlicet per septem principes Alemanniæ fiat, quæ usque ad ista tempora perseverat, quod est spatium ducentorum septuaginta annorum vel circiter: & tantum durabit, quantum Romana ecclesia, quæ supremum gradum in principatu tenet, Christi fidelibus expediens judicaverit.* Hæc sanctus Thomas: qui cum numeret ducentos septuaginta vel circiter annos a Gregorio V. utique ad ultima tempora ejusdem sancti doctoris ea est scriptio referenda, cum ipse obiisse dicatur anno septuagesimo quinto post millesimum atque ducentesimum annum.

B

Thom. de reg. prin. lib. 3. c. 19.

C

Cæterum etsi Martini historia hæc excedat tempora, ut quæ perveniat usque ad annos redemptoris mille ducentos septuaginta sex, eam prius editam, annuis accessionibus, dum vixit, auctam possumus existimare. Cum igitur sanctus doctor his quæ asserit de septem electoribus citet historias, nec aliæ usquam sint inventæ quæ septem electorum meminerint, nisi Martini in Ottone III. ipse eum secutus, quod ipsum sensisse putavit, bona fide conscripsit, sicut & cæteri postea eadem scribentes fecisse noscuntur. Verum non dixit Martinus: Post Ottonem id fuit observatum, sed sic: *Postea fuit institutum, ut per officiales imperii*, &c. Quando autem acciderit illud, *postea*, certe non ante Innocentium IV. ut est demonstratum. Verum amphibologia Martini scriptores illos omnes fecit errare, qui constitutionem septem electorum Gregorio V. tribuerunt, qui tantum autor reperitur fuisse, ut electio regis in imperatorem promovendi, ut superius dictum est, ad omnes Germaniæ principes, & prælatos imperii feudatarios pertineret. At hæc his satis qui puram diligunt veritatem. *Hæc Baronius anno 996. numero 54. & sequentibus.*

D

E

CONCILIUM RAVENNATENSE, A GERBERTO ARCHIEPISCOPO HABITUM anno DCCCCXCVII. de multis ad disciplinam ecclesiasticam spectantibus.

ANNO CHRISTI 997.

PERPETUO regnante domino nostro Iesu Christo. Tempore pii Cæsaris Ottonis III. in anno secundo imperii ejus, undecima indictione sub imagine

NNO RISTI 997.

imagine Salvatoris, infra valvas majoris ecclesiæ Ravennatensis, Gerbertus ejusdem ecclesiæ præsul residens cum pluribus episcopis, & presbyteris ecclesiæ memoratæ, astantibus diaconibus, & cuncto clero, dixit.

I.

In sancta ac Ravennate ecclesia, cui divina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis orta, ut subdiaconus corpus domini, quod formatum appellant, tempore consecrationis episcoporum, ipsis vendant episcopis, & chrisma vendant archipresbyteris annualiter parochiæ vestræ. In quibus apparet venditio filii Dei, & venditio Spiritus sancti. Qua de re præsenti decreto constituo, ut in hac sede, & in his omnibus quæ ad nos pertinent, ulterius minus fiat. Quod omnes statuentes laudarunt, & dixit: Si quis autem contra hoc decretum ausus fuerit attentare, anathema sit, & responderunt omnes, Amen.

II.

Statuimus etiam, ut annualiter in festo sancti Vitalis omnes archipresbyteri ad nos pertinentes, pro respectu sedis, subdiaconis nostris annualem censum persolvant solidos duos, & quicumque concesserit censualiter, sentiat ultionem, arbitrio primorum hujus ecclesiæ. Et ab omnibus est laudatum.

III.

Et quamvis antiquitus sit statutum, ut nemo episcoporum, alterius clericum, sine eo mandante literis recipiat, aut ecclesiam* in alterius diœcesi, vel per acceptam, sive promissam pecuniam. Sed neque illum*, quem probabilem ad officium non inveniat, aut immatura ætas, vel crimen excludit. Nec illum, quem inscitia coerceat, vel leges infamia damnent, aut debilitas, vel imminutio membrorum cohibeat, seu quem abjecta officia, vel ministeria deformia notant, vel quem turpis lucri cupiditas abjicit, vel contra leges prohibitio: neque ullum eorum, quos neophytos dicunt, bigamos, curiales, vel laicos, vel eorum, qui in canonibus, & legibus cohibentur. Vnde competere non ambigimus, ut presenti concilio, priscorum patrum sanctiones firmantes teneamus, ut nemo nostrum ecclesiam, vel aliquando oratorium, in alterius diœcesi dedicare attentet, sine permissu, & consensu episcopi, ad quem pertinet ipsa diœcesis: neque alterius diœcesentes, vel parochianos recipere, aut promovere, seu retinere præsumat, sine canonicis epistolis, quas Nicæna synodus apud Bithyniam congregata, sancivit Latino more recitari formatas: & ut nullus sacris* permittat ordinibus, nisi quem ætas, vita, doctrina, mores, autoritas canonica commendat atque legalis. Vt autem hæc sanctio per omnia firmior teneat, & ut hoc indignis non concedatur, sub anathematis obligatione nosmetipsos constringimus, & successores nostros episcopos, qui contra hæc decreta præsumpserint. Et si quis sacri ordinis de sepultura mortuorum aliquid acceperit, nisi forte quæ sponte ab amicis, vel propinquis mortuorum ecclesiæ fuerint collata, hac maledictione teneantur obnoxii.

deest icet.

deest mo- t.

Et laudaverunt omnes pariter acclamantes placere sibi, ac dicẽtes clamaverũt: Fiat, fiat.

Promulgata sunt hæc anno 997. incarnationis dominicæ, die Kalend. Maiarum indict. II. sub clementissimo imperio memorati principis Ottonis, siquidem tertii: & subscribentes confirmaverunt episcopi qui intererant, & presbyteri cardinales ecclesiæ Ravenn.

G. A. R.
Vbertus Liviensis.
Albardus Sarsinas.
Ioannes Bononiensis.
Raimbaldus Corneliensis.
Hildeprandus Faventinus.
Georgius Comaclensis.
Georgius Cæsenas.
Leo Ficodensis.
Teupertus Pupiliensis.
Christophorus, & Guinizo, Nuncii sanctæ Parmensis ecclesiæ.
Ioannes, & Ioannes, & Vannius presbyteri.
Anastasius, & Deus dedit, Paulus, & Leo.

NOTA GABRIELIS COSSARTII.

Huic synodo interfuisse Otton Imp ait Rubeus hist. lib. v. sed ex his actis, falsi convincitur. Quam vero refert Rivesius in historia conciliorum synodum Ravennæ hoc ipso anno habitam, Gerberto præside, in qua Hugonem abbatem Farfensem, inique & Simoniace ingressum, pœnitentiam egisse ait; & Arnulfo Mediolanensi *Papatum ablatum*: nullum ejus apparet hoc an. vestigium: at neque tunc Arnulfus ullus erat Mediolanensis archiepiscopus, cui *Papatus auferretur*. Nam Arnulphus primus obiit anno 975. Arnulfus vero secundus anno tantum 999. archiepiscopatum iniit. *Vide Ottonis Constitutionem, post aliquot paginas.*

ANNO CHRISTI 997.

** CONCILIVM TICINENSE, a Gregorio papa V. habitum anno DCCCCXCVII. in quo Crescentius excommunicatus.

Ita de hac synodo chronicon Hildensheimens.: Anno DCCCCXCVII. papa Ticini adunato complurium episcoporum concilio Crescentium anathemate perculit. *Cur autem anathemate perculsus? Causam anno superiore præmisit:* Otto imperator habito cum Romanis placito, quemdam Crescentium, quia priorem papam injuriis sæpe laceraverit, exilio statuit deportari. Sed ad preces novi apostolici Imperator omnia remisit. Sed non multo post, imperaimperatore urbe excedente, idem Crescentius domdum apostolicum, nudum omnium Romana urbe expulit. *De hoc Crescentio vide Glabr. Rodul. l. 1. c. 4.*

ANNO CHRISTI 997.

CONCILIVM SANDIONYSIANVM IN QVO ACTVM DE DECIMIS ECCLESIÆ restituendis, anno Christi circiter DCCCCXCVII.

De hac synodo sic *Aymoinus in vita S. Abbonis Floriacensis abbatis, cap.* IX. In illis sane diebus, in monasterio S. Dionysii, haud procul a Parisiis, concilium aggregatum est quamplurium episcoporum. Qui cum de fidei puritate, de corrigendis tam suis, quam subditorum pravis moribus, sermocinari debuissent, juxta vulgare proverbium, cunctum

cunctum ſuum ſermonem ad decimas verterunt eccleſiarum. Quas laicis, ac Deo ſervientibus monachis auferre moliti, reſiſtente eis in hac re hoc venerabili Dei cultore Abbone, propromiſcuam in ſe vulgi concitavere manum. Ortaque ſubito ſeditione, tantus in epiſcopos timor irruit, ut publica ſtatione relicta, paſſim quiſque diffugeret, inter quos Seguinus Senonum archiepiſcopus, primatum Galliæ in ea ſynodo ſibi uſurpans, primatum quoque fugæ arripuit. Et inter fugiendum ſecuri inter ſcapulas ictus, lutoque a popularibus oblitus, ægre evaſit. Vni quoque epiſcoporum timor fugienti tam veloces addidit alas, ut affluentiſſimo prandii apparatu, quem ſibi extruxerat, relicto, vicinæ urbis Pariſiorum mœnia, fugitabundus expeteret. Totam ergo tantæ calumniam injuriæ, tam a præfato Arnulfo * quam a reliquis pontificibus, ſub ſemet devolui perpendens hic Deo devotus Abbo, in eodem apologetico non ſolum ab hoc, verum & a quibuſdam aliis, hoc modo ſe purgat objectis. » Nec me veſtro, ait Regibus*, aliorumque ſapientum examini ſubduco, qui contra canones ſenſiſſe ſuſpicor. In epiſcopos, manum monachorum moviſſe accuſor, veſtram benevolentiam proprio epiſcopo tuliſſe blaſphemor, quibuſdam excommunicatis participaſſe criminor. Sed eſto, cui ſententiæ canonum contradixi, qui in illo concilio vix apertum librum videre potui? Aut concilium illud fuit, ubi conciliati venerunt, & diſconciliati receſſerunt? Cum ibi diſcordes reconciliari debuerint, aut canonica diſtrictione mulctari. Quid in me ſingulariter commiſerunt epiſcopi, ut eis ſaltem cogitatione obeſſe voluerim? præſertim cum non inimicum, ſed fide & opere amiciſſimum, graviora pericula * pertuliſſe contigerit. Ecce coram Deo in Chriſto non mentior, quia audita inſequentium conclamatione, ultra quam dici poſſit indolui, recordatus priſtinæ amicitiæ & beneficiorum tanti viri, cujus nix venerandum caput oſtendit, excepta primatis prærogativa, & ſacerdotali infula. Qua ſuggeſtione vos decepi, ut veſtram benevolentiam optimis auferretis, male meritis conferretis? Num ego Deus ſum, qui mutat mentes, mutat corda, mutat regna & tempora? Vere fateor me magicam ignorare, nec aliquid malarum artium didiciſſe. »

*Aurelian. epiſcopo, de quo ſupra idem Aymoinus, cap. 8.

*Hugoni, & Roberto.

* Quid paſſus ſit Abbo ab Arnulpho Aurelian. epiſc vide ibid. c. 8.

***De eodem concilio ita in ſchedis MSS. quas penes me habeo.*

Apud cœnobium Dionyſianum conventus factus eſt plurimorum epiſcoporum de rebus eccleſiaſticis. Cumque de decimis quæ a laicis ut plurimum occupabantur, & monachis paſſim detrahebantur, ad parochos reducendis, quæſtio in medium foret propoſita, Abboque monaſterii Floriacenſis cœnobiarcha reſiſteret: is monachos ſancti Dionyſii, & cæteros familiares illorum contra epiſcopos concitavit. Seditione gravi orta, pontifices re infecta huc illucque diffugere coacti, & fuga ſibi ſalutem quærere. Seguinus Senonenſis archiepiſcopus canitie venerandus, fugiens, inter ſcapulas ſecuri ictus, a populo cœno & luto oblitus, pene mortuus relictus eſt: nec eum dignitas ſacerdotalis protexit, aut canities, quin pene occideretur. Cujus cauſam concitationis in Abbonem omnes rejecerunt: & de ea, apologetico ad reges Hugonem, & Robertum ſcripto, expurgare ſe nititur.

OBSERVATIO G. C.

Miror a Gregorio Riveſio conjectam hanc ſynodum fuiſſe in annum Chriſti milleſimum. Habita eſt certe Hugone & Roberto regnantibus: apud quos apologetico ſe purgavit Abbo. At obiit H go anno 997. Octob. 24.

A CONCILIUM ROMANUM,

in quo de Roberti regis, qui conſanguineam duxerat, diſſolvendo conjugio actum eſt, in baſilica ſancti Petri, a Gregorio papa V. præſente Ottone III. imp. celebratum anno domini DCCCCXCVIII. Gregorii ejuſdem papæ anno III. Roberti vero regis anno II.

Nunc primum in lucem editum, ex apographo R. P. Iacobi Sirmondi S. I quod excepit, ex cod. S Mariæ Anitienſis.

TITULI CANONUM.

I. *Vt Robertus rex Bertam uxorem conſanguineam dimittat.*

II. *Excommunicantur epiſcopi qui tale conjugium conſecrarant.*

B III. *Epiſcopatus Merſeburgenſis in priſtinum ſtatum reſtitutio.*

IV. *De Giſilario epiſcopo, qui a minore ſede ad majorem migrarat.*

V. *Stephani Vallavenſis epiſcopi contra canones electi & ordinati depoſitio.*

VI. *Excommunicantur epiſcopi qui Stephanum ordinarant.*

VII. *Vt in Stephani Vallavenſis locum alter eligatur, & a papa conſecretur.*

VIII. *Vt rex Robertus Stephano depoſito non faveat.*

CANONES.

I. *Vt Robertus rex Bertam uxorem conſanguineam dimittat.*

C Vt rex Robertus conſanguineam ſuam Bertam, quam contra leges in uxorem duxit, derelinquat, & ſeptem annorum pœnitentiam agat, ſecundum præfixos eccleſiaſticos gradus, judicatum eſt. Quod ſi non fecerit, anathema ſit: idemque de eadem Berta fieri præceptum eſt.

II. *Excommunicantur epiſcopi qui tale conjugium conſecrarant.*

Erchembaldum Turonenſem archiepiſcopum talis conjugii conſecratorem, cum omnibus epiſcopis qui conſentientes interD fuerunt his inceſtis nuptiis regis, & Bertæ conſanguineæ ſuæ, a ſacroſancta communione ſuſpendimus, donec ad hanc ſanctam ſedem apoſtolicam veniant ſatisfacturi.

III. *Epiſcopatus Merſeburgenſis in priſtinum ſtatum reſtitutio.*

Vt epiſcopatus Merſeburgenſis a ſede apoſtolica, & bonæ memoriæ Ottone I. imperatore per univerſale cõcilium fundatus, & ab imperatore Ottone II. ſine concilio destructus, ut in proprium honorem redeat a ſede apoſtolica judicatum eſt per univerſale concilium, præſidẽte D. Ottone III. Augu-E ſto Cæſare, & D. Gregorio V. papa.

IV. *De Giſilario epiſcopo qui a minori ad majorem ſedem migravit.*

Si Giſilarius ſanctæ Magdeburgenſis eccleſiæ epiſcopus potuerit canonice comprobare, quod per ambitionem de minori ſede Marſeburgenſi, ad majorem Magdeburgenſem non migraverit: ut non deponatur, judicatum eſt. Sed ſi populi & cleri invitatione migravit, in eadem permaneat metropoli. Quod ſi abſque eorum invitatione & electione migravit, non

non tamen per ambitionem, & avaritiam A factum esse constiterit, ad priorem redeat sedem. At si ambitionem, & avaritiam negare non potuerit: definitum est, amittat utramque.

V. *Stephani Vallavensis episcopi contra canones electi, & ordinati depositio.*

Stephanus sanctæ Vallavensis ecclesiæ dictus episcopus, ut omni ordine sacerdotali careat, autoritate apostolica edicimus, eo quod a VVidone vivente episcopo, B avunculo & prædecessore suo, sit electus sine cleri & populi voluntate: ac post ejus mortem, a duobus tantum episcopis non comprovincialibus sit ordinatus.

VI. *Excommunicantur episcopi qui Stephanum ordinarant.*

Dagbertum Bituricensis ecclesiæ archiepiscopum, & Rodenum Nevernensis ecclesiæ episcopum, a communione suspendimus, donec ad hanc sanctam & apostolicam sedem veniant, & satisfaciant, eo quod StephanumVVidonis episcopi nepotem eo C vivente contra leges ecclesiasticas in episcopum ordinare præsumpserint.

VII. *Vt in Stephani Vallavensis locum alter eligatur, & a papa consecretur.*

Vt clerus, & populus civitatis Vallavorum licentiam habeant eligendi episcopum, judicatum est: ut electus, a domno papa consecretur in episcopum, judicatum est.

VIII. *Vt rex Robertus Stephano deposito non faveat.*

Vt rex Robertus Stephanum, VVidonis quondam Vallavorum episcopi nepotem juste damnatum, & depositum, nullomodo D juvare præsumat, nec ei præbere auxilium, judicatum est: sed ut cleri, & populi faveat electioni, salva sibi debita subjectione, decretum est.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Ego Gregorius, sanctæ catholicæ, & apostolicæ Romanæ ecclesiæ præsul, præfui, & subscripsi.
Gerbertus Ravennensis archiepiscopus.
Gislebardus Capuanus archiepiscopus.
Sigefridus Placentinus episcopus.
Hubertus Firmensis episcopus.
Petrus Cumanus episcopus. E
Lambertus Constantiensis episcopus.
Hugo Genavensis episcopus.
Hugo Sedunensis episcopus.
Henricus S. Kyliani vicarius.
Benedictus Laincanensis episcopus pro se, & pro omnibus cardinalibus episcopis.
Ioannes Maturanensis episcopus.
Tetbaldus episcopus Velleternensis.
Petrus Prænestinus episcopus.
Gregorius Ostiensis episcopus.
Benedictus Portuensis episcopus.

Stephanus Cerensis episcopus.
Arfridus Ferentinensis episcopus.
Ingizo Castellanus episcopus.
Hubertus Luscalis episcopus.
Hubertus Arimas episcopus.
Ildeprandus Faventinus episcopus.
Ioannes Suessanus episcopus.
Adelbertus .... episcopus.
Adelbertus Pisaurensis episcopus.
Rainerus Fundensis episcopus.
Bernardus Caietanus episcopus.
Arialdus Clusinæ episcopus.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

Paruisse regem sedis apostolicæ mandato, Bertamque consanguineam cui se sociaverat, dimisisse, tum historiæ nostræ scriptores testantur, tum Leo papa IX. in epistola ad Henricum regem ejus filium, cujus partem recitat Ivo Carnotensis part. IX. cap VIII. Pater, *inquit*, tuus Robertus, laude & consultu episcoporum regni tui, Bertam matrem Odonis comitis sibi duxit uxorem: ob quam rem, quoniam sibi erat carnis affinitate conjuncta, ab antecessore nostro cum episcopis, qui placito interfuerunt excommunicati, post ad sedem apostolicam venientes cum satisfactione, suscepta pœnitentia, redierunt ad propria.

CONSTITVTIO DECRETALIS SACRÆ LEGIS D. OTTONIS III. piissimi imperatoris. Edita in collectione Romana Holstenii.

Ex chronico Farfensi MS.

Otto Dei gratia Romanorum imperator augustus, archiepiscopis, abbatibus, marchionibus, comitibus, & cunctis judicibus intra Italiam constitutis, in perpetuum.

COMPERIMVS quod episcopi, & abbates, ecclesiarum possessionibus abutantur, & per scripta quibuslibet personis attribuant; & hoc non ad utilitatem ecclesiarum, sed pecuniæ, affinitatis, & amicitiæ causa. Dumque eorum successores, & pro domorum Dei restauratione, ac pro reipublicæ officio, nostroque obsequio commonentur, suarum ecclesiarum prædia ab aliis detineri causantur; seque imperata non posse perficere re vera demonstrant. Proinde quia status ecclesiarum annullantur, nostraque imperialis majestas non minus patitur detrimentum, dum subditi nobis debita non possunt exhibere obsequia: constituimus, & imperiali edicto confirmamus, ut omnia scripta, sive si libelli nomine, sive si emphyteosis, prolatum fuerit quid de ecclesiis Dei, sive aliquo modo, effici non possit: obeunte autore obeat, solusque detrimentum habeat, qui se eo scripto obligavit atque vinxit; nec omnino ad eum superscripta damna pertineant, qui ei in regimine successit: sed sit ei libera facultas omnia quæ per libellos vel alias quaslibet scripturas abalienata fuerint, in proprium jus ecclesiæ revocare, & ita ordinare, ut Deo & nobis debitum obsequium valeat exhibere. Nam cum regibus, & imperatoribus, ea quæ regni & imperii sunt, nisi servientibus, dare non liceat, exceptis ecclesiis: quomodo abbatibus, & episcopis, res ecclesiarum per tempora suorum successorum distribuere liceat? Omne quippe jus, sive lex, sive quodlibet scriptum, vel quælibet consuetudo, si contra ecclesiæ utilitatem fuerint, in irritum deducenda sunt; nec nostra autoritate debent firmari, quæ contra imperii autorem, & propagatorem, probabuntur inferri. Hoc ergo solum scriptum pro lege

in talibus causis habeatur, quod ecclesiæ Dei prosit, & nullomodo obesse possit. Quod si aliquis contra hanc constitutionem nostram tentaverit, tamquam rebellis judicetur, & sit ei anathema maranatha, nisi resipiscat, ab omnibus episcopis, qui huic imperii nostri edicto subscripserunt, vel assensum præbuerunt, vel præbituri sunt. Amen.

Actum XII. Kalend. Octobris, Indictione XII. anno tertio domini Gregorii V. papæ pontificatus, promulgata per manus Gerberti sanctæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopi, in ea synodo, in qua Mediolanensi episcopo, Arnulfo nomine, papatum ablatum est in basilica sancti Petri, quæ vocatur ad cælum aureum. Et subscripserunt omnes qui adfuerunt episcopi.

Anno Christi 999.

VITA ET EPISTOLA

SILVESTRI PAPÆ II.

Silvester II. fit papa.

SILVESTER hujus nominis secundus, ex Ravennate archiepiscopo factus est pontifex Romanus, anno Christi redemptoris 999. tempore Ottonis III. imperatoris. Hic ante pontificatum Gerberti nomine appellatus, ille est, qui post captatam Hugonis Galliarum regis amicitiam, Arnulphum Remensem archiepiscopum sede sua amoveri, seque per decretum pseusynodi Remensis, de qua supra, in locum ejus subrogati procuravit: quique demum per Leonem sedis apostolicæ legatum, & decretum Remensis concilii inde ejectus, ad Ottonem imperatorem fugit. De injuriis Arnulpho illatis, & de calumniis sedi apostolicæ per fraudem, dolum, & mendacium objectis, eum pœnitentiam egisse apparet, ex eo quod post hæc tempora talis extiterit, quem ad Ravennatem archiepiscopatum populus jure meritoque eligendum, & imperator Otto promovendum esse judicaverint: quemque Gregorius pontifex talem reperit, cui ipse neque ordines, neque usum pallii negari voluerit. Natus, inquit Ditmarus, de occiduis regionibus, a puero liberali arte nutritus: in philosophia, & astrologia tantum profecit, ut suos quosque coætaneos variæ artis notitia superaverit. Ingressus vitam monasticam, factus est præceptor Roberti regis & filii Hugonis. In regia aula hac occasione aliquamdiu versatus, primo ad Remensem, atque deinde ad Ravennatem archiepiscopatum sibi aditum præparavit. Ad pontificatum evectus est studio, & patrocinio Ottonis III. ejus nominis imperatoris, quamquam Aimoinus scribat eum a populo, imperatori sine dubio adulante, postulatum fuisse. Credo favisse eidem imperatorem, tum quod Germanus esset; tum etiam quod cum eo diu conversatus, ut ait Ditmarus, in Magdeburg admirabile horologium fecisset, atque ita per instrumentum dædalica inventione compositum, totum in sui amorem & favorem pertraxisset.

Gerbertus ante nominatus. *Post actam pœnitentiam de injuriis aliis sedibus illatis factus est papa.* *Vita Gerberti, alias Silvestri.* *Aimoinus lib. 5. c. 45.* *Cur Otto imperator illi faverit?*

Benno qui se cardinalem archipresbyterum nominat, quique ex schismaticorum scissione sibi nomen tantæ dignitatis abripuit, & tempore Gregorii VII. & Henrici imperatoris schismatici vixit, Papirio Massono testante, & refellente, primus architectus fuit istius fabulæ, qua vulgo jactatur Silvestrum magicis incantationibus ad apostolicæ sedis culmen provectum esse, pacta pro mercede diabolo anima, quam statuto loco Hierosolymis (sic nuncupatur in urbe sanctæ crucis ecclesia) exactor violentus extorserit. Sed cum autor fabulæ non hunc tantum, verum etiam omnes Gregorii VII. prædecessores, astrologiæ, philosophiæ, & naturalis magiæ peritos, maleficii accuset & condemnet: ad refutationem fabulæ satis est autorem prodidisse. Quamquam si hæc omnia deessent, epitaphium illud, quod Sergius IV. communi consensu vir sanctus, huic post quintum annum obitus erexit, quodque infra ex Lateranensi ecclesia descriptum invenies, abunde satis fabulosum autoris commentum refutaret.

Quid Benno de Silvestro fabuletur? *Redargutio fabulæ.*

Huic pontifici Otto imperator III. Vercellensem civitatem cum comitatu, necnon sanctæ Agathæ comitatum donavit. Novæ hæreses, quas Glaber recenset, sub hoc pontifice plane sunt sopitæ eodem anno, quo fuerant exortæ. Stephanus, qui hactenus dux Hungarorum nominatus erat, per suos ad sedem apostolicam ablegatos coronam regni Polonis præparatam accepit; quia ipse (ut testatur Gregorius VII. epist. 13. lib. 2.) regnum Hungaricum Romanæ ecclesiæ contulisset. Sub hoc pontifice anno Christi 1000. vana multorum assertione prænuntiatus est mundi interitus: cui Abbo Floriacensis scripto apologetico contradixit. Otto imperator excessit e vivis. In locum ejus ab electoribus jam ante constitutis subrogatus est Henricus I. a VVilligiso Moguntiæ archiepiscopo inauguratus, quem post annos 12. Romanus pontifex Benedictus VIII. nomine tituloque Augusti Imperatoris donavit. Ejusdem tempore, opera sancti Stephani regis Hungarorum, Transsilvani ad fidem conversi fuerunt. Post quintum annum sedis suæ inchoatum, mortuus est 12. Maii, anno Christi 1003. ut ex epitaphio, ejus sepulcro a Sergio papa apposito, satis apparet. Quod cum hactenus in basilica Lateranensi integrum servatum fuerit, & ad illam de magico Silvestri ingressu fabulam, a Bennone homine schismatico primum excogitatam, styloque mendaci vulgatam, plurimum conferat: hic describendum curavimus. Sic enim se habet.

Res gestæ sub Silvestro. *Infidelium conversio.* *Obitus Silvestri.*

Iste locus mundi, Silvestri membra sepulti
Venturo domino conferet ad sonitum.
Quem dederat mundo celebrem doctissima virgo,
Atque caput mundi culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena sede
Remensis populi metropolim patriæ:
Inde Ravennatis meruit conscendere summum
Ecclesiæ regimen nobile, sitque potens.
Post annum Romam mutato nomine sumpsit,
Ut toto pastor fieret orbe novus.
Cui nimium placuit sociali mente fidelis
Obtulit hoc Cæsar tertius Otto sibi.
Tempus uterque comit clara virtute sophiæ,
Gaudet, & omne seclum, frangitur omne reum.
Clavigeri instar erat cælorum sede potitus,
Terna suffectus cui vice pastor erat.
Iste vicem Petri postquam suscepit, abegit
Lustrali spatio sæcula morte sui.
Obriguit mundus discussa pace, triumphus
Ecclesiæ nutans dedidicit requiem.
Sergius hunc loculum miti pietate sacerdos
Successorque suus compsit amore sui.
Quisquis ad hunc tumulum devexa lumina vertis,
Omnipotens domine dic miserere sui.

Obiit anno dominicæ incarnationis 1003. indictione 1. mensis Maii die 12.

EPISTOLA I.

EPISTOLA I. SILVESTRI PAPÆ II. AD AZOLINUM LAUDUNENSEM EPISCOPUM.

Ipsum de multis criminibus accusatum ad proximam synodum Romæ evocat.

Silvester episcopus servus servorum Dei * *Azolmo Laudunensi.*

al. Ascelino.

SUPER salute & apostolica benedictione nihil est quod admirari possis, quoniam, sub pontificali nomine homo etiã moribus esse desisti. Si fides mortalem Deo sociat, perfidia nihilo minus rationabilem brutis animalibus æquat. Cum hoc totum te sapere constet, vehementer admiramur nativam te conditionem reliquisse, & nova & inaudita scelera inhumanius perpetrasse. Epistola regis Roberti & suorum pontificum, apostolicis & imperialibus oblata est manibus, quæ te coram universo clero ac populo his publicis accusat criminibus. Ad synodum habitam Compendio, cum a Remensi & Turonensi archiepiscopis cæterisque confratribus invitatus fueris, acceptis a quibusdam eorum & aliorum sacramentis pro vitæ membrorum atque captionis securitate, tandem venisse diceris: synodalem severitatem cum tibimetipsi conscius merito perhorresceres, ad misericordiæ preces eadem epistola teste venisti, legibus te non posse objectis respondere manifestasti, dominum tuum regem offendisse te non negasti, indulgentiam tantummodo postulans per universam synodum, regis gratiam innovatis perjuriis obtinuisti, datis obsidibus, archidiacono scilicet tuo, & altero milite. Turres Lauduni te redditurum promisisti. Magistrum tuum Remensem archiepiscopum, pro accipiendis turribus sub Iudæ specie tecum ducens, capere voluisti: carcer quippe cæterorum, fraudis in eum conceptæ detegit dolum. O Iuda magistri proditionem innovans, & pontificalem gloriam nostris temporibus deturpans! Cum magistrum archiepiscopum tradere velis, domino regi non parceres, si posses. In carcere tenes traditos milites, & fefellisse non vereris regem. Ex orationum epistolis quoties te monuimus, & ab his periculis eruere te desudavimus! Sed quoniam irruentibus peccatorum cumulis te coercere nequivimus, in hac proxima paschali hebdomada Romæ te adesse præcipimus, & generaliter ibi habendæ synodo repræsentare te monemus. Hujus ergo invitationis nostræ nulla occasione sis transgressor vel suspensor, quoniam, nisi adfueris, synodicæ autoritati in eodem concilio subjacebis; & de absentia nihil lucraberis. Viarum excusatio nulla te premat, quoniam in Lotharienſi regno nullæ te manent insidiæ: Italia vero nullam prætendit formidinem: nisi corporis molestia occupatus fueris: aliter excusatio nulla esse poterit. Sed testes mittendi sunt, qui & tuum languorem confirment, accusatoribus tuis respondeant, & legibus te expurgent.

NOTA SEVERINI BINII.

Hanc epistolam a Gerberto post Romanum pontificatum impetratum scriptam, in bibliotheca Papirii Massoni post obitum ejus inter codices repertam, hic inseri visum est, ne pereat. Quas idem Gerbertus ante pontificatum Romanum sub nomine suo Gerberti scripsit, illæ numero centum sexaginta, ex ejusdem Papirii Massoni bibliotheca separatim anno 1611. Parisiis excusæ sunt.

* II. AD ARNULFUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Restituit eum in jura omnia Remensis archiepiscopatus.

Silvester episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Arnulfo, sanctæ Remensis ecclesiæ archiepiscopo.

Ex codice S Remigii Remensis a Sirmondo descripta, & nunc primum edita.

APOSTOLICI culminis est non solum peccantibus consulere, verumetiam lapsos erigere, & propriis privatos gradibus reparatæ dignitatis insignibus informare, ut Petro solvendi libera sit potestas, & Romanæ gloriæ ubique fulgeat dignitas. Quapropter tibi Arnulfo Remensi archiepiscopo, quibusdam excessibus pontificali honore privato, subvenire dignum duximus, ut quia tua abdicatio Romano assensu caruit, Romanæ pietatis munere credaris posse reparari. Est enim Petro ea summa facultas, ad quam nulla mortalium æquiparari valeat felicitas. Concedimus ergo per hujus privilegii nostri statuta, tibi baculo & anulo redditis, archiepiscopali officio fungi, & omnibus insignibus, quæcumque ad sanctæ metropolim Remensis ecclesiæ pertinent, solito more perfrui. Pallio solemnitatibus statutis utaris, benedictionem regum Francorum, & tibi subjectorum episcoporum obtineas, & omne magisterium quod tui antecessores habuisse visi sunt, nostra autoritate apostolica geras. Præcipimus etiam, ut nullus mortalium in synodo, aut in quacumque parte, abdicationis tuæ crimen tibi quoquo modo opponere præsumat, vel hac occasione in improperii contra te verba exardescat; sed nostra te ubique autoritas muniat, etiam si conscientiæ reatus accurrat. Confirmamus insuper tibi & concedimus archiepiscopatum Remensem in integrum, cum omnibus episcopatibus sibi subjectis, seu cum omnibus monasteriis, plebibus, titulis, & capellis, atque curtibus, castellis, villis, casalibus, & cum omnibus rebus ad ecclesiam Remensem pertinentibus, salvo & inviolabili testamento B. Remigii Francorum apostoli. Statuentes apostolica censura sub divini obtestatione judicii, & anathematis interdictione, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, vel aliæ quælibet magnæ parvæque personæ, hoc nostrum privilegium infringere liceat. Si quis vero, quod absit, hoc Romanum decretum violare tentaverit, anathema sit.

NOTA GABR. COSSARTII S.I.

Iam restitutum a Gregorio V. Silvestri decessore Arnulfum supra* diximus ex Aymoino in vita S. Abbonis, cap. XII. Quo fit ut existimem, hanc non Silvestri, sed Gregorii epistolam esse; & librarii sive inscitia, sive incuria, mendum hoc irrepsisse. Quod si quis eam asserere Silvestro pertinaciter velit, hoc dicat: voluisse Silvestrum hoc judicio sic Arnulfum restituere, ut eum ob crimina dejectum esse declararet, idque publico monumento testatum relinqueret: hoc enim facit, dum & *reatus conscientiæ meminit*, & *quibusdam excessibus pontificali honore privatum asserit.* Intererat enim Silvestri, qui ante pontificatum Gerbertus dictus, & Remensi primum, ac deinde Ravennensi archiepiscopatu potitus, non videri insontem Arnulfum, ne calumnia ipsum olim oppressisse diceretur. Ejus ergo condemnationem abrogate se dicit, non quod fuerit iniusta per sese, sed *quod Romano assensu caruerit.* Quæ coniectura si locum aliquem habeat, censeri debet prior Arnulfi per Gregoriũ V. restitutio, non supremo iudicio facta, sed legitimo iudicio præmissa. Spoliati siquidem ante restitutionem respondere non coguntur: eosque prius restitui, quam conveniri, ius est.

**III. AD ROBERTUM VIZELIAC. ABBAT.

Privilegia Vizeliacensia confirmat.

Ex libro I. histor. Vizeliac. editæ a D. Luca Dacherio, Tom. III. Spicilegii.

Silvester episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Roberto religioso abbati sancti Vizeliacensis cœnobii, omnique congregationi ejusdem monasterii, in perpetuum.

QUOTIENS illa a nobis tribui sperantur quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertire suffragium. Atque ideo quia postulasti a nobis, quatenus privilegium sedis apostolicæ monasterio Vizeliaco, cui præesse dinosceris, quod constat olim a Gerardo nobilissimo, & christianissimo viro, necnon & Bertha uxore ejus, in honore domini & salvatoris nostri Iesu Christi, & veneratione beatissimæ Mariæ genitricis ejusdem domini nostri, constructum in regno Burgundiæ in parochia Augustodunensi, in pago Avalensi; quodque a præfatis fundatoribus B. Petro apostolorum principi liberali devotione & testamenti pagina collatum est, facere deberemus, veluti a prædecessoribus nostris piæ memoriæ Nicolao papa, atque Ioanne, jamdudum factum fuisse: inclinati precibus tuis libenter fieri decrevimus. Per quod apostolicæ autoritatis privilegium, confirmamus, atque statuimus, ut nulli imperatorum, nulli unquam regum, nulli antistitum, nulli quacumque prædito dignitate, nulli cuiquam alii, de omnibus rebus mobilibus vel immobilibus, quæ eidem monasterio a jam dictis fundatoribus, vel ab aliis quibuscumq; personis collatę & concessæ, vel in futurum a quolibet de proprio fuerint jure donatæ, sub cujuslibet causæ occasionisve specie liceat minuere vel auferre, neque suis usibus applicare: sed cuncta quæ ibi oblata sunt vel offerri contigerit a præsenti XIV. indictionis tempore illibata, & sine inquietudine, in sustentatione jam dicti monasterii, & usibus abbatum, & monachorum sub regula patris benedicti ibi Deo militantium, volumus, atque præcipimus possideri; ea videlicet conditione, ut nullus successorum nostrorum pontificum in hac sancta sede, cui Deo autore seruimus, unquam vel usquam quiddam de eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu quolibet concedere per futura tempora patiatur: sed censum tantummodo in testamento traditionis a fundatoribus, qui ex eodem monasterio hanc sanctam sedem Romanam heredem fecerunt, etiam delegatum, unam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes, piæ paternitatis suffragium eidem monasterio, & tibi, successoribusque tuis, ac monachis sub jam dicti patris regula ibidem degentibus, sollicitudine pastorali vigilanter contra omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus, ut obeunte abbate dicti monasterii, non alius ibi quacumque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem consensus monachorum secundum timorem Dei, & institutionem regulæ B. Benedicti elegerit, & hujus apostolicæ sedis pontifex providerit ordinandum. Unde constituimus, & apostolica autoritate censemus, atque per hoc nostrum apostolicum privilegium confirmamus, ut nullus rex aut pontifex, vel abbas aut comes, vel qualiscumque magna, parvaque persona, avaritiæ cupiditate corruptus, aut diabolica suggestione deceptus, audeat vel præsumat contra tuum honorem, ô venerabilis Roberte abbas, qualicumque modo insurgere, vel in tuo loco, aut de tuo honore molestias tibi inferre, vel de omnibus rebus monasterii, quæ tibi tuisque decessoribus a nobis nostrisque antecessoribus per paginam privilegii concessa atque firmata sunt, aliquas invasiones vel rapinas, sive violentias inferre; si non vult autoritate Dei, & sancti Petri, & nostra apostolica excommunicatione, a corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi, & ab ingressu ecclesiæ noverit se esse disjunctum. Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nulli unquam liceat de regibus, nulli de episcopis vel sacerdotibus, vel de quibuscumque fidelibus, per se, suppositamve personam, de ordinatione ejusdem abbatis, aut clericorum, vel presbyterorum, aut de largitione chrismatis, vel de consecratione basilicæ, vel de quibuscumque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in qualibet specie exenii loco quicquam accipere, neque eumdem abbatem pro ordinatione sua aliquid dare; neque episcopus civitatis ipsius parochiæ, nisi ab abbate ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in eodem cœnobio indicat, ne servorum Dei quies quocumque modo populari conventu valeat perturbari, neque mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium, aut religiosorum virorum, atque beneficentiam quam jubet apostolus cunctis exhibendam, pro possibilitate loci & facultate, non modo ibidem fieri denegamus, verum etiam suademus. Si quis vero regum, episcoporum, sacerdotum, abbatum, judicum, comitum, aut sæcularium personarum, contra hanc nostræ institutionis paginam tentaverit, percussus apostolico anathemate, potestatis honorisve sui dignitate careat, reumque se coram divino judicio cognoscat: &, nisi ea quæ a se male acta sunt, defleverit, a sacratissimo corpore domini nostri Iesu Christi alienus fiat, atque æterno examini districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud æternum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

CONCILIUM ROMANUM IN CAUSA GISELERI MAGDEBURGENSIS EPISCOPI celebratum anno domini DCCCCXCIX. tempore Silvestri Papæ II.

Anno Christi 999.

DITMARUS, ubi agit de secundo adventu Ottonis in urbem, de rebus in hac synodo gestis ita scribit: *Synodus Romæ tunc, in qua accusatus Giselerus archiepiscopus Magdeburgensis, quod duas parochias teneret: percussus ille paralysi venire non potuit; res reposita ad concilium provinciale Germaniæ.* In eodem concilio imperatorem voluisse recitari privilegium VVormatiensi ecclesiæ concessum testatur Baronius anno 999. num. 12.

** CONCILIUM PICTAVENSE, PICTAVIS CELEBRATUM IDIBUS IANUARIIS anno Christi circiter millesimo, Silvestri Papæ II. anno II. Roberti regis III. VVillelmo IV. Aquitanorum duce.

Anno Christi 999.

Ex apographo Iac. Sirmondi, qui illud descripsit ex codice Engolismensi Ioan. Tilii.

INDEX CANONUM.

I. *Ut de rebus controversis omnes stent ad justitiam coram principe, vel indice.*

II. *Ut episcopus pro pœnitentia vel confirmatione munera non requirat.*

III. *Ut presbyter & diaconus si feminas domi habent, gradum amittant.*

PRÆFATIO.

PRÆFATIO.

SPECIOSVM quidem nomen est pacis, & pulchra est opinio unitatis, quam Christus ascendens in cælum reliquit suis discipulis. Igitur Idibus Ianuariis, Guillelmo Pictavense duce convocante concilium, Pictavi convenerunt episcopi numero quinque, archiepiscopus Burdegalensis Siguinus, Gislebertus Pictavensis, Hilduinus Lemovicensis, Grimoardus Engolismæ civitatis, Islo Santonensis, & abbates duodecim, pro restauratione ecclesiæ. Firmaverunt per obsides & excommunicationem dux, & reliqui principes, hujusmodi pacis & justitiæ restaurationem.

CANONES.

I. *Vt de rebus controversis omnes stent ad justitiam coram principe vel judice.*

CONSTITVERVNT ut a quinque annis præteritis quæcumque res invasæ fuerunt, & ab ipso præsenti concilio in reliquum tempus, unde altercatio in ipsis pagis habetur, quorum ibi erant principes, si ex contendentibus de ipsis rebus unus alium interpellaverit, veniant ante principem ipsius regionis, vel ante aliquem ipsius pagi iudicem, & stent in iustitia pro ipsis rebus: & qui sub districtione iustitiæ stare noluerit, princeps vel iudex, ipsius rei aut iustitiam faciat, aut obsidem perdat; & si iustitiam facere non potuerit, convocet principes & episcopos qui concilium instituerunt, & omnes unanimiter in destructionem & confusionem ipsius pergant: & tamdiu patiatur ipsam persecutionem & confusionem; quousque redeat ad iustitiæ rectitudinem. Ergo dati sunt obsides, & excommunicatum est in concilio pro huiusmodi confirmatione, ut nullus ab ipso die in antea ecclesiam infringat, & cætera, sicut in concilio Karrofense constitutum est.

II. *Vt episcopus pro pœnitentia, vel confirmatione, munera non requirat.*

Vt nullus sacerdos propter pœnitentiam, neque propter sancti Spiritus donum, munera accipiat, neque requirat, nisi tantum si quis libenti animo donaverit.

III. *Vt presbyter & diaconus, si feminas domi habent, gradum amittant.*

Vt nullus presbyter, neque diaconus, feminam in sua domo teneat, neque in cellario, neque in secreto loco intromittat, propter fornicationem. Nam si facere tentaverit, sciat se omnem gradum perditurum, & cum aliis hominibus sacrum mysterium non celebraturum: quia qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat. & B. Gregorius. Nec opus bonum est aliquid sine castitate, nec castitas vero magna est sine bono opere.

A

CONCILIA VARIA GALLIARVM, IN QVIBVS QVÆSITVM EST DE IEIVNIIS ante Pentecosten, de cantu hymni Te Deum, & de festo Adnunciationis Dominicæ, anno Christi MII.

ANNO CHRISTI 1002.

NON unico, sed pluribus Galliæ locis habita fuisse hoc anno concilia, innuit Glaber Rodulfus libro III. Historiæ, cap. III. simulque quid in his potissimum actum sit, docet his verbis.* Tunc temporis, *inquit*, in Galliis plerique episcoporum nonnulla inter se diversis quæstionibus habuere synodorum conciliabula.

B

I.

Nam de jejuniis, quæ plerique fidelium inter Ascensionem Salvatoris & Pentecosten observant, ita decreverunt, ut ne per imperium sacerdotum fierent, excepto sabbato Pentecostes; & a quibus fieri vellent, ne prohiberentur fieri..

II.

Simul incidit quæstio, cur monachi per tres vel quatuor dominicas dies ante diem Nativitatis Dominicæ, seu quadragesimalis observationis tempore, hymnum Te Deum laudamus decantarent contra morem Romanæ ecclesiæ. Qua videlicet quæstione aggressi tam abbates quam monachi, responderunt se pro nulla re id agere, nisi ex B. Benedicti nominatissimi atque excellentissimi patris C præceptione. Cujus etiam actus, simulque dicta a summo Romanorum pontifice, videlicet Gregorio, haberentur descripta, ac laudabiliter roborata. His denique compertis, episcopi, usus monachorum authentico ex more viguit.

III.

Nec non etiam de die Adnuntiationis Dominicæ, qui celebratur VIII. Kalendarum Aprilium, si forte quolibet alio tempore præter quadragesimam excoli congruentius potuisset, ab iisdem pontificibus non parva illata est quæstio. Ferebatur enim a quibusdam, eamdem Adnuntiationem Dominicam more Hispanorum quintodecimo Kalendarum Ianuariarum die irreprehensibiliter posse celebrari. Quid plura? apud nos antiqua consuetudo, D uti decebat, prævaluit.

ANNO CHRISTI 1003.

VITA

IOANNIS PAPÆ XVI.

QVI PERPERAM XVIII. NOMINATVR.

IOANNES, cognomento Siccus, patria Romanus, post obitum Silvestri factus est ejus nominis pontifex decimussextus, anno domini millesimo tertio, tempore regnantis & nondum imperantis Henrici primi. Qui cum, juxta antiquos Vaticanos indices, sedisset menses quinque & dies aliquot, obiit. Ioannes quando pontifex factus.

ANNO CHRISTI 1003.

VITA

IOANNIS PAPÆ XVII.

QVI PERPERAM XIX. APPELLATVR.

IOANNES, qui cognominatur Fasanus, creatus est pontifex hujus nominis decimusseptimus XII. Kalendas Decembris, anno Christi millesimo Ioannes XVII. papa factus quando.

Res gestæ a Ioanne XVII.

lesimo tertio, tempore Henrici primi. Hic initio pontificatus sui legatum misit in Germaniam, qui Magdeburgensem archiepiscopum juxta privilegium a sede apostolica impetratum autoritate pontificia consecraret. Sancto Elphego Cantuariensi episcopo pallium misit: sancto Brunoni, ad Prussiæ populum convertendum, apostolatum contulit; quem cum fideliter perfecisset, a barbaris martyrio affectus est eodem prope tempore, quo sanctus Bonifacius in Russia eodem apostolico munere perfunctus, eadem martyrii corona insignitus fuit. Hujus tempore Leuthericus Senonensis archiepiscopus, hæresis Berengarianæ primordia & semina sparsit. Auctore hoc pontifice Constantinopolitanam ecclesiam cum Romana in communione catholica conjunctam fuisse, testatur Petrus episcopus Antiochenus in epistola ad Michaelem Cerularium, & epitaphium Ioanni erectum quod recitat Baronius anno 1009. his verbis:

Vnio Constantinopolitanæ & Romanæ ecclesiæ.

Quam solers domino, placuit quam mente modesta
Præsul apostolicus, orbis & omne decus.
Hic statuit tumulo claudi sua membra sub isto;
Hæc eadem sperans ut sibi reddat humus:
Ardua qui fulsit cunctis per sidera cæli,
Augustis carus, gentibus, & tribubus:
Doctrinis comptus sacris, & dogmate claro,
Per patrias sancta semina fudit ovans.
Nam Graios superans, Eois partibus unam,
Schismata pellendo, reddidit ecclesiam.
Principis hinc Petri sed quisquis tendis ad aulam,
Dic supplex isdem regnet ut arce poli.

Tempus sedis.

Defunctus est Ioannes papa, xv. Kalend. Augusti, anno millesimo nono. Post obitum ejus vacavit sedes apostolica uno mense & diebus tredecim.

Anno Christi 1005.

CONCILIVM TREMONIENSE

PRO REFORMANDA ECCLESIA celebratum anno domini millesimo quinto, tempore Ioannis papæ XVII.

Locus & acta concilii.

DITMARVS libro 6. testatur, allegato tempore celebratam esse in Germania magnam synodum Tremoniensem, in qua rex Henricus de ejus temporis sanctæ ecclesiæ deformatione conquestus, magna instantia apud episcopos laboravit, ut collapsa ecclesiæ disciplina reformaretur. Præstiterunt illud pro viribus quibus id potuerunt diligentissime, communique consensu ediderunt sacros canones, quibus sanctissimæ leges ecclesiasticæ in pristinum usum revocarentur, pravique mores, qui in clerum ac populum irrepserant, exularent & corrigerentur. Quibus statutis rex sibi Deum propitium conciliavit, viamque ad victorias consequendas, & Romanum imperium obtinendum, aperuit. Celeberrimi concilii acta plane interierunt: exordium dumtaxat eorum apud Ditmarum descriptum reperitur tale: *Anno dominicæ incarnationis millesimo quinto, anno autem domini Henrici secundi regnantis quarto*, inchoato, *in die nonarum Iulii*. Reliqua desunt.

Actorum fragmentorum.

Anno Christi 1006.

CONCILIVM FRANCOFORDIENSE,

DE ECCLESIA BAMBERGENSI IN CATHEDRAM episcopalem erigenda, celebratum anno domini MVI. tempore Ioannis papæ XVII.

SEVERINVS BINIVS.

Acta concilii.

IN hoc concilio, testimonio Ditmari, qui eidem præsens interfuit, inter alia tractatum est de ecclesia Bambergensi in cathedram episcopalem erigenda: idque ad petitionem regis Henrici, qui eam civitatem a puero dilexerat, & semper excoluerat, & uxori in dotem assignaverat. Henricus VVirceburgensis episcopus ad Synodum vocatus venire noluit, nisi post unionem sua parochia cum Bambergensi ecclesia factam ipse archiepiscopus constitueretur. Exordio concilii petitionem suam episcopis in synodo consedentibus rex patefecit, verbis quæ a Ditmaro recitantur hisce:*

Considentibus ibidem ordine archiepiscopis cum omnibus suimet * suffragensis rex humo tenus prosternitur, & a VVillegiso antistite Moguntino, in cujus diœcesi synodus habebatur, elevatus, cunctis præsentibus talia fatur: Ob recompensationem futuram Christum heredem elegi, quia in sobole acquirenda nulla spes remanet mihi. Et quod præcipuum habui, meipsum cum modo acquisitis seu acquirendis in sacrificium Patri ingenito jamdudum secreto mentis obtuli. Episcopatum in Bavenberga cum licentia antistitis mei facere hactenus concupivi, & hodie justum hoc perficere volo desiderium. Ob hoc serenissimam vestrimet interpello pietatem, ne absentia ejus qui per me voluit obtinere quod mihi non licuit huic concedere, propositum voluntatis meæ queat impedire: cum in baculo ejus mutuæ confirmationis signo clarescat, hunc non propter dominum, sed ob dignitatis nullatenus adipiscendæ dolorem, fugisse. Moveat omnium corda præsentium, quod per ambitionem suam sanctæ matris ecclesiæ augmentum annullare cum nugigerula legatione præsumpsit. Ad hæc firmiter constituenda, contectalis meæ præsentis, & unici fratris & coheredis mei, larga benignitas aspirat: & sibi placita adimpletione his me eadem restituere utique pro certo sciat. Si quando autem episcopus venire, & promissa dignatur suscipere: paratum me ad omne quod vobis bonum videtur procul dubio inveniet.

* forte, *suffraganeis*.

Finitis talibus alloquiis, Bernigerus antistitis Henrici VVirceburgensis capellanus surrexit: propter timorem regis, seniorem suum huc non venisse, & detrimentum ecclesiæ sibi a domino commissæ in aliquo fieri nunquam laudasse, testatur: & obsecrat cunctos præsentes per Christi amorem, ne talia fieri, absente eo, futurum sibi in exemplum paterentur. Privilegia ejusdem ibi alta voce recitantur. Inter hæc quotiens rex anxiam judicum sententiam nutare perspexit, totiens prostratus humiliatur.

Tandem archiantistiti VVillegiso, quid de his faciendum foret, judicio perscrutanti, Tagmo primus respondit, hæc tunc secundum regis eloquium legaliter fieri posse. Cunctis præsentibus ejus sermonem tunc affirmantibus, & subscribentibus, Eberardo tunc cancellario cura pastoralis a rege committitur, & hic a præfato archipræsule eodem die consecratur. Post hæc autem Henricus antistes, auxilio confratris Heriberi tarchiepiscopi Coloniensis, regis gratiam & impletionem sibi placitam acquisivit.

Bambergensis episcopatus erigitur.

** ACTA EIVSDEM FRANCOFORDIENSIS CONCILII.

Ex tabulario ecclesiæ Bambergensis.

ANNO dominicæ Incarnationis M.VII. Indict. v. Kal. Novembris regnante piissimo ac serenissimo Heinrico secundo, anno regni sui VI. pro statu & augmento sanctæ matris ecclesiæ, in loco Franconofurt dicto magna synodus habita est & celebrata.

ANNO CHRISTI 1007.

celebrata. Nam idem rex Heinricus, magnus & A pacificus, ut in Deum erat credulus & in homines pius, dum alta mentis deliberatione sæpenumero cogitaret in quo Deum sibi maxime placaret, summa inspirante divinitate cogitando disposuit, ut Deum sibi heredem eligeret & conscriberet, & episcopatum in honorem sancti Petri principis apostolorum, in quodam suæ hereditatis paternæ loco Babenberk dicto, ex omnibus suis rebus hereditariis construeret: ut & paganismus Sclavorum destrueretur, & Christiani nominis memoria perpetualiter celebris haberetur. Sed dum parochiam ad eumdem locum respicientem non haberet, & sanctam pentecosten in eodem regni sui anno VI. Moguntiæ celebraret: quandam partem VVirciburgensis diœcesis, B comitatum videlicet Ratzengovv dictum, & quandam partem pagi Volckfelt dicti, inter fluvios Vraha & Ratentza situm, ab Heinrico VVirciburgensi episcopo firma ac legali commutatione acquisivit, tradens contra VVirciburgensi ecclesiæ CL. mansus in vico Meinungun dicto, & in proxime adjacentibus locis. Hoc consentientibus & perspicientibus venerabilibus patribus, in primis videlicet VVirciburgensis ecclesiæ episcopo Heinrico, & VVilligiso reverendo archiepiscopo Moguntino, & Burckardo VVormatiensi, & VValtero Spirensi, & Adelberone Basiliensi, & Lamberto Constantiensi, & Vdalrico Curiensi, & Luidolfo archiepiscopo Treverensi, & Theodorico Metensi, & Berchtoldo Tullensi, & Heimone Virdunensi, & Hereberto archiepiscopo Coloniensi, & Nothkero Leodicensi, & Eralvvino Camaracensi, & Paginino archiepiscopo Magideburgensi, & Hildolfo Mantuano. Gloriosissimus vero rex Heinricus tunc voti compos effectus, pari supradictorum patrum consultu duos ex capellanis suis Albericum videlicet & Ludovvicum, adjunctis Heinrici VVirceburgensis episcopi literis, Romam usque direxit, quatenus hic bene incepta in melius proficerent autoritate Romana. Romanus vero pontifex & universalis papa Ioannes, precatorias prædicti Heinrici episcopi literas inspiciens, piissimi regis Heinrici devotione congaudens, habita in sancti Petri basilica synodo pro confirmando Babenbergensi episcopatu, privilegium fecit consci bi, & apostolica autoritate corroborari, universis Galliæ & Germaniæ episcopis rescribens, ut & ipsi pari communique autoritate eundem episcopatum corroborarent & confirmarent.

[Ex vita S. Henrici a Gretsero edita.]

** DIPLOMA IOANNIS P. XVII.

Quo confirmat episcopatum Bambergensem.

Ioannes episcopus servus servorum Dei.

OFFICII nostri est omnium sanctarum Dei ecclesiarum commoda generaliter considerare, & maxime earum, quæ specialiter sub jure ac dominio nostræ Romanæ ecclesiæ consistunt: si quod est incommodum, abolere, ne pro gravi incommoditate sua neglectæ vilescant, vel qualibet nacta occasione, debita solemnitate careant. Propterea omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, notum esse volumus: quia dilectus & spiritualis noster filius Heinricus, gloriosissimus atque invictissimus rex, divina inspirante clementia, de propriis hereditariis rebus, pro sua suorumque parentum anima, episcopatum in loco, qui dicitur Babenberk, perfectæ fidei & caritatis devotione, in honorem beatissimi Petri apostolorum principis esse constituit, commutatione facta jure ac legaliter cum Heinrico VVirzeburgensi episcopo de aliqua parte parochiæ sui episcopatus. Vnde etiam prædictus episcopus nobis suas literas misit, ut suo consensu, privilegio nostræ apostolicæ autoritatis, episcopatus noviter factus fundaretur.

Pro qua ratione Heinricus secundus gloriosissimus rex nuncios suos ad nos direxit, qui nobis hæc omnia dicerent, & nos pro hac sede confirmanda interpellarent. Cujus sanctissimam imitationem paterna & præcordiali dilectione intuentes, omnes res, quas B. Petro apostolorum principi, in loco prænominato, legitima ratione collectas contulit, nostræ autoritatis privilegio confirmare decernimus, ea videlicet ratione, ut episcopus ejus loci, & qui in perpetuum sui fuerint successores, ea, secura tranquillitate possideant, & liberam habeant potestatem res & proprietates ejusdem ecclesiæ, ordinare, atque componere, vel etiam augmentare; dissipare vero, atque confundere, nullam habeant potestatem.

Nostra quoque autoritate sancimus, uti in terminis, & in rebus ejusdem ecclesiæ, nulla sit infestatio tyrannorum, vel aliorum quorumlibet pravorum hominum, sive sint in civitate ipsa Babenberc, sive in castellis, & villis, servis & ancillis, C tributariis, decimis, forestibus, silvis, piscationibus, venationibus, molendinis, campis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, & quidquid modo illuc pertinet, vel in futurum acquiri possit, per nostræ autoritatis privilegium corroboratum, in secura quiete permaneat. Nullus ibi comes aut judex legem facere præsumat, nisi quam, per concessionem gloriosissimi regis Heinrici vel successorum ejus, episcopus loci ejusdem deligeret. Nulla aliena potestas ibi per violentiam irruat. Sit ille episcopatus liber, & ab omni potestate extranea securus, Romano tantummodo [1] mundiburdio subditus: quatenus episcopus eo melius cum ca- D nonicis suis servitio Dei possit insistere, & primi constructoris ejusdem loci & recuperatoris jugiter memoriam habere. Sit tamen idem suo [2] metropolitano subjectus, atque obediens. Quicumque hæc præcepta servaverit, divinam remunerationem, & apostolicam benedictionem accipiat. Qui autem contemptor & violator extiterit, perpetui anathematis damnationi subjaceat, nisi resipiscens ad satisfactionem perveniat. Scriptum per manus Petri notarii, & scriniarii S. R. E. in mense Iunio, Indict. v.

[1] *Mundiburdium est defensio.*

[2] *In cod. Vienn. additur*: archiepiscopo Moguntino.

Quod videlicet privilegium venerabiles patres in supradicta synodo Franconofurt habita, generali concilio consistentes, summa veneratione legendo E suscipientes, & apostolicæ autoritati obedientes, devotis mentibus subscribendo unanimiter laudaverunt, communiterque corroboraverunt.

VVilligisus sanctæ Moguntinensis ecclesiæ archiepiscopus, qui eidem synodo vice Romanæ ecclesiæ præsidebam, conlaudavi & subscripsi.

Radherius Padelbrunnensis ecclesiæ episcopus interfui & subscripsi.

Megingaudus Eichstatensis episcopus interfui & subscripsi.

Berenvvardus Hildinisheimensis episcopus interfui & subscripsi.

Lambertus Constantiensis episcopus interfui & subscripsi.

Arnolfus Halberstatensis episcopus interfui & subscripsi.

ANNO CHRISTI 1006.

Vdalricus Curienſis epiſc. interfui & ſubſcripſi.
Burckardus VVormatienſis epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
VVerinharius Argentinenſis epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
VValtherius Spirenſis epiſc. interfui & ſubſcripſi.
Brun *Auguſtenſis epiſcopus interfui collaudavi & ſubſcripſi.
Luidolfus Treverenſis archiepiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Berchtoldus Tullenſis epiſc. interfui & ſubſcripſi.
Heimo Virdunenſis epiſc. interfui & ſubſcripſi.
Hartungus Iuvavenſis archiepiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Chriſtianus Patavienſis epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Gevehardus Radeſponenſis epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Egilbertus Frinſingenſis epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Adalbero Brixienſis epiſc. interfui & ſubſcripſi.
Heribertus archiepiſcopus Colonienſis interfui ad votum ſynodi & ſubſcripſi.
Schvvidgerus Mimigarduordenſis epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Anſfridus Trajectenſis epiſc. interfui & ſubſcripſi.
Theodericus Mindenſis epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Thietmarus epiſcopus Oſneburgenſis interfui & ſubſcripſi.
Dagino archiepiſcopus Magdeburg. interfui & ſubſcripſi.
Hildivvardus Citizenſis epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Burchardus archiepiſcopus* Laudunenſis interfui & ſubſcripſi.
Baldolfus archiep. Taraſienſis interfui & ſubcripſi.
Anaſtaſius Vngrorum archiepiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Adalbero Baſileenſis interfui & ſubſcripſi.
Hugo Genuenſis ſubſcripſi.
Heinricus Lauſonenſis ſubſcripſi.
Eckehardus Seleſvvigenſis ſubſcripſi.
Albericus Cumanus epiſc. interfui & ſubſcripſi.
Richolfus Tergeſtinenſis eccleſiæ epiſcopus.

* Lugdunenſis. *ſic enim vocabatur qui tum erat Lugdun. archiepiſc.*

G. C. Edidit Iac. Gretſerus S. I. vitam S. Henrici Imp. cujus caput x. narrat quæ geſta ſunt in hac ſynodo ante privilegium a Ioanne XVII. miſſum; & iiſdem pene verbis quibus in hoc inſtrumento.

ANNO CHRISTI 1008.

** CONCILIVM KALENSE.

anno Chriſti M. VIII. in Kale palatio præſente Roberto Francorũ rege celebratum. XVI. Kal. Iun.

Hujus concilii nihil ſupereſt, niſi præceptum Roberti regis, quod ſubjicio.

Præceptum Roberti regis pro monaſterio S. Dionyſii datum in ſynodo Kalenſi, epiſcoporumque eiuſdem ſynodi ſubſcriptionibus firmatum.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Robertus divina ordinante clementia rex Francorum ſemper Auguſtus. Dum Deus omnipotens hanc Galliarum patriam a tenebris infidelitatis erueret diſponeret: ſanctiſſimum Dionyſium, divini videlicet verbi ſplendidiſſimam lampadem, eidem ad innoteſcendum veritatis ſuæ lumen dirigere dignatus eſt. Cujus prædicatione converſa, multa largiente domino ſemper experta eſt beneficia. Idem autem pretioſus martyr Chriſti, cum omnibus ſuum quærentibus auxilium divinæ largitatis munificentiam prærogaverit: circa regum tamen Francorum excellentiam noſcitur per cuncta benignus, atque in omnibus adjutor piiſſimus: præſertim cum ipſi toto niſu ejus memoriam ſollicita mente, ac magnifico opere jugiter ſtuduerint ſublimare. Eos nempe, ut in eorum geſtis legitur, ad obtinendum regni principatum ſuis digniſſime ab ineunte ætate ſemper fovit auxiliis, hoſtium eripuit inſidiis, æterniſque, depoſita carnis ſarcina, perfrui impetravit bonis. Dicimus autem eos, quos erga Dei cultum, ſuum quoque devotos cognovit obſequium. Denique ut liquido claret, quicumque ſummi Dei, atque ipſius curam ſollicito exhibere ſtuduerunt obſequio, poteſtate regia digniter necnon perenni feliciter ſublimati ſunt gloria. Qui autem Deo ipſique famulari, ut dignum erat, contempſerunt, vitam cum regno pariter amiſerunt. Quoniam a tempore Karoli tertii Imperatoris uſque ad præſens, in tantum a multis eorum ejuſdem beati martyris neglectus eſt locus, ut ordo ſacræ religionis, monaſtici ſcilicet ordinis, uſque ad ſæcularem pompam deveniret. Quocirca bona illius loci undique depopulata, diſtracta, atq; diſperſa ab illo tempore multis modis videntur. Idemque locus multis calamitatibus oppreſſus, qui libertatem ac dignitatem præ omnibus hujus regionis cœnobiis adeptus fuerat. Hujus igitur calamitatis genitor noſter divæ memoriæ Hugo, atque genitrix noſtra glorioſa Adelaidis, noſque pariter compatientes, ordinem in eo monaſticum reparare, immo conſolidare auxilio Dei, & conſilio procerũ noſtrorum ſtuduimus, ac venerabilem virum domnum Vivianum jam ſuperius fato ſancto loco abbatem præfecimus. Qui ut vir magnæ prudentiæ & induſtriæ, atque ſedulus inveſtigator bonorum loci ſibi commiſſi intus ac foris, noſtram adivit præſentiam, petens, ut ſicut ſpiritalia, ſic etiam terrena augere incrementa Deo digno loco provideremus. Cujus petitioni aſſenſum præbentes, cum dono priore patris noſtri glorioſi regis, ac præclariſſimæ genitricis, pro ſalute ac remedio animarum eorum ac noſtræ, immo pro ſalute animę fidelis* noſtri Hugonis, damus Deo ac ſancto Dionyſio, quaſdam res juris noſtri, cum conjuge ac filiis noſtris, hoc eſt bannum hominis vulnerati vel interfecti, & infracturam intra vel extra caſtellum ipſius cœnobii, & legem duelli, quod vulgo dicitur campus, ac totam procinctam intra vel extra, ſicut antiqui reges ei dederunt, & nos hactenus tenuimus; ac VVaſſoniſvillam cum appenditiis ſuis, & prata quæ ab eadem villa uſque ad murum pertingunt, ac Rubridam ſilvam, cum legibus quæ ex ea fiunt, & quod in villa picta, vel fiſco Ruoilo, vel Ferriciaco tenebamus, omnes videlicet conſuetudines, quas ibi habebamus cum omni integritate. Vnde hoc noſtræ integritatis præceptum fieri juſſimus, obſecrantes & nomen domini noſtri Ieſu Chriſti obteſtantes, ut nullus regum ſuccedentium aut principum, hæc noſtra Deo conlata munera ullo modo infringere præſumat. Si quis autem, quod non credimus, temerario auſu infringere præſumpſerit, autoritate noſtra, & epiſcoporum noſtrorum, qui nobiſcum in ſancta ſynodo, quæ XVI. Kal. Iunii, Kale ſedis noſtræ palatio collecta reſedit, firmaverunt, anathema ſit. Vt enim pleniorem hoc idem præceptum obtineat vigorem, manu propria cum epiſcopis ſanctæ ſynodi noſtræ firmavimus, ac nomina epiſcoporum ejuſdem ſynodi ſubter adſcribi juſſimus, & anuli noſtri impreſſione ſigillari fecimus.

*f. filii.

Lethericus Senonum archiepiſcopus ſubſcripſi.
Hugo Turonorum archiepiſcopus ſubſcripſi.
Fulbertus Carnotenſium epiſcopus ſubſcripſi.
Adalbero Laudunenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Fulco

ANNO CHRISTI 1008.

Fulco Aurelianensis episcopus subscripsi.
Rogerius Belvacensium episcopus subscripsi.
Fulco Suessionensis episcopus subscripsi.
Frotmundus Trecassinorum episcopus subscripsi.
Fulco Ambianensis episcopus subscripsi.
Gislebertus Meldensium episcopus subscripsi.
VVido Catalaunensis episcopus subscripsi.
Robertus Silvanectensis episcopus subscripsi.
Balduinus Tervvanensis episcopus subscripsi.
Franco diaconus, atque chartigraphus relegit, & sigillavit.

CIRCA ANNO CHRISTI 1009.

CONCILIVM ÆNHAMENSE

HORTATV ÆLFEAGI DOROBERNENSIS & VVlstani Eboracensis archipræsulum, ab Æthelredo rege indictum, accersitisque episcopis, & universis Anglorum optimatibus, in die sanctæ pentecostes celebratum, inter annos domini MVI. (id est regis Æthelredi XXVIII. quo Ælfeagus a VVintonia ad Doroberniam translatus est) & MXIII. hoc est Æthelredi XXXV. quo truncato a Danis nefandissime Ælfeago Livingius successit in Dorobernensi archiepicopatu.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I.

HÆ sunt constitutiones quas tulerunt Angli eruditi, elegerunt etiam & edixerunt, instanterque docuerunt observandas. In primis hortantur episcopi, ut A qua possumus festinatione a peccatis revertamus omnes, confessique eadem libentissime, sedulo pariter compensemus: Deum unicum recte diligamus atque veneremur: religionem unicam Christianam firmiter teneamus, & quamlibet Gentilium superstitionem omni odio explosam fugiamus. Consiliis mutuis nobis invicem opitulemur, paci & concordiæ summopere studeamus, & regi unico domino nostro usquequaque obedientes fidelitatem debitam exhibeamus. Decernunt etiam sapientes, B ut abbates & abbatissæ propriam suam vitam recte disponant, familiamque & conventum suum prudenter instituant: & ut omnes, cuiuscumq; ordinis fuerint, ad muneris sui rationem humiliter se accingant coram Deo & mundo; præsertim ministri Dei episcopi & abbates, monachi & mynecenæ, canonici & nonnæ, ad vitæ se convertant integritatem, regulariter vivant, & pro omni Christiano populo preces fundant solertissime. Decernunt utique sapientes, quod monachi, qui extra monasterium suum degunt, professionis suæ regulas non C curantes, animarum suarum utilitati prospiciant, & in monasteria sua cum omni humilitate revertentes, peccata sua & violatæ professionis crimen serio deplorent: meminerint siquidem voti & sponsionis, quibus Deo semet consecrarunt. Monachus autem, qui monasterium non habet, conferat se ad diœcesis episcopum, & coram Deo & hominibus probum se & candidum confirmet; tria saltem se exinde observaturum, scilicet castitatem, habitu vestiri monachali, & qua melius poterit in servitio domini D permanere. Hæc qui præstiterit, dignior habebitur, & in maiori precio, ubicumque venerit. Canonicis honori fuerit, si commeatum in refectorio, somnum in dormitorio capessentes, monasterium teneant in castitate iuxta regulæ suæ rationem, & ut iustum est. Hoc si non fecerint, honore suo spoliantor.

CIRCA ANNVM CHRISTI 1009.

Vt ordinati munera sua exequantur.

Monachi cœnobitæ.

Monachi non cœnobitæ.

II.

Omnes ministros Dei, præsertim sacerdotes, obsecramus & docemus, ut Deo obedientes castitatem colant, & contra iram domini se hoc modo muniant & tueantur. Certius enim norint quod non habeant debite ob aliquam coitus causam uxoris consortium. E In more tamen est, ut quidã duas, quidam plures habeat; & nonnullus, quamvis eam dimiserit quam nuper habuit, aliam tamẽ ipsa vivente accipit, quod nulla Christianorum lege est permissum. Dimittens autem, & castitatem recolens, e cælo assequetur misericordiam, in mundo etiam venerationem, adeo ut iuribus & tributis habeatur thani dignus, cum in vita, tum in funere. Qui autem ordinis sui regulam abdicaverit, omni cum apud Deum

Vt sacerdotes uxorem non ducant.

Quidam plures habent.

Sacerdos cœlebs par est thano.

CIRCA ANNVM CHRISTI 1009.

Deum, tum apud homines, gratia exuatur.

III.

Volumus etiam & obsecramus omnes amicos nostros, & populum universum, ut assidue discant Deum unum intimo corde diligere, & Gentilium superstitionem sedulo effugere.

IV.

Sagas, incantatores, artem * scm exercentes, meretrices egregias, mortem inducentes, & peierantes, tamquam terra indignos e terra projicite, ut purior sit deinceps populus: vel terra exeant cum suis omnibus, ni pœnitentiam egerint abundantius.

* necromantiam.

V.

Sapientes etiam decernunt, ut leges quique coram Deo & hominibus æquas statuant & tueantur: iniquas autem omnino deleant, iustitiam pauperi, atque diviti pari exhibentes lance, & pacem insuper & concordiam pie in hoc sæculo coram Deo & hominibus retinentes.

VI.

Sapientes etiam decernunt, ut nemo Christianum & insontem precio tradat extra patriam, præsertim in pagani alicuius servitium: caveat autem diligenter ne illam animam perdat, quam dominus noster Iesus Christus suo sanguine mercatus est.

VII.

Sapientes etiam decernunt, ut pro delicto modico nemo Christianum morti adiudicet; sed in misericordia potius leges administret ad utilitatem populi: & non pro modico eum perdat, qui est opus manuum Dei, & mercimonium eius magno comparatum precio. De quolibet autem crimine accuratius decernito, sententiam præbens iuxta factum, mercedem iuxta meritum: ita scilicet ut secundum divinam clementiam lenis sit pœna, & secundum humanam fragilitatem tolerabilis. Propensius etiam reminiscatur qui in alium iudicium tulerit, quid a domino petat ipsemet, cum in hunc modum dicit: *Et dimitte nobis debita nostra*, & reliqua.

Matth 6.

VIII.

Instantius etiam docemus, ut Christianus quilibet illegitimos fugiat concubitus, legemque Christianam recte teneat. Nec permittatur unquam ut Christi fide imbutus intra spatium sexti hominis suæ consanguinitatis uxorem ducat, id est intra quartum gradum seu geniculum; neque cuiuspiam viduam, qui pari fuerit proximitate in mundana cognatione, nec uxoris quam habuerat prius neptem seu propinquam, nec sanctam aliquam monialem, nec susceptricem suam e sacro fonte, nec repudiatam quisquam Christianus habeat in uxorem: nec uxorem aliam capiat, dum unam habuerit, sed donec vixerit sit illa unica, si divinam legem ille recte curaverit, & animam suam a gehennæ ignibus liberaverit.

IX.

Fruatur unaquæque ecclesia pace Dei, pace regis, & pace omnium Christianorum. Six pax uniuscuiusque ecclesiæ intra parietes, & pax manu regis data usquequaque sit inviolata. Nemo dehinc in posterum ecclesiæ servitium imponat, nec clientelam ecclesiæ iniuriis afficiat, nec ministrum ecclesiæ eiiciat, inconsulto episcopo.

X.

Iura Deo debita unusquisque annuatim recte pendito: aratri scilicet eleemosynam decimaquinta nocte a paschate; fetuum seu novellorum gregum decimas, ad pentecosten; & terræ fructuum, ad festum omnium sanctorum.

XI.

Census Romæ debitus [quem denarium sancti Petri vocant] ad festum S. Petri ad vincula (alias Missam Petri) persolvatur: & ecclesiæ census, qui *cyri k sceat* appellatur, ad Missam sancti Martini.

XII. & XIII

Luminarium census ter quotannis penditor. Sed æquissimum est, ut animæ symbolum (quam pecuniam sepulcralem nunc vocant) semper dependatur, cum sepulcrum sit effossum.

XIV.

Et si corpus aliquod extra suam parochiam quis posuerit: solvat nihilo minus pecuniam (quod symbolum animæ dicitur) illi ecclesiæ cui corpus famulabatur vivens, & omnia quæ vel Dei sunt, vel ad ipsum pertinent, accuratius (uti par est) pacent habeant.

Sepultus extra parochiam.

XV.

Festivitates & ieiunia debite tenentor. Festivitatem diei solis, prout ad eamdem pertinet, ferventius quisque observato. A mercaturis & conventibus populi [puta sæcularibus & forensibus] a venatione etiam & mundanis operibus, in sancta illa die sedulus abstineto. Sanctæ Mariæ summum festum omnes cautius honoranto: primum ieiunio, & deinceps celebritate. Singulorum quoque apostolorum festivitates religiose quisque celebret ieiunio, præterquam Philippi & Iacobi, quibus propter paschatis gratiam & celebritatem ieiunium non indicimus, nisi voluntarium. Cetera omnia festorum ieiunia quisque teneat diligenter ad eorum exemplar qui hæc optime observaverint.

Dies sanctæ Mariæ.

Apostolorum.

Philippi & Iacobi die non ieiunandum.

XVI.

Et ieiunia quatuor temporum, (quæ *Imbren* vocant) & cetera omnia, prout sanctus Gregorius genti imposuit Anglorum, conservantor.

XVII.

Quaque etiam die veneris ieiunandum est, nisi festum sit.

XVIII.

CIRCA AN. CHRISTI 1009.

XVIII.

Ordalii prætereà, & jurisjurandi administratio, necnon & matrimonii celebratio, in festis solennibus, & jejuniis quatuor temporum, semper prohibentur: & ab adventu domini, ad octavas usque epiphaniæ, & a septuagesima ad quintamdecimam noctem ultra pascha. Et sit intervallum illud tempus sanctum: ita scilicet, ut pax & concordia, uti decet, inter Christianos habeantur, & omnis dissensio componatur. Et si quis alteri fidejussione quid debuerit, aut rei alicujus mundanæ satisfactionem, studiose jam persolvat, aut mox postea.

XIX.

Viduæ ad minus bis senos menses sub præsidio Dei atque regis pura se contineant viduitate, deinceps virum eligant ut voluerint.

XX.

Vnusquisque Christianus, prout fidei suæ in primis necessarium est, Christianitatem suam curet diligentius, & frequenter adeat confessionem, & pudore posito sua confiteatur peccata, & quam ei imposuerit sacerdos emendationem sedulus exequatur. Reverenter etiam præparatus quisque adeat sacram eucharistiam, quando ad arbitrium ei videbitur maxime necessarium, saltem ter quotannis.

XXI.

Verba & opera, ut amicos decet, recte quisque disponat, & jusjurandum pactamque fidem caute teneat. Omnem etiam injustitiam e patriæ finibus, qua poterit industria, quisque eiiciat. Opera dolosa, & exosas omnes iniquitates quisque sedulus obiicito: iniusta nempe pondera, iniquas mensuras, falsum testimonium, pugnas, & contentiones sceleratas, illicitos etiam concubitus, & periuria formidanda. Opera item diabolica, cum in clandestino, tum in alio quovis homicidio, in furto & in...... in avaritia, & concupiscentia, in gula, & ebrietate, in seditione, in multiplici legum violatione, in violatione coniugii, & sacri ordinis, festorum, & ieiuniorum, in sacrilegio, & plurimis gentium malefactis. Noverit enim unusquisque, horum nihil umquam fovendum esse, sed studiosius evitandum: diligatque hinc in posterum omnia summo desiderio quæ ad Deum pertinent, cum in verbis, tum in factis: sic populus hic noster divinam citius consequetur misericordiam.

XXII.

Quoad pacis violatæ, & corrupti numismatis emendationem, omnes studiosius incumbamus; ita scilicet pacis emendationi, ut cuique patrifamilias optatissima sit, furibus autem infensissima. Numismatis vero correctioni, ut unus atque idem nummus per omnes istas transeat regiones absque aliqua falsitate. Pondera & mensuræ ad iustam habentor regulam, & iniquum quodlibet exhinc deleatur. Vrbium, oppidorum, arcium, atque pontium instauratio sedulo fiat, prout opus fuerit: militaris etiam, & navalis profectio, uti imperatum est, ob universalem utique necessitatem.

Numismatis. Mensurarum, & ponderum. Oppidorum, pontium, & de expeditione.

XXIII.

Cavendum etiam est, ut celerius post paschatis festum navalis expeditio annuo sit parata. Si quis navem in reipublicæ expeditionem designatam vitiaverit, damnum integre restituito, & pacem regis violatam compensato. Si vero eam ita prorsus corruperit, ut deinceps nihili habeatur, plenam luito iniuriam, & læsam præterea maiestatem.

Navem publicam corrumpentis pœna.

XXIV.

Si quis de profectione militari, cui rex interrerit, sine licentia se subtraxerit, in detrimentum corruat omnium fortunarum.

XXV.

Et si quis qui homicidium perpetraverit occultum, vel manifestum, sive etiam periurium, præsumat in regis præsentiam pervenire, priusquam pœnitentiam egerit coram Deo; atque sæculo: honore suo, & omnibus facultatibus plectitor, nisi in hoc etiam veniam obtinuerit.

XXVI.

Si quis vitæ regis insidiabitur, suiipsius vitæ dispendio, & quas habet rebus omnibus pœnas luito. Sin negaverit, & purgationem qua licuerit expetierit, solenniori eam faciat iuramento, vel ordalio triplici, iuxta legem Anglorum, & in Danorum lege, prout ipsa statuit.

XXVII.

Si quis Christi legibus, sive regis se nefarie opposuerit, capitis plectitor estimatione, vel mulcta alia pro delicti qualitate. Et si mortem resistendo suiipsius culpa sibimet induxerit, inultus iaceat.

XXVIII.

Si quis monialem vitiaverit, aut in stupro viduæ vim intulerit, gravissime apud Deum atque homines compensato.

XXIX.

Scrutari oportet diligentius unumquemque modis omnibus, quonam pacto illud ante omnia efferatur consilium quod populo habeatur utilissimum, & ut recta Christi religio maxime provehatur, injustumque quodlibet funditus extirpetur. Hæc enim in rem fuerint totius patriæ, ut injustitia conculcetur, & iustitia coram Deo & hominibus diligatur.

Circa an. Christi 1009.

XXX.

Ad ecclesiasticos pro castitate & orationibus.

Nunc autem ministros Dei solicite monebimus, ut sui cautius reminiscentes, & cælesti fulti adiutorio, castitatem colant, libris & orationibus sedulo indulgeant, noctesque diesque Christum invocent frequentius, & pro omni populo Christiano vehementius intercedant. Sed & iterum atque iterum amicos obtestamur vehementius, quod & nobismetipsis maxime interea necessarium est crebro facere, ut a peccato quisque cogitet sedulus resipiscere, &, qua poterit, aliorum cohibere iniquitates. Illud denuo reminisci, quod hominibus maxime necessarium est frequentissime reminiscendum: hoc est, ut sinceram fidem unanimiter habeant in Deum verum, qui omnes fecit & gubernat creaturas: ut rectam fidem Christianam recte teneant: doctores verbi Dei diligenter audiant, doctrinamque, & præcepta sua studiose insequantur: ut in ecclesia Dei pacem tueantur, & tranquillitatem, oblationibus eam salutantes, & luminibus, ibidemque Christo preces anxius effundentes: ut annuatim Deo debita recte pendant, & festa, & ieiunia recte etiam observent: ut in die Solis omnem mercaturam conventusque populares fugiant studiose: ut Dei ministros semper tueantur, & honorent: ut Dei pauperes foveant, & pascant: ut viduam aut orphanum non lacessant, diligentius autem consolentur: ut peregrinos atque advenas neque vexent, neque gravamine afficiant: ut iniuriam aliis non inferant de industria, sed hoc alteri unusquisque faciat quod sibi fieri voluerit, prout iustum est. Hæc quidem lex æquissima.

Ad sæculares, ut resipiscant. — Deum, fidem, verbum, colant. — Deo debita pendant. — Diem Solis sanctificet. — Ministros Dei honorent. — Pauperes pascant. — Viduam, &c non lacessant. — Nec peregrinum. — Alteri non faciāt quod sibi fieri nolunt.

XXXI.

Ad ecclesiam pertinent quæ in causa ecclesiæ etiam a laicis imponuntur.

Curæ etiam unicuique sit in posterum, ne divinam legem violet aut humanam. Qui vero in hoc deliquerit, illic compensato studiosius ubi contigerit deliquisse; tam secundum emendationem ecclesiasticam, quam secundum leges sæculares. Mulctæ & animadversiones ex delictis provenientes adversus Deum patratis, etiamsi a sæculari magistratu impositæ, iuxta episcoporum constitutionem, omnino pertinent ad orationes comparandas, pauperumque commodum promovendum, ad ecclesiarum instaurationem, & ad populum Dei erudiendum, vestiendum, & pascendum, ad libros, campanas, & vestimenta ecclesiæ suppeditandum; numquam vero ad mundanas exequendum vanitates, sed in pios usus, & ad virorum sæcularium instructionem, erogandæ. Quidquid scilicet pervenerit alias ex multa simplici, alias e capitis æstimatione, quam vvirgildum nuncupant, alias ex pœna seu animadversione* colli obstricti, alias ex multa legis violatæ, alias ex honoris seu facultatum iactura, alias maiori, alias minori.

Et cujuscumque sint generis.

* *vulgo* pilariæ.

XXXII.

Potentiores gravius mulctandi.

Et ut quisquis fuerit potentior in hoc sæculo, vel per scelera evectus in altiorem gradum: ita gravius emendabit peccata sua, & pro singulis malefactis pœnas luet graviores. Propterea, cum dissimiles omnino sint potentes, atque impotentes: iustum ut illis simile non imponatur onus, nec infirmis, aut invalidis ut valentibus: sed tum in pœnis ecclesiasticis iniungendis, tum in legibus sæcularibus exequendis, moderandum semper erit, & distincte discernendum: scilicet inter senes, & adolescentes; inter divites, & egenos; inter sanos, & infirmos; & similiter in aliis ordinibus. Et si acciderit aliquem contra voluntatem suam, vel forte fortuito, delictum aliquod perpetrare: similiter non in eum est animadvertendum, ac si voluntarie hoc fecisset, & de industria. Quicumque enim necessitate pulsus in aliquo deliquerit, melius semper, & clementius iudicandus est, ex ipso hoc quod ex necessitate factum perpetraverat. In quovis igitur facto cautius discernendum est, iudiciumque iuxta factum recto moderamine disponendum, merces iuxta meritum, quoad Deum, quoad sæculum. Dei igitur timore commotus, quisque clemens atque mitis esto, misericordiam (prout opus fuerit) recte distribuens: nobis enim omnibus maxime expedit, ut dominus noster sæpius atque iterum clementiam suam largiatur. Amen.

Quilibet juxta conditionem suam. — Voluntas, & necessitas consideranda. — Misericordia in omnibus adhibenda.

CONCILIVM ÆNHAMENSE
IVXTA ALIVD EXEMPLAR.

PRÆFATIO.

QVONDAM tempore contigit, ut regis Æthelredi edicto concrepante, archipræsulumque Ælfeahi, & VVulfstani cohortatu instigante, universi Anglorum optimates, die sancto pentecostes, ad locum ab indigenis Eanham nominatum acciti sunt convenire. Collecto itaque ibidem Christicolarum cœtu venerabilium quam plurimorum, de catholicæ cultu religionis recuperando, deque etiam rei statu publicæ reparando, vel consulendo; plura, & non pauca, ut pote divinitus inspirati, ratiocinando sermocinabantur. Denique in eorumdem synodalis exordio sermocinationis, episcopi semetipsos primitus fidei speique, & caritatis, quatuorque pricipalium virtutum, prudentiæ videlicet, & justitiæ, fortitudinis quoque, & temperantiæ decore adornari, mutuis colloquiorum instructionibus salubrium invicem cohortabantur, statueruntque pro invicem quotidianam interventionem, atque pactum pacis & concordiæ fideliter firmiterque inter se confirmabant.

Causa hujus concilii.

SYNODALIA

CIRCA AN. CHRISTI 1009.

SYNODALIA DECRETA.

I.

[...]gem & [...]gionem [...]endos, [...]pulum [...]ruen[...]n.

Omnem quoque populum monebant, unum regem sub unius cultu religionis Christianæ, superstitionis ritu fanaticæ omnimodo abiecto, & timere, & diligere. Deinde uniuscuiusque ordinis, vel sexus, vel ætatis catervam accitam assistentemque, ut iuxta legis sanctiones catholicæ suam sobrie, & iuste, ac pudice in hoc sæculo vitam instituerent, suggestionibus multimodis, secundum apostoli monita beati, arguebant, obsecrabant, increpabant. Ibi ergo episcopi, ut erga creditæ sibi salutem plebis, paganorum incursionibus vel irruptionibus, cæterisque calamitatum ærumnis pluriformium opprimentibus, a religionis tramite recto anfractibus errabundis exorbitantis, pervigiles existerent: eisque vitæ pabula vel alimenta, quibus ad fidei cultum catholicæ recrearentur, solicite instanterque ministrarent, monitibus cogebantur intentis. Memores enim fore prophetæ monebantur, dicentis: *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Abbatibus namque, necnon & abbatissis, maximis ibidem prædicabatur obsecrationibus, ut vitæ propriæ legis frena regularis imponerent, collaque iugo Christi leuissimo omnimodis infatigabiliter, humiliterque supponerent, & sedula instantia sagacitatisque studio intentissime monita sibimet subiectis salutaria, actuumque exemplaria bonorum nomina * maioris officiis æquantes, vel implentes, studiosissime impendere procurassent, eosdemque a sanctæ tramite religionis, vel ab almi norma patris Benedicti per anfractus obliquos dextrorsum vel sinistrorsum nequaquam deviare permitterent. Archipontifices etiam, una cum cæterorum consensu pontificum, orthodoxorumque iam tunc præsentium, salubre hoc piumque cælitus afflati elegerunt tradiderunt que consilium, ut si quispiam monachorum, vel quæpiam monialium, ex cuiuspiam monasterio abbatis, vel abbatissæ, ipsius videlicet vel antecessorum eius temporibus regiminis, ritu apostatico per proprium arbitrium egressi, vel proprii reatu deliquii expulsi, alicubi reperti fuerint, in monasterium iterum revertantur, & absque ulla contradictione suscipiantur. Caveant etenim abbates, necnon & abbatissæ, ne illud propheticum de illis dicatur: *Quod infirmum non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis.* Reversi ergo monachi, vel moniales, observantiæ regulari humiliter subiaceant, negligentiasque priores nimium pœniteant, & a cunctis amodo vanitatibus desistant. Vota enim, vel promissa, quæ Deo voverunt, mente solicita revolvant, factisque

[...]et. 5. [...]nobitæ [...]ulam [...]m, te[...]nt.

[...]nachi, [...]oniales [...]i redeāt [...]ua mo[...]teria.

[...]ech. 34.

[...]gulari[...] vivant.

A eadem persolvere studeant. Si autem cuiuspiam monachorum monasterium, quo se per promissionis votum, perque habitus susceptionē spiritalis, domino obtulit omnipotenti, velut plerumque mutata temporum vicissitudine contingere solet, cum canonicis vel cum sanctimonialibus constitutum sit; isque tam alicui ecclesiæ vel monasteriolo in Christi famulatu deditus fuerit: idem ipse pontificem, ad cuius diœcesim eadem ecclesia vel monasteriolum cui B præest pertinet, promptissime adeat, triaque hæc se semper servaturum data dextra devoveat, castitatem videlicet, habitumque monachicum, & perpetuam in Christi servitute perseverantiam. Quod si hæc persolverit, dignior habeatur. Canonici namque in suis se monasteriis ita observent, ut in continentia pura, & in castitate magna, domino regulariter deserviant; horis competentibus officium divinum in ecclesiis pariter concelebrent: & si eo loci substantiæ abundantia victualis non defuerit, in suis per dies singulos prandeant re- C fectoriis; noctibus quoque singulis, ut eis regulæ monstrat autoritas, in dormitoriis requiescant. Quod si hæc observare neglexerint: vel regulariter emendent, vel de monasteriis eiiciantur, & Dei hereditate careant.

Tria voveant.

Canonici cœnobia sua teneāt.

II.

Sacerdotes itaque, sive presbyteros, summopere obsecramus, ut caste, & continenter domino iugiter servientes, a connubiis se femineis omnino abstineant, sicque domini iram devitent. Si enim taliter domino servire voluerint, domini cunctipotentis misericordiam hic & in futuro consequantur perpetuam; D insuper & nobilium honore personarum, & in vita præsenti, & post vitæ terminum, digni habeantur. Quod si hæc observare noluerint, omni honore penitus priventur.

Sacerdotes caste vivant.

III.

Post hæc igitur archipontifices prædicti, convocata plebis multitudine collectæ, regis edicto suprascripti, omniumque consensu catholicorum, omnibus communiter prædicabunt unum Deum colendum esse debere, Patrem videlicet, & Filium, & Spiritum sanctum; Patrem siquidem ingenitum, Filium autem ante tempora geni- E tum a Patre, in tempore natum e matre, Spiritum vero sanctum ab utroque procedentem; Trinitatem siquidem in personis, unitatem in substantia; deitate coæqualem, honore & gloria coæternum. Vnum, inquiunt, Deum, unamque spem, & unam fidem, atque unum baptisma nos colere oportet, & omnes paganas superstitiones contemnere.

Deum unum, & fidem colendos.

Incan-

CIRCA AN. CHRISTI 1009.

IV.

Incantatores, fagas, &c. ejiciendos.

Incantatores autem, magos, pythonicos, & veneficos, necnon idolorum cultores, acriter oportet constringere, vel etiam ex patria ejicere. Decreta namque, vel statuta, vel scita legalia, æqua & justa, semper teneamus; injusta autem legique contraria penitus exterminentur, & ab omnibus eliminentur. Iuris quoque statuta civilis æquissima, nulli abstrahantur personæ nobili neque ignobili.

V.

Pax, & fides.

Fides firma, caritas non ficta, amicitia vera, & non falsa, inter singulos teneantur.

VI.

Christianus non vendendus extra patriá.

Nemo etenim, pro pecuniæ commutatione alicujus, quempiam Christianum insontem ex patria ejiciat, sed nec paganorum dominio subdat. Nefas igitur est, ut quos Christus sanguinis sui effusione redemit, Iudæorum vel Gentilium vinculis sint irretiti.

VII.

Pro re modica nemo occidatur.

Delinquentes etiam, pro delictis modicis morti minime tradantur, sed pie cauteque puniantur, ne forte punitionis severitate judicis iram districti provocent punientes: Dominus enim dicit: *Nolite condemnare*, & reliqua. Et item: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini*. Et apostolus dicit: *Castigate, & non mortificate:* plasmati namque domini plasmantis, quod proprio sanguine redemit, semper ubique parcatur.

Luc. 6. Matth. 7. 2. Cor. 6.

VIII.

Connubia illicita.

Connubia illicita cunctis generaliter interdicimus Christianis; sed legi divinæ cum Dei timore adstringantur. Nemo igitur illicitis conjunctionibus se inquinet, id est, cum cognatis, vel cum conjugatis, vel cum Deo sacratis, seu cum aliis illicitis personis.

IX.

Ecclesiæ, & ministri immunes.

Ecclesiæ itaque per loca singula ædificatæ in domini subsidio cunctipotentis, necnon & regis terreni, cunctæque plebis catholicæ, tuitione semper persistant: nec quisquam pro quopiam commercio, jugo servitii suam subjugans ecclesiam, venditor efficiatur ecclesiarum; sed in Christi servitute levissima libere semper permaneant: neque sacerdotes, vel ministri Deo ibidem fideliter servientes, absque pontificis consilio inde expellantur: nec ecclesiæ antiquitus constitutæ decimis, vel aliis possessionibus priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur.

X.

Decimæ, & Deo debita reddenda.

Decimationes frugum, & vitulorum, & agnorum, necnon & aratrales eleemosynæ, ecclesiasticaque munera, domino per singulos annos temporibus rependantur congruis: eleemosynæ videlicet aratrales quindecim diebus post pascha peractis; vituli quoque, & agniculi decimales, erga pentecosten; frugum vero terræ decimationes, circa omnium festivitatem sanctorum, ecclesiis persolvantur opportunis.

XI.

Denarius Romanus.

Pecunia quoque Romana erga beatorum solennitatem apostolorum Petri & Pauli pontificibus per singulos annos reddatur.

XII.

Census ecclesiasticus. Luminaria.

Ecclesiastica vero munera in beati festivitate Martini per singulos annos ecclesiis donentur competentibus. Lumina etiam cereorum ter in annis singulis reddantur, augeantur, reparentur.

XIII.

Defunctorum munera.

Munera necnon defunctorum animabus congruentia puteo impendantur aperto.

XIV.

Iejunia.

Ieiunia quadragesimalia, & cætera a sanctis patribus indicta, sanctorumque festivitates a catholicis institutæ, summopere observentur.

XV.

Dies dominica. Festum B. Mariæ. Apostolorum.

Dominicæ solennia diei cum summo honore magnopere celebranda sunt, nec quidquam in eadem operis agatur servilis: negotia quoque sæcularia quæstionesque publicæ in eadem deponantur die. Genitricis namque domini nostri, almæ videlicet Mariæ, festa solennia, primo cum ieiuniis, & postea cum suavisona melodiarum cantilena, honorifice ab omnibus celebrentur solenniter. Festa quoque apostolorum cunctorum similiter cum ieiuniis concentibusque spiritualibus summopere colenda sunt.

XVI.

Iejunium quatuor temporum.

Ieiunia vero quatuor temporum nos observare oportet, ut sanctus Gregorius nobis constituit; quamvis aliæ gentes aliter exercuerunt.

XVII.

Dies Veneris.

Sextæ etenim ieiunia feriæ ab omnibus magnopere per singulas hebdomadas exercenda sunt; si tamen in eadem die aliqua festivitas non evenerit.

XVIII.

De diebus juridicis.

Iudicium quippe, quod Anglice *ordal* dicitur, & iuramenta vulgaria festivis temporibus, & legitimis ieiuniis, sed & ab adventu domini usque post octavas epiphaniæ, & a septuagesima usque xv. dies post pascha, minime exerceantur; sed sit his temporibus summa pax & concordia inter Christianos, sicut fieri oportet.

XIX.

Viduæ per annum innubæ.

Viduæ singulæ in subsidio dominico, inque regis cunctæque plebis munitione catholicæ semper consistant, perque menses XII. in continentia perseverent; quibus peractis, libero utantur arbitrio, vel nubendi, vel in continentia permanendi.

XX.

Confessio & pœnitentia.

Christiani quique colloquia frequentia, & salubria

Circa an. Christi 1009.

salubria cum sacerdotibus crebro exerceant, suaque sibi peccata inverecunde depromant, ac confiteantur, confessaque iuxta sacerdotis institutionem pœniteant, atque emendent; seque per continentiam, & per reliqua operum studia bonorum ita purificent, ut corporis & sanguinis participatione creberrime digni, & mundi efficiantur.

XXI.

Verba, & facta. Verba, & facta unusquisque iuste disponat, iuramenta & vota fideliter compleat.

XXII.

Iniquaomnia abolenda. Nequitiæ namque cunctigenæ a cunctis Christianis penitus eiiciantur, iræ videlicet, rixæ, dissensiones, blasphemiæ, adulteria, homicidia, furta, rapinæ, necromantiæ, avaritiæ, fornicationes, periuria, sacrilegia, sortilegia, ebrietates, comessationes, idololatriæ, falsa testimonia, fraudes subdolæ, maleficia, veneficia, pondera dolosa, mensuræ iniquæ, stateræ fraudulentæ, cæteræque pestes, quæ ad interitum hominem pertrahunt. Si enim istas mortiferas pestes a nobis avellere voluerimus, omnipotens & misericors dominus nobis nostræque genti procul dubio miserebitur. Monetarii. Fraus itaque monetariorum funditus absistat, exque pura, & simplici materia pecunia cudatur. Furta, &c. Furta autem, & latrocinia omnia radicitus absistant, vel ea perpetrantes multimodis pœnis puniantur. Munitiones. Arcium muri, urbes, oppida, castella, civitates, pontes, reparentur, restaurentur, renoventur, vallis, & fossis muniantur, & circumvallentur.

XXIII.

Expeditio navalis. Naves per singulos annos ob patriæ defensionem, & munitionem præparentur, postque sacrosanctum pascha cum cunctis utensilibus competentibus simul congregentur. Qua igitur etiam pœna disunt qui navium detrimentum in aliquibus perficiunt, notum cunctis esse cupimus. Quicumque aliquam ex navibus per quampiam inertiam, vel per incuriam, vel negligentiam corruperit, & tamen recuperabilis sit, is navis corruptelam, vel fracturam eiusdem, persolidam prius recuperet, regique deinde ea quæ pro eiusdem munitionis fractura sibimet pertinent rite persolvat.

XXIV.

Militia recedens. Si autem de expeditione, id est, de præcinctu, cui ipse rex intererit, sine licentia quisquam discesserit, rerum facultatumque cunctarum discrimen incurrat.

XXV.

Excommunicati ... a rege. Si etiam quisquam de excommunicatis, nisi causa refugii, in regis præsumpserit præsentia ante pœnitentiæ satisfactionem peractam consistere, facultatum proscriptione damnetur.

XXVI.

Si quis dæmoniaco instinctu regem circumvenire molitur: illum dignum morte iudicamus, nisi forte maximo iuramento, vel fervente ferro excusetur.

XXVII.

Legibus resistentes. Et si quis legi Dei manifeste resistit, vel contradicit, reddat quod debet legis desertor: & si is contrarius rebellare armis nititur, & sic occiditur, iaceat absque redditione.

XXVIII.

Nonnam, &c. opprimens. Nullus itaque Christianus nonnam Deo dicatam violet; nemo viduam vi opprimat sine periculo substantiæ suæ.

Conclusio. In his itaque, & in cunctis, iniqua omnia & iniusta, quæ rex noster una cum optimatibus exterminare decreverat, vel mandaverat, semper & ubique penitus abiiciantur, eliminentur, omnimodisque excludantur: iustitiaque & veritas semper servetur. Sicque pax summa, frugumque fertilitas, omniumque copia bonorum in patria abundabit, domino patrocinium præstante, qui vivit, *&c.*

Hæc itaque legalia statuta, vel decreta, in nostro conventu synodali a rege nostro magnopere edicta, cuncti tunc temporis optimates se observaros fideliter spondebant. Idcircoque ego, N. gratia domini disponente, Eboracensium archiepiscopus, eadem ad sequentium memoriam, necnon & ad præsentium vel futurorum salutem, literis infixi, domini videlicet proximique dilectione compunctus. Archiepiscopus Eboracensis scribit, seu cancellarius.

Anno Christi 1009.

VITA SERGII PAPÆ IV.

Sergius quando papa factus. SERGIUS, ejus nominis quartus, post interregnum unius mensis, & tredecim dierum, pridie Kalendas Septembres, anno salutis 1009. tempore Henrici regis, ex episcopo Albanensi creatus est Romanus pontifex, optimus, pluribusque virtutibus exornatus. Cur nomen mutaverit. Hic ante Petrus nuncupatus, ob reverentiam apostolici culminis nomen pristinum immutavit, & Sergius nominari voluit: ut patet ex sepulcrali inscriptione, de qua infra. Errat ergo Ditmarus, qui suo judicio & assertione ideo id factum scribit, quod nomine non satis honesto Buccaporci nominaretur. Turpius falluntur, qui hujus solius pontificis exemplo posteros sua nomina immutare arbitrantur: cum ex præcedentibus liquido constet, quod Ioannes XII. ante pontificatum Octavianus, Gregorius V. Bruno, Silvester II. Gerbertus, nuncupati fuerint. Novatores redarguuntur. Hoc judice, Libentio Hamburgensi archiepiscopo controversia, quæ inter ipsum, & Bernarium Verdensem de parochiæ Ramsolæ subjectione agitabatur, & ob quam ille Odonem Romam ablegaverat, adjudicata fuit. *Adam.*

Res gestæ sub Sergio. Hoc tempore magno cum prodigio Romæ in quadam ecclesia oleum scaturiit, ex quo vas aliquod impletum missum est ad Henricum regem. Rem gestam describit hujus temporis scriptor Ditmarus lib. 7.

Persecutio ecclesiæ Anglicanæ. Anglicanam ecclesiam Dani persequuntur. Ex clericis & monachis, novem occisis, strangulatis, aut

aut per verenda suspensis, decimum quemque vitæ reservarunt. Sanctum Elphegum Cantuariensem episcopum, post multas carceris & vinculorum injurias, glorioso martyrio affecerunt.

Obitus Sergii. Sergius papa, cum sedisset annos duos, menses octo, & dies tredecim: obiit 13. Maii, anno salutis 1012. sepultus est in basilica Lateranensi, cum hac sepulcrali inscriptione:

Quisquis ad hæc tendis sublimia limina lector,
Et caperis tantæ nobilitate domus,
Intentis oculis aulæ percurrere raras
Desine materias, arte iuvante manus.
*Lumina cum gressu prudente * secula coercens,*
Respice solicitus quid velit hic titulus.
Hic tumulata iacent pastoris membra sereni,
Quem decus ecclesiæ contulit Omnipotens.
Pauperibus panis, nudorum vestis opima,
Doctor & egregius qui fuit in populo.
Iura sacerdoti lætas dum vidit aristas.
Cœtibus æquavit naviger angelicis.
Albanum regimen lustro venerabilis uno
Rexit, post summum ducitur ad solium;
In quo mutato permansit nomine præsul,
Sergius ex Petro; sic vocitatus erat.
Ductus mente pia, Iesu, dic, parce Redemptor:
Vtque vicem capias, dic: Deus hunc habeas.

Qui sedit annos 11. & menses 8. & dies 13. indictione x. anno dominicæ incarnationis millesimo decimo tertio.

ANNO CHRISTI 1009.

SERMO SYNODALIS,

EX CODICE MANVSCRC. MONASTERII Neresheimensis, scripto anno Christi 1009. quod ex verbis istis colligitur: Ab initio mundi usque in adventum domini secundum Hebraicam veritatem anni sunt 3956. secundum vero interpretes, anni 5699. Colliguntur autem anni omnes a creatione primi hominis usque in septimum annum Henrici imperatoris secundum Hebraicam veritatem 4965. secundum vero interpretes 6708.

Sermo synodalis, qui in singulis synodis, parochianis presbyteris enuntiandus est.

FRATRES presbyteri & sacerdotes domini, cooperatores nostri ordinis estis. Nos quidem, quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos locum Eleazari & Ithamaris. Nos vice duodecim apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta discipulorum estis. Nos pastores vestri sumus, vos pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo pastori domino Iesu Christo, vos de plebibus vobis commissis. Et ideo, carissimi, videte periculum vestrum. Admonemus & obsecramus fraternitatem vestram, ut de communi salute vestra cogitantes attentius, audiatis admonitionem nostram; & quæ vobis suggerimus, memoriæ commendetis, & opere exercere studeatis.

In primis admonemus, ut vita & conversatio vestra irreprehensibilis sit, scilicet ut cella vestra sit juxta ecclesiam, & in ea feminas non habeatis. Omni nocte ad nocturna surgite. Cursum vestrum certis horis decantate. Missarum celebrationes religiose peragite. Corpus & sanguinem cum timore & reverentia sumite. Vasa sancta propriis manibus abluite & abstergite. Nullus cantet missam, nisi jejunus. Nullus cantet, qui non communicet. Nullus cantet sine amictu, alba, stola, fanone, planeta. Et hæc vestimenta nitida sint, & ad nullos alios usus sint. Nullus cum alba, qua in suos usus utitur, præsumat missam cantare. Nulla femina ad altare domini accedat, nec calicem domini tangat. Corporale mundissimum sit, altare coopertum de mundis linteis. Super altare nihil ponatur, nisi capsæ & reliquiæ, aut forte quatuor euangelia, & buxida cum corpore domini ad infirmos: cætera in nitido loco recondantur.

Missale plenarium, lectionarium, & antiphonarium, unaquæque ecclesia habeat. Locus in sacrario aut juxta altare sit præparatus, ubi aqua effundi possit quando sacra vasa abluuntur, & ibi vas nitidum cum aqua dependeat, ibique sacerdos manus lavet post communionem. Ecclesiæ sint coopertæ bene & cameratæ, & atrium sit sæpe munitum. Nullus extra ecclesiam per domos aut in locis non cameratis missam cantet. Omnis presbyter clericum habeat aut scholarem, qui epistolam vel lectionem legat, & ad missam respondeat, & cum quo psalmos cantet. Nullus solus missam cantet.

Nullus cum calcariis, quos sporones rustice vocamus, & cultellis extrinsecus dependentibus, missam cantet: quia indecens est, & contra regulam ecclesiasticam est.

Calicem & oblatam recta cruce signate, id est, non in circulo, & variatione digitorum, ut plurimi vestri faciunt, sed strictis duobus digitis & pollice intus recluso, per quos Trinitas innuitur, istud signum † recte facere studete: non enim aliter quidquam potestis benedicere. Infirmos visitate, & eos reconciliate, & juxta apostolum oleo sancto inungite, & propria manu communicate. Et nullus præsumat tradere communionem laico, aut feminæ, ad deferendam infirmo. Iac. 5.

Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium vel munus exigat. Videte ne per negligentiam vestram ullus infans sine baptismo moriatur. Nullus vestrum sit ebriosus & litigiosus, quia servum domini non oportet litigare. Nullus vestrum arma ferat in seditione, quia arma vestra debent esse spiritualia. Nullus canum aut avium jocis inserviat.

Nullus in tabernis bibat. Vnusquisque vestrum, quantum sapit, plebi suæ de euangelio vel apostolo, die dominico, vel festis diebus, annuntiet. Verbum domini debetis prædicare. Curam pauperum, peregrinorum, & orphanorum habete, eos ad prandiola vestra invitate. Estote hospitales, ut alii a vobis exemplum bonum sumant.

Omni die dominica ante missam aquam benedictam facite, unde populus aspergatur: & ad hoc solum vas habete. Sacra vasa, & vestimenta sacerdotalia, nolite in pignore dare negotiatori, aut tabernario. Nullus vestrum usuras exigat, & conductor sui fenoris existat. Res & facultates, quas post diem ordinationis vestræ acquiritis, sciatis ad ecclesiam pertinere. Nullus sine scientia & consensu nostro ecclesiam acquirat. Nullus per potestatem sæcularium ecclesiam obtineat. Nullus ecclesiam ad quam titulatus est relinquat, & ad aliam quæstus causa migret. Nullus plures ecclesias teneat sine adjutorio aliorum presbyterorum. Nullatenus una ecclesia inter plures dividatur. Nullus alterius parochianum, nisi in itinere, & cum placitum fuerit, ad missam recipiat. Nullus in alterius parochia missam cantet. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare, & bibere vinum, nisi pro eo ad præsens eleemosynam fecerit. Nullus præsumat baptizare, nisi in vigilia paschæ, & penteco-

[A]nno [Ch]risti [1]009.

pentecostes, nisi propter periculum mortis. Vnusquisque fontes habeat, & si non potest lapideos, habeat aliud vas ad hoc præparatum, in quo nihil aliud fiat. Videte, ut omnibus parochianis vestris symbolum, & orationem dominicam insinuetis. Iejunium quatuor temporum, & rogationum, & litaniæ majoris, plebibus vestris omnimodis observandum insinuate: feria quarta ante quadragesimam plebem ad confessionem invitate, & ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in pœnitentiali scriptum est. Quater in anno, id est, natale domini, & cœna domini, pascha, & pentecoste, omnes fideles ad communionem corporis & sanguinis domini accedere admonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abstinere exhortamini. Eulogias post Missam in diebus festis plebi tribuite. Nullus induatur vestimentis laicalibus. Nullus rem, aut possessionem, aut mancipium ecclesiæ, vendere, aut commutare, aut quocumque ingenio alienare præsumat.

Diem dominicum, & alias festivitates, absque opere servili a vespera usque ad vesperam celebrari docete. Cantus & choros mulierum in atrio ecclesiæ prohibete. Carmina diabolica, quæ super mortuos nocturnis horis vulgus facere solet, & cachinnos quos exercent, sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus illis præsumat missam cantare, sed & plebibus vobis hoc annuntiate. Ad nuptias nullus vestrum eat. Omnibus annuntiate, ut nullus uxorem accipiat, nisi publice celebratis nuptiis. Raptum omnimodis prohibete, & ut nullus ad proximam sanguinis sui accedat, & ut alterius sponsam nullus ducat. Porcarios, & alios pastores, vel dominica ad missam venire facite. Patrini filiolis suis symbolum, & orationem dominicam insinuent, aut insinuari faciant. Chrisma semper * sub cera sit sigillo, propter quosdam infideles. De ministerio etiam vobis commisso vos admonere curamus, ut unusquisque vestrum, si fieri potest, expositionem symboli, & orationis dominicæ, juxta traditionem orthodoxorū penes se scriptas habeat, & eam pleniter intelligat: & inde, si novit, prædicando populum sibi commissum sedulo instruat; si non, saltem teneat, vel credat. Orationes quoque missarum, & canonem bene intelligat, & si non, saltem memoriter ac distincte valeat proferre. Epistolam, & euangelium bene legere possit, & utinam ad literam ejus sensum posset manifestare. Psalmorum verba & distinctiones regulariter ex corde cum canticis consuetudinariis pronuntiare sciat. Sermonem, ut supra diximus, Athanasii episcopi de fide Trinitatis, cujus initium est, Quicumque vult, memoriter teneat. Exorcismos & orationes ad catechumenum faciendum, ad fontem quoque consecrandum, & reliquas preces super masculum, & feminam, pluraliter ac singulariter distincte proferre valeat. Similiter baptizandi, ad succurrendum infirmis, ordinem quoque reconciliandi, juxta modum sibi canonice servatum, atque ungendi infirmos, orationes quoque eidem necessitati competentes bene saltem sciat legere. Similiter ordinem, & preces in exequiis agendis defunctorum. Similiter exorcismos & benedictiones salis & aquæ memoriter teneat. Cantum nocturnum atque diurnum noverit.

[...]rte sub [...]a sit, & [...]llo,

Computum minorem, id est, epactas, concurrentes regulares, terminum paschalem, & reliquos sapiat, si est possibile. Martyrologium & pœnitentiale habeat, & cætera. Volumus autem, fratres carissimi, quatenus quæ nostra percepistis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis studeatis operibus adimplere, præstante domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Anno Christi 1009.

CONIECTVRA MARCI VELSERI *de autore superioris sermonis.*

Cum codex Neresheimi in Augustana diœcesi, anno Christi 1009. hoc est trigesimosexto post mortem sancti Vdalrici, scriptus sit: verisimile fit synodales has constitutiones a sancto Vdalrico fluere, quas sequentes deinde episcopi, quod inscriptio innuit, sæpius repetere & proponere consueverint. Primum vero earum autorem sanctum Vdalricum esse, magnopere confirmat locus vetusti scriptoris in ejus vita cap. 6. *In quibusdam autem diebus capitula cum clericis habere disposuit, in his locis ubi hæc aptissime fieri archipresbyteri putaverunt, & ubi eum ab aliis mundanis conciliis absolutiorem esse arbitrabantur. Congregatis ante se clericis, archipresbyteros, & decanos, & optimos quos inter eos invenire potuit, caute interrogavit qualiter quotidianum Dei servitium ab eis imploretur, & qualiter populus illis subjectus ex eis regeretur in studio prædicandi docendique, quantaque cautela infantes baptizarentur, infirmi visitarentur, & ungerentur, defunctorum etiam corpora quanta compassione sepulturis traderentur, qualiter de decimis & oblationibus fidelium pauperes recrearentur, viduis & orphanis in universis, necessitatibus subvenirent, quantoque studio in hospitibus & advenis Christo ministrarent: si subintroductas mulieres secum habuissent, & inde crimen suspicionis inciderent, si cum canibus vel accipitribus venationes sequerentur, si tabernas causa edendi vel bibendi ingrederentur, si turpes jocos in usu haberent, si ebrietates & comessationes supra modum amarent, si rixis & contentionibus & æmulationibus deservirent, si nuptiis sæcularibus interessent, vel si aliqui eorum ministeria indecentia in consuetudine haberent, si per Kalendas more antecessorum suorum ad loca statuta convenirent, ibique solitas orationes explerent, suasque ecclesias ad tempus reviserent, si obedientiam eorum magistris præbuissent, & in toto suo ministerio devoti & apti manere studuissent.* Cum pleræque harum interrogationum constitutionibus respondeant, tempus præterea locusque conveniat: profecto nihil vetat uni eidem sancto Vdalrico constitutiones & interrogationes tribuere.

NOTA SEVERINI BINII.

Amice lector, hunc sermonem synodalem, post primam editionem conciliorum secundæ inserendum misit ad me amplissimus dominus Marcus Velserus piæ memoriæ, quondam inclytæ reipublicæ Augustanæ duumvir, sequens prisci ævi monimentum, una cum conjectura de autore: operæprecium facturum me putavi, ut latentem sermonem omnibus pastoralibus synodis celebrandis utilissimum, e tenebris erutum in lucem emitterem. Quod ecclesiasticæ disciplinæ faustum sit: eritque ut spero, si qui in sortem ac ministerium domini cooptati sunt, hæc tam salutaria monita in intimas medullas demittant, ut ad eorum præscriptum, vitam, mores, & actiones suas conformare studeant. Cum incertum sit quoto anno ab Vdaltico habitus fuerit, præfixum initio scripti libri annum retinendum esse judicavi.

CONCILIVM BAMBERGENSE, DE CONTROVERSIIS QVIBVSDAM EPISCOPORUM, celebratum anno MXI. tempore Sergii papæ IV.

Anno Christi 1012.

CVM Henricus rex ad dedicationem basilicæ Bambergensis a se constructæ cœtum plusquam triginta episcoporum convocasset, ab iisdem ista occasione hoc loco congregatis habita est synodus, in qua sedatæ sunt controversiæ illæ inter episcopos, de quibus Ditmarus Merseburgensis episcopus, qui eidem synodo præsens interfuit, hæc scribit: *Post hæc synodus hic fuit magna, in qua Gebehardus Ratisponensis ecclesiæ præsul ab archiepiscopo suimet arguitur, & Metensis ecclesiæ præsul Theodoricus a rege increpatur,* eo

Causa concilii.

Acta concilii.

ANNO CHRISTI 1011.

eo quod epistola suimet hunc injuste apud papam accusaret. Hæc omnia, & multa alia consilio prudenti finita sunt, & restitutio parochiæ tunc promissa est mihi. Idem Ditmarus fatetur se pro recuperandis suæ parochiæ bonis synodo huic libellum dedisse, atque Theodorico Metensi episcopo ab omnibus in synodo præsentibus interdictum, ut ante purgationem missam non caneret. Vide Baronium anno 1011. num 1.

CIRCA AN. CHRISTI 1012.

LEGES ECCLESIASTICÆ ÆTHELREDI REGIS CIRCA ANNUM MXII. apud Habam conditæ. Quatuor partes habentur in Iornalensi manuscripto. Tres priores nihil conferunt in rem ecclesiæ: quartæ vero sunt hæc capitula.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De denario sanctæ ecclesiæ dando, & de decimatione thaynorum.*
II. *De jejunio, & feriatione trium dierum ante festum sancti Michaelis.*
III. *Quid regi & populo omni die sit cantandum.*
IV. *De consuetudinibus sanctæ Dei ecclesiæ reddendis.*
V. *Ne quis vendatur extra patriam.*
VI. *De roboria.*
VII. *De eleemosynis, & rectitudinibus ecclesiæ.*

HÆC INSTITUERUNT REX ÆTHELR. & sapientes ejus apud Habam.

CAPITULA.

I.

In primis, ut unus Deus super omnia diligatur, & honoretur, & ut omnes regi suo pareant, sicut antecessores sui melius fecerunt, & cum eo pariter defendant regnum suum. Et constituerunt in primis Dei misericordiam & auxilium invocare jejuniis, eleemosynis, confessione, & abstinentia; & malefactis, & injustitia abstinere. Et ut detur de omni carruca denarius, vel denarium valens, & omnis qui familiam habet, efficiat ut omnis hirmannus suus det unum denarium. Quod si non habeat, det dominus ejus pro eo. Et omnis thaynus * detenet totum quod habet.

* *forte*, decimet

II.

Et instituimus, ut omnis Christianus, qui ætatem habet, jejunet tribus diebus, jejunet in pane, & aqua, & * bis crudis, ante festum sancti Michaelis. Et omnis homo ad confessionem vadat, & nudis pedibus ad ecclesiam, & peccatis omnibus abrenuntiet emendando, & cessando. Et eat omnis presbyter cum populo suo ad processionem tribus diebus nudis pedibus, & super hoc cantet omnis presbyter triginta missas, & omnis diaconus, & clericus triginta psalmos, & apparetur tribus diebus corrodium uniuscujusque sine carne in cibo & potu, sicut idem comedere deberet, & dividatur hoc totum pauperibus. Et sit omnis servus liber ab opere illis tribus diebus quo melius jejunare possit: operetur sibimet quod vult. Hi sunt illi tres dies; dies Lunæ, dies Martis, & dies Mercurii proximi ante festum sancti Michaelis. Si quis jejunium suum infringat, servus corio suo componat, reddat liber pauper triginta denarios, & regis thaynus centum viginti solidos, & dividatur hæc pecunia pauperibus. Et sciat omnis presbyter, & tungravius, & decimales homines, ut hæc eleemosyna, & jejunium proveniat, sicut in sanctis jurare poterunt.

* *lege* herbis

III.

Et præcipimus, ut in omni congregatione cantetur quotidie communiter pro rege, & omni populo suo una missa ad matutinalem missam, quæ inscripta est, Contra paganos, & ad singulas horas decantet totus conventus extensis membris in terra psalmum, *Domine, quid multiplicati sunt*, & collectam contra paganos, & hoc fiat quamdiu necessitas ista nobis est in manibus. Et in omni cœnobio, vel conventu monachorum, celebret omnis presbyter sigillatim triginta missas pro rege & omni populo, & omnis monachus dicat triginta psalteria.

Psal. 3.

IV.

Et præcipimus, ut omnis homo super dilectionem Dei, & omnium sanctorum det cyrisceattum, & rectam decimam suam, sicut in diebus antecessorum nostrorum fecit, quando melius fecit; hoc est sicut aratrum peragrabit, decimam acram: & omnis consuetudo reddatur super amicitiam Dei ad matrem ecclesiam cui adjacet, & nemo auferat Deo quod ad Deum pertinet, & prædecessores nostri concesserunt.

V.

Et prohibemus, ne quis extra patriam vendatur: si quis hoc præsumat, sit præter benedictionem Dei, & omnium sanctorum, & præter omnem Christianitatem, nisi pœniteat, & emendet, sicut episcopus suus edocebit.

VI.

Et prohibemus omnem roboriam omni homini. Et sit omnis homo jure publico dignus, pauper, & dives, & reddatur omnis roboria: si quis aliquam fecerit, emendet sicut prius, & postea fecit. Et si quis præpositus eam fecerit, dupliciter emendet quod alii judicaretur.

VII.

Et reddatur pecunia eleemosynæ hic ad festum sancti Michaelis, si alicubi retro sit per plenam vvitam; & omnibus annis deinceps reddantur Dei rectitudines in omnibus rebus quæ supra dictæ sunt, per amicitiam Dei, & sanctorum omnium, ut Deus omnipotens misericordiam nobis faciat, & de hostibus triumphum nobis & pacem indulgeat, quæ sedulo deprecentur, ut misericordiam ejus consequamur hic, & in futuro requiem sine fine. Amen.

De officio judicis.

Omnis judex justus misericordiam & judicium liberet in omnibus, ut in primis per rectam scientiam dicat emendationem secundum culpam, & eam tum admensuret propter indulgentiam. Quædam culpæ reputantur a nobis judicibus secundum rectum emendandæ: quædam per Dei misericordiam condonandæ. Iudicia debent esse sine omni *Haderunga* quod non parcatur dimitti alicui, vel egeno, amico, vel inimico, jus publicum rectori, & nihil injustius est quam susceptio munerum pro judicio subvertendo, quia munera excitant corda sapientum, & subvertunt verba justorum. Dominus Iesus dixit: *In quo judicio, judicaveritis judicabimini.* Timeat omnis judex, ac diligat judicem suum, ne in die judicii mutus fiat, & humiliatus ante oculos judicis cuncta videntis. Qui innocentem opprimit, & dimittit noxium pro pecunia, vel amicitia, vel odio, vel quacumque factione: opprimetur ab omnipotenti judice. Et nullus dominus stultos aut improbos judices constituat, quia stultus per ignorantiam, improbus per cupiditatem, vitat quam didicit veritatem. Gravius enim lacerantur pauperes a pravis judicibus quam a cruentis

Matth. 7.

CIRCA AN. CHRISTI 1012.

cruentis hostibus. Nullus hostis acerbior, nulla pestis efficacior quam familiaris inimicus. Potest aliquotiens homo fuga vel defensione vitare pravos judices. Non ita possunt judices, quotiens adversus subditos malis desideriis inflammantur. Sæpe etiam boni judices habent malos vicarios, & ministros nefandos: quorum ipsi domini constringuntur, si non eos coerceant, & a rapacitate cohibeant, quia dominus & minister sæculorum ait: *Non solum male agentes, sed omnes consentientes, digni sunt æterna morte.* Sæpe etiam pravi judices judicium pervertunt, vel respectant, & non finiunt causam, donec voluntas eorum impleatur. Et quando judicant, non opera sed munera considerant impii judices, juxta verbum sapientum: *Sicut rapaces lupi vespere nil residuant usque mane:* id est, de præsenti solum vita cogitant, de futura nihil considerant. Malorum præpositorum mos est, ut quidquid possunt auferant, & vix necessarium parum quid relinquant sustentationum. Iracundus judex non potest accedere rectam judicii satisfactionem: nam per furoris excæcationem non perspicit rectitudinis claritatem. Iustum judicium est, ubi non persona consideratur. Scriptum est: *Non attendas personam hominis in judicio, nec pro aliquo facies ut a vero declines, & injuste judices.* Susceptio muneris est dimissio veritatis.

Rom. 1. — Soph 3.

ANNO CHRISTI 1012.

VITA ET EPISTOLA

BENEDICTI PAPÆ VIII.

Benedictus quando papa factus. Schisma novum.

BENEDICTUS natione Tusculanus, hujus nominis octavus, creatus est pontifex anno redemptoris nostri 1012. tempore Henrici regis. Adversus hunc in schismate contra sacros canones creatus est Gregorius, qui potentia Romanorum fretus, Benedictum ab urbe expulit. Pontifex hanc injuriam a schismatico illatam non ferens, ad Henricum regem in Saxonia degentem se contulit. expositaque coram imperatore, quæ passus erat, vi & ignominia, Henricus rex parato & convocato quam potuit citissime exercitu, ad vindicandam injuriam sedi apostolicæ illatam Romam profectus est. Cujus adventu Gregorius pseudopapa schismaticus perterritus relicta urbe aufugit: Benedictus, quem rex præmiserat, eamdem Petri cathedram recepit. Cumque Romam venienti coronam imperialem conferre decrevisset: pro insigni imperiali regi conferendo, jussit, inquit Ditmarus, fabricari aureum pomum, atque circumdari per quadrum preciosissimis quibusque gemmis, ac desuper auream crucem inseri. Erat autem instar speciei hujus mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumsistere perhibetur: ut dum illud respiceret princeps terreni imperii, foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare in mundo, quam ut dignus haberetur vivificæ crucis tueri vexillo; in ipso etiam diversarum gemmarum decoramine, videlicet imperii culmen plurimarum virtutum speciebus exornari oportere. Venienti, & urbi jam appropinquanti, obviam processit pius pontifex, quodque pararat stemma & insigne imperii eidem obtulit: ac paulo post in urbem introductum, una cum Chunegunde conjuge ejus sanctissima, titulo & corona imperiali decoravit. Henricus primordia sui imperii Deo consecrare volens, insigni munificentia Romanam ecclesiam pie sancteque est prosecutus, ut videre est ex instrumento privilegii quod infra subjungimus.

Benedictus insigni imperiali imperatorem donavit.

Sarracenos, qui litora ecclesiæ invadebant, bello aggressus fugavit, & feliciter expugnavit. De Iudæis quibusdam Romæ degentibus, teste Glabro libro 3. cap. 8. capitis supplicium sumpsit, quod in parasceve, actionem eorum qui Christum crucifixerunt imitati, imaginem Christi iisdem injuriis & contumeliis affecissent, quibus olim ipse Christus affectus fuerat. Addit: eodem die post crucem adoratam circa vesperum turbine ventorum totam Romam concussam, omnesque pene Romanos occisos esse: neque prius cessasse ventos, quam de Iudæis per Iudæum accusatis pontifex capitis supplicium sumpsisset.

Benedictus Sarracenos bello fugavit. De Iudæis imaginem Christi crucifigentibus supplicium capit. Cur sumpserit.

Hujus hortatu Northmanni Græcos in Apulia pluribus victoriis debellarunt. Rogatus ab Henrico imperatore ad confirmandum sua præsentia Bambergensem episcopatum, quem ipse imperator erexerat, Bambergam venit in Germaniam: ibique post dedicatam sancti Stephani ecclesiam, per donationem imperatoris, ipsius urbis omniumque jurium ejusdem dominium obtinuit. Nam cum aliquamdiu post hæc tempora Romæ tamquam dominæ suæ annuum censum persolvisset, Henricus junior pro ea liberanda, & a Romanorum dominio eximenda, Beneventum pro ea tradidit, tempore Leonis IX. Romani pontificis. *Leo Ostiensis, lib. 2. cap. 47.*

Bamberga Romano pontifici donata.

Imperatorem ad suppetias ferendas adversus Græcos provocavit. Anno enim secundo postquam pontifex in Germaniam venisset, imperator hostibus tremendus in Italiam cum exercitu se contulit, suoque adventu Græcorum fautores alios cepit, alios fugavit; Capuam, Troiam aliasque urbes Græcis deditas obsedit, & expugnavit. Anno sequente in Germaniam reversus cum Roberto Francorum rege de statu regni, ecclesiæ, & imperii, congressum habuit, eumque pluribus muneribus donavit.

Imperatoris gesta quæ?

Benedictus papa ex hac vita migravit tertio Kal. Martii anno 1024. cum sedisset annos duodecim. Post obitū pœnas purgatorii passum fuisse, indicant duæ pluresve ejusdem post mortem factę apparitiones, quibus, ut refert Petrus Damiani in Odilone apud Surium, & in epistola ad Nicolaum secundum, per intercessionem Odilonis, & eleemosynas germani fratris in sede apostolica successoris, liberari petivit.

Obitus Benedicti.

EPISTOLA BENEDICTI PAPÆ VIII.

AD EPISCOPOS BURGUNDIÆ, AQUITANIÆ, & Provinciæ.

Edita Tom. IV. histor. Franc. Quercetani.

Mandat ut invasores bonorum Cluniacensium, nisi satisfecerint, excommunicentur.

Benedictus per divinam gratiam sanctæ Romanæ ecclesiæ præsul & episcopus, omnibus fratribus & coepiscopis per Burgundiam, Aquitaniam, & Provinciam constitutis, Burchardo scilicet archiepiscopo Lugdunensi, ejusdem nominis archiepiscopo Viennensi, VValterio archiepiscopo Besonsiensi, VValterio summæ religionis episcopo Augustodunensi, Stephano episcopo Arvernensi, Fredeloni episcopo Aniciensi, Gaufredo episcopo Cabilonensi, Lamberto episcopo Lingonensi, Gauslino episcopo Matisconensi, Vicigoni episcopo Valentinensi, Harmanno episcopo Vivariensi, Pontio archiepiscopo Arelatensi, Aribaldo episcopo Vzeticensi, Odolrico episcopo Tricassinensi, Geraldo episcopo Vapicensi, Petro episcopo Vassinensi, Eldeberto episcopo Avinio-

Avignionensi, Stephano episcopo Carpentoratensi, Almerado episcopo Rhegensi, salutationem & benedictionem, ex parte Dei omnipotentis, & beati Petri apostolorum principis, & mea, qui præsulatum, licet indignus, tenere videor apostolicæ sedis.

A

LIQUIDUM est, Cluniacense monasterium olim a VVillelmo nobilissimo Aquitanorum principe in pago Matisconensi constructum, ipso agente, cum apostolicæ sedis pontifice, & Romanorum Imperatore, regibus quoque Francorum & Burgundionum; quod ita sit ab omni subjectione cujuslibet personæ, sive regis, sive episcopi, sive comitis liberum, ut aliquid debeat nulli nisi Deo, & sancto Petro, & sedis apostolicæ summo præsuli. Quæ libertas a cunctis antecessoribus nostris, qui a conditione ipsius loci in hac sancta Romana ecclesia fuerunt usque ad nos, scriptis privilegiis; & a prælibatis principibus, datis præceptis; tam de ipso loco, quam de omnibus ad se pertinentibus, in Burgundia, Aquitania, Provincia constitutis: videlicet monasteriis, cellis, terris cultis & incultis, corroborata & confirmata est: eo voto & desiderio, ut sæculum deserentes, & in eodem loco sub regulari disciplina Christi servitio ex toto semet mancipantes, absque ullius impedimento licentius Deo adhærerent, & de ibidem Deo & S. Petro a fidelibus oblatis, hospitalitati & egenorum curæ inservirent. Quod hactenus, Deo propitiante, & apostolica autoritate suffragante, bonitate insuper circum se manentium adminiculante, in quantum potuerunt devote fecerunt.

B

Nunc vero, sicut in præsentia Deo devoti domini Roberti regis Francorum, principumque ejus & optimatum, qui cum eo venerunt ad limina apostolorum, & reclamatoria legatione dilectissimi filii nostri Odilonis ejusdem loci abbatis, percepimus, ita malorum contra eos exardescens insurrexit & convaluit cupiditas & insania; scilicet terras ipsorum invadendo, & substantias tam ipsorum, quam pauperum sibi commissorum deprædando: ut multiplicibus angustiis & afflictionibus tribulati, nullomodo, sicut nunc usque fecerunt, convenienter Deo debitum obsequium valeant solvere, nec solitam curam supervenientium hospitum & pauperum possint exercere.

C

Igitur quia in eodem loco juges orationes, & missarum celebrationes, & eleemosynæ fiunt pro statu sanctæ Dei ecclesiæ, & omnium fidelium vivorum & defunctorum salute & requie: ipsius dispendium, commune omnium nostrum est detrimentum. Et licet omnes boni fideles de eorum angustia & perturbatione debeant compassionem habere, & summo cum studio servos Christi juvare, ut absque ullo impedimento queant in sancto proposito persistere: ego tamen, ad quem post Deum & sanctum Petrum cura & providentia sæpe dicti loci specialiter pertinet, juvamen & solatium autoritatis apostolicæ non desistam subministrare.

D

Sunt autem crudeliores sæpe nominati loci habitatorum persecutores: Ildinus omnis bonitatis inimicus, qui non solum in hoc illos irritat, quod sua suorumque eis tollit; sed etiam quod suam nequitiam in illos retorquere cupidus, facit circum se manentibus intelligere, omnem justitiam de male a se commissis eis velle se facere: & ita eos in ipso placito & concordatione semper fallit & illudit, ut pro justitia deteriorem ab eo injuriam suscipiant. Est & VVichardus de Belioco, qui eis tollit ecclesiam de Tresdo cum omnibus appendiciis suis. Bernardus quoque de Retorterio, Hugo de Monte-Pavonis, & uxor ejus Arilina, qui eis tollunt potestatem de Lasiaco, cum omnibus ad se pertinentibus, sicut divæ memoriæ comes Leotaldus primum, deinde Milo religiosus miles, per testamentum literarum olim contulerunt sancto Petro, & præfato loco: Falco nepos Iterii clerici, & frater ejus, omnesque consortes illorum, qui eis tollunt potestatem de Oiadellis cum omnibus appendiciis suis. VVarulfus de Branceduna, & frater ejus VValterius Matiscensis præpositus, qui eis contrarii sunt de precaria, quam tenebat de sancto Petro beatæ recordationis Leobaldus episcopus, eorum videlicet avunculus; & de alia terra, quam idem præsul ante mortem suam, ipsam precariam restituens, ex sua parte donaverat sancto Petro. Durandus de Caudiaco, Aiminus de Caudiaco, Girardus de Centurpennis, qui eis contrarius est de Villa-Fontanedo. Robertus de Islevee, qui tollit eis plantas, quas Bernardus Dolun interfectus dederat S. Petro. Sed & illi qui eis contrarii sunt de potestate Sarrianis: necnon & illi, qui deprædationes & injustas consuetudines faciunt & requirunt in potestate Valentiola, & in potestate Tudelleta, & in Podio-Odolenis: & in cæteris potestatibus, villulis, & terris ad præfatum locum pertinentibus. Sunt etiam alii quam innumerabiles, quorum nomina longissimum esset huic scedulæ inseri.

E

Hos supra nominatos, & omnes persecutores, deprædatores, & invasores terrarum, & substantiarum ad sæpe dictum locum pertinentium, more antecessorum nostrorum præfati loci ad nos specialiter pertinentis curam & providentiam habentes, ex parte Dei, & sancti Petri, & nostra, vocamus ad resipiscendum: & monemus, ut contrarietates & injustas querelas, quibus servos Dei inquietant & conturbant, quamcitius deponant. Terras etiam injuste pervasas, & substantias deprædatas, cum omni integritate, juxta rationem quam cum eis invenire potuerint, restituant. Sed de injuria, quam sine causa illis intulerunt, congrue satisfaciant infra spatium quod est ab hinc usque in festivitatem S. Michaelis. Quod si fecerint, habeant gratiam & benedictionem & absolutionem Dei, & S. Petri, & nostram. Si autem, infra præfixum a nobis terminum, monitioni & vocationi nostræ non adsenserint, sed contemptores & inobedientes extiterint, in sua malitia perseverantes: cauterio ecclesiastici examinis quasi putrida membra a corpore Christi præscindantur, sintque a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ procul repulsi, & a consortio fidelium alienati & excommunicati. Sint maledicti stantes & ambulantes, vigilantes & dormientes, ingredientes & egredientes. Sint maledicti manducantes & bibentes. Sit maledictus cibus eorum & potus. Sit maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ eorum. Substineantque plagas Herodianas, quousque disrumpantur viscera eorum. Et cum Dathan & Abiron de terra viventium perditi, cum diabolo & angelis ejus perpetualiter damnati, maneant in pœnis infernalibus sine fine cruciandi. Fiant etiam filii eorum orphani, & uxores eorum viduæ. Nutantes transferantur filii eorum, & mendicent. Ejiciantur de habitationibus suis, omnibusque maledictionibus, quæ in veteri vel novo testamento contineri videntur, maledicti & anathematizati subjaceant, quousque resipiscant, & nostræ vocationi & monitioni congrue satisfaciant.

Vobis etiam fratribus meis & coepiscopis supra nominatis mando & præcipio autoritate apostolica,

lica, ut hanc meam confirmetis sententiam, & similiter illos excommunicetis: omnibusque presbyteris, & cæteris sacri ordinis ministris vobis commissis, excommunicare præcipiatis. Si quis autem vestrum, quod minime credo futurum, non obedierit huic nostræ jussioni, de contemptu inobedientiæ noverit se habiturum rationem ante tribunal Christi. Ipse namque dixit, *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*. Sed & Seniori quam reverendo domino VVillelmo comiti, necnon præcipuæ bonitatis & dulcedinis domno Hugoni comiti domnoque Rainaldo comiti filio supranominati domni VVillelmi; bonæ quoque indolis, ac totius affectu dilectionis amplectendo domno Ottoni comiti; omni etiam reverentia & veneratione dignissimæ domnæ Adeleidæ comitissæ, cognomento Blanchæ, meruique ejus domnæ Geibergæ comitissæ sed & illustribus viris domno VVigoni vice-comiti, & fratri ejus domno VVillelmo, domno quoque Odulrico, & domno Ansoldo, & cæteris principibus & optimatibus totius Burgundiæ, Aquitaniæ, & provinciæ, qui auxilio esse possunt habitatoribus sæpe nominati loci, apostolicæ benedictionis & absolutionis munus mittimus; ipsisque omnium suorum peccaminum veniam implorantibus, in cunctis benefactis, quæ a nobis & a cæteris fidelibus in hac sancta Romana ecclesia quotidie fiunt, ex parte Dei, sanctique Petri, & nostra, partem & societatem damus: eo obtentu, ut semper adjutores & defensores prædicti loci, omniumque ad se pertinentium, de omnibus sibi contrariis existant. Quod si neglexerint, non solum tanto beneficio privabuntur: sed insuper de potestate ob defensionem fidelium a Deo sibi data in die ultimi examinis sine dubio rationem reddent. Data Kal. Septembris.

PRIVILEGIVM HENRICI IMPERATORIS, QVO PATRIMONIA ROMANÆ ecclesiæ ab antecessoribus piis ecclesiis quondam collata, Benedicto pontifici gratitudinis ergo & pietatis in principem apostolorum amore confirmavit.

Contulimus illud, *inquit Baronius*, cum quatuor diversis manuscriptis, atque ita ob nonnulla, in quibus variant, distinximus, ut A. codicem Cencii Camerarii, B. volumen privilegiorum Romanæ ecclesiæ, C. autographum molis Hadriani, D. nostrum manuscriptum denotet.

Exemplum privilegii Henrici imperatoris de regalibus beato Petro concessis.

IN nomine [d] domini Dei [d] omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti[d]. Ego Henricus Dei gratia imperator Augustus spondeo atque promitto per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi beato Petro principi apostolorum [d] & clavigero regni cælorum, & per te vicario [d] tuo domno Benedicto summo pontifici [d] & universali papæ, sicut a prædecessoribus vestris usque nunc in potestate vestra ac ditione tenuistis & disposuistis civitatem Romanam cum ducatu suo, & suburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus, montanis, ac maritimis litoribus, ac portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, opidis, [d] ac viculis Tusciæ [d] partibus, id est Portum, Centumcellas, [d] Ceram, Bledam, [d] Maturianum, Sutrium, Nepem, castellum [d] Gallicense, Orthem, Polimartium, [b] Ameriam [d] Tudam, Perusiam cum tribus insulis suis, id est, [b] majorem & minorem, Pulvensim & lacu, Narniam & Vtriculum, cum omnibus finibus

[Margin: d deest. Amen. — deest. — deest. — seu pertinentibus. — Caram, — d Martuiam, al Maturarũ, — d Galisense, — b Ameliam, — d Tudertũ, — b majore & minore,]

A & territoriis ad supradictas civitates pertinentibus, nec non & exarchatum Ravennatem sub integritate, cum [d] urbibus, civitatibus, [a] opidis & castellis, quæ piæ recordationis [abc] dominus Pipinus, & dominus Carolus, & dominus Ludovicus, & Otto, & itidem Otto filius ejus, prædecessores videlicet nostri, beato Petro apostolo & prædecessoribus vestris jamdudum per donationis [c] paginam contulerunt, hoc est civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cesenam, Forum [cd] populi, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, [a] Comiaclum, [d] Adrianis atque Gabellum, cum omibus finibus, territoriis atque insulis, terra marique ad supradictas civitates pertinentibus: simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, B [d] Pesaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, [d] Ausimum, Humanam, [d] Esim, Forum Sempronii, Montem Feltri, Vrbinum, & territorium [d] Balvense, [c] Callem, Luciolis, & Eugubium, cum omnibus finibus ac territoriis ad easdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinense, sicut a prædictis imperatoribus antecessoribus nostris beato Petro apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate, & est in partibus Tusciæ Longobardorum, Castellum Felicitatis, Vrbem veterem, Balneum regis, [d] Ferenti, Viterbium, Orthem, Martam, [c] Bledam, Tuscanam, Suanam, Populonium, [d] Roselles, cum suburbanis atque viculis, & omnibus territoriis, ac maritimis opidis, seu finibus omnibus. Itemque [c] Almus C cum insula Corsica in Suriano, deinde in montem Bardonis, [d] deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regium, exinde in Mantua, atque in Monte Silicis, atque provincia Venetiarum & Istria, nec non & cunctum Spoletanum ducatum, seu Beneventanum, una cum ecclesia sanctæ Christianæ posita prope Papiam juxta Padum quarto milliario. Item in partibus Campaniæ, [d] Sora, Arces, Aquinum, [d] Arpinum, Theanum, Capuam, nec non & patrimonium ad potestatem [d] & ditionem vestram pertinentia, sicut est patrimonium Beneventanum, & Neapolitanum, atque patrimonia Calabriæ superioris & inferioris. De civitate autem Neapolitana cum castellis & territoriis, ac finibus & insulis ibi pertinentibus, sicuti ad [d] easdem D aspicere [d] videntur: nec non patrimonium [d] Siciliæ, si Deus nostris illud tradiderit manibus. Simili modo civitatem Caietanam, & Fundum, cum omnibus earum pertinentiis. Super hoc confirmamus vobis [d] Fuldense monasterium, & abbatis ejus consecrationem, atque omnia monasteria, curtes & villas quas in [d] ultramontanis partibus sanctus Petrus habere dignoscitur, [d] absque Aterna, VVmiteringa, sive VVilmbach, quæ a sancti Petri ecclesia per cōventionis paginam episcopo nostro Bambergensi collatæ sunt: pro quibus sæpe dictæ ecclesiæ sancti Petri transcribimus, concedimus, & confirmamus omnem illam terram [d] quæ inter Narniam, E [d] Teramnem vel Spoletum ex regni nostri parte habuimus. Sub tuitione præterea sancti Petri & vestra vestrorumque successorum prætaxatum [abc] episcopum Bambergensem offerimus, unde sub [d] pensionis nostræ equum unum album phaleratum ex ejusdem loci episcopo [d] vos annualiter suscepturos [d] sancimus. Offerimus insuper, firmamus, & corroboramus tibi beato Petro ac vicario tuo donno Benedicto & successoribus ejus, prout bonæ memoriæ papæ Ioannis suisque successoribus a prædecessoribus nostris Ottonibus [bcd] factum, civitates & opida cum piscariis suis, Reatem, Amiternum, [d] Furconem, Nursiam, Baluam, & Marsiam,

[Margin: d omnibus urbibus, — d pertinentibus, nec non & opidis. — abc donnus *ubique*. — d paginam gratiam. — c d Pompilii, — d Comaclum, — d *deest*. — d Pisaurũ, — d Auximũ, — d Æsium, — d Balnense, ac Baluclsem, — c Callis, Tuceolos, — d Ferenti castrum, — c Pletam, — d Roscellas, — c Alunis, — d seu alimentis. — d *deest*. — d Sitam, — d *deest*. — d nostram & ditionem. — d ecclesiam — d videntur & tenentur. — d in Sicilia, — d Fundense, — d Vltramarinis — d atque Amensua, Vmixinnga, — d quam — d Interamnem & — abc episcopum — d nostræ pensionis debito — d annualiter nos — d sanximus. — abc factum est, — d Furcoviũ,]

ſiam, & alibi civitatem Teramnem cum pertinentiis ſuis.

Has omnes ſupradictas provincias, urbes & civitates, opida atque caſtella, viculos ac territoria, ſimulque patrimonia, pro ſtatu regni d noſtri, cunctoque Chriſtianorum populo conſervando, jam dictæ eccleſiæ tuæ, B. Petre, vicarioque tuo Benedicto ac ſucceſſoribus ejus, uſque in finem ſæculi eo modo confirmamus, ut in ſuo detineant jure, d principatu atque ditione. Simili modo per hoc noſtræ delegationis pactum confirmamus donationes quas piæ recordationis Pipinus rex, & poſtea donnus Carolus excellentiſſimus imperator, ac deinceps Ottones piiſſimi, beato Petro Chriſti apoſtolo ſpontanea voluntate contulerunt; necnon & cenſum, bcd vel penſionem; ſeu cæteras b donationes, quæ annuatim in abc palatio regis d Longobardorum inferri ſolebant, ſive de Tuſcia, ſive de ducatu Spoletano, ſicut in ſupraſcriptis donationibus continetur, d & inter ſanctæ memoriæ Hadrianum papam & donnum Carolum imperatorem convenit, quando idem pontifex d eidem de ſupradictis ducatibus, id eſt Tuſcano & Spoletano, ſuæ autoritatis præceptum confirmavit, eo ſcilicet modo, ut annis ſingulis prædictus cenſus ad partem eccleſiæ ſancti Petri perſolvatur, ſalva ſuper eoſdem ducatus noſtra in omnibus dominatione, & illorum ad noſtram partem ſubjectione.

d deeſt. — d deeſt. — bcd & b dationes, abc palatium — d deeſt. — d deeſt. — d pro tempore de ſupraſcriptis.

Cæterum, ſicut diximus, omnia ſupra ſcripta nomina ita ad veſtram partem per hoc noſtræ confirmationis pactum d corroboravimus, ut in veſtro permaneant jure, principatu, atque ditione, & neque a nobis, neque a ſucceſſoribus noſtris per quodlibet argumentum, ſive machinationem, in quacumque parte veſtra poteſtas imminuatur, aut a b d vobis inde aliquid ſubtrahatur.

d corroboramus — bd nobis.

De ſupradictis vero provinciis, urbibus, civitatibus, opidis, caſtris, viculis, territoriis, ac patrimoniis, necnon & penſionibus atque cenſibus, ſed potius omnia quæ ſuperius leguntur, id eſt provinciæ, civitates, urbes, caſtella, opida, terræ, patrimonia atque inſulæ, cenſuſque & penſiones, ad partem eccleſiæ beati Petri d apoſtoli, atque pontificum in ſacratiſſima ſede illius reſidentium, nos in quantum poſſumus defenſores eſſe abc teneamur, ad hoc ut eam illi ditionem ad d utendum atque diſponendum firmiter valeant obtinere, ſalva in omnibus poteſtate noſtra poſterorumque noſtrorum, ſecundum quod in pacto & conſtitutione ac promiſſionis firmitate Eugenii pontificis ſucceſſorumque illius continetur, ut omnis clerus & univerſi populi Romani nobilitas, propter diverſas neceſſitates & pontificum irrationabiles erga populum ſibi ſubjectum aſperitates retundendas, ſacramento ſe obliget, quatenus futura d pontificum electio, quantum uniuſcujuſque intellectus fuerit, canonice & juſte fiat, & ut ille E quiad hoc b c ſanctum regimen eligetur, nemine d conſentiente conſecratus fiat pontifex, priuſquam talem in præſentia miſſorum noſtrorum, ſeu univerſæ generalitatis, faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione, ac futura conſervatione, qualem donnus & venerandus ſpiritualis pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.

d deeſt. — a tenemur, bc teſtamur, d deeſt. — d deeſt. — bc regimen apoſtolicū d contrariante,

Præterea alia minora huic operi b c inſerendum prævidimus: videlicet ut in electione pontificum neque liber neque ſervus ad hoc venire præſumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per conſtitutionem ſanctorum patrum d antiqua admiſit conſuetudo, aliquod faciat impedimentum.

bc inſerenda, — d aliqua.

A Quod ſi quis contra hanc noſtram b c inſtitutionem venire præſumpſerit, exilio tradatur. Inſuper etiam, ut nullus miſſorum noſtrorum cujuſcumque impeditionis argumentum componere audeat in præfatam electionem, prohibemus. Nam & hoc omnimodo inſtituere placuit, ut qui ſemel ſub bcd ſpirituali defenſione donni apoſtolici ſive noſtra fuerint ſuſcepti, impetrata juſte utantur defenſione. Quod ſi quis in quemquam illorum qui hoc promeruerunt violare præſumpſerit, ſciat ſe periculum vitæ ſuæ eſſe bcd incurſum. Illud etiam confirmamus, d ut donno apoſtolico juſtam in omnibus ſervent obedientiam, ſeu ducibus & judicibus ſuis, ad faciendam juB ſtitiam. Huic enim inſtitutioni d hoc neceſſario annectendum eſſe perſpeximus, ut miſſi donni apoſtolici, ſeu noſtri, ſemper ſint conſtituti, qui annuatim nobis renuntiare valeant, qualiter ſinguli duces ac judices populo juſtitiam faciant. Hanc imperialem conſtitutionem quomodo obſervent, qui miſſi, decernimus ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam ducum vel judicum fuerint inventi, ad notitiam donni apoſtolici deferant, & ipſe unum e duobus eligat, aut ſtatim per eoſdem d miſſos fiant neceſſitates emendatæ, aut miſſo noſtro nobis renuntiante per noſtros nuntios a nobis directos emendentur. Hoc ut ab omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleC ſiæ, d & b veſtris firmum eſſe credatur, propriæ manus b ſignaculo hoc pactum confirmationis noſtræ roboravimus, & c ſigilli impreſſione aſſignari juſſimus.

bc conſtitutionem, — bcd ſpeciali. — bcd incurſurum. — d in dominio, — d deeſt. — d nuntios. — d deeſt. — c noſtris — b ſignaculo, & nobilium optimatū noſtrorum ſubſcriptionibus, c ſigilli noſtri

Signum donni Henrici glorioſiſſimi d Romanorum imperatoris Auguſti.

Signum 4 Erchandildi Maguntini archiepiſcopi.

Signum Heriberti Colonienſis archiepiſcopi.

Signum Bobonis Trevirenſis archiepiſcopi.

Signum Thiederici Metenſis epiſcopi.

Ego Eberhardus Bambergenſis d eccleſiæ epiſcopus d Romanæ ſedis 4 ſubditus ſubſcripſi.

Ego d Mazelinus VVirceburgenſis epiſcopus ſubſcripſi.

D d Ego VValterius Spirenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego d Ricodardus Conſtantienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego d Zodalricus Curienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Adalbertus Baſilienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Hemmo d VVerdunenſis epiſcopus ſubſcripſi.

d Ego VValter Heichſtedenſis epiſcopus ſubſcripſi.

d Romani — d Erxinbaldi Maguntinenſis — d eccleſiæ apoſtolicæ — d apoſtolicæ, — d ſubditus ſervus — d Mateli. VVirtemburgenſis epiſcopus ſervus — d deeſt. — d Rodonardus — d Ioldaricus

Signum d Richardi b Fuldenſis.

Signum Arnoldi Herfendenſis abbatis.

Signum d Bruardi abbatis.

Signum Gottifridi ducis.

Signum Beringardi ducis.

d Signum Thiederici ducis.

abc Signum Simonis comitis.

Signum d Velphonis comitis.

Signum Cunonis comitis.

Signum d Kunzadi comitis.

Signum Ottonis comitis.

d Signum Adilbrahtis comitis.

Signum d Bobonis comitis.

Signum Frederici comitis.

Signum Bezelini comitis.

Signum Ezonis comitis Palatini.

Signum Frederici camerarii.

Signum ab Ezonis d in Fercore.

d deeſt. — d Ricaldi Faldenſis b Fuldenſis abbatis — d Brucardi — d deeſt. — abc deeſt. — d VVlphonis — d Conradi — d deeſt. — d Boybonis — ac Mezonis d Infertorum.

Signum

i Heimo
: unponis
: luctis.
Alumnũ
origer.
d *desunt.*

Signum acd Heunzonis pincernarii.
Signum d Huzis.
d Alimunbereger.
Adiliman.
Adilbero.
Ego abd VVicelius Astratzburgensis episcopus.
Signum abd Ryodhois Fluvanensis abbatis.

vetusto
dice
antua-
usi.

DIPLOMA CANUTI REGIS ANGLIÆ.

Quo ecclesiam Salvatoris in Dorobernia omnium ecclesiarum regni Angligeni matrem & dominam confirmat.

Ego denique Imperator Knuto, a Christo rege regum regiminis Anglici in insula potitus, audiens beneficia prædecessorum meorum regum, scilicet regalia privilegia, similiter cernens libertatem monasteriorum intra Cantiam positorum, archipræsulisque pissimi Livingi admonitionem, placuit cordi amborum præsentem chartulam corroborare, videlicet: Ecclesia Salvatoris in Dorobernia sita, omnium ecclesiarum regni Angligeni mater & domina, cum omnibus ad illam pertinentibus, sit libera: nec quisquam hominum in ea & rebus suis, aliquid juris vel consuetudinis, præter archiepiscopum & monachos ibidem Deo famulantes, exigat vel obtineat. In sempiternum hoc nostrum decretum inviolabile tempore meo & successorum meorum, pro spe salutis æternæ, stabile perseveret, his testibus quorum signa subtus annotantur.

Ego Knuto gubernator Anglici orbis propria manu confirmo.

Ego Levingus metropolitanus archipræsul libenter annuo.

Ego Emma regina signo crucis confirmo.

Ego VVolstanus Eboracensis consolidavi.

Ealdelmus episcopus gratum habens.

Ego Algarius episcopus concedo.

Eo Leofricus episcopus confirmo.

Ego Haldenne princeps regis pro viribus assensum præbeo.

Et ego Turkillus dux concedo.

Facta est autem ista concessio anno dominicæ incarnationis 1018.

ANNO CHRISTI 1012.

CONCILIUM LEGIONENSE ÆRA ML. ID EST ANNO CHRISTI MXII. sub Alphonso V. rege Legionensi.

Decreta Alphonsi regis & Geloiræ reginæ.

PRÆFATIO.

Sub æra millesima quinquagesima, VIII. Kal. Augusti, in præsentia regis domini Adelfonsi & uxoris ejus Geloiræ reginæ, convenimus apud Legionem in ipsa sede beatæ Mariæ omnes pontifices, & abbates, & optimates regni Hispaniæ, & jussu ipsius regis talia decreta decrevimus, quæ firmiter teneantur futuris temporibus.

CANONES.

I.

In primis censuimus, ut in omnibus conciliis, quæ deinceps celebrabuntur,

A causæ ecclesiæ prius iudicentur, iudiciumque rectum absque falsitate consequantur. ANNO CHRISTI 1012.

II.

Præcipimus etiam, ut quidquid testamentis concessum & roboratum, aliquo tempore ecclesia tenuerit, firmiter possideat: si vero aliquis inquietare voluerit illud quod concessum est testamentis, (quidquid fuerit) testamentum in concilio adducatur, & a veridicis hominibus, utrum B verum sit exquiratur: & si verum inventurum fuerit testamentum, nullum super * eum agatur iudicium, sed quod in eo continetur scriptum, quiete possideat ecclesia in perpetuum. Si vero ecclesia aliquid iure tenuerit, & inde testamentum non habuerit, firment ipsum ius cultores ecclesiæ iuramento, ac deinde possideat perenni ævo: * pareat triennium iure habito, seu testamento: Deo etenim fraudem facit qui * per triennium rem ecclesiæ rescindit.

* illud
* præiudicet triennium
* post triennium

III.

C Decrevimus etiam, ut nullus contineat seu contendat episcopus abbates suarum diœceseon, sive monachos, abbatissas, sanctimoniales, refuganos, sed omnes permaneant sub ditione sui episcopi.

IV.

Mandavimus adhuc, ut nullus audeat * rapere ab ecclesia: verum si aliquid * infra cœmeterium per rapinam sumpserit, sacrilegium solvat; & * si quid inde abstulerit, ut rapinam reddat. Si autem extra cœmeterium * abstulerit rem ecclesiæ, reddat eam, & calumniam * ipsius ecclesiæ, more D terræ.

* aliquid rapere
* intra
*quidquid
* injuste abstulerit
* cultoribus ipsius

V.

Item decrevimus, ut si forte aliquis hominem ecclesiæ occiderit, & per * se ipsam ecclesia iustitiam adipisci non potuerit, concedat. * ...... vocem iudicii, * dividant per mediam, calumniam homicidii.

* se ipsa
* majorino regis
* dividatque

VI.

Iudicato ergo ecclesiæ iudicio, adeptaque iustitia, agatur causa regis, deinde populorum.

VII.

E Decrevimus iterum, ut nullus emat hereditatem servi ecclesiæ: qui autem emerit eam, perdet eam & pretium.

Hic multa decreta sequebantur in codice ad civilem potius quam ecclesiasticam regni gubernationem pertinentia, quæ ideo omisimus. *Hæc Baronius anno* 1012.

NOTA SEVERINI BINII.

Acta hujus concilii ex manuscripto codice Hispanico per Valerium Serenum Lovaniensem anno Christi

Acta concilii unde accepta.

ANNO CHRISTI 1012.

Christi 1565. excerpta accepi a reverendo & doctissimo viro domino Iacobo Huttero sacræ theologiæ doctore, & metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis canonico presbytero. Contuli eadem cum excusis Baronianis, quæ etiamsi parum & non nisi locis in margine notatis discrepent: hoc tamen singulare habent, quod lacunam illam apud Baronii annales relictam impleant, verbaque apud ipsum omissa restituant ista: *Concedat majorino regis, vocem judicii: dividatque per mediam, calumniam homicidii.* Item quod post sextum capitulum, cujus initium est: *Iudicato ergo ecclesiæ*, &c. additur in nostro codice septimum istud capitulum: *Decrevimus iterum ut nullus emat hereditatem servi ecclesiæ: qui autem emerit eam, perdet eam & pretium.*

Post quod immediate subjungitur: *Reliqua quadraginta decreta pertinent ad res civiles.* Hujus concilii meminit Rodericus Toletanus his verbis: *Rex autem Adelfonsus concilium celebravit, & reædificavit Legionem, quam Almanzor & Habdelmalich filius ejus destruxerunt: & leges Gothicas reparavit, & alias addidit, quæ in regno Legionis etiam hodie observantur.*

ANNO CHRISTI ....

**CONCILIUM TICINENSE A BENEDICTO PAPA VIII. CELEBRATUM.

De continentia clericorum: de ipsorum filiis, & eorum maxime clericorum qui ecclesiæ servi sunt: de acquisitis a servis ecclesiæ.

INDEX CAPITULORUM.

PRÆFATIO BENEDICTI PP. VIII.

COMMUNIS honor, communis dolor: quia unde per Dei gratiam erigimur, inde promerentibus peccatis nostris dejicimur. Quamdiu propitio Deo patrum nostrorum regulis, & synodalibus obedivimus informatis: florente ecclesia floruimus, in via positi non deviavimus. Sed dum Deo irato a magistrorum via recessimus: discipuli facti erroris, pecualiter erravimus. Obfuscata enim nostris excessibus ecclesia, merito obfuscamur, merito dimergimur, merito ab inimicis vincimur & confundimur: nec erit unquam a profundo imo resurgendum, nisi prius ad viam fuerit revertendum. Sic enim legitur:
Psal. 118. *Beati immaculati in via*, id est in lege domini. Si beati in via, non ergo beati extra viam. Deus quidem ecclesiam sibi sponsam elegit, non habentem maculam nec rugam: sed manus omnium contra eam.

Hi tamen maxime contra eam sæviunt, & pravis eam moribus & operibus commaculant, qui A sacerdotes Dei dicuntur, qui bonis ejus incrassantur, & incrassati recalcitrant. Reges utique & imperatores Christum sequuti, & populus catholicus armis fidei adquisitus, amplissimis patrimoniis ecclesiam ditaverunt, & exquisitissimis eam possessionibus ad mare usque ampliaverunt. Sed bene parata, male sunt conservata. Omnes enim eam pertranseuntes diripiunt: & hi maxime qui videntur esse rectores, modis omnibus quibus possunt conculcant, & paupertant. Prædia enim & possessiones aut tollunt, aut minuunt, aut quibusdam titulis & scriptis colludio fabricatis, a nomine & a jure ecclesiæ alienant; servos libertant, licet non possint; filiis congerrones infrontati omnia congerunt. B Ipsi quoque clerici, qui sunt de familia ecclesiæ, si sunt dicendi clerici, qui vivunt ut ethnici, cum sint ab omni muliere legibus exclusi, ex liberis mulieribus filios procreant; ancillas ecclesiæ hac sola fraude fugientes, ut matrem liberam filii quasi liberi prosequantur. Ampla itaque prædia, ampla patrimonia, & quæcumque bona possunt, de bonis ecclesiæ, neque enim aliunde habent, infames patres infamibus filiis adquirunt. Et ut liberi non per rapinam appareant, volunt enim in terra rapere libertatem, ut diabolus in cælo voluit deitatem, in militiam eos mox faciunt transire nobilium.

Hi sunt, ô cælum! ô terra! qui tumultuantur contra ecclesiam. Nulli pejores hostes ecclesiæ, quam isti. Nulli paratiores ad insidiandum C ecclesiæ & Christo, quam isti. Sic filius servorum in libertatem, ut falso commentantur, remanentibus, ecclesia utrumque & servos perdit, & conquisita. Sic ecclesia olim ditissima, incuria & malignitate præsidentium, & incorrecto ausu clericorum, pauperrima nostris est effecta temporibus. Sic annullatur ecclesia, sic mendicat. Sic aut perrarus, aut ex familia ecclesiæ nullus jam invenitur qui valeat: quia hac fraude omnes filii servorum ecclesiæ ad clericatum aspirant, non ut Deo serviant, sed ut scortati cum liberis mulieribus, filii eorum de famulatu ecclesiæ cum omnibus bonis ecclesiæ raptis quasi liberi exeant. Sic jam nonnullæ ecD clesiæ pauperes sunt in familiis, quod jam pretio servientes ecclesiarum ministri conducant, & in annuam mercede solvenda transeant necessitatem.

Deo itaque propitio, primo datis & receptis legibus ostendemus, nulli in clero muliebrem complexum fuisse concessum. Postea vero de filiis eorum, qui nulli debuerunt esse, & permaxime de filiis eorum clericorum, qui sunt de familia ecclesiæ, perfacilis erit cognitio.

Nicæna enim synodus a CCC. XVIII. magistro Deo, patribus instituta, nec licere quidem in una domo vult clericis habitare nisi cum maE tre aut sorore, aut cum eis personis quæ suspectiones effugiant. Cautius autem postea contra causam causa inventa, permansio etiam cum matre aut sorore clericis tollitur: quia omnes qui cum matre mea veniunt, vel sorore, possunt esse non matres, possunt meæ non omnes esse sorores. Carnale quidem connubium subdiaconis in epistola ad Anastasium Thessalonicensem episcopum Leo papa interdicit. Ecce, ecce, si subdiacono negatur: diacono & presbytero non datur: multo minus utique episcopo conceditur. Paulus autem Corinthiis, & utique laicis; 1. Cor. 7.

cis; abstinete vos, ait, ad tempus, ut orationi vacetis. Et si laicis, ut exaudiri mereantur, ad tempus est abstinendum a licitis: quomodo non multo magis omni tempore clericis est abstinendum ab inlicitis, quibus semper est pro commissis orandum, & jugiter sacrificandum? cum scriptum sit, *Omnia munda mundis*. Formam ergo abstinentiæ vel sic erubescendo, a laicis clerici assumant, & lupanaria catillare erubescant. *Erubesc e enim Sidon*, *ait mare*.

Tit. 1.

Isai. 23.

Neque murmurent contra nos idiotæ, vel qui sponte deviant, vel quibus magis pudendum aliquid discere, quam omnia nescire videtur. Non certe novas leges edimus: sed antiquas, sed usitatas, sed catholicas proferimus. Nimirum antiqua est divinæ legis disciplina, & ab initio custodita. Sacerdotes utique Mosaicæ legis anno vicis suæ habitabant in templo, toto illo anno domorum & uxorum abstinentes; ut nitidi sine offensa, imaginaria implerent præcepta. Si vero illi ad tempus abstinebant, qui ad tempus templo serviebant: cur episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & omnibus qui sunt in clero, jugiter non est abstinendum, quibus juge & verum est sacrificium? Quotidie enim aut in missarum solemniis, aut orationum frequentiis, aut baptismi sacramentis occupantur; neque per annum, sed per continuum serviunt. Sed neque deviante diabolo de via errent, dicentes ideo mulierum sibi licere concubitus, quia veteribus ministris, peracta sacerdotii vice, ad uxores liceret domosque redire. Legant stulti, & ira Dei; quia Deum non cognoscunt, juste percutiendi: legant & addiscant, & qui sciunt protestentur quod verum est, quia non ob libidinis vitium, sed propter successionis studium, uxorinus eis usus fuerat relaxatus. Nullus enim ex alia tribu nisi Levitica ad sacerdotium admitti fuerat jussus. Nunc autem, quia omnes Dei gratia vocavit & vocat, & ex omni populo, si sit modo idoneus, promovetur ad sacerdotium: non est sacerdotibus de generis successione hac conditione timendum: neque ut * sacerdotium homine deficiente habeat defectum, uxoribus pro filiis hac occasione procreandis inserviendum.

* ne

Addiscant pudicitiam saltem ab exteris, qui nolunt eam sequi datam & jussam a patribus. Abimelech enim Ægyptius nullum, utpote Rex hominum, timens, licet ferus immanitate & barbarus, in Rebecca Abrahæ tamen custodita, & curam significavit pudoris servandam, & adulterii crimen evidenter docuit effugiendum. Et si hic paganissimus & vir sanguinum Deum timuit, & a vetito per somnium abstinuit: cur clerici, qui cum ipso lacte disciplinam ecclesiæ suxerunt manifestissimam, Deum non timent, & vel cum pagano homine adulterium fugiunt? Redeant, oro & obsecro; redeant, & resipiscant, cito rubore suffusi, de prope, nisi de Sodoma aufugerint, fulminandi. Unicuique enim eorum cum rege Basan ex ore domini loquitur propheta: *Ecce ego demetam posteriora tua.* Omnibus igitur novi testamenti ministris omni tempore a mulieribus erit abstinendum, quibus erit omni tempore serviendum; nec unquam de sacerdotii successione timendum.

3. Reg. 21.

Quod si inimici sanctæ continentiæ garriunt, episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & non cæteris qui sunt in clero, abstinendum esse: legant aliquando Leonem papam ad Rusticum Narbonensem episcopum scribentem ita: legem continentiæ eandem esse altaris omnibus ministris, quam episcopis & presbyteris constat esse impositam. Siricii quoque monita extant evidentissima, ut incontinentes, in officiis talibus positi, omni honore priventur, nec ad tale admittantur ministerium, quod sola continentia oportet impleri.

S. Leo ad Rustic.

Siricius P.

Contra hæc novæ & veteris legis statuta spiritu Dei condita, & totius mundi reverentia consecrata, sacerdotes Dei, ut equi emissarii in feminas insaniunt: nec jam annum, ut veteres, custodiunt, sed toto vitæ suæ tempore summum bonum, ut Epicurus philosophorum porcus, voluptatem adjudicant. Neque id caute faciunt incauti: cum publice, & pompatice lascivientes, obstinatius etiam quam excursores laici meretricari non erubescant. Merito his per Prophetam dominus minatur: Nolo vos, ait, nolo sacrificia vestra polluta. Recedite a me, quia polluti estis.

De tali maledicto, quia inlicito concubitu, filii maledicti nascuntur, qui ecclesiam Dei bonis ante nostra sæcula adquisitis omnino nudant, & rapta libertate exspoliant. Taceo nunc de filiis, qui ingenuo clerico & libera matre, licet contra leges, nascantur: contra quos alia manu erit agendum, & in proxima synodo consilio altiore tractandum. De illis modo sit ratio, qui servo clerico ecclesiæ, & libera putida procreantur: quorum filios ideo fures ecclesiæ liberos esse dicunt, quia usuale est apud eos sonare, filii matrem sequuntur. Sed quam prave cum diabolo interpretentur scripturas, quas non didicerunt, volatica lustrivagorum decreta putantes esse magistrorum, Deo vincente facile convincentur: & id non de filiis clericorum, sed de filiis laicorum intelligendum esse, velint, nolint, docebuntur.

Christianissimi namque reges & imperatores ditaverunt ecclesias, & omni libertate eas donaverunt, resque earum & familias, ut hodie in præceptis eorum, quæ ecclesia pro testimonio servat, apparet, ab omni publica quæstione fecerunt alienas: seipsos adjutores tantum & defensores esse pro ecclesia coram omnibus promittentes, & coram Deo spondentes. Si ergo promulgatis prius legibus in potestate fuerat ecclesiæ de suis judicare; & res & familiæ ecclesiæ ab exsecutione principum, ipsorum principum donatione, longe prius erant remotæ: cur postea principes mundani de filiis eorum, qui in clero fuerant, judicare debuerunt, dum de eis judicare ad eos non pertinuerit? & si quid ad eos pertinuerat, esto; scriptis eorum testibus ecclesiæ concessum constiterit.

Verum nec pertinere, nec pertinuisse alicui laicorum jura ecclesiæ, constitutum papæ Symmachi de rebus ecclesiæ conservandis clara voce demonstrat: ubi Eulalio episcopo Syracusano dicente, nulla unquam laicis, etsi religiosis, de ecclesiasticis rebus & facultatibus aliquid disponendi potestas est attributa: ubi nullum licet prædium rusticum vel urbanum, sub perpetua alienatione ad cujuslibet jura transferre, nec in usufructu rura aliquibus dare, nec data retineri, præter clericos, & peregrinos: ubi donator, alienator, & venditor, honoris sui amissione multantur; petens vero, accipiens, defendens,

Symmachus P.

dens, consentiens, & subscribens, anathemate feriuntur.

Restat itaque factores legum de illis quæ ad se pertinent protulisse judicium, id est de filiis sæcularium ad eorum jura pertinentium; non de filiis clericorum ad solum districtum ecclesiæ lege & antiquitate respicientium. Errant certe, & non intelligunt scripturas, & legum promulgatores injuste inculpant, qui putant eos posthabita solertia, legem pro filiis servorum ecclesiæ, & maxime servorum qui sunt in clero, & pro filiis servorum sæcularium æque constituisse. Neque enim pervigiles esse non potuerunt, qui mundum legibus summiserunt. De filiis ergo laicorum ad publicum pertinentium, publici rectores fecerunt edictum: non de filiis servorum ecclesiæ, quam illi ipsi legum magistri ab omni publica exactione in perpetuum decreverunt esse immunem. Verum si conspectius agatur, de filiis clericorum, qui nulli esse debuerunt, quæ lex, nisi nulla erit? Filiis quidem laicorum, qui debuerunt esse ulli, sit lex ulla. Filiis autem clericorum, qui debuerunt esse nulli, lex utique erit nulla. Neque enim legum moderatores illis, quos futuros non crediderunt, legem dare potuerunt. Sileant ergo ij, qui sine lege sunt nati: sciant se legem non habere, sed contra legem eniti. De quibus, ut pote de nullis, id est de non futuris, nulli sæculi judices ad votum clericorum testamentum Dei profanantium impressere sermonem. Qui si legem haberent, paterna bona legitima successione perciperent; non confictam inscriptionem contraherent. Et quia non succedunt, legem ergo non habent. Et si haberent legem patri succedendi, haberent utique & legem, matrem, quam garriunt liberam, prosequendi. Vtrumque enim, & succedere & sequi, non ex plebeia levitate, sed de publica autoritate descendit. Qui ergo patri legibus non succedunt, matrem legibus non sequuntur. Qui enim unum horum habebit, alterum obtinebit: & qui uno carebit, neutrum tenebit. Iure ergo filii clericorum nulli erunt, qui ita a patre & matre sunt alieni, ut nec cum eis sortem habeant, nec cum viventibus legem accipiant. Erunt igitur nulli, qui per legem, nec patrem sequuntur, nec matrem. Sed de his duobus, id est succedere, & sequi, dicam amplius, ut testibus cælo & terra, omnibus satisfaciam contra causantibus. Quæ duo quia filii clericorum non habent, tanquam non sint, lege & nomine carent. Neque enim filii habebunt, quod patres legibus perdiderunt.

Amplius. Hæc autem duo, id est succedere & sequi, ideo filiis clericorum mundanæ leges attribuunt, quia ex patre & matre eorum, qui ea habuerunt, ad filios descenderunt. Quod enim parentes legibus habuerunt, relinquere filiis legibus potuerunt. Filii ergo laicorum legibus nati, legibus & patrem sequentur & matrem. Filiis autem clericorum ideo hæc legitima leges non consentiunt, quia pater eorum & mater, ut pote indigni, ea non habuerunt. Et quia parentes nihil habuerunt, nihil filiis reliquerunt. Hæc enim legitima, id est succedere & sequi, ipsi parentes, dum eos contra legem genuerunt, ipsa lege jubente amiserunt. Et ideo quæ miseri parentes legibus perdiderunt, ad miseros filios non pertinebunt, qui contra leges intraverunt & exierunt. Nihil ergo pater & mater eorum habuerunt, quia contra leges nascuntur. Nec patrem in hereditate, nec matrem sequentur in libertate: quia quæ parentes jam sub lege peccati captivi non habuerunt, dare filiis non potuerunt. Quis enim dabit quod non habet? Sed habuerunt. quid autem? infamiam, & supplicium conscientiæ. Hæc duo utique habuerunt, hæc duo suis parvulis dimiserunt.

Sed ut in sole convincantur, & ultra hiscere non audeant: dicant, dicant, quæ leges filiis clericorum libertatem vel successionem adjudicent. Et cum judicia conscripta proferre non potuerint, hoc sibi quod sequitur a nobis responsum teneant, & de cætero lacessere desinant, & ultra jam contendere non aspirent; immo contendisse & rebellasse suspirent. Lege enim Nicæna, quicumque ex clero cum qualibet muliere habitaverit, vel eam turpiter cognoverit, vel filium, vel filiam genuerit, deponitur. Lege autem Iustiniana æque deponitur, & curiæ civitatis, cujus est clericus, traditur. Ecce clericos legibus damnatos; ecce clericos curiæ, & servos legibus traditos. Num mutire fas erit? Si servi sunt patres, servi erunt & filii. Servient itaque cum filiis patres in curia, id est, curam super his tantum in publico habebunt, quæ ad solam ecclesiæ utilitatem forensem pertinebunt: illa scilicet causa, ut qui noluerunt intus, id est in ecclesia, servire ut clerici; serviant foris, id est in publico, ut laici.

Neque enim clerici, licet damnati, ut exeunt ab honore, ita a famulatu ecclesiæ exibunt: neque ulli extra ecclesiam, utpote officialium alicui personarum servient, sed in publico ea tantum publica quæ ad ecclesiam respexerint, procurabunt. Et ideo postquam lex a Deo data proscriptos curiæ tradidit civitatis cujus est clerus, cautissime addidit; ne forte publici apparitores sibi eos mancipandos putarent, & ecclesiæ suæ servituros esse dubitarent. Filii autem eorum qui apparuerunt, servi ecclesiæ erant, quia servitutem a capite ad pedes traxerunt.

Sed si de clericis liberis, & eorum filiis: quid erit de clericis servis ecclesiæ, & de filiis eorum? Æquitas enim ipsa est, quæ paribus in causis paria jura desiderat. Neque enim lex divina ait, & humana, si quis liber aut servus in clero mulierem acceperit, deponatur: sed, si quis tantum signanter dixit, & generaliter scripsit, servum & liberum uno capistro & una lege astringens. Nullæ enimvero leges receptæ ecclesiis Dei præjudicant. Nullæ leges quodcumque proprium est ecclesiæ, mobile vel immobile, minuere vel auferre præsumunt. Nullæ utique leges filiis clericorum aut successionem bonorum permittunt, aut corporum libertatem indulgent. Quod si facerent, non malorum essent ultrices, sed malorum utique incentrices: ipsumque nomen leges perderent, quæ a ligando, id est a cohibendo, nomen sumpserunt: quia non jam transgressores punirent, sed transgressiones nutrirent, & transgressores contra seipsas defenderent: ipsique legum factores, non jam legum factores, sed legum & rerum dicerentur eversores. Quomodo enim staret mundus, si divina mandata, & jura rescinderentur humana?

Sint itaque nulli filii clericorum, & maxime illorum clericorum, qui sunt de familia ecclesiæ. Sint equidem: sint, inquam, inquam erunt nulli. Qui injuste

injuste causando matrem quantum ad se liberam, quantum vero ad Africanum concilium ultra mare ut ancillam vendendam, juste & matrem perdiderunt & patrem, more æstuantis diaboli, qui injuste ambiendo illicita, juste perdidit acquisita. Qui, licentia mea dixerim, si nimis non insaniret, non ita victus & confusus, in interminabilem obstinationem abiret. Ita quidem filii clericorum servorum ecclesiæ, si, prout juste deberent, & genus avitum importat, servirent cum patre, adhuc forsitan si tacerent & caverent. non ita sollicitarentur, licet juste potuerint pro matre. Sed profuit diabolum insanisse, quia mundo eum jam non ferente, disrupti cæli redemptorem velocius transmiserunt. Proderit & filios clericorum de familia ecclesiæ excanduisse, qu a excludentur, id est, manifesti fient, quod probati sunt argento, id est, eloquentiæ autoramento. Filii igitur laicorum juste geniti, & patrem sequentur & matrem, quia legem a patre & matre venientem acceperunt: filii autem clericorum, & maxime illorum clericorum, qui sunt de familia ecclesiæ, licet matre libera procreentur, matrem tamen non sequentur in libertate, sed nec patrem in hereditate: quia nec a patre nec a matre legem venientem acceperunt, quam ipsi parentes contra leges mœchãdo legibus perdiderunt. Sed ne ipsi filii clericorum, quia sunt sine lege, dispereant, aut credant se, omni solutos servitutis vinculo, licenter abire posse ut profugos: misere-scimus illis, hac conditione præmissa, ut ex nullis appareant ulli, & ex Gabaonitis Nathinæi fiant: & cum Iosue vitam reservando, hanc eis legem concedimus, ut in servitium templi, quod effugere nullatenus possunt, aquas, & ligna, & cætera generis ejusdem, veluti forenses ecclesiæ actionarii comportent. Multis deinde multa non patent æque, & ideo multi errant indiscrete, nec putant omnia esse intelligenda: una Pauli sententia satis circumspecte communimur, qua scribitur: *Vnusquisque fornicationis causa habeat suam.*

1. Cor. 7.

Hoc Paulus de laicis tantum. Iovinianus autem de laicis & cleris æque dictum affirmat. Hoc intelligendum erit de clericis, ut hæresiarchæ colluentes effantur. Periit ergo omnium castitas, nec necessaria erit virginitas, & imperabit incontinentia, quam omnis catholica synodus ejicit de ecclesia. Et mentiuntur Nicæni Patres, qui non solum connubium, sed etiam cum mulieribus habitationem, clericis omnibus apertissime interdicũt. Convicti ergo filii Belial absque jugo legis taceant, & sciant apostolum, sicut de laicis tantum ut unam unusquisque habeat dixisse, sic inventores legum de filiis tantum servorum sæcularium, id est, laicorum, ut matrum consecutionem habeant significasse. Erit igitur hoc integrum judicare, filios & filias omnium clericorum, qui fuerint de familia ecclesiæ, ex quibuscumque mulieribus, quocumque modo sibi conjunctos, servos esse proprios suæ ecclesiæ in servili genere: quia & servitus paterna eos accusat, & maternum adulterium eos infamat & damnat.

Adulterium enim non est solum cum aliena peccare conjuge, sed omne quod non habet potestatem conjugis, teste sanctissimo Ambrosio in libro qui de Abraham inscribitur. Verum illis, qui filios servorum clericorum ecclesiæ ex libera concubina liberos esse volunt, & e contra filios laicorum servorum ecclesiæ ex uxore servos esse putant, indiscreti indiscretam differentiam facientes, veluti bene offerentes sed male dividentes, respondere libet, nec sine risu dum licet, & paucis eos, ut saltem sic resipiscant, absolvere. Dicant eia fanatici, dicant profani, dicant ultra insensatos Galatas fascinati: dicant, adulterium sit legalius, an matrimonium. Coacti respondebunt matrimonium: & adulterium, id est, alterius uxoris violationem, & omnem contra leges Christianas concubitum mecum damnabunt.

Quomodo igitur, respondeant, filii concubinarii sint liberi, filii vero uxorii servi fiant? Filii enim clericorum servorum ecclesiæ, quos de libera matre male liberos esse volunt, servi certissime suæ erunt ecclesiæ, quia tribus inlicitis tenentur obnoxii. Vno, quia ex adulterio emerserunt: quod enim potestatem non habet conjugii, adulterium dicitur: alio, quia patre clerico prodierunt, ubi mater licet fuerit libera, quia se tamen petulanti clero vendidit sponte, Africana synodo agente, ancillabitur corpore ut corde: tertio, quia patre servo processerunt, patris ideo natalia secuturi. Si enim omne verbum tribus stat testibus, dicente euangelio: his ergo tribus elogiis hujusmodi convicti clericorum filii stabunt perpetuo servitutis obligati opprobrio: filios vero laicorum servorum ecclesiæ bene servos esse volunt, quia & id leges concedunt. Sed filii uxorii, justius quam filii concubinarii, liberi viderentur, nisi patre servo nato retraherentur, & matre ancilla sponte facta involverentur. At mater uxoria, & concubinaria, utraque ante cognitionem libera fuit, & utraque ultronea ancilla facta est. Si utraque mater legibus ancilla, utriusque ergo filii legibus servi erunt. Si utraque mater est ancilla cum filiis, & uterque pater servitutem non abnegat: qua temeritate filii Nabal stulti unam partem libertati, alteram servituti dederunt? Qua fronte filios clericorum servorum ecclesiæ in adulterio natos liberos; & filios laicorum servorũ ecclesiæ in conjugio, servos esse voluerunt, cum lex hos & illos æque servituti summittant? Num forsan isti ideo liberi, quia adulteri? & hi ideo servi, quia legitimi? Erant utique Pharisæi, quia divisi: unum, quod divisionem non recipit, indisciplinabiliter dividere volentes. Vna enim filios servitus ligat, quorum & matres idem opus eademque indissimiliter copulavit voluntas.

Itaque hic, hic, si placet, filii matrem sequantur: quia ut nimis & ultra jam inculcatum est, & matres ut ancillas ultra mare vendet ecclesia, & secundum placitum filios aut æque habebit venales, aut domestico servitio legibus subjugabit. Filii igitur clericorum servorum ecclesiæ, ita de libera sicut de ancilla, servi suæ erunt ecclesiæ, quia si patrem sequuntur, servi erunt ut pater; si vero matrem, ut judices sine literis volunt, sequuntur, servi pariter erunt ut mater; quæ ancilla, quia voluit, ex libera fieri potuit.

Cur ergo passim erraverint, dicant; & cur unam partem damnaverint, alteram autem liberaverint, dicant. Vtramque enim partem lex divina & humana ecclesiæ cujus est servituti addixit. Verum, quo haustu potionati insanierint, eo quod tam stulte, & tam pueriliter erraverunt? Num legalior concubinaria detestatio, quam matrimonialis erit contractus? Vnde, qua lege, quo inventore, honor libertatis datus est adulterio, quod ipsi damnant incogniti, & ignominia servitutis imposita est matrimonio, quod Deus ipse laudavit? Dicent quidem, velint nolint, dicent rubore confusi verecundiæ legum violatores, nulla lege, nullo hoc fuisse præsumptum jubente. Illi ipsi certe male voluerunt, pejus dixerunt; pessime, quod evomerunt, in injuriam legum verterunt. Et quia diabolum male

male scripturas interpretantes sequuntur: ideo in dicendo & faciendo erraverunt, & errant, & omnes usque nunc ita intelligentes errare fecerunt, & faciunt. Certe, si filii damnandi sunt pro conjugio: justius multo pro adulterio & inlicito concubitu damnabuntur.

Legant denique, vel si legere fastidiunt, legentem intelligant Iustiniani Augusti viri Christianissimi ad Dominicum præfectum pro Lugdunensibus conquerentibus fundos detrimentari, eorumque functiones minorari, & reipublicæ vectigalia defutura, quia filii servorum ex liberis mulieribus, liberi recedebant. Sed imperator discretissimus in commune omnibus consulens, generali lege, multa imposita, præcepit & præcipit, filios servorum patrum ex liberis etiam mulieribus, non matrum, sed patrum sequi naturam. Longo oculo vir Iustistinianus, nominis ipso privilegio merito justus, futura videns dominorum dispendia, si filii servorum, quia ex libero utero exirent, liberi abirent. Si ergo hoc conceditur sæcularibus propter indemnitatem: cur non permittitur ecclesiæ propter utilitatem & necessitatem?

Ubi sunt, ubi conturbatores & prædones ecclesiæ, qui filios servorum qui sunt in clero, propter matres liberas liberos esse garriunt? Ecce, ecce filios servorum ex liberis matribus natos, qui lege data non matres, sed patres sequuntur. Et si hoc licet in servis sæcularium, qui licito mulieribus utuntur: cur non licet in filiis servorum ecclesiæ, quos* in clero, quibus mulierum omnino est usus prohitus? An non, qui leges non intelligit, si judicare quod ignorat cæcus præsumpserit, omnes leges divinas & humanas pervertit? & factus Ieroboamita peccat, & peccare facit filios Israel?

Ausim erroneos judices Ieroboam fornicanti in excelsis conferre; quia ut ipse erravit in vitulis armentorum, ita & isti mendaces in stateris, errant in vitulis labiorum. Ausim & ecclesiarum magistros libere increpare, qui salutis communia & nolunt, & metuunt prædicare, quorum interest semper clamare, & numquam cessare, & ovile Dei continuis latratibus custodire, & malignantes odio perfectio odire. Neque enim propheta mirabilis increpare, nec ad sua odia inimicos metuit excitare, qui creatori omnium quasi in munere ardenter obtulit, dicens: *Nonne qui te, Deus, oderunt oderam? justitiam enim tuam non abscondi in corde meo*, ut faciunt

Psal. 138. multi, sed palam annuntiavi. Qui ergo justitiam

Psal. 39. Dei palam intrepidi metuunt adnuntiare, *canes muti sunt non valentes latrare*. An non in ecclesia ca-

Isaia 56. nes muti facti sunt sacerdotes? An non verboso exercitu tantum verborum clamosi in populo, sine sale palatii palatini facti sunt judices? Sacerdotes enim Dei propter filios sacerdotum & clericorum, quos libertare incassum moliuntur, iram Dei scienter incurrunt, & libertate animi amissa, servi fiunt diabolorum, pro filiis clericorum. Et sortem Dei, a qua cleri vocantur, perdentes, ipso etiam honore sacerdotii canonum lege damnantur: jam apud Deum certo depositi, licet ante oculos hominum videantur prosperari, & in accepto honore ad votum extolli.

Iudices autem non judicantes, immo Iudaizantes, pro filiis clericorum, quos a famulatu ecclesiæ abstrahunt, & honorem palatii legibus perdunt, & rationem post mortem, nisi hic pœnitentia liberentur, verissime reddunt. Verum, si ignorantia deliquerunt, quærant canonizatos magistros: & scholarum remedio sensum captiuatum vel rediment, vel non datum accipiant. Si autem studio bene inventa & scita depravarunt: currant ad celerem & superabundantem misericordiam Dei, qui pro certo corrigit pœnitentia quod commisit præsumptio, & impudens apposuit negligentia. Et revera magna judicibus opus est pœnitentia, qui impudentes clerorum & sacerdotum lenones effecti, ad hanc devenerunt ignominiam, ut sicut dæmones de gaudio in supplicium, ita judices de palatio ceciderint in lenocinium. An non cleros ad lupanaria invitant, & quasi ad stupra cogunt, qui filiis eorum libertatem mutuant, & hereditatem promittunt? Si utique cleri crederent filios suos hac lege servituros, seque ipsos, ut sunt deponendi secundum Nicænam regulam canonum matricem, passim viderent depositos: ad cor confusi Deo medicante redirent, & forsan a paganismo reveriti quandoque cessarent. Ipsæ quoque curraces meretrices futuram secum filiorum & suam colligentes ignominiam, clerorum declinassent periculum, & in laicorum denigrandum esse deliberassent patrocinium.

Omnes igitur filii & filiæ omnium clericorum, quos de familia ecclesiæ, de quacumque libera nati fuerint, vel uxore, vel concubina, quia neutrum nec licet, nec licuit, nec licebit, servi suæ erunt ecclesiæ in sæcula sæculorum. Conticescant ergo impii, saltem in publico, & stulti aliquando sapiant, & ineptire vel imminente senio jam dediscant: hoc scientes, hoc inviolabiliter perpetuo tenentes, quia si filii laicorum servorum ecclesiæ ex liberis uxoribus serviunt: multo magis filii omnium clerorum servorum ecclesiæ ex libera concubina procreati, servi suæ erunt ecclesiæ, neque inde exire debebunt: quia adulterium ab omni mundo damnatum, nulli umquam profuit, nec servum a jugo prementis liberavit, immo liberum servitio turpiter subjugavit. Ideoque nullo tempore honorem aut libertatem, sed omnem ignominiam & servitutem apud Christianos & paganos semper accepisse & ætas prodit & stylus. Sint itaque hujus conditionis filii & servi, &, si possit dici, serviores, qui omnibus aliis servis in nascendo lege divina & humana probantur indigniores. Quorum patres, ut cleros impudicos ab ecclesia abjicit ecclesia, eosque depositos servire sibi ut forenses in curiali facit impudentia: matres vero, utpote pro adulterio vendita libertate ancillantes, lex divina & humana prius in foro castigat, & postea exilio macerat.

Sed neque ipsæ liberæ meretrices, ex quibus cleri diacones aut sacerdotes de familia ecclesiæ furati sunt filios, cum bonis adquisitis exibunt: sed omnia quæcumque fuerint adquisita, mobilia sive immobilia, ad ecclesiam, unde omnia injuste subtracta, subrepta sunt, & subducta, cum filiis & filiabus juste omnia revertentur: totumque ecclesia ut suum proprium recipiet, quidquid falsorum falso judicum consilio, per manus* autem, per nomen alicujus liberi hominis fuerit conquisitum. *f. aut

De bonis enim servorum ecclesiæ, non de facultate illius liberi, cujus solum nomen sonat in charta, hujusmodi est adquisitio facta. Et ideo judices, qui has scriptiones faciunt, & illi qui per suas nihil valentes manus recipiunt, æquo ecclesiæ feriendi sunt judicio. Ipsa etiam mater, quæ dicebatur libera, nisi humanius ageremus, quia sacrilegium fecit, servitio esset ecclesiæ mancipanda. Est enim sacrilega, quæ rerum divinarum furtum facit. Res, inquam, divina est omnis* Deus. Rem *f. clerus.

ergo divinam omnis mulier furatur, quæ cum clero meretricatur; nec libera esse deberet, quæ exterm-

ANNO CHRISTI ......

terminante furore libidinis fuimet oblita, omnem a se corporis & animæ propulit libertatem. A

Quam tamen cum sua quacumque libertate, synodi etiam Africanæ severitatem temperantes, liberam ideo abire volumus, ut ii quos illa lupa devoraverat, per Dei gratiam liberentur. Exulet longe tamen volumus, sed trans mare nolumus: ut a visu, auditu, & congressu cleri aliena, pœnitentia reddat ecclesiæ, quod incursione furentis perierat feminæ. Trans mare vero ut exulet ideo nolumus, quia jugum importabile Deo prohibente non audemus imponere. Aeris enim alieni homo perfragilis infecta inclementia, & maceratione insolita destituta, potius morti destinata, quam pœnitentiæ putaretur deputata. B

Autore igitur Deo, & principibus nostris Petro & Paulo, florente gloriosissimo filio nostro H*. semper Augusto, approbantibus fratribus nostris, & omnibus consacerdotibus, hunc ita de mundo tollamus errorem, & ita hanc intelligentiam omnibus sæculis, omni dubietate fugata, infundamus: ut nullis umquam temporibus hæc pestis repullulet, nec umquam in talibus sine causa secutura posteritas dubitet. Et ut firmum post hac quod sancimus permaneat, & in fines orbis terræ conservandum perveniat: totius hujus summa sententiæ hac nostri forma decreti, fratribus & coepiscopis nostris subscribentibus confirmabitur.

*enrico

DECRETVM DOMNI PAPÆ B*.

*enedicti

I. *Vt nullus in clero mulierem attingat.*

Nullus presbyter, nullus diaconus, nullus subdiaconus, nullus in clero uxorem aut concubinam admittat: cum nulli quoque laicorum scire liceat mulierem præter uxorem. Quod si fecerit, secundum ecclesiasticam regulam deponatur. Sed neque secundum humanas leges ex longo factas, & receptas, *ullus admirationis locum in plebe habeat.

*ullius minimi... ationis

II. *Vt episcopus nullam feminam habeat, neque cum aliqua habitet.* D

Episcopus sicut nullam habebit, ita cum nulla penitus habitabit. Quod si fecerit, & nostris regulis, & mundanis legibus concordantibus, honore, quo se ipse fecit indignum, abjicietur.

III. *Vt filii clericorum servorum ecclesiæ, servi sint ecclesiæ cum omnibus adquisitis.*

Filii & filiæ omnium clericorum, omniumque graduum de familia ecclesiæ, ex quacumque libera muliere, quocumque modo sibi conjuncta fuerit, geniti, cum omnibus bonis per cujuscumque manus adquisitis, servi proprii suæ erunt ecclesiæ, nec umquam ab ecclesiæ servitute exibunt. E

IV. *Vt filiis clericorum servorum ecclesiæ nullus judex libertatem promittat.*

Quicumque filios clericorum servorum eccclesiæ de quacumque libera procreatos, liberos esse judicaverit, anathema sit: & habeat in iudicio quod fecit, quia ecclesiæ tulit quod non dedit.

V. *Vt servi ecclesiarum per manus liberi nihil adquirant.*

Nulli servorum ecclesiæ, sive in clericatu, sive in laicatu, de quibus nostrum est & fratrum nostrorum iudicare, liceat comparare, aut ullomodo adquirere per manus aut nomen alicuius liberi hominis. Quod qui fecerit, evasibiliter cæsus, tamdiu carceratus habebitur, quamdiu omnis ecclesia recipiat scriptiones.

VI. *Vt ille, qui chartam per suas manus accipit, finem ecclesiæ faciat.*

Ille autem male liber, qui factus est diaboli servus, per cuius manus latrocinantes servus ecclesiæ, quicquid illud fuerit, adquisivit, aut ecclesiæ totam faciat securitatem, aut maledictus inter fures ecclesiæ & sacrilegos habeatur.

VIII. *Vt nullus judex aut tabellio chartas scribant, quas servi ecclesiæ per manus liberi adquirunt.*

Iudex vero, aut tabellio, qui tam inlicitas chartas scripserint, & res pretio servorum ecclesiæ comparatas, aut aliqua liberalitate conlatas, nomini alicuius liberi titulari præsumpserint, anathemate feriantur. Sed neque honorabitur in palatio, qui ecclesiam palatii matrem non erubuit impugnare. C

Hoc autem ecclesiæ Dei testamentum, contra malignantes, Deo autore, autoramentum, dilectissimi filii nostri H. Augusti edicti lege firmari, corroborari, & humanis inseri & inscribi legibus volumus: & per omnem imperii sui latitudinem, ut suscipiatur, teneatur, & publica autoritate omni tempore iudicetur, omnes in commune oramus & obsecramus. Erit enim Deo volente in æternum valiturum: si, quod ecclesiastica gravitas prohibet, publico fuerit vigore exterminatum. Nec factiosi, huius decreti scientiam dissimulabunt, quæ omnium libris inscripta, per ora omnium evolabit. Nec impune putabunt audendum, quod publica damnatum severitate cognoverint.

Ego B*. papa æternæ urbis huic constituto synodali subscripsi. *Benedictus

Ego A*. sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi. * Alnulfus, vel Aribertus

Ego R*. Ticinensis ecclesiæ episcopus subscripsi. * Raynaldus

Ego A*. Cumanus episcopus subscripsi. *Albericus

Ego L*. Taurinensis ecclesiæ episcopus subscripsi. * Lādulf...

Ego P*. Terdonensis ecclesiæ episcopus subscripsi. * Petrus

Ego Leo Eusebianæ ecclesiæ catholicus episcopus subscripsi.

Actum Papiæ Kal. Augusti, imperante domno H*. gloriosissimo Augusto, per manus fratris Leonis Vercellensis episcopi. *Henricus

RESPONSIO

ANNO CHRISTI ....

RESPONSIO AVGVSTI.

NIHIL tibi, sanctissime papa B. possum negare, cui per Deum omnia debeo: præsertim cum justa petas, honesta cum justis fratribus suggeras, & me in consortium sanctæ solicitudinis ideo advoces, ut sicut laboris, ita participes simus & gaudii. Gratias itaque sancto episcopatui tuo jure habeo uberes, qui & salubriter componit ecclesiam, & a clericorum incontinentia, unde omne malum velut ab Aquilone super terram emersit, correctionis vigilanter fecit principium. Omnia quidem, quæ pro ecclesiæ necessaria reparatione synodaliter instituit & reformavit paternitas tua, ut filius laudo, confirmo, & approbo: & ut omnes sint paratiores, eam me inviolabiliter servaturum adjuvante Deo promitto. Et in æternum mansura, & inter publica iura semper recipienda, & humanis legibus solenniter inscribenda, hac nostra autoritate vivente ecclesia per Dei gratiam victura, cum senatoribus terræ, cum domesticis palatii, & amicis reipublicæ, coram Deo & ecclesia ita corroboramus.

INDEX CAPITVLORVM.

EDICTVM AVGVSTI.

I. *Vt nullus in clero mulierem contingat.*

Nullus in omni gradu ecclesiæ uxorem vel concubinam habere præsumat, nec in una domo cum muliere audeat habitare. Quod si fecerit, servata Iustiniani Augusti æquitate, curiæ civitatis tradatur cuius est clericus. Iure etenim manebit miser in curia, quem ecclesiæ regula depositum eiecit ab ecclesia.

II. *Vt nullus episcopus mulierem habeat, aut cum ea habitet.*

Episcopus cum nulla umquam muliere habeat tectum, cum nulla habeat lectum. Quod si fecerit, servato antiquo & moderno ecclesiæ iudicio deponatur. Eritque tanto casus gravior, quanto gradus altior.

III. *Vt filii clericorum servorum ecclesiæ, servi sint suæ ecclesiæ cum omnibus adquisitis.*

Filii autem omnium clericorum, omniumque graduum servorum ecclesiæ, de quacumque muliere, quocumque modo sibi coniuncta fuerint nati, servi suæ erunt ecclesiæ, cum omnibus bonis adquisitis: & quia servi sunt, & erunt, numquam de servitio ecclesiæ exire debebunt. Et omnia quæ ipsi per manus & per scriptiones alicuius liberi adquisierint, ecclesiæ sicut sua propria reddimus. Suo etenim iuri totum ecclesia ut proprium vendicabit, quidquid ullo ingenio ecclesiæ servus contraxit: nec ulli secundum phantasmaticos dabit adulterium libertatem, quod corpus in infamiam, & in servitutem traiicit animam.

IV. *Vt nullus filiis clericorum servorum ecclesiæ libertatem audeat iudicare.*

Quicumque ergo posthac eos esse liberos iudicaverit, & pro eis contra ecclesiam dederit sententiam, & hoc capitulum autoritate sanctæ ecclesiæ statutum nostræ * ceperit, & in suis libris non scripserit, & secundum hoc capitulum filios clericorum de familia ecclesiæ, proprios servos esse suæ ecclesiæ usu semper valituro non iudicaverit, facultatum publicatione nudatus, perpetuo damnetur exilio. Vbi sicut nulla umquam illi lex iudicandi, nulla ita erit spes remeandi. Neque enim mirum, sed iustissimum, nimirum si is amisso officio corpore exulabit, quem ecclesia, quia Deum amisit, anathemate fulminavit. Matres vero eorum libertatem adulterio vendētes, prius in foro castigatæ fiant exemplum, & postea iudicio ecclesiæ & nostro exulent. Quia si fuerint in vicinia, vix aut numquam eorum cessabit malitia.

(* f. non receperit)

V. *Vt servi ecclesiæ per manus liberi hominis nihil adquirant.*

Servis ecclesiæ, ut nostris, adquirere licet iuste, & licuit: sed per manus alicuius liberi scriptiones ullas contrahere, nullo umquam tempore licebit. Quod si fecerit, ecclesiæ iudicio ut suus coercebitur. Si enim ad nostrum spectaret iudicium, ut fugitivuus addiceretur.

VI. *Vt iudex aut tabellio chartas * inscribant, quas servi ecclesiæ per manus liberi adquirunt.* (* Cor. non scribant,)

Iudicibus vero & tabellionibus, quorum nostra interest, si posthac tales fecerint scriptiones, manum amputamus dexteram, quæ scripsit contra ecclesiam. Vt qui noluit integer verum iudicare in palatio, in foro mancus, corrigat alios a mendacio.

VII. *Vt ille, per cuius manus servus ecclesiæ chartas accepit, finem & securitatem ecclesiæ faciat.*

Ille autem Deo & hominibus execrandus, per cuius manus invalidas, & nomen vacuum, fraudulenter ecclesiæ servus scriptiones accepit, sub sacramento eisdem redditis scriptionibus, ut omnium litium iacula sopiantur, omnem ecclesiæ, prout constiterit, coactus faciet finem. Moxque eum insequetur stylus proscriptionis, quem mater & magistra nostra ecclesia vulneravit gladio maledictionis.

SVBSCRI-

NNO ... ISTI ... enricus ... enedicti

SVBSCRIPTIO.

Ego H*. gratia Dei Imperator Augustus hanc constitutionem legis perpetuæ per consilium domni papæ B*. suggerente plurimo cœtu episcoporum, Deo autore statui, firmavi, & semper valere decrevi, & optavi, meosque imperii primores firmare rogavi.

Ego O. Marchio interfui, & hanc legem mundo pernecessariam, & oculos ecclesiis sublatos reddentem, firmavi, & laudavi.

Ego R. Marchio interfui, & laudavi.

Ego O. comes palatii interfui, & laudavi

Et plures alii quorum nomina injuria temporis perierunt.

NOTÆ GABRIELIS COSSARTII.

Hujus synodi nomina propria, initialibus tantum literis indicantur in MS. codice, ex quo eam descripsimus. Quærendum ergo tempus fuit, in quod ab iis inchoata literis tot nomina concurrerent. Quod repertum a nobis est Benedicto VIII pontifice maximo, & S. Henrico imperante.

Certum annum non assigno Id tantum constat, celebratam esse hanc synodum inter annum 1014. quo Benedictus VIII pontificatum, Henricus II. imperium simul tenuerunt, & 1024. quo uterque obiit.

Ticinensem episcopum recte a nobis Raynaldum vocari, constat ex subscriptionibus synodi Romanæ Benedicti VIII. anno 1015. quam hac ipsa in pagina legis Qua ex synodo a viro eruditissimo Vghello edita, Vghelli ipsius Italia sacra non tam emendanda hoc loco quam augenda est. Is enim Ticinenses illius temporis episcopos sic describit, ut Vbertus anno 1008. cœperit; Guido, anno 1026. Raynaldus vero anno 1028. Quæ series conciliari cum Romana illa synodo, & hac nostra Ticinensi non potest Necesse est ergo, inter Vbertum & Guidonem Raynaldus alter extiterit. Certe ex vetustis monumentis prodire quotidie prius ignotos episcopos, cuivis in his studiis versato compertum est. Atque ut ne ab hac synodo recedamus: habemus hic A. Cumanum episcopum, qui sine dubio Albericus est, ut apparet ex subscriptionibus synodi Francoford. anni 1007. Atqui Alberici hujus nulla inter Cumanos episcopos ab Vghello facta mentio.

Terdonensis episcopus, idem ac Dertonensis. Nam Dertona Longobardiæ civitas, quæ hodie vulgo Tortona, ab ævi illius scriptoribus Terdona vocitata est

A. Mediolanensis episcopus, Arnulfus est, si coacta hæc synodus ante an. 1019. si post annum illum, Aribertus, qui & Heribertus sæpius dicitur.

ANNO CHRISTI 1014. Tomo 2. Italiæ sacræ p. 358.

*** SYNODVS RAVENNAS, AB ARNOLDO RAVENNATE EPISCOPO & episcopis plurimis diversarum provinciarum celebrata anno Christi MXIV. Benedicti papæ VIII. anno II.

Adversus ea quæ Adelberti archiepiscopi tempore perperam gesta erant, vel irrepserant.

PERPETVALITER Domino nostro Iesu Christo regnante, quarto decimo anno post millesimum divinitus mortalitatis assumptæ, sub Imperio clementissimi Augusti domini Henrici in tertio anno, pridie Kalend. Maiarum. Congregata est venerabilis synodus in ecclesia Ravennate, cui vocabulum est S. Resurrectionis, infra portas majores, sub imagine Salvatoris, præsidente in ea sanctissimo ac venerabili Arnoldo archiepiscopo sedis ejusdem, simulque cum eo, celeberrimo atque in Christo fidelissimo Segrefredo Placentino episcopo, aliisque patribus pluribus Æmiliæ, Flaminiæ, atque Pentapolis provinciarum, cum multis aliis diversarum ecclesiarum Dei.

Relatum est in synodo, quod in viduitate ecclesiæ Ravennatis, quæ pro peccatis nostris undecim annis vidua mansit, hoc est, a morte præsulis Friderici usque ad ordinationem sancti patris Arnoldi, multa mala, crimina, vitia, atque peccata hac in provincia sunt exercita. Qua de re contra canonum constitutiones, sanctorum decreta pontificum, contra etiam statuta nostrorum præsulum Gerberti, & Frederici, multæ malæ illicitæ ordinationes, atque promotiones sacrorum ordinum, & dedicationes ecclesiarum, monasteriorum, plebium, & capellarum, atque invasiones ordinum per alteros, quibus minime competebat, inventæ sunt extitisse. Vnde statutum est, ut omnes tales ordinationes suspenderentur a mysteriis, usque ad discussionem certissimam.

ANNO CHRISTI 1014.

Altera autem die synodi statuere placuit, ut omnes ecclesias, vel casas, quas invasor Adelbertus consecrare præsumpsit, ab omni officio divino immunes esse constarent, & ipsa benedictio omnino haberetur perpetuo irrita in omni parochia Ravennatis Exarchatus.

Placuit etiam tertia die synodi, ut sicut in decretis sanctorum patrum cautum est, & Romanæ legis constitutionibus statutum, ut omnes res Petri clerici interfecti, quæ per bona ecclesiarum, quas a sancta Ravennate ecclesia obtinuit, sibique nullo modo conquisivit, ecclesiæ potestati subjaceant. Statutum est etiam, & sub anathematis vinculo nosmetipsos constringimus, si ullus nostrorum episcoporum ad Ravennatem diœcesim pertinentium, deinceps chrisma vendiderit, aut commendationes animarum, aut sepulturas mortuorum, aut horum omnium quæ interdicta sunt a sanctis patribus, & noviter a nobis nec * ipsis damnata temporibus religiosorum præsulum Gerberti, atque Frderici, & tam per suos quam per vos subjectos. Item statuimus, ut nullus archipresbyter benedictionem super populum det, non confirmationem chrismatis faciat, neque illud conficiat, & si alter fecerit, communione privetur.

*f. necnon

** SYNODVS ROMANA BENEDIC. VIII. in qua Fructuariensis cœnobii privilegium editum.

ANNO CHRISTI 1015. Ex tom. 2. Ital. sacræ, pag 996.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno qui computatur ab incarnatione domini MXV. Indictione XIII. residente in synodo domino & glorioso papa Benedicto intra basilicam Lateranensem, adfuit quidam abbas VVillelmi nomine, quiddam præstandum, valdeque utile a materno universalis ecclesiæ sinu, suppliciter exposcens: videlicet, ut monasterio Fructuariensi, quod in honorem Dei, & domini nostri Iesu Christi, ejusque intemeratæ genitricis, in paterno solo construxerat, apostolica dignitas libertatis suffragium exhiberet. Cujus petitioni, Romanæ sedis non contemnenda sublimitas assensum idcirco tam facillime præbuit, quia præfatum monasterium in deserto loco, unde nullus umquam episcopus alicujus vel decimæ redditum noscitur habuisse, fundavit, & apostolica, regalia, necnon & imperialia testamenta adquisivit, justum votum, justumque laborem pie cunctis juvantibus. Præterea idem ipse VVarmundus episcopus *Hipporiensis, in cujus episcopii limite idem locus situs esse videtur, manu propria firmavit, paresque firmare rogavit episcopos testamentum, ubi excommunicationis nostræ minamine prohibetur temeraria cunctorum hominum audacia, videlicet ne qua regia, episcopalis, vel cujuspiam mundani vel ecclesiastici

* *Qui melius* Eporediensis *Sed ævo illo ita locuti.*

stici ordinis dignitas valeat, sub qualicumque occasione sæcularis ambitus, vel ecclesiasticæ religionis obtentu, habitatores illius loci ullo modo inquietare. Unde dominus Benedictus universalis pontifex, ad confirmationem testamentorum omnium, unde corroboratus est locus ipse Fructuariensis, sacro suo eum dotavit privilegio: insuper hoc, cui omnis hæc sancta synodus favens subscriberet, exarare præcepit decretum. Unanimiter ergo tanti patris, summique pontificis libentissime parentes imperio, saluberrimoque ejus subjacentes desiderio, * corrumpere nituntur tantæ autoritatis privilegia, atque violare illa, quæcumque vel a Guntardo Levita, vel ab episcopis, aut a regibus ipsi sancto Fructuariensi cœnobio collata, vel fuerint * testamenta: ipsos confidenter hæc sancta synodus ecclesia * percutit in gladio, ut pote contradicentes jura majorum, patrumque instituta contemnentes sanctorum, qui sanctæ Romanæ ecclesiæ ab ipso apostolorum tempore omnem obedientiam a cunctis ordinibus exhibendam fore decreverunt. Hujusmodi armis instructi, excommunicationis jacula in eos retorquentes, neminem perversorum permittimus immutare, vel infringere quicquid ad quietem, libertatem, securitatem, honorisque honestatem ipsi Fructuariensi monasterio, suisque rectoribus per tanta ac talia concessa sunt testamenta. Quæ quicumque servaverint, dilexerint, & magnificantes auxerint, gaudeant cum eis, quorum nomina scripta sunt in cælo: qui autem contempserint, corruperint, & pro posse deleverint, caveant, ne & ipsi deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur: quoniam nisi resipuerint ab hac nequitia, a cunctis etiam se noverint excommunicatos. *Quorum hic subter scripta sunt nomina.

* f deest, si qui

Ego Benedictus sanctæ Romanæ ecclesiæ præsul.
Ego * Eribertus sanctæ Mediolanensis archiepiscopus.
Ego Michael archiepiscopus.
Ego Theobaldus sanctæ Veliternensis ecclesiæ episcopus.
Ego Petrus sanctæ Prænestinensis ecclesiæ episcopus.
Ego Cono Perusinæ episcopus.
Ego Arduinus Monteferetranus episcopus.
Ego Petrus Castellanus episcopus.
Ego Emino episcopus Asculanensis.
Ego Aldebertus episcopus Spoletanus.
Ego Lambertus episcopus Polimartiensis.
Ego Ioannes episcopus Balneoregiensis.
Ego Deusdedit sanctæ ecclesiæ Amerinæ episcopus.
Ego Benedictus episcopus.
Ego Ioannes Quiesthomo episcopus.
Ego Stephanus Narniensis ecclesiæ episcopus.
Ego Gregorius episcopus N.
Ego Ioannes sanctæ * Alinxæ episcopus.
Ego Ioannes sanctæ Tudertinæ ecclesiæ episcopus.
Ego Crescentius sanctæ * Phalaritanæ ecclesiæ episcopus.
Ego Domnus sanctæ Sutrinensis ecclesiæ episcopus.
Ego Petrus Centumcellensis ecclesiæ episcopus.
Ego Ioannes sanctæ Suanensis ecclesiæ episcopus.
Ego Heldericus Urbevetanus episcopus.
Ego Boto episcopus.
Ego Henricus Populoniensis episcopus.

* Qui & Aribertus vocatus

f. Calaritanæ.

Ego Georgius Assisinatensis episcopus.
Ego Theobaldus sanctæ Albanensis ecclesiæ episcopus.
Ego Raynerius Roselensis episcopus.
Ego Lambertus Lingonensis ecclesiæ episcopus.
Ego Benedictus sanctæ Castriensis ecclesiæ episcopus.
Ego Petrus sanctæ Pipernensis ecclesiæ episcopus.
Ego Lintulphus sanctæ Trivensis ecclesiæ episcopus.
Ego Benedictus Cerensis ecclesiæ episcopus.
Ego Crescentius Nepesinæ ecclesiæ episcopus.
Ego Ioannes Sabinensis ecclesiæ episcopus.
Ego Deodatus Terracinensis ecclesiæ episcopus.
Ego Ioannes Fundanæ ecclesiæ episcopus.
Ego Robertus Signensis ecclesiæ episcopus.
Ego Benedictus Ferentinæ ecclesiæ episcopus.
Ego Sigifredus Placentinæ ecclesiæ episcopus.
Ego Raynaldus Ticinensis ecclesiæ episcopus.
Ego Landulphus Taurinensis ecclesiæ episcopus.
Ego Henricus Parmensium episcopus.
Ego Dertonensis ecclesiæ episcopus,
Ego Ioannes presbyter, & cardinalis, tituli sanctæ Susannæ.
Ego Landulphus Genuensis ecclesiæ episcopus.
Ego Stephanus presbyter cardinalis, tituli sanctæ Cæciliæ.
Ego presbyter Petrus, & cardinalis, tituli sancti Sixti.
Ego Ioannes presbyter, & cardinalis, tituli sancti Marcelli.
Ego Petrus presbyter, & cardinalis, tituli sancti Marci.
Ego Petrus presbyter, & cardinalis, tituli sancti Damasci.
Ego Crescentius presbyter, & cardinalis, tituli sancti Stephani in Celerina.
Ego Sebastianus presbyter, & cardinalis, tituli sancti Clementis,
Ego Benedictus diaconus.
Ego Crescentius diaconus.
Ego Ioannes diaconus.
Ego Crescentius diaconus.
Ego Petrus diaconus, sanctæ Romanæ ecclesiæ, & cancellarius sacri palatii.
Ego Franco diaconus.
Ego Landulphus Cremonensis custos.
Ego Guido abbas.
Ego Dominicus abbas Capitolii.
Ego Ioannes abbas sancti Silvestri.
Ego Ioannes abbas sancti Matthæi.
Ego Petrus abbas sanctæ Mariæ ad vincula.

Cujus testamenti notitiam præcepit scribere mihi Benedicto, sacri palatii scriniario, dominus papa Benedictus, tertio die mensis Ianuarii.

** CONCILIUM AURELIANENSE, IN QUO LISOIUS ET HERIBERTUS, aliique hæretici, Roberti regis jussu flaminis exusti, anno Christi MXVII. Benedicti VIII. papæ anno V. Roberti ejusdem regis XX.

De hac synodo, ejusque occasione scribit Glaber Rodulphus historiæ suæ libro III. *capite* VIII. *Narrat enim deprehensam hoc anno in urbe Aurelianensi hæresim fuisse, quæ per mulierem Italam in Gallias invecta ferebatur: ab ea corruptos passim plurimos: tum in ea urbe duos propagandi erroris principes extitisse Lisoium & Heribertum, qui genere ac scientia cæteris clericis anteibant, & apud*

ANNO CHRISTI 1017.

apud regem, aulæque proceres in magna gratia erant. Gliscente autem malo, cum res ad Roberti regis aures pervenisset, coacta sydodo, pœnas de impiis exegit. Glabri ergo verba sunt loco supraſcripto. Tertio, *inquit*, de vicesimo infra millesimum anno, reperta apud Aurelianensem urbem cruda nimium, atque insolens hæresis, quæ diutius ac culte germinata, in perditionis segetem male pullulans, plures in suæ cæcitatis præcipitavit laqueum. *Et post alia.* Vt autem cognovit rex Robertus, ut erat doctissimus ac Christianus, tristis ac mœrens nimium effectus, quoniam & ruinam patriæ revera, & animarum metuebat interitum. Idcirco quantocius Aurelianis properans, convocatis plurimis episcopis & abbatibus, ac religiosis quibusque laicis, acerrime cœpit perscrutari, qui essent autores hujus perversi dogmatis, vel qui parti illorum, jam decepti, consentirent. Facta igitur perscrutatione inter clericos, quomodo unusquisque sentiret, & crederet ea quæ fides catholica per doctrinam apostolicam incommutabiliter servat & prædicat, duo, videlicet Lisoius & * Heribertus, statim se aliter sentire non negantes, quales diu latuerant, manifestaverunt. Deinde vero plures post illos se parti istorum profitebantur hærere: nec ulla ratione se posse affirmabant ab illorum segregare consortio. Quibus compertis, tam rex, quam pontifices, tristiores effecti, interrogaverunt illos secretius, utpote viros hactenus in omni morum probitate perutilissimos: quorum unus Lisoius in monasterio sanctæ crucis, clericorum carissimus habebatur; alter, idem Heribertus, sancti Petri ecclesiæ, cognomento Puellaris, capitale scholæ tenebat dominium. Qui dum interrogati fuissent, a quo vel unde eis ista præsumptio accidisset, hujusmodi dederunt responsum: Hoc enim diu est quod sectam, quam vos tarde agnoscitis, amplectimur: sed tam vos, quam cæteros cujuscumque legis vel ordinis, in eam cadere expectavimus, quod etiam adhuc fore credimus. His dictis, continuo palam exposuerunt omnium antiquarum stultissimam ac miserrimam, nempe sui deceptricem hæresim. Cujus videlicet ratiocinatio tanto minus erat idoneis sermonibus obnixa, quanto constat esse illi ter veritati contrariam. Dicebant ergo, deliramenta esse quidquid in veteri ac novo canone, certis signis ac prodigiis, veteribusque testatoribus, de trina unaque deitate beata confirmat autoritas. Cælum pariter ac terram, ut conspiciuntur, absque autore initii semper extitisse asserebant: & cum universarum hæresum * insanientes, canum more latrantes * deterrima, in hoc tantum Epicureis erant hæreticis similes, quoniam voluptatum flagitiis credebant non recompensari ultionis vindictam. Omne Christianorum opus, pietatis dumtaxat & justitiæ, quod æstimatur pretium remunerationis æternæ, laborem superfluum esse judicabant. Interea his aliisque quam plurimis insaniis impudenter ab eisdem prolatis, non defuere fideles atque idonei testes veritatis, qui illis sufficienter, si vellent tam veritati quam propriæ acquiescere saluti, respondere de suis cæcis atque erroneis assertionibus valerent. *Et post alia.* Præterea cum a pluribus omni sagacitate elaboratum fuisset, qualiter deposita mentis perfidia veram & universalem reciperent fidem, atque illi omnimodis se facere denegarent: dictum est eis, quoniam nisi celerius ad sanam fidei mentem redeant, regis jussu, & universæ plebis consensu, igne essent protinus crematuri. At illi male in sua confisi vesania, nil pertimescere se jactantes, seque evasuros ab igne illæsos promitten-

Aganoni phanus.

Cor. hæresum deterrima

Expunge hic, deterrima

A tes, quin potius meliora sibi suadentibus spernendo illudebant. Cernens quoque rex, & universi qui aderant, minus posse illos revocari ab insania: jussit accedere non longe a civitate ignem permaximum, ut vel eo forte territi, a sua malignitate desinerent. Ad quem cum ducerentur, rabida adacti dementia, se omnimodis hoc velle proclamabant, acsese ultro ad ignem trahentibus inferebant. Quibus ad ultimum numero XIII. igni traditis, cum jam cœpissent acrius aduri, cœperunt voce qua poterant ex eodem igne clamare, se pessime deceptos arte diabolica, nuper de universorum Deo ac domino male sensisse, & ob hanc ab eisdem illatam ei blasphemiam illos temporali atque æterna ultione torqueri. His vero plures e circumstantibus auditis humanitatis pietate B permoti, accedentes ut vel semivivos ab igne eriperent, minime valuerunt: quoniam vindice flamma consumente illos, continuo in pulverem sunt redacti. Si qui vero postmodum hujus perversitatis sectatores fuere reperti, simili ultionis vindicta ubique fuerunt perditi. Præterea venerabilis catholicæ fidei cultus, extirpata insanientium pessimorum vesania, ubique terrarum clarior emicuit.

Qui de his porro post Glabrum meminerunt, nonnulli eos propter quamdam dogmatum similitudinem Manichæos appellarunt, ut Ademarus monachus. Eo tempore, *inquit*, decem ex canonicis sanctæ Crucis Aurelianis, qui videbantur esse religiosiores aliis, probati sunt esse Manichæi. Quos rex Robertus, cum nollent aliquatenus ad fidem reverti, primum a gradu sacerdotii deponi, deinde ab ecclesia C eliminari, & demum igne cremari jussit. Quidam etiam Aurelianẽsis canonicus, cantor nomine Theodatus, mortuus erat ante triennium in illa hæresi, ut perhibebant viri religiosi & hæretici ipsi. Cujus corpus postquã probatum est, ejectum est de cœmeterio jubente episcopo Odalrico, & projectum in invium. Qui autem flammis judicati sunt supradicti decem cum Lisoio, quem rex valde dilexerat propter sanctitatem, quam eum habere credebat, securi nihil timebant: & a flammis se inlæsos exire promittebant, & ridentes in medio ignis ligati sunt, & sine mora penitus in cinerem redacti sunt, ut nec de ossibus residuum inveniretur eorum.

D *Ejusdem concilii occasionem & acta descripta plenius accipe ex veteri commentario, quem Aganonem vocant, cœnobii S. Petri in valle prope Carnutum, prout edidit D. Lucas Dacherius, tomo II. Spicilegii.* Rursum quoque duxi dignum memoriæ tradendum de præfato viro, scilicet Arefasto, quomodo in Aureliana urbe, divina ope, suique ingenii salubri acumine, hæreticam pravitatem latenter pullulantem, jamjamque per Galliarum provincias nefandi erroris venena exitialia propinantem, non solum deprehenderit, sed etiam omnino compresserit. Erat enim de genere comitum Normanorum, eloquio E nitidus, consilio providus, bonis moribus comptus, ac idcirco legationis officio tam apud Francorum regem, quam apud proceres notissimus extitit. Hic in domo sua quemdam clericum habuisse dicitur nomine Herbertum, qui lectionis gratia Aurelianam urbem adire decreverat. Verum, dum veritatis autores quærere satageret, cæco itinere in totius hæresis barathro dilabitur. Nam ea tempestate in eadem civitate duo clerici, Stephanus * & Lisoius, apud omnes sapientia clari, sanctitate seu religione magnifici, eleemosynis largi, opinione habebantur vulgi. Eosdem memoratus expetiit clericus, & parvo temporis interstitio docilis discipulus, cum divini verbi dulcedine ab eis debriatur mortifero nequitiæ haustu, qui dementia errore

ANNO CHRISTI 1017.

** Glabro, Heribertus dicitur.*

ANNO CHRISTI 1017.

errore diabolico irretitus, totius divinitatis expers, A sapientiæ arcem conscendisse se credidit. Qui patriam repedans, dominum suum, quem singulari affectu diligebat, subtilitate verborum in erroris viam sensim admovendo, secum attrahere cupiebat: testificans Aurelianum urbem præ cæteris urbibus coruscare luce sapientiæ, atque sanctitatis lampade. In cujus verbis dominus ejus intellectuali auditu ipsum animadvertit a via justitiæ devium: & cito comiti Richardo causam innotuit, atque rogavit, ut Rodberto regi literis pestem in regno ejus adhuc latitantem, antequam propagaretur, patefaceret; & ut rex eidem Arefasto ad expellendam eam opportunum auxilium non denegaret. Itaque rex insperata re attonitus, manda- B vit ut idem vir cum clerico suo ad Aurelianum urbem cito gressum dirigeret, pollicens omnimodis in hac re suum auxilium.

Cumque jubente rege iter ageret, Carnotis devenit; Fulbertum venerabilem antistitem super hac re consulturus qui forte tunc aberat. nam Romam gratia orationis abierat. Tunc causam sui itineris cuidam sapienti clerico Ebrardo nomine, Carnotensis ecclesiæ sacriscrinio, innotuit: flagitans sui consilii opem, qualiter stare deberet in acie, & quibus armis se muniret contra multimodas artes diabolicæ fraudis. Qui sapienti usus consilio eum prædocuit, ut quotidie primo mane omnipotentis opem quæsiturus, ecclesiam devotus adiret, orationi incumberet, atque sacrosancta com- C munione corporis & sanguinis Christi se muniret, deinde fidenter ad audiendam hæreticam pravitatem signaculo sanctæ crucis protectus pergeret, nihil horum quæ ab eis audiret, contradiceret, sed simulato discipuli vultu, omnia tacitus in domicilio pectoris conferret.

Igitur Aurelianis deveniens, uti edoctus fuerat, quotidie sacra communione ac supplici oratione munitus, ad eorum doctrinam veniens, ad instar rudis discipuli ultimus intra domum erroneorum assidebat. Cumque primum divinorum voluminum exemplis eum & quibusdam rerum similitudinibus informarent, atque more perfecti discipuli subdita aure intentum viderent: inter D alias similitudines, silvestris arboris similitudinem ei proferunt. Tractandus es, inquiunt, a nobis ut arbor silvestris, quæ translata in viridario, tamdiu aquis perfunditur, donec humo radicetur, dehinc spinis & rebus superfluis emundatur, ut postmodum terræ tenus truncata sarculo, meliori inseratur ramusculo, quæ postmodum fertilis fit mellifluo pomo. Itaque tu simili modo translatus de iniquo sæculo in nostro sancto collegio, aquis perfunderis sapientiæ, donec infor- E meris, & gladio verbi Dei vitiorum spinis carere valeas, ac insulsa doctrina tui pectoris ab antro exclusa, nostram doctrinam a sancto Spiritu traditam, mentis puritate possis excipere. At ille de omni verbo quod proferebant semper Deo gratias referebat: unde rati sunt eum conversum esse in eorum errorem, jamjamque suæ nequitiæ sentinam verbis divinorum librorum antea coopertam securi aperiunt, dicentes: *Christum de virgine Maria non esse natum, neque pro hominibus passum, nec vere in sepulcro positum, nec a mortuis resurrexisse*: Addentes: *In baptismo nullam esse scelerum ablutionem: neque sacramentum corporis & sanguinis Christi in consecratione sacerdotis. Sanctos martyres atque confessores implorare pro nihilo ducebant.*

ANNO CHRISTI 1017.

Cumque hæc & alia execrandi & miserrimi homines a fœtido pectore emoverent, Arefastus sic ad eos dixisse fertur: Si in in his quæ enumeratis salus hominum, quæ speratur, nulla, ut dicitis, esse potest: a vobis obnixe rogo mihi aperite, in quibus sperari poterit, ne meus animus in dubio positus cito cadat in desperationis ruinam. Procul dubio, frater, inquiunt, in charybdi falsæ opinionis hactenus cum indoctis jacuisti: nunc vero erectus in culmine totius veritatis, integræ mentis oculos ad lumen veræ fidei aperire cœpisti. Pandemus tibi salutis ostium, quo ingressus per impositionem videlicet manuum nostrarum, ab omni peccati labe mundaberis, atque sancti Spiritus dono repleberis, qui scripturarum omnium profunditatem, ac veram dignitatem, absque scrupulo te docebit. Deinde cælesti cibo pastus, interna satietate recreatus, videbis persæpe nobiscum visiones angelicas, quarum solatio fultus, cum eis quovis locorum, sine mora vel difficultate, cum volueris, ire poteris: nihilque tibi deerit, quia Deus omnium tibi comes numquam deerit, in quo sapientiæ thesauri, atque divitiarum consistunt. Interea rex, & Constantia regina, sicut vir memoratus mandaverat, ad urbem Aurelianam cum episcoporum collegio venientes: die sequenti, illo ipso suggerente, omnis illa nequissima congregatio simul per officiales regios de domo ubi erant congregati, abstracti, & in ecclesiam sanctæ Crucis ante regem, atque episcoporum ac clericorum cœtum adducti.

Sed antequam ad conflictum veniamus: de cibo illo, qui cælestis ab illis dicebatur, quali arte conficiebatur, nescientibus demonstrare curabo. Congregabantur siquidem certis noctibus in domo denominata, singuli lucernas tenentes in manibus, ad instar letaniæ dæmonum nomina declamabant, donec subito dæmonem in similitudine cujuslibet bestiolæ inter eos viderent descendere. Qui statim ut visibilis illa videbatur visio, omnibus extinctis luminaribus, quam primum quisque poterat mulierem quæ ad manum sibi veniebat, ad abutendum arripiebat: sine peccati respectu, & utrum mater, aut soror, aut monacha haberetur, pro sanctitate & religione ejus concubitus ab illis æstimabatur. Ex quo spurcissimo concubitu infans generatus, octava die in medio eorum igne accenso probabatur per ignem more antiquorum paganorum, & sic in igne cremabatur. Cujus cinis tanta veneratione colligebatur, atque custodiebatur, ut Christiana religiositas corpus Christi custodire solet, ægris dandum de hoc sæculo exituris ad viaticum. Inerat enim tanta vis diabolicæ fraudis in ipso cinere, ut quicumque de præfata hæresi imbutus fuisset, & de eodem cinere quamvis sumendo parum prælibavisset, vix umquam postea de eadem hæresi gressum mentis ad viam veritatis dirigere valeret. De qua re parum dixisse sufficiat, ut Christicolæ caveant se ab hoc nefario opere, non ut studeant sectando imitari. Verum, quia digressionem fecisse videor, ad eadem modo quæ dimisi vertatur oratio, ac succincto cursu infidelium crudelitas transcurrendo peragatur, ne prolixior controversiæ sermocinatio fastidium generet delicato lectori.

Igitur, ut dictum est, illis introductis ante regem, & episcoporum conventum, prior Arefastus regem allocutus est, dicens: Domine mi rex, miles sum Richardi tui fidelissimi comitis Normanniæ, & immeritus teneor vinctus, & catenatus ante te. Cui

Anno Christi 1017.

Cui rex ita respondit: Causam tui adventus cito nobis indica, ut ea cognita aut reus in vinculis tenearis, aut innoxius a vinculis dimittaris. Ad hæc ille respondit: Audita sapientia & religione horum qui vincti adstant mecum ante te, ad hanc urbem venire volui, ut inde exemplo bonorum operum, atque doctrina eorum, melioratus redirem. Hæc quidem causa est, pro qua de patria mea exire volui, & hanc urbem petii. Quod si reatu aliquo pro hoc opere teneor, præsules tibi assistentes videant, & judicent. Tunt præsules dixerunt: Si sapientiæ ac religionis modum quem ab his didicisti nobis proferas, nostro judicio facile dignoscetur. At ille ait: Regia majestas, & vestra autoritas eis jubeat, ut quæ me docuerunt, et ipsi coram vobis dicant, quatenus audita a vobis, aut digna laude habeantur, aut oblivioni tradantur. Quibus rex atque antistites cum juberent ut suæ fidei normam referendo patefacerent, totius veritatis inimici alia pro aliis dicentes, intra suæ hæresis fœditatem nulla adita introire volebant: sed ut serpens quanto plùs in manibus stringitur, tanto amplius elabitur; ita & isti quo amplius concludebantur, veritatis sermonem tanto magis labiliores videbantur effugisse. Tunc Arefastus videns quod redimerent tempus, & sermonum clypeo festinarent obnubilare suæ fidei errorem, ad eos est conversus, dicens: Veritatis magistros non erroris habere putavi, dum constanter illam mihi doctrinam, quam salutiferam euangelizabatis, viderem vos docere, atque pollicebamini pro pœnis inferendis, & etiam pro morte toleranda, nunquam eam a vobis esse denegandam. Nunc vero oblita fide quam promisistis, ut videor, timore mortis ab illa doctrina longe vultis fieri, meque adhuc rudem discipulum in periculo mortis dimittere parvi penditis. Unde regiæ jussioni parendum est, & obedire tantorum præsulum autoritati oportet, ut in his quæ a vobis didici, si qua sunt religioni Christianæ contraria, istorum judicio cognita, quæ sequenda sunt, & quæ respuenda, agnoscam. Docuistis equidem me nullam in baptismo promereri veniam peccatorum, neque Christum de virgine esse natum, neque pro hominibus passum, neque vere sepultum, neque a mortuis resurrexisse; neque panem & vinum, quod super altare manibus sacerdotum sancti Spiritus operatione effici videtur sacramentum, converti posse in corpore & sanguine Christi.

Cumque hæc Arefastus una voce peroraffet, Guarinus Belvacensis præsul interrogavit Stephanum & Lisoium, qui hujus erroris videbantur esse magistri, si ita sentirent, & crederent quæ ab Arefasto erant memorata. At illi cum diabolo in inferno jam mansionem paratam habentes, vera esse memorata, & ita se sentire ac credere constanter asserunt. Quibus cum præsul diceret, voluisse Christum nasci de Virgine, quia potuit, & pro nostra salute pati in humanitate, ut tertia die devicta morte resurgeret in sua deitate, nosque doceret esse resurrecturos in reformatione: viperino ore responderunt, dicentes: Nos neque interfuimus, neque hæc vera esse credere possumus. Ad hæc præsul eos, inquit, interrogans: carnales parentes habuisse creditis, an non? Cumque se credere assererent, præsul respondit: Si ex parentibus vos esse procreatos creditis, cum non eratis: ante sæcula Deum de Deo genitum sine matre, in fine temporis sancti Spiritus obumbratione de Virgine natum, cur credere respuitis? At illi dixerunt: Quod natura denegat, semper a creatione discrepat.

A Quibus præsul respondit, dicens: Antequam quicquam fieret per naturam, non creditis per filium Deum patrem fecisse omnia ex nihilo? Cui alienati a fide dixerunt: Ista illis narrare potes, qui terrena sapiunt, atque credunt figmenta carnalium hominum scripta in membranis animalium: nobis autem qui legem scriptam habemus in interiori homine a Spiritu sancto; & nihil aliud sapimus, nisi quod a Deo omnium conditore didicimus, incassum superflua & a divinitate devia profers: idcirco verbis finem impone, & de nobis quidquid velis facito. Iam regem nostrum in cælestibus regnantem videmus, qui ad immortales triumphos B dextera sua nos sublevat, dans superna gaudia.

Cumque ab hora diei prima usque ad horam nonam multifariam elaborarent omnes, ut illos a suo errore revocarent, & ipsi ferro duriores minime resipiscerent: jussi sunt singuli sacris vestibus indui in suo ordine, statimque ab antistitibus a proprio honore sunt depositi: & rege jubente, Constantia regina ante valvas basilicæ stetit, ne populus eos intra ecclesiam interficeret: & sic de gremio sanctæ ecclesiæ ejecti sunt. Qui cum ejicerentur, regina Stephani sui olim confessoris cum baculo, quem manu gestabat, oculum eruit. Deinde extra civitatis educti muros, in quodam tuguriolo copioso igne accenso, præter unum clericum, atque unam monacham, cum nefario pulvere, C de quo supra diximus, cremati sunt. Clericus enim & monacha divino nutu resipuerunt.

Ejusdem quoque concilii mentio, sed brevissima, in Chronico S. Petri Vivi, edito ab eodem Dacherio, eodem Spicilegii tomo.

** CONCILIUM AIRIACENSE, IN PAGO AUTISSIODORENSI PRÆSENTE Roberto Francorum Rege celebratum anno domini circiter MXX.

Circa an. Christi 1020.

Ex Chronico S. Petri Vivi, edito a D. Luca Dacherio, Tomo II. Spicilegii.

In tempore illo factus est magnus conventus in Autissiodorensi pago, in Airiaca villa, a Leo- D therico archiepiscopo: ubi de singulis locis delata sunt sanctorum martyrum, confessorum, virginum pretiosa pignora in suis scriniis. Inter quæ de cœnobio B. Petri Vivi dum deferretur, vel referretur beatus martyr Sanctianus, imminentibus noctium tenebris, super duo capita scrinii emicuerunt duo præclarissima sidera, omnes totius noctis tenebras sui splendore superantia, oculis quidem deducentium visibilia, sed tactu impalpabilia. Ibi vero præsentes fuerunt Robertus rex, & Gauslinus Bituricensis archiepiscopus, cum aliis episcopis, & abbatibus, & populo innumerabili. Ibi etiam multa disposita sunt ad utilitatem ecclesiarum.

E *Concilii eiusdem fit mentio libro II. historiæ sancti Berchari Dervensis abbatis editæ a Nic. Camuzatio in Promptuario antiquitatum Trecensium.* Gloriosus rex Robertus, *inquit*, apud villam Aireyas nomine noscitur concilium habuisse, ubi cum innumeræ plebis multitudines, diversi utriusque sexus & ætatis concurrerent: ad cumulandam quoque populi proficiscentis devotionem, plurima sanctorum corpora a fidelibus viris advehi cœperunt.

In libro Gestorum Pontificum Autissiodorensium, causa hujus congregandæ synodi affertur: nempe ad redinte-

grandam pacem in Burgundia, coactum concilium apud Airiacum, *inquit*, villam beati Germani, in quo rex Robertus..... simul & innumerabilia sanctorum pignora totius pene provinciæ. Vbi dum quidam peterent, ut gloriosi Germani corpus illuc deferretur, respondit Hugo episcopus: Absit, ut ossa incomparabilis viri pro quacumque re aliquando commoveantur. Quod cæteri audientes, gratanter consenserunt. Similiter & per diversa loca, ut in pagis, Divionense, Belnense, atque Lugdunense, concilia sæpius celebrari fecit.

G. C. Morem deferendi sanctorum reliquias ad concilia, tum ex aliis intelligimus, tum ex Glabro, lib. IV. c. V. quem mox referemus ad annum 1031.

CIRCA ANNUM CHRISTI 1020.

"** CONVENTUS EPISCOPORUM TOLOSÆ ANNO CIRCITER M. XX.

ANNO Christi circiter M. XX. Tolosæ in episcoporum conventu excommunicati sunt omnes, seu viri, seu feminæ, qui aliquem usaticum malum in strata de Stap usque Tolosam miserint, vel mitti consenserint. Cui conventui interfuerunt, archiepiscopi duo, Narbonensis, & Auxitanus; episcopi vero Carcassonensis, Biterrensis, Magalonensis, & tres suffraganei episcopi Auxitani. *Ex schedis Petri de Marca archiepiscopi Parisiensis.*

ANNO CHRISTI 1021.

CONCILIVM VVINTONIENSE, SUB CANUTO REGE ANGLORUM, DANORUM, & Norvvegarum, habitum in sancto natali domini, anno Christi MXXI.

Ex manuscripto burgi sancti Edmundi.

HÆC sunt statuta Canuti regis Anglorum, Danorum, Norvvegarum, venerando sapientum ejus consilio ad laudem & gloriam Dei, & sui regalitatem, & commune commodum, habita in sancto natali domini apud VVintoniam, *&c.*

Rex Canutus anno regni sui quinto, videlicet per centum & triginta annos ante compilationem decretorum, quæ anno domini 1150. fuerunt compilata anno septimo pontificatus papæ Eugenii tertii, & ante compilationem aliorum canonum quorumcumque, cunctos regni sui prælatos proceresque, ac magnates, ad suum convocans parliamentum, in suo publico parliamento, persistentibus personaliter in eodem VVlstano & Adelnodo archiepiscopis, & Ailvvino episcopo Elmhamense, & aliis episcopis ipsorum suffraganeis, septem ducibus, cum totidem comitibus, necnon diversorum monasteriorum nonnullis abbatibus, cum quamplurimis gregariis militibus, ac cum populi multitudine copiosa, ac omnibus tunc in eodem parliamento personaliter existentibus, votis regiis unanimiter consentientibus, præceptum & decretum fuit: Quod monasterium sancti Edmundi, *&c.* sit ab omni jurisdictione episcoporum & comitatus illius ex tunc in perpetuum funditus liberum & exemptum, *&c.*

Exemptio ab episcoporum iurisdictione

Illustris rex Hardicanutus prædicti regis Canuti filius, heres & successor, ac sui patris vestigiorum devotus imitator, *&c.* cum laude & favore Ægelnodi Dorobernensis, nunc Cantuariensis, & Alfrici Eboracensis episcoporum, aliorumque episcoporum suffraganeorum, nec non cunctorum regni sui mundanorum principum, descriptum constituit roboravitque præceptum.

ANNO CHRISTI 1021.

CONCILIVM SALEGVNSTADIENSE IN CAUSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ celebratum anno redemptoris nostri MXXII. tempore Benedicti papæ, & Henrici imperatoris.

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

IN Dei nomine, ego Aribo Moguntinæ sedis archiepiscopus, quamvis indignus, cum cæteris confratribus nostris & coepiscopis, Burchardo VVormatiensi, VVerhenario Argentino, Brunone Augustensi, Eberhardo Bambergensi, Meginhardo VVirzburgensi, synodum in Salegunstat condiximus, anno dominicæ incarnationis MXXII. indictione V. II. Idus Augusti, anno autem domini Henrici secundi regnantis XXI. imperii vero VI. quatenus cum communi fratrum prædictorum consilio atque consultu, multimoda divinorum officiorum atque synodalium legum componeretur dissensio, & disparilitas nostrarum singularium consuetudinum honesta consensione redigeretur in unum. Ideoque propter illas lamentabiles dissensiones communi decreto concilii hæc capitula sancita sunt.

CAPITULA.

I.

Vt quatuordecim dies omnes Christiani ante festivitatem sancti Ioannis Baptistæ in

in abstinentia sint carnis & sanguinis, nisi A infirmitate impediente, aut alicujus festi solennitate, quæ in illo episcopio celebris habetur, intercedente. Et ante nativitatem domini similiter, & in vigilia epiphaniæ, & in omnium vigiliis apostolorum, & in vigilia assumptionis sanctæ Mariæ, & in vigilia sancti Laurentii, necnon etiam in vigilia omnium sanctorum: adjicientes prædictis vigiliis unam horam refectionis, excepta infirmitate, nisi aliquis sit qui proprio voto majori abstinentia uti velit.

II.

De incerto autem ieiunio quatuor temporum hanc certitudinem statuimus, ut si B Kalendæ Martii in quarta feria sive antea evenerint, eadem hebdomada ieiunium celebretur. Si autem Kalendæ Martii in quintam feriam aut sextam aut sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam ieiunium differatur. Simili quoque modo si Kalendæ Iunii in quartam feriam, aut antea evenerint, in subsequente hebdomada ieiunium celebretur. Et si in quintam feriam aut sextam aut sabbatum contigerit, ieiunium in tertiam hebdomadam C reservetur. Et hoc sciendum est, quod si quando ieiunium mensis Iunii in vigilia pentecostes secundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solenni pentecostes: & tunc propter solennitatem Spiritus sancti, diacones dalmaticis induantur, & Alleluia cantetur, & Flectamus genua non dicatur. Eodem modo de Septembris ieiunio constitutum est, ut si Kalendæ Septembris in quarta feria evenerint, aut antea, ieiunium in tertia hebdomoda ce- D lebretur: & si in quinta aut sexta aut sabbato contigerit, in quarta hebdomada ieiunandum erit. In Decembri illud observandum erit, ut proximo sabbato ante vigiliam natalis domini celebretur ieiunium: quia si vigilia in sabbato evenerit, simul vigiliam & ieiunium celebrare non convenit.

III.

De legitimis autem coniugiis ita visum est, quod nullus Christianus uxorem ducere debeat ab adventu domini usque in octavas epiphaniæ, & a septuagesima us- E que in octavas paschæ, nec in supra notatis 14. diebus ante festivitatem sancti Ioannis Baptistæ, neque in prædictis ieiuniorum diebus, sive in omnium solennium dierum præcedentibus noctibus.

IV.

Decretum est etiam in eodem concilio, ut presbyter aliquis post galli cantum æstivis noctibus bibens, proximo die missam non celebret: * hiemantibus similiter, nisi necessitas cogat.

* hiemalibus

V.

Item decretum est, ut unusquisque presbyter in die non amplius quam tres missas celebrare præsumat.

VI.

Conquestum est etiam in sancto concilio de quibusdam stultissimis presbyteris, ut quando incendium videant, corporale dominico corpore consecratum, ad extinguendum incendium temeraria præsumptione in ignem proiiciant. Ideoque decretum est sub anathematis interdictione, ne ulterius fiat.

VII.

Interrogatum est, si duo in adulterio inculpati forent, & unus profiteretur, & alter negaret, quid inde agendum esset. Decretum est etiam a sancto concilio, ut ille qui negaverit, probabili iudicio se expurget: & qui professus fuerit, digne pœnitentiam agat.

VIII.

Decretum est etiam in eodem concilio, ut nemo gladium in ecclesiam portet, regali tantum excepto.

IX.

Statuit etiam sancta synodus, ut mala consuetudo, quæ apud omnes pene iam inolevit, omnino prohibeatur, hoc est, quod colloquia sua in atrio alicuius ecclesiæ constituunt habenda, & tunc ea in ipsa * maxima exercent ecclesia, ubi orationes & divina tantum fieri æquum est officia.

* maxime

X.

Quidam etiam laicorum, & maxime matronæ, habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant euangelium, *In principio erat Verbum*, & missas peculiares, hoc est de sancta Trinitate, aut de sancto Michaele: & ideo sancitum est in eodem concilio, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentia sanctæ Trinitatis, non pro aliqua divinatione: & si voluerint ut sibi missæ cantentur, de eodem die audiant missas, vel pro salute vivorum, aut pro defunctis.

XI.

Quidam etiam generationem consanguinitatis ita volunt numerare, ut frater & soror sint primi. Hoc autem statuit sancta synodus, sicut etiam ab antiquis patribus decretum est, ut ita non esset: sed ut nepos & neptis, id est filius fratris, ac filia sororis, primi habeantur.

XII.

Statutum est etiam, ut ædificia laicorum, quæ ecclesiis adiuncta sunt, auferantur: & nulla in atrio ecclesiæ ponantur, nisi tantum presbyterorum.

XIII.

ANNO CHRISTI 1022.

XIII.

Item decretum est, ut nullus laicorum alicui presbytero suam commendet ecclesiam, præter consensum episcopi: sed eum prius mittat suo episcopo, vel eius vicario, ut probetur si scientia, ætate, & moribus talis sit, ut sibi populus Dei commendetur.

XIV.

Statuit quoque sancta synodus, si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negaverint, & orant sibi concedi ut * alterum illorum utrosque divino purget iudicio, si * unum in hoc deciderit, ut ambo rei habeantur.

*forte, alter.
*vnus.

XV.

Decretum est etiam, ut omnes a bannitum ieiunium, in quocumque episcopio celebratur, diligentissime observent: & si quis illarum octo interdictarum rerum aliquam redimere voluerit, unum pauperem, prout sua facultas erit, eadem die reficiat.

XVI.

Decrevit quoque sancta synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui episcopi, vel eius vicarii.

XVII.

Et illud sub anathemate præceptum est, ut nullus presbyterorum cuiquam pœnitenti e carrinam dividere præsumat, si infirmitas non intervenerit.

XVIII.

Quia multi tanta mentis suæ falluntur stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati pœnitentiam a sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maxime confisi; ut Romam euntibus apostolicus omnia sibi dimittat peccata: sancto visum est concilio, ut talis indulgentia illis non prosit, sed prius iuxta modum delicti pœnitentiam sibi datam a suis sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab episcopo proprio licentiam, & literas ad apostolicum * ex iisdem rebus deferendas accipiant.

*forte de

XIX.

Decretum est etiam in eodem concilio, ut omnis pœnitens, dum carrinam suam ieiunat, de loco in locum non migret: sed ibi permaneat ubi suam acceperit pœnitentiam, ut proprius sacerdos sibi præbeat testimonium. Si autem ibi propter hostiles iniurias ieiunare non poterit, suus sacerdos eum confratrum suorum alicui, ubi pacifice possit ieiunare, diligentissime commendet.

XX.

In eodem quoque concilio decretum est, ut nullus presbyterorum quemquam, nisi iussu episcopi, in ecclesiam introducere præsumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non liceat.

A

APPENDIX CONCILII SALEGUNSTADIENSIS.

Quomodo initianda sit synodus.

HORA convenienti, quando episcopo vel ejus vicario visum fuerit, omnes expellantur de ecclesia, obseratis foribus cunctis: ad unam januam, per quam sacerdotes ingredi oportet, ostiarii stent, & sella ponatur in medio, & super eam sacræ reliquiæ & plenarium cum stola ponantur. Deinde convenientes presbyteri omnes intrent, & secundum ordinationis suæ tempus resideant. B Post hos ingrediantur diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse. Exinde introducantur laici bonæ conversationis. Tunc ingrediatur episcopus, si voluerit, vel si necessitas exegerit: & si non aderit episcopus, ejus vicarius eadem faciat. Synodum ingrediens ipse, vel ejus vicarius, primum salutet clerum & populum: & versus in orientem, mediocri voce dicat: Deus humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris, prætende societati nostræ gratiam tuam, ut per eos in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per dominum, &c.

Quæ sequuntur apud Burchardum invenimus, ideoque ipsa obmittere noluimus.

C

Tunc procedens diaconus cum subdiacono & cum thuribulo, & cum ceroferariis duobus, legat euangelium:

Cum esset sero die illo una sabbatorum, & fores essent clausæ.

Deinde dicat pontifex, vel eius vicarius:

Sancta Maria, & omnes sancti, & electi Dei, intercedite pro nobis peccatoribus ad dominum Deum nostrum, ut mereamur ab eo adjuvari, & protegi, & sanari, qui vivit & regnat in sæcula.

Postmodum duabus vicibus dicat:

Deus in adjutorium meum intende.
D Domine ad adjuvandum me festina.

Tunc tertio iterum dicat:

Deus in adjutorium meum intende.

Clero respondente:

Domine ad adjuvandum me festina.

Cum Gloria Patri, & Kyrie eleyson, & Pater noster, cum precibus istis:

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.
Adjuva nos Deus salutaris noster.
Esto nobis domine turris fortitudinis.
E Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Exaudi nos Deus salutaris noster, & dies nostros in tua pace dispone, ut a cunctis perturbationibus liberati, tranquilla tibi servitute famulemur. Per dominum, &c.

Deinde pro universis ordinibus, necnon pro statu papæ, & antistitis eiusdem sedis, dicant istos psalmos.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam, &c.

Deus

Deus in nomine tuo salvum me fac.
Miserere mei Deus, miserere mei.
Deus misereatur nostri.

Et Pater noster, cum precibus:

Sacerdotes tui induantur justitiam.
Memento congregationis tuæ.
Salvos fac nos Domine Deus noster.
Ut confiteamur nomini sancto tuo.
Adjutorium nostrum in nomine Domini.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus spiritu totum corpus ecclesiæ sanctificatur & regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per Dominum, *&c.*

Deinde dicat:

Deus omnium fidelium pastor & rector, famulum tuum, quem pastorem ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei, quæsumus, verbo & exemplo quibus præest proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Dominum, *&c.*

His expletis, septem psalmos pœnitentiæ decantent, cum Kyrie eleyson, & Pater noster, cum precibus istis.

Ego dixi, Domine miserere mei.
Convertere Domine usquequo.
Fiat misericordia tua Domine super nos.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Dies nostros, quæsumus Domine, placatus intende, pariterque nos & a peccatis absolve propitius, & a cunctis eripe benignus adversis. Per Dominum, *&c.*

Post hæc vero egrediantur omnes, exceptis presbyteris & cæteris idoneis clericis: factoque silentio, pontifex, vel ejus vicarius, dicat hanc orationem:

Dominus vobiscum.

Oremus.

Adesto nobis, quæsumus, Domine sancte Spiritus, peccati quidem immanitate detentis, sed in nomine tuo specialiter aggregatis: veni ad nos, & dignare illabi cordibus nostris: doce nos quid agamus: quo gradiamur ostende: quid efficiamus operare: esto salus & suggestor & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre & ejus Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores justitiæ esse, qui summæ veritatis diligis æquitatem, ut in sinistrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpant, non acceptio muneris vel personæ corrumpant, sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus a vero: quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut & hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.

A *Tunc diaconus codicem canonum in medium proferens, capitula de conciliis agendis pronuntiet, id est ex concilio Toletano: finitisque titulis, & cunctis in ordine sedentibus, hæc admonitio ab episcopo, vel, si voluerit, a diacono legatur:*

Ecce, sanctissimi fratres, præmissis Deo precibus, fraternitatem vestram cum pia exhortatione convenio, & per divinum nomen obtestor, ut ea quæ a nobis de Deo & sacris ordinibus, vel nostris moribus, vobis fuerint dicta cum summa reverentia perficere intendatis. Quod si forsitan aliquis nostrum, aliter quam dicta fuerint, senserit: sine aliquo scrupulo contentionis in nostrum omnium copulatione ea ipsa de quibus B dubitaverit conferenda reducat, qualiter Deo mediante aut doceri possit, aut doceat. Deinde vos simili obtestatione conjuro, ut nullus vestrum in judicando aut personam accipiat, aut quolibet favore aut munere pulsatus a veritate discedat. Sed cum tanta pietate quidquid cœtui se judicandum intulerit retractate, ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ inter nos locum inveniat, nec iterum in perquirenda æquitate vigor nostri ordinis vel solicitudo tepescat.

Post hanc exhortationem, quisquis clericorum velit, conferat querelam. Et admonendi sunt, ut nullus ad synodum veniat non jejunus, vel a cœtu C communi secedat, antequam generalis secessio adveniat. Et tunc quoque synodus primæ diei solvatur.

Secunda die quando episcopus, vel ejus vicarius, synodum ingreditur, in loco suo stans dicat:

Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus qui nobis in famulis tuis præsentiæ tuæ signa manifestas, mitte super nos spiritum caritatis, ut in adventu fratrum conservorumque nostrorum gratia nobis tuæ largitatis augeatur. Per Dominum, *&c.*

Postea legatur euangelium ita ut in priori die:

Designavit Dominus & alios septuaginta duos.

D *Deinde dicat episcopus, vel eius vicarius, preces sicut in priori die.*

Sancta Maria & omnes sancti, *& sic cætera.*

Tunc omnes prostrati decantent psalmos istos pro regis nostri & aliorum sui regni primatum sospitate:

Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me?
Exaudiat te Dominus in die tribulationis.
Deus auribus nostris audivimus.

Cum Kyrie eleyson, & Pater noster, cum precibus istis:

E Domine salvum fac regem.
Esto ei Domine turris fortitudinis.
Salvum fac populum tuum Domine.
Fiat pax in virtute tua.
Exurge domine, adjuva nos.
Domine exaudi orationem meam.
Domine Deus virtutum converte nos.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus regnorum omnium, & Christiani maxime protector imperii, da servo tuo regi nostro trium-

phum virtutis tuæ scienter excolere, ut qui tua constitutione est princeps, tuo semper munere sit potens. Per dominum, &c.

Oremus.

Prætende domine famulis tuis dexteram cælestis auxilii, ut toto corde perquirant, & quæ digne postulant consequi mereantur. Per dominum, &c.

Deinde pro infirmis & pro salute totius ecclesiæ istos psalmos decantent.

Beatus qui intelligit super egenum.
Domine refugium factus es.
Domine Deus salutis meæ.

Cum Kyrie eleyson, & Pater noster, cum precibus istis:

Castigans castigavit eos dominus.
Nihil proficiat inimicus in eis.
Exurge domine adjuva nos.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmos famulos & famulas tuas ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, ecclesiæ tuæ sanctæ repræsentari mereantur. Per dominum, &c.

Postea legatur a diacono homilia Gregorii, incipiente versu isto:

Messis quidem multa, *usque*, Patres esse minime recognoscunt.

Tunc, si clerici querelam non habent conferendam, laici intromittantur. Illis autem audientibus, lectio Nicæni concilii recitetur:

Judices non nisi jejuni leges & judicia decernant.
Quisquis ex laicis habet querelam, proferat.

Et synodus secundæ diei sic solvatur.

Tertia die cum episcopus, aut eius vicarius, ut in ceteris diebus, synodum ingreditur, dicat:

Dominus vobiscum.

Oremus.

Protege domine, quæsumus, nos famulos tuos subsidiis mentis & corporis, & spiritualibus enutriens alimentis, propitius redde securos ab hostibus universis. Per dominum, &c.

Et post hoc legatur euangelium.

Circuibat Iesus civitates & castella.

Deinde pro fidelibus defunctis istos psalmos decantent:

Verba mea auribus percipe domine.
Domine ne in furore tuo, *minorem*.
Ad te domine levavi animam meam.

Cum Kyrie eleyson, & Pater noster, cum precibus istis:

Requiem æternam dona eis domine.
In memoria æterna erunt justi.
A porta inferi.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Inveniant, quæsumus domine, animæ famulorum famularumque tuarum omnium in Christo quiescentium, lucis æternæ consortium, qui in hac luce positi tuum consecuti sunt sacramentum. Per dominum, &c.

Post hæc pro irreligiosis psalmos istos decantent:

Ad te domine clamabo.
Benedicam dominum in omni tempore.

A Deus venerunt gentes in hereditatem.

Cum Kyrie eleyson, & Pater noster, cum precibus istis:

Fiat pax in virtute tua.
Ostende nobis domine misericordiam tuam.
Deus tu conversus vivificabis nos.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus qui infideles deseris, & juste indevotis irasceris, populum tuum, quæsumus, ad te converte propitius: ut qui te per duritiam irreligiosæ mentis semper offendunt, ad sancta officia promerenda, tuæ miserationis gratia inspirante convertas. Per dominum, &c.

B *Si quæ sint quæstiones vel querelæ, conferantur; & sic synodus tertiæ diei solvatur.*

Quarta vero die episcopus synodum ingrediens, sic procedat, ut primum portentur ante eum duo candelabra cum cereis incensis, quæ sequatur subdiaconus portans euangelium, duæ cruces hinc & inde; deinde diaconus, postremum episcopus, episcopalibus indutus vestimentis & cappa, ingrediatur. Et ingressus, in sede sua stans dicat:

Dominus vobiscum.

Oremus.

Nostrorum tibi Domine curvantes genua cordium, quæsumus, ut bonum, quod in nobis a te C requiritur, exequamur: scilicet, ut prompta tecum solicitudine gradientes, discretionis arduæ subtile judicium faciamus, ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitæ actionis. Per dominum, &c.

Postea solito more legatur euangelium.

Respiciens Iesus discipulos suos, dixit Simoni Petro: Si peccaverit, &c.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Hoc concilium teste Baronio ab auctore micrologi Moguntinum nominatur. Eo nomine jure meritoque nominari posse in sua historia Moguntina Nicolaus Serarius recte existimat. *Nam Salegunstadium*, inquit, *sive sit a* D *Salegasto sapiente, ut vult in historia compendio Trithemius, sive a Salicis & Salingi, uti Beatus: Moguntinæ jam tum diœcesis erat, sicuti & hodie continetur principatu, eique præsedit archiepiscopus Moguntinus Aribo.* Et paulo post hæc nonnulla quæ ad canonum quorumdam explicationem multum conferunt, ista subjungit: *In hac autem synodo duæ sunt illius temporis obscuræ voces*, bannitum jejunium, *cap.* 15. & carrina vel carena, *cap.* 17. 18. 19. *de qua sic lib.* 19. *cap.* 5. *sæpissime Burchardus.* Carrina est dierum 40. continuorum jejunium in pane & aqua. *Sicque in Moguntino concilio, quod ab archiepiscopo Petro habitum est, dum sacrarum indulgentiarum nimia profusio restringitur, ita sancitum est:* In E dedicationibus ac ordinum temporibus relaxari carenas, & pœnitentes introduci omnino vetamus: sed hoc fiat tantummodo in festo cœnæ domini ad hoc ordinario. *Illud vero a* banno *est, quæ vox in Triburiensi Concilio, cap.* 9. *in Mariano, Vrspergensi, aliisque compluribus legitur, etiam in regum literis, & diplomatibus Caroli Crassi, in fundatione Francofordiensis Bartholomæani templi, & Caroli Francorum regis apud Baronium tomo* 10. *anno* 853. *estque hodie in Germania perusitata, vel* pro excommunicatione, *vel* pro aliqua ditione, *seu* diœceseos portione, *vel denique, ut explicat in Friderico I. Vrspergensis,* pro pecuniaria pœna, *immo etiam interdum pro* publica proclamatione. *Ex prima enim*

Moguntinum an possit appellari?

ANNO CHRISTI 1022

enim illa notione dicitur esse aliquis in ban, *id est, in excommunicatione: ex altera dicuntur tabellarii nonnulli* bannum illum *vel* illum habere, & gestare bansbrieff; *atque hinc etiam apud Gallos & Italos* bannire, *pro in exilium mittere, &* banniti *pro exules: ex tertia vero, Fridericus* bannum *constituit, id est pœnam pecuniariã apud eumdem Urspergensem: e quarta vero, dicit in summula Caietanus cap. de matrimonio,* banna servari oportere, *id est, proclamari nuptias: apud nos* die banne lassen druber gehen. *Sic apud Hincmarum epistola quarta, & in S. Gothardi vita, Trithemio, & similibus.* Bannitum *igitur* jejunium *fuit magnum & intensum ieiunium, quod ad Dei bannum seu pœnam iramque avertendam, ab iis suscipiebatur qui se banno divino dignos agnoscebant. Hucusque ad nostra fere tempora fuit in Moguntina ecclesia usus, & eo modo fere per triduum servabatur, iisdemq; quemadmodum quatuor temporum ieiunia, sed aliis hebdomadibus, quas ad memoriam versiculo isto significabant:*

Post *salus* & *miseri* tibi erunt jejunia banni.

Id est post dominicas quibus canitur salus & misericordia, quarum illa est dominica XIX. *post Trinitatem, hæc dominica* I. *post* Quasimodo. *Hæc Serarius prædicto loco.*

[b] *Aribo.*] Quatuor hujus præsulis, teste Serario lib. 5. historiæ Moguntinensis, inveniuntur nomina, Aribo, Erbo, Eribo & Abbo. In catalogo virorum illustrium a Trithemio breviter cum laude describitur his verbis: *Aribo Moguntinensis ecclesiæ* XIX. *archiepiscopus, vir in divinis scripturis studiosus & eruditus, & sæcularium literarum non ignarus, ingenio clarus, & dulcis eloquio, scripsit inter alia ingenii sui monumenta opus pulcerrimum super 15. psalmis grad. lib. 1. & varias epistolas ad diversos,* &c. Plura de Aribone Serarius lib. 5. historiæ Moguntinensis.

(margin: ribonis uatuor omina.)

[c] *Anno domini* 1022.] Ita de tempore propter additam indictionis quintæ notam Baronius prædicto loco, ubi pro anno sexto imperii Henrici, ipse legit anno nono: ex tempore factæ coronationis, quæ facta est anno Christi 1014. sexto Kal. Martii, ita legendum esse patet. Serarii lectio ab hac in tempore discrepat.

[d] *Bannitum ieiunium.*] Vide quæ in banno & jejunio bannito ex Serario supra dixi. (margin: Cap. 15.)

[e] *Carrinam.*] Carrina quid sit, ex Burchardo dictum est supra. (margin: Cap. 17.)

ANNO CHRISTI 1022.

CONCILIUM AQUISGRANENSE,

QUO CONTROVERSIA INTER PILIGRINUM archiepiscopum Coloniensem, & Durandum episcopum Leodicensem, de subjectione monasterii Burcitani terminata fuit anno domini MXXII. tempore Benedicti papæ VIII.

De rebus in hac synodo gestis chronicon Cameracense libro III. cap. XXXV. ista: *Sub his diebus, cum forte Imperator Henricus in Aquisgrano palatio tam de ecclesiasticis, quam & de sæcularibus pertractaret, in ipsa interim ecclesia provincialis synodus ab episcopis celebrata est. Ubi siquidem inter archiepiscopum Coloniensium Piligrinum & Durandum Leodiensium pontificem, altercatio non parva recruduit pro monasterio Burcitho, quod uterque suæ parochiæ subiicere contendebat. Dominus autem Gerardus episcopus, ut testimonio veritatis litem compesceret, viva voce increpuit, quod episcopi Leodienses quinque abbates illius monasterii sine ulla contradictione archiepiscopi consecraverunt: immo & ipse Imperatore rogante, & Baldrico episcopo Leodiensi petente, in præsentia domini imperatoris, in Aquensi ecclesia sanctæ Mariæ, præfati monasteris clericos ordinavit, ipsumque monasterium cum archiepiscopo Poppone Trevirensium, & Haimone Virdunensium, consecravit. Eo ergo sibi videri rectius Leodiensi quam Coloniensi regimini subiacere. Quod ita quoque cæteris testificantibus, archiepiscopus præter ullam synodalem reverentiam ira commotus abscessit.* Hæc chronicon Cameracense.

ANNO CHRISTI 1023.

CONCILIUM MOGUNTINUM,

IN CAUSA OTTONIS COMITIS AB HANISTEIN congregatum anno domini MXXIII. tempore Benedicti papæ VIII.

De causa, loco, & tempore hujus concilii Moguntiæ celebrati in vita sancti Gothardi cap. 22. apud Surium ista leguntur: *Aribo archiepiscopus Moguntinus illo anno Imperatorem ad Pentecosten Moguntiam invitavit, ubi etiam concilium generale coegit, in quo multa collapsa correxit. Præcipue vero Ottonem comitem ab Hanistein & Limingardam præter fas sibi cohærentes separare constituerat: quod tamen perficere non potuit, quandoquidem comes, partim imperatoris metu, partim episcopi commonitione, utcumque ad meliorem se recepit frugem; femina autem bannos vel proscriptiones negligens, ius ibi funditus perdidit, ut hodieque perspici potest.* (margin: Causa, locus, & tempus.)

Ad hoc concilium etiam noster præsul & Episcopi & Imperatoris iussu evocatus, non contemnenda cleri & militum frequentia, quamvis invitus & nolens, stipatus properabat, & in quodam qui vicinus est illi castello, ubi Dei gratia & electus & consecratus fuit, iter faciebat: ubi tum mulier quædam ab immundo vexata dæmone, a parentibus & propinquis per ecclesias ad sanctorum imploranda patrocinia circumducebatur. Qui cum audirent novum illuc advenire episcopum, obviam ei cum dæmoniaca femina fidenter processerunt, sanctæ eius existimationis fama illecti. Impurus autem spiritus illorum acceleratione pavefactus, per os feminæ anxiis cœpit percontari vocibus, quonam perduceretur. Dicentibus illis, se iam in occursum Gothardi episcopi properare, horrifico mugitu & ululatu misere se opposuit: & ipsis etiam a quibus trahebatur, mirantibus & formidantibus, reluctatus est, eiulans & vociferans Gothardum se nec audire nec videre posse. Sub hac colluctatione cum misera illa a fidelibus fide & spe, ut patuit, ferventibus traheretur, & spiritus nequam omni contentione obniteretur: tandem profligato illo, mulier liberata est, & ad virum Dei, sub quadam arbore refrigerii causa residentem, sana corde & corpore adducta est. Is vero cognitis iis quæ facta fuerant, timore & gaudio compunctus, lacrymabundus gratias egit Deo, in faciem se prosternens. Ac deinceps feminæ manus imponens, ei bene precatus est, eamque in fine confirmatam, recte valentem, atque etiam gaudentem, cum exultantibus amicis a se dimisit, cœptoque perrexit itinere. Quotquot autem comitabantur eum, viso hoc miraculo, plus eum revereri & amare cœperunt: utpote cuius tam præclara apud Deum merita cognoscerent. At ille graviter eis interdixit, ne cuiquam id indicarent. Sed neque ægra mulier, quæ miraculum in se experta fuit, neque turba quæ ei interfuerat, id reticendum putavit. Sed quia ex Ruperto abbate Tuitiensi colligitur, expugnationem arcis Hamerstein factam esse anno præcedente, eamque præcessisse vexationem & anathematismum: effici omnino videtur concilium aliquod generale Moguntiæ vel alibi celebratum fuisse, quo spiritali gladio excommunicationis impurum nefariumque comitis conjugium & publicum hoc vetiti matrimonii scandalum damnari (margin: Sanctus Gothardus veniens ad Synodum in vita curat dæmoniacam.) (margin: Quot concilia Moguntina sub Benedicto habita fuerint.)

damnari meruerit. Vide Serarium libro v. hist. Mogunt. in Erkenboldo & Aribone. A

VITA

IOANNIS PAPÆ XVIII.

QVI PERPERAM XX. APPELLATVR.

Anno Christi 1024.

Ioannes quando pontifex factus.

IOANNES Gregorii comitis Tusculani filius, prædefuncti pontificis Benedicti frater germanus, potentia principum & largitione pecuniæ sedem apostolicam invaserat primo die post obitum fratris, anno Christi 1024. tempore Henrici imperatoris. Ad hunc legationem pluribus muneribus instructam miserunt Græci, petentes, quatenus ejus consensu (ita Glaber libro IV. cap I.) liceret ecclesiam Constantinopolitanā in suo orbe, sicut Roma in universo, universalem dici & haberi: idque ideo fortasse, quoniam peculiare id esse noverant homines fraudulenti, ut qui pecunia sacra emunt, pecunia pariter sacra distrahant. Verum singulari Dei providentia, qua cathedram Petri ipse gubernat, accidisse videtur, ut hac de re per literas VVillelmi abbatis monasterii sancti Benigni admonitus, nihil plane concesserit. Intelligens sedem apostolicam a se injuste detineri, acturus pœnitentiam, seipsum abdicavit: legitime deinde a clero electus, eamdem usque ad obitum tenuit.

Græci titulum universalis episcopi affectant. B

Ioannes qua occasione legitime iterum electus?

Henricus imperator sanctus.

Hujus tempore obiit Henricus imperator, qui ob vitam sancte, pie, & juste transactam, post obitum sanctitate & miraculis celeberrimus extitit: de quo hoc memorabile refert Leo Ostiensis, quod moriturus, episcopis abbatibusque præsentibus, Chunegundem conjugem suam propinquis tradiderit, ac dixerit; Recipite quam mihi tradidistis virginem vestram. Chunegundis postquam animam conjugis sui piis officiis prosecuta fuisset, vitam monasticam est professa: ut eadem castitate qua cœperat stadium & curriculum vitæ, quod restabat decurrendum, absolveret. De his conjugibus jure meritoque glorietur Germania, quod uno partu Augustum & Augustam imperatores inter sanctos relatos ediderit. C

Chunegundis uxor & virgo.

Conradus successor Henrici qualis.

Conradus, ex VVormatiæ ducibus originem ducens, ab archiepiscopis aliisque Germaniæ principibus, non sine potentum contradictione, electus, succedit anno Christi 1024. Coronam imperii a Ioanne pontifice, tertio anno suæ electionis, ipso festo paschalis solemnitatis, ut ait Otto Frisingensis, Romæ accepit. Is memor accepti beneficii, anno imperii sui septimo Romam rediit, ipsumque pontificem a proceribus Vrbis expulsum sedi suæ restituit. Obiit pontifex VI. Idus Novembris, cum sedisset annos novem, menses octo, & dies aliquot. Sepultus est in basilica sancti Petri, inter portam Argenteam & Romanam. D

Obitus papæ.

Anno Christi 1024.

***VVILLELMI ABBATIS S. BENIGNI DIVIONENSIS EPISTOLA AD Ioannem XVIII. E

Audierat Guillelmus, ecclesiæ Constantinopolitanæ concessum esse a Ioanne nomen universalis: ob hoc eum increpat.

Gratia Dei & reverentia B. Petri sedi in orbe terrarum excellentissimæ indepto papæ Ioanni, VVillelmus crucis Christi servus, sedem judicii cum apostolis, & coronam regni

1. Tim. 5.

MAGISTRI gentium dictis instruimur, seniorem non increpandum. Idem tamen alias dicit: *Factus sum insipiens, vos me coegistis.* Idcirco igitur filiationis diligentia hortamur communem vestram paternitatem, ut in uno imitemini cogitationes hominum pervidentem dominum salvatorem, ut dicatis ad aliquem vobis unanimem, quemadmodum & ipse Petro: Quid dicunt homines de me? Si vero responsum ejus ex fide fuerit, animadvertite qualiter sonuerit: si clare, custodite ne obfuscetur: si vero obscure, lux mundi oranda est, qualiter ita fulgeatis, ut universis in gremio ecclesiæ constitutis ad viam mandatorum Dei gradiendam lumen præbeatis. Sed est fama rei, quæ nuper apud vos accidit, de qua quis audiens si non scandalizatur, noverit se longe ab amore superno disparari. Quoniam licet potestas Romani imperii, quæ olim in orbe terrarum monarches viguit, nunc per diversa terrarum loca innumeris regatur sceptris: ligandi solvendique in cælo & in terra potestas incumbit magisterio Petri. Atque idcirco ista diximus, ut animadvertatis non aliter Græcos quam cenodoxia, hoc quod audivimus apud vos requirere, impetravisse. De cætero quoque optamus, ut universalem decet antistitem, vos acrius in correptione & disciplina sanctæ & apostolicæ ecclesiæ vigere, æterneque & feliciter in Christo valere.

2 Cor. 12. Matth. 16.

NOTA GABR. COSSARTII S.I.

Græci ecclesiam Constantinopolitanam universalem assentien e Romana dici, missa ad Ioanrem legatione contenderunt. Concessum iis hoc esse a Rom. Pont. fama percrebuit, sed falsa. Id quidem moliebatur Ioanes, sed literis Gallicanorum præsulum deterritus fuit, ac præcipue Guilelmi hujus, qui qualis quantusque fuerit docemur a Glabro l. 3. c. 5. Ex falso rumore, scribendi argumentum Guilelmus accepit.

De hac Græcorum legatione, totoque negotio, videndus Glaber l. 4. c. 1 & Hugonis Flaviniac. chronicon ad ann. 1024. Vterque hanc epistolam habet.

***EPISTOLA I. IOANNIS PAPÆ XVIII. AD IORDANVM LEMOVICENSEM EPISCOPVM, cæterosque Galliarum episcopos.

Anno Christi 1031.

De S. Martialis apostolatu.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, Iordano episcopo, & ejus clero, cunctisque episcopis Galliarum, salutem carissimam cum benedictione apostolica.

AD pastoralem quidem sollicitudinem pertinet, cum aliquid controversiæ in ecclesia oritur, antequam vires recipiat, falcastro severæ linguæ extirpare radicitus, & ea superserere tam divinis, quam sanctissimis exemplis, quæ messem Dei faciant & lætificent. Cur enim talia suscepimus, propalabunt subjecta. Beatissimus quidem Martialis, sicut in gestis ejus reperimus, docente Christo in mundo, & præcipiente, a Petro apostolorum principe baptizatus est, & tanto sancti Spiritus igne inflammatus, ut ex eo derelictis parentibus, soli ipsi filio Dei servire eligeret, & hunc magistrum & dominum, Petro apostolo confirmante, cujus sanguine cretus erat, desideraret: quod & factum est. Nam in resuscitatione Lazari præsens aderat, in cœna interfuit, in lavatione pedum ministravit. Post passionem vero, quando putabant se spiritum videre, palpare manus & latus Thomam vidit. Quando apostolis dictum est: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, &c. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt:* audivit. Ascendentem in cœlum vidit, Spiritum sanctum in igneis linguis descendentem & vidit & accepit, omnibusque linguis est

Matth. 28. Ioan. 20.

est usus. Deinde principi apostolorum adhæsit, ut pote carne propinquus, & baptismate filius, a quo, præcipiente Christo, ad prædicandum provinciis Galliarum est destinatus, ubi infinitum populum a cultu idolorum removens, Christo sua doctrina dedicavit: quam piam, sanctamque, tam gravitate & pietate morum, quam resuscitatione mortuorum, recuratione claudorum, cæcorum illuminatione, & omnium mirabilium perpetratione confirmabat.

Huic modo quidam vestrorum, ut audivimus, detrahere præsumunt, quasi nihil sit ei commune cum apostolis, sed confessoribus. Hi vero non loqui, sed insanire videntur: quia gravati fascibus peccatorum, in cælis judicare contendunt. Petrum denique nostrum cui claves cælorū commissæ sunt, confessorem dicimus, quia Christum confessus est, dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi*; & apostolum dicimus, quia ab ipso Domino ad prædicationem est missus; martyrem nominamus, quia prædicando Christum, martyrio vitam finivit; principem apostolorum credimus, quia apostolos constituit, sicut est Marcus baptismate filius, & Matthias sorte electus, Lucas discipulus apostoli Pauli, & Barnabas, & quamplures. An forte nolunt hos recipi inter apostolos, eo quod ab apostolis sint electi & missi; qui Martialem, eo quod non sit de duodeno numero, apostolica dignitate nolunt clarum videri?

[margin: ...h. 16.]

Non putant alios apostolos, nisi illos duodecim: & ubi est quod dicit apostolus Paulus Philippensibus? *Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem, cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos.* Silam quoque & Iudam ab apostolis apostolos nominatos invenimus. Anglorum enim ecclesia usque hactenus beatissimum Gregorium, quem nos confessorem dicimus, proprium suum apostolum nominat. Romani pontifices, quia vice apostoli funguntur, apostolici nominantur. Cum igitur apostoli nomen non sit numeri, sed suffragii: quicumque revelante Deo ad prædicandum mittitur, & sua pia exhortatione & exemplo, commissum sibi divinitus populum a potestate diaboli liberat, non incongrue apostolus dici potest, quia apostolus missus dicitur.

[margin: ...p. 2.]

Nos vero in firma petra ædificati hunc de quo loquimur Martialem, utrum inter confessores, an inter apostolos, Iesus Christus Dei filius, cui corporaliter adhæsit, & cujus gloriam vidit, & benedictione est usus, annumeret: apostolum nominari posse definimus, & æque apostolica officia in divinis mysteriis exhiberi sibi censemus: nec de illius beatitudine dubitare quemquam posse confidimus, qui sibi respondente nomine sacris operibus apostolicam dignitatem subtrahere invidiose conatur. Vt autem reverentia & celebritas tanti apostoli in toto terrarum orbe excelsius recolatur, ædificatum & dedicatum est a nobis in ejus honorem pulcherrimum altare in basilica sancti Petri apostoli Romæ ad meridianam templi partem III. Idus Maii, ubi quotidie ipsius sancti memoria devotissime veneratur, & præcipue in die natalitii ejus, quod est pridie Kalendas Iulias, quotannis dulcius recolitur.

A

*** II. AD S. ODILONEM CLVNIACENSEM ABBATEM.

Ex Spicileg. D. Lucæ Dacherii, tomo II.

Redarguit, quod Lugdunensem archiepiscopatum recusaverit.

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, Odiloni abbati, salutem carissimam cum benedictione apostolica.

DOCENTE beatissimo Gregorio, multa videntur bona, & non sunt. Verumtamen cum dicatur, si rogas, audies; quia omnia tua quæ videbantur bona, bona non esse sentimus. Quid enim in monacho obedientia sanctius? Quid in Christiano acceptabilius? nonne *melior est obedientia, sacrificio*, secundum propheticum judicium? & voce Dominica dicitur: *obedientiā volo, & non sacrificium.* Quantum vero beatus Benedictus eam suis præconiis extollat, non est dignum hic inserere, cum te non lateat. Percepimus igitur injuriam sanctæ ecclesiæ Lugdunensis petentis te in conjugium, quia competebat: cui etiam salivam in facie jecisti. Omittimus injuriam sanctæ plebis, cujus regimen, parcendo soli vitæ tuæ, refugisti, & refugis. Tacemus quod autoritatem tantorum præsulum monentium, & rogantium ad episcopalem dignitatem accedere, posthabuisti: quod sanctæ Romanæ ecclesiæ, & nobis inobedientem te reddidisti, & inultum relinquere, nec debemus, nec possumus: nisi forte obedientia diluat, quæ inobedientia maculavit; satisfactione purgetur, quod transgressione inquinatum est. Id est, nisi expetitum regimen jam dictæ ecclesiæ, quod inobediendo usque hactenus sprevisti, obedienter susceperis: quid amaritudinis, vel severitatis erga meritos sciat Romana ecclesia injicere, senties. Nam hoc sacrum regimen sicut a nullo est temere usurpandum, ita petente ecclesia, a nullo tuo simili est vitandum. Quoniam tantorum perditionis reus eris, quantorum saluti exemplo & doctrina prodesse potuisses. Nota loquimur, & quæ te scire pleniter confidimus. Ideoque taceat jam charta, & lingua loquatur, verum episcopi Gaudfridi, cui luce clarius voluntatem meam reserandam tam tibi, quam confratribus tuis, & omni ecclesiæ commisimus. Vale.

B — 1. Reg. 15. — C — D

NOTA GABR. COSSARTII S.I.

Quod ait Hugo Flaviniacensis, Odilonem a Gregorio VI. nominatum esse Lugdunensem archiepiscopum, satis hac Ioannis epistola refellitur. Deinde certum est, honorem hunc oblatum Odiloni post Burchardum archiepiscopum, qui anno 1033. obiit. Quo tempore adhuc sedebat Ioannes. Rem narrant Glaber libro v. c. iv. & Hugo in chronico. Vterque missum Odiloni a pontifice maximo, pallium & annulum testatur: virumque sanctum honorem renuisse; pallium autem & annulum accepisse, ut futuro archiepiscopo reservaret. Addit Hugo, ea Cluniaci, ad ætatem suam servata esse.

E

*** LITERÆ ABSOLVTIONIS HVGONI Autissiodorensi episcopo, a Ioanne XVIII. concessæ.

Ioannes gratia Dei Romanæ sedis episcopus, universis in orbe terrarum ecclesiæ filiis.

NVLLVM in ecclesia catholica majus potest esse nefas, quam existimare alicujus nævum criminis, præcipue pœnitentis, quod non queat dissolvere concessa Petro a Domino clavis. Debemus enim ante oculos mentis revocare lapsum ipsius primi pastoris: qui dum magistrum negavit, protinus ut pœnituit, non solum gradum, vel

dignitatem

dignitatem apoſtolici culminis non amiſit, ſed potius ſui ovilis cuſtodiam Chriſtus illi poſtmodum evidentius aſſignavit. Quod nil aliud, ut credimus, quam lapſorum medicina fuit. Proinde fratri noſtro Hugoni Autiſſiodorenſi præſuli, Deo & nobis ſua peccata confitenti, ſeſeque culpabilem reddenti, plenariam a Deo pollicente promittimus conſequi indulgentiæ veniam, ſecundum ſponſionem eiuſdem, qua dixit: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* (Matth. 9.) Ideoque nobis debet effici cariſſimus: quia Dei timore correptus, apparet humillimus, & quia in talibus requieſcit Deus.

NOTA GABR. COSSARTII S.I.

Quantum ex geſtis pontificum Autiſſiodorenſium intelligere poſſumus, idcirco abſolvi ſe Hugo hic noſter a pont. max. voluit, quia cum & epiſcopus Autiſſiodorenſis eſſet, & comes Cabilonenſis, bella ſuſceperat confeceratque, ex quo epiſcopus ordinatus fuerat.

ANNO CHRISTI 1025.

"** CONCILIVM ANSANVM,

in quo judicatum eſt, non licuiſſe archiepiſcopo Viennenſi monachos apud Cluniacum ordinare ſine permiſſu epiſcopi Matiſconenſis, actum anno Chriſti MXXV.

ANNO MXXV. Dominicæ incarnationis convenerunt apud Anſam in eccleſia ſancti Romani, cauſa concilii, archiepiſcopi cum pluribus epiſcopis, ſcilicet Burchardus Lugdunenſis archiepiſcopus, alter Burchardus archiepiſcopus Viennenſis, Amiro archiepiſcopus Tarantaſienſis, Helminus epiſcopus Æduenſis, Gauſlenus epiſcopus Matiſcenſis, Gaufridus epiſcopus Cabilonenſis, Hugo comes epiſcopus Autiſiodorenſis, Guigo epiſcopus Valentinenſis, Humbertus epiſcopus Gratianopolitanus, Azibaldus epiſcopus Vcetienſis, Anſelmus epiſcopus Auguſtenſis, & Vrardus epiſcopus Maurianenſis. Dum igitur multa de eccleſiaſticis cauſis, & de communi populi utilitate ibidem tractarent, ſurgens prædictus epiſcopus Gauſlenus, in medio proclamavit ſe de Burchardo prædicto Viennenſi archiepiſcopo, qui ſine licentia & aſſenſu ſuo, contra canonum inſtituta, ordinationes de monachis fecerat in epiſcopatu ſuo, ſcilicet in Cluniacenſi cœnobio. Ad quæ idem archiepiſcopus reſpondens, domnum Odilonem abbatem, qui præſens aderat, illarum ordinationum adduxit autorem in defenſorem. Surgens itaque domnus Odilo cum ſuis monachis, oſtendit privilegium, quod habebant a Romana eccleſia, quod eis talem libertatem tribuebat, ut nulli, in cujus territorio degebant, nec alicui aliquatenus ſubjacerent epiſcopo: ſed quemcumque vellent, vel de qualibet regione, adducerent epiſcopum, qui faceret ordinationes, vel conſecrationes in eorum monaſterio. Relegentes ergo ſancti Calchedonenſis, & plurimorum authenticorum conciliorum ſententias, quibus præcipitur, qualiter per unamquamque regionem abbates & monachi proprio ſubeſſe debeant epiſcopo, & ne epiſcopus in parochia alterius audeat ordinationes, vel conſecrationes, abſque licentia ipſius epiſcopi facere: decreverunt chartam non eſſe ratam, quæ canonicis non ſolum non concordaret, ſed etiam contrairet ſententiis. Adjudicaverunt quoque domnum abbatem non poſſe exiſtere archiepiſcopo legitimum autorem canonicæ defenſionis. Vnde prædictus archiepiſcopus ratione convictus, petens veniam a Gauſleno epiſcopo, loco ſatiſfactionis firmavit per quales ipſe voluit fidejuſſores, ut unoquoque anno, quamdiu ambo viverent, tempore quadrageſimæ, ſufficientiam olei de olivis ad conficiendum chriſma, ipſi perſolveret ſine negligentia.

[AN CHR 102]

"** SYNODVS MOGVNTINA

IN GEIZLETE AN. MXXVIII. CELEBRATA.

HVJVS *memoriam concilii debemus Hildensheimenſi chronico, in quo his verbis refertur.* Anno MXXVIII. Indict. XI. Moguntinus archiepiſcopus Aribo in Geizlete ſynodum generalem cum ſuis ſuffraganeis epiſcopis habuit. In qua inter cætera eccleſiaſtica, quidam homo ingenuus de homicidio Sigefridi comitis incuſatus, candenti ſe ferro expurgavit. Qui ex decreto ſynodali poſt duas noctes probatus, illæſus apparuit.

[AN CHRI 10]

"** CONCILIVM KARROFENSE,

a VVillelmo IV. Aquitaniæ duce congregatum anno MXXVIII. de fide catholica, deque firmanda pace.

REVIXISSE *in Galliis nonnihil Manichæorum hæreſeos didicimus ſupra ex concilio Aurelianenſi, anni 1017. Privata quoque bella, & perpetuæ cædes ac direptiones quantum vaſtitatis inferrent, ab omnibus illorum temporum ſcriptoribus docemur. Adverſus utramque illam peſtem celebrata eſt hæc ſynodus, autore Ademaro, qui in chronico,* His, *inquit,* diebus concilium aggregavit epiſcoporum & abbatum dux VVillelmus apud Karrofum, propter extinguendas hæreſes, quæ vulgo a Manichæis diſſeminabantur. Ibi adfuerunt omnes Aquitaniæ principes, quibus præcepit pacem firmare, & eccleſiam Dei catholicam venerari. *Hæc Ademarus.*

NOTA GABR. COSSARTII S.I.

Nullus hujus ſynodi certus deſignatur annus in Ademari chronico. Quod autem anno 1028. eam tribuerim, ejuſdem chronici epitomen ſum ſecutus: cujus tamen fidem non præſto. Libentius autem ad annum 1031. rejicerem: quo tempore multis Galliarum locis haberi cœpta de firmanda pace concilia.

[AN CHR 10]

CONCILIVM LEMOVICENSE I.

QVO DECLARATVM EST S. MARTIALEM Lemovicenſis ſedis autorem, epiſcopum apoſtolicum eſſe nominandum: ejuſdem corporis elevatio facta fuit anno domini MXXIX. tempore Ioannis papæ XVIII.

HANC ſynodum celebratam eſſe anno Chriſti 1029. acta Lemovicenſis concilii indicant his verbis: *In primo anno dedicationis hujus Lemovicenſis baſilicæ redemptoris noſtri*, &c. Dedicatio autem ejuſdem eccleſiæ (ut habetur in ſcripto chronico Gaufredi monachi ſancti Martialis) habita fuit anno 1028. Quæ in hoc concilio geſta fuerunt continentur actione I. concilii Lemovicenſis II. infra ad ann. 1031.

[AN CHR 10]

"** CONVENTVS EPISCOPORVM,

qui cum Roberto rege ad dedicationem eccleſiæ ſancti Aniani Aurelianenſis convenerunt anno MXXIX.

M*Onaſterium ſancti Aniani apud Aurelianos a Roberto rege inſtauratum, novamque eccleſiam inſigni opere conſtructam, docet in ejus vita Helgaldus. Poſt eccleſiæ vero deſcriptionem, dedicationis narrationem aggreditur his verbis.* Poſt quæ omnia, *inquit*, cupidus ſanctæ benedictionis rex Robertus glorioſus, ſuæ ordinationis, & aſſumptionis in

ANNO CHRISTI 1028. nis in regem anno XXXVI. jussione imperatoria evocavit archipræsules Gauzlinum Bituricensem & abbatem Floriacensem, Leothericum Senonensem, necnon & Arnulfum Turonensem. Quorum præsentiam subsequuntur præsules, Odolricus Aurelianensis, Theodoricus Carnotensis, Bernerius Meldensis, VVarinus Beluacensis, & Rodulfus Silvanectensis. Non defuit etiam præsentia domni & venerabilis Odilonis Cluniacensium abbatis, & aliorum bonorum virorum non minimi meriti, cum quibus semper desiderabat colloqui. Ab his pro certo, & aliis Dei ministris levatur illud nobile corpus amici Dei Aniani sanctissimi, de sepulcro, cum corporibus sanctorum Eusicii, Monitoris, & Flosculi confessorum, Baudelii, & Scubilii martyrum, & Agiæ matris Sancti Lupi confessoris: & ab ipso glorioso rege & aliis, quos jam prænotavit litera, qui pro tali negotio advenerant, custoditur, laudatur, & decantatur in hymnis & laudibus in ecclesia S. Martini, quoadusque præpararentur utilia, & necessaria sanctæ benedictioni. Præparatis ergo omnibus, ab ipsis sanctis sacerdotibus locum ipsum benedici & consecrari solenniter fecit, anno Dominicæ incarnationis MXXIX. Indictione XII.

ANNO CHRISTI 1029.

*** CONCILIVM IN PALITHI ANNO MXXIX. HABITVM.

De hoc concilio id tantum habemus quod refertur in Hildensheimensi chronico, ad hunc modum. Anno MXXIX. Indictione XII. Generalis synodus in Palithi, præsidente Imperatore cum episcopis XI. in qua iterum Moguntinus archipræsul domnum Godehardum super Gandesheim inquietare cœpit. *Eodem spectat quod refert anno sequenti:* Hoc anno domnus Godehardus episcopus, & Aribo Metropolitanus Moguntiæ, inter se invicem super Gandesheim reconciliati sunt. Nam ipse Metropolitanus patrem Godehardum secreto convenit, seque super eadem parochia errasse confitendo nuntiavit, & omnem fraternam satisfactionem, sed & de præterita lite perpetuam taciturnitatem, sub vero Christi & ecclesiæ testimonio promisit.

ANNO CHRISTI 1031.

EPISTOLA CANVTI REGIS, AD ANGLORVM PROCERES.

Missa Roma anno regni ejus XV. domini MXXXI.

Refert quanta benignitate a Ioanne papa, Conrado imperatore, & Rodulpho rege amplexus est. Se Romam transeuntibus impetrasse privilegia: vitæque suæ institutum correcturum vovet. Monet ut declinent injustitiam, & fisco nil indebite ferant. Ad ecclesiam pertinentia sedulo quæque reddi jubet.

Cnuto rex totius Angliæ, & Danamarchiæ, & Norvvegiæ, & partis Suavorum, [a] *Ailnotho metropolitano, & Alfrico Eboracensi, omnibusque episcopis & primatibus, & toti genti Anglorum, tam nobilibus quam plebeis, salutem.*

[a] Egelnotho

NOTIFICO vobis me noviter iisse Romam oratum pro redemptione peccaminū meorum, & pro salute regnorum, quique meo subjacent regimini populorum. Hāc quidem profectionem Deo jam olim devoveram, sed pro negotiis regni, & causis impedientibus, huc usque non poteram perficere. Nunc autem ipsi Deo meo omnipotenti valde humiliter gratias ago, quod concessit in vita mea Pe- (Malm gest. lib 2. c. 11. Romam iit pro vite animæ.)

A trum & Paulum beatos apostolos, & omne sanctuarium quod intra urbem Romam, aut extra addiscere potui, expetere, & secundum desiderium meum præsentialiter venerari, & adorare. Et ideo hoc maxime patravi, quia a sapientibus didici, sanctum Petrum apostolum magnam potestatem accepisse a domino ligandi atque solvendi, clavigerumque esse regni cælestis: & ideo specialiter ejus patrocinium apud Deum expetere valde utile duxi.

Sit autem vobis notum, quia magna congregatio nobilium in ipsa solennitate paschali, ibi cum domino papa Ioanne, & imperatore Cunrado erat: scilicet omnes principes gentium a monte Gargano usque ad istud proximum mare, qui B omnes me, & honorifice suscepere, & magnificis donis honoravere. (Donis honoratur.) Maxime autem ab Imperatore donis variis & muneribus pretiosis honoratus sum, tam in vasis aureis & argenteis, quam in palliis & vestibus valde pretiosis. Locutus sum igitur cum ipso imperatore & domino papa, & principibus qui ibi erant, de necessitatibus totius populi mei, tam Angli, quam Dani, ut eis concederetur lex æquior, & pax securior in via Romam adeundi, & ne tot clausuris per viam arcerentur, & propter injustum telonium fatigarentur. (Transitus Romam fit æquior.) Annuitque postulatis imperator, & Rodulphus rex, qui maxime ipsarum clausurarum dominator, cunctique principes edictis firmarunt, ut homines mei, tam mercatores, quam alii orandi gratia viatores, absque omni angaria clausurarum, & telo- C neariorum, firma pace Romam eant, & redeant.

Conquestus sum iterum coram domino papa, & mihi valde displicere dixi, quod mei archiepiscopi in tantum angariabantur immensitate pecuniarum quæ ab eis expetebantur, dum pro pallio accipiendo secundum morem apostolicam sedem expeterent: decretumque est ne id deinceps fiat. (Ff. archiepiscoporum sumptus pro pallio.) Cuncta enim quæ a domino papa, & ab imperatore, & a rege Rodulpho, cæterisque principibus, per quorum terras nobis transitus est ad Romam, pro meæ gentis utilitate postulabam, libenter annuerunt, & concessa etiam sacramento firmaverunt, sub testimonio quatuor archiepiscoporum, (Impetrat quæ petit.) D & viginti episcoporum, & innumeræ multitudis ducum & nobilium quæ aderat. Quapropter Deo omnipotenti gratias magnificas reddo, quia omnia quæ desideraveram, prout mente decreveram, prospere perfeci, votisque meis ad velle satisfeci.

Nunc itaque sit notum, quia ipsi Deo supplex devovi vitam meam amodo in omnibus justificare, & regna mihi subdita populosque juste & pie regere, æquumque judicium per omnia observare: & si quid per meæ juventutis intemperantiam aut negligentiam hactenus, præter id quod justum erat, est actum, totum, Deo auxiliante, dispono emen- (Vitam spondet correcturum.) E dare. Idcirco obtestor, & præcipio meis consiliariis, quibus regni consilia credidi, ne ullo modo, aut propter meum timorem, aut alicujus potentis personæ favorem, aliquam injustitiam amodo consentiant vel faciant pullulare in omni regno meo. (Iustitiam præcipit.) Præcipio etiam omnibus vicecomitibus, & præpositis universi regni mei, sicut meam volunt habere amicitiam, aut suam salutem, ut nulli homini, nec diviti, nec pauperi, vim injustam inferant; sed omnibus tam nobilibus quam ignobilibus sit fas justa lege potiundi, a qua nec propter favorem regium, nec propter alicujus potentis personam, nec propter mihi congerendam pecuniam, ullo modo devient: quia nulla mihi necessitas est ut iniqua exactione pecunia mihi congeratur. (Exactiones prohibet.) Ego itaque

Per Danamarchiam redibit pacem compositurus.

itaque notum vobis fieri volo, quod eadem via qua exivi regrediens, Danamarchiam vado, pacem & firmum pactum, omnium Danorum consilio, compositurus cum eis gentibus quæ nos & vita & regno privare, si eis esset possibile, volebant; sed non potuerunt, Deo scilicet virtutem eorum destruente, qui nos sua benignitate in regno & honore conservet, omniumque inimicorum nostrorum potentiam annihilet. Composita denique pace cum gentibus quæ in circuitu nostro sunt, dispositoque & pacato omni regno nostro hic in oriente, ita ut a nulla parte bellum aut inimicitias aliquorum timere habeamus: quam citius hac æstate apparatum navigii habere potero, in Angliam venire dispono.

Hanc autem epistolam jam præmisi, ut de mea prosperitate omnis populus regni mei lætificetur; quia, ut vos ipsi scitis, numquam memetipsum, nec meum laborem abstinui, nec adhuc abstinebo impendere pro omnis populi mei necessaria utilitate. Nunc igitur obtestor omnes episcopos meos, & regni mei præpositos, per fidem quam mihi debetis & Deo, quatenus faciatis ut, antequam in Angliam veniam, omnium debita, quæ secundum legem antiquam debemus, sint persoluta, scilicet eleemosyna pro aratris, & decimæ animalium ipso anno procreatorum, & denarii, quos Romam ad sanctum Petrum debetis, sive ex urbibus, sive ex villis, & mediante Augusto decimæ frugum, & in festivitate sancti Martini primitiæ seminum, ad ecclesiam sub cujus parochia quisque degit, quæ Anglice * Curscet nominatur. Hæc & alia si cum venero non erunt persoluta, regia exactione secundum leges, in quem culpa cadit, districte absque venia comparabit.

Solvi jubet quę debentur, eleemosynas, decimas, &c.

* al. Chireseth

CHARTA REGIS CANVTI, qua omnes causas insulæ Glastoniæ, tam ecclesiasticas quam sæculares, abbatis supponit judicio, ceteris exclusis potestatibus.

Malm gest. reg. lib. 2. c. 11.

REGNANTE in perpetuum domino, qui sua ineffabili potentia omnia disponit atque gubernat, vicesque temporum hominumque mirabiliter discernens, terminumque incertum, prout vult, æquanimiter imponens, & de secretis naturæ mysteriis misericorditer docet, ut de fugitivis, & sine dubio transitoriis, mansura regna Dei suffragio adipiscenda sint.

Quapropter ego Cnuto rex Anglorum, cæterarumque gentium in circuitu persistentium gubernator & rector, cum consilio & decreto archipræsulis nostri Edelnothi, simulque cunctorum Dei sacerdotum, & consensu optimatum meorum, ob amorem cælestis regni, & indulgentiam criminum meorum, & relaxationem peccaminum fratris mei regis Edmundi, concedo ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ Glastoniæ jura & consuetudines in omni regno meo, & omnes forisfacturas omnium terrarum suarum; & sint terræ ejus sibi liberæ, & solutæ ab omni calumnia & inquietatione, sicuti meæ mihi habentur.

Verum illud præcipue ex omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti autoritate, & perpetuæ Virginis interdictione prohibeo, & universis regni mei præpositis & primatibus super suam salutem præcipio, ut nullus omnino illam insulam intrare audeat, cujuscumque ordinis, aut dignitatis sit: sed omnia, tam in ecclesiasticis quam in sæcularibus causis, tantummodo abbatis judicium, & conventus expectent, sicuti prædecessores mei sanxerunt, & privilegiis confirmaverunt, Cenvvines, Ines, Cuthredus, Ailredus, Alfredus, Edvvardus, Ethelredus, Ailstanus, & gloriosissimus Edmundus, & incomparabilis Edgarus.

Si quis autem quovis deinceps tempore sub aliqua occasione interrumpere atque irritum facere hujus privilegii testamentum nisus fuerit: sit a consortio piorum ultimi examinis ventilabro dispertitus. Si quis vero benevola intentione hæc facere, probare, & defensare studuerit: beatissimæ Dei genitricis Mariæ, & omnium sanctorum intercessione, amplificet Deus portionem ejus in terra viventium. Scripta est hujus privilegii donatio, & promulgata in Lignea basilica sub præsentia regis Cnutonis, anno anno ab incarnatione dominica 1032. Indict......

ANNO CHRISTI 1031.

** CONCILIVM BITVRICENSE, AB EPISCOPIS AQVITANIÆ PRIMÆ celebratum Kalendis Novembris anno Christi MXXXI. Henrici regis I.

INDEX CANONVM.

PRÆFATIO.

HÆc sunt capitula super quibus hoc tempore depravata erat S. Bituricensis mater ecclesia. Itaque

ANNO CHRISTI 1031.

que patrum sequentes vestigia statuerunt; qui praesentes ibi fuerunt episcopi, Aymo Bituricensis, Stephanus Aniciensis, Renco Arvernensis, Ragamundus Mimatensis, Æmilius Albiensis, Deusdedit Cadurcensis, hæc servanda ab ecclesiis sibi commissis.

CANONES.

I. *Vt sancti Martialis nomen & memoria inter apostolos proponatur.*

In primis, ut per omnes suarum diœceseon ecclesias, sancti Martialis doctoris Aquitaniæ nomen & memoria, non inter confessores, sicut inter nos negligenter a nonnullis fieri solitum erat, sed inter apostolos proponatur, sicut a Romana sede, & a pluribus antiquis patribus, secundum veritatem Spiritus sancti definitum est. Ita in eo gradu, in quo a rege sæculorum collocatus est, tantus ille Dei princeps & amicus, ab ecclesia, uno corde & ore, semper deinceps rata stabilitate confirmetur: quatenus eius intercessione omnis sancta ecclesia catholica in augmentum excrescat sanctæ religionis, & optata prosperitate quiescat in altitudine pacis.

II. *Vt corpus Domini in ecclesiis per singulas dominicas renovetur.*

Item quia corpus Domini per ecclesias parœcianas dicebatur nimia vetustate neglectum, statuerunt episcopi in eodem concilio, ut corpus Domini non plus servetur quam a dominica in alteram.

III. *Vt de sacris ordinibus munus ab episcopo, vel ab eius ministris non accipiatur.*

Item, ut episcopi de sacris ordinibus munus non accipiant, nec aliquis eorum, neque aliquis de subiectis eorum, sicut pro scribendis nominibus ordinandorum solebant scriptores pretium accipere.

IV. *Vt archidiaconi omnes diaconi fiant.*

Vt archidiaconatum nullus habeat, nisi diaconus efficiatur.

V. *Vt nullus presbyter, diaconus, subdiaconus uxorem habeat, aut concubinam.*

Vt presbyteri, & diacones, & subdiaconi, sicut lex canonum præcipit, neque uxores neque concubinas habeant: & qui eas modo habent, ita eas sine mora peracto hoc concilio derelinquant, ut numquam ulterius ad eas accedant: qui vero derelinquere eas noluerint, a proprio gradu & officio cessent, & inter lectores & cantores permaneant. Similiter nulli de clero permittimus deinceps uxorem neque concubinam habere. Supradicti autem in choro tantum intrent ad legendum & cantandum: ad altaris vero ministerium nullatenus accedant.

VI. *Vt qui subdiaconus ordinatur, promittat se uxorem vel concubinam non habiturum.*

Vt episcopi nullum amplius ad subdiaconatus gradum ordinent, nisi in præsentia episcopi ante altare sedis Deo promittat, numquam se habiturum uxorem neque concubinam: & si tunc eam habuerit, mox ei abrenuntiet, quod lingua Francorum gurpire dicimus.

VII. *Vt tonsuram ecclesiasticam habeant, qui ministerium in ecclesia tractant.*

Vt archidiaconi, abbates, præpositi, capischoli, canonici, ostiarii, & omnes qui ministerium intra sanctam ecclesiam tractant, tonsuram ecclesiasticam habeant, hoc est, barbam rasam, & coronam in capite.

VIII. *Vt filii presbyterorum, diaconorum, & subdiaconorum clerici non fiant.*

Vt filii presbyterorum, sive diaconorum, sive subdiaconorum, in sacerdotio, vel diaconatu, vel subdiaconatu nati, nullo modo ulterius ad clericatum suscipiantur: quia tales, & omnes alii qui de non legitimo coniugio sunt nati, semen maledictum in scripturis divinis appellantur, nec apud sæculares leges hereditari possunt, neque in testimonium suscipi. Et qui de talibus clerici nunc sunt, sacros ordines non accipiant: sed in quocumque gradu nunc sunt, in eo tantum permaneant, & ultra non promoveantur.

IX. *Vt servi & colliberti, nisi libertate a dominis suis concessa, clerici non fiant.*

Similiter nullus servorum, vel collibertorum amodo clericus fiat, nisi prius libertatem de dominis suis habuerit sub idoneis testibus.

X. *Quod filii clericorum censeri non debeant, qui ex eorum coniugio nascuntur postquam ad laicalem ordinem reversi sunt.*

Qui autem de aliquo gradu ecclesiastico ad laicalem ordinem ex toto reversi sunt, & ad coniugium legitimum accesserunt, & postea agentes pœnitentiam dignam ad pristinum gradum reversi sunt, eorum filii legitimi sunt: quia in laicali ordine, & legitimo coniugio procreati sunt, nec dici possunt filii clericorum, sed laicorũ: vel etiamsi laici permanserint, idem est.

XI. *Vt ab archidiaconis deponantur qui ex filiis clericorum, vel ex servis, clerici facti sunt.*

Ita statutum est, ut episcopi quando fecerint ordines vel clericos, audiente populo excommunicent, ut nullus eis offerat ad clericatum filium presbyteri, neque diaconi, neque subdiaconi, neque servos, neque collibertos aliorum, nisi libertate donatos. Et si ipsi se per semetipsos obtulerint, nullus scienter eos ibi celet. Et si cuipiam de talibus sacrum ordinem aut clericatũ ignoranter tribuerit episcopus, mox ut cognitum fuerit, archidiaconus deponat eos: quia irrita est illicita ordinatio, sicut sancti patres dixerunt, & in talibus ecclesia Dei despectui patet.

XII. *Vt pro baptismo, pœnitentia, & sepultura, nihil accipiatur, nisi quod sponte oblatum sit.*

A Nullus pretium pro baptismo, neque pro pœnitentia danda, neque pro sepultura accipiat, nisi quod fideles sponte dare vel offerre voluerint.

XIII. *Vt presbyteris cedant, quæ ipsis ad manus offeruntur, & de cereo paschali.*

Vt presbyteri oblationes vel luminaria, quæ eis ad manus offeruntur, tamquã propria sua habeant: & cereus paschalis ad illuminanda altaria remaneat.

XIV. *Vt pallia mortuis imposita, super altare non ponantur.*

B Vt pallia quæ super mortuorum corpora posita sunt, non ponantur super altare

XV. *De carregio vel sagmegio diei dominicæ.*

Vt in die dominica vectigalia non fiant, quod carregium vel sagmegium dicitur, nisi amore Dei, vel timore hostium, vel propter magnam necessitatem.

XVI. *Vt qui uxorem sine culpa fornicationis dimiserit, alteram illa vivente non ducat.*

Vt illi qui uxores legitimas sine culpa fornicationis dimittunt, alias non accipiant illis viventibus, nec uxores viros, sed sibimet C reconcilientur.

XVII. *Vt nullus de parentela sua uxorem ducat.*

Vt nullus de parentela sua uxorem accipiat usque in sextam vel septimam progeniem.

XVIII. *Vt eam quæ uxor fuit consanguinei nullus accipiat.*

Vt nullus uxorem consanguinei, vel alicuius parentis sui in coniugium accipiat; quia vir & uxor legitime coniuncti una caro sunt.

XIX. *Vt nullus filiam suam det uxorem clericis, vel filiis eorum.*

D Vt nullus filiam suam det uxorem presbytero, neque diacono, neque subdiacono, neque filiis eorum.

XX. *Vt nullus in uxorem ducat filiam vel uxorem clerici.*

Vt nullus filiam presbyteri, neque diaconi, neque subdiaconi, neque uxores eorum in coniugium accipiat, quia detestabile est. Nam & S. Gregorius dixit: Qui presbyteram in coniugium duxerit, anathema sit.

XXI. *Vt sæculares beneficia ecclesiastica super presbyteros non habeant.*

E Vt sæculares viri ecclesiastica beneficia, quod feuos presbyterales vocant, non habeant super presbyteros.

XXII. *Vt laici presbyteros in ecclesiis suis, nisi in manu episcopi, non ponant.*

Vt nullus laicus presbyteros in suis ecclesiis mittat, nisi in manu episcopi sui, quia episcopus curam animarum debet unicuique presbytero commendare de parochiis ecclesiarum singularum.

XXIII. *Vt qui clericatum dimittunt, ab aliis clericis separentur.*

Vt clerici clericaturam suam dimittentes, ab aliis clericis separentur.

XXIV. *De monachis qui habitum sponte derelinquunt.*

Vt illi qui voluntarii, & secundum regulam S. Benedicti habitum monachi susceperunt, & postea voluntarii dereliquerũt, communione fideliũ privẽtur usque ad emendationem dignã. Et si abbates, vel alii monachi nolunt eos suscipere: maneant cum clericis in monasteriis, vel apud ecclesias, in habitu monastico, & reverentia, atque abstinentia.

XXV. *Vt monachi & canonici ad alia monasteria sine episcopo vel abbatis licentia non transeant.*

Vt canonici & monachi de monasteriis suis, ubi prius titulati sunt, nisi causa rationabilis necessitatis, vel ædificationis animæ, vel ordinẽ melius observandi, ad aliud monasterium non transeant propter adipiscendum aliquod ministerium vel honorem, vel occupationem terrenam, absque consensu episcopi sui vel abbatis.

AYMONIS ARCHIEP. BITVRICENSIS edictum post synodum suprascriptam.

IN nomine domini. Ego Aymo archiepiscopus anno incarnationis dominicæ MXXXI. Indictione XIV. in concilio Bituricensi, quod actum est Kalendis Novembris, cum consensu coepiscoporum, seu abbatum, & reliquorum fidelium, qui ibidem præsentes adfuerunt, decrevi, & autoritate propria firmavi, ut privilegium domni Ioannis Romanæ sedis papæ, quod isdem domnus instituit, & episcopis, abbatibus, & reliquis fidelibus totius Galliæ misit, inconvulsum & inlibatum permaneat. Scilicet ut beatissimus Martialis in numero apostolorum, tam in litaniis, quam in omnibus divinis officiis computaretur, & esset. nec immerito. Est quippe dignum, sicut in gestis ejus reperimus insertum, illum videlicet tam in cœna domini, quam in passione, necnon & resurrectione, ascensione quoque, præsentem adfuisse, & cum cæteris apostolis Spiritum sanctum accepisse. Quia etsi reliquarum gentium apostolus non est, totius tamen Galliæ ad Christum convertendi princeps & apostolus est. Hunc autem nostrum edictum episcopis, abbatibus, & reliquis fidelibus totius Aquitaniæ direximus: observantes, ut sicut privilegium a sede apostolica delatum, inviolabiliter custodiatur; & qui huic privilegio apostolico, & nostro edicto contrarius extiterit, contraire se noverit præceptis apostolicis, & iram ipsius incurrere nostri redemptoris: cujus ipse, de quo loquimur, apostolus Martialis invincibilis extitit testis.

Hæc sunt nomina episcoporum qui interfuerunt: Aymo archiepiscopus Bituricensis, Iordanus * Lemovicensis, Stephanus Vallacensis, Renco Arvernensis, Amelius Albigensis, Deusdedit Cadurcensis, Ragamundus Mimatensis, sede Ruthenensi vacante, & Azenerius abbas Miciacensis, cum reliquis quamplurimis abbatibus, & religiosis viris.

*falsum, vide notas.

NOTÆ

ANNO CHRISTI 1031.

NOTÆ GABR. COSSARTII S. I.

Perierint licet hujus acta concilii: eorum tamen memoriam nonnullam servant acta Lemovicensis II. decimoquinto post die celebrati. Ex iis discimus, recitatas esse in Bituricensi concilio Ioannis papæ XVIII. literas, quibus sancto Martiali apostolica dignitas asseritur: deinde, actum ibidem esse de compescendis privatis bellis, & pace firmanda; & eos, qui pacem & quietem recusarent, eodem fuisse percussos anathemate, iisdemque concepto verbis, quibus in Lemovicensi. Excommunicationem igitur, quam illic leges, hujus quoque concilii partem esse statue.

Quod vero post Aymonis edictum, inter eos qui interfuisse concilio dicuntur, nomen extat Iordani Lemovicensis episcopi: manifesta est hallucinatio. Nam actione I. Lemovicensis concilii, ut mox leges, abfuisse se dicit. Expungendum igitur Iordani nomen tum ex hoc loco, tum ex MS. codice S. Stephani Lemovicensis, in quo reperiri dicitur.

Perperam autem a Baronio, ac deinde a Binio collocatum hoc concilium anno 1034. fuisse, docet tum recitata in eo recens allata Ioannis papæ epistola; tum Aymonis edictum anno 1031 & indictione XIV consignatum. Quamquam, indictio potest negotium facessere. Nam si ejus initium a Septembri ducitur, jam inchoata erat XV. Quid igitur? an emendandum censebimus? haudquaquam necesse est. Quod enim a Romanis pontificibus longo post tempore observatum est, ut indictio ad anni usque finem labi sineretur, & novæ duceretur initium a Kal. Ianuar. id in Galliis hac ætate jam usurpatum fuisse, ex multis monumentis didicimus. Denique de hujus anno concilii dubitare non sinit Lemovicense II. decimo quinto post die habitum anno 1031. ut demonstramus in ipso ejus vestibulo.

ANNO CHRISTI 1031.

CONCILIVM LEMOVICENSE II. IN QVO AGITVR DE APOSTOLATV S. MARTIALIS, & multis ad disciplinam spectantibus: celebratum anno Domini MXXXI. die XVIII. Novembr.

Fragmenta ediderat Binius post Baronium: nunc integrum in lucem prodit ex codice MS. bibliothecæ Thuanæ. BN fonds lat. 2469

G. C. Anno 1031. non 1034. habitum esse invictissime probat dies ipse, quo inchoatum est, nempe 14 Kal. Decemb. incidens, ut testantur hæc acta pag 876, in fer 5. Vide præterea notas ad concilium Bituricense.

SESSIO I.

Celebrata XIV. *Kalendas Decembris*

FACTVM est illo tempore, ut Dei nutu in festivitate dedicationis templi Domini Salvatoris, quod est XIV. Kalendas Decembris, congregaretur concilium apud urbem Lemovicam. Ipsa itaque dedicationis die, summo mane convenerunt omnes simul episcopi cum presbyteris & diaconibus, in ecclesiam beati protomartyris Stephani. Erat autem eadem basilica propter coadunatum concilium solenni more pridie ornata, sicut & ecclesia Salvatoris Domini: in qna anniversaria dedicationis festivitas ab omni Lemovicensi populo rite celebrabatur. Fuerunt itaque dispositæ in modum coronæ sedes episcoporum in eadem sancta Lemovicensi ecclesia: quæ est prima omnium ecclesiarum Galliæ. At ubi oratum est, & sederunt episcopi, data ab archidiacono lectione, Iordanus pontifex, ait: Gratia divina inspirante, vocatione nostra episcopi præsentes ad nostrum suffragium, de quibuscumque opus fuerit, dignati sunt venire: qua de re omnium vestrum, dilectissimi clerici, admonemus, ut in hoc sancto concilio veritatem nullus scienter occultet, nullus timore, aut favore, sive munere, sive odio, rectam perturbare præsumat justitiam. De ordine siquidem nostro in primis loquendum est, ut quæ corrigenda sunt, Deo opitulante, corrigantur, & superflua resecentur, probata vero ab omnibus corroborentur: quatenus inter nos unitas pacis firma permaneat. Scimus enim quia in scissuris mentium Deus non est, & Deus unitate gaudet: & illi gratiam ejus merentur habere, qui se ab invicem per sectarum scandala non dividunt. Si quis vero de aliquo sibi dubius esse videtur, aut forte de quacumque re cæteros putat reprehensibiles: exeat in medium, & libere dicat, ut aut doceat, aut doceatur, & derogatio confundatur de fraternitate ecclesiæ. Ideoque hic in nomine Iesu congregati esse videmur, qualiter justitia sibi inter nos locum inveniat, & injusta explodantur.

Cumque de divinis strictim esset disputatum, iterum pontifex ait: Dolorem cordis mei vobis patefacio, o venerabiles episcopi, & reliqui ministri domini, & clamorem facio de sæcularibus potestatibus parochianis meis, qui ecclesiam Dei quietam esse non sinunt, res sanctuarii pervadunt, pauperes mihi commissos & ecclesiæ ministros affligunt, & me, qui eorum pastor sum, de pace audire nolunt. Omnes episcopi uno ore dixerunt: Qui conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille: dignum est enim ut tales, qui vobis contraire præsumunt, ab ecclesiæ communione abscidantur. Nam quicumque vobis subditos conturbant, vos conturbant: qui autem vos conturbant, Christum conturbant, cujus vice episcopi legatione funguntur. Ideoque divinæ & apostolicæ severitate districtionis digni sunt; & a nostro concilio, justo anathemate plectendi, quousque fructuose pœnitendo resipiscant.

Tunc Odolricus monasterii reverentissimus pater, sacris, ut juxta pontificem residebat, vestibus ornatus, in corona episcoporum exurgens, facto silentio, dixit pontifici: Rogamus, optime pontifex, reverentiam ordinis vestri, ut priusquam de quibuspiam conferatur, quæstio ecclesiæ vestræ de apostolatu beati Martialis prudenter ventilata, hic secundum regulam veritatis pacem inveniat: hac enim præcipue de re ego & vos concilium hoc aggregare curavimus. Ecce vobiscum sancti præsentes episcopi in nomine Spiritus sancti adsunt: ecce in divinis & sæcularibus scripturis eruditi præsto sunt plures. Ecce quicumque nobis contradicere vult de hac re, qua beatum Martialem profitemur esse apostolum, & memoriam ei ubique in divinis apostolicam exhibemus, cum fiducia exeat coram vobis: & aut mendaces nos per rationem ostendat, & nos libenter ei acquiescamus; aut, quod Deo opem ferente credimus, veraces nos inveniat, & veritatem cum pace suscipiat. Totiens vos rogavimus, ut firmiter in omnibus ecclesiis & monasteriis per Lemovicinum statueretis hanc regulam: totiens excusastis id vos minime agere velle, quousque post epistolam papæ Ioannis in concilio apud hanc sedem causa a comprovincialibus episcopis audiretur, & dignum & justum atque rationabile fieri per antiquorum autoritatem judicaretur: ne videlicet vos sine consultu vicinorum agere uideremini episcoporum, ne elatus aut præsumptor diceremini a maliuolis.

Et pontifex ait: Sicut primum a Romano papa, & iterum a concilio Bituricensi, in quo mea vos vice fuistis in capite hujus Novembris, absque præsentia mea probatum est, & collaudatum atque confirmatum: sic volo ut modo præsente me in hac sancta sede beati Martialis dijudicetur juste & canonice, ut per tertiam istam autoritatem, totum schisma de omni Lemovicino deinceps tollatur, edicto nostræ autoritatis. In conspectu ergo episcoporum fiat examinatio de apostolatu beati Martialis, utrum vere sit apostolus, an non.

Aberat Iordanus a cōcilio Bituricensi.

Ad hæc apprime eruditus quidam Aniciensis ecclesiæ canonicus & presbyter Engelricus coram exurgens,

ANNO CHRISTI 1031.

exurgens, ait: Ideo infinita indoctorum hominum multitudo contradicit eum esse apostolum, quia non est unus de duodecim: & dum crebro duodecim discipulos, vel duodecim sedentes super duodecim sedes audiunt, putant multi nullum esse apostolum, exceptis duodecim; nec alios septuaginta duos, putant fuisse apostolos, sed tantum simpliciter discipulos. Sed contra hæc deferatur in concilium vestrum illius autoritas viri qui vetus & novum testamentum de Hebræo & Græco in Latinum fideliter transtulit, qui sacrorum voluminum expositor fuit, de cujus autoritate dubitare quempiam nefas est, cum inter omnes doctores, post apostolos, fortior columna ecclesiæ sit.

Tunc delato & perscrutato codice, commentum Hieronymi super epistola ad Galatas legere episcopi fecerunt coram se: ubi Hieronymus scribit, dicens: Quod autem exceptis duodecim, quidam vocentur apostoli, illud in causa est: omnes qui Dominum in carne viderant, & eum postea prædicabant, fuisse apostolos appellatos, ut illud Pauli: *Visus est illis undecim, deinde visus est Iacobo, deinde apostolis omnibus*, id est, septuaginta duobus, qui bini a Domino ad prædicandum missi sunt. Nam & alii ab his quos Dominus elegit ordinati sunt apostoli, sicut ad Philippenses ait: *Necessarium existimavi Epaphroditum commolitonem meum, vestrum autem apostolum mittere ad vos.* Et ad Corinthios de talibus scribitur: *Sive apostoli ecclesiarum in gloriam Dei.* Silas quoque & Iudas ab apostolis apostoli nominati sunt.

1. Cor. 15. — Philip. 2. — 2. Cor. 8.

Et subjunxit ad hæc Engelricus, dicens. Si illi qui in carne Dominum videntes, eum postea prædicantes, apostoli sunt: quanto magis Martialis apostolus est, qui Domini in carne discipulus fuit, & in prædicatione maximus laborator extitit & fructificator, ita ut Gallia signum sit apostolatus ejus? Scit omnis Aquitania Martialem esse primum illuminatorem Galliæ: cui contradicere nullus potest. Cum ergo discipulus Domini sit sicut & Cleophas, & hanc partem occiduam signum apostolatus habeat: indubitanter apostolus est eodem ordine quo & Paulus & Barnabas. Si tamen hæc melior inchota institutio quibusdam dura esse videtur, propter usitatum sibi morem, quo ejus memoriam de confessore facere solent: tamen confidenter dico, hoc nemo contradicere aliqua ratione potest illis qui ejus memoriam potius de apostolo eligunt agere.

Ad hæc quidam literarum peritus, monasterii Masciacensis pater Azenerius, exurgens in conspectu episcoporum, testimonium perhibuit, dicens: Quia inter grammaticos detritus ego, & postea in palatio, numquam in nostris monasteriis per Franciam Martialem, qui hanc primam ecclesiam ante omnes Galliæ ecclesias dedicavit, audivi recitare nisi cum aliis apostolis: & merito, quia ipse populos Galliæ primus in Christo Iesu per euangelium genuit. At postquam jubente rege Roberto, in solo Bituricensi monasterii ejus prælationem suscepi: ibi primum aliam de hac re indebitam consuetudinem reperi, quam mox amputavi. Quia mox in eo proprio quo Deus eum gradu posuit, hoc est, inter apostolos, nomen & memoriam ejus adscripsi. Nam olim, antequam monachi habitum susciperem, dum Hierosolymam proficiscens, apud Constantinopolim in basilica sanctæ Sophiæ, sabbato pentecostes, solenni interessem officio: memini me audisse, in litaniis Græcis Martialem inter alios apostolos post duodecim fuisse a Græcis pronuntiatum.

Ad hæc Odolricus explicare cœpit, dicens: Audiant me pontifices & seniores qui coram adstant. Quod Martialis semper ab antiquitate in pluribus doctissimorum locis pronuntiatus sit apostolus, mihi necesse non est testificari, ne forte adulatorius judicer testis, pro ejus ecclesiæ regimine. Adsunt ab externis locis qui ex hoc verum dent coram vobis testimonium. Non tamen est mihi tacendum, quod quando jam longe olim apud monasterium sancti Benedicti in Francia per plures annos artibus imbuerer liberalibus, annosam monasterii legem reperi, Martialem in litaniis cum aliis pronuntiari apostolis. Pater illius loci Abbo florentissimus philosophia, quem multi vestrum noverunt, & omni divina & sæculari autoritate totius Franciæ magister famosissimus, & postmodum gladio persecutoris martyrio coronatus apud Vasconiam, quid de Martiale scripserit, quod de eo testimonium perhibuerit, hujus urbis clero notum est. Extitit post eum ipsius monasterii pater tum grandævitate, tum genere, cum eloquentia & disciplinis liberalibus clarus, ac demum levatus Bituricæ sedi archiepiscopus. Quod testimonium sancto Dei perhibuit ille, multi ex nostris noverunt. Adhuc enim vivente rege Roberto, cum antecessor meus Hugo in palatio ei apud Parisios assisteret cum multitudine nobilium & doctorum, altercatio inter Francos & Lemovicenses de re hujusmodi coram rege fieri cœpit: & ego ibi tunc præsens interfui. Dicebant isti: Vos Franci non recte facitis, quia Martialem cum apostolis pronuntiatis: nos recte agimus, quia eum inter confessores recitamus. Vos ultimum apostolorum dicitis: nos primum confessorum in litaniis dicimus. Quorum litigium archiepiscopus supradictus Gauzlenus compescuit, dicens: Ambæ hujus rei partes nisi uniformes fuerint, altera pars altera parte justior est, & necesse est, ut semper justior rationabilior prævaleat pars. Nam omnes qui Martialem inter confessores pronuntiant, non bene juste, non bene perspicaciter agere mihi videntur: ille enim magis est fortis apostolicæ unus, quam fortis confessorum. Idcirco non bene recte agunt, qui nomen ejus auferunt de eo in quo Deus eum posuit gradu, & ponunt ubi Deus non posuit. Potius est apostolico de agmine, quam de confessorum, qui post martyres sunt, serie. Utique si regis qui adest nomen non inter regum, sed comitum subjectorum vocabula diceret quis, aut rusticus diceretur, aut malivolus regis contemptor. Et si simplicitate rustica id fieret, nil moveretur rex animo, sed rusticitati facile ignosceret: si vero non simpliciter, sed contemptive diceretur, non dubium quin regis animus ad iracundiam pro contemptu suo accenderetur. Quod si in tali intentione contemptor persisteret, sententiam contra se pro malivolo contemptu sentiret: nec tantum rex, quantum subditi comites ejus, & principes, & amici, in contemptorem irati fierent. Revera scit omnis hæc regio, quia ille prædicator Aquitaniæ de gradu non confessorum, qui post martyres sunt, sed apostolorum, qui ante martyres sunt, existit. Ego autem, si nomen ejus de apostolico ordine auferrem, timerem ut apostoli Petri & aliorum indignationem hac in re incurrerem, qui olim in mundo, & nunc in cælo, collegam & sodalem suum Martialem præclarum consocium per sedilia apostolica habent. Et si nomen ejus permutarem in eum catalogum quo sanctum Benedictum, & Hilarium, & Martinum pronuntio: metuerem

Gauzlenus abbas Flor. & archiep. Bituric.

ANNO CHRISTI 1031.

metuerem quidem iram S. Benedicti & Hilarii & Martini & aliorum incurrere, qui eum in cælo gaudent ordine apostolico radiare. Illic nulla invidia, nullum litigium inter sanctos esse potest, quia regnat in omnibus unitas caritatis, & quod singuli per se non habent, per caritatem in omnibus habent, ubi est Deus omnia in omnibus. Nimirum si alii apostoli sunt, exceptis duodecim, sicut & absque dubio sunt: ille utique apostolus est, qui omne donum gratiarum a domino cum aliis duodecim accepit apostolis. Certe Martialis non est nunc, nec erit alius, quam olim quis fuit: & qui fuit, ipse est nunc, & ipse semper erit. Amicus Dei fuit, amicus Dei est, amicus Dei erit. Apostolus fuit, apostolatum habet (nam signaculum apostolatus ejus Gallia est) apostoli honorem in cælo in æternum habebit. Apostolus officio fuit, apostolus est remuneratione, apostolus erit in æternum gloria & honore. Est carnaliter de genere Abrahæ, est discipulus domini, est a Petro baptizatus, Christo jubente, est eidem Petro regni claviculario & protomartyri Stephano consanguinitate carnis junctus, est a domino missus, est per insufflationem domini Spiritu sancto consecratus, & potestate ligandi & solvendi sublimatus, est a domino die ascensionis suæ benedictione episcopali sanctificatus, est in Sion in die pentecostes Spiritu sancto repletus, omnium gentium loquelas novit, gentibus istis occiduis testimonium Dei vivi attulit primus, resurrectionis Christi invictus extitit testis. Ideoque ipsum crucifixum & resurrectionem in resuscitandis extinctis semper testem barbaris præferebat, dicens: In nomine domini, quem Iudæi crucifixerunt, & tertia die resurrexit a mortuis, surgite qui mortui jacetis. Ipsam testificationem Dei, ejus nomen resonare videtur: Martialis quippe interpretatur Græco nomine testimonium, sive testis vitæ, vel, sicut alii volunt, virtus immortalis: quia discipulum virtute resurrectionis de morte post sex dies Petri bacterio tactum resurgere fecit; sive virtus immortalitatis, hoc est prædicator, vel testis illius qui rex sæculorum immortalis solus habet immortalitatem, ideoque testificator resurrectionis Christi extitit invincibilis. Plane si apostolus nullus est, exceptis duodecim, sicut Ebionitæ hæretici prædicant, & nefas est cogitare (ipsi enim nullum apostolum recipiunt præter duodecim, & Paulum repudiant, quia non est de duodecim, sicut Beda in commentario super Marcum dicit) ergo Paulus & Barnabas non sunt apostoli: quod putare dementiæ est. Nos Franci morem quem patres nostri, qui primi monasterium S. Benedicti suo magisterio innormarunt, plena nobis ratione subnixum tradiderunt de hac re, ratum conservamus. Quisquis nos hac in re imitari voluerit, rectam veritatis lineam tenebit. Quo perorato, archiepiscopus tacuit: & rex cum omni dignitate clericorum & principum qui sibi assistebant, dicta archiepiscopi collaudavit. Nos autem ubi regressi sumus ad hanc urbem, hac de re codices antiquos loci nostri perquirere confestim curavimus, & innumeros, tam penes nos, quam per diversas Aquitaniæ ecclesias, invenimus, Martialem habentes scriptum apostolum. In antiquis etiam martyrologii voluminibus duos ejus discipulos, Alpinianum & Austriclinianum, scriptos esse adhuc reperimus apostolos. Sic quippe legitur in vetustissimis quibusdam: Pridie Kalendas Iulii, natalis sancti Martialis Aquitaniæ doctoris & apostoli, cum duobus apostolis Austricliniano & Alpiniano, quorum vita signis & miraculis admo-

A dum effulsit. Ne miremini autem quod in vestro concilio testimonium hoc protuli, reverentissimi præsules, quasi ipsos discipulos ejus recitari velimus apostolos: hoc enim nolumus, ne vilescat, ut aiunt quidam, nomen apostolicum, si tot apostolos ecclesia proferat, cum hoc de ipso Martiale nonnullis ingratum esse sciamus. Verum hæc idcirco diximus, ut qui præsentes in concilio sunt facile perpendant, quia si ante nos lônge olim antiqui patres discipulos Martialis non dubitaverant fateri apostolos, multo magis eorum magistrum sciebant procul dubio, & credebant esse apostolum. Interrogentur de ipsa antiquitate majores monasteriorum per Lemovicense solum, ut impleamus

B illud propheticum: *State super vias, interrogate de semitis domini antiquis, quærite quæ sit via recta, & ambulate in ea.* Ierem. 6. Testificatur nobis pater monasterii Tutelensis, quia postquam ipse locus fundatus est temporibus Caroli Augusti, consuetum semper retinet morem memorandi Martialis apostoli.

Interea pater monasterii Solemniacensis Geraldus solemniter in concilio residens, sacris indumentis ornatus, ait coram omnibus: Antiquissimos codices scio penes nos, antiquissimum habentes testimonium, Martialem esse apostolum ab antiquis prædicatum. Verum crescente paulatim negligentia ecclesiasticorum virorum, eum alia quoque recta cœpissent depravari, hoc etiam depravatum est a junioribus, ut jam non vocaretur a-

C postolus, quia non erat unus de duodecim (nam multi hodieque non advertentes, Paulum & Barnabam, putant esse de duodecim) ideoque permutarunt ejus nomen per letanias, de ordine apostolico in confessorum seriem: zelumque bonum habentes, sed non secundum scientiam, putarunt patronum suum melius honorari, si non ultimum apostolorum, sed primum confessorum dicerent: ideoque per ejus gesta in aliquibus locis confessorem eum scripserunt. Nam in vetustissimis codicibus probatum est, hoc minime per ejus gesta scriptum. Hac de re consultius est eum per omnia scribi apostolum, quam pontificem sive confessorem: quia sancti apostoli qui episcopi fuerunt, sive occisi sive non occisi gladio, omnes & pontifices &

D confessores vocantur, dum apostoli vocantur: pontifices autem & confessores innumeri sunt, qui apostoli non sunt. Si autem in consecratione episcopali episcopus vocatur apostolus, ubi dicitur: Vrbanus es, apostolus Christi es, sit ecclesia mater tua, sint apostoli fratres tui, apostolatus tui gradum custodiant angeli: quanto magis ille apostolus est, qui ab ipso domino missus & consecratus, & potestate apostolica, id est ligandi & solvendi, est sublimatus? Sed in concilium vestrum, o præsules, veniat Ambrosius Mediolanensis, fortis columna ecclesiæ: audiamus ejus super hac re auctoritatem. Tunc delato codice lectum est in com-

E mentario super epistola ad Timotheum, ubi Ambrosius dicit: Primo itaque nascentis ecclesiæ tempore omnes presbyteri vocabantur episcopi sive presbyteri, & omnes episcopi vocabantur confuse & presbyteri sive episcopi: item omnes episcopi vocabantur apostoli. Cur ergo nunc discreta sunt hæc vocabula, ut jam episcopi non vocentur apostoli, non presbyteri, sed tantummodo episcopi? & presbyteri ante ordinationem episcopalem non vocentur episcopi, nisi solum presbyteri? Episcopi qui post decessum apostolorum ecclesias regebant, cum viderent se non eamdem habere quam apostoli habuerant gratiam, in potestate signorum,

ANNO CHRISTI 1031.

in virtute miraculorum, in resuscitatione mortuorum, grave sibi existimaverunt vindicare apostolicum nomen: ideoque hæc duo nomina ita inter se diviserunt, ut majores sacerdotes vocarentur episcopi tantum, minores vero sacerdotes presbyteri dumtaxat appellarentur. Si igitur illi episcopi quondam post apostolos virtute signorũ apostolis qui dominum viderant inferiores vocabantur apostoli, quanto magis ille apostolus est, & jure apostolus vocabatur, qui a domino omne donũ gratiarum cum consortibus suis accepit, & in virtute signorum, tamquam vere apostolus, præpotens fuit?

Cumque sileret, dixit Petrus quidam presbyter: Hoc idem testificatum est ante hos plures annos a Ragembaldo patre monasterii Milbecensis. Nam cum vos, o venerande pontifex, in hac basilica per hebdomadam pentecostes in vestra synodo, adstante multitudine sacerdotum, resideretis, allocutus estis synodum, dicens: Nobis nescio quæ novitas de patrono nostro Martiale orta est, mihi satis dura & gravis. Alii memoriam ejus de apostolo, alii de confessore agunt: alii testantur eum esse apostolum, alii coapostolum: quid ergo, fratres, in hoc sentitis? At ille memoratus veneranda canitie, doctrina & moribus egregius, confestim admirando signare se cœpit signo crucis, & sic primus respondit: Tale nunquam audivi quale nunc. Certe auribus meis, o pontifex, majorem inducitis novitatem. In nostro siquidem monasterio, & in cæteris, in quibus a pueritia mea usque modo per Bituricensem & Turonensem provincias conversatus fui, numquam audivi Martialem recitari nisi cum aliis apostolis. Interea in concilio illo, cum quidam ex clericis Petracoricæ urbis cum patre monasterii Solemniacensis altercaretur, & diceret: Eodem modo sanctum Frontum possumus dicere apostolum. Ille coram omnibus sic ei respondit: Tace, inquam, frater; melius est ut sileas: quia quando nos in scholis magistrorum mel & lac bibebamus, tu solam ruminabas fabam. Scripturam de sancto Fronto novam, cujus tu autoritate niteris, Gauzbertus noster edidit lucri causa, qui sub hujus Lemovicæ sedis episcopo Hildegario chorepiscopus nobis extitit. Qua autem ratione ille potest esse apostolus qui indigena Petracoricensis fuit? Profecto si ibi a puero psalterium didicit, sicut in ejus gestis legitur, & ibi clericus est factus: jam ibi sacerdotium & Christianitas erat, ubi scholæ scripturarum divinarum, ubi clericatus ordo erat. Legitur eum potius eremitam vixisse, quam episcopum. Dicere nescis quæ signa ille operatus est, ut Petracoricenses converteret. Potius ille eos Deo acquisivit, qui omnem Aquitaniam cum Stephano principe Galliarum ad fidem traxit. Neque Frontus, neque Saturninus, neque Dionysius leguntur mortuos suscitasse. Et utique sine suscitatione mortuorum, sine ostensione signorum primi gentiles non potuerunt credere, dicente domino: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* (Act. 2.) Item alibi dicitur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* (Marc. 16.) Apostolus nullus fuit, nisi qui a Ierusalem profectus est, dicente Isaia: *De Sion exibit lex, & verbum domini de Ierusalem.* (Isa. 2.) Itemque dominus ait: *Oportebat Christum pati, & prædicare in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientes ab Hierosolyma.* (Luc. 24.) Et alibi dicit: *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* (Act. 1.) Vbi autem est locus, ubi Frontus Georgium legitur suscitasse? Porro apud Elle monstratur semper locus ubi Martialis Austriclinianum suscitavit. Martinus Turonensis tantam post apostolos gratiam a Deo legitur habuisse, ut trium mortuorum suscitator fieret. Discipuli ejus orbem lustrasse dicuntur, si quem forte tunc juvenem invenire potuissent in suscitatione trium mortuorum Martino similem, nec invenire potuerunt. Dic nobis, frater, quos martyres, quos confessores, quas virgines legisti post apostolos ultra tres mortuos suscitasse? nimirum hac in re etiam Martialis ostenditur vere apostolus esse, eo quod, ut multam Deo gentilitatem acquireret, ut fructum plurimum afferret, sex mortuos tamquam vere apostolus suscitavit. Sex ipsos mortuos in testimonium veritatis possumus ostendere in quibus jacent monumentis. Austriclinianum quippe, & filium Nervæ, duosque idolorum pontifices, atque armigerum Stephani, & filium Arcadii novimus, ubi quiescentes expectent resurrectionem mortuorum. Præter hos suscitavit puellam, quæ quasi mortua facta erat dilaniata a dæmonio. Item penes Mauritaniam oppidum maritimũ, qui ante pedes ejus quasi mortui jacebant, ut cunctus populus mortuos eos crederet, novem simul viros suscitavit. Veritatem dico, non mentior: nisi Martialis ab eo qui discipulis suis potestatem mortuos suscitandi tradidit, tantam signorum gratiam haberet, non tantam cælo gentilitatem acquireret. Talibus signis barbari facile potuere fidem & Christi nomen suscipere. Nos autem ita, Deo opem ferente, in ecclesia catholica constantes sumus & solidi, ut quamvis omnia hæc apostoli officio Martialis egerit, nullo tamen pacto eum fateremur apostolum, hoc est legatum Dei, nisi hoc etiam ab antiquis patribus nostris esset præoccupatum. Nisi enim vere legatus Christi esset, hoc est a Christo missus ad prædicandum: nunquam antiqui olim eum faterentur esse apostolum, nunquam nomen ejus cum nominibus aliorum apostolorum nobis scriberent pronuntiandum. Hanc rem antiqui codices a Francia, ab Hispania, a gente Anglorum advecti demonstrant: hoc priorum tractatus doctorum, qui in ejus laude quædam probe ediderunt, indicat. Scimus quia Deus mendacio non oblectatur, sancti ejus adulatione non gaudent. Veritatem requirit Dominus: propter veritatem sancti pervenerunt ad regnum. Et ne verbo meo longiores faciam vos, o venerabiles patres qui in hoc interestis concilio, hoc tantum breviter perstringam, quia nunquam usque ad hunc hodiernum diem, qui est quinta sabbati, factus est liber in toto orbe terrarum, qui in ordine apostolorum per litanias habeat scripta nomina Fronti, Saturnini, Dionysii, Iuliani, Austremonii, Vrsini, neque aliorum, qui post Martialem in Galliam venerunt, patrum: Martialis vero nomen, ut jam dixi, & in vetustissimis Aquitaniæ & Franciæ, necnon & Hispaniæ, sive aliarum gentium libris, per innumeras litanias cum aliis apostolis inscriptum comperitur. (14. Kal. Decembr. feria 5.) Denique qui eum in duodecim apostolorum serie per canonem missæ & per alia loca scripserunt, sicut Paulum, & Barnabam, Lucam, & Marcum, & Cleopham: non utique id agerent, nisi eum vere apostolum scirent esse; de illo scilicet ordine, quo dicuntur esse apostoli Paulus atque Barnabas.

Ad hæc ex clericis Engolismensibus, qui tamen minus eruditus erat, quidam se opposuit, dicens: Si nomen Martialis inveniretur in Actibus apostolorum, sufficeret nobis.

Cui mox quidam eruditus ex ipsis Engolismensibus clericis, qui tunc ab Engolisma cum episcopo Rohone

Anno Christi 1031.

Rohone ad concilium venerat, obviavit, respondens: Adjurare episcopos in concilio isto audivimus, ne quis scienter hic taceat veritatem: ideoque de hac re non audeo quin tibi coram omnibus respondeam. Nomina septuaginta duorum nec in euangeliis nec in Actibus apostolorum inveniuntur, & Martialis procul dubio unus est de illis septuaginta duobus. Quando autem discipulus Pauli Lucas Actus apostolorum scripsit, jam ante triginta annos Martialis apud Aquitaniam erat. Tacuit Lucas de adventu Petri in Antiochiam, tacuit de adventu Petri ad urbem Romam. Si hæc duo tangeret plene, & Martialem non exprimeret nominatim: juste mirareris. Verum quia Petrus in Antiochiam, dehinc ad urbem Romam, cum Martiale venit; & primum Antiochiæ, dehinc Romæ episcopus sedit; & quatuordecim annis ante Paulum venerunt Romam Petrus & condiscipulus ejus Martialis, & Lucas de his nihil dixit: nihil est quod mireris, vel dubites. Si enim propter hoc dubitas, quasi Martialis de tempore prædicationis domini non fuerit, gesta ejus non credis: & idcirco merito brutum animal reputaris, si tot ac tantos & tales, patres doctissimos, & priscos, & modernos, qui ejus gesta summa reverentia & susceperunt & suscipiunt, nutasse hac in re arbitraris. Quod autem a quibusdam dudum audivi, necesse est mihi in hoc concilio proferre. Nonnulli enim, nescio utrum vero an falso, opinantur Martialem esse illum adolescentem, qui, secundum Marcum, in passione dominum post omnes discipulos est secutus. Et hoc propterea opinantur, eo quod tunc Martialis adolescens erat, & in cœna nocte ipsa domino ministraverat. Ætatis enim quindecim annorum erat, quando eum dominus vocavit, & baptizari a Petro jussit. Alii autem illum adolescentem suspicantur esse Ioannem euangelistam. Sic autem Marcus ait: *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. At ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis.* (*Marc. 14.*) De qua re in commentario super Marcum Beda dicit: Hic adolescens, sive Ioannes, sive alius quilibet nobis ignotus proprio nomine fuerit, certum est quia magnum amoris ardorem in dominum habuerit. (*Bedæ sensus, non verba.*) Item alii opinantur Martialem fuisse illum discipulum, qui secundum Ioannem, notus erat pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum: quod hac de re opinantur, quia de nobili fuisse legitur genere, ac per hoc cognitus pontifici. Alii autem hoc negant, & asserunt ipsum discipulum fuisse Ioannem. Augustinus vero in commentario super hac re sic ait: Nescimus quis iste discipulus fuerit notus pontifici. (*Item & Augustini.*) Non enim possumus affirmare illum fuisse Ioannem: quia Ioannes, ubicumque se commemorat, hoc adjicit, *Quem diligebat Iesus*: hic vero prætermittit. (*Ioan. 13.*) Alios quoque vidi, qui opinabantur Martialem ipsum esse Matthiam, & similitudine nominis a lingua Aquitanorum ita facile cœpisse vocari: sive propterea quod non facile invenitur ubi corpus jacet Matthiæ. Ego autem pro certo teneo, quod si non alius esset Matthias, & alius Martialis: uterque tam in nostris quam in Anglorum gentis libris minime in ordine apostolorum esset scriptus. Per litanias siquidem vetustorum voluminum Angligenæ gentis, quæ fidei rudimentum & ecclesiasticas institutiones a Gregorio papa percepit, Matthias, & Martialis, uterque cum aliis apostolis inscriptus habetur. Proinde non ignorabat Gregorius, non eumdem esse Matthiam qui & Martialem. Ego autem quemdam Græcum peritum interrogans, didici ab eo Matthiam Armeniæ minori prædicasse, & ibi in pace migrasse. Sed libenter me audiat sacer patrum conventus. Ante hos plures annos quidam ex fratribus de monte Sinai in hanc partem advenerunt occiduam Dei disponente nutu, moribus graves, doctrina catholicæ fidei profluentes, vita per omnia honesti, utriusque linguæ periti: qui cum diu nobiscum Engolismæ fuissent expectantes principem civitatis, & literis Græcis & Latinis eos videremus ad unguem imbutos, super hac re interrogare curavimus eos. Eo tempore hæc regula de apostoli memoria in hac urbe frequentabatur, recuperata potius quam primo inchoata, viventibus rege Roberto & Gauzleno Bituricensi archiepiscopo. Ego autem Engolismæ positus, ubi etiam ab ineunte ætate educatus sum, dum inter alios quasi sciolus viderer, ante omnes & super omnes huic sanæ regulæ repugnabam, putans esse vanum & falsum, sive ex elatione descendisse, quia Martialem audiebam in hac urbe Lemovicensi prædicari esse apostolum: & incautus rusticorum opinioni meam accommodabam intelligentiam, putans neminem esse apostolum præter duodecim. Itaque illos conveni Græcos, sciscitans, utrum orientales Martialem nossent. Qui, alter Simeon, alter nomine Cosmas, consono ore responderunt, dicentes: Utique Martialem novimus apostolum, unum de septuaginta duobus. Quibus cum diceremus: Nescimus præter duodecim apostolos: interrogaverunt nos: Habetisne, inquiunt, per istas occidentales ecclesias euangelistam Lucam, qui scribit alios septuagintaduos esse electos a domino post duodecim apostolos? Et cum diceremus utique haberi, sed illos septuaginta duos a nobis non credi fuisse apostolos, sed tantum discipulos: illi protinus nos fugientes, & signo crucis se munientes, cœperunt detestari vocem nostram, dicentes: Discedite procul a nobis, miseri, quia hæretici estis, cum non creditis verbis domini, dicentis ad illos: *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* (*Luc. 1.*) Non creditis esse apostolos illos, quos ipse incarnatus dominus ad prædicandum misit? Duodecim misit binos, & postea nihilo minus binos misit alios septuaginta duos. Græci semper Latinis sapientiores fuerunt, & scripturæ Latinorum ex Græcorum fonte derivatæ sunt. Martialem proinde, quem nos dicimus, ὁ ἅγιος Μαρκιάλιος, vere scimus esse unum de illis septuagintaduobus, qui cum Petro occidentem petiit ad prædicandum: cujus gesta, & omnium septuaginta duorum, in monte Sinai in eloquio nostro habemus. Hoc ego testimonio a Græcis accepto cœpi mecum multa volvere: & curiose antiquorum voluminum arcana rimatus, frequentius Martialem comperiebam ab antiquis pronuntiatum esse apostolum. Animadverti quoque Paulum & Barnabam, Silam & Timotheum, esse apostolos, non de duodecim, non de septuaginta duobus. Perspexi quia Timotheus discipulus Pauli a Hieronymo dicitur apostolus. Marcus etiam & Lucas, Silas atque Onesimus, & alii quidam per veteres scripturas dicuntur apostoli, & memoria illis apostolica exhibetur. Sic, Deo revelante, patenter intelligere cœpi, vere illum esse apostolum, qui genere Hebræus, domini discipulus, domini in cœna minister, domini in insufflatione Spiritu sancto repletus, a domino potestate ligandi atque solvendi sublimatus, a domino ad prædicandum missus, fructificator maximus in officio apostolatus existere meruit: & hanc regulam rationabilem, & autoritatis antiquorum

ANNO CHRISTI 1031.

quorum plenam, & Dei voluntate inspiratam, deinceps judicavi, & ex eo defendere totis viribus cœpi, quod totis viribus ante ignorans persequebar. Nam & episcopus noster Engolismensis Hugo, vir undequaque doctissimus, qui ante hos quadraginta annos migravit, cujus successor ante hos quatuordecim annos est defunctus, in quadam sua editione de Martiale hæc locutus est: Illis, inquit, temporibus civitas Lemovica ante omnes & super omnes Galliarum urbes eminebat, arcem regni Aquitanici tenens: & pervenit ad eam beatus Martialis, qui a domino per legationem B. Petri gentibus Aquitanicis est destinatus apostolus. Qui dum ad Burdigalam urbem ad prædicandum Vasconibus proficisceretur, transitu per civitatem Engolismam habuit. Et diu illic demoratus, Engolismensem populu ad Deum vivum convertit, ejusque primum episcopum nomine Ausonium, ex ipsa patria oriundum, quem ipse baptizaverat, ordinavit.

Et cum quidam ex concilio dicerent: Cur Dionysius, qui longe post Martialem in Galliam venit, in libro Actuum apostolorum nominatur, cum Martialis nominatim non ibi exprimitur? ille respondit: Quia Dionysius gentilis discipulus Pauli fuit, & Lucas comes Pauli erat, qui in illo libro plus gesta Pauli, quæ vidit, enarrat. Sed de nominibus eorum qui tunc in prædicatione floruerunt, quid nobis vel controversiæ vel utilitatis attingat, non video: cum plures nominentur ibi, vel in epistolis Pauli, quorum memoriam in festivitatibus minime novimus. De Iasone illo antiquo discipulo, de Philippo euangelista, de Apollo, de Epaphra, sive de aliis ibi nominatim expressis, nos quidem eorum mentionem per singula, quamvis speciatim, sive nesciamus, sive omittamus, illi tamen populi, quibus patroni dati sunt, certum est memoriam eorum non segniter venerari. Nam etsi Martialis memoria apud quasdam gentes annua speciatim non agatur: nobis tamen occidentalibus, qui ejus adventu illuminati sumus cælesti claritate, qui eum in cælo & terra patronum occiduis gentibus esse scimus, non ignobili recordatione semper pro opportunitatibus habenda est gaudiorum. Porro autem de Dionysio Areopagita, qui in Actibus apostolorum memoratur, putare solebam ipsum esse qui in Galliam cum Rustico & Eleutherio post decessum apostolorum Petri & Pauli & Martialis venit: donec nuper contigit mihi fortuito legere commentarium Bedæ super libro Actuum apostolorum, ubi ita scriptum est: Dionysius iste Areopagita ipse est, qui postea Corinthiorum episcopus factus, gloriosissime ecclesiam rexit, & eloquio clarus multos libros ad utilitatem ecclesiæ scripsit. Hujus Dionysii Hieronymus in chronico suo mentionem faciens, dixit: Dionysius Corinthiorum episcopus, eloquio clarus sub Antonino floruit imperatore, quo tempore Polycarpus discipulus Ioannis euangelistæ passus est: sub Trajano vero, qui quintus post Vespasianum imperavit, Ioannes apostolus in pace quievit; & Clemens papa in mare mersus, martyrio coronatus est. Hujus Dionysii Gregorius in quadam homilia meminit, dicens: Fertur Dionysius ille antiquus venerabilis pater Areopagita dicere, quod ex minoribus angelorum agminibus foris ad explenda ministeria vel visibiliter vel invisibiliter mittuntur. Hic autem de Francia Dionysius, unde fuerit oriundus, in passione sancti Marcelli fideliter memorari mihi videtur: sic enim ibi habetur. Puer quidam Marcellus sub doctrina beati Sixti erudiebatur: cumque suppliciis Sixtum episcopum videret puer macerari, cœpit timere. Tunc sanctus Laurentius corroborans ætatis ejus infantiam, ait ad eum: Marcelle, genitor tuus Ægeas noluit Christum credere, nam mater tua Marcellina, & fratres tui Saturninus & Dionysius, jubente sancto Clemente papa urbis Romæ, partibus Galliarum, ut ad fidem Christianam gentes instruerent, directi sunt. Vade ad eos, ut non pereas in manu Decii. Et infra dicitur: Profectus Marcellus cum Anastasio commilitone Christiano, ut iret ubi erat frater suus Saturninus episcopus, pervenit usque ad Argentomagum: ubi a præside comprehensus, inquisitus est unde esset, aut de qua provincia vel civitate huc venisset, puer respondit: Christianus sum, ab urbe Roma exivi, & propero ad civitatem Tolosam, ubi fratres mei Saturninus & Dionysius commorantur. Cui Heraclius præses ait: Dic mihi vocabulum patris vel matris tuæ. Puer respondit: Pater meus Ægeas, & mater mea Marcellina nuncupati sunt. Sed si velint episcopi, ipsa passio in concilium eorum potest sine mora deferri. Hæc mihi non discrepare videntur a scriptura quæ penes nos Engolismæ de Dionysii gestis habetur. Ibi enim legitur, quod Clemens quemdam Philippum ordinaverit episcopum, & Hispaniæ destinaverit ad prædicandum: Dionysio vero verbi divini semina gentibus tradidit erogandaj; quem in Galliam misit, sociosque ei Saturninum, Marcellinum, & Lucianum, atque Rusticum, & Eleutherium adhibuit. Qui cum simul pervenissent ad portum Arelatensium civitatis, Marcellinus in Hispaniam abiit, Saturninus autem Tolosam profectus est, & Dionysius cum Rustico & Eleutherio Parisios adierunt. Lucianus vero presbyter ad Belvacensem profectus est urbem. Iulianus quoque Genomanensis, ut in gestis ejus reperimus, genere Romanus fuit. Saturninus autem, ut passio ejus docet, tempore Diocletiani & Maximiani, Decio Germanico & Grato consulibus, passus est. Verum nonnullos audio interdum movere, quomodo non discrepet illud quod apud Tolosam gesta ejus de tempore narrant: videlicet si in tempore Diocletiani & Maximiani, consulatu vero Decii Germanici & Grati, primo Tolosam advenit, vel, quod verius esse mihi videtur, tempore Decii secundum passionem supradicti Marcelli, & sub ipsorum principum tempore passus est, quomodo a Petro apostolo episcopus ordinatus, & Tolosam missus est? namque a passione B. Petri, quæ secundum puram veritatem Hieronymi trigesimoseptimo a resurrectione domini, hoc est decimotertio Neronis anno, extitit, usque in primum annum Decii, fuerunt anni numero 182. & a primo Decii anno usque in primum Diocletiani annum, fuerunt anni duodetriginta. Fuerunt a resurrectione domini usque in ultimum annum Diocletiani anni numero 265.

Ad hanc vocem cum in concilio a quibusdam de chronicæ concordia, propter adventum Martialis in Aquitaniam, subtilis inquisitio a clericis fieret, ille Engolismensis clericus adjunxit, dicens: Hieronymi chronica quæ mentiri non potest, si placet, in concilium deferatur, & super hac quæstione diligenter perspiciatur. Itaque perscrutato libro locutus est: Licet, inquiens, Beda in commentario super Actus apostolorum dicat, Petrum quarto Claudii anno Romam venisse, & trigesimonono anno post resurrectionem domini passum esse: tamen secundum Hieronymi chronicam subtiliter supputatam ita invenitur, quod decimo octavo anno Tiberii dominus passus est: post Tiberium

Beda in Act. 17.

Hieronym. falso citatus

Gregor. homil. 14. in Euang.

ANNO CHRISTI 1031.

Tiberium vero regnavit Caius, & post eum Claudius, cujus imperii secundo anno venerunt Romam princeps apostolorum Petrus, & condiscipulus ejus Martialis; ipsius autem Claudii quarto anno Marcus in Ægypto, Martialis in Gallia, dominum prædicare cœperunt. Post Claudium, qui imperavit annis 13. mensibus 7. diebus 28. suscepit jura principalia Nero, nihilo minus annis 13. mensibus 7. diebus 28. nam 13. plenis annis regnavit, & quarto decimo plusquam medio mortuus est. Hujus imperii primo, rex Galliarum Stephanus Romam cum legionibus Gallorum ad eum perrexit, quemadmodum literis per veredarios ei fuerat jussum. Ipsius quoque Neronis anno secundo, Paulus apostolus primitus venit Romam, hoc est quarto decimo anno post adventum B. Petri: necdum enim fuerat Paulus Romæ, quando Stephanus ad Neronem profectus est. Missus est autem vinctus Romam Paulus a Festo præside Iudææ, quia Cæsarem appellaverat. Item anno primo Tiberii, Herodes tetrarcha apud Iudæos cœpit regnare: qui regnavit per annos 24. id est usque ad primum annum Caii Caligulæ, qui fuit successor Tiberii: sub quo Herode dominus passus est, fuitque frater Archelai, id est filius illius Herodis sub quo Christus natus est. Post Herodem vero tetrarcham regnavit Agrippa annis septem. Ipse est Herodes qui Iacobum occidit, & Petrum comprehendit, & ab angelo percussus est. Cujus Herodis anno quinto, hoc est Claudii Cæsaris secundo, Petrus & Martialis, ut jam diximus, primo venerunt Romam. Post Agrippam Herodem, regnavit filius ejus alter Agrippa annis 26. hoc est usque in secundum annum Vespasiani, quando Iudæorum regnum defecit. Post Neronem quippe imperavit Vespasianus, cujus tertio anno imperii Martialis apud Lemovicam quievit. Supervixit Petro quatuor annis. Anno enim 37. a resurrectione domini, ut jam diximus, hoc est decimo tertio anno Neronis imperii, Petrus passus est: & anno quadragesimo post resurrectionem domini, hoc est tertio anno Vespasiani, Martialis assumptus est. Hæc omnia ita diligenter supputantur, ut si secundum quosdam trigesimo nono anno post resurrectionem domini Petrus passus est, ergo Martialis Petro supervixit uno integro anno, & crastina die, hoc est prima alterius incipientis anni die, cælos cum Christo ascendit. Atque ipso anno quo basilicam, in qua ipse membris quiescit, in honore Petri apostoli dedicavit, post duos menses dierum temporalem mortem suscepit. Si autem juxta Hieronymum Petrus trigesimo septimo a resurrectione domini, hoc est decimo tertio Neronis passus est anno: igitur Martialis Petro quatuor annis supervixit.

Hæc & his similia de convenientia annorum cum satisfactum esset, & ille Engolismensis clericus iterum diceret, quia nihil mirum si Martialem Lucas nomine proprio non exprimit, cum illorum septuaginta duorum nomina non ostendat, atque Petri adventum in Antiochiam & Romam nullo modo scribat, iterum Odolricus pater allocutus est concilium, dicens: Ne quis forte nos dicat nunc novum fateri apostolum, & hactenus non auditum: de apostolatus ejus antiquitate, eo quod jam olim præoccupatus ab antiquis & testificatus fuerit, iterum perhibebo testimonium verum, o venerabiles episcopi. Ecce duo sacerdotes ex fratribus nostris coram adsunt, quos

A olim hac ipsa de causa in Britanniam misi, ut Anglorum a Gregorio, ut reor, præfixam legem annosam diligentius perscrutarentur, & omni submoto mendacio ad nos referrent. Qui cum ad Anglos pervenissent, tam in martyrologiis eorum quam in litaniis Martialem ab antiquitate reperiebant apostolum scriptum. Ad quoddam autem magnum devenientes monasterium, in quo primus Anglorum episcopus requiescit corpore Augustinus (compererunt enim ibi non haberi librum de actibus beati Martialis) per litanias tamen atque martyrologia in eodem loco invenerunt eumdem patronum nomine apostolico decoratum. At cum a patre monasterii perquirerent, B dicentes: Ut quid Martialem in vestris litaniis prædicatis apostolum, cum ejus gesta dicatis non haberi penes vos? ille respondit: Quia ab illo, inquit, tempore, quo primo in hac provincia Christi nomen auditum est, a patribus hoc nostris observatum est, quorum nullatenus immutare possumus traditionem. Scimus quippe doctores nostros priores de Gregorii profluxisse magisterio: attamen sæpius inter nos conferre indagando solemus, quis iste est apostolus, cujus vocabulum in evangeliis & in actibus apostolicis minime intuemur. Et quoniam gestorum ejus autoritatem non habentes, de eo non parum hæsitabamus: ideo nomen ejus crebro a memoria apostolica eradere putabamus. Sed C econtra cum animadverteremus quia antiqui patres nostri non incassum hunc nobis scripserunt apostolum: idcirco nullo ausu ejus vocabulum a serie apostolorum abolere audebamus. Vos autem peregrini Galli, qui de ejus estis apostolatu, qui nobis ejus actus enuntiatis, a nostris cordibus de eo omnem omnimodis dubitationem abjecistis: & hac de re dudum creberrime Deo supplicabamus certos nos reddi. Nec in adventu vestro derelicti spe nostra videmur: immo exultandum nobis est de tam egregiæ virtutis domini nostri Iesu Christi discipulo. Multa alia testimonia penes eamdem gentem Anglorum de hujus autoritatis vetustate testes vera- D ces narraverunt nobis sese comperisse. Illud quoque mihi memorandum est, quod ante hos septem annos [1] rex Anglorum [2] duci Aquitaniæ regalia munera misit, simulque codicem literis aureis scriptum, in quo nomina sanctorum distincta cum imaginibus continebantur. Quod volumen jam olim in concilio Pictavensi, dum hac eadem de re quæstio esset, idem dux VVilhelmus literis edoctus in testimonium antiquitatis pontificibus ostendit. Erat enim ibi Martialis in aliorum apostolorum catalogo positus. Qui peritissimus princeps dicebat archiepiscopo Burdigalensi, & aliis qui ibidem aderant episcopis: Conji- E cere, inquiens, possumus quam egregiæ autoritatis sit beatus Aquitanorum patronus, de quo Gregorius in illa sui laboris gente hanc legem tradidit observandam. Nimirum imperitorum est dubitare de quo sanctus papa Gregorius non dubitavit. Videtis ecce, o episcopi, in hoc codice, qui apud Anglos scriptus est, prætermissum esse Timotheum, & Cleopham, & Silam, & alios, quorum nomina in euangeliis, & in actibus apostolicis, sive in epistolis Pauli leguntur, quos apostolos dicitis præter duodecim esse: non tamen prætermissum esse illum nostrum patronum, qui primus Galliarum fuit episcopus, cujus nomen in euangeliis

[1] Cnuto hic erat cognomento Magnus.
[2] VVilhelmo

ANNO CHRISTI 1031.

ANNO CHRISTI 1031.

euangeliis reticetur: ut scilicet vere illum Dei fuisse sciamus discipulum in carne, & cum duodecim prioribus electis discipulis maximam a Deo accepisse apostolatus gratiam, hanc gentem occiduam possidendi signum apostolatus in æternum. Hoc autem in Martiale fieri videmus, quod etiam in Barnaba, Luca, & Marco, & antiqui faciebant, & moderni hactenus faciunt. Nam eorum alii memoriam de confessoribus, non de apostolis, agunt, ea tantum causa quia non sunt de duodecim: alii autem rectius arbitrantes, non de confessoribus, sed de apostolis eorum agunt recordationem, eosque apostolos prædicant; ideo quia de Israel genere secundum carnem procreati, ad prædicandum ab aliis apostolis missi sunt. Ita & qui Martialis mentionem de confessore agunt, idcirco agere videntur, quia non fuerit unus de duodecim. Qui vero ejus de apostolo recordantur, rectius autumant, quia quamquam unus non sit de duodecim, ex genere tamen Abrahæ, hoc est de tribu Benjamin, ortus, dominum in carne videns, ejus fuit discipulus. Omne etiam donum gratiarum cum duodecim a domino accipere promeruit. De cætero a domino per beatum Petrum ad prædicandum Galliis missus est, ubi clara habet apostolatus signa: prædicationis quippe fructificatio maxima illi inter alios apostolos extitisse probatur: siquidem præter Paulum & illos duodecim nescimus tanta copia fructificasse alium apostolorum, quanta Martialis prædicando fructificavit.

Hæc & his similia cum super his dux perorasset, ejusque verbo nullus contraire quivisset: quidam clericorum de eruditis ait ad eos qui sedebant in concilio: Non ignoramus quia Matthias de septuaginta duobus dudum fuerit, & post per constituentem Petrum unus de duodecim extiterit. Verum alter, quem sors in duodenario non accepit, nihilo minus tamen de eorum ordine qui exceptis duodecim erant, apostolus permansit. Ipse est enim postea dictus Iudas apostolus, qui tunc Ioseph justus sive Barsabas dicebatur. Ipse denique est, qui cum Sila apostolo ab aliis apostolis missus est: unde Hieronymus divinæ legis interpres scribit, dicens: Silas quoque & Iudas ab apostolis apostoli appellati sunt. Si ab apostolis illi appellati apostoli sunt, ergo vere apostoli erant: priores enim apostoli eos quos apostolos vocabant, non incassum apostolos existimabant: nec appellassent, nisi essent. Præterea Paulus apostolus, in quo Christus loquebatur, exceptis undecim, non appellaret apostolos, nisi vere apostoli exceptis undecim essent. Non in vanum quippe, neque mendaciter aliquod verbum
1. Cor. 15. locutus est Paulus: *Apparuit*, inquit, *undecim, deinde apostolis omnibus.* Hæc propter quosdam protuli, qui in concilio verbum ventilant, dicentes: Quid enim, si Martialis apostolus tunc erat, ut quid minime in locum Iudæ ponebatur, quando Matthias eligebatur? Sciant itaque non solum Matthiam, sed cum eo & Barsabam ab apostolis electos & statutos, & occulta sorte Matthiam, ut in locum Iudæ esset, assumptum; quatinus non jam undecim, sed duodecim primi testes resurrectionis domini essent: Barsabam vero apostolico nomine minime caruisse, quia alii præter duodecim jampridem ad apostolatus officium destinati
Luc. 10. fuerant, dicente domino: *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Sane quis dixerit Martialem non fuisse resurrectionis domini testem? Numquid non Barsabas, quia unus erat de septuaginta duobus, sicut & Matthias, sicut apostolus tunc erat, ita deinceps apostolus fuit? Nonne ipse est, ut jam dixi, qui nunc dicitur Iudas apostolus cum Sila apostolo? Etenim quemadmodum Matthias prius erat apostolus de septuaginta duobus, dehinc autem unus de duodecim fuit: ita & Barsabas ut, apostolus erat, apostolus permansit, licet non de duodecim. Eodem modo & Martialis, si unus de septuaginta duobus fuit, ergo tunc & apostolus erat, & demum apostolus permansit, translato Matthia in duodecimum. Vt autem quidam ait, apostolus non numeri sed officii nomen est. Re autem vera illi statuti sunt duo ad supplendum duodenarium ordinem, qui a baptismate Ioannis usque in diem ascensionis opera domini viderant, perfectæ ætatis existentes. Si enim ipse dominus non ante trigesimum ætatis est exorsus prædicare annum: quanto magis discipulos duodecim oportebat non ante ætatem perfectam testes domini publicos Iudæis esse? Porro si Martialis, quando dominus ascendit in cælum, necdum vicesimum ætatis annum attigerat, quid in eo præjudicare possumus, quod minime in locum Iudæ substitutus fuerit? præsertim cum anteriores duodecim testes, vel grandævi, vel perfectæ essent ætatis, hic autem nondum impletam corporis ætatem haberet. Si autem David, cum adhuc esset adolescens, a domino electus in regnum, & eo jubente consecratione regia unctus est, tamen non ante regnare cœpit, quam triginta ætatis compleret annos: quid mirum si Martialis ætate adhuc adolescens unctionem sancti Spiritus in potestate ligandi atque solvendi, & cætera gratiarum charismata ad officium apostolicum pertinentia, cum aliis a domino accepit apostolis? ubi jam enim pervenit ut integræ esset ætatis, hoc est annorum triginta, per beati Petri legationem Aquitanicæ gentilitatis apostolatum efficacissimo opere a domino suscepit. Quod autem dominus jussit Petro ut dirigeret Martialem ad prædicandum provinciis Galliarum, idem est simillimum illi quo doctoribus Antiochiæ degentibus ait Spiritus sanctus: *Segregate mihi Paulum* Act. 2.
& Barnabam in opus quo assumpsi eos. At illi orantes & jejunantes, imposuerunt eis manus, & dimiserunt eos. Et sicut illi missi fuerunt a Spiritu sancto, quamvis per ministerium discipulorum: sic Martialis missus est a domino in Galliam, licet per legationem & consultum beati Petri. Qui vocante & eligente se domino, ætatis quindecim annos impleverat tantummodo, tribusque cum eo permansit, id est usque ad passionem & ascensionem, post adventum denique sancti Spiritus super apostolos in Sion, annos quinque apud Iudæam fecit, & post cum Petro Antiochiæ septem permansit: at vero dehinc sequenti anno, imperante domino, Aquitaniam introivit, in qua per viginti octo annos prædicationi institisse cognoscitur: siquidem tertio Vespasiani anno migravit. His igitur verbis æmulorum pertinacia cum pullulans esset facile extincta, omnesque peritorum acclamassent satis fuisse conveniens ætatis perfectionem, in illis qui duodecim apostoli priores electi sunt, extitisse: interim in illo concilio Pictavensi super hoc capitulo cessatum est.

Subjunxit etiam idem venerandus senior qui hæc perorabat, dicens: Quid multa necesse, dilectissimi? nil profecto hic obesse conspicitis, quam illam minus congruam multorum consuetudinem, non ratione perspicacem, sed incuria, ut assolet,

ANNO CHRISTI 1031.

assolet, torpente, penes plures inveteratam. Quo A autem modo hæc quæ in multis invaluit traditio, ex quo, videamus fonte, descendit. Nostrorum equidem patrum non incerta didicimus relatione, quia longe olim, immo ab ipsius discipuli domini tempore, quo, imperante Vespasiano in pace occubuit, usque in tempora nepotum Caroli Augusti, quando in monasticum canonicalis ordo, facientibus Pipino & Carolo fratribus, filiis Hludovvici, in quo ego rector sum loco, permutatus est, eumdem Christi discipulum passim per Aquitaniam priores nostri cum aliis recitabant apostolis, ejusque de apostolo mentionem recolebant: donec juniores, quasi melius zelando, imo deterius sapiendo, cœperunt novitatem in- B ferre, dicentes: Licet nobis patronum Aquitaniæ de loco apostolorum, in quo nunc ultimus est, transmutare, ut sit nobis honorabilior, si primum in confessorum serie eum dicamus: sit nobis principium confessorum, non extremitas apostolorum: eligimus ut sit primus ante omnes confessores, quam ultimus in apostolis. Hoc itaque arbitrio humano nulla ratione fulto, paulatim usque ad hæc tempora nostra talis increvit mos, non tamen in omnibus locis: Nonnullæ quippe ecclesiæ hodieque hac in re antiquiorem retinere videntur observantiam: quam licet alii permutassent in terris, nullatenus tamen potuere ejus imminuere neque obscurare gloriam in cæ- C lis, ubi ingens apostolicum decus, in glorioso rutilans apostolorum choro, ante conspectum majestatis gloriæ Dei perenniter possidet. Si ergo priora & antiquiora patrum, secundum veritatem & rationabilem autoritatem, Deo inspirante, recuperamus instituta, olim humanis adinventionibus ablata atque depravata, idque agimus renovando magis quam novitatem præsumptivam tradendo: ut quid culpamur velut transgressores paternorum terminorum, de quibus scriptum est: *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui*? (Prov. 22.) cur, inquam, durum id aliquibus videbitur, si rectam veritatis lineam sequimur, si perspicaciores patres antiquos hac in re imitemur, si minus acutos non sectari dignum ducamus? D Nonne hic pater Azenerius, atque Benedictus rector monasterii Clusæ sancti Michaelis, pluresque alii doctissimi & reverentissimi abbates & episcopi, tam præsentes quam absentes, una cum Romana apostolica sede, huic sententiæ testificantur nobiscum, bonumque id ac justum Deoque beneplacitum ducunt? Cur autem multorum opinioni incaute aurem præbendo obscurare, immo, quod absit, infalsare tanti gesta patroni videbimur? qua enim ratione possumus eum negare fuisse discipulum domini, eumque in carne secutum? Sed quisnam temere inficiari audeat, eum a domino ad prædicandum missum, necnon & ligandi solvendique cum aliis apostolis potestate promotum; partemque gentili- E tatis enormem in occiduo climate specialem in sorte apostolatus, Christo jubente ac donante, beatoque Petro consultum præbente, suscepisse? Omnia hæc de illo abnuunt, qui eum aut non credunt esse apostolum, aut, si credunt, non libenter suscipiunt. Illi, inquam, hæc denegare videntur, qui eum non quemadmodum Ioannem euangelistam, sed velut Silvestrum papam, aut unum de his qui dominum in carne non secuti sunt, vel non viderunt, simpliciter confessorem autumant.

Tunc quidam moribus & ætate grandævus, ex episcopis qui sedebant in concilio, Albiensis videlicet ecclesiæ pastor Æmilius, facto silentio, dixit: Hunc Aquitanicæ patriæ coruscum illuminatorem, qui ad hanc plagam patres nostros venit primus salvare, quem Christus dominus & beatus Petrus, alter imperans ut magister & dominus discipulum & servum, alter exhortans ut condiscipulus & compropinquus condiscipulum & compropinquum, ad salutem & lumen gentium Galliarum, in tenebris & umbra mortis sedentium, direxerunt, justissimum & dignissimum esse omnimodis censemus, ut quo magis possumus excellentiori habeamus honore, secundum tamen rectam veritatis normam. Hæc, inquam, in eo teneamus quæ non sint ultra veritatem: & quod verum & clarissimum illic est nec prætermittentes nec excedentes, quo eum mage valemus honoremus. Si enim vere a domino ad prædicandum missus est, si discipulus ejus in carne fuit, si unus de illis est, quibus dictum est: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*: (Luc. 10.) qui eum negat apostolum, profecto constat quia veritatem prætermittit, immo impugnat. Si autem ita diceretur apostolus, ut de origine Israel discipulus domini non esset, nec a domino potestatem ligandi ac solvendi accepisset: ultra veritatem fieret transcensio. Vt si quis eum unum de duodecim, dicat fuisse, ultra veritatem pertransit: qui vero ita eum dicit apostolum, tamquam a domino missum, non de duodecim, sed de septuaginta duobus unum, sive tamquam Paulum & Barnabam, qui post domini ascensionem electi apostoli extiterunt: hic veritatem neque contemnit, neque transcendit, verum nec ad lævam nec ad sinistram devians per viam rectam justitiæ graditur. Igitur si pars aliqua probabilis antiquissimorum patrum comperitur eum dixisse apostolum, & nomen ejus cum aliis pronuntiasse apostolis: bonum mihi videtur nos eorum indubitanter tramitem tenere, ut posteri nostri callem directum deinceps assuescere ipsum non cunctentur.

Hæc & his similia eo dicente, alius ex episcopis, videlicet Isembertus Pictavensis ecclesiæ rector, cœpit explanare, dicens: Qui de hoc verbo controversiam parit, nodum in scirpo quærit. Nos non sumus Ebionitæ, qui non recipiunt præter duodecim apostolos, & Paulum quasi transgressorem legis repudiant. Sufficit ad confodiendos adversarios hoc telum acutissimum, hoc est sola beati Hieronymi sententia. Item mucrone validissimo Pauli apostoli, nulla arte aut vi unquam retundendo, omnis pars contentiosa perimenda est. Ait Paulus quia *apparuit dominus undecim, deinde apostolis omnibus*: (1. Cor. 15.) ut sciamus apostolos fuisse, omnes quos dominus in carne adhuc degens misit ad prædicandum. Ait Hieronymus, ut in præsenti recitatum est lectione: Omnes qui dominum in carne viderunt, eumque postea prædicaverunt, fuerunt apostoli: & cætera. Liquido constat quia Martialis dominum in carne vidit, & eum postea prædicavit. Bonum est eum dici apostolum, quamvis non malum sit dici confessorem. Nam & apostolus Petrus si dicatur confessor, malum non est: cum confessio veritatis semper sit communis per os omnium sanctorum, tam in veteri, quam novo instrumento. Cum hunc autem patronum bonum sit confessorem dici, melius tamen est eum prædicari & apostolum: ne latere videatur sub modio claritas ejus; qua domini discipulus, & fortis apostolicæ unus esse prædicatur. Qui autem contentiose eum dicit

ANNO CHRISTI 1031.

eum dicit confessorem, ideo non bonum esse mihi videtur: quia quasi negare videtur ejus proprium, & inimicitias in ecclesia parit. Ne igitur scissura in ecclesia Dei hac fieri possit occasione: summopere est providendum, ut omnes consono corde & ore unum id quod melius est pronuntient. Sola quæ obesse videtur auribus consuetudo, in melius accipiatur: & schisma ac murmuratio atque dubietas prorsus a nostro communi cœtu aboleatur. Quod si quis contraire præsumpserit huic pacificæ concordiæ, de contentiosis & schismaticis unus judicetur.

Ad hæc venerandus ait Iordanus: Multa, carissimi, ante hos annos hac de re facta est inquisitio, quousque hæc altercatio ad aures apostolicæ sanctæ Romanæ sedis perveniret. Super quo dominus Ioannes papa exemplar epistolæ nobis est dignatus destinare, magnopere testificans apostolatus ejus gloriam, & redarguens omnes qui eum contradicunt esse apostolum. Quæ epistola sacra conservata in promptu habetur, in qua facile claret testimonium verum Romanæ sedis.

Cui Bituricensis archiepiscopus Aimo respondens, dixit: Textum epistolæ papæ Ioannis omnibus Galliarum episcopis directæ, ante hos quindecim dies in concilio Bituricensi, ubi plures episcopi congregati eramus, coram nobis recitare fecimus: ubi multa doctorum turba interfuit, qui hanc disceptationem sub magna discretione examinantes, invenerunt sanum esse quod Ioannes papa in Romana sede, & vos in hac quæ prima omnium ecclesiarum Galliæ est, sancto Spiritu afflante, de hac justissima re instituistis. Nemo denegat eum fuisse unum de septuaginta duobus. Illis autem dominus dixit: *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Constat ergo quos dominus dixit apostolos, quia vere apostoli sunt. Et hunc protoducem Galliæ semper plures antiquorum, non cum confessoribus, sed cum apostolis pronuntiasse visi sunt. Itaque plurimo doctorum choro persuadente, coram omni populo, in majori ecclesia Bituricensi, testimonium perhibuimus beato Martiali quia apostolus veritatis est. Curavimus enim ne Romanæ apostolicæ sedis decreto & imperio repugnaremus. In testimonium vero veritatis, in eodem concilio tomum scribere rogavimus, quem manibus corroboravimus nostris: quatenus omnibus sit notum, nos de hac re a Romana sede minime velle desciscere: quia non oportet. Porro verbum idem dum in ecclesiæ totius conspectu concionaretur, illico omnis populus quasi vir unus una voce dominum benedixit pro sui gloria patroni. Sicut igitur Romana testificatur ecclesia, cui contradicere nefas est, & quemadmodum in prædicto Bituricensi testificati sumus concilio: ita in præsenti concione generali hanc sententiam justam & necessariam sanctæ ecclesiæ testificamur esse.

Concil Bituricense ante 15. dies.

Luc. 10.

Tunc Deo amabilis Iordanus respondit: Hoc equidem verbum, qualiter ante hos annos, hoc est in primo anno dedicationis hujus Lemovicensis basilicæ redemptoris nostri, quam hodie exultanter hæc civitas nobiscum recolit, viventibus tunc doctissimo rege Francorum Roberto, & Gauzleno metropolitano prædecessore vestro, hæc sedes Lemovica non sine enormi autoritate divina receperit, paucis memorare libet. Post multas enim hujus capituli altercationes, aliis assentientibus, aliis vero repugnantibus, cum super hac re factæ multæ essent litaniæ, ut hoc verbum, nisi Dei esset bona voluntas, in concordia hujus

Acta concilii Lemovic. I. an. 1029.

A sedis minime resideret: advenit synodalis ad hanc ecclesiam conventus, ubi tertia die synodi, omnis sacerdotum generalitas, ac cæterorum clericorum numerositas, una nobiscum nobilium virorum & legis doctorum adjuncta multitudine, credo Deo gubernante, unum cor & unam voluntatem hora diei tertia suscepit: taliterque omnibus inspiratum est, ut pacifice, & libenter, atque voluntarie, bona obedientia, hæc susciperetur ab omnibus sententia, deincepsque immutabiliter per nostram diœcesin observaretur. Et bene placuit omnibus, qualiter hanc Deo beneplacitam voluntatem acciperemus: ut quemadmodum multitudini novitas videbatur, ita contra hanc altera quidem res nova, sed magnifica, B & gloriosa adversus omnes æmulos confirmaretur. Aggregato itaque maximo populorum conventu, sacratissimum corpus patroni a suo levavimus tumulo: & piissimo obsequio transtulimus super hoc sanctum altare, quod in honorem protomartyris Stephani ipse consecravit. Facta sunt hæc dominica resurrectionis die, in ipsa solemnitate inventionis corporis beati Stephani, atque hujus sancti templi consecrationis, quod idem patronus primum in omni Gallia Deo dedicavit, dirutis, quæ in hoc loco pridem gentilitas coluerat, simulacris. Quæ res ita nobis convenire visa est, ut sicut ille vivens hanc suam sedem totius Aquitanicæ gentis fontem baptismi & illuminationis euangelicæ fecerat, ita corpore suo eamdem visitando perlustrans, isthic nobis hujus daret initium C observationis, hocque institutum membra in reliquum conservandum non cunctarentur, quod exordium in capite suo sumebat. Super hoc itaque altare eodem die mysteria in gloria apostolatus ejus solemniter celebravimus. Quod semper in reliquum celebrare tam hic, quam per omnes nostræ diœcesis ecclesias, & monasteria, mandavimus: ut videlicet ulterius non in confessoris, sed in apostoli recordatione memoria patroni ab omnibus concorditer fieret. Hanc etiam diem statuimus habendam in recordatione omnibus annis, qua ad suam sedem egregius pastor translatus est: qua etiam die cathedra ejus, hoc est ordinatio, sive initium episcopatus ejus est. Non quod eadem die consecratus sit in episcopum: (nam die D ascensionis domini consecrationem episcopalem cum aliis episcopis a domino accepit, quando elevatis manibus benedixit discipulis dominus, & ferebatur in cælum) sed sicut est cathedra beati Petri Antiochiæ, itemque cathedra Romæ, non quod tunc consecratus sit episcopus, qui a domino jam olim consecrationem susceperat pontificalem, sed quia tunc primum in illa die apud easdem ecclesias sedit, ad suscipiendum super populum Dei regimen pastorale: ita in hac die, quæ est tertia mensis Augusti dies, hanc domum de fano dæmonum fecit Christi templum, & in ipsa ecclesia hac primum sedit, suscipiens E in populo curam & regimen pastoris: quem duo sacerdotes Dei, Austriclinianus & Alpinianus, discipuli ejus, inthronizasse creduntur in hujus ecclesiæ cathedra, in testamento veritatis: ut ubi duo vel tres congregati essent in nomine Salvatoris, in medio eorum ibi dominus esset. Nam & beatum Petrum Linus & Cletus discipuli ejus sacerdotes, immo cum eis idem beatus Martialis condiscipulus ejusdem beati Petri, apud primam Romanam ecclesiam inthronizasse creduntur: quæ ecclesia prima, ut quidam dicunt, est apud titulum qui vocatur Ad primum, & est

ANNO CHRISTI 1031.

Anno 1029. quo anno 3. Augusti erit dies dominica.

ANNO CHRISTI 1031.

est in honore Leuitæ Stephani primi martyris; A ut alii autem ferunt, est apud Lateranis, quia ibi patriarchium est. Altera ergo die, quæ est post dedicationem hujus sacrosanctæ basilicæ, sive inventionem reliquiarum protomartyris Stephani, translatio patroni ad suam sedem, sive festivitas cathedræ ejus, ex eo tempore celebrari solita est in hac eadem sancta Lemovicensi ecclesia. Eodem vero die, consummatis cum tripudio mysteriis, & de apostolica commemoratione instituta fœderato cum pace inter se universo clero & populo, sacratissimum patroni corpus ad proprium retulimus monumentum. Posuimus autem sub anathemate eos, qui in nostra diœcesi ulterius hanc inquietare præsumerent sententiam. Post multum vero temporis, cum in nonnullis per Galliam ecclesiis de hoc verbo murmur fieret, & quidam dicerent: Quomodo potest apostolus esse qui in euangeliis non dicitur, sed nec in actibus apostolorum manifestatur? alii vero putarent numquam hactenus dictum id esse, sed noviter a nobis primum, quod absit, usurpatum esse, iterumque gravis altercatio pullularet: Deo dispensante, directa est nobis super hac re epistola ab apostolicæ Romanæ sedis papa Ioanne. Tunc unanimi consulto decretum fecimus, ut propter hoc verbum iterum aut suscipiendum aut non suscipiendum, congregatio episcoporum atque peritorum virorum ad hanc urbem colligeretur. Si ergo decernitis hanc non suscipi debere sententiam: nec a me ultra suscipienda est, sed magis impugnanda. Si autem suscipitis: & ego ita suscipio, sicut ante susceperam; ut quicumque nostræ diœcesis in eo scandalum generare ulterius præsumpserit, tam vestra quam nostra coerceatur animadversione.

Hactenus concil. Lemovic. I.

Tunc archiepiscopus ait: Sicut jam dixi, & iterum nunc palam omnibus dico: quemadmodum Romana ecclesia suscipit, & suscipi per textum epistolæ mandat, & hanc ipsam rem Bituricense concilium nuperrime collaudavit, sic laudo hoc bonum esse, & in pace suscipio, & hujus sancti concilii fraternitatem absque schismate suscipere id obsecro & exhortor. Si quis autem exhortationi nostræ non acquieverit: habeat judicem Deum, uniuscujusque conscientiæ testem. Verumtamen comprovinciales nostros necesse est, nisi susceperint, admoniti* obediant Romanæ sedi capiti suo, severa autoritate nostra compulsi.

* for. admoneri

Ad hæc Iordanus venerabilis ait: Vt video, quia hoc verbum in bona voluntate Dei a nobis cum pace suscipitur, gratias agimus Iesu Christo domino Salvatori nostro: & benedictus Deus, qui hanc sanctam Lemovicensem ecclesiam sacerdotio beati Martialis nobilitavit, & hanc gentem occiduam ejus fructifera prædicatione ab idolorum servitute ad veram libertatem retraxit. Ipsi patri domini nostri gratiarum actiones offerimus, qui noluit lucernam ardentem sub modio occultari, nec civitatem supra montem positam abscondi: sed quod ab antiquitate patres nostri priores probantur præoccupasse, nunc eventilatum prudenter in diebus nostris, largiri nobis dignatur luce clarius apparere. Vere cælum & terra transibunt: sed verba & promissa Dei non præteribunt. Et si beatus Martialis lux mundi a domino vocatus est: eadem promissio domini impossibile est quin compleatur in eo, qui officio apostolatus & prædicationis, claruit lumine magno. Ideoque in nomine ipso, jure rutilat fulgore apostolico.

Iterum conversus ad archiepiscopum, locutus est, dicens: Iam, si placet, venerabilis pater, absolvatur hodiernum concilium: ne populus festivus tædio moræ nostræ gravetur. Crastina enim & tertia die de aliis disputaturi Deo erimus auxiliante. Nunc ergo simul omnes ad ecclesiam Salvatoris nostri procedamus, ubi nos multus expectat populus: stationem ibi festam agamus, & sacrificium pro solennitate unus ex nobis Deo offerat. Nos quoque reliqui illic circumadstabimus, & populum de præsenti concilio admonebimus, & pacificis benedictionem, bella volentibus maledictionem, secundum legem domini proponemus.

Ad hunc sermonem de sedibus suis surrexerunt episcopi, & cum timore Dei processerunt, ascendentes ad locum templi, ad audienda solennia B sacrosanctæ basilicæ. Rogante vero venerabili Iordano, metropolita Bituricensis sacro usus pallio ad celebranda sancta accedit. Inter laudes autem, quæ Ἔπη Græco nomine dicuntur a conversione vulgaris modulationis, dum versus sanctæ Trinitatis a cantoribus exclamaretur, illico omnes episcopi, cum archiepiscopo & diaconibus cæterisque ministris, ad maximum altare pariter accedentes oraverunt, mutuamque tam sibi quam ministris altaris pacem, ut mos est, dederunt: deinde per circuitum altaris in sedibus præparatis resederunt. Angelico interea hymno cum tropis, id est, festivis laudibus, ornatissime expleto, primam orationem de solennitate ecclesiæ dedit archiepiscopus: C secundam, audiente omni ecclesia, de beati Martialis commemoratione annexuit. Quæ oratio in hunc modum continetur:

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Martialem apostolum ecclesiæ tuæ sanctæ præesse voluisti, quæsumus, nobis, ejus suffragantibus meritis, pietatis tuæ gratiam largiaris.

Quam orationem idcirco præsertim palam omnibus voluit protulisse, ut testimonii apostolatus beati patroni clarus assertor liquido patesceret. Quę oratio, cum secreta, & præfatione, & ea quæ dicitur ad complendum, idcirco Gregoriana esse dicitur: quia a Ioanne papa Romano ad Lemovicenses directa jamdudum fuerat.

Post euangelium denique lectum, facto in plebe silentio, Iordanus pontifex, conversa facie ad plebem, astans coram altari in eminentiori loco, sic D alloqui cœpit populum, dicens: Audivimus, dilectissimi, verba sancti euangelii: *Quia venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Ideo enim Salvator dicitur esse dominus noster Iesus Christus, quia omnes peccantes vult ad salutem revocare, dicente apostolo: *Fidelis sermo, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Cumque de fide Zacchæi, qui defraudata reddidit in quadruplum, paucis dixisset, atque ad milites, deprædantes sive per calumniam vel potentiam res sanctuarii, & pauperum turbam opprimentes, ut fidelem Zacchæum imitantes ea juste restituerent quibus E rapuerant, retraxisset sermonem: ad ultimum adjecit, dicens: Ecce propter vestram pacem, dilectissimi, hic adsunt pastores ecclesiarum sancti fratres nostri episcopi, qui ad sublevandum onus mei ponderis, & vos salvandos atque pacificandos, dignati sunt ad hanc urbem convenisse, sequentes domini nostri Iesu Christi exemplum, qui venit quærere & salvum facere quod perierat. Qua de una re cum illis moneo vos, obtestans in domino Iesu, quatenus nemo vestrum illis inobtemperans existere præsumat, nemo sese a concilio isto excu-

Luc. 19. 1. Tim. 1. Luc. 19.

ANNO CHRISTI 1031.

sando subducat: sed omnes principes & capita populorum ex Lemovicensi provincia in crastinum & tertium diem ad nos cum pace conveniant, & nullus a nostro cœtu communi secedat, nisi a nobis voluntario animo jussus.

Convenientibus autem ad concilium, nemo alteri propter aliquas inimicitias nocere præsumat, sive in facultatibus, sive in domo ejus, neque dum hic steterit, neque dum ad propria redierit, neque ante septem dies postquam regressus fuerit. Nemo in hac congregatione seditionem generet, neque extra urbem: nullus aliquid per vim rapiat: nullus, ut assolet, quasi propter justas querelas, pugnam inire constituat: nullus hic expeditionem, neque equitatum ineat aliquando agendum. Sed nihil aliud hic quam pacem quispiam inquirat, si forte pax nobis a domino tribuatur quieta: quia hic conventus proprie conventus domini est, ad inquirendam pacem, ad consolandam sanctam Dei ecclesiam.

Hæc qui observaverit, tamquam filio pacis, immo Dei, a domino nostro Iesu Christo, & sanctis apostolis ejus, absolutionem conferimus peccatorum, & benedictionem æternam: ut sicut dominus beato Petro, & huic beato Martiali, ad cujus sacratissimum corpus assistimus, cæterisque apostolis, virtutem atque potestatem ligandi atque solvendi tribuere dignatus est; ita a peccatorum nexibus absolvere dignetur eos, qui de pace & justitia Deo & nobis, qui ejus vice licet indigni fungimur, obedire festinaverint. Qui autem pacem nostram non susceperint: tamquam non Deum, sed diabolum sequentes, huic damnationi, quam modo coram recitare jubebimus, subjacebunt. Pax autem nostra ad nos revertetur, sicut dominus in euangelio ait: *Si fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur.* (Luc. 10.) Tunc jubentibus episcopis, idem qui euangelium pronuntiaverat diaconus, sic in tomo chartæ excelsa voce maledictionem coram populo in tribunali ante altare legere cœpit, dicens:

Excommunicatio in seditiosos.

Ex autoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Petri apostolorum principis, & beati Martialis, & aliorum apostolorum, atque omnium sanctorum Dei. Nos episcopi, in nomine Dei specialiter congregati, Aymo archiepiscopus Bituricensis, Iordanus antistes Lemovicensis, Stephanus Aniciensis, Renco Arvernensis, Ragamundus Mimatensis, Æmilius Albiensis, Deusdedit Caturcensis, Isembertus Pictavensis, Arnaldus Petracoricensis, Roho Engolismensis: excommunicamus illos milites de isto episcopatu Lemovicensi, qui pacem & justitiam episcopo suo firmare, sicut ipse exigit, nolunt, aut noluerunt. Maledicti ipsi & adjutores eorum in malum: maledicta arma eorum, & caballi illorum: erunt cum Cain fratricida, & cum Iuda traditore, & cum Dathan & Abiron, qui vivi introierunt in infernum. Et sicut hæ lucernæ extinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguetur in conspectu sanctorum angelorum: nisi ante mortem ad satisfactionem atque emendationem, sive pœnitentiam dignam, venerint in judicium episcopi sui.

Omnes episcopi & presbyteri candelas ardentes in manibus tenentes, mox eas in terram projicientes extinxerunt. Ad quod verbum cor populi valde expavit, & omnes clamaverunt, dicentes: Sic extinguat Deus lætitiam eorum, qui pacem & justitiam suscipere nolunt.

His dictis, dominus Iordanus ait ad populum: Hæc verba maledictionis eodem dicta sunt tenore nuperrime in sancto concilio Bituricensi in adversarios pacis. Quemadmodum autem inter Bituricenses, Deo donante, pax firmata est: ita inter Lemovicenses pacem fieri optamus. Post hæc singuli episcoporum, & ultimus archiepiscopus, de pace populum monuere, dicentes: Sicut pastor vester ecce prædixit vobis de pace, ita nos ejus dicta firmamus uno corde, & uno consensu, ex autoritate Salvatoris Iesu Christi domini nostri, & beati Petri, atque beati Martialis, sanctorumque aliorum apostolorum, quibus proprie a domino collata est potestas ligandi atque solvendi. Quidquid hic pastor vobis a Deo datus confirmat, confirmamus; & quidquid destruit, destruimus; ligamus, quos ipse ligat; benedicimus, quibus benedicit.

His & hujusmodi peroratis, facto silentio, cum ad horam confractionis dominici corporis ventum esset, atque ex more archiepiscopus benedictionem populo funderet, super beati Martialis nomine mentionem interseruit, ita dicens: Benedicat & custodiat vos omnipotens Deus, domumque hanc sui * muneris præsentia illustrare, atque suæ pietatis oculos super eam die ac nocte dignetur aperire. Amen. Concedatque propitius, ut omnes qui ad solennitatem anniversariam dedicationis hujus basilicæ hodierna die convenistis, intercedente beato Martiale apostolo, & cæteris sanctis suis, quorum reliquiæ hic pio venerantur amore, vobiscum hinc veniam peccatorum vestrorum reportare valeatis. Amen. Quatinus eorum interventu ipsi templum sancti Spiritus, in quo sancta Deus Trinitas jugiter habitare dignetur, effici, & post hujus vitæ labentis excursum ad gaudia æterna feliciter pervenire mereamini: *& cætera quæ in episcopali benedictione proferri solitum est.* Secundus tamen benedictionis ille versus in eo codice, sicut & in nonnullis aliis, nomen beati Ioannis euangelistæ inscriptum continebat: verum, ut dixi, ob loci, & festivitatis opportunitatem, convenienter & consulto hæc circumstantium peritorum assensu ab archiepiscopo in beati Martialis proprietate & gloria dicta sunt. Quod valde placuit omni ecclesiæ summo amore & tripudio. Certissimum quippe tenemus ea placere Spiritui sancto, quæ plurimorum fidelium consensu in unam voluntatem conveniunt, juxta quod scriptum est: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* (Act. 4.)

* numinis

Claudente luce diem, finitis vespertinis solenniis, Æmilius pontifex veneranda canitie angelicus, in eadem basilica, hanc, propter patrocinium beati Martialis, benedictionem dedit populo, dicens: Omnis qui vos in apostolicis tribuit consistere fundamentis, benedicere vos dignetur, beati Martialis apostoli sui intervenientibus meritis, *&c. quæ sequuntur.* Consilio autem inito, episcopi semetipsos altrinsecus monuerunt, ut tarditate remota, crastino valde mane, quod illuxit sexta feria, ad concilium iterato cogerentur in unum. Quod qualiter actum sit, sequenti lectione paucis perstringendo reservabimus: postulantes dominum ut utilia quæ oculis ipsi vidimus, & auribus præsentes audivimus, memoriæ nostræ suggerere ad literis mandandum dignetur Deus & dominus noster Iesus Christus, cum quo est gloria Patri una cum Spiritu sancto, per immortalia sæcula sempiterna. Amen.

SESSIO

ANNO CHRISTI 1031.

SESSIO II.

Celebrata XIII. Kalendas Decembris.

Cui inserta est enarratio rerum in concilio Lemovicensi I. anno MXIX. gestarum.

SECUNDO interea concilii die, post anniversariam dominicæ basilicæ solennitatem excursam, surgentes episcopi ad psallendum ante lucem, atque cum aurora lucis daret primum initium ipsi diei, altaris mysterium Domino persolventes: valde mane, antequam clarius illucesceret, ad basilicam sanctæ sedis aggregati, congruenti & disposito ordine intraverunt ad concilium. Litaniam imposuit illis tribus diebus jam dictus domnus Azenerius, venerabilis pater monasteriorum sancti Martini Masciacensis, sanctique Benedicti Floriacensis, qui una cum antistite Bituricensi ad concilium Lemovicense advenerat. In quibus litaniis beatum Martialem inter aliorum apostolorum nomina enuntiavit per singulos die. Nam hæc illi & suis antiqua inerat consuetudo, sicut ipse cunctis in concilio publice prædicabat. Erat autem apprime liberalium artium peritus, qui dicebat valde fieri inconveniens, eum qui potestatem ligandi & solvendi a Redemptore cum aliis apostolis acceperat, inter eos sanctos qui non acceperant prædicari. Licet enim omnes episcopi potestatem habeant ligandi & solvendi: non tamen eam a Christo privatim alii acceperunt, nisi tantummodo illi qui eum in carne beatis oculis viderunt, & secuti sunt, & ab eo ad prædicandum missi sunt; dicente Domino: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* (Ioan. 20.) Porro cum orassent omnes in unum, & ab archidiacono data esset congrua lectio, & deinde consequenti ordine ab eo qui verbum declamatorie jubentibus episcopis fecit, doctrina ex scripturis divinis, & de fide catholica promulgata esset; iterum inter episcopos sermo habitus est de veritate requirenda, & usque ad mortem observanda, de fallacia notanda, & ad nihilum redigenda, de justitia, de pace, de patrum statutis inviolabiliter tenendis.

In primis itaque, antequam de aliquibus inter episcopos confabulatio fieret, extitit ex majoribus quidam qui archiepiscopo diceret: Quosdam, carissime pater, ex clericorum ordine in hac sede & in hac urbe modo esse deprehendimus, qui non ratione, sed levitate vestris non obsequi parant verbis, quibus hesterno concilio agitatum est de beato Martiale Aquitaniæ doctore, ut potius inter apostolos quam inter confessores pronuntiari ab omnibus recte debeatur. Super qua re quidam adhuc, velut novitatis nacti occasionem, murmurant in angulis.

Cui archiepiscopus ita respondit: Nullus nostrum ignorat, hesterno coram omnibus rationabiliter esse diffinitum, quod beati Martialis legationis testimonium ab antiquis præoccupatum & testificatum sit: & quia sicut caput nostrum Romana sancta apostolica sedes comprobat, ita nos ejus membra hoc idem debemus suscipere, & omni veneratione amplecti: & quia qui potestatem ligandi atque solvendi proprie a Christo, in terris in carne adhuc degente acceperunt, absque dubio apostoli sunt: & quia nemo contradicere vero

A potest, beatum Martialem a Christo in terris in carne adhuc degente, potestatem ligandi & solvendi cum reliquis apostolis accepisse. Sancti etiam doctores & patres nostri antiqui, columnæ ecclesiæ fortiores proclamant; omnes qui dominum in carne viderunt, eumque postea prædicaverunt, fuisse apostolos appellatos. Et quis negaverit, beatum patronum istum, vidisse dominum in carne, & eum postea prædicasse? Paulus quoque doctor gentium alios, exceptis undecim, scribit esse apostolos, dicens: *Apparuit dominus undecim; deinde apostolis omnibus;* (1. Cor. 15.) hoc est septuaginta duobus, de quibus indubitanter unum esse credimus beatum Martialem. Nam & cum dominus diceret: *Nonne vos duodecim elegi?* (Ioan. 6.) numquid dixit: Nonne vos
B duodecim apostolos elegi? Potius subauditur, discipulos, teste Ioanne euangelista, qui ait: *Multi discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant.* (Ibidem.) Dixit ergo Iesus ad duodecim, subauditur, discipulos: *Nonne vos duodecim*, subintelligitur, discipulos, *elegi?* Et profecto constat multitudinem fuisse discipulorum domini, illosque specialiter fuisse apostolos, quos ipse dominus elegit, & misit ad prædicandum. Nonne electi ad prædicandum fuerunt illi, de quibus Lucas ait euangelista: *Designavit dominus, & alios septuagintaduos, & misit illos, dicens: Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* (Luc. 10.) Sed quia contendunt de beato Dionysio, & aliis patribus antiquis
C Galliarum; numquid Dionysius & Saturninus, genere gentiles, ab ipso Iesu, antequam in cælos ascenderent, acceperunt potestatem ligandi & solvendi cum his qui dominum in carne viderunt, & secuti sunt? Numquid usque hodie inveniuntur, quia de novitate causantur, nomina Dionysii & Saturnini scripta uspiam per litanias inter apostolorum nomina? Liquido constat vero quia per antiquissimos codices, penes innumeros locos & gentes longinquas, beatus Martialis una cum aliis apostolis scriptus est. Apostolus ergo sit nobis, quia & erat antiquis. Quod denique de beatis Dionysio & Saturnino dixi, eodem modo dictum puta
D de Vrsino, de Austremonio: de Fronto genere Petracorico, de Iuliano Cenomanensi, genere Romano, & de aliis, qui apostolos viderunt in carne, vel videre potuerunt, qui tam a beato Petro, quam a beato Clemente sive successoribus ejus, in Galliam post beatum Martialem prædicare missi sunt. Illi non specialiter a Christo, sed ab eis qui illos in episcopatus ordine consecrarunt, potestatem ligandi solvendique acceperunt: quemadmodum & ego ipsam potestatem non meo merito, sed gratia Dei, ab eo qui mihi gratiam tribuit episcopatus, consecratore meo, præsente videlicet domno Iordano, hujus sanctæ sedis Lemovicensis pastore, accepi. Sed quid adhuc plura recapitulari opus sit, de quibus jam & ab antiquis
E patribus, & a sancta Romana & apostolica sede, & nuper a concilio Bituricensi, & hic hesterna peritorum disputatione plenius ad ordinem perfectum definitum est? Nihil itaque jam aliud restat, quam ut a nobis hic in conspectu concilii publica damnentur excommunicatione, quicumque clerici de omnibus comprovincialibus nostris ulterius post hoc concilium repugnanti animo beatum Martialem, doctorem primum Aquitaniæ, in alio quam in apostolorum ordine & memoria enuntiaverint.

Et cum austero vultu metropolitanus ligamentum damnationis vellet ab ore proferre, sic domnus Iordanus locutus est ei, dicens: Petimus autoritatem

ANNO CHRISTI 1031.

ritatem vestram, venerabilis pater, ut hodie hoc judicium suspendatis a clericis hujus sanctæ sedis. Adhuc enim, secundum dominicam vocem, corripiam eos hodie inter me & ipsos solos. Si me audierint, lucratus ero fratres meos: si autem non me audierint, adhibebo mecum adhuc unum vel duos ex præsentibus coepiscopis fratribus nostris, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si eos non audierint, dicam ecclesiæ, publico præsenti concilio, ut omnes audiant in testimonium. Si autem ecclesiam, hoc est sanctum præsens concilium, non audierint: erunt mihi sicut ethnicus & publicanus: & tunc verbo vestræ autoritatis ligate eos, tamquam non hominibus, sed Spiritui sancto inobedientes. Namque, ut ait Augustinus, Spiritus sanctus, qui quondam per apostolos loquebatur, nunc etiam per nos loqui dignatur, quotiens de divinis differentes veritatem loquimur.

His verbis primatis credens archiepiscopus: Ergo, inquit, cætera quæ ad concilium pertinent, domino opem ferente, discutiantur.

Cumque de regulis ecclesiasticis diutius explicassent, ait domnus Iordanus: Bene placet ut Bituricensis concilii capitula in promptu afferantur, si forte Lemovicensibus hæc ipsa tantummodo coaptentur, an aliter clero nostro placeant, sive alia opportune superadjiciantur. Non enim una eademque lex omnibus ecclesiis sive populis, sive civitatibus, sive gentibus, semper potest congruere, sed quædam pro qualitate locorum, & gentis, & animorum, quamvis diverso tamen congruenti ordine, in consuetudinem deducuntur. Nihil quippe obest diversa locorum consuetudo: si tamen ratione sive autoritate fulciatur. Plus tamen ratio quam autoritas prævalere debet: nam gentiles pro majorum suorum autoritate, nulla tamen subnixi ratione, idola colunt. Quia quædam autoritas sine ratione videtur esse: ratio vero per semetipsam autoritatis dignitatem accommodat. Atque ideo multorum majorum autoritas sæpe in melius commutata, sive penitus neglecta est: quia minus ratione fulcitur. Gravis autem culpa est, si quis pro arbitrio autoritatem, quæ rationis plena est, contemnere præsumit. Rationabilis itaque autoritas, sive ratio cum autoritate, & autoritas cum ratione, semper ut sese dignam præbeat & excellat necesse est. Diversarum igitur consuetudinum usus & observantia per populos, per loca, nisi fidei, spei, & caritati contraria sint, nihil officere Christianæ dignitati videtur: immo illa consuetudo semper ad religionem prodesse creditur, quæ tum pro loco, tum pro tempore, pro necessitate, pro dignitate, pro ratione, pro autoritate, unanimi voluntate fratribus in unum habitantibus bene complacere videtur. Quid enim? Numquid canonici monachos pro duodecim lectionibus, vel monachi canonicos pro novem numero reprehendere possunt? Vtraque enim ratione & autoritate firma sunt: ter quatuor pro quatuor mundi partibus sanctæ Trinitati subjectis, ter autem ternis pro novem angelorum ordinibus sanctæ Trinitati gloriam dantibus. Duodecim comprobavit ille vir spiritu omnium justorum plenus sanctusque papa Gregorius, prius monachus, postea apostolicus. Novem traditæ sunt a discipulo beati Petri Ignatio martyre, qui per novenarium numerum lectiones & psalmos ab angelorum choris prolata audivit in cælo: deinde a Nicæno concilio, deinde ab ipso sancto Gregorio hic numerus in psalmis & lectionibus atque responsoriis observatus est. Quid etiam orientalibus vel occidentalibus clericis usus barbam radendi vel non radendi officere ad religionem videtur? Isti enim Petrum apostolum autorem hujus consuetudinis habent: & cum autoritate hanc tenent rationem, rationabile esse dicentes clericos a laicis, sicut in vita, ita in corporis habitu differre. Quocirca hic mos ad religionem nobis potius prodesse quam obesse perspicitur. Illi autem barbam non radendi morem eligunt, Paulum sive Iacobum fratrem domini apostolos in autoritatem sibi assumentes. Qui cum autoribus rationem adjungunt (fieri quippe oportet rationabile obsequium nostrum) rationabile dicentes, clericos sicut & laicos decorem in facie servare virilem, juxta dignitatem humanæ conditionis a Deo creatam, quæ solum virum barbam propter decorem habere voluit, & in vertice solummodo capitis clericatus signum præmonstrare: aliam adjungunt sibi rationem, quia dominus noster Nazaræus & intonsus esse voluit, ferrum super caput ejus non ascendit, coronam spineam dumtaxat in vertice dignatus est pati. Ad cujus instar clericorum corona in vertice, ferro incidente figuratur, ut regnum & sacerdotium Christi etiam in clericorum capitibus rasura ipsa præmonstretur. Ita sicut super hac re nostra consuetudo autoritatem, simulque rationem & religionis habet augmentum: sic etiam penes Græcos, illorum talis a nostra dissidens consuetudine consuetudo, autoritatem una cum ratione & religionis continet fructum. Et hac in re neque illi nos, neque nos possumus reprehendere illos: sicut de fidelibus qui carnibus vescebantur, ait apostolus: *Qui non manducat, manducantem non spernat: & qui manducat non manducantem non judicet. Qui enim manducat, domino manducat; & qui non manducat, domino non manducat.* Rom. 14 Qui porro autoritatem observant cum ratione, recte possunt reprehendere illos qui sine ratione custodiunt autoritatem: hi autem istos nullo modo. Qua de re qui beatum doctorem Aquitaniæ inter confessores proponunt, autoritatem habentes majorum sine ratione, dicentes sic proposuerunt. Qui ante nos fuerunt illi & illi, merito reprehenduntur ab his qui cum autoritate rationem ostendunt; proponentes eum una cum aliis apostolis, & dicentes: Illi & illi antiqui patres apud illa authentica loca, & Romana apostolica sedes, illique peritissimi viri, eum proposuerunt in apostolorum ordine. Rationabile autem est, ut ille qui inter alios a domino accepit virtutem prædicandi euangelium, potestatem ligandi & solvendi, scientiam omnium linguarum, & signaculum apostolatus habet Galliã, ideoque apostolus est, merito cum ipsis apostolis proponatur, & memoria ejus de gloria apostolatus semper confirmetur. Isti ergo illos, non illi istos, super hac re arguere juste poterunt. Hæc idcirco dixi, ne diversorum diversæ consuetudines & leges, si rationem habent, scandala generent. Observandum equidem nobis magnopere est ante omnia & super omnia, uti mandatum Dei, & non nostras traditiones, populo observandas tradamus: & nihil nisi scripturarum divinarum autoritate fultum agendum statuamus: nihilque de cordibus, nihil extra præceptum domini, & sanctorum patrum, quod absit, constituere, docere, vel jubere præsumamus. Quæ vero aliis trademus, primi nos ea ipsi faciamus, ne simus de illis super cathedram Moysi sedentibus, super quibus Salvator ad turbas & ad discipulos suos, ait: *Dicunt enim, & non faciunt.* & iterum: *Digito autem suo nolunt ea movere.* Matth. 23

His

ANNO CHRISTI 1031.

His dictis, conversus archiepiscopus ad eum qui ad dexteram suam super aliam cathedram sedebat, sacris vestibus ornatum Azenerium abbatem, dixit ad eum: Rogamus, carissime, ut, sicut dominus Iordanus pontifex jubet, capitula Bituricensis concilii, velut vos ipsi, qui interfuistis, audistis, huic sancto concilio coram exponatis.

Tunc ipse enuntiare cœpit, dicens:

Concilium Bituricēse sup. editum pag. 864.

Hæc sunt capitula, super quibus hoc tempore depravata erat S. Bituricensis mater ecclesia. Itaque patrum sequentes vestigia, statuerunt, qui præsentes ibi fuerunt episcopi, Aymo Bituricensis, Stephanus Aniciensis, Renco Arvernensis, Ragamundus Mimatensis, Æmilius Albiensis, Deusdedit Cadurcensis, hæc servanda ab ecclesiis sibi commissis.

In primis, ut per omnes, *&c. jam edita, pag. 865.*

Talia senior cum perorasset, ait domnus Iordanus: Omnia nobis hæc bene placent: tantum de corpore domini mutando, propter presbyteros qui omnibus dominicis diebus ad ecclesias suas nequeunt adesse, placet ita temperanter institui, ut ab omnibus valeat inexcusabiliter observari. Quæ enim in ecclesia instituuntur, sic debent fieri moderata, ut absque importabili fasce ab omnibus portentur, & qualiter animæ salventur, & quod facit ecclesia, absque murmuratione faciat, & ne inobedientia locum inveniat.

Itaque placet, ut corpus domini in anno per duodecim terminos renovetur in omnibus illis ecclesiis ubi incessanter custodiri solet, hoc est, in pascha, in pentecoste, in nativitate sancti Ioannis, ad vincula sancti Petri, in assumptione sanctæ Mariæ, in festivitate sancti Michaelis, in omnium sanctorum, in sancti Andreæ, in natali Domini, in hypapante, in quadragesima, in media quadragesima. His enim distinctionibus anni, omnes presbyteri ad proprias possunt recurrere ecclesias: & ipsum corpus Domini, quod mutatur, non nisi a mundis ecclesiæ ministris sumatur. Monasteria vero monachorum regularia, quia diligentius & nitidius omnia ad cultum altaris procurant, in abbatum suorum arbitrio de his, sicut de aliis regulis, permittimus. Illi enim nostris legibus constringi non debent, qui ultra nos per arctam & angustam portam vitæ ingredi appetunt, qui voluntatem propriam frangunt, qui jugum ab adolescentia portant, qui episcoporum jussis summopere in omnibus obediunt. Tales, inquam, legibus non oportet subjici conciliorum, nisi forte reprehensioni vel contemptui patuerint. Sic apostolus ait: *Justo lex non est posita: sed injustis, & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, patricidis & matricidis, homicidis, fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum evangelium gloriæ beati Dei quod creditum est mihi.* (1. Tim. 1.) Nam & abbates regulares non ideo ad synodum venire cogo hujus sedis, ut arguantur: sed ut mihi de rebus ecclesiasticis moderandis consultum præbeant, quatenus ipsi spirituales viri, dum mihi per diversas multorum curas disperso opem ferunt ad sublevandum onus, in retributione coronæ mecum participentur. De cultu enim ecclesiastico & reverentia corporis Domini, probavi ipse oculis meis regulares per Lemovicinum monachos altaria & codices, vestimenta, calices, linteamina, & cuncta quæ ad altare pertinent, mundissima quotidie, & cum reverentia servare.

Cumque de his, & aliis hujuscemodi, plura dicerentur, & archiepiscopo omnibusque placerent, accusatores justi extiterunt ex senioribus, qui dicerent in concilio: In loco sancti Petri *Bellocensis monasterii, sancta ecclesia Lemovicensis vim patitur. Hic siquidem locus in ordine regulari quondam fuit illustris: nunc autem ita a sæcularibus conculcatus est, ut super monachos ipsius monasterii dominetur abbas sæcularis, & absque monachi habitu.

*Corr. Bellilocensis

Clamaverunt omnes qui erant in concilio: Hoc magna destructio est, ut cæcus videntes ducat, stultus sapientes doceat. Hac enim in re disciplina moritur, locus hypocrisis monachis datur, occasio propria possidendi monachis surripitur, per quæ decepti perire possunt. Capite morbido totum corpus inutile est, & pro tali destructione locorum Dei, ira super populos a facie Dei egreditur.

Tunc requisiti monachi supradicti monasterii, adstantes in conspectu episcoporum, dixerunt: Ordinetur nobis abbas idoneus secundum regulam, & in pace erimus: lugentibus enim nobis iste super nos tyrannidem arripuit. Ut autem præsentibus episcopis sit notum, Rodulphus archiepiscopus quondam Bituricensis, monasterium ipsum tempore Caroli regis in fundo suo construxit, & prædiis suis multisque donis satis superque nobilitavit. Post cujus transitū ad cælos longo excurso tempore, occasione reperta, comes Tolosanus cœnobium ipsum suæ potestati addixit: & comiti Petracoricēsi in beneficio largitus est. Ille quoque vicecomiti Combornensi concessit, qui nunc nobis laicalem personam imposuit, ea de causa quia Bernardus monachus Solemniacensis, & postea episcopus Cadurcensis, nobis vero abbas, antecessor ejus, avunculus ejus extitit.

Dixerunt episcopi: Ecclesiastica officia non secundum carnis originem, sed secundum meritorum virtutem, distribui oportet.

Cumque ille clericus, non monachus, abbas, sæculari nobilitate ac generositate magnus, mox vocatus in concilium ante episcopos reus adstaret, genibus positis, & super hac re judicaretur secundum canones, ita respondit: O reverentissimi patres, hanc, rogo, justo judicio corrigite rem, & libenter consentio.

Dixerunt patres: Idoneum ex regularibus monachis aliquem adducito ante domnum Iordanum, ut ipse eum regulariter ordinet abbatem ad regendum ipsum locum: & tu extrinsecus non dissipator, sed defensor & provisor loci adesse memento. Itaque episcopi, postquam de his diu locuti essent, primati Lemovicensi sub testimonio concilii, & Wilielmi ducis Aquitanorum, hoc taliter commiserunt negotium: ut usque ad natalis Domini festivitatem, quæ in sexta hebdomada expectabatur, ordinaret in eo loco dignum pastorem secundum regulam. Quod si contradicentes reperiret qui id fieri non permitterent: & ipsos, & ipsum locum excommunicatione canonica ligaret, donec idem locus ad pristinam revocaretur dignitatem.

Quibusdam vero sciscitantibus, si qui monachorum forte de eodem sæculari loco ad alium regularem transmigrare vellent, utrum eis liceret: eruditi qui aderant, recte sapere tales judicabant. Tales, inquiunt, Deo placere student. Nam si perfectus est, qui inter malos bonus est: tamen bonorum consortium adipisci laudabile & perutile est. Quia sicut Spiritus sanctus per psalmistam ait: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris: cum perverso autem perverteris.* (Psal. 17.) Et rursum apostolus: *Corrumpunt mores* (1. Cor. 15.) *bonos*

ANNO CHRISTI 1031.

bonos colloquia mala. Rursus scriptura ait: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Nam si lilium inter spinas lucet, tamen gravatur a spinis, & gloriosius crescit inter amœna quam inter spineta. Nam & ipse regularis abbas si contigerit ut super sæculares ordinetur monachos, nec eos ab illicitis potuerit deflectere, nec habuerit bonos qui eum adjuvent ut patienter toleret malos: satius est eos derelinquere, & secum solum habitare, quam eorum incorrigibili mordacitate, cordis trãquillitatem amittere. Et juxta dominicam vocem, melius est ei luscum vel claudum in vitam intrare, quam duos oculos, vel duos pedes habentem, mitti in gehennam: hoc est, melius est se solum lucrari, quam cum pravis, quos inutiliter amat, detrimentum pati. De talibus loquitur Spiritus sanctus per prophetam, dicens: *Fili hominis, increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Et item Iob: *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Et David: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Certe beatus Benedictus sæculares vel agrestes monachos, qui eum veneno necare conati sunt, ideo deseruit, ne mentis suæ tranquillum oculum eorum pessima fœditate turbidaret. Vt enim sancti patres dixerunt, quidquid pacem vel tranquillitatem cordis, qua Deum assidue cogitare debemus, perturbare potest, quamvis utile, quamvis necessarium sit, abjici oportet: quolibet quippe vitio cor perturbatum, Deum cogitare non potest. Hæc dicentes, non eos damnamus, qui inter pseudomonachos boni aliquotiens, vel cum pravis majoribus necessario degunt: si tamen illud adimplent quod scriptum est: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite:* & item: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et periculis in falsis fratribus apostolus exercitatus est: & præcepta pastoris in omnibus adimplere, etiamsi ipse, quod absit, aliter agat. Et in talium exemplo beatus Petrus Lot in testimonium assumit, dicens: *Et justum Lot a nefandorum conversatione eruit, habitantem inter eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.* Nec de solis monachis, verum etiam generaliter de omnibus Christianis, qui boni inter malos conversantur, hæc dicta sunt. De talibus item Paulus ad discipulos ait: *In medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Hinc Ioannes Pergami ecclesiæ: *Scio,* inquit, *ubi habitas, ubi sedes est satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Ergo, sicut Gregorius ait, bonus non est qui malos tolerare recusat. Et tanto magis mali tolerandi sunt, quanto & amplius abundant. Regulares autem monachos dicimus, qui illicita nolentes, non suo sed alieno imperio vivunt: quibus omnia in medium conferuntur communia, nec aliquid habent quod abbas non dederit aut permiserit. Potest autem, quamlibet difficile contingere possit, regularis unus inter plures agrestes conversari, si tamen ab illicitis sese continet; si his quæ sibi ad hujus vitæ usus congruunt, permittente aut dante eo qui sibi præest, contentus fuerit: juxta quod apostolus loquitur, dicens: *Habentes victum, & tegumentum, his contenti sumus.* Sæculares autem monachos illos dicimus, quos regulares monachi in die judicii judicabunt: sicut Ninivitæ, vel regina Austri, dicente domino, Iudæos incredulos damnabunt; vel apostoli duodecim, tribus Israel duodecim judicabunt, quia illis credentibus illi credere noluerunt. Sic isti illos judicabunt, quia istis regulariter viventibus, illi regulariter vivere noluerunt. In capitibus ergo justis monasteria eriguntur & vigent, in vitiosis ruunt & languent. Episcopus itaque, ad cujus diœcesin pertinent monasteria, & abbates, atque Christiani vicini, nisi prohibuerint indignos in pastoralem curam ingredi, malum in illos respicit: sicut bona merces a Deo illos expectat, si familiæ Dei dignos constituant dispensatores.

Eccl. 13.
Ezech. 2.
Iob 30.
Psal. 54.
Matth. 23.
Cant. 2.
2. Petr. 2.
Philip. 2.
Apoc. 2.
1. Tim. 6.

Hæc & his similia cum mystico & utili audientibus sermone de sublimiori proposito edissertata essent, ait domnus Iordanus: Ago Deo gratias, quia in diœcesi Lemovicensi plura monasteria recto tramite incedunt, & boni odoris de se exempla latius diffundunt, sicut apostolus ait: *Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt.* Hos quippe, qui præsentes huic sancto concilio intersunt, abbates Lemovicenses laudo, & testificor in domino Iesu, quia cum sibi subditis regulariter agentes, lucrandis animabus potius invigilant, quam de caducis rebus & transitoriis curent. Dignum est enim, ut quicumque suscipiunt animas regendas, præparent se ad rationem reddendam. In primis denique familiam beati Martialis in hac urbe, & Cambonense monasterium beatæ Valeriæ possessionem beati Martialis, & alia quæ ei jure possessionis perpetuæ ab antiquis subjacent temporibus monasteria, non ignoro regulariter vivere. Nihilo minus Solemniacum atque Vsercam cœnobia nobilissima, monasteria quoque in hac urbe sancti Martini & Augustini, necnon & congregationem virginum in basilica beatæ Dei genitricis, & alias servorum Dei per Lemovicinum congregationes, gaudeo sancti ordinis reverentiam regulariter observare. Quantum denique in oculis omnipotentis domini ad intercedendum pro salute populorum congregationes valeant servorum Dei, beatus Gregorius de congregatione sanctimonialium locutus, ostedit, inquiens: Inter tot Longobardorum gladios his nostris temporibus Roma nequaquam subsistere posset, nisi virginum sanctimonialium in hac urbe Romana congregationes suis orationibus tantæ hostilitati resisterent. Et item: Ideo, inquit, providendum nobis monasteriis ancillarum Dei, quatenus eis abundanter subsidia ministremus: ne qua forte penuria gravatæ, a suo proposito vel aliquantulum succumbant. Nam monasteria monachorum idem Gregorius per universum mundum libera & quieta esse volebat: ut si quem episcoporum comperisset aliqua ratione ea excommunicare, vel inquietare, graviter in eos vindicaret, quod in epistolis suis facile perspici poterit. Nos quoque monasteria servorum Dei defensa, quieta, & tuta esse desideramus, tanti patris vestigia sequendo. Verumtamen si culpa superbiæ, vel inobedientiæ in abbatibus inventa fuerit, eam canonice insequi oportet. Hoc dixi propter abbatem monasterii Vsercensis, quem dicunt hoc anno instituta sancti concilii contempsisse. Quidam enim narraverunt nobis, quia excommunicatum vicecomitem Albuciensem interfectum in præda ipse apud suum monasterium sepelierit: super qua re, si vera est, cor meum contristatur. Omnes enim noverunt, in sanctis conciliis sic institutum, ut si quis ab episcopo suo excommunicatus, interfectus, aut obitu proprio mortuus absque reconciliatione fuerit, nullatenus Christianorum sepultura sepeliatur, nisi episcopus, satisfacientibus pro eo amicis vel parentibus, absolutionem & licentiam ex hoc concesserit. Sed neque pro eo oretur, nec facultas ejus in eleemosynam suscipia-

2. Cor. 2.

suscipiatur, quousque ab episcopo absolvatur. Simili modo si vulneratus ad mortem quilibet de excommunicatis fuerit, vel infirmitate ad exitum correptus, pœnitentiam ex corde petierit, vel esse monachus quæsierit: pœnitentia ejus suscipiatur quidem, & viaticum ei pro misericordia tribuatur; nullatenus tamen sepeliatur, neque post mortem pro eo oretur, donec ab episcopo suo absolvatur. Dicente enim beato Gregorio in dialogorum libro secundo: Tantam ecclesiæ suæ Christus largitus est virtutem, ut etiam qui in hac carne adhuc vivunt, jam carne solutos absolvere valeant, quos vivos ligaverant. Dicente domino ad Petrum: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Matth. 16. Nam sanctus Benedictus duas sanctimoniales, & unum ex fratribus, qui ligati obierant, post mortem absolvit. Idemque papa Gregorius medicum fratrem in ipso exitu vitæ ligavit: nec eum consolari in fine, nec pro eo orare permisit: sed nec eum in cœmeterio ecclesiæ sepeliri sivit; quem tamen longe post mortem pro misericordia absolvit, & pro eo orare instituit. Verumtamen valde horrendum est, ut beatus papa scribit, cum quis irreconciliatus a sæculo exit. Præterea si, quem episcopus ligat, alius absolvere se putat: & ipse decipitur qui eum suscipit, & qui suscipitur perit: & hac occasione falsæ pietatis concilia patrum destruuntur, & Deus contemnitur, & pax de ecclesia expellitur. Siquidem ille qui excommunicatum suscipit, idcirco simul cum eo perit, quia similem sortitur excommunicationis vindictam: &, ut beatus Petrus in scriptura beati Clementis ait, quicumque excommunicato consentit, vel in colloquio participatur, unus & ipse est de illis qui ecclesiam Dei destruunt.

Cumque in concilio a quibusdam interrogaretur, utrum observanda est excommunicatio ei, quem aliquando forte injuste, & absque culpa pontifex ligat: Odolricus pater sic ait: Quemadmodum beatus Gregorius attestatur, cujus autoritas minime sperni potest, si pastor ligat aliquem aut juste, aut injuste, aut ob culpam, aut sine culpa, obseruanda est excommunicatio, ne is, qui injuste forsitan ligatur, ipsam excommunicationem ex alia culpa mereatur. Neque ovis pastorem suum temere reprehendat: ne ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat fiat. Dicit autem de episcopis, quia ipsi se hac potestate privant qui vel odio, vel gratia, & non secundum meritum causæ, ligant vel solvunt.

Ad hæc pontifex adjecit, dicens: Presbyter qui excommunicatum scienter suscipit, ideo ab ordine deponitur, quia semetipsum excommunicat, qui excommunicato consentit.

Tunc episcopi dixerunt: Statuimus canonice, ut qui amplius excommunicatum nesciens susceperit, & postea probaverit, ad pœnitentiam mox recurrat in conspectu & judicio episcopi sui. Qui autem scienter id egerit, sive in vita, sive in morte, sive aliquid de facultate damnati in eleemosynam probatus fuerit suscepisse: ab ordine presbyter cesset, nec gradum recipiat, nisi satisfactus, ab episcopo suo sacris vestimentis reinduatur. Si presbyter non est, communione eucharistiæ, & audientia Missæ privetur, usque ad reconciliationem episcopi. Quando autem episcopus presbyterum deposuerit, sic agat. Iubeat eum prius indui omnibus sacerdotalibus indumentis, deinde manu sua auferat ei manipulum, deinde casulam, deinde mediam stolam de collo reflectat ei inter scapulas sub latere dextro: & depositus est a presbyteratu in diaconatum. Quando quemlibet excommunicaverit, eat publice ad ostium ecclesiæ, & ostium pro eo claudat. Dum absolverit, ambulet cum eo usque ad portas ecclesiæ, & aperiat ei, ut ingrediatur. Aliter autem nullus excommunicatus ecclesiam ingrediatur, quia nefarium & illicitum est. Presbyteri autem, de ignotis causis; episcopi, de notis excommunicare est: ne episcopi vilescat potestas.

His dictis, cum accusatum abbatem inquirerent quid responderet, ille respondit domino primati: Domine, inquit, pater, de hac re, qua accusor, veritas vobis nuntiata non est. Absit a me, ut absque vestra licentia aliquando suscipiam excommunicatum. Ordo enim noster quanto sublimior est, tanto subjectior & promptior ad obediendum episcopis ut sit, necesse est. In episcopis enim ipsum Deum honoramus, vel contemnimus, sicut ipse ait: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. Ecce idoneos testes adhibeo, quia ille vicecomes excommunicatus, postquam prædando interfectus est (comites enim prædantes, excommunicati palam in omnibus conciliis sunt) me ignorante a militibus suis ad monasterium nostrum deportatus est: cujus corpus neque suscepimus, neque sepelivimus, sed sine officio sacro retro ultra aquam revehi jussimus, ubi milites ipsi, nullo clericorum adstante, sepelierunt illud.

Quo audito, episcopi judicaverunt, dicentes: Si ita est, nec ille excommunicatus sepultus est, nec abbas monasterii culpabilis judicari potest.

Tunc episcopus Cadurcensis cœpit enarrare, dicens: Nuperrime post concilium Bituricense, quidam de excommunicatis eques in nostra diœcesi interfectus est, quem ego, rogantibus amicis & propinquis ejus, nullatenus solvere volui, ut cæteri metum haberent: gravem enim culpam prædantis habuerat. Itaque sine sacerdotis obsequio a militibus apud quamdam ecclesiam sancti Petri, non me jubente, sepultus est.

Mane autem facto, corpus ejus longe extra cœmeterium projectum, & nudum super faciem terræ inventum est: tumulus autem, ubi sepulturam habuerat, intactus, ita, ut dimissus pridem fuerat, repertus est. Quem iterum milites aperuere, & nihil in eo aliud nisi vestes, quibus involutum fuerat, invenerunt. Rursus cadaver ibidem sepeliunt, & diligenter tumulum sub enormi pondere terræ & lapidum claudunt: sed die altero projectum cadaver & tumulum intactum, ut supra, aspiciunt. Quinquies sepeliunt, toties eodem dejectum tenore contuentur. Tanto demum victi stupore, corpus longe a cœmeterio ecclesiæ terra obruunt. Quo terrore perculsi principes militiæ, pacem nobis, velut optabamus, firmare nequaquam distulerunt. Mira de excommunicato sepulto in loco sacro.

Ad hæc respondit concilium: Quid hoc aliud est, nisi quia sub oculis hominum, arbiter omnium affirmat ecclesiæ suæ autoritatem, quia excommunicati, a sepultura Christianorum juste ab episcopis segregantur? Tales enim negant fidem, dum latrocinia potius quam pacem sectantur. Non enim Christiani dicendi sunt, de quibus ait apostolus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Tit. 1. Item Iacobus: *Fides sine operibus mortua est.* Iac. 2. Certe Dathan & Abiron pro pastorum suorum contemptu perierunt de medio multitudinis. Ita in episcopo suo Deum contemnens, juste insepultus ab ecclesia disjungitur: si in excommunicationis vinculo eum contingat oppetere mortem.

Odolricus interea venerabilis pater familiæ beati Martialis, sedens in cathedra juxta primatem Lemovi-

ANNO CHRISTI 1031.

Lemovicensem, sacris ut erat indutus ornamentis, dare cœpit consilium episcopis, dicens: Hic vos, carissimi, decernere oportet medicinam, quam contra generalem morbum adhibeatis. Si enim de pace tenenda, sicut est vestra voluntas, principes militiæ Lemovicensis vobis obstiterint, quid contra ista sit agendum? Dixerunt episcopi: Hac in re petimus, carissime, ipse date consultum. Quibus ille: Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicensem publica excommunicatione: eo videlicet modo, ut nemo, nisi clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans a bimatu, & infra, in toto Lemovicino sepeliatur, nec in alium episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum officium per omnes ecclesias latenter agatur, & baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in ecclesiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione, & pace fundant. Pœnitentia & viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes ecclesias, sicut in parasceve, nudentur: & cruces & ornamenta abscondantur, quia signum luctus & tristitiæ omnibus est. Ad missas tantum, quas unusquisque sacerdotum januis ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur, & iterum post missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione uxorem ducat. Nemo alteri osculum det. Nemo clericorum aut laicorum, vel habitantium, vel transeuntium, in toto Lemovicino carnem comedat, neque alios cibos, quam illos quibus in quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum aut clericorum tondeatur, neque radatur, quousque districti principes, capita populorum, per omnia sancto obediant concilio.

Si quis vero probatus fuerit aliquo modo hujus vinculi violator, non recipiatur, nisi cum digna pœnitentia. Magnopere enim episcoporum excommunicatio est observanda: ne forte plus irascatur furor domini super nos, & super populum.

Tunc interrogatum est in concilio utrum uni aut duobus primoribus, si obedierint, debeat ab episcopo ignosci, sine omnibus aliis, an non? Quod Æmilius pontifex & Azenerius abbas hoc modo enodaverunt, respondentes: Si de centum impiis præter unum nequimus revocare, ipsum solum cum gaudio debemus suscipere.

Odolricus autem pater, sic respondit: Si una de centum perditis ad salutem lucratur, gaudium est coram angelis Dei. Si quis denique post mortem inobediendi, ad obediendum episcopo festinat, jam a Deo interius vivificatur, ideoque eum absolvi necesse est. Nam de his qui ad pœnitentiam compunctos non suscipiunt, obduratos vero aut terrore aut amore sæculari absolvunt, sic Spiritus sanctus per prophetam dicit: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* Et rursum: *Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.* Si ergo vel unus ex primoribus principibus vobis obedierit, cæteri vero omnes attrita fronte rebelles extiterint: pacificum suscipite in pace Christi, eique in omnibus opem ferte: & terram honoremque ejus in absolutione gaudentem & liberum esse permittite: cæteræ autem partes Lemovicensis terræ, quæ rebelles principes habent, in supradicto relinquantur anathemate, usque ad dignam correctionem, ut sit inter bonum & malum differentia, ac si inter lucem & tenebras. Quod si omnes majores potestates Lemovicenses pacem consenserint, ut omnia sint absoluta, & aliqui de privatis militibus, sive minoribus principibus, inventi fuerint concilio inobedientes: hi tales ita privatim excommunicentur, ut sint segregati a communione corporis & sanguinis domini: in ecclesiam intrandi nullam habeant licentiam: cum Christianis non comedant, neque bibant, neque ambulent: linum non induant, carnem non comedant, vinum non bibant: non tondeantur, neque radantur: ad nullas orationes proficisci præsumant: si infirmi fuerint, non visitentur a clerico: morientes in ipsa excommunicatione, non sint de loco levati, in quo mortui fuerint, nec cooperiantur ligno, neque petra, neque aliqua munitione: substantiam eorum nullus pro animabus eorum in eleemosynam accipiat.

Ezech. 13.
Isa 5.

Quæ pœna in episcopos transgressores.

Dictum in concilio est: Si quis de episcopis aliquotiens timore, vel amore, vel pecunia se inflexerit, ut secundum concilium non distringat per justitiam illum quem distringere debet, & potest, sive absolverit vivum vel mortuum, quem absolvere non debet, aut in aliquo probatus fuerit violare concilium, quod ipse cum aliis episcopis instituit: ab ipsis episcopis deponatur usque ad spatium temporis, quod ipsi episcopi concorditer judicabunt. Dixerunt episcopi omnes: Placet nobis hæc propositio, & sic fiat. Similiter fiat de illo episcopo, qui excommunicatum alterius episcopi susceperit vivum, sive mortuum, vel in episcopatu suscipi a quoquam permiserit vel consenserit.

Interea cum talia episcopi sermocinarentur, querimonia in concilio commota est a dicentibus: In monasterio beati Martialis sursum in pascha & pentecoste baptismus agitur, & ibi servi a dominis suis libertate donantur. Hæc volunt clerici hujus sedis non amplius alibi quam in hac sede administrari.

His opposita sunt ista a sanum sapientibui, qui sic responderunt: In oratorio sancti Ioannis Baptistæ, quod est ad meridiem, sursum secus Salvatoris basilicam, fontes ab antiquis temporibus præparati sunt, & tantummodo in pascha & pentecoste ibi semper solet agi baptismus: aliis vero temporibus, per totum annum in ecclesia sancti Michaelis, de illa superiori parochia baptizantur infantes: nec ullo modo pro his hæc sancta sedes hactenus querelas commovit. Parochiani siquidem sancti Petri ecclesiæ Cairogensis, & quicumque ex principibus ex omni Lemovicino volunt, filios suos ad scrutinium in quadragesima, & baptizandos in pascha, sive in pentecoste, ad hanc deferunt sedem. Parochiani vero ecclesiæ sancti Michaelis, & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Arenis, & aliarum ecclesiarum, quæ basilicæ beati Martialis subjectæ sunt, & quicumque de principibus ex toto Lemovicino, sive de externis Aquitaniæ civitatibus voluerint, filios suos baptizandos sursum ad Redemptoris aulam dirigunt. Denique semper fuit consuetudo, ut quicumque voluerunt, sursum aut ante altare Redemptoris, aut ante corpus beati Martialis, servos suos libertati darent. Quod ergo usque ad nos semper licitum, nec amplius prohibitum: quo pacto nunc amodo illicitum erit? Verum justo judicio judicent præsentes episcopi, quid hac in re æquum sit.

Dixerunt episcopi: Beato Martiali privilegium suum ab antiquis statutum auferre nefarium est. Hæc autem sedes beati Martialis, caput, & mater omnium Galliæ ecclesiarum est, quia prima ante omnes alias in Gallia extitit Deo consecrata: ideoque Lemovicenses omnes ecclesiæ præsertim huic tamquam

ANNO CHRISTI 1031.

tamquam capiti proprio, in omnibus honorem exhibeant. Ipsa autem sedes & mater, nullatenus a filiabus suis cæteris ecclesiis justa antiquitus concessa tollat instituta, nec eis impendi honorem debitum prohibeat. Gaudere enim pontifex & assensum præbere debet, ut ecclesiæ sibi subjectæ in honore antiquo perseverent. Itaque in beati Martialis monasterio, sicut antiquitus solitum erat, propter ordinem paschalem non negligendum, qui mentes carnalium ad altiora trahit, & propter trinas litanias, & propter stationem ad fontes, recte opportunum est celebrari baptismum, de tribus non minus infantibus, in pascha solummodo & pentecoste. Simili ratione fieri congruum est in aliis monasteriis & ecclesiis, ubi ab antiquis diebus exerceri id solitum est: ita tamen, ut major numerus baptizandorum sit apud hanc matrem ecclesiam. Et hi qui in aliis ecclesiis apud hanc civitatem baptizantur, ipso die coram episcopo ad confirmationem in hac sede cum luminaribus exhibeantur. Vbi enim cereus paschalis consecratur, & baptismus agitur, ibi honestius paschalis ordo perficitur, & tres litaniæ, quæ in sabbatis paschæ & pentecostes nulla ratione prætermitti possunt, ne, quod absit, autoritas Spiritus sancti vilescat, aptius persolvuntur. Post sex enim lectiones, septena fit in choro a pluribus simul cantoribus solenniter indutis. Deinde cum terna ipsi cantores & sacerdotes ac cæteri ministri procedunt ad fontes. Facto vero baptismo de tribus tantum infantibus, (nam cæteri, si plus fuerint, ab alio presbytero qui ibi remanserit baptizantur) cum terna a fontibus regrediuntur, qui ad chorum, ad chorum; & qui ad altare, ad altare, cum cereis nondum luminatis, sonantibus interim omnibus signis. Finita enim ipsa terna, & cessantibus metallinis clangoribus, mox hymnus angelorum a sacerdote excelsa voce profertur; illuminata jam omni ecclesia, ex quo cantores clamaverint: Accendite.

Hæc de baptismo satis sint. Nunc de servorum libertate dicendum, quia hanc agere licitum est, vel apud hanc sedem, vel ante corpus beati Martialis, vel ad quamcumque ecclesiam domini elegerint coram testibus, vel ante corpus defuncti proximi, sicut sæpe per plures civitates fieri videmus: ita sane, ut hujus sedis nominativus cancellarius libertatem scribat. Nam & apud regale palatium, vel in quocumque loco rex fuerit, coram rege libertates legitimas fieri cernimus: immo lex Salica continet, ut ubicumque servi dominus voluerit, potest servum relaxare. *Salica lex.*

His dictis, cum quidam de prædicatione ad populum, & de indicendis jejuniis & litaniis pro opportunitate temporum dicerent, quod hæc apud sedem dumtaxat debeant institui & edici, dixerunt episcopi: Prædicatio non solum apud sedem, sed etiam per omnes ecclesias assiduanda est: ubi hanc dare strenuum doctorem domini voluntas inspirat: etenim adeo gemendum est, quia valde rari sunt in messe Dei operarii. Et si multi sunt qui bona audiant, sed rari sunt qui dicant. Nam omnes sacerdotes, quibus parochia commissa est, omnibus dominicis & festivis diebus admonere prædicando populum debent, secundum illud: *Argue, obsecra, increpa.* Quia sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit, intermination divina mortis reus est: episcopus autem quos doctos ad officium viderit, & idoneos, non tantum jussu sed etiam rogatu ad tam sublime opus incitare debet. Quod officium sive monachus sive clericus suscipere nequaquam potest, nisi in gradum lectoris fuerit ab episcopo ordinatus. Porro de litaniis indicendis, sive jejuniis, sic in libro capitulorum Caroli insertum est: Quando tribulatio super populum venerit, sive mortalitatis, sive hostilitatis, sive famis, aut intemperantiæ aeris, vel si quid hujusmodi, & non fuerimus præsentes: nullus nostrum expectet edictum, sed mutuo se exhortantes clerici, sive monachi, una cum populo festinent in litaniis vel jejuniis misericordiam domini super regnum nostrum inclinare. Igitur si talia sine sedis consultu, necessitate, non temeritate, vel, quod absit, typho superbiæ, ab alia ecclesia instituta fuerint: nihil est quod indignentur clerici sedis. Tamen ita cuncta concordantia moderentur in invicem inter omnes vicinas congregationes, ut pax & unitas inter sedem & alias ecclesias permaneat inconvulsa. *2. Tim 4.*

Episcopus autem Petracoricensis, de quodam canonico suo tantum clerico, qui uxorem duxerat, inquirendo proposuit, dicens, ut judicarent quid de eo ageretur. Ad hoc verbum in concilio responsum est: Canones judicent. Quomodo enim nostro possumus arbitrio judicare quidquam: cum omnia a prioribus judicata sint? Nihil quippe dicendum, quod non prius dictum sit.

Tunc lecti sunt canones apostolorum, ubi in capitulo 27. ita dicitur: Qui clerici debeant conjugibus copulari. Innuptis qui ad clerum provecti sunt, præcipimus, ut, si voluerint, uxores accipiant, sed lectores, cantoresque tantummodo. Et iterum dictum est: Canones Toletani & hoc judicant, ut in monasteriis nutriti cum venerint ad annos adolescentiæ, detur eis optio libera, utrum velint vovere propositum, an inter laicos esse. Qui voluerint, uxores ducant: qui autem propositum in sua potestate relicti voverint, non ultra eis ad sæculum licet respicere. Nam concilium Bituricense, sicut audivimus, judicavit, ut qui clericaturam suam dimittit, ab aliis clericis separetur.

Item de abbatibus quibusdam proposita quæstio est, qui majoribus festis capellanum & plures diaconos ad celebrandam Missam, sicut episcopi, habent: & consulte tractatum est, hoc non pro usurpatione, sed honore solennitatis fieri: nec solum abbatibus, sed etiam aliis sacerdotibus apud plures ecclesias, ubi magni numeri congregationes monachorum, aut canonicorum sunt, propter solennitatis reverentiam exhiberi licitum videtur. Non tamen plus quam tres diaconi abbatibus, vel reliquis sacerdotibus, in solennitatibus adhibeantur. Episcopis autem aliquando tres, aliquoties quinque, nonnumquam septem diaconi, pro opportunitate festivitatum, & ad omnes publicas missas præsto sint. Nam in monasterio beati Martialis, notum est semper antiquum morem servatum, hodieque servari, & numquam debere prætermitti: scilicet in pascha, & eminentioribus per annum festis tres diaconos, & capellanum ministrare abbati in publica missa: aliis autem diebus, sive minoribus festis, capellanum tantummodo, & unum diaconem.

Tunc accusabantur quidam, qui propter presbyterii gradum, pecuniam dederant; & alii qui duas uxores ante diaconatum habuerant; alii autem qui in clericatu sibi virilia amputaverant; alii vero qui in laicali ordine homicidium fecerant, & postea monachi facti, gradum diaconii suscepe-

ANNO CHRISTI 1031.

susceperant. Dictum de his in concilio est: Nulla A his misericordia potest tribui, quin omnes deponantur. Si enim quos sancti patres damnant, absolvimus, falsam eis misericordiam & æternam mortem impendimus.

Tunc canones apostolorum prolati sunt, ubi „ capitulo xxx. legitur. Si quis episcopus, presbyter, aut diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem: dejiciatur, & ipse, & ordinator ejus, & a communione modis omnibus abscindatur, sicut ego Petrus Simonem magum dejeci. Item, capitulo XXXI. Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus, episcopatum vel ecclesiam per illos obtinuerit: deponatur, & segregetur, & omnes qui illi communicant. Item capitulo XVII. B Si quis post baptisma secundis nuptiis fuerit copulatus, aut concubinam habuerit: non potest esse episcopus, non diaconus, aut prorsus ex numero eorum qui ministerio sacro deserviunt. Item capitulo XVIII. Si quis viduam vel ejectam acceperit, aut ancillam, vel aliquam de his quæ publicis mancipantur spectaculis: non potest esse episcopus, non presbyter, non diaconus, nec ex numero eorum qui ad altare deserviunt. Item capitulo XXI. Eunuchus si per insidias hominum factus est, vel si in persecutione sunt ejus amputata virilia, vel si ita natus est, & est dignus: efficiatur episcopus. Item capitulo XXII. Si quis abscidit semetipsum, id C est, si quis amputavit sibi virilia, non fiat clericus, quia * suus homicida est, & Dei conditionis inimicus. * Si quis, cum clericus fuerit, abscideret semetipsum, omnino damnetur, quia suus homicida est. *Laicus semetipsum abscindens, annis tribus communione privetur, quia suæ vitæ insidiator extitit. De homicidis vero dictum est: ut si quis voluntarius, & non per necessitatem, fecerit homicidium, & postea monachus fuerit factus, ad gradus altaris promoveri non potest. Monachi enim, qui ad gradus provehuntur ecclesiasticos, summopere providendum est abbati illos episcopo offerenti, ut idonei & probati sint, juxta quod sanctus Benedictus ait: „ Si quis abbas sibi presbyterum vel diaconum ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi. Nam ille qui adhuc vivens est, qui Stephanum episcopum dolo occidit, cum non inveniret pro tanto crimine pœnitentiam: Cluniacum cœnobium petiit, monachus ibi effectus est. Qui legere & cantare tamquam peritus clericus sciens, ab Odilone abbate cogitabatur offerri episcopo ad gradus altaris. At prudenter tractans venerandus abbas, literis directis ad papam Romanum consultum expostulat, & crimen monachi intimat, cui apostolicus talia remandat: Impossibile est talem ad aliquem gradum provehi, nec etiam offerre potest oblationem ad manus sacerdotis, ne forte pro eo uno in plures furor domini descendat: sed nec communionem sanctam accipere potest: in exitu autem vitæ pro misericordia ei viaticum detur. Nihil hic aliud quam luctum agat, si forte illic misericordiam inveniat. Ita hactenus ille vivat, permanens in pœnitentiæ luctu, non offerens, non communicans.

*suiipsius

* Cap. 23.

* Cap. 24.

Item inquisitum est de temporibus ordinum, quia nonnulli ex episcopis per totum annum ordinationes nunc faciunt, quod priores episcopi non faciebant. Revoluta sunt ergo patrum statuta: & inventum quia graduum ordinationes recte fiunt per mensem Martium, & Iunium, Septembrem quoque, atque Decembrem, sabbato videlicet in duodecim lectionibus, quando jejunia quatuor temporum aguntur. Vbi si tanta multitudo fuerit ordinandorum, ut sabbato non possit omnes episcopus consecrare, in crastina dominica usque ad horam sextam a mane, qui superfuerint debent ordinari. Alias autem nullo modo, nisi causa grandis necessitatis, de diaconatu tantum vel presbyteratu oportet ordinationes agi. Et hoc in nulla ferstivitate, nisi dominica die, quam tamen jejunium generale in sabbato præcesserit. Nam & ipse episcopus ordinari non potest, nisi in dominica die, circa horam diei tertiam. De sancto autem Gregorio constat, quia numquam nisi in mense Martio ordinationes egit. Beatus vero Petrus apostolus in mense Decembrio, & non aliubi: in Iunio autem tantummodo beatus........ porro in Septembri & non alio beatus.....

Rursum in concilio conquisitum* est de excommunicatis Aquitanigenis, qui ignorantibus episcopis suis a Romano papa pœnitentiam & absolutionem accipiunt: & hac de causa pax & concilium in Aquitania destruitur, dum quos isti juste ligant, ille injuste absolvit. Ad hæc venerandus Engelricus canonicus sanctæ Mariæ Aniciensis ecclesiæ, cœpit explicare, dicens: Stephanus Arvernensis præsul ante hos annos Pontium comitem Arvernensem excommunicatione obstrinxit, pro uxore legitima, quam dimiserat, & aliam duxerat. Quem cum nulla ratione vellet absolvere, nisi emendatum, comes Romæ a domno papa absolutionem accepit, ignorante papa eum excommunicatum. Quod graviter episcopus ferens, * conquisitorias literias Romam apostolico misit: cui ille in hunc modum remisit epistolam.

*for. conquestum de accipientibus absolutionem a papa.

*Corr conquestoria

Quod nescienter egi, frater carissime, non « mea sed tua est culpa. Scis enim quia quicumque « de universa Dei ecclesia, quæ est in toto orbe « terrarum, ad me causa remedii recurrit, impossibile est mihi ejus curam negligere, dicente do- « D mino ad beatum specialiter Petrum: *Petre, pasce* « *oves meas.* Quo ergo modo sedes apostolica poterit ejicere aliquem de medela, nisi rationabili « causa? Debueras certe mihi, antequam illa « * mortua ovis Romam veniret, ejus causam tuis « innotescere apicibus: & ego eam omnimodo « abjicerem, tuamque firmando autoritatem, eam « anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe « omnibus consacerdotibus meis ubique terrarum, « adjutorem me & consolatorem potius esse, quam « contradictorem. Absit enim schisma a me, & a « coepiscopis meis. Itaque illam pœnitentiam & « absolutioné, quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudulenter accepit, irritam « E facio & cassam: ut de illa nihil aliud speret quam « maledictionem, quoad satisfactum tu juste ab- « solvas. «

Papæ epistola pro conservandis juribus episcoporum.

Ioan. 21.

* morbida.

Dicebant ergo episcopi adinvicem: Frustra hæc querela adversus caput nostrum mutire audet: apostolicus enim absque culpa est, & potius nos culpabiles sumus, nisi literis nostris ei notum faciamus, de quibus nolumus ut absolvantur. Cum ergo tales deceperint apostolicum, ut fraudulenter absolvantur ab eo, irrita est eis illa absolutio: ideoque nec ab eo nec a nobis confirmanda. Quidam autem in concilio dixit: Vidi nuper de episcopo Engolismensi, qui præsens est, quod dico.

Quidam

ANNO CHRISTI 1031.

Quidam ex suis parochianis excommunicatus ab eo, dum satisfacere nollet, non poterat impetrare ab eo pœnitentiam. Qui sine licentia episcopi sui papæ Romano subripuit pœnitentiæ legem, & literas ex nomine ejus episcopo detulit in cœna domini, quibus episcopum rogabat apostolicus, quatenus illi pœnitentiam, quam imposuerat, affirmaret. Episcopus vero intelligens fraudem, ait homini: Versa vice, quod ego postulare debueram ab apostolico, apostolicus postulat a me. Non credere possum hoc mandatum ab eo exortum: hoc tibi nihil utile est: & donec auta me, vel ab hujus sedis archidiacono, me jubente, accipias pœnitentiam, permane in excommunicatione. Et ejecit eum foras de ecclesia.

B Et dixerunt episcopi: Hoc ab ipsis apostolicis Romanis & cæteris patribus cautum tenemus: ut parochiano suo episcopus, si pœnitentiam imponit, eumque papæ dirigit, ut judicet utrum sit an non pœnitentia digna pro tali reatu, potest eam confirmare autoritas papæ, aut levigare, aut superadjicere. Iudicium enim totius ecclesiæ maxime in apostolica Romana sede constat. Item si episcopus parochianum suum cum testibus vel literis apostolico ad pœnitentiam accipiendam direxerit, ut multoties pro gravissimis fieri solet reatibus, in quibus episcopi ad dignam hæsitant pœnitentiam imponendam: hic talis licenter a papa remedium sumere potest. C Nam inconsulto episcopo suo, ab apostolico pœnitentiam & absolutionem nemini accipere licet. Sane, ut exempli causa aliquid dicatur, beatus Martialis Aquitaniæ apostolus Stephano regi Galliarum, qui sub Nerone Galliam usque ad montes Pyrenæos regendi habebat potestatem, pro virginis Valeriæ interfectione cæterisque reatibus jam pœnitentiam indixerat, jam fonte baptismatis, quo cuncta delentur admissa, ipsum purificaverat. Attamen quia necesse principi fuit, ut Romam cum legionibus Galligenis, jubente Nerone, properaret: præmonente, ut credimus, beato Martiale, beatum Petrum apostolum adiit, & pro virginis interfectione ab eo se absolvi postulavit. Illa profecto principis absolutio a beato Petro, confirmatio illius fuit absolutionis & pœnitentiæ, quam ei D beatus Martialis indixerat. Certe beatus Petrus si sciret illum esse a beato Martiale excommunicatione obligatum, potius eum damnaret quam absolveret. Sic apostolici Romani episcoporum omnium sententiam confirmare, non dissoluere debent: quia sicut membra caput suum sequi, ita caput membra sua necesse est non contristari. Referam vero ad ædificationem, quod dudum de illo milite contigit Vascone, qui jubente duce Vasconum Sancio, seniorem suum decollavit, invitus tamen, & errore ducis perterritus id egit, interminante irato duce, & dicente: Nisi istum occideris, occidam te. Uno ergo ictu seniorem proprium decollavit: & gravissimo dolore re- E pletus, ad episcopum suum pœnitentiæ causa recucurrit. Cui ille compassus dixit: Debueras pro seniore tuo mortem suscipere, antequam illi manus aliquo modo inferres, & martyr Dei pro tali fide fieres: sed gravissimum reatum egisti, & nobis inauditum. Nescio tibi consilium ferre pœnitentiæ, sed vade quantocitius ad papam Romanum. Si tibi ille pœnitentiam concedit, & ego gaudeo, & confirmo: si te ille abjecerit, nunquam nec a me nec ab aliquo invenies pœnitentiam. Quod ille concitus implevit, & cum testibus detulit secum litteras episcopi sui. Et cum

A apostolicus secunda paschali feria apud sanctum Petrum sacra agens post euangelium resedisset, cœpit ille reus ante eum in conspectu totius ecclesiæ gravissime plorans & suspirans exclamare, dicens: Pœnitentiam volo, domine: Pœnitentiam volo, domine. Et apostolicus, qui dextra lævaque ei assistebant ait: Requirite pro qua culpa. Ille inquisitus nihil aliud dicebat: Creatorem meum offendi: Creatorem meum offendi. Cui apostolicus: Cur, inquit, episcopum tuum non expetebas? Et ille: Episcopus meus me misit ad te. Tunc testes apostolico suggesserunt culpam, eique litteras episcopi protulerunt. Sic apostolicus episcopo qui a dextris ejus stabat locutus est, dicens: Recogita autoritatem divinam, quali pœnitentia hic mortuus possit vivificari. Et episcopus ait: Dominus dicit in euangelio: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet.....* Matth. 19.

Cætera desiderantur.

**DE FICTITIO BELLOVAC. CONCILIO.

OBSERVATIO GABR. COSSARTII.

Baronius ad annum 1034. celebratum ait Bellovacense concilium diebus post Bituricense quindecim, ab episcopis Lemovicas convenientibus; idque Lemovicensis secundi acta testari. In quo ipsum Binius, ac Binium alii deinde secuti sunt. Mirum est autem, repertos fuisse quibus persuaderent, episcopos Aquitaniæ primæ, Bellovaci in Belgica celebrasse concilium, & intra dies 15. tum in Bellovacis, tum in Lemovicibus fuisse. Sed nimirum Bellilocense dicere volebat Baronius: & hoc mendum, ejus amanuensi tribuendum est. Bellilocensis quippe monasterii non longe a Lemovicum civitate distantis mentio fit in actis concilii Lemovicensis: ubi cum *Bellocense* corrupte scriptum esset, Bellovacense mali critici legerunt. Sed habiti in eo loco concilii nullum in his actis vestigium.

ANNO CHRISTI 1031.

**CONCILIA DIVERSIS GALLIARUM LOCIS HABITA ANNO CHRISTI M. XXXI.

In quibus pax, & publica securitas constituta, & feriæ sextæ atque sabbati religio sancita est.

POST *gravem inopiam famemque sævissimā, succedente summa frugum ubertate & copia, populu partim excitarunt episcopi, ad divinā agnoscendam beneficentiam: partim recente calamitatis memoria deterruerunt a criminibus, præsertimque a privatis inter se bellis, rapinis, cædibus, sacrarum rerum direptionibus. Hæc occasio tot conciliorum. De quibus in hunc modum scribit Glaber Rodulfus, lib. IV. historiæ, cap. V.* Tunc ergo, *inquit*, primitus cœpere in Aquitaniæ partibus, ab episcopis & abbatibus cæterisque viris sacræ religionis devotis, ex universa plebe coadunari conciliorum conventus. Ad quos etiam multa delata sunt corpora sanctorum, atque innumerabiles sanctarum apophoretæ reliquiarum. Dehinc per Arelatensem provinciam, atque Lugdunensem, sicque per universam Burgundiam usque in ultimas Franciæ partes per universos episcopatus indictum est, qualiter certis in locis à præsulibus magnatisque totius patriæ de reformanda pace & sacræ fidei institutione celebrarentur concilia. Quod etiam tota multitudo universæ plebis audiens, lætanter adiere maximi, mediocres, ac minimi: parati cuncti obedire quicquid præceptum fuisset a pastoribus ecclesiæ. Non minus videlicet, quam si vox emissa de cælo hominibus in terra loqueretur. Terrebat enim universos clades præteriti temporis, instabatque metus ne adipiscerentur opulentiam futuræ ubertatis. Erat quippe descriptio capitatim digesta, qua continebantur tam illa quæ fieri prohibebantur, quam ea, quæ devota sponsione omnipotenti domino offerre decreverant.

In

ANNO CHRISTI 1031.

In quibus potissimum erat de inviolabili pace conservanda, ut scilicet viri utriusque conditionis, cujuscumque antea fuissent rei obnoxii, absque formidine procederent armis vacui. Prædo namque aut invasor alterius facultatis legum districtione arctatus, vel donis facultatum seu pœnis corporis acerrime multaretur.

Locis nihilominus sacris omnium ecclesiarum honor & reverentia talis exhiberetur, ut si quis ad ea cujuscumque culpæ obnoxius confugium faceret, illæsus evaderet, nisi solummodo ille qui pactum prædictæ pacis violasset: hic tamen captus ab altari, præstitutam pœnam lueret.

Clericis similiter omnibus, monachis, & sanctimonialibus, ut si quis cum eis per regionem pergeret, nullam vim ab aliquo pateretur.

Plurima autem in eisdem conciliis constituta sunt quæ perlongum duximus referre.

Illud sane memorandum, quod omnibus in commune placuit, qualiter omnibus hebdomadibus sanctione perpetua, sexta die abstineretur a vino, & carnibus septima: nisi forte gravis infirmitas compelleret, aut celeberrima solemnitas intervenirer. Si vero affectio aliqua intercederet, ut hic tenor paululum laxaretur, tres proinde pauperes victu sustentarentur.

Tunc innumeræ sanitates patratæ sunt infirmantium, in eisdem conventibus sanctorum.

L. 3. c. 52. *Eodem spectat commemoratum in Baldrici chronico Gallicanorum antistitum decretum. Cujus tempus cum Baldricus non notet, & Sigeberti editio prima annum* 1032. *Miraana sequentem designet: admonet res ipsa referendum ad hæc de quibus Glaber loquitur concilia, quæ intra unius anni spatium non omnia forte perfecta sunt.* Istiusmodi decretum, *inquit Baldricus*, a Franciæ episcopis datum est servari subjectis sibi populis. Vnus eorum cælitus sibi delatas dixit esse litteras, quæ pacem monerent renovandam in terra. Quam rem mandavit cæteris, & hæc tradenda dedit populis: Arma quisquam non ferret, direpta non repeteret, sui sanguinis vel cujuslibet proximi ultor minime existens percussoribus cogeretur indulgere, jejunium in pane & aqua omni sexta feria observarent, & in sabbato a carne & pinguamine: soloque hoc contenti jejunio in omnium peccatorum satisfactionem, nullam sibi scirent aliam adjungendam pœnitentiam: & hæc se servare sacramento firmarent. Quod qui nollet, Christianitate privaretur, & exeuntem de sæculo nullus visitaret, nec sepulturæ traderet. Alia quoque quam plura dederunt mandata, quæ oneri visa sunt replicare.

Hac novitate pulsatus mandati præsul noster, *Gerardus Cameracensis episcopus*, infirmitatique peccantium condescendens, secundum decreta sanctorum patrum, ad singula suum formavit eloquium. Genus humanum ab initio trifariam divisum esse monstravit, in oratoribus, agricultoribus, pugnatoribus: horumque singulos alterutrum dextra lævaque foveri evidens documentum dedit. Oratorum a sæculi vacans negotiis dum ad Deum vadit intentio, pugnatoribus debet, quod sancto vacat otio; agricultoribus, quod eorum laboribus corporali pascitur cibo. Nihilo minus agricultores ad Deum levantur oratorum precibus, & pugnatorum defensantur armis. Pari modo pugnatores dum reditibus agrorum annonantur, & mercimoniis vectigalium solatiantur, armorumque delicta, piorum, quos tuentur, expiat precatio sancta: foventur, ut dictum est, mutuo. Quibus dum Abraham, & Iosue, & David, ex voce domini arma tulisse in prælium vetus ostendit pagina, & sacerdotes gladio accingunt reges: regnante gratia, in nostra matre ecclesia, Dei sponsa, officium non est in culpa, si deest peccatum in conscientia. Hos & apostolus ministros Dei appellat, ita dicens: *Minister enim Dei est, vindex in iram.* Rom. 13. subinferens: *Non enim sine causa gladium portat.*

Rapinas reddere debere ut vetus sileat mandatum, Zachæi satis est exemplum, dicentis ad dominum: *Si quem defraudaui, reddo quadruplum.* Nec Luc. 19. peccant qui repetunt, licet audiant: *Si quis quæ tua* Luc. 6. *sunt tulerit, ne repetas.* Duo enim legimus, & tacuisse dominum interrogatum; & non interrogatum fuisse locutum. Cujus silentiũ ita non est otiosum, quemadmodum est salutiferum ejus verbum. Vt enim laudavit Zachæum de rapinarum redditione, ita siluit de earum repetitione pro inevitabili necessitate. At ubi dixit, *ne repetas*, permisit perfectis quod habebant in voto, pro resecanda cupiditate: non imperavit, ut dixi, pro necessitate. Itaque illic non prohibuit repetere, & hic concessit repetere. Inde reges per sanctos patres edocti, statuerunt firmas leges, ut res suas injuste sublatas, ecclesia, vel quilibet, juste repeteret: quas legaliter cogeretur, qui rapuerat, restituere.

Similis stat sententia inter percussorem hominis & ultorem proximi. Percussor enim debet ultorem satisfactione placare & muneribus, quem læsit & offendit subtractis amici mortui consolationibus. Neque cogi debet absque placatione ad ignoscendum, cui dominus misit ab altari reconciliatorem Matth. 5. munus offerentem: quem utinam minus perfectum, hæc a pœnitente oblata trahat benivolentia.

Iejunium in sexta vel septima feria generaliter non est omnibus imponendum, quibus nec una est sanitas corporis, nec æqualiter remordet accusatio peccati: sed nec sufficiens est omnibus peccantibus hæc satisfactio credenda. Crescentia quidem in dies crimina purganda sunt secundum euangelii, apostolorumque, & canonum decreta: nec est conveniens, ut alia his contraria, qui præsunt, jubeant populo: eisque concordent, qui organa facti Spiritus sancti, per ejus flatum sonuerunt sua verba vel scripta, ne videantur destructa.

Excommunicatione quoque non sunt feriendi, qui hæc sacramento firmare noluerint: cum de servando uno mandato satis infirma sit fragilitas humana, nedum perjurio in omnibus his neglectis teneatur adstricta. Quando autem ab hoc sæculo ad aliud quis habet ire, mens ejus naturaliter habens oblivisci & memorari, magnitudine seu novitate viæ nimis extra se sparsa, & propterea aliquantulum sui oblita, consolationibus piorum debet revocari, ut pœniteat de peccatis, etiamsi tunc usque fuit obdurata: ne dicam, ut ei postulanti, hæc, quod absit, denegetur misericordia. Mortuum etiam quemlibet peccatorem terræ tradere, Dei dixit autoritas: ex quo peccator, omnium peccatorum occisor, audivit: *Terra es, & in terram ibis.* Gen. 3.

Eadem habet Sigebertus, iisdemque verbis, usque ad Gerardi orationem, quam in compendium contrahit. Eademque Sigeberti verba Albericus in chronico, Ad an. 103 *& Vincentius Bellovacensis in speculo historiali descripserunt.* L. 25. c. 16.

Ad pactum idem pacis juramento sanciendæ pertinet quod habet Baldricus idem, nec ulla tempo- L. 3. c. 26. *ris nota consignat. Accidisse tamen oportet ante annum* 1030. *exeuntem, siquidem ibi mentio Beroldi Suessionensis episcopi, & VVarini Bellovacensis, qui anno* 1030. *obiisse ambo perhibentur.* Ipso in tempore, *inquit*, videntes episcopi, B. [1] Suessionensium, & VV. [2] Belvacensium, præ imbecillitate regis, peccatis exigentibus, statũ regni funditus

1 Beroldu
2 VVarinu

ANNO CHRISTI 1031.

gni funditus inclinari, jura confundi, usumque patrium & omne genus justitiæ profanari: multum reip. succurrere arbitrati sunt, si Burgundiæ episcoporum sententiam sequerentur. Hi nimirum totius autoritatis expertes, commune decretum fecerunt, ut tam sese quam omnes homines sub sacramento constringerent, pacem videlicet & justitiam servaturos. Hujusmodi igitur commento prædicti episcopi excitati, superioris quidem Galliæ coepiscopis conspirantibus, etiam domnum Gerardum episcopum* ut secum sentirent pariter monuerunt. Qui altius causas advertens, procul renuere æstimavit, cunctisque perniciosum consilium ac impossibile intelligens, nullum assensum porrexit: Hoc enim non tam impossibile, quam incongruum videri respondit, si quod regalis juris est, sibi vendicari præsumerent. Hoc etiam modo, sanctæ ecclesiæ statum confundi, quæ geminis personis, regali videlicet ac sacerdotali, administrari præcipitur. Huic enim orare, illi vero pugnare tribuitur. Igitur regum esse, seditiones virtute compescere, bella sedare, pacis commercia dilatare: episcoporum vero, reges, ut viriliter pro salute patriæ pugnent, monere; ut vincant, orare. Hoc ergo decretum periculosum esse omnibus, omnes videlicet aut jurare, aut anathemati subjicere. Omnes enim communi peccato involui, si commento hujusmodi uterentur. Itaque episcopum dissentientem cæteri coepiscopi occultis reprehensionibus improbabant, dicentes eum non esse pacis amicum, qui pacem volentibus dissentiret. Postea vero suorum crebro hortamine circumventus, sed maxime abbatum Leduini * videlicet & Rotrici precatu coactus, acquievit invitus. Sed quod ante reclamabat, postea probavit eventus. Vix enim paucissimi crimen perjurii evaserunt. *Hæc Baldricus*.

Camera-censem.

* *al.* Lietduini.

NOTÆ GABR. COSSARTII S. I.

Horum conciliorum, quibus pacem constitutam, & mutuis privatorum incursionibus, prædis, cædibus, obviam itum esse discimus ex Glabro, duo superius a nobis edita sunt, Bituricense & Lemovicense II. ac fortassis etiam Karrofense, ut supra observavi pag. 860

Cæterum in anno indicando lapsus est Glaber, & Hugonem Flaviniacensem aliosque in errorem induxit. Nam anno 1033. celebrata scribit; eoque anno, quo Robertus rex Francorum mortuus est. Atqui mortuum esse Robertum anno 1031. cum scriptores ferme asserunt cæteri, tum alia probant a Labbio nostro indicata, Gallicæ Chronologiæ Tomo IV. quibus ego argumentum addo certissimum, petitum ex concilio Lemovicensi II. quod & anno 1031 celebratum est, ut supra probavi; & mortuo jam Roberto, ut acta ipsa testantur. Hæc de tempore.

Eam autem, de qua constituenda hic agitur, pacem, minus caute nonnulli cum treuga domini confundunt. Plenam perfectamque pacem his in conciliis fundare cogitabant episcopi: sed cum hoc non processisset, conati sunt, post annos decem, saltem inducias obtinere, certis præscriptis in hebdomade diebus, quibus ab inferenda cuiquam injuria prorsus abstineretur *& placuit universis*, inquit Glaber, l. 5. c. 1. in gestis anni 1041. *ut treuga domini vocaretur.* Sed hoc suo loco reservamus ad annum scilicet 1041.

CONCILIUM TRIBURIENSE, PRÆSENTE CONRADO IMPERATORE anno M. XXXI. habitum.

De primi mensis jejunio.

ANNO CHRISTI 1031.

HUIUS *acta concilii Baldricus summatim enarrat in chronico Cameracensi, libro* III. *cap.* LI. Triburiæ, *inquit*, secus Maguntiam imperator Conradus de diversis partibus episcopos convocavit, ut quæ utilitatis & religionis sunt, ad invicem conferrent. Qui post aliqua dictorum suorum, hoc habuerunt capitulum: ut, si quando jejunium primi mensis, in ea hebdomada qua constat caput jejunii, sicut solet, eveniret, amborum jejuniorum celebritas una officii expletione compleretur. In hoc rursus moderatissimus pastor (*Gerardus Cameracensis episcopus*) antiquam patrum consuetudinem servari monebat; & in altera hebdomada officium primi jejunii celebrandum, pro consuetudine antiqua censebat. Cujus oblata sententia, visa est congrua, & ab eis decreta est tenenda. *Eadem æqualis Baldrici Sigebertus habet, annoque* 1031. *consignat: quem autorem sequimur. Addit regalem & synodalem fuisse conventum: neque solum Gerardum, sed paucos aliquot cum eo episcopos cæterorum decreto contradixisse.*

ANNO CHRISTI 1031.

CONCILIUM PICTAVENSE, ANNO M. XXXII. HABITUM.

ANNO CHRISTI 1032.

De fide catholica: de rebus ecclesiasticis per fraudem aut vim ablatis: de terris monachorum liberis integrisque servandis.

HUIUS *synodi Malleacense chronicon ad annum* M. XXXII. *in hæc verba meminit.* Eo tempore, *inquit*, fuit concilium factum Pictavis de fide Catholica, rege Roberto concedente, ut per omnes civitates fierent concilia. Inter cætera ergo accidit, ut in Pictava urbe, sicut diximus modo, concilium ageretur. duce nobilissimo * VVillermo videlicet, & Isemberto urbis illius episcopo, Iordane Lemovicensium præsule, atque Arnaldo Petragoricensis regionis, & diversorum ordinum abbatibus videlicet, monachis, & clericis: necnon & fidelibus populis. Cum igitur de pluribus tractarent, statuerunt, ut si quis homo res sanctæ Dei ecclesiæ fraudulenter ac violenter possideret, quas injuste rapuerat, cum summo studio restitueret; & ut terras monachorum integras liberasque persolverent.

* *Guillelmus hic IV. cognomento Magnus.*

LEGES ECCLESIASTICÆ CANUTI REG. QUÆ VEL SEORSUM EXTANT A SÆCULARIBUS, vel sparsim in eisdem reperiuntur, e Saxonico translatæ.

ANNO CHRISTI 1032.

TABULA LEGUM ECCLESIASTICARUM.

ANNO CHRISTI 1032.

XXI. *Ad Deum ex intimis colendum, & fidem.*
XXII. *Vt orationem dominicam & symbolum calleant.*
XXIII. *Vt exitialia fugiant.*
XXIV. *Et inter hæc stuprum, &c.*
XXVI. *Vt caveant sibi de tremendo judicio.*
XXVI. *Vt episcopi & sacerdotes fide obeant officia.*

PROOEMIVM.

CONSVLTVM, quod Canutus Anglorum, Dacorum, & Norvvegiensium rex, ex sapientum consilio, ad Dei immortalis gloriam, regiæ majestatis ornamentum, & reipublicæ utilitatem, natalitiis domini nostri Iesu Christi diebus, VVintoniæ sancivit.

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

Regii manuscripti infra editi capitul. 1.

Primum omnium, unum Deum, ad omnes sæculorum ætates, auguste sanćteque venerentur omnes: unam Christianæ religionis regulam religiosissime tenento: Canutum regem omni fidelitate & observantia prosequuntor.

II.

Regii manuscripti capitul. 2.

Templum Dei pia & æterna pace tueamur, idque crebro frequentemus omnes, cum ad animorum nostrorum salutem, tum ad reliquorum accessionem & emolumentum. Sacras ædes plane omnes Christi pax una comprehensas habet: eam igitur magno in cultu atque honore habere Christianos omnes par est. Pax etenim divina præ cæteris exoptanda & retinenda est: proxime vero & secundum hanc, pacem servari regiam oportet. Pacem igitur ecclesiæ Dei intra parietes suos, & Christiani regis traditam manu tranquillitatem, maxime convenit ratam iri semper atque inviolatam. Si quis itaque alterutram violarit, prædiis mulćtatus morte afficitor: nisi quidem rex sceleris pœnam condonaverit. Sin pacem ecclesiæ Dei unquam posthac adeo violarit quisquam, ut intra fani parietes hominem trucidet: esto id quidem inexpiabile, atque in eum omnes amore Deum prosequentes infesti feruntor: ni isthinc prius evolarit, atque ad ejusmodi aliquod asylum confugerit, ut rex eum, cumulate tum Deo tum hominibus data compensatione, vita frui patiatur. Id quod si fecerit, numerata Christo & regi proprii capitis æstimatione, facito sibi ad compensationem aditū. Tum, si ad pactionem ventum fuerit, eamque rex fieri patietur, integram (quæ est nomine pacis regiæ violatæ) mulćtam ecclesiæ pendito: templum de more purgari curato: cognatis atque cæsi domino, quod æquum erit præstato: cum Deo denique in gratiam redire summa cum cura & diligentia studeto.

III.

Regii manuscripti capitul. 3.

Sin cæde nulla perpetrata pacem ecclesiæ minuerit quisquam, pro ratione delićti compensatio sequitor, sive is pugnarit, sive rapuerit, sive facinus aliud quodcumque admiserit. Primum tamen, pro ratione facinoris, & ecclesiæ dignitate, pacis violatæ mulćta erit ecclesiæ præstanda. Neque vero una eademque est omnium templorum terrena dignitas, sint quamquam omnia ejusdem divinæ consecrationis socia. In iis etenim quæ possint expiari criminibus, pacis in æde primaria quacumque violatæ pœna, regiæ pacis ruptæ mulćtam exæquat, libras nimirum quinque, jure Anglorum: in secundaria autem & mediocri, pacis perturbatio centum & viginti solidis pensatur, mulćta scilicet regia: in fano vero minore, ubi sacra minus sæpe peraguntur, cui sit tamen locus sepulturæ destinatus, sexaginta solidorum pœna esto: in fano denique campestri, ubi nullum fuerit cœmeterium, pacis perperturbatori tricenorum solidorum mulćta irrogator.

IV.

Regii manuscripti capitul. 3.

Christiana fide imbutos omnes maximopere convenit sanćtimoniam, ordines, Deoque consecrata loca religiosissime in pace tueri, atque suam cuique ordini dignitatem tribuere. Sciat enim quisque (qui scire saltem volet aut poterit) magni esse ponderis & momenti quod sacerdoti faciundum est pro salute populi, si modo rite Deo placere studuerit. Miri sunt etenim exorcismi, atque admirabiles illæ consecrationes, quibus, in baptisterio & eucharistia sacrandis, hostis humani generis pellitur ac profligatur. Angeli siquidem circumfusi sacra custodiunt, & divina freti potentia, sacerdoti (quoties rite Deum coluerit) subveniunt. Id quod faciunt quidem omni tempore, cum sacerdos Christum suppliciter ex animo rogarit, atque ab eo flagitarit quæ sunt populo ad vitam necessaria. Hi igitur propter Dei timorem, pro sui ordinis dignitate, ab aliis discernuntor.

V.

Regii manuscripti capitula 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Si quis itaque sacerdotem, ad certam aliquam religionis normam viventem in crimen vocarit, atque is nullius sibi sceleris conscius fuerit: Missam, si modo id facere non vereatur, celebrato, & eucharistiæ perceptione unius calumniam omnem solus contundito: sin trium fuerit accusatio, percepta, si modo ausus fuerit, eucharistia, atque adjunćtis sibi aliis ejusdem ordinis duobus, omnem cogitati sceleris suspicionem diluito. Diaconum ad certam religionis formulam viventem si quis singulari calumnia criminis reum fecerit, assumptis ordinis ejusdem duobus aliis, diaconus se crimine liberato. Criminatio sin fuerit tripla, admotis ordinis ejusdem viris senis, se culpa exoluito. Plebeium sacerdotem, qui se ad nullam certam religionis regulam astrinxit, si quis insimularit, perinde ut diaconus ex præscripto vivens, is crimen purgato. Si eorum qui aræ deservierint aliquis amicis orbatus, adeoque qui secum una pariter jurent non habens, criminis fuerit postulatus, panem execratione devotum comesto, atque de eo fiat prout divina feret voluntas, nisi quidem licitum fuerit eucharistiæ perceptione se culpa liberare. Si quis sacris initiatus, capitales suscepisse inimicitias, atque adeo alicujus interficiendi aućtor aut consiliarius fuisse insimuletur: admotis, quorum intersit vel simultatem illam sustinere, aut cædem compensare, cognatis, crimen diluito. Cognatos autem si nullos habuerit, vitæ comites ac socios admoveto, aut jejunato, aut, si opus esse videbitur, panem certis verbis devotum comesto, atque de eo fiat prout divinum feret judicium. Monachus vero, susceptarum inimicitiarum nomine, jure non petat, neve pendito quidquam. Reliquit enim & abjecit quidquid sibi jure cognationis competebat, cum primo se ad formulam vićturum est professus. Sacrificus, si minime fuerit in dicendis testimoniis religiosus, si peierarit, faciendive furti aućtor fuerit aut consiliarius, dignitate muneris sui dispoliatus, omni tum societate, tum amicitia & honore privator: nisi quidem Deo & hominibus, pro eo ac fuerit ei ab episcopo imperatum, cumulatissime satisfecerit. Satisdato tamen se postea ab istiusmodi flagitiis temperaturum. Sin se purgare voluerit, facito id quidem sive excusatione tripla, sive aliter, prout ipsa feret fańti ratio.

Sacerdotis regula is purgatio. — Diaconi regularis. — Sacerdotis sæcularis. — Altari serviens. — Ordinatus homicida. — Monachus — Sacerdos peierans, &c.

VI.

ANNO CHRISTI 1032.

V.

Regii manuscripti capitulum ... Hortatio ad clerum.

Porro autem præcipimus, ut uniuscujusque ordinis singuli, muneris atque officii sui religionem diligenter sancteque teneant. Servi præsertim Dei, episcopi, cœnobiarchæ, monachi, moniales, canonici, ac vestales, quæ ad officium pertinent curanto, ad formulam & præscriptionem vitam dirigunto, Christum dies ac noctes sæpe & multum invocanto, atque eumdem denique pro omni populo Christiano deprecantor. Dei vero ministros omnes, præsertim sacerdotes, precamur atque edocemus, uti Deo pareant, castimoniam caram habeant, iram ut vitent divinam, atque torrentes inferorum flammas effugiant. Sane quidem certo sciunt non licere eis veneris causa feminarum societatem coire. Qui vero sibi ab his temperarit, ac castitatem coluerit, divinam consequitor miserationem, atque ad terreni honoris cumulum pari cum thano jure fruatur.

VII.

Regii manuscripti capitula 14.

Christiana fide imbuti omnes, propter Dei timorem illicitas carnis libidines coercento, ac jussis divinæ legis obtemperanto. Porro autem edocemus, precamur, atque per Dei immortalis nomen præcipimus, ne Christiana fide tinctus quisquam, intra sextum suę cognationis gradum nuptias contrahat, neve cognati, quicum ei fuerat intra sextum gradum necessitudo, viduam in matrimonium ducat, neque porro ei, quam antea habuerat uxorem, aliquam consanguinitate propinquam sibi in matrimonio jungat. Susceptricem ad sacrum fontem, vestalem virginem, aut repudiatam, in matrimonium Christianus ne ducito. Denique qui Dei leges cura complexus fuerit, suamque ab æternis inferorum flammis animam prohibere studuerit, scorta ne sectator, uxorem quoad ea vixerit, unicam, eamque legitimo nuptiarum fœdere conjunctam, nec plures, habeto.

VIII.

Regii manuscripti capitulum 15.

Quotannis quisque Deo jura justasque debitiones rite persolvito: arationis quidem eleemosynam ad decimum quintum a paschate diem pendito: fetuum decimas ad pentecosten solvito: terræ denique fructuum decimas reddito ad festum omnium sanctorum celebre. Verumenimvero si quis decumas ad eum quem diximus modum, ex decima nimirum arationis acra, dare noluerit, præpositus regius, episcopus, fundi dominus, fanique sacerdos, conveniunto, atque eo vel invito decimam ecclesiæ, cui quidem debetur, partem, nona ei relicta, reddunto. Quod ad residuas octo partes attinet, quatuor qui est fundi dominus, reliquas illius diœcesis episcopus habeto. Id quod faciundum erit, sive is fuerit minister regis, sive nobilis alterius cujuscumque.

IX.

Regii manuscripti capitulum 16.

Nummus Romæ debitus, ad festum divi Petri redditor: qui tum non soluerit, episcopo denarium illum, aliosque præterea ter denos, numerato, ac regi eo nomine ducenos dato & viginti solidos.

X.

Regii manuscripti capitulum 17.

Seminum primitiæ ad festum divi Martini penduntor. Si quis dare distulerit, eas episcopo undecies præstato, ac regi ducenos & viginti solidos persoluito.

XI.

Regii manuscripti capitulum 18.

Thanus si in loco ex scripto possesso templum habuerit, cui locus adjaceat sepulturæ destinatus, decumarum suarum trientem in id conferre ei potestas esto. Sin circa templum nullus fuerit desi- A gnatus humationi locus, tùm qui est fundi dominus dato sacerdoti novem partium reliquarum quantulum ei visum fuerit. Ex singulis ingenuorum focis census ecclesiasticus templo reddatur primario.

XII.

Regii manuscripti capitulum 19.

Ter quotannis ad lucernas pecunia conferatur, festo quidem paschatis in singulas terræ hydas ceræ obulus imponitor, ad festum omnium sanctorum celebre tantumdem redditor, similiter fiat ad festum purificationis divæ Mariæ.

XIII.

Regii manuscripti capitulum 20.

Porro autem æquum est, ut effosso tumulo ipsa protinus numeretur pecunia sepulcralis. Atque si quis extra suæ parœciæ fines mortuum humarit B aliquem: ipsa nihilo secius pecunia sepulcralis, ecclesiæ, ad quam jure pertineat, redditor.

XIV.

Regii manuscripti capitul. 21.

Iura atque officia divina omnia studiose quisque ita uti convenit tuitor ac conservato: dies festos ac jejunia, summa cum ceremonia celebrato: diem dominicum ab ipsa Saturni diei hora pomeridiana tertia in primam usque diei Lunaris lucem festum agito. Cæteras denique ferias, perinde ut fuerint a sacerdote indictæ, solennes agito.

XV.

Regii manuscripti capitulum 22.

Die quidem dominico mercata concelebrari, populive conventus agi, nisi flagitante necessitate, planissime vetamus: ipso præterea die sacrosancto, C a venatione & opere terreno prorsus omni quisque abstineto.

XVI.

Regii manuscripti capitulum 23.

Instituta omnia, sive quatuor temporum, sive quadragesimæ, sive alia quæcumque, religiosissime celebrantor jejunia. Ad singulos divæ Mariæ atque apostolorum omnium dies festos, excepto unico Philippi & Iacobi, quo paschatis gratia cibo non temperatur, jejunia sunto. Singulo quoque veneris die, nisi quidem festus agatur, jejunium esto. A paschate vero usque ad Pentecosten, atque ab ipso natali Iesu Christi die ad octavam usque ab epiphania lucem, jejunia nemo observato, nisi quidem judicio ac voluntate fecerit sua, aut id ei D fuerit a sacerdote imperatum.

XVII.

Regii manuscripti capitulum 24.

Porro autem festis diebus omnibus, quatuor temporum jejuniis, quadragesima, cæterisque omnibus quibus rite fuerit indictum jejunium diebus, omnis ordalii ac jurisjurandi jurisdictio intermittitor. Ab anniversario item adventus domini die festo ad octavum usque ab epiphania diem, atque a septuagesima ad decimamquintam a paschate lucem, justitium edicimus. Sane quidem annua divorum Edvvardi & Dunstani festa religiose ab Anglis decimoquinto Kalendas Aprilis, & decimoquarto Kalendas Iunii, celebranda sapientes instituerunt. His ergo festis solemnibus, Christiana fide E tinctis omnibus, ita uti convenit, festa & tranquilla pax esto, omnisque procul absit fraus & malitia. Atque si quis alteri sive fidejussionis, sive compensationis nomine debuerit quidquam, aut ante hosce dies, aut continuo pone retribuito.

Festa sanctorum Edvvardi & Dunstani.

XVIII.

Regii manuscripti capitulum 25. Pii regis pia exhortatio.

Christiana fide imbutos omnes, pro sui quem in Deum habent amoris magnitudine, obtestamur, ut quæ sunt sibi ad salutem necessaria cupide animo & cogitatione comprehendant. Adveniet etenim tandem aliquando tempus, cum divinæ paruisse voluntati, tum cum liberum dabatur spatium, multis partibus malimus, quam omnes omnium qui in terris degunt possedisse fortunas. Sane quidem

ANNO CHRISTI 1032.

quidem uniusmodi nobis omnibus, ut fuerint cujusque facta, decernetur stipendium. Tum denique væ miseris, qui vivi æterna inferorum supplicia promeruere. Quin igitur a delictis diligentius declinemus, ingenue sacerdoti peccata quique fateamur, ab omnibus in posterum maleficiis abstineamus, admissa officiose compensemus, eas denique aliis imponamus leges, quibus ipsi parere non gravaremur. Hoc enim sincerum est judicium, Deoque gratum & acceptum, vereque beatus est quisquis ex formula judicarit. Rerum siquidem omnium auctor præpotens Deus nos omnes creavit, atque ingenti redemit precio, propria scilicet quam pro nobis efflavit anima.

XIX.

Regii manuscripti capitulum idem.

Christiana fide imbutus quisque, quæ sibi ad salutem conducunt efficito omnia, in Christianam fidem ac religionem omni cogitatione curaque incumbito: ac qui ea quæ sunt sibi ad salutem necessaria animo ac mente, ut quidem omnes velle debebunt, concipere voluerit, ter saltem quotannis ad eucharistiæ perceptionem animum præparato. Dicta factaque sua omnia, qui se gratiosum fore confidit, rite dispensato, atque ordine disponito, jusjurandum datamque fidem religiosissime servato, injustitiam pro sua quisque virili parte ditionis nostræ finibus omnem arceto, justitiam denique divinam dehinc dictis factisque studiose persequitor, atque ita tandem aliquando divinam omnes cumulate consequemur miserationem.

XX.

Regii manuscripti capitulum 26.

Præterea autem ipsi exequamur quod aliis imperamus. Semper quidem in dominum nostrum animo firmo simus atque fideli, honorem ejus omnibus nervis ac facultatibus nostris tueamur, ejusque pareamus voluntati. Quidquid enim erga dominum, ea ducti fidelitate quæ est cum virtute & officio conjuncta, fecerimus, magno id nobis erit emolumento: namque in hoc ipso Deus summus omnium rector & dominus egregie nobis fidelis erit. Maxime igitur interest, famulos domini ratione ut regant & gubernent.

XXI.

Regii manuscripti capitulum 27.

Christiana fide imbutos omnes admonemus graviter, ut ex animo Deum amore & perpetuo quodam judicio diligant, Christianam fidem religiosissime conservent, divinis doctoribus haud gravate pareant, Dei leges & doctrinam diligentissime perscrutentur, atque ad suam ipsorum utilitatem sæpe ac multum exquirant.

XXII.

Regii manuscripti capitulum idem.

Hortamur insuper, ut Christianus quisque ita quidem discat, sinceram ut saltem probe calleat fidem, atque orationem dominicam, & apostolorum symbolum perdiscat. Horum etenim altero Christiana fide tincti divinum implorant numen, altero puram honestamque de numine Dei profitentur opinionem. Ipse Christus orationem dominicam protulit primus, eamque discipulos edocuit. Divina autem precatio illa ex septem conflatur petitionibus: quas qui non simulate, sed ex animo fatus fuerit, cum Deo ipso de iis omnibus, quæ sunt ad vitam vel præsentem vel consequentem necessaria, colloquitur. Verum enimvero qua tandem poterit ratione quisquam ex animo Deum precari immortalem, nisi quidem illi sincere ac candide fidem habuerit? Et quidem qui hæc condiscere noluerit: nec ullam morte deletus cum Christianis capiet tranquillæ quietis partem, nec vivus & superstes ad eucharistiam admittetur, nec ipso denique viri Christiani nomine dignus putabitur. Immo nec ei liceto officia & partes ad sacrum fontem, vel coram episcopo, pro alio suscipere, ni hæc prius perdiscat, & pulcre calleat.

XXIII.

Regii manuscripti capitulum idem.

Hortamur etiam, ut exitialia crimina, sceleraque atrocia atque immania, singuli semper studiose declinent: & si quid forte impulsu diaboli delinquitur, id omne documento sacerdotis resarcitor.

XXIV.

Regii manuscripti capitulum idem.

Admonemus porro, turpe ut stuprum, illicitam venerem, atque fœderis conjugalis violationem, omne tempus ætatis devitent singuli.

XXV.

Regii manuscripti capitulum idem.

Porro autem docemus, ut in omnium semper animis Dei timor penitus insideat, dies noctesque supplicia pro maleficiis metuant, diem judicii timeant, tetros inferorum cruciatus horreant, extremum denique vitæ diem instare quotidie atque imminere arbitrentur.

XXVI.

Regii manuscripti capitulum idem.

Sunto sane episcopi Dei præcones, ac divini juris interpretes. Eorum est rerum divinarum commoda prædicare palam, seque aliis exempla vivendi ad imitandum exponere, aures vero animumque ad ea attendant qui velint. Malus siquidem est custos qui creditum sibi gregem voce, si ultra non detur, adversus eum qui spoliaturus venit, non defenderit. Vnus autem omnium nocentissimus est diabolus, qui operose hoc unum molitur semper, ut mortalium animis struat calamitatem. Quapropter pastores vigilare, excubare, & proclamare oportebit, ut quæ populo ab his infensis adversariis impendent mala, eis prævisa atque præcauta sint omnia. Pastores vocamus episcopos & sacerdotes, quorum partes sunt eruditione atque doctrina gregem domini speculari ac defendere: ne eum aliquando lupus furore & scelere inflammatus mordicus laceret atque dilaniet. Verumtamen si quis tum denique fuerit, cujus aures divinis præceptis ac monitis non patuerint, ejus rei rationem causamque Deo reddat atque exponat necessum est. Collaudetur nomen domini in perpetuum: ei laus, gloria, & honos, in omnes sæculorum ætates. Amen.

TABVLA LEGVM ECCLESIASTICARVM.

XXIII.

ANNO CHRISTI 1032.

XXIII. *De uxorato fornicante, aut concubinam habente.*
XXIV. *Vt alienigenæ libidinosi eiiciantur.*
XXV. *Vt homicida in purgatione cadens, episcopo tradatur.*
XXVI. *De eo qui excommunicatum vel vtlagatum custodierit.*
XXVII. *De misericordia exhibenda.*
Pii regis pia peroratio.

PROOEMIVM.

Hæc illa humana atque politica sunt jura, quæ sapientum adhibito consilio per omnem Angliam observari præcipio.

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

Regii manuscripti infra editi prooemiū. In primis justæ leges ut efferantur, injustæ deprimantur, volo. Iniquitatem atque injuriam pro sua quisque virili parte omnem e regno radicitus evulsam funditus extirpato, justitiamque extollito divinam. Ad posterum vero inopes æque atque divites, digni qui jure fruantur legitimo putandi sunt, atque utrisque ex æquo & bono jus reddendum.

II.

Regii manuscripti capitulum 1. Edocemus autem, ut si quis in re deliquerit aliqua, adeoque capitale aliquod crimen admiserit, ea tamen in mulcta irroganda adhibetor moderatio, ut ad divinam clementiam temperata, hominibus tolerabilis esse videatur. Et quidem animo cogitet, qui judicia exercet, ipse quid petat cum ad hunc modum loquatur: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*, &c. (*Matth. 6.*) Interdicimus autem ne Christianus quisquam ad mortem, exiguæ alicujus & contemnendæ rei causa, mittatur: quin potius miti & moderata ad reipublicæ utilitatem utendum erit animadversione. Neque enim pro tantulo, opus manuum domini, quodque ipse ingenti redemit precio, deperire sinant.

III.

Regii manuscripti capitulum 2. Prohibemus autem, ne Christiana fide tinctus quispiam a regno procul amandetur, neve ad eos qui nondum Christo fidem adjunxerunt relegetur: ne eorum aliquando fiat animorum jactura, quos propria Christus vita redemit.

IV.

Regii manuscripti capitulum 3. Præterea etiam præcipimus, ditio ut hæc nostra undique purgetur, atque a nefariis sceleribus usquequaque temperetur. Tum, si sagæ, ariolantes mulierculæ, tabificæ, meretrices fœdæ ac flagitiosæ sicubi in regno deprehendantur, a regni finibus relegantor: aut in regno, ni ab illa mente destiterint ocius, moresque in melius commutarint, male pereunto. Qui jus legesque divinas & humanas refugiunt, nisi quidem resipuerint, ac cumulate compensarint, extorres agi jubemus. Fures denique atque alii omnes populo summam per injuriam infesti, nisi etiam ab alienis manus abstinuerint, brevi cladem expectanto.

V.

Regii manuscripti capitulum 3. Adorationem barbaram planissime vetamus. Barbara est autem adoratio, sive quis idola, puta Gentium divos, solem, lunam, ignem, profluentem, fontes, saxa, cujuscumque generis arbores lignave coluerit; sive sagarum superstitiones observarit; sive magnam alicui cladem, ductis sortibus ardentibusve tædis, attulerit; sive denique falsis & mendacibus visis mortalium mentes concitarit.

VI.

Homicidæ, peierantes, ordinum atque conjugalis fœderis violatores, ni ocius ad se redierint, ac compensarint, una cum hisce flagitiosis sceleribus patria exterminantor.

VII.

Quamquam nec ullo quidem tempore danda est injustitiæ venia: diebus tamen festis, atque a locis Deo consecratis, maxime est prohibenda procul iniquitas. Sed quo quisque est opibus affluentior, ampliorique dignitatis gradu locatus: eo debebit cumulatius Deo & hominibus data dissoluere, ac compensare damna. Deo autem quomodo erit compensandum, ex scriptis præcepta petamus: hominibus uti fiat satis, ipsa quidem jura tradunt humana.

VIII.

Regii manuscripti capitulum 4. Si quis eorum qui aræ deservierint alicui mortem obtulerit, omni cum divini tum humani juris patrocinio excludatur: nisi quidem cum exilio cumulate id sceleris compensarit, atque cæsi etiam cognatis satisfecerit, aut saltem una cum hominibus qui jurent idoneis omnem criminis suspicionem diluerit. Hanc vero, quæ Deo & hominibus debetur, compensationem intra ter denos, idque cum fortunarum suarum omnium discrimine, dies aggreditor.

IX.

Regii manuscripti capitulum 5. Si quis sacris initiatus, incolave, in iis quæ ad fortunas vitamve ejus spectarint decipiatur, tum ei rex, ni is aliunde habuerit, loco patroni & cognatorum esto. Fraudator vero regi, prout ipsa feret facti ratio, satisfacito, aut graves sceleris admissi pœnas rex ipse repetito. Christiana siquidem fide imbuti regis est, Deo illatas, graviter, pro facti ratione, ulcisci injurias.

X.

Regii manuscripti capitulum 6. Si eorum qui aræ deservierint aliquis hominem occiderit, aut insigne aliquod perpetrarit flagitium: gradu & honore dispoliatus, perinde atque ei papa circumscripserit habitandi locum, exulato, ac cumulate compensato. Sin is crimen fuerit inficiatus, excusatio tripla esto. Atque ni hanc quæ Deo & hominibus debetur compensationem intra ter denos aggrediatur dies, ab omni legis commoditate destitutus habetor.

XI.

Regii manuscripti capitulum 7. Si quis alium sacris initiatum vinculis constrinxerit, verberibus, ignominia, dedecoreve affecerit, datum, prout æquum fuerit, damnum resarcito; episcopo, pro dignitate ordinis, aræ expiandæ nomine mulctam præstato; regi denique, sive domino, graves dignitatis læsæ pœnas dependito; aut saltem integra perfectaque excusatione allata crimen diluito.

XII.

Regii manuscripti capitulum 8. Si quis sacris inauguratus, rei capitalis obnoxius extiterit, comprehenditor: atque ut tandem episcopo criminis admissi pœnas dependat, asservator.

XIII.

Regii manuscripti capitulum 9. Si quis rei capitalis damnatus, sua ingenue sacerdoti peccata confiteri cupiverit, id ei conceditor. Si quis autem denegarit, numerato regi centum viginti solidos: aut saltem adjunctis sibi viris quinque, se culpa liberato.

XIV.

Regii manuscripti capitul. 10. 11. 12. 13. Nemo, quoad ejus fieri poterit, cujuscumque sceleris admissi damnatus, nisi quidem sese in fugam dederit, aut repugnarit, die dominico morti objicitor: quin, comprehensus usque dum dies ille festus

ANNO CHRISTI 1032.

festus transierit, tenetor. Liber, si die quocumque festo, operis quidquam patrarit, ea quæ est loco colli obstricti mulcta compensato : Deo autem, prout ei fuerit imperatum, facito satis. Servus si opus fecerit, vapulato, aut pro facti ratione virgarum metum precio redimito. Herus si servo invito opus addixerit die quocumque festo, servo mulctator suo, servus deinceps liber esto. Herus præterea si in Dacis fuerit, violatæ legis pœnam dependito, Anglus pro facti ratione aut mulcta afficitor, aut crimen purgato.

XV.

Regii manuscripti capitulum 14.

Liberæ conditionis Dacus, si indictum cibo sumpto dissolverit jejunium, violati juris pœnas dato: Anglus pro ratione facinoris mulctator. Malum id quidem est, ante *prandium, jejunii instituti tempore quidquam cibi sumere, pejus tamen comesa carne seipsum fœdare. Servorum aliquis si id fecerit, verberibus, ut res flagitarit, afficitor.

* *potius* cœnam.

XVI.

Regii manuscripti capitulum 16.

Sive quis dimicatione, matrimonio, rapina, sive alio quocumque patrato facinore flagitioso, celebrandum quadragesimæ violarit jejunium, compensatio in duplum augetor. Idem juris esto pro ratione facti, si horum aliquod festo celebri quocumque fuerit factitatum. Sin quis crimen purgare voluerit, purgatio tripla est afferenda.

XVII.

Regii manuscripti capitulum 17.

Dacus si cuiquam jura atque debitiones divinas petenti vi illata restiterit ac repugnarit, legis violatæ pœnam dependito : Anglus gravi afficitor mulcta, nisi quidem adjunctis sibi viris undenis omni se culpa exoluerit; sin cuiquam vulnus impresserit, compensato, gravem domino mulctam dependito, illi denique manus, ni eas ab episcopo redemerit, præciduntor. Quin si cuiquam mortem obtulerit, omni tum juris commoditate privator, eumque omnes justitiæ cultores clamore insequuntor. Atqui si eum juri repugnantem sua culpa morte occubuisse liquido confirmetur, impune esto, neque vero propterea quidquam penditor.

XVIII.

Si quis sacrum ordinem atque vivendi formulam commutarit, pro ipsa ordinis dignitate, sive capitis æstimatione, mulcta, legis violatæ pœna, sive rebus suis omnibus compensato.

XIX.

Regii manuscripti capitulum 18.

Si quis jura violarit conjugalia, prout magis minusve peccarit, castigetur. Iniquum id quidem est, ut quis nuptiis alligatus puellam vitiet aliquam : multo tamen iniquius cum uxore aliena rem habere, sacrisve inauguratam constuprare.

XX.

Regii manuscripti capitulum 19.

Si quis stuprum incestum commiserit, sive capitis æstimatione, sive mulcta, sive rerum suarum omnium amissione, pro ipsa familiæ amplitudine, compensato. Neque vero una eademque habenda est germanæ sororis atque remotioris cognatæ stupratæ ratio.

XXI.

Regii manuscripti capitulum 21.

Qui viduam per vim stuprarit, proprii capitis æstimatione compensato : nec mitiori conditione sit qui virgini vim intulerit.

XXII.

Regii manuscripti capitulum 22.

Vxor si marito superstite cum alio quocumque corpus miscuisse convincatur, dedecus atque insignem omni in posterum ætate infamiam subito, maritus res ejus omnes habeto, mulieri vero tum nasus tum auriculæ præciduntor. Sin pellicatus postuletur tantummodo, atque in excusatione afferenda ceciderit, tum quidem ejus rei potestas episcopo deferatur, atque is litem æstimato severissime.

XXIII.

Regii manuscripti capitulum idem.

Si quis nuptiis alligatus cum sua ipsius ancilla concubuerit, ancilla mulctatus, Deo & hominibus facito satis. Si quis uxorem legitimo nuptiarum fœdere conjunctam simul & concubinam habuerit, ei sacerdotum nullus Christiani hominis jura concedito : nisi quidem illam prius repudiarit, cumulate, perinde atque ei fuerit ab episcopo imperatum, compensarit, atque ab ejusmodi ad posterum temperarit.

XXIV.

Regii manuscripti capitulum idem.

Alienigenæ illicitas carnis libidines si non cohibuerint, una cum flagitiis & fortunis suis omnibus regno exterminantor.

XXV.

Si quis alium præmeditatus trucidarit palam, perempti cognatorum in potestatem dator : sin cædis insimuletur tantummodo, atque in excusatione afferenda ceciderit, episcopum penes esto ejus rei judicium.

XXVI.

Regii manuscripti capitulum 24.

Si quis a jure & legibus divinis fugitivum aliquem custodierit injuste, in lucem eum, ut juri se legitimo subjiciat, proferto : ei porro cujus interesrit compensato, ac regi denique capitis ejus æstimationem dependito. Sin quis alium juris divini aut humani patrocinio exclusum custodierit ac tuebitur, in extremum se & res suas omnes discrimen adduxerit.

XXVII.

Porro autem si quis fuerit qui vitiis omnibus rejectis & repudiatis, denuo virtutem justitiamque studio persequi voluerit, ei, quoad ejus fieri poterit, clementia & misericordia pro timore Dei tribuitor.

XXVIII.

Nunc denique omnes obtestor, ac singulis in Dei immortalis nomine præcipio, ut vere atque ex animo ad divinum convertantur numen, quidque faciendum fugiendumve fuerit summa cum cura & ceremonia perscrutentur. Et quidem saluti nostræ conducit maxime, Deum uti amore prosequamur, ejus præcepta ac monita ut teneamus, atque ut divinis doctoribus dicto simus audientes. Hi etenim nos illo producturi sunt in prospectum Dei, quo dominus venturus est, judicium in omnes secundum ea quæ vivi fecerint ut exerceat. Tum demum beatus ille quidem custos, qui creditum ac commissum sibi gregem in divinum regnum cælestiaque superorum gaudia, propter ea quæ in vita fecerit, deduxerit. Beatus item grex, illum secutus pastorem, qui eum diabolo e manibus extorserit, Deoque lucrifactum commendarit. Porro autem omnes Deo placere studeamus concordes, atque omni in posterum ætate torrentes inferorum flammas devitemus. Divini juris interpretes, Deique præcones, ut quidem sui muneris est, atque omnibus ad salutem conducit maxime, prædicanto sæpe rerum divinarum commoda : sagaci autem & bona mente omnes, aures animumque diligenter attendant, Deique monita ad suam ipsorum utilitatem animo habeant insita semper atque infixa. Singuli denique, ad majorem Dei immortalis domini sui amplitudinem & gloriam, tum dictis tum factis pie grateque, quoquo modo poterint, bene faciunto. Ita enim tandem aliquando cumulate divinam omnes consequemur miserationem.

ANNO CHRISTI 1032.

tionem. Collaudetur nomen domini in perpetuum: ei laus, honos, & gloria, in omnes sæculorum ætates. Deus rerum omnium præpotens, nostri, prout ejus fecerit voluntas, omnium misereatur. Amen.

LEGVM ECCLESIASTICARVM CANVTI REGIS PRISCA VERSIO, ut habetur e manuscripto regio.

TABVLA LEGVM ECCLESIASTICARVM.

PROOEMIVM.

HÆc sunt instituta Cnudi regis Anglorum, Danorum, Norvvegarum, venerando sapientum consilio ejus ad laudem & gloriam Dei, & suam regalitatem, & commune commodum habita, in sancto natali domini apud VVintoniam, † diligenter ac fideliter in Latinum translata, compendiosa brevitate, cum simplicitate lucida, velut suis astericis illustrata. Vnde quarumdam rerum & verborum affinitatem, paucorum adjectione, vel omissione, curaverim, facile sobrius lector agnoscet. Sequuntur & aliorum jura regum plurimorum, de quibus teneri liceat quidquid ista contemplatione non discrepat.

† Hæc sententia non habetur in Saxonico.

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

In primis est, ut Deum & dominum nostrum tota mente diligamus, & unam Christianitatis sanctæ fidem catholicam orthodoxe teneamus, & sanctam Dei ecclesiam pacificare, custodire, frequentare, ad nostram semper utilitatem gaudeamus.

II.

Omnis ecclesia sub propria Dei omnipotentis protectione consistet, & Christianis omnibus magnam super his reverentiam exhibere convenit: quia Dei pax super omnem pacis actionem specialius exoptanda, propensius est observanda, & post- A ea regis. Et valde rectum est, ut ecclesiæ pax intra parietes suos, & pax Christiani regis, quam manu sua dederit, semper inconvulsa permaneat. Quicumque alterutram perfregerit, de vita & omnibus in misericordia regis sit.

III.

Si quis amodo pacem ecclesiæ Dei violabit, ut intra parietes ejus homicidium faciat, hoc inemendabile sit, & prosequatur eum omnis qui Deum diligit: nisi contingat, ut per aliquod pacis confugium rex ei vitam concedat, plenis emendationibus erga Deum & homines. Et hoc tunc in primis sit, ut pretium natalis sui Christo persolvat & regi, & per hoc se inlegiet ad emendandum. Si B tunc ad emendationem veniat, & rex ita patiatur, emendet ecclesiæ pacem in ipsam ecclesiam plena regis mundbrice: & reconciliationem ecclesiæ quærat, sicut ad eam pertinebit: & magbotam & manbotam plene reddat, & saltem apud Deum sedulo componat. Si vero aliter sine interfectione pax ecclesiæ fracta sit, emendetur secundum quod acciderit; sit per pugnam, sit per robariam, sit per id quod sit, emendetur primitus infractio pacis in ipsam ecclesiam juxta quod culpa fuerit, & ipsius ecclesiæ dignitas: quia non omnes ecclesiæ parem emendationis dignitatem habent, licet eamdem sanctificationis benedictionem consequantur. Capitalis ecclesiæ pacis fractio in rebus C emendabilibus, est sicut infractio regiæ pacis, id est, * quinque libris in Anglorum lege. Mediocris ecclesiæ, centum viginti solidos, id est, vvita regis: & adhuc minoris, ubi parva parochia sit, & atrium tamen sit, sexaginta solidos: & campestris ecclesiæ, ubi non sit atrium, triginta solidos.

* decem

Cristianis omnibus sincere convenit, sanctuaria, & ordines, & Deo dicata loca, summa discretione, tota devotione pacificare, custodire, venerari, juxta modum singulorum: & qui scit, intelligat.

IV.

Magnum est, & mire præcipuum, quod ad velle Dei pro salute populi faciendum creditur sacerdoti: & magna conjuratio multaque benedictio est D quæ propellit diabolum, & in fugam redigit, quoties, divina cooperante potentia, beatorum spirituum prosequente custodia, per manus temporalium sacerdotum, sacri baptismatis vel eucharistiæ sacrosancta mysteria celebrantur.

V.

Si contingat, sacerdotem regulariter viventem aliqua criminum compellatione pulsari, se purget solus solum, si compellatio simplex sit; in triplici calumnia, cum duobus sui ordinis.

VI.

Diaconus regularis in simplici compellatione cum duobus, in triplici cum sex diaconibus se adlegiet.

VII.

E Plebeius sacerdos, qui regularem vitam non habet, purget se sicut regularis diaconus.

VIII.

Si quis altari ministrantium accusetur, & amicis destitutus consacramentales non habeat: vadat ad judicium, quod Anglice dicitur Corsned, & fiat sicut Deus velit, nisi super sanctum corpus domini permittatur ut se purget.

IX.

Si quis ordinatus homicidii particeps consilio vel auxilio fuisse compelletur, purget se cum parentibus suis, quorum interest occisionis factionem tolerare vel emendare. Si parentes non habeat, cum sociis se purget, vel jejunium ineat si opus sit, &

* applicent

ANNO CHRISTI 1032.

* applicent ad corsned, & fiat inde voluntas Dei.

X.

*applicetur.

Monachus ecclesiasticus non debet aliquam de homine occiso persolutionem exigere vel emendare, quia cognationis suæ legem exiit, cum se regularis conversationis disciplinæ mancipavit.

XI.

Si sacerdos aliquando falsus testis vel in aliquo consenserit, deponatur, & omnium bonorum societate, dilectione careat & honore, si non erga Deum & homines dignis pœnitentiæ fructibus secundum sui episcopi jussionem præparetur ad veniam, & emendationis & legalitatis plegios deinceps inveniat. Si se purgare velit, secundum facti mensuram sit, vel per triplicem negationem, vel per singularem.

XII.

Et volumus, ut quicumque sunt in ordine clericatus constituti, puris mentibus inclinentur singulariter ad eam rectitudinem quæ ipsis pertinet: & saltem ministri domini, pontifices, abbates, monachi, monachæ, canonici, nunnæ, regulariter vivant. Diebus & noctibus sæpius & assidue clament ad Deum pro Christiani necessitate populi, & ei digne serviant, & castitatem diligant. Quia, ut perfecte sciunt, non est rectum ut causa cohabitandi cum mulieribus habitent: & qui super his abstinebit, & castitatem servabit, ad perfectum sempiternam Dei misericordiam habeat; & ad honorem sæculi, taini lege dignus sit.

XIII.

Et omnis Christianus pro timore sui creatoris injustum concubitum vitet, & legem Dei teneat.

XIV.

Vnde commonemus, petimus, & in nomine Dei præcipimus, ut nemo in parentela sua intra sextam generationem uxoretur, nec in dimissa cognati sui qui intra sextum geniculum pertineat ei, nec in cognatione uxoris suæ, nec commatrem vel filiolam suam, nec sanctimonialem, nec repudiatam aliquis ducat uxorem, nec cum meretricibus circumeundo fornicetur: sed unam legitimam habeat quamdiu vixerit, qui Dei legem juste servare desiderat, & a gehennæ ignibus animam suam liberare. Et reddantur Deo debitæ rectitudines annis singulis, hoc est eleemosyna caruarum quindecim diebus post pascha.

XV.

Decimæ de novellis gregibus in pentecosten, terrenorum fructuum in festo omnium sanctorum. Si quis habeat, & decimam dare nolit, sicut omnium nostrorum commune est institutum, hoc est decima acra, sicut aratrum peragrabit: eat præpositus regis & episcopi & ipsius terræ domini cum sacerdote, & ingratis auferant, & ecclesiæ cui pertinebit reddant. Nonam vero partem relinquant ei qui decimam dare noluit. Octo partes reliquas in duo dividant, & sit una medietas episcopi, alia terræ domini, sive regis homo sit, sive taini.

XVI.

Et Romfeoh, id est Romæ census, quem beato Petro singulis annis reddendum, ad laudem & gloriam Dei, regis nostri larga benignitas semper instituit, in festo sancti Petri reddatur. Qui supra tenuerit, reddat episcopo denarium illum, ac triginta denarios addat, & regi det centum * viginti solidos.

* triginta.

XVII.

Ciricsceat, id est ecclesiæ census, in festo sancti Martini. Qui sine licentia super tenebit, cum

A reddat episcopo, & quadraginta persolvat, & regi centum viginti solidos.

ANNO CHRISTI 1032.

XVIII.

Si quis tainus in hereditate sua terram habeat, in qua cœmeterium sit, det ibi tertiam partem decimæ suæ. Si quis habeat ecclesiam, ubi positionis locus non sit, det ex suis novem partibus presbytero suo quod velit, & eat omnis ciricsceat ad matrem ecclesiam per omnes liberas domus.

XIX.

Fiat ter in anno symbolum luminis: primum in vigilia paschæ, oblatæ ceræ de omni hyda, in festo omnium sanctorum, tantumdem in festo sanctæ Mariæ candelarum.

XX.

B Pecunia sepulturæ justum est ut aperta terra reddatur.

XXI.

Si corpus aliquod a sua parochia deferatur in aliam, solvatur tamen pecunia sepulturæ ejus in eam cui jure pertinebit ecclesiam, & omnes rectitudines & sanctæ Dei ceremoniæ, sicut omnibus opus est, totis desideriis observentur. * In festivitatibus, in jejuniis.

* *Hæc rite pertinent ad sequens caput.*

XXII.

In feriatione diei dominicæ, ab hora nona sabbati ad usque diluculum secundę feriæ, & in sanctorum omnium solemnitatibus, sicut a sacerdote fuerint nuntiatæ, ipsa vero die dominica, publica mercimonia, vel placitorum conventicula, venationes, & hujusmodi sæcularium actiones exerceri, modis omnibus prohibemus, nisi pro magna necessitate sit.

C

XXIII.

Omne indictum jejunium devote conservetur, sive quatuor temporum, sive quadragesimale, vel deinceps aliud quodcumque sit: & ad omnes beatæ Mariæ festivitates, & sanctorum apostolorum omnium, jejunia votiva præveniant, præter Philippi & Iacobi pro solemnitate paschali. Non sunt secundum legem indicta jejunia a pascha usque ad pentecosten, nec a natali domini usque ad octavas epiphaniæ, nisi qui per pœnitentiam vel sponte jejunet.

D

XXIV.

Et non festis diebus juramenta, & ferri, vel aquæ, vel hujusmodi legis examina fieri prohibemus, & quatuor temporum, & diebus quadragesimæ, & aliis legitimis jejuniis, & ab adventu domini usque in octavum diem post duodecimum diem a natali, & a septuagesima usque ad quindecim dies post pascha: & sancti regis Edvvardi gloriosum passionis diem per totam Angliam volumus celebrari XV. Kalendas Aprilis, & sancti Dunstani XIV. Kalendas Iunii. Et sit in his sanctis observationibus, sicut vere justum est, Christianis omnibus pax & concordia, & omnis ira tollatur: & si quis alteri debitor est de plegiatione, vel aliqua contingentium sæcularium emendatione, reddat ei sedulo prius aut postea. Et in Dei dilectione petimus, ut quicumque Christianus suam ipsius benefaciendi necessitatem intelligat, quia singulos nos tempus expectat quo nobis esset carius, quam quidquid in orbe terrarum mundus obtinuit, Dei nostri voluntatem fecisse, dum licuit. Tunc sane recipiemus uniforme stipendium secundum opera nostra. Væ qui promeruerit sempiterna supplicia.

E

XXV.

Renuntiemus sedulo peccatis nostris, & confessionibus & abstinentiis expiemus: & quod nobis fieri volumus, aliis faciamus. Hoc judicium nostrum

strum est: & sane beatus & Deo gratus est, qui A judicium hoc sincere tenuerit ad gloriam omnipotentis Dei, cujus sumus miseratione conditi, precio magno redempti.

Quicumque Christianus, sicut vere necessarium est, dignam Christianitati suæ curam impendat, & ad perceptionem communionis dominicæ ter saltem in anno se præparet: ut non hoc ad judicium, sed ad remedium salutare, manducet. Et quisquis amicus Dei est, verbis & operibus rectitudinem flagitet, fidem & sacramenta caute custodiat.

Omnis injustitia de finibus nostris quantum possumus expellatur, & Dei justitiam dictis & factis deinceps amplectamur: tunc ejus misericordiam propitiatius impetrabimus. Item faciamus sicut adhuc persuaderi volumus. B

XXVI.

Simus dominis nostris per omnia fideles & credibiles, & eorum gloriam totis viribus exaltemus, & velle faciamus: quia quidquid pro recta dominorum fidelitate facimus, & magnam nobis utilitatem facimus, & scienter Deus illi fidelis est, qui domino suo fidelis est: & unicuique domino magnum opus est, ut hominem suum recte deducat.

XXVII.

Omnes Christianos sedulo commonemus, ut puro corde semper Deum diligant, & catholicæ Christianitatis fidei digne serviant, sanctis ecclesiæ doctoribus devote pareant, Dei leges & doctrinam fideliter investigent, semper & assidue sibimet ad utilitatem. Et omnis Christianus addiscat ut saltem sanæ fidei rectam intelligentiam habeat: & sciat *Pater noster*, & *Credo in Deum*: quia per illud Deum exoramus, per aliud rectam fidem declaramus. Christus ipse primus hanc orationem protulit, & discipulos suos docuit, in qua septem petitiones sunt: & quisquis eam intimo corde cantabit, cum ipso agit de quacumque necessitate vitæ præsentis & futuræ. Sed quomodo potest aliquis devotas ad Deum preces effundere, qui non habet intime rectam fidem in eo? Non habet sane post transitum ejus portionem aliquam cum Christianis in requie sanctorum, nec sancta communione dignus, nec vere Christianus habendus est qui D non vult eam discere: nec ad eum juste pertinet aliquem in sancto baptismo suscipere, nec a manibus episcopi in confirmatione, & datione Spiritus sancti, antequam bene sciat eam. Et docemus, ut a summis criminibus totis viribus caveamus in omni tempore: & qui impulsu diaboli in peccatum inciderit, propensius emendet consilio pœnitentiæ suæ. Et ab immundis gaudiis, & injusto concubitu, vel adulterio caveatur. Et omnes Dei timorem & amorem in mente habeant, diebus ac noctibus a peccatis fugiant, diem judicii metuant, & inferni cruciatus, & semper ultimum vitæ suæ terminum cogitent advenisse. Christi sunt E præcones, & doctores legis Dei, qui prædicationibus & exemplis, Dei debent mysteria declarare. Curet qui velit: quia supervacue pastor est qui commisso sibi gregi non vult saltem clamore succurrere, si quid ei noceat. Non est aliquis tam nocens adversarius, sicut accusator humani generis inimicus, qui totis semper visceribus inhiat, totis æstuat desideriis, quomodo plures animas pertrahat in supplicium. Sit itaque pastorum scleritia pervigil; & attente proclamans, qui contra spirituales nequitias debet populo providere. Qui sane sunt episcopi? Sacerdotes qui gregem domini doctrina debent sapienter custodire, & defendere ne diabolica vesania vulneret vel occidat. Ei qui Dei præceptis obedire neglexerit, hoc cum ipso Deo commune habeat.

LEGES ECCLESIASTICÆ CANVTI REGIS E SÆCVLARIBVS suis collectæ.

TABVLA LEGVM ECCLESIASTICARVM.

PROOEMIVM.

HÆc est institutio legum sæcularium, quam communi sapientum meorum consilio per totam Angliam teneri præcipio. In primis volo, ut justæ leges erigantur, & injustæ subvertantur: & omnis, injustitia quanta possumus observantia, de finibus nostris sarculetur & explantetur, & Dei justitia modis omnibus exaltetur: & amodo reputetur omnis homo publica dignus rectitudine, pauper, & quicumque dives sit, & eis justa judicia judicentur.

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

Si quis peccaverit, & seipsum profunde forisfaciat, temperetur in eo justitia, sicut erga Deum sit clementius, & in sæculo tolerabilius. Et multa sedulitate cogitet qui jus habet in judicio, quid sibi postulet a domino, dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.* Et: *non intres in judicium cum servo tuo domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Matt. 6. Psal. 142.

Prohibemus ne Christianus aliquis penitus pro parva re saltem ad mortem seducatur: sed exquiratur pro necessitate populi justitia pacificans, ne pro levi re dispereat opus manuum Dei, & suum ipsius precium quod profunde redemit.

ANNO CHRISTI 1032.

II.

Præcipimus ne Christiani passim in exilium vendantur, vel in gentilitatem: ne forte pereant animæ, quas propria voluntate mercatus est dominus noster Iesus Christus. Et totis viribus semper mundare patriam studeamus in finibus ejus, & ab immundis operibus circumquaque cessemus.

III.

Et si sagæ vel incantatrices, veneficæ vel meretrices, alicubi compareant, expellantur a finibus nostris, vel in eis pereant, nisi cessaverint, & profundius emendent. Præcipimus ut * vvithersacan & utlagæ Dei & hominum, patria exeant, si non resipuerint, & digne pœniteant. Fures, & ejusmodi damna populi, propediem pereant, si non conquiescant. Omnem quoque gentilitatem modis omnibus interdicimus. Gentilitas est, si quis idola colat, id est gentilium deos, solem, aut lunam, ignem, vel fructus, aquas fontium, vel lapides, vel alicujus generis ligna, vel * vviccencreft diligat, vel mortificia quoquo modo suscipiat, aut in sorte, aut in * firhte, vel in similibus phantasiis vel præstigiaturis aliquid agat.

* id est, jure divino & sæculari proscripti.

* id est, veneficiū.

* id est, accensis tædis.

IV.

Si quis ministrum altaris occidat, utlaga sit erga Deum & homines, nisi dignis satisfactionibus veros pœnitentiæ fructus ostendat, & erga parentes ejus emendet, vel * vverelada se adlegiet, & infra triginta noctes hoc incipiat apud Deum & homides super omne quod habet.

* id est, capitis sui redemptione.

V.

Si quis ordinatus vel alienigena seducatur in aliquo de pecunia vel vita, sit ei rex pro cognatione & advocato, si penitus alium non habeat. Et emendetur regi sicut justum est, vel illud factum nimis profunde vindicet. Christiano regi jure pertinet, ut Deo factas vindicet injurias secundum quod acciderit.

VII.

Si quis minister altaris hominem occidat, vel malis actibus supra modum differatur: ordine simul & dignitate privetur, & peregrinetur sicut ei papa suus injunget, & opus emendet sedulo. Si se purgare velit, tripliciter hoc faciat: & si non infra triginta noctes hoc incipiat erga Deum & homines, extra legem habeatur.

VII.

Si quis ordinatum aliquem verberibus, aut vinculis, vel aliquatenus affliget, emendet ei sicut rectum sit, & episcopo emendationem altaris secundum dignitatem ordinis, regi vel domino plenam infractionem pacis, aut plena lada neget.

VIII.

Si ordinatus se forisfaciat in morte plectendis actibus, capiatur, & servetur episcopi judicio discutiendus, secundum quod factum sit.

IX.

Si quis morti damnatus confessionem habere desideret, numquam defendatur ei. Et si quis ei perneget, emendet regi centum viginti solidos, vel se allegiet, & sumat quinque, & idem sit sextus.

X.

Et, si vitari possit, numquam occidatur aliquis die dominica morte forisfactus, nisi fugiat vel repugnet: sed capiatur, & servetur donec festum transierit.

XI.

Si liber festis diebus operetur, emendet hoc secundum suum * healsfang, & saltem erga Deum emendet sedulo, sicut edocebitur.

* id est, pœna obstricti colli

XII.

Si servus operetur, * corium suum perdat, vel triginta denariis redimat secundum quod factum erit.

* id est, vapulet.

XIII.

Si dominus cogat servum suum festis diebus operari, ipsum servum perdat, & deinceps sit liber, & solvat dominus * lahslit cum Dacis, * vvitam cum Anglis secundum facti meritum, aut neget.

* id est, violatæ legis pœnā.

* id est, mulctam.

XIV.

Si liber legitimum jejunium infringat, reddat lahslit cum Dacis, vvitam cum Anglis, secundum quod acciderit. Malum est ut tempore jejuniorum ante horam comedat, & adhuc deterius ut carnis cibo seipsum inquinet.

XV.

Si servus hoc efficiat, corium suum amittat, sicut factum est.

XVI.

Si quis aperte quadragesimale jejunium frangat, per pugnam, vel concubitum, vel per aliquod summorum criminum, sit hoc duplo corrigendum, sicut in summis festivitatibus secundum quod factum erit. Si negetur, triplici lada fiat.

XVII.

Si quis Dei rectitudines prohibeat, solvat lahslit cum Dacis, plenam vvitam cum Anglis: vel se adlegiet. Assumat quindecim, & idem sit decimus sextus. Si aliquem vulneret, hoc emendet, & reddat plenam vvitam domino: & ab episcopo manum suam redimat, vel amittat eam. Si aliquem occidat, sit utlaga, & capiat eum cum clamore omnis qui rectum velit. Si efficiat ut occidatur, per hoc quod contra rectum resistat: si hoc inveritetur, inultus jaceat.

XVIII.

Si quis adulterium faciet, emendet secundum quod factum sit. Malum adulterium est, si sponsus cum vacua fornicetur, & multo pejus cum sponsa alterius, vel cum ordinata.

XIX.

Si quis cum * pertinente sua jaceat, emendet hoc secundum cognationis modum, sic vvera, sic vvita, sic omni pecunia Non est æquale si quis cum sorore sua concubat, & fuerit de longe pertinens.

* id est, consanguinea.

XX.

Si quis violenter virginem opprimat, vvera componat.

XXI.

Si quis viduam per vim capiat, vvera emendet.

XXII.

Si mulier, vivente marito suo, faciat adulterium, & manifestetur: sit ad dedecus sæculi sibiipsi. Et habeat legalis maritus ejus omne quod ipsa habebat, & ipsa perdat nasum & aures. Et si compellatio sit, & in emundando miseveniat, sit in episcopi potestate.

Si quis uxoratus fornicetur cum ancilla sua, perdat eam, & pro seipso pœniteat erga Deum & homines. Et qui sponsam & concubinam simul habebit, non faciat ei presbyter aliquid rectitudinum quæ Christiano fieri debent, priusquam pœniteat, & ita emendet sicut episcopus injunget, & semper deinceps super his abstineat.

Alienigenæ, si concubitus suos dirigere nolint, extra patriam cum peccatis & pecunia recedant.

XXIII.

Si quis plegium regis frangat, emendet quinque libras: si quis archiepiscopi vel comitis, tres libras emendet.

XXIV.

ANNO CHRISTI 1032.

XXIV.

Si quis excommunicatum vel utlagatum habeat, & manu teneat, desperatio sibi est, & omni veniæ suæ. Et si quis ab injustitia velit reverti ad rectum, remittatur ei pro timore Dei, sicut melius poterit, & faciamus sicut nobis expedit. Succurramus semper ei primitus qui magis indiget: tunc metemus inde mercedem nostram, ubi nobis carius erit: quia semper debet impotenti, pro Dei timore & amore, clementius judicari, quam forti. Sane possumus scire, non potest debilis cum strenuo pariter. Vnde meditari debemus, & distincte discernere senium & juventutem, felicem & infelicem, sanitatem & infirmitatem: & utrobique debet hoc diligenter adverti, tam in divinis legibus, quam in B sæcularibus judiciis Item in multis quando aliquis coactus peccat, magis veniale est, si necessitate fecit quod fecit. Et si quisquam agit aliquid impossibiliter, non est omnino simile, si voluntarie faciat.

ANNO CHRISTI 1032.

** CONVENTUS EPISCOPORUM in monasterio Rivipullensi, ann. MXXXII.

ANNO Dominicæ Incarnationis MXXXII. XVIII. Kal. Februar. habitus est conventus episcoporum in monasterio Rivipullensi, Ausonensis diœcesis, ad dedicationem basilicæ illius monasterii. In eo actum est de monasterii ejusdem privilegiis, quæ ab episcopis confirmata sunt. In- C terfuerunt autem episcopi, Oliba Ausonensis, VVifredus Carcassonensis, Berengarius Helenensis, Amelius Albiensis, VVadaldus Barcinonensis. Subscriptum postea fuit a pluribus episcopis, & a Galterio episcopo Albanensi, Romanæ ecclesiæ legato. *Acta ex Rivipullensi tabulario descripsit illustrissimus Petr. de Marca Parisiensis archiepiscopus, cui hoc breviarium debemus.*

ANNO CHRISTI 1032.

CONCILIUM PAMPILONENSE, DE EPISCOPATU PAMPILONENSI ANTIQUÆ sedi suæ restituendo, celebratum anno domini MXXXII. tempore Ioannis papæ XVIII.

Causa concilii.

CUM antiquis temporibus, teste Mariana rerum Hispanicarum scriptore, Pampilonenses sedem episcopalem, ob barbarorum in- D cursiones, in monasterium Leirense, quod situm est in montibus Pyrenæis, transtulissent; atque vigore factæ translationis, monachi ejusdem monasterii jam recens permissu pontificis Pampilonensium episcopum creassent: habitum est ista de causa hoc concilium, actumque in eo ut antiqua sedes Pampilonensi episcopatui restituatur. Idque post obitum ejus, qui tunc erat Pampilonensis episcopus, tempore successoris fuit executioni mandatum.

Interfuerunt concilio Pontius Ovetensis archiepiscopus, Garsias Anagari, Nunnius Alavæ, Arnulfus Ripagorsæ, Sancius Aragoniæ, hoc est Iaccæ, Iulianus Castellæ, hoc est Ancæ, episcopi. Vide E Baronium anno 1032. num. 4.

ANNO CHRISTI 1033.

VITA
BENEDICTI PAPÆ IX.

Benedictus IX. quando sedem invaserit; & quoto anno ætatis.

BENEDICTUS Alberici Tusculani comitis filius, duorum germanorum pontificum Benedicti & Ioannis prædecessorum nepos, circiter annum ætatis decimum, vel saltem, quod verius est, deci- A mum octavum, quo capax erat impudicitiæ & luxuriæ, quæ ipsi a Petro Damiani adscribitur, tyrannide parentis Alberici intrusus est in sedem apostolicam sexto Idus Novembres anno Christi 1033. tempore Conradi imperatoris. Hanc aliasve maculas sanctissimæ cathedræ Petri, in hoc, aliisve pluribus supra recensitis pontificibus illatas, ecclesia non intulit: sed post diuturnas reclamationes & contradictiones, ut ait Petrus Damiani, cleri, & populi, patienter perpessa sustinuit. Vnde quam impudenter quamque indiscrete novatores hæretici suis calumniis ecclesiam his vulneribus a furibus & latronibus violenter sauciatam proscindant, nemo non satis aperte intelligit. Et quamquam indignus sedem apostolicam per vim & tyrannidem detineret: tamen universus orbis catholicus, quod mirandum est, eumdem successorem Petri coluit, & pro Romano pontifice agnovit. Nam Hermannus Hamburgensis archiepiscopus, ejusve successores Bezelinus, cognomento Alebrandus, & Adelbertus, pallium petierunt, & impetrarunt. *Ex Adam Bremensi.* Conrado imperatori ad compescendum Mediolanensem archiepiscopum, imperii perduellem, Cremonæ inter Missarum solemnia coronam regni contulit. Simeonem anachoretam apud Treviros inclusum, instantia Popponis Trevirensis archiepiscopi, in numerum sanctorum retulit. Cremona abeuntem comitatus est Conradus imperator, ad compescendam Pandulphi principis Capuani tyrannidem, & sacrilegam bonorum ecclesiasticorum invasionem. Instantia Polonorum, autore Longino, per legatos sedem apostolicam interpellantium, Bohemos ad restitutionem spolii, quod Gnesnensi ecclesiæ intulerant, minitans pœnam excommunicationis, adegit. Casimirum Poloniæ principem, Boleslai magni primi regis nepotem, exulem, urgente necessitate & utilitate ecclesiæ, & regni Polonici, a voto religionis in monasterio Cluniacensi emisso absoluit; ordinique diaconatus, quem susceperat, per dispensationem justa de causa exemit; ad sæculum redire, regni gubernaculis præesse, uxorem ducere, atque ex ea futuros regni heredes procreare, eidem permisit: ista lege & conditione perpetuis temporibus observanda, ut Poloni pro mnemosyno accepti beneficii, beato Petro ejusve successoribus de quolibet capite nobilium usualem nummum singulis solvant, cæsariem capitis & comam barbaro more non nutriant, instar religiosorum Latinarum nationum tonsuratum caput gestent, & in præcipuis Christi & Virginis matris ejus festivitatibus panno linteo albo in stolæ modum dependente cervicem exornent. Factum id est ea intentione pontificis, ut his tribus insignibus, ex monacho & diacono apostolica concessione & benignitate, cum aliter concretum periculum dispelli non posset, Polonus regem sibi creatum & redditum recognoscens, tam in Deum, quam in religionem Christi sit gratior atque devotior.

Redarguuntur hæretici.

Benedictus agnitus est pro pontifice.

Conradum coronat. Simeonem canonizat.

Cum Casimiro rege Polonorum monacho & diacono dispensat.

Cui Poloni tonsuram clericalem gestent.

Hujus temporibus Berengarius, post obitum Francorum regis, hæresim suam regia autoritate oppressam erexit. Sed Robertinæ pietatis & regni heres & successor Henricus rex Francorum, eamdem suo tempore repullulantem condemnari, profligari, & penitus obrui procuravit.

Berengarii hæresis revixit?

Ejusdem tempore Conradus Imperator obiit, anno imperii sui decimo tertio, filiumque regni & imperii successorem electum, nomine Henricum, post se reliquit.

Conradi imperatoris obitus.

Benedictus papa, cum luxui & voluptatibus deditus esset, humanaque fragilitate in impudicitiam præceps

præceps rueret, magno fidelium scandalo vitam ducens, a Romanis, ut quidam aiunt, favore aspirante consulis potentissimi Ptolemæi, rejectus est, vel saltem persuasione viri sanctissimi Bartholomæi abbatis Cryptæ Ferratæ, pontificatu Romanæ ecclesiæ cessit. In cujus locum Silvester III. ex episcopo Sabinensi data pecunia malisque artibus successit, novoque schismate Romanam ecclesiam scidit. Sed dum vix tres menses sedem apostolicam obtinuisset, Benedictus Tusculanorum suorum ope & auxilio fretus, ad pontificatum reversus, invasorem sedis sede destituit. Interea tertius quidam Ioannes archipresbyter Romanus eamdem sedem invadens, majorem deformitatem ecclesiæ attulit: atque ita triceps bestia ab inferorum portis emergens sanctissimam Petri cathedram miserrime infestavit. Hunc statum ecclesiæ miseratus quidam presbyter Romanus, nomine Gratianus, singulos adiit, & a sede sancta cedere (non ad emendam ullam spiritualem dignitatem, sed ad redimendam quam vocant vexam ecclesiæ) data & collata iis pecunia persuasit. Atque ita Benedictus, cui tamquam digniori de reditibus Angliæ provisum erat, seipsum pontificatu abdicavit: & ad cupiditates suas liberius deinceps exequendas in paternam domum se recepit, cum sedem apostolicam undecim annos per vim & tyrannidem intrusus detinuisset. Cumque ejus exemplo reliqui, sua sibi assignata redituum portione contenti, idem præstitissent: ecclesia schismate propulsato, & tyrannide, qua opprimebatur, sublata, pristinæ unioni, paci & concordiæ restituta fuit anno domini millesimo quadragesimo quarto.

Schisma novum: ejus autores qui & quales?

Gratianus postea Gregorius VI. ecclesiã ab hoc schismate liberavit.

Benedictus quamdiu sederit?

ANNO CHRISTI 1035. vel 1036.

"** CONCILIVM TRIBVRIENSE, anno domini MXXXV. vel MXXXVI. celebratum tempore Benedicti papæ IX.

TRIBVRIENSE *concilium, quod hoc anno Binius ex Baldrici chronico describit, ad annum* 1031. *autore Sigeberto supra retulimus. Celebrata est tamen anno* 1035. synodus magna apud Triburiam ab Imperatore collecta, *ut autor est Hermannus in chronico tum Vrstisianæ, tum Canisianæ editionis. In qua quid gestum sit, discimus ex chronico Hildensheimensi: quod eam synodum in annum consequentem rejicit. Quæ causa fuit, cur nihil inscripserim certi: sed an* 1035. *anno, an* 1036. *tribuenda sit, dubium reliquerim. Nam unam eandemque esse, prope mihi certum videtur. Quæ admonere visum est, ut integrum sit cuique judicium. Sic igitur paucis Hildensheimense chronicon.* Anno MXXXVI. Indict. IV. Imperator pascha Engilenheim feriavit. Deinde Triburiam tendens generali ibidem synodo præsedit, in qua germanitas episcoporum priora decreta redintegravit: & etiam quædam ad firmamentum sanctæ ecclesiæ necessaria conformavit. Ibidem etiam prædictus Otto, cogente synodo, Mathildem sibi desponsatam juramento a se abalienavit. *De hoc Ottone, idem chronicon sic ad annum antecedentem.* Otto de Sumvordi, ibidem (*hoc est, Bambergæ*) Mathildem filiam Bolezlavonis Polianorum ducis sibi desponsavit.

ANNO CHRISTI 1036.

"** CONCILIVM PICTAVENSE, anno MXXXVI. habitum de pace firmanda.

SVPEREST *hujus synodi memoria in chronico Malleacensi, cujus hæc sunt verba.* Anno MXXXVI. Isembertus episcopus Pictavis fecit synodum, ubi magnam pacem firmavit. *Quæ de privatis bellis compescendis intellige.*

ANNO CHRISTI 1038.

"** CONVENTVS TRES EPISCOPORVM in Gallia Narbonensi.

ANNO æræ Christianæ MXXXVIII. convenerunt episcopi ad Gerundensis ecclesiæ dedicationem, cui interfuerunt Guifredus archiepiscopus Narbonensis, Guifredus episcopus Carcassonensis, Oliva Ausonensis, Heribaldus Vrgellensis, Bernardus Conseranensis, Guilabertus Barcinonensis, Berengarius Helenensis, & Arnaldus Magalonensis.

1038. Anno Christi M. XXXVIII. Kal. Septembr. anno VIII. regni Henrici regis, Ausonam convenerunt episcopi ad Ausonensis ecclesiæ dedicationem. Quo in conventu actum est de finibus episcopatus Ausonensis. Interfuerunt Guifredus Narbonensis, & Rimbaldus Arelatensis, archiepiscopi, & episcopi complures.

1040. Anno Christi M. XL. Henrici Francorum regis anno X. convenerunt episcopi ad Vrgellensis ecclesiæ dedicationem: scilicet, Guifredus Narbonensis archiepiscopus, Heribaldus Vrgellensis episcopus, Berengarius Helenensis, Guifredus Carcassonensis, Bernardus Conseranensis, & Arnulfus Rotensis.

Ex schedis Petri de Marca Parisiensis archiepiscopi, qui acta descripsit ex locorum ipsorum tabulariis.

ANNO CHRISTI 1040.

"** CONVENTVS EPISCOPORVM AD dedicationem Vindocinensis monasterii sancti Trinitatis, anno Christi MXL.

ANNO MXL. *Indict.* VIII. *regnante Henrico I. Francorum rege, anno ipsius IX. convenerunt Vindocinum episcopi octo, abbates viginti tres, Barones plurimi, aliique, ad dedicationem ecclesiæ monasterii S. Trinitatis, a Goffrido Andegavorum comite, ejusque conjuge Agnete, recens conditi & magnis possessionibus dotati. Hic publicas fecit litteras ipso dedicationis die Arnulfus episcopus, quibus tum ipse, tum alii præsentes episcopi donationem ratam habuerunt; possessionum augendarum facultatem concesserunt: cæteri approbarunt. Cujus diplomatis apographum hoc est.*

EGO Arnulfus Turonensis ecclesiæ archiepisc. fidelibus sanctæ ecclesiæ notum facio, quod Gaufredus inclitus comes, uxorque ejus venerabilis comitissa, monasterium beatæ & individuæ Trinitati dicatum, in castro quod Vindocinum vocatur, rebus propriis ædificaverunt, & concessione Theoderici Carnotensis episcopi, in cujus diœcesi locus ipse esse cognoscitur, nobis præsentibus, B. Petro & Romanæ ecclesiæ in patrimonium & alodium devoverunt. Quod cum bona eorum liberalitate dicatum fuisset, & ornamentis adornatum: ad illius loci dedicationem nos & plures episcopos & abbates venire rogaverunt. Et ut fratres in loco ipso quiete & absque molestia Deo servire potuissent: petierunt a nobis, & ab aliis qui aderant episcopis, quatinus huic ecclesiæ noviter ædificatæ, pro amore Dei & supplici prece ipsorum, quod jam eidem loco in diœcesibus nostris contulerant, sive ipsi vel ali homines collaturi erant, concederemus, & nostra firmaremus autoritate. Nos vero eorũ precibus difficiles esse noluimus, & quod petebant cõcedere justum putavimus. Concedimus itaq; & nostra autoritate firmamus, quicquid prædictum monasterium in episcopatu nostro hodie possidet, seu deinceps fratribus

ANNO CHRISTI 1040.

fratribus ejusdem loci ab ecclesiasticis, vel a sæcularibus personis datum extiterit, vel concessum, tam in ecclesiis, & ecclesiasticis possessionibus, quam etiam in temporalibus beneficiis. Et ut hæc nostra concessio inviolata servetur, scriptum hoc fieri jussimus, & in aures omnium qui ad dedicationem convenerant fecimus recitari. Si quis vero hanc nostram confirmationem scienter violare, aut ei calumniam inferre præsumpserit: autoritate Dei & nostra excommunicatus maneat, nisi resipuerit, & dignos inde pœnitentiæ fructus fecerit. Chartam istam super altare VVindocinensis monasterii manibus nostris posuimus, ad notitiam & in testimonium nostræ confirmationis. Hæc autem laudaverunt & concesserunt clerici ecclesiæ nostræ qui nobiscum venerant, Bono decanus, VVenilo archidiaconus & thesaurarius, Rotbertus cellararius, Galterius æditus.

Quod viderunt & audierunt honorabiles personæ episcoporum, abbatum, & multi alii, tam ecclesiasticæ militiæ, quam sæcularis, Theodericus Carnotensis episcopus, Gervasius Cenomanensis episcopus, Hubertus Andegavensis episcopus, Isembertus Pictavensis episcopus, Arnulfus Sanctonensis episcopus, Girardus Engolismensis episcopus, Amelius Albiensis episcopus. A civitate Carnoto, Arnulfus archidiaconus & præcentor, Girogius archidiaconus, Sigo magister scholarum, Agivertus capellanus, Hildegarius subdecanus, Hildevinus juvenis, Galterius archidiaconus. A monasterio sancti Martini, Goffredus decanus, Galterius cantor, Rogerius subdecanus, Albertus cellararius, Odo subcantor. A civitate Pictava, Arnulfus decanus, Guillelmus cantor, Raino cantor sancti Hilarii. A Cenomano, Girardus cantor, Ingoisus, Hubertus, Ermenulfus scholasticus, Manfridnus, Rainaldus capellanus, Guillelmus. A civitate Andegava, Gauslenus decanus, Beringerius archidiaconus, Burchardus thesaurarius, Rainaldus archidiaconus, Fulcoius capellanus, Ioannes scholasticus, Gauslenus puer, Petrus subdiaconus. Ab Engolismo, Guillelmus archidiaconus, Vivianus capellanus. A Sanctonis civitate, Rannulfus archidiaconus, Acbaldus archidiaconus.

De abbatibus, Hugo de sancto Salvatore Carrosi, Fredericus de sancto Florentio, Galterius de sancto Albino, Ebrardus de sancto Kariletto, Landricus de sancto Petro Carnoti, Durandus de sancto Gildasio, Salomon de Bonavalle, Hugo Longiledii abbas, Fulco de sancto Ioanne, Ansegisus peccator, Petrus de Nantoilo, Algerius de sancto Amando, Arnaldus de Angeliaco, Odo de sancto Sabino, Ato de sancto Michaele eremi, Archembaldus de sancto Maxentio, Ioannes de Luzione, Tetbaudus de Quinciaco, Ansbertus de Ponteleucio, Teudo de Burgulio, Odolricus de sancto Martiale, Ermenterus abbas de Tuscio, Teutbaudus de sancto Benedicto.

Nomina Baronũ: Goffridus comes Andegavorum, Agnes comitissa, Guillelmus Alduinus comes, Radulfus vicecomes, Erfredus vicecomes, Guillelmus vicecomes, Herueus vicecomes de Blesso, Haimericus de Rancono, Goffridus de Prulliaco, Isembardus, Tetbaudus de Blazono, Rainardus, Albericus de Monte Ioannis, Ioscelinus de sancta Maura, Petrus de Camiliaco, Ingelbaldus, Leo de Ambazio, Rainaldus, Salomon de Lavarzino, Nihardus de Monte aureo, Landricus de Balgenciaco, Odo Dolensis, Gislebertus, Helia de Volvento, Berlaius, Hademerus malæ capsæ, Hildebertus de Rupemahildis, Guillelmus Chabocius, Petrus abbas, Guilelmus de Rupe, Ranaulfus Rabiolus, Guillelmus de Partenaco, Constantinus de Mello, Ioscelinus Cauansgranum, Petrus Maisnade, Manasses frater episcopi, Simon de Verruca, Stephanus de Mennaco, Guillelmus frater Gervasii episcopi, Harduinus de Rupibus, Albericus de firmitate Auraimi, Hubertus de Munitione.

Actum Vindocini ipso die dedicationis monasterii sanctæ Trinitatis, anno ab incarnatione domini MXL. indictione VIII. regnante Henrico rege Francorum, anno regni sui IX.

CONCILIVM VENETVM,

in causa disciplinæ ecclesiasticæ celebratum anno Christi MXL. sub Benedicto papa IX.

ANNO CHRISTI 1040.

HOC concilium, assistente & favente Dominico Flabanico duce Venetiarum, celebratum est Venetiis in ecclesia sancti Marci sub Vrso patriarcha, in quo, teste Andrea Dandulo in suo brevi chronico, pleraque ad disciplinam ecclesiasticam spectantia constituta fuerunt.

** CONCILIA IN DIVERSIS GALLIAR.

locis pro instituenda treuga & pace anno Christi MXLI.

ANNO CHRISTI 1041.

PACEM *& justitiam inter privatos statuere, multis ante conciliis cum frustra tentassent episcopi: treugam tandem, hoc est, aliquot dierum inducias statis temporibus recurrentes instituerunt. Quod hoc demum anno factum narrat Glaber, lib. v. cap. I.* Contigit vero, *inquit*, ipso in tempore, inspirante divina gratia, primitus in partibus Aquitanicis, deinde paulatim per universum Galliarum terrorium, firmari pactum propter timorem Dei pariter & amorem: taliter ut nemo mortalium a feriæ quartæ vespere, ad secundam feriam incipiente luce, ausu temerario præsumeret quippiam alicui hominum per vim auferre, neque ultionis vindictam a quocumque inimico exigere, nec etiam a fidejussore vadimonium sumere. Quod si ab aliquo fieri contigisset contra hoc decretum publicum: aut de vita componeret, aut a Christianorum consortio expulsus, patria pelleretur. Hoc insuper placuit universis, veluti vulgo dicitur, ut TREVGA DOMINI vocaretur. Quæ videlicet non solum humanis fulta præsidiis, verum etiam multotiens divinis suffragata terroribus. Nam plerique vesani audaci temeritate præscriptum pactum non timuere transgredi: in quibus protinus aut divina vindex ira, seu humanus gladius ultor extitit. Et hoc passim tam frequenter contigit, ut præ sui multitudine singulatim non queat adnotari. Et satis juste. Nam sicut dies dominicus propter dominicam resurrectionem venerabilis habetur, & octavus cognominatur: ita quintus, sextus, & septimus, ob dominicæ cœnæ, & ejusdem passionis reverentiam, debent ab iniquis actionibus esse feriati.

Quod synodicis decretis fuisse præscriptum dubitare non possumus: præsertim cum dicat Glaber statutum fuisse, ut qui secus fecisset, a Christianorum consortio pelleretur: *& affirmet Ivo Carnotensis, epist.* 90. Treviam Dei, episcoporum & ecclesiarum autoritate firmatam esse: *neque tamen* communi lege sancitam, sed pro communi utilitate hominum, ex placito ac pacto civitatis ac patriæ. *Quo de argumento plura qui volet, legat Petri de Marca Parisiensis archiepiscopi notas ad canonem primum concilii Claromontani, tom. x. col.* 73. *& M. Antonii Dominicy dissertationem de treuga & pace: qui,*

qui, quod illi cum multis commune est, neque satis adhuc observatum, pacem in multis Galliarum conciliis firmatam, cum treuga domini confundit.

ANNO CHRISTI 1042.

**SYNODVS CÆSENATENSIS,
In qua Ioannes episcopus, clericorum in commune viventium societatem instituit, iisque alendis patrimonium assignat, anno Christi MXLII.

Ex Ital. sacræ to. II.

In nomine Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Anno, Deo propitio, pontificatus D. N. Benedicti summi pontificis, & universalis papæ, in apostolica sanctissima beati Petri apostoli domini sede, anno decimo, die secunda mensis Iunii, indictione decima, & anno ab incarnatione domini millesimo quadragesimo secundo, post obitum Conradi imperatoris, Cæsenæ. Diversa licet in se membra retineat ecclesia mater universalis: unita tamen est, & ratione fidei, & operatione virtutis. Nam secundum apostoli sententiam, in uno corpore diversa sunt membra: omnia autem non eumdem actum habent. Et in ecclesia diversi sunt ordines: sed ad unum caput, quod Christus est, generaliter referuntur. Constat ecclesiam....... Aliter tamen in ecclesia monachi, aliter clerici conversantur....... Et ideo ego Ioannes divini respectus operatione episcopus Cæsenas, clericorum nostri episcopatus vitam in melius reformare, domino inspirante volens........ cum concilio Gebeardi senioris, & magistri nostri, Ravennatis sedis archiepiscopi, aliorumque confratrum nostrorum, tam episcoporum, quam etiam religiosorum abbatum, aliquantos sacerdotes, necnon & diacones, cæterosque ecclesiastici status, in unum collegimus, qui ad honorem domini, & sancti Ioannis Baptistæ, communiter in uno loco conveniant, ubi communiter vescantur, & dormiant, & ad serviendum domino sine intermissione consistant; &, ut solummodo divino cultui mancipetur, a populari conversatione removeantur. Nam sicut ait apostolus: *Qui militat domino non implicat se negotiis secularibus.* Ideo consilio, tam majorum, quam minorum, totiusque populi nostri: Ego prædictus Ioannes episcopus Cæsenas trado, & ordino, & in perpetuum dispono vobis, Ioannes archipresbyter, Petre presbyter, & per vos, vestris fratribus, & successoribus in perpetuum, qui canonico more ad serviendum nostræ ecclesiæ sunt permansuri, idest, plebem unam integram cum omnibus sibi pertinentibus, cui vocabulum est sancti Victoris in valle, monasterium unum integrum, cui vocabulum est sanctorum Laurentii, & Zenonis,....... Debeatis etiam orare assidue pro mea, & meorum antecessorum, & successorum anima. Et non licebit nobis & nostris successoribus, hæc omnia quæ largiti sumus per ullum modum abstrahere, vel minuere. Quod si quis supradictæ ordinationis, & dispensationis statutum temerarie.......

2. Tim 2.

Ego Gebeardus, Dei gratia, archiepiscopus.

Ego Ioannes, gratia Dei, episcopus Cæsenatensis ecclesiæ, sic disposui, sic decrevi, & in perpetuum valere præcepi.

Et subscripserunt aliqui testes.

**CONCILIA DVO PROVINCIÆ NARBONENSIS.

ANNO CHRISTI 1043.

ANNO salutis humanæ MXLIII. in concilio provinciæ Narbonensis, cui interfuerunt archiepiscopi duo, Narbonensis & Arelatensis, & episcopi octodecim, excommunicati sunt invasores bonorum monasterii Cuxanensis.

ANNO Christi MXLV. decretum ediderunt Guifredus Narbonensis archiepiscopus, & Oliba episcopus Ausonensis: quo privilegiis suis communierunt ecclesiam sancti Michaelis Fluvianensis in comitatu Emporitano. Cui decreto subscripserunt Guifredus archiepiscopus Narbonensis, Bernardus episcopus Conseranensis, Petrus episcopus, Oliba episcopus*, Arnaldus episcopus Magalonensis, Froterius Nemausensis, Berengarius Helenensis, Arnulfus Rotensis, VVifredus episcopus*. Et subsequentibus temporibus, Guillelmus episcopus Ausonensis, Berengarius Gerundensis, & Berengarius Barcinonensis. Diu vero post hæc tempora, decretum illud confirmavit Girardus Ostiensis episcopus, apostolicæ sedis legatus. 1045.

* Ausonensis

* Carcassonensis

Ex tabulis Cuxanensis monasterii, acta utriusque concilii descripsit Petrus de Marca Parisiensis archiepiscopus: cui accepta ferimus hæc breviaria. Posterius concilium tempore Gregorii VI. celebratum est. Hic tamen cum priore conjunximus, cum sint ambo ejusdem provinciæ, ambo ex iisdem tabulis Cuxanensibus descripta, neque vero longis temporum spaciis disjuncta.

ANNO CHRISTI 1044.

**CONCILIVM CONSTANTIENSE,
Vbi maxima pax instituta, anno Christi MXLIV.

De hoc concilio ita Marianus Scotus in chronico, & ex eo chronicon Haldensheimense: Anno MXLIV. indict. XII. Heinricus* rex iterum Pannonias invadens, satisfactiones, obsides, munera, pacis per jusjurandum confirmationem accipiens, discessit. Inde reversus, Constantiensi synodo affuit, ubi cunctis debita dimisit: destructisque omnibus inimicitiis*, pacem hactenus inauditam, tam in tota Suevia, quam in aliis regni sui provinciis, regia censura per edictum confirmavit.

*qui postea fuit Imp. Henr. IV.

* al. munitionibus,

ANNO CHRISTI 1044.

VITA
GREGORII PAPÆ VI.

GREGORIVS, hujus nominis sextus, cui antea Gratiani nomen erat, anno domini 1044. tempore regnantis Henrici secundi a Romanis, tamquam ecclesiæ Dei liberator, unanimi consensu electus est pontifex: quando tricipitem illam bestiam pharmaco tali, quod temporis illius infelicitas exigebat, e medio sustulisset, dataque pecunia, ab intrusis pontificibus pacem & unionem ecclesiæ comparans, ejusdem ecclesiæ vexationem redemisset. Factum pontificis prudentissimum nemo, nisi Benno schismaticorum signifer, utriusque Gregorii VI & VII. magistri & discipuli hostis infensissimus, hominum omnium mendacissimus, tamquam simoniacum reprehendit umquam. Gregorius VII. qui implacabilis simoniacorum hostis erat, ob ejus amorem se post adeptum pontificatum Gregorium VII. vocari voluit, cum antea Hildebrandus appellatus fuisset: in concilio Romano, quod anno pontificatus sui septimo habitum fuit Romæ, eumdem legitimum pontificem, & præcessorem suum recognoscit. Glaber, qui hoc tempore scripserat, Gregorium summopere laudans,

Gregorius VI. quando & a quibus electus?

An fuerit simoniacus?

,, laudans, hæc de ejus ingressu commemorat: Tunc A
,, vero cum consensu totius Romani populi, atque
,, ex præcepto imperatoris, ejectus est a sede Bene-
,, dictus: & loco ejus surrogatus est vir religiosissimus
,, ac sanctitate perspicuus Gregorius, natione Ro-
,, manus, cujus videlicet bona fama, quidquid prior
,, fœdaverat, in melius reformavit. Ipse quidem Petrus Damiani, mox quam audivisset ejus promotionem canonicam, scriptis ad eum litteris eidem congratulatur, quod ecclesia Dei, per ejus electionem sordibus expurgatis, pristinum decorem consecuta fuerit. Otto Frisingensis, postquam schismatis supra recensiti fœditatem commemorasset, dixissetque miserrimum statum ecclesiæ per religiosum quemdam presbyterum nomine Gratia- B num, zelo pietatis facta redemptione schismatis, in melius mutatum esse, modo quo supra ejusdem auctoritate enarravi, subjungens ibidem ait: Ob ea

[..]ego- [..]s an [..]rit [..]isma- [..]us?

» cives præfatum presbyterum tamquam ecclesiæ Dei
» liberatorem, in summum pontificem elegerunt,
» eumque mutato nomine Gregorium VI. vocaverunt. Vnde sicut errare noscuntur hi, qui Ioannem schismaticum, de quo supra in Benedicto, cum Gratiano conflant in unum: ita etiam qui Gregorium inter tres illos improbatos pontifices enumerant. Initio pontificatus a Casimiro eam, quam Benedictus solvendam imposuerat, contributionem denarii accepit. Post hæc sceleratos urbe expulit: & sacrilegos rerum ecclesiasticarum invasores, quos C verbis & gladio spiritali non poterat, gladio militari ad restitutionem spolii adegit. *VVilielmus Malmesburius de gestis Anglorum.*

[G]regorius [qu]ando & [cu]r se pon[tifi]catu abdicaverit?

Qua de causa dum odium & invidiam Romanorum ex furtis & rapinis viventium incurrisset, crimine simoniæ & homicidii insimulatus, venit ad Henricum regem, Placentiæ degentem: ibique habito concilio Sutrino cui ipse præsedit, nullo testimonio convictus, nullave sententia judicatus, ob pacem ecclesiæ conciliandam, & schismatis periculum, quod iterum imminebat conflandum, imitatus Gregorium Nazianzenum, sponte se abdicavit, anno domini millesimo quadragesimosexto: cum, teste Leone Ostiensi, sedisset annos duos & octo menses.

ANNO CHRISTI 1046.

*** CONVENTUS EPISCOPORUM Arulensis in diœcesi Helenensi anno MXLVI.

ANNO Christi MXLVI. Ad dedicationem monasterii beatæ Mariæ Arulensis in diœcesi Helenensi convenerunt, VVifredus archiepiscopus Narbonensis, Berengarius episcopus Helenensis, & VVifredus Carcassonensis: abbates quoque, Petrus Rodensis, & Raymundus sancti Andreæ. In eo conventu confirmata est libertas monasterii Arulensis. *Ex Arulensi tabulario acta ipsa descripsit Petrus de Marca Parisiensis archiepiscopus, cujus ex schedis hoc summarium habemus.*

ANNO CHRISTI 1046.

CONCILIUM SUTRINUM, Quo Gregorius VI. seipsum pontificatu abdicavit, anno domini MXLVI.

Acta concilii.

DE rebus in hac synodo gestis Hermannus hujus temporis scriptor ista refert: *Coadunato exercitu, Papiæ synodum celebravit. Inde Placentiam veniens, Gratianum clarissimum, nempe Gregorium VI. quem expulsis prioribus Romani papam statuerant, ad se venientem honorifice suscepit: sicque cunctis prospere cedentibus, juxta natalem domini non longe ab urbe Roma apud Sutrium synodo item acta, causaque erroneorum pontificum diligentius ventilata, Gratianum papam convictum baculo pastorali privavit. Deinde omnium, tam Romanorum, quam aliorum consensu, Suidgerum episcoporum, qui post Eberhardum primum secundus Bambergensem sexto jam anno regebat ecclesiam, nimium reluctantem, summum Romanæ ecclesiæ elegit pontificem. Sicque circa vigilias natalis domini ipsam ingrediuntur urbem.* Hæc de rebus in concilio gestis Hermannus. Sed quod refertur in hac synodo, tres schismaticos pontifices depositos esse: non aliter intelligendum est, quam quod privati fuerint illis reditibus, quos cum illis transigens Gratianus, ad quietem & unionem ecclesiæ redimendam, illis assignaverat. Et quorum gratia idem in hoc judicio simoniæ accusatus, sed nequaquam convictus fuerat. Illud vero quod ait, Gregorium in hoc concilio Sutrino depositum fuisse, nequaquam sustineri potest: sicut etiam quod de electione successoris constitutum esse adjicitur. Scribit enim Leo Ostiensis, quod abdicatione Gregorii imperator exultans, cum omnibus ipsius concilii episcopis Romam venerit, & in ecclesia beati Petri apostoli congregato clero populoque Romano, quod Sutri gestum esset exposuerit, & de ordinando pontifice tractatum fuerit. Et præterea quod post factam diligentem inquisitionem, cum nullus alius tanto munere & officio dignus inveniretur, electione omnium episcopus Bambergensis ecclesiæ ab Hamburgensi præsentatus, natione Saxo, electus, eique nomen Clementis secundi impositum fuerit. *Vide B[ar]onium anno* 1046. *num.* 12.

An & quomodo tres pseudopapæ schismatici in hac synodo depositi?

An Gregorius hic depositus?

ANNO CHRISTI 1046.

VITA ET EPISTOLA CLEMENTIS PAPÆ II.

Clemens II. quando & a quibus pontifex electus?

CLEMENS papa natione Germanus, hujus nominis secundus, ante Suidgerus appellatus, post factam Gregorii sexti abdicationem, ex Bambergensi episcopo, opera studioque Henrici regis, D quasi tanto munere dignior nullus inveniretur, unanimi consensu omnium creatus est pontifex, Romæ, in vigilia nativitatis domini, anno 1046. Postero nativitatis domini ex more consecratus, & nomine Clementis secundi appellatus, Henricum regem, ejusque conjugem Agnetem, imperiali benedictione sublimavit. Imperator Roma discedens, Gregorium sextum quondam pontificem, ne quid ipso præsente Romæ innovaretur, secum in Germaniam abduxit. Comitatus est eum Hildebrandus ejus discipulus, sedis apostolicæ subdiaconus, postea vero Gregorius septimus. Cum eodem Roma profectus est Clemens, qui ultra montes, teste Leone Ostiensi, septimo Idus Octobris, nono mense a sua promotione, ex hac vita migravit. E Corpus ejus Roma Bambergam translatum, sepultum est Bambergæ. Quod cum Benedicto innotuisset, ille tertio sedem apostolicam invasit, eamque usque ad Damasi II. electionem per octo menses tenuit. *Leo Ostiensis.*

Henricus coronatur.

Clementis obitus, & tempus sedis.

EPISTOLA SIVE DIPLOMA

CLEMENTIS PAPÆ II. AD IOANNEM Salernitanum archiepiscopum.

Factam ejus translationem ex episcopatu Pestano in Salernitanum confirmat, eique pallium concedit.

Clemens

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Ioanni amodo Salernitano archiepiscopo, perpetuam in Domino salutem.

QUOTIENS ita contingit, ut exigente necessitate, & maxima utilitate, transmutandus est quisquam episcopus de propria sede ad aliam: diligentissime perquirenda est persona, utrum necessario sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, sicut major sedes assumitur. Te vero, frater carissime, quem unanimitas cleri & populi Salernitanæ ecclesiæ, una cum gloriosissimo principe Guaimario de sede Pestana accepit, & in suum pontificem elegit, diligenter discussimus, ne tuæ ambitionis causa, & non majoris utilitatis necessitate electus fuisses, aut forte per simoniacam hæresim. Quod ita ab omnibus est abnegatum, ut nullius audiretur ore prolatum. Siquidem Salerni manentes, & hoc ab omnibus perquirentes, cum te audiremus ab omnibus laudari, & ab omnibus videremus amari: Dominum benediximus, qui tantam concordiam in tanta hominum diversitate super te potuit efficere, ut nullus videretur discrepare. Etenim circa te idem amor in omnibus, eadem intentio, commune omnibus desiderium. Quapropter annuentes petitioni votoque eorum omnium, & maxime prædicti gloriosi principis Guaimarii, te, frater, sicut & de sede propria ad suam transtulerunt, poscentibus tuorum meritis morum, non rapina tuæ avaritiæ id affectante, apostolica assensione per hoc nostræ autoritatis privilegium incardinamus, & inthronizamus eidem Salernitanæ sedi, in qua fungaris archiepiscopi decore & honore. Nam in te nobis complacuit, quidquid de te fama dispergit, videlicet sanctitas, castitas, benignitas, & omnia quæ Deo placabilia sunt.

Vnde in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, archiepiscopali pallio nostra apostolica manu dilectionem vestram insignivimus: quo utaris toties in anno, quoties prædecessores tuos eo usos fuisse constat. In quo, quia de vellere ovis est, intellige te ovium pastorem. Et quia eo circumcingeris, & etiam circa humeros portas, cognoscas & undique circumspicias, ne aliqua erret, & in morsus incidat luporum. Quod si aliquando, quod absit, contigerit: eam habeas in humeros ad caulam reportare, & pristinæ societati coadunare. Quod vero ante & retro crux Domini habetur: illud apostolicum semper docet ante oculos tuæ mentis habere: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Confirmamus etiam tibi ipsum ex integro archiepiscopatum Salernitanum, cum omnibus adjacentibus parochiis suis. Et insuper licentiam damus & potestatem ordinandi & consecrandi episcopos in his subjectis vobis locis, hoc est, Pestanensem episcopatum, cum parochiis & adjacentiis suis, & episcopatum Consanum, & episcopatum Nolanum, & episcopatum Maluitanum, necnon & episcopatum Acerentinum, simulque & episcopatum Bisiniacensem, atque episcopatum Cusentiæ, cum omnibus parochiis & adjacentiis eorum. Pro pallio vero, quod supra diximus, post discessum quidem tuum successores tui perveniant ad apostolicam sedem, & usum pallii consecrationemque decretaliter recipiant. Et non habeant potestatem successores nostri in cunctis prædictis episcopatibus, quos vobis apostolica autoritate concessimus, deinceps episcopos consecrare, quemadmodum vobis concessum est. Si quis autem nefario ausu, quod non optamus, huic nostræ concessioni aliquo modo contraire voluerit, & omnia suprascripta a nobis firmata violare præsumpserit, perpetuo anathematis vinculo religetur. Et ut hæc nostra concessio firma in perpetuum maneat, bulla nostra & sigillo eam signari præcepimus. At qui pio intuitu custos & observator hujus nostri privilegii extiterit: benedictionis gratiam, & cælestem retributionem a justo judice domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Quid signet pallium.

Galat. 6.

Scriptum est per manus Ioannis scriniarii & notarii sacri Lateranensis palatii, *&c.* Datum XII. Kalendas Martii per manus Petri diaconi & bibliothecarii & cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Clementis II. papæ primo, indictione decimaquinta.

ANNO CHRISTI 1047.

CONCILIVM ROMANVM,

ad reformandum ecclesiæ statum, contra simoniacos in primis, celebratum anno Christi MXLVII. tempore Clementis papæ II.

CLEMENS recens creatus, hanc synodum, teste Petro Damiani in epistola ad Henricum archiepiscopum Ravennatem, ad reformandum ecclesiæ statum Romæ indixit. In qua illud potissimum annitente imperatore conatus est, ut simoniacos vepres, qui adeo excrevissent, ut patrisfamilias sementem suffocarent, non modo succideret, sed penitus eradicaret. Quid vero contra simoniacos hic constitutum fuerit, his verbis prædicta epistola recenset: *P st longam sane disceptationem, tandem suggestum est reverendæ memoriæ imperatori, ejusdem sedis episcopum Clementem decrevisse, ut quicumque a simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum esse, cui se obtulerit promovendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti ordinis officio ministraret.* In eadem hac Romana synodo altercationem esse obortam inter Mediolanensem, Aquileiensem, & Ravennatem antistites, de loco sedendi, quinam ipsorum proximus apud Romanum pontificem sedere deberet, adjudicatam autem esse causam Ravennati, narrat Hieronymus Rubeus in historia Ravennate, deque his confectum esse diploma, quod se vidisse testatur.

A quo indictum?

Quid actum?

ANNO CHRISTI 1048.

VITA
DAMASI PAPÆ II.

DAMASVS, qui, cum esset episcopus Brixiensis, Poppo nominabatur, sedi apostolicæ ab imperatore præsentatus, & Romam missus, omnium suffragiis est electus, comprobatus & consecratus pontifex Romanus anno domini 1048. tempore Henrici imperatoris II. Sedit dies tantum viginti tres. Defunctus Præneste, ut habet Leo Ostiensis, delatus Romam in ecclesia sancti Laurentii, extra muros est sepultus. Sedes usque ad annum sequentem vacans, unguibus Benedicti invasoris discerpta fuit.

Damasus quando, ubi, & a quo electus?

ANNO CHRISTI 1048.

** CONCILIVM SENONENSE,

Ab omnibus provinciæ Senonensis episcopis coram Henrico rege habitum, anno MXLVIII.

ANNO æræ Christianæ MXLVIII. Senonis congregata est coram Henrico Francorum rege synodus,

ANNO CHRISTI 1048. Himbertus

synodus, cui præfuit Gilduinus Senonensis episcopus, interfueruntque omnes provinciæ Senonensis episcopi: Imbertus* Parisiensis, Maynardus Trecensis, Hugo Nivernensis, Herbertus Autissiodorensis, Gualterus Meldensis, & Isambardus Aurelianensis. Quo in concilio rex & episcopi, Theobaldi comitis Trecensis precibus annuentes, fundationem monasterii sancti Aygulfi in urbe Pruvinensi, a Theobaldo factam, confirmarunt. *Ex diplomate sancti Aygulphi cui rex, & episcopi subscripserunt.*

ANNO CHRISTI 1049.

VITA ET EPISTOLÆ

LEONIS PAPÆ IX.

LEO, qui hujus nominis vulgo IX. appellatur, ex comite Dagsburgensi, & episcopo Tullensi in Leucis, cui nomen Bruno fuerat, maximo bono totius ecclesiæ catholicæ creatus est pontifex Idibus Februarii, anno 1049. tempore Henrici imperatoris II. Cardinales per legationem ab imperatore petiverunt suo nomine eligi & præsentari aliquem idoneum, qui Benedictum jam tertium sedem apostolicam violenter invadentem ejicere posset. Delegit imperator Brunonem ex nobili Francorum prosapia oriundum, Tullensium episcopum, eumque purpura pontificali indutum a se dimisit, ut coram cœtu cardinalium se eligendum præsentem sisteret. Cum per Gallias iter ageret, inquit Otto Frisingensis, contigit eum Cluniacum venire, ubi forte tunc præfatus Hildebrandus, prioratus, ut dicitur, obedientiam administrabat. Is vero Leonem adiens, æmulatione Dei plenus, constanter eum de incepto redarguit, illicitum esse inquiens per manum laicalem summum pontificem ad gubernationem totius ecclesiæ violenter introire. Verum si suis se credere velit consiliis, utrumque, & quod majestas imperialis in ipso non exacerbetur, quodque libertas ecclesiæ in electione renovetur, se pollicetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum ejus purpuram deponit, peregrinique habitum assumens, & ducens secum Hildebrandum, iter carpit. Igitur ad Vrbem usque venientes consilio Hildebrandi, a clero & populo Bruno in summum pontificem eligitur. Ita Leo, sicut illi more apostolico præcedentibus propheticis & visionibus ante quinquennium divinitus revelatum fuerat, legitime electus est Romanæ ecclesiæ pontifex optimus, meritis valde insignis, & ob vitam quam ducebat angelicam, angelorum consortio dignissimus. De quo hoc memorabile refert Sigebertus, quod cum ex Galliis Romam tenderet, audiverit voces angelorum cantantium: *Dicit dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Vnde factum esse credo, quod simul ac consecrationem pontificiam Romæ accepisset, nihil ibi moratus, Sipontum in Apulia ad visitandam ecclesiam sancti Michaelis in rupe Gargana sitam, & ad promerenda apud Deum suffragia sanctorum angelorum, celeberrimam ejus temporis peregrinationem accurrerit. Ex hac peregrinatione reversus, monasterium Cassinense ingressus, peracto ibidem missæ sacrificio, pro honoribus sibi exhibitis gratias egit, & monasterium simul & abbatem multis privilegiis donavit. Tullensis ecclesiæ tantus amator extitit, ut titulum priorem Tullensis episcopatus relinquere non voluerit. Patrimonium suum impendit in erectionem monasterii sanctæ crucis, illudque amplissimis reditibus locupletavit. Rebus ecclesiæ in Italia compositis, venit in Germaniam, habitisque ibidem conciliis pluribus, quoad mores eamdem reformavit. Cumque ex Galliis in Italiam se conferret, ex Lotharingia secum duxit Humbertum, virum omni virtute & doctrina excellentissimum, eumque ad prædicandum Siculis verbum Dei archiepiscopum ordinavit: ex quo postea sanctæ Romanæ ecclesiæ factus est cardinalis. Donatione abbatis monasterii sancti Remigii in Gallia susceperat ligneum scyphum benedictionis causa oblatum, quem pro amore tanti pontificis valde observabat: qui cum de manu ferentis ministri casu decidisset, & fractus fuisset, valde contristatus eam ob rem pontifex, jussit sibi fragmenta afferri: præmissaque oratione, altera pars alteri adjuncta fuit. Presbyterum quemdam, qui per cancellarium sedis apostolicæ, data pecunia corruptum, litteras absolutionis furtim obtinere studuerat, redditis illi cum imprecatione apostolica muneribus, dementavit. Quamdiu Romæ remoratus est, inquit Leo Ostiensis, omni tempore tribus per hebdomadam diebus a Lateranensi ecclesia usque ad sanctum Petrum privato habitu, nudisque pedibus, cum duobus aut tribus clericis, noctu psallendo & orando pergebat. Decimam partem oblationum, quas prædecessores in suum usum convertere consueverant, ipse utilitati basilicæ principis apostolorum cessit. Suenonem Danorum regem, cognomento Magnum, trium regnorum dominum, coegit dimittere uxorem quam duxerat consobrinam. Ad componendas dissensiones inter imperatorem & Andream Hungariæ, Roma evocatus venit in Germaniam; sed delusus a rege Hungariæ nihil effecit. Adversus Northmannos auxilium imperatoris petiit & impetravit. Cum VVormatiæ una cum imperatore natalem Redemptoris celebraret, postero die, propter inobedientem diaconum autoritate apostolica suspensum, ipsi cum Luitpoldo Moguntino orta fuit illa controversia, quam abbas Vrspergensis refert; & de ea, pro suo odio quod schismaticus in Romanos pontifices conceperat, male judicavit. Eodem tempore in Germania existens, abbatiam Fuldensem, & Bambergam sedi apostolicæ antehac donatam, pro Benevento aliisve civitatibus & juribus in Italia ab imperatore acceptis, permutavit. Cum Northmannis infelici prælio pugnauit: fugato enim toto exercitu, Teutonicorum militum alii cæsi, alii capti fuerunt: immo ipse pontifex in Northmannorum manus ac potestatē venit, non sine vincentium Northmannorū dolore & pœnitentia. Vnde factū quod eidem, quamquam victus esset, ob reverentiā apostolici culminis, in omnibus tamquam victori morem gererent, ipsumque cum suis omnibus, prout petierat, relaxarent, & honorifice in locum quem vellet tutum deducerent. Petrus Damiani, in epistola ad Firminum episcopum, adversus Leonem bella tractantem & militaribus copiis se miscentem scripsit: eumque hac de re, quasi rem malam, & ecclesiastico ordini inconvenientem egerit, reprehendit & suggillat. Sed cum hac de re aliter universa sentiat ecclesia, ignoscendum est mœrenti eremitæ, qui Germanorum & Gallorum loricatos & galeatos episcopos perstringens, stylum nimis laxavit: &, ut in hujusmodi affectibus frequenter accidere solet, metam redargutionis excessit. Petrus patriarcha Antiochenus, sapiens quæ sunt catholicæ fidei, simul ac creatus est patriarcha, more majorum, catholicæ & apostolicæ ecclesiæ communionem per epistolam una cum fidei professione ad Leonem missam

Miracula Leonis IX. adhuc viventis.

Cōtroversia inter Leonem & Luitpoldum Moguntinum episcopum.

A Northmannis suis victoribus honoratus.

Petrus Damiani reprehendens Leonem bella gerentem redarguitur.

Antiochena ecclesia Romanæ cōciliatur.

missam expetivit: &, ut ex reddita Leonis epistola constat, impetravit. Post acceptam & refutatam impiam Michaelis Constantinopolitani patriarchæ epistolam, pro pace inter Latinos & Græcos concilianda, & pro bello adversus Northmannos conficiendo, legationem misit Constantinopolim ad Constantinum Monomachum imperatorem. Fungebantur legatione Humbertus episcopus Silvæ candidæ, Fridericus archidiaconus cancellarius, cardinales, & Petrus episcopus Amalphitanus. Rerum ab ipsis Constantinopoli gestarum commemoratio brevis & succincta extat apud Baronium, quam infra subjungimus. Antequam a legatione reverterentur, Beneventi infirmatus in comitatu Gunfridi Northmanni olim hostis sui, Romam delatus, sancte & pie obdormivit in Domino XIV. Kalendas Maii, postquam sedisset annos 5. menses 2. & dies 8. Sepultus in basilica sancti Petri juxta sepulcrum sancti Gregorii, miraculis celeberrimis claruit, de quibus supra, & infra in notis concilii Remensis. Cessavit episcopatus menses undecim, & dies vigintiquatuor.

Legationē misit in Orientem.

Sāctus Leo post obitum miraculis claret.

EPISTOLA I.
LEONIS PAPÆ IX.
AD MICHAELEM CONSTANTINOPOL. PATRIARCHAM.

Adversus ejus & Leonis Acridani episcopi inauditas præsumptiones, & nimias vanitates.

Leo episcopus, servus servorum Dei, Michaeli Constantinopolitano, & Leoni Acridano, episcopis.

I.

Luc. 2. *IN terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hujusmodi exordium docuit nos illud dominicum: Luc. 10. *In quamcumque domum aut civitatem intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur.* 1. Cor. 7. *In pace etenim vocavit nos Deus, qui est pax nostra: qui fecit utraque unum, & veniens* Ephes. 2. *evangelizavit pacem his qui longe, & his qui prope erant:* Matth 5. & inter nonnulla dixit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Quorum pedes deiloquus Isaias Isa 52. admiratus, proclamat: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem!* Rom. 10. Ad quam magnus Paulus contestando sic discipulos adhortatur: Hebr. 12. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deū.* Et: Rom. 12. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes.* Et rursum: 1. Cor. 13. *Pacem habete, & Deus dilectionis & pacis erit vobiscum.* Nec immerito, dicente discipulis suis, immo omnibus Christianis, ipso Domino: Ioan. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Quæ utique quam germano & unanimi affectu, & indissolubilis fœderis nexu retinenda sit, hinc potest colligi, quod eam ultimam coheredibus & comparticibus suis, velut hereditario & perpetuo jure commendatam sub testamento, mox suo sanguine subscripto, & pia morte confirmato reliquit, quasi diceret: Fratres & coheredes mei, relinquo vobis ex patrimonio nostro sortem, temporalem videlicet pacem: quam si integram & incontaminatam in fine mihi repræsentaveritis, meam sortem, pacem scilicet sempiternam, adjungo vobis. Nec his contentus, Patri æqualis, Patreque minor, pro hac ipsa Patrem sic deprecatur, ad Patrem suum, & Patrem nostrum, a quo numquam discesserat, rediturus: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut sint unum, sicut & nos unum sumus, ut sint consummati in unum.* Ioann.

II.

Sed *væ mundo ab scandalis*: Matth. quia cum pene omnes paginæ divinæ nos pariter invitent ad bonum unitatis & pacis, quatenus cor unum & anima una sit nobis in eo qui unanimes in domo sua, quæ est catholica ecclesia, habitare facit: extitere tamen hactenus, & existunt miseri homines, sua, non quæ sunt Iesu Christi, quærentes, per omnia militibus Dominum gloriæ crucifigentibus nequiores. Illi siquidem corruptibili tunicæ ipsius, quia inconsutilis & desuper contexta erat per totum, pepercerunt, dicentes: *Non scindamus eam*: Ioan. 19. quadam utique reverentia admirati & textricis diligentiam, & operis elegantiam. Isti vero incorruptibili caritati ejus, qua univit ecclesiam, ut exhiberet sibi vestem gloriosam, non habentem maculam aut rugam, impias & sacrilegas manus ad discindendum crudeliter injiciunt, linguas magniloquas & dolosas ad confodiendum illam exacuunt: nihili pendentes ineffabili & speciali artificio coæternæ Deo Patri sapientiæ compactam & & contextam, nec humano ingenio, seu philosophorum syllogismis aut argumentationibus consutam: *Stulta enim mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* 1. Cor. 1. Neque enim per rhetores & sophistas collegit piscatores, sed per piscatores & simplices piscatus est sophistas & oratores: quia, sicut egregius Paulus dicit: *Non est in sermone regnum Dei, sed in virtute.* 1. Cor. 4.

III.

Verum erubescat & confundatur impia hæresis, impudenter inhians sectioni atque divisioni insecabilis & indivisibilis unitatis, reclamante & repugnante non solum ipsius unitatis natura, sed etiam humanæ sapientiæ conjectura. De eccle unitate. Discedant ergo perfidi corvi, milui, vultures, & quæcumque laniatu vel morte aliena pascuntur aves. Sola columba ad arcam redeat, & super caput Domini Iesu manens, totum corpus ejus, quod est ecclesia, uniat, infundat & repleat: unicamque columbam de diversæ professionis & nationis hominibus atque linguis omnibus, quasi de diversis membris efficiat, cui voce capitis, quod est ipse Christus, dicat: *Una est columba mea, perfecta mea, immaculata mea.* Cant. 5. Quæ enim semper una vocatur, & est, numquam dividitur aut secatur: quæ semper perfecta, hoc est plena, numquam minuitur aut evacuatur: quæ semper immaculata, numquam corrumpitur aut maculatur. Quoniam etsi nonnumquam ab ea plerique ita exeunt, ut non revertantur: non tamen ejus unitas inde discinditur, aut perfectio minoratur, seu virginitas violatur. Quandoquidem membra coruina ad hoc revertuntur, ut suo corpori, a quo ad tempus videbantur esse disjuncta, reincorporentur, & integerrima permaneat columba illa unica, cui se incorporatos & unitos falso gloriabantur. Et quæ gemebat sub periculis in falsis fratribus, relevata illorum exitu, per os beati Ioannis apostoli libere protestatur: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* 1. Ioan. 2. Qui enim pectus columbæ, velut humores mali, solebant premere, & ad nauseam jugiter provocare, alicujus accessionis vel occasionis impulsu egressi, vel ejecti, aut potius egesti, comprobantur eam relevare: atque bonæ valetudinis statum sua discessione eidem revocare. Quotquot autem exeunt redituri, omnino ab ea nequeunt avelli aut præcidi: & si

& si videntur aliquamdiu avulsi aut præcisi, quia A *novit Deus qui sunt ejus*, per cujus prædestinationem sunt intus sine errore, etiam qui putantur foris esse, & errare: nec rapit quisquam de manu ipsius, quos jam prorsus raptos suspicabamur.

2. Tim. 2.

IV.

Sed væ hominum superbiæ & * arrogantiæ, qui membra antichristi, & præcursores ejus effecti, qui est rex super universos filios superbiæ, non cessant zizaniorum pestes in medium tritici spargere, & messem, cui cæleste præparatur horreum, quantum in eis est, atterere. De quorum periculoso tempore dilectus Domini virgo Ioannes voluit nos instruere: *Filioli*, inquiens, *novissima hora est, & sicut audistis quia antichristus venit, nunc autem antichristi multi facti sunt.* Hæc novissima hora a B primo aduentu Salvatoris incepta, usque ad secundum ejus adventum est protendenda. Quæ quot antichristos jam habuerit aut detexerit, dicere quis poterit? De quibus & doctor gentium mirabilis Paulus Ephesiis in Actibus apostolorum ait: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi graves in vos, non parcentes gregi: & ex vobisipsis exurgent viri loquentes perversa, uti abducant discipulos post se.* Sed, o Domine, pervigil pastor, & leo de tribu Iuda, qui, secundum psalmistam, super aspidem & basiliscum ambulas, & conculcas leonem & draconem, jam in fine sæculorum oves pascuæ tuæ variis insidiis, & rabie innumerabilium luporum hactenus fessas miseranter attende, C & increpa feras arundinis, quæ sæviunt, & dentibus frendunt super humilitatem ecclesiæ tuæ, fulti & protecti arundineto, id est, mundana potestate, exterius quidem nitida, sed interius vacua: ubi, sicut ad beatum Iob divina voce dicitur: *Non solum omnes bestiæ agri ludunt*, cuncta scilicet turba malignorum spirituum secundum libitum suum debacchatur: verum etiam Behemot, eorum utique princeps, ibidem sub umbra dormit in secreto calami & locis humentibus, cum sine aliqua inquietudine vel contradictione in superborum & lubricorum cordibus requiescit securus. Catholica vero ecclesia promissiones tuas retinens, Domine, quotidie gaudet compleri in doctoribus suis D illud Sapientiæ: *Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent*, atque vento agitatas arundines comburent. Tunc feræ arundinis pariter interient, in quibus est congregatio taurorum, cœtus videlicet hæresiarcharum, cervicoso ducatu post se trahentium vaccas, id est, lascivas animas populorum: ut qui probati sunt argento, excludantur, scilicet perfecti in eloquiis divinis & stabiles in fide appareant, emineant vel manifestentur. Argento quippe eloquia divina significantur, ut idem psalmista testatur: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum.* Per exclusionem autem, argentum vel aurum quodam artificio subrigitur, elevatur, & exprimitur: ut repente videatur respersum, & insignitum decenti figuratione E diversorum florum aut imaginum, quod prius humile jacebat & planum. Quod totum brevius & clarius sic eloquitur magnus Paulus: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Sed, o maligna hæresis, non inde tibi blandiaris, quod ab apostolo, *Oportet hæreses esse*, audieris. Etenim in sancto euangelio Dominus noster dicit: *Necesse est, ut veniant scandala: verumtamen væ homini per quem scandalum venit.* Nempe non est frustra in fornace aurificis palea: quia aurum non purgatur, si palea non uratur.

* ignorantiæ,
1. Ioan. 2.
Act. 20.
Psal. 90.
Iob 40.
Sap. 3.
Psal. 11.
1. Cor. 11.
Matth. 18.

V.

Hæc & alia similia his cum pene omnes sacri eloquii paginæ contra impudentem vesaniam hæreticorum concrepent: vehementer obstupescimus, & lacrymis caritatis plangimus, sic edormisse ecclesiæ sacerdotes; quatenus qui Dei debuerant esse adjutores, non exhorreant eorum fieri sequaces, quorum memoriam cum sonitu periisse, & civitates destructas vident. Inde est totum illud, quod tandem cum indicibili contritione & gemitu cordis ac corporis effundimus, in quo omnia viscera catholicæ matris concutiuntur, in quo omnes sensus Christianorum obtunduntur, in quo disciplina ecclesiastica & sanctorum vigor canonum confunditur ac calcatur: quia tu, carissime nobis, & adhuc dicende in Christo frater & antistes Constantinopolitane, tuque Leo Acridane, dicimini apostolicam & Latinam ecclesiam nova præsumptione, atque incredibili audacia, nec auditam nec convictam palam damnasse, pro eo maxime, quod de azymis audeat commemorationem dominicæ passionis celebrare. Ecce incauta reprehensio vestra, ecce non bona gloriatio vestra, quando ponitis in cælum os vestrum, cum lingua vestra transiens in terra, humanis argumentationibus & conjecturis antiquam fidem confodere ac subvertere moliatur. Ecce, nisi quantocius resipiscatis, incorporati & annumerati, quod absit, eritis in illa cauda draconis, qua tertiam partem stellarum cæli traxit, & in terram misit. Ecce jam post mille ac ferme viginti a passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana ecclesia, qualiter memoria passionis ejusdem sit recolenda, quasi nil ei contulerit præsentia, conversatio, & diuturna institutio, seu, qua clarificavit Deum, mors preciosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus Filius Dei vivi dicit: *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis.* Matth 16.

VI.

Non ergo perpenditis, quanta impudentia dicatur pater qui est in cælis abscondisse a principe apostolorum Petro cultum, sive ritum visibilis sacrificii, per dispensationem unigeniti sui, cui per semetipsum plenissime revelare dignatus est illud ineffabile arcanum invisibilis divinitatis ejusdem Filii sui? Et cui non per angelum, nec per prophetam, sed proprio ore, ipse Dominus angelorum Ibidem. & prophetarum sic repromittit in sequentibus: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam:* illius capiti vos satagitis subtrahere Christum Iesum, præter quem nemo potest universali ecclesiæ aliud ponere fundamentum? Quod utique devotissimus ille Petrus non solum vivens, sed etiam moriens demonstravit, quando nimia humilitate & congrua significatione se crucifigi deorsum verso capite petivit: profecto divina inspiratione præfigurans, sese esse primum & quadrum lapidem in fundamento, quod est Christus Iesus, compaginatum, cohærentem atque connexum: qui, utpote superpositus angulari lapidi, totum pondus ecclesiasticæ fabricæ incorruptibili soliditate sufferret, ac proprii capitis suppositione omnia membra coporis Christi per aptas & naturales compages, usque ad consummationem sæculi, quasi usque ad pedes crescentia, inflexibili collo ad cælos sustolleret.

VII.

Taliter sancta ecclesia super petram, id est, Christum, & super Petrum vel Cepham filium Ioannis, qui prius Simon dicebatur, ædificata, quia inferi

portis, disputationibus scilicet hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda. Sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quæcumque sunt vera: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Cujus promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur, dicendo ad Petrum: *Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a sede principis apostolorum, Romana videlicet ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per successores suos, reprobata & convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?

Matth. 16. Luc. 22.

Ibidem.

Hæreses omnes per ecclesiam Romanam expugnatæ.

VIII.

Præterimus nominatim replicare nonaginta & eo amplius hæreses ab orientis partibus, vel ab ipsis Græcis, diverso tempore ex diverso errore ad corrumpendam virginitatem catholicæ ecclesiæ matris emergentes. Dicendum videtur ex parte, quantas Constantinopolitana ecclesia per præsules suos suscitaverit pestes, quas viriliter expugnavit, protrivit, & suffocavit Romana & apostolica sedes. Ecce Eusebius Nicomediensis episcopus, sedis Constantinopolitanæ invasor, & signifer maledicti Arii extitit. Quartus Macedonius hæresiarcha, suffocator antecessoris sui beati Pauli, blasphemator Spiritus sancti, tortor Christianorum, & usque ad mortem persecutor, & alter Iulianus, charactere in frontibus notando catholicos. Hæc & alia mala tam ipse, quam sui sequaces, per omnes orientis urbes, & maxime Constantinopoli, agebat: cum Hesperiæ partes ab hac tempestate immotæ manerent, teste vestro historiographo Socrate. Quintus Eudoxius Arianus invasor sedis, & ordinator Eunomii hæretici, dicens Patrem ἀσεβῆ, quod nullum colat; Filium εὐσεβῆ, quod Patrem colat. Sextus Demophilus, ipse Arianus. Nonus Maximus, Cynicus & Apollinarista. Decimus Nectarius vir sanctus, ordinatus a sancta Constantinopolitana synodo prima: de quo cum sancti patres Damaso papæ, & suis coepiscopis scripsissent, dixerunt: Constantinopolitanæ urbis novellam, ut ita dicamus, ecclesiam velut ex ore leonis, hæreticis suffossam blasphemiis, abstraximus: teste Theodoreto vestro historiographo. Sed non inde omnino suffocatus est ille veternosus basiliscus & venenosus: quia successor hujus Ioannes Chrysostomus ab ingrata ecclesia bis est depositus, & in exilio defunctus. Cujus depositionem non ferentes occidentales episcopi, id est, Latini, ab orientalium communione sunt segregati. Hujus successor Arsacius manu militari in Ioannitas desævit, in sequaces videlicet beati Ioannis. Iam quintus decimus in catalogo Nestorius hæresiarcha extitit, qui spiritu diaboli plenus, inter alias suæ perversitatis blasphemias, tale virus evomuit: Dei genitricem Mariam nullus appellet: Maria enim homo fuit, & Deum ab homine generari nimis impossibile est. Qui etiam duas personas in Deo Christo mentitus est. Hinc septimus decimus Flavianus beatus præsul martyrio coronatus postea, quia damnavit Eutychem abbatem, unam substantiam vel naturam in Christo asserentem. Propter quod a beatissimæ memoriæ domino papa Leone, & Marciano Christianissimo imperatore factum est Calchedonense concilium sexcentorum triginta pontificum. Quid dicemus de Acacio accusatore, & restitutore Petri Alexandrini episcopi, per quos plurima homicidia extiterunt, nisi quod a sanctissimo Gelasio papa in perpetuum fuere ambo damnati cum Ioanne successore & defensore Acacii? Post quos Anthimus Eutychianus hæreticus per præsentem papam Agapetum in ipsa Constantinopoli est depositus. Eutychius autem, quia dogmatizabat humanum corpus in resurrectione impalpabile futurum, & vento aereque subtilius, a beato Gregorio tunc diacono ita est convictus, ut in præsentia piæ memoriæ Tiberii imperatoris codices dogmatis ejus justis flammis traderentur.

Hæreses 90. Græcorum.

Socrates historiæ ecclesf. l. 2. cap. 2.

Theodoretus ecclesf. histor. l. 5. cap. 9.

In tomo de anathematis vinculo epist. 9. & 11. Agap. epist. 4 & 5.

IX.

Successit quoque huic Ioannes, cujus superbiam quamvis universus mundus capere nequiverit, angustus tamen cespes post non multum temporis compressit. Hic nimiæ vanitatis novum nomen primus sibi usurpavit, ubi se a cunctis œcumenicum patriarcham, id est, universalem, & dici & scribi debere decrevit. Pro qua utique præsumptione a beatis pontificibus Pelagio & Gregorio digna perculsus est excommunicatione. Cujus contagii macula adhuc vobis cum ipsa maledictione sic adhæsit: ut nunc quoque vosipsos œcumenicos patriarchas, & appellare, & scribere non timeatis. Et certe nomen istud a sanctis patribus in Calchedonensi synodo, ob reverentiam sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis, sanctissimo decessori nostro Leoni papæ, & præclarissimo doctori, successoribusque ejus fuit oblatum: sed nec ab illo, nec ab ullo successorum ipsius constat hactenus receptum. Et cui post Christum Iesum hoc nomen magis poterat aptari, quam successoribus Petri? Sed imitanda humilitas reverendorum pontificum, attendens quod ipse princeps apostolorum non inveniatur dictus universalis apostolus, superbum refutavit vocabulum penitus, quo videbatur par dignitas subtrahi cunctis per orbem præsulibus, dum uni ex toto arrogaretur: tamquam singuli dicerent verbis & factis, quod magister eorum & primus crucifigendus inquit: Non sum dignus caput sursum ponere, sed declinare vultum in terram. Vestra ergo fraternitas videat, quanta apud se protervia tumeat, quæ nec oblatum sibi a quoquam, nec concessum, sed potius denegatum, & sub anathematis interpositione ab apostolica & prima sede, & a sanctis atque orthodoxis patribus interdictum superstitiosum vocabulum, tantæ obstinationis cōtumacia, per quadringentos jam a beatissimo papa Gregorio & amplius annos, usurpare non cessat. Et qualiter exemplo Domini nostri Iesu Christi & suorum, parati estis pro fratribus animas ponere, qui per tot tempora noluistis saltem inane nomen, & totius ecclesiæ unitatem sua insolentia scandalizans deponere? & quid effecit in vestris mentibus toties declamata in auribus illa gloriosi apostoli Pauli professio, qui dicit: *Quis scandalizatur, & ego non uror?* qui non solum pro scandalo aliorum non urimini, sed etiam scandalo vestro quotidie uritis ecclesiam Dei?

Ioannis episcopi Constantinopolitani arrogantia.

1. Cor. 2.

X.

Sed ut ad reliquos decessores vestros revertamur: quid de Pyrrho episcopo, immo hæresiarchæ Macarii Antiocheni sequace dicetur? qui veniens Romam, scripto anathematizavit omnia, quæ ipse & decessores sui contra fidem catholicam & apostolicæ sedis senserant. Sed quantocius ad vomitum reversus, a papa Theodoro est damnatus, & successor

ejus

ejus Paulus, quod ab eodem Romano pontifice monitus & increpatus non resipuit: quando velut simulacrum aut phantasma aliquod insensibile dominum nostrum Iesum Christum arbitratus, nec unam, nec duas voluntates vel operationes in eodem fuisse diffinivit, & altare Latinorum & legatorum Romanæ ecclesiæ, quod nemo hæreticorum ante eum præsumpserat, subvertit. Ad cujus rabiem, quæ sæviebat in catholicos, destruendam, sanctissimus papa Martinus, collectis centum & quinque episcopis, damnavit Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Constantinopolitanos episcopos. In qua utique vesania hec vos istis modo temporibus inferiores illo vestro Paulo, summam & apostolicam sedem, cunctosque institutionis ejus fidissimos observatores anathemate damnatis: incauta, impudenti arrogantia adeo cæcati, ut non animadvertatis quid, & qui faciatis, & cui. Illi nempe facitis præjudicium, de qua nec vobis, nec cuilibet mortalium licet facere judicium: beatissimo & apostolico pontifice Silvestro divinitus decernente, spiritualique ejus filio Constantino religiosissimo Augusto cum universa synodo Nicæna approbante ac subscribente, ut summa sedes a nemine judicetur: inviolabiliter & inconcusse sibi conservato illo privilegio, quod idem princeps quarto baptismatis sui die devotus contulit pontifici Romano: scilicet ut in toto orbe sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut omnes judices regem. Quorum semper omni mundo reverendam sententiam, sicut veraciter divina inspiratione promulgatam, amplexæ reliquæ universales synodi, id est Constantinopolitana prima, consensu pii Augusti & religiosi majoris Theodosii; Ephesina prima, sub juniore Theodosio filio Arcadii; Calchedonensis, sub imperio divæ memoriæ Marciani; tertia Constantinopolitana, rogatu & consensu junioris Constantini: unanimi voluntate, concordique verbo & scripto confirmavere sanctam Romanam & apostolicam sedem, post dominum Iesum caput esse omnium ecclesiarum Dei: & hoc debere credi, confiteri, & scribi ab omnibus veneratoribus Nicæni Concilii: cujus statutorum usque ad unum jota contemptoribus districtum anathema cautum est a quinque præfatis, & cunctis sanctorum patrum synodis subsequentibus.

De Romana sede nulli judicare licet.

IX.

Sic juxta Sapientem, lapis missus non pergit ad cælum, & maledictum frustra prolatum, revertitur in autorem suum. Sic, juxta vulgi proverbium, qui supra caput suum spuere conatur, quantocius in faciem illius sputum relabitur. Sic nobis maledictum pro maledicto non reddentibus, sed cum Psalmista adversum nos peccatore consistente, custodiam ori nostro jam diu ponentibus, per tumorem vestrum incurristis, quod dolemus: quia præjudicium faciendo summæ sedi, de qua nec judicium licet facere cuiquam hominum, anathema accepistis ab universis patribus omnium venerabilium conciliorum. Quo indissolubiliter adstringemini, si cor impœnitens retinendo super tantam præsumptionem, ab illo per vicarios ipsius non solvamini, cui specialiter dixit Christus Filius Dei vivi: *Quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Si conferamus vetera novis, Balaam ille ariolus in hac parte cautior fuit vobis: qui reverens Deum, nec promissi, nec minis regis Moab ad maledicendum filus Israel flecti potuit: *Quomodo*, inquiens, *maledicam cui non maledixit Deus? aut quomodo detestabor quem dominus non detestatur?*

Psal. 73. Matth. 16. Num. 23.

A Vos vero nec amor Dei & proximi, nec reverentia divinorum canonum, aut, sicut dicitur, orthodoxorum principum vestrorum prohibitio revocat; quin publice maledicatis & detestemini genus electum, regale sacerdotium, gentemque sanctam.

XII.

Quod quamvis omnibus ecclesiis Christi, quæ unam catholicam in toto mundo efficiunt, a principe apostolorum Petro sit vere dictum: nulli tamen verius aptatur, quam illi cui proprie præsidet ipse qui cælestis regni meruit gubernacula obtinere, Domino Iesu Christo sibi dicente: *Tibi dabo claves regni cælorum*, & in speciali potestate ligandi & solvendi, summi sacerdotii privilegium. Matth. 16.
B At quoniam, attestante Salomone, *Cor regis in manu domini, quocumque voluerit vertet illud*: Prov. 21.
tantum apicem cælestis dignitatis in beato Petro & in ejus vicariis prudentissimus terrenæ monarchiæ princeps Constantinus intima consideratione reveritus, cunctos usque in finem sæculi successuros eidem apostolo in Romana sede pontifices, per beatum Silvestrum non solum imperiali potestate & dignitate, verum etiam infulis & ministris adornavit imperialibus: valde indignum fore arbitratus terreno imperio subdi quos divina majestas præfecit cælesti: cui equidem comparatum istud terrenum, nihil est nisi vanitas vanitatum, qua homines obliti domini creatoris sui, intumescen-
C tes, mox detumescunt. Et tamen imperialis celsitudo hoc totum quod potuit effecit, quando tota devotione quidquid a domino acceperat, eidem in ministris suis reddidit. Vt enim venerabilis Paulus docet, *Non est potestas nisi a Deo: quæcumque autem sunt, a Deo ordinata sunt.* Quibus in terreni regni opportuna administratione non resistendum sic instruimur per ipsum principem apostolorum: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia sic est voluntas Dei.* Et post pauca: *Deum timete, regem honorificate.* Atque per coapostolum ejus Paulum: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Nam qui resistit potestati,*
D *Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Vnde Sapientia in Proverbiis intonat, dicens: *Per me reges regnant, & principes justa decernunt.* Quod etiam sæpe dictus Augustus Constantinus perspicacis animi vivacitate deprehendit, & matri suæ religiosæ Helenæ inter nonnulla sic rescripsit: Qui moderatur sæcula, « & disponit totius mundi suffragia, quibus alimur & sustentamur, per se quidem spirantia vivificat, sed per pectora principum sua jura sæculis dictat. «

Rom. 13. 1. Petr. 2. Rom. 13. Prov. 8.

XIII.

E His & aliis quam plurimis testimoniis, jam vobis satisfactum esse debuit de terreno & cælesti imperio, immo de regali sacerdotio sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis, præcipue super speciali ejus dispositione in cælis: si quoquo modo Christiani esse vel dici optatis, & si ipsam euangelii veritatem aperte, quod absit, non impugnatis. Ad cujus tonitruum quisquis non expergiscitur: non dormit, sed omnino est mortuus, cui jam frustra ab hominibus clamabitur. Sed ne forte adhuc de terrena ipsius dominatione aliquis vobis dubietatis supersit scrupulus, neve leviter suspicemini ineptis & anilibus fabulis sanctam Romanam sedem velle sibi inconcussum honorem vendicare & defensare aliquatenus: pauca ex privilegio, ejusdem Constantini manu cum cruce aurea super cælestis clavigeri

geri venerabile corpus posito, ad medium proferemus, quibus fundetur veritas, & confundatur vanitas: ut omnia membra catholicæ matris cognoscant nos illius Petri disciplinæ esse, qui sic in 2. Pet. 1. epistola sua ait de se: *Non enim doctas fabulas secuti notam vobis fecimus domini nostri Iesu Christi virtutem, sed speculatores facti illius magnitudinis*: & nos vobis inculcare non tam relatu quolibet, quam quæ ipso visu & tactu comperta sunt. Vel admoniti recognoscite, quia idem gloriosus princeps in jam dicto privilegio post Christianæ fidei claram perfectamque confessionem, atque baptismatis sui enucleatam commendationem, specialem sanctæ Romanæ ecclesiæ dignitatem sic promulgavit, dicens: » Utile judicavimus una cum omnibus nostris B satrapis, & universo senatu, optimatibus etiam & cuncto populo Romanæ gloriæ imperio subjacente, ut sicut beatus Petrus in terris vicarius Filii Dei videtur esse constitutus, ita etiam & pontifices ipsius principis apostolorum vice, principatus potestatem, amplius quam terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam a nobis nostroque imperio obtineant, eligentes nobis ipsum principem apostolorum, vel ejus vicarios, firmos apud Deum esse patronos. Et sicut nostra est terrena imperialis potentia, ita ejus sacrosanctam Romanam ecclesiam decrevimus veneranter honorare, & amplius quam nostrum imperium terrenumque thronum, sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltare: tribuentes ei potestatem & gloriæ dignitatem, atque vigorem & honorificentiam imperialem: atque decernentes sancimus, ut principatum teneat tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam ac Constantinopolitanam, quamque etiam super omnes in universo orbe terrarum Dei ecclesias: & pontifex, qui pro tempore, ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat: & ejus judicio quæque ad cultum Dei vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. Iustum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor Salvator noster beatum Petrum apostolum obtinere præcepit cathedram, ubi & crucis patibulum sustinens, beatæ mortis sumpsit poculum, suique magistri & domini imitator apparuit: & ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, ubi eorum doctor beatus Paulus apostolus pro Christo extenso collo martyrio est coronatus: & illic usque in finem quærant doctorem, ubi sanctorum doctorum quiescunt corpora: & ibi proni ac humo prostrati, cælestis regis Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi famulentur officio, ubi superbi, terreni regis serviebant imperio. « Et succincte commemorato suo studio & devotione in construendis aliquot sanctorum basilicis, & imperialium donationum magnificentia abundanter E ditatis, ait: » Concedimus ipsis sanctis apostolis dominis beatissimis Petro & Paulo, & per hos etiam beato Silvestro patri nostro, summo pontifici, & universali urbis Romæ papæ, & omnibus ejus successoribus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de præsenti contradimus palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit palatiis. Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium, necnon & superhumerale, videlicet lorum quod imperiale circumdare assolet collum: verum etiam & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, sed & dignitatem imperialium præsidentium equitum: conferentes ei etiam imperialia sceptra, simulque cuncta signa atque banda, etiam & diversa ornamenta imperialia, & omnem processionem imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Viros etiam reverendissimos clericos diversi ordinis, eidem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ servientes, illud culmen singularis potentiæ & præcellentiæ habere sancimus, cujus amplissimus noster senatus videtur gloria adornari: id est, patricios atque consules effici, necnon & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et sicut imperialis exstat decorata militia, ita & clerum sanctæ Romanæ ecclesiæ ornari decernimus. Et quemadmodum imperialis potentia diversis officiis, cubiculariorum nempe, & ostiariorum, atque omnium excubitorum ornatur: ita & sanctam Romanam ecclesiam decorari volumus. Et ut amplissime pontificale decus præfulgeat, decernimus & hoc, ut clerici ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ mappulis & linteaminibus, id est candidissimo colore decoratos equos equitent. Et sicut noster senatus calceamentis utitur cum udonibus, id est candido linteamine illustratis, sic utantur & clerici: & ita, cælestia sicut terrena, ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuentes, concedimus ipsi sanctissimo patri nostro Silvestro urbis Romæ episcopo & papæ, & omnibus qui post eum in successu, C & perpetuis temporibus advenerint, beatissimis pontificibus, pro honore & gloria Christi Dei nostri in eadem magna Dei catholica & apostolica ecclesia ex nostro indicto, quem placatus proprio consilio clericare voluerit, & in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus præsumentem superbe agere.

XIV.

Decrevimus itaque & hoc, ut idem venerabilis pater noster Silvester summus pontifex, vel omnes ei succedentes pontifices, diademate, videlicet corona quam ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo & gemmis preciosis uti debeant, & in capite ad laudem Dei pro honore beati Petri D gestare. Ipse vero beatissimus papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona: phrygium autem candido nitore, splendidam resurrectionem dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes frenum equi ipsius, pro reverentia beati Petri, stratoris illi officium exhibuimus, statuentes eodem phrygio omnes successores ejus singulariter uti in processionibus, ad imitationem imperii nostri. Unde ut pontificalis apex non vilescat, sed magis quam terreni imperii dignitas & gloriæ potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut prælatum est, quam Romanam urbem, & omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias, loca & civitates, sæpefato beatissimo pontifici & patri nostro Silvestro universali papæ contradentes atque relinquentes, ei vel successoribus ipsius pontificibus potestatem & ditionem firmam imperiali censura per hanc nostram divalem jussionem & pragmaticum constitutum decernimus disponenda, atque juri sanctæ Romanæ ecclesiæ concedimus permansura. Unde congruum prospeximus, nostrum imperium & regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus, & in Byzantiæ provinciæ optimo loco nomini nostro civitatem ædificari, & nostrum illic constitui imperium: quoniam ubi principatus sacerdotum & Christianæ

» Christianæ religionis caput ab imperatore cælesti A
» constitutum est, justum non est ut illic terrenus
» imperator habeat potestatem. Hæc vero omnia,
» quæ per hanc imperialem sacram, & per alia di-
» valia decreta statuimus atque confirmavimus, us-
» que in finem mundi illibata & inconcussa perman-
» sura decernimus. Deinde facta obtestatione coram Deo vivo, & terribili ejus judicio, & imprecatione æternæ condemnationis temeratori vel contemptori ipsius sui privilegii, secutus idem venerabilis Constantinus, ait : Hujus vero imperialis
» nostri decreti paginam propriis manibus roboran-
» tes, super venerandum corpus beati Petri princi-
» pis apostolorum posuimus, ibique eidem Dei apo-
» stolo spondentes nos cuncta inviolabiliter conser- B
» vare, & nostris successoribus imperatoribus con-
» servanda in mandatis relinquere, patri nostro Sil-
» vestro summo prontifici & universali papæ, & per
» eum cunctis successoribus ejus pontificibus, domi-
» no Deo & salvatore nostro Iesu Christo annuente,
» tradimus, feliciter atque perenniter possidenda.

XV.

Tot ergo & talibus aliisque quamplurimis testimoniis subnixa non erubescit veritas, sed confutatur impudens vanitas. At nos hinc habentes testimonium majus Constantino; *Qui*, ut ait beatus evangelista Ioannis, *de terra est, & de terra loquitur*, vix ab homine testimonium accipimus, contenti testimonio illius qui de cælo venit, & super C omnes est, & dicit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatũ & in cælis; & quodcũque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Qui etiam in catalogo apostolorum instar cardinis ab ipso domino Iesu Christo primus positus, Petrus, id est, Cephas extat cognominatus. Cui specialiter & nominatim, non tantum ante passionem suam, verum & in ipsius articulo passionis, mox ut sui corporis & sanguinis mirabile mysterium agendum generaliter discipulis tradidit, tam oves se pastorum pastore percusso dispergendas, quam & usque in finem sæculi ad unum ovile & ad se unum pastorem colli- D gendas commendando, ait : *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ipsum quoque angelus per mulieres ad videndam resurgentis magistri gloriam nomine invitavit, cum dixit: *Dicite discipulis ejus, & Petro, quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis.* Necnon eidem, ipsa die resurrectionis suæ, pius & verax magister apparuit, quemadmodum venerabilis evangelista Lucas nos instruit, dicens: *Quia surrexit dominus vere, & apparuit Simoni.* Quam manifestationem soli Petro prius, deinde illi cum reliquis condiscipulis factam, gloriosus coapostolus E ejus Paulus declarat, ubi ad Corinthios sic scribit: *Quia surrexit Christus tertia die secundum scripturas: & quia visus est Cephæ, & post hæc undecim.*

Ioan 3. — Matth. 16. — Luc. 22. — Matth. 16. — Luc. 24. — 1. Cor. 15.

XVI.

Instante quoque jam suæ assumptionis gloria, ubi prandebat cum septem discipulis suis, dominus amorem Petri erga se tertio inquisivit, & tertio confitenti, agnos & oves suas tertio pascere præcepit: pro quibus qua morte clarificaturus esset Deum, in extensione manuum illius & præcinctione futura, eidem significavit. Qui nec mora, assumpto domino, in medio centum & viginti fratrum exurgens, & profundos sanctissimi Psalmistæ sensus edisserens, autoritate sua apostolicum numerum, sorte annumerato Matthia, supplevit, quem undenarium remanere nefas credidit. Quibus etiam pariter misso Spiritu sancto in variis linguis, cum quidam stuperent admiratione, quidam deridentes inveterata cæcitate, dicerent musto plenos esse: Petrus uno sancti Ioelis testimonio & ignaros instruxit, & incredulos destruxit. Deinde constanter improperata illis scelerata sua conspiratione adversus dominum & Christum ejus, qua ipsum autorem vitæ morte turpissima tunc condemnantes interfecerant: clarissimis beati David oraculis adstruxit illius sanctam resurrectionem, & gloriosam ascensionem, & ab eo impræsentiarum factam Spiritus sancti effusionem. Ita compunctis Iudæis, primus apostolorum reis sanguinis Christi pœnitentiam indixit, & eorum protinus tria millia baptizavit.

Ioel. 1.

XVII.

Hic solus, sicut doctiloquus evangelista Lucas testatur, dum qui dispersi fuerant pro persecutione facta sub Stephano, circuirent civitates, nemini loquentes verbum vitæ, nisi solis Iudæis, orans in cœnaculo, factus est in excessu mentis: & linteum omnibus terræ quadrupedibus, & reptilibus, volucribusque cæli refertum, quatuor initiis submitti de cælo vidit, sibique cælitus dictum tertio: *Surge, Petre, occide & manduca:* & tertio ab eo responsum: *Quia commune & immundum nunquam introivit os meum:* & tertio superna voce repetitum: *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris:* sufficienter instructus, a quatuor mundi partibus gentes quondam immundas in unitatem fidei congregandas, sicque fide mundatis eorum conscientiis ab operibus mortuis, & occisa in eis pristina immunditia, cui servire membra sua exhibuerant, Christo delectabiliter inviscerandas: tribus nuntiis in mysterio Trinitatis se invitantibus, immanem aprum illum de silva gentium, Cornelium centurionem aggressus, non reluctantem occidit & comedit, quando aqua & Spiritu mundatum ecclesiæ indidit. Cui, coadunatis ipsius domesticis & amicis, dum adhuc loqueretur, Spiritus sanctus cecidit super omnes qui audiebant verbum: & erant loquentes linguis, & magnificantes Deum. Quod nulli Iudæorum, nec ipsis apostolis, uspiam legitur concessum, ut paracleti tantam plenitudinem acciperent prius quam baptismum. Nonne hinc jam luce clarius constat, Petrum primitus ad ædificationem ecclesiæ Christi Iudæos & Gentiles attraxisse, & quasi duos parietes ex diverso venientes, per angularem lapidem Christum indissolubili caritatis glutine conjunxisse? Qui postea videns messem multam, & operarios paucos, Paulum & Barnabam ab Antiochia prædicatores omnibus nationibus destinavit: quibus strenue officio insudantibus dexteram societatis dedit, ut illi quidem in gentibus, ipse vero in circumcisione esset, sicut in epistola ad Galatas ostenditur evidenter. Neque tamen partito in eos onere, subtraxit se cœptæ vocationi gentium & curæ: quam post Asiam ab Illyrico sentit tota Europa & Africa, præcipueque mundi caput & domina gentium Roma. Nam cum quidam pseudoapostoli turbassent corda fratrum, dicentes eos debere circumcidi secundum legem Mosis; Paulusque & Barnabas Hierosolymam iissent, super hac quæstione consulturi: solus Petrus, sua autoritate, circumcisionis onus atque veteris legis jugum a cervicibus discipulorum removit, & gratiam evangelii ad plenam salutem credentium sufficere censuit, dicens: *Quare vultis*

Act. 10. — Act. 15.

vultis imponere grave jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Visum est enim Spiritui sancto & nobis, nihil oneris ultra vobis imponere. Qua utique responsione confirmatus doctor gentium Paulus, Galatis protestatur: *Si circumdamini, Christus vobis nihil proderit.* Galat. 5.

XVIII.

Sed & illud in ipso Petro nihilo minus est animadvertendum, quod sui corporis umbra infirmis conferebat optatæ sospitatis remedium. Quod nulli sanctorum constat hactenus concessum: nec ille, per quem Petrus potuit quidquid boni potuit, ex suo sanctissimo corpore aliquando cuiquam tale donum attribuit sanctus sanctorum, sed suo Petro specialiter in magna significatione præsentis & futuræ ecclesiæ hoc reservavit privilegium. Scilicet quia ipse utriusque principalis rector existeret, utriusque statum in seipso portenderet, quatenus hæc visibilium & transiturorum sacramentorum secreta virtute, quasi umbra sua, morbis animarum in terra curatis, illam nobis adhuc invisibilem veritatis & beatitudinis solidam speciem, velut solidum corpus, exhibeat in cælis. Quarum differentiam breviter Apostolus demonstrat: *Videmus nunc*, inquiens, *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Cui concordans Ioannes coapostolus suus ait: *Carissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Quod vero præsens ecclesia fide & spe salvatur; Paulus sic loquitur: *Sine fide impossibile est placere Deo. Fides autem est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Idem in alio loco: *Spe salvi facti sumus, spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat?* Sic modo credendo, & sperando, atque per patientiam expectando quod non videmus, fide & spe a peccatis liberati videmus quia justus ex fide vivit. In futuro plenam beatitudinem in re videbimus & possidebimus, qua per caritatem solam sine fastidio satiabimur, cum apparuerit gloria ejus.

1. Cor. 13 · 1. Ioan. 3. · Hebr. 11. · Rom. 8.

XIX.

Verum vestra insolentia, nihili pendens talia, specialibus Christi ovibus claudere & interdicere non timet, in quibus temporaliter ad laudem Dei recubabant, ovilia: quas ipse non cessat invitare & introducere ad sempiternæ vitæ pascua: quas tantum ex omnibus sibi compatientes in crucis ultima pœna jam positus attendens, pro eisdem animam ponendo, cum gratiarum actione & piissima prece in ipsa emissione sui beati spiritus domino commendavit, dicens: Gratias tibi ago, Pastor bone, quia oves, quas tradidisti mihi, compatiuntur mihi. Peto ergo ut participent mecum de gratia tua in sempiternum. Ergo prævalebit illis portas vitæ obserare vel obstruere errorum claviculis, sophismatum tendiculis, quilibet inimicus, quas potestate, meritis, & prece, reserat & pandit tantus amicus, cui portæ inferi non prævalebunt aliquatenus, in cælis terrisque præpotens ex ultimo desiderio animæ suæ, & voluntate labiorum suorum a a domino, ad quem mox ibat, erit fraudatus? Absit.

X.

Quapropter a tanta amentia jam resipiscite, & Latinos vere catholicos, atque maximi Petri familiariores discipulos, institutionisque ejus devotiores sectatores cessate subsannando azymitas vocare, aut ecclesias illis denegare, seu tormenta, sicut cœpistis, inferre, si vultis nunc & semper pacem & portionem cum Petro habere. Cujus doctrinam & traditionem in epistola ad Romanos, sapientibus & insipientibus debitor ille gentium doctor, ad tertium cælum, & in paradisum raptus, sic per omnia commendat, dicens: *Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Ex cujus capituli occasione beatus & catholicus doctor Augustinus, in Latinaque lingua clarissimus, atque noster Chrysostomus, ait: Fides ista, quam Romani habent, ipsa eademque est, & non alia, quæ in universo mundo annuntiatur & creditur: quæ non solum in terra, sed & in cælis prædicatur: quia Iesus pacificavit per sanguinem suum non solum terrestria & inferna, sed & cælestia, Et hoc est in universo mundo fidem prædicari, per quam omnis mundus sit subditus Deo. Sed Paulum audite subsequentem: *Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos.* Qui ne putaretur velle aliquid institutioni Petri addere, vel demere, exposuit quid dixerit *ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestram atque meam.* Et in fine epistolæ monens eos devitare falsos fratres, & præter doctrinam quam ipsi acceperant, euntes, ait: *Rogo vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo domino nostro non serviunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia in omni loco divulgata est. Gaudeo igitur in vobis.*

Rom. 1. · Rom. 1. · Rom. 16. Hæretici & schismatici vitandi.

XXI.

Ecce in totius epistolæ serie non invenitur magnus Paulus fidem Latinorum correxisse, nec vitia redarguisse: sed congratulatus fidei & conversationi eorum, de perseverantia commonuisse: cum non propter reprobam actionem, sed & ob ipsius fidei citissimum naufragium in Græcos fuerit invectus acerrime ab initio usque in finem primæ ad Corinthios epistolæ. Quod certe liquet in paucis verbis, ubi ait: *fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Iesu Christi domini nostri. Obsecro autem vos, fratres, per nomen domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quod contentiones sint inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus?* Et ubi notavit eos ex arrogantia falsæ & mundanæ sapientiæ, subjunxit: *Iam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnatis: & utinam regnaretis, ut & nos vobiscum regnaremus.* Et inflationi eorum minatus virgam, ait: *Omnino auditur inter vos fornicatio: & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris habeat quidam. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Quibus expletis, admonuit eos secum epulari, non in fermento veteri, quod totam massam corrumpit, sed in azymis sinceritatis & veritatis.

1. Cor. 1. · 1. Cor. 4. · 1. Cor. 5.

XXII.

Igitur istis & hujusmodi apostolicis sanctorumque patrum dictis cum evidenter approbetur Latinorum sincera obedientia, & plurimorum Græcorum

rum improbetur corrupta insolentia: sunt adhuc plura his super hoc parti nostræ faventia, quæ si liceret ad medium deducere, non solum excederent modum epistolæ, verum etiam possent armaria onerare. Quapropter his omissis, caritative monemus, ne absentes sitis vobisipsis: sed vos ante vos constituatis, vias prædecessorum vestrorum & vestras solicite consideretis, nec nos privato amore palpetis, & in fratrum oculis festucam explorantes, in vestris trabem non videatis. Recordamini illius nefandæ synodi, quam voluerunt vocari septimam vestri hæresiarchæ: quorum conspiratione, ipsius domini nostri Iesu Christi & sanctorum reverendæ imagines, aut flammis traditæ, aut aquis sunt immersæ, picturæ vero ex parietibus basilicarum deletæ. Quibus quamvis semper restiterit Romanorum pontificum autoritas, præ cunctis tamen sanctissimi papæ Nicolai ubivis laudanda libertas: qui per legatos suos, tam pro sacris imaginibus, quam pro depositione beati antistitis Ignatii, & substitutione Photii neophyti, ecclesiam agiæ Sophiæ clausit, donec sedis apostolicæ acquiesceret decretis.

Hæc est Constantinopolitana sub Constantino Copronymo.

XXIII.

Absit autem ut velimus credere, quod publica fama non dubitat asserere, Constantinopolitanæ ecclesiæ contigisse, ut eunuchos contra primum sancti Nicæni concilii capitulum passim promovendo, feminam in sede pontificum suorum sublimasset aliquando. Hoc tam abominabile scelus detestabileque facinus, etsi enormitas ipsius vel horror fraternaque benevolentia non permittit nos credere: considerata tamen incuria vestra erga sanctorum censuram canonum, quia eunuchos & aliqua parte corporis imminutos, non solum ad clericatum, sed ad pontificatum etiam indifferenter ac solemniter adhuc promovetis, fieri potuisse pensamus. Sed quid plura? Tot & tantis schismaticis & hæreticis, catholicam atque apostolicam ecclesiam aperte impugnantibus, & discindere laborantibus, hactenus redundastis: ut Latina vel occidentalis ecclesia de vobis merito conqueri possit, voce sponsæ dicens in Canticis Canticorum: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Et vere: numquid enim Romana & apostolica sedes, quæ per euangelium genuit Latinam ecclesiam in occidente, mater non est Constantinopolitanæ ecclesiæ in oriente, quam per gloriosum filium suum Constantinum, & nobiles sapientesque Romanos, non tantum moribus, sed & muris studuit reparare? Quod si contradicitis, ad quid vestro imperatori Latinæ laudes, & in ecclesia Græcis recitantur Latinæ lectiones? Vtique ob reverentiam illius matris, quæ jam cunctis paganorum crudelitatibus, & diversorum tormentorum quæstionibus vexata & impugnata, ac velut aurum nimiis persecutorum flammis decocta, deliciosam filiam, videlicet ecclesiam Constantinopolitanam edidit.

Cant. 1.

XXIV.

Et certe jam decima a Nerone in Christianos persecutio penitus refrixerat; jam omne mundanæ insaniæ incendium sopitum erat; jam Roma adulta & longæva, in divino cultu victrix & coronata, alta pace triumphabat; jam innumerabilis utriusque sexus & diversæ ætatis martyrum exercitus, nostris azymis saginatus, universos idololatriæ fregerat impetus; jam mundum, & ipsum mundi principem sub pedibus habebat; jam non solum ipsi nostræ institutionis antistites, sed & ministri eorum, in quibus Laurentius ac

A Vincentius, omni mundo stupente, deficientibus ipsis tormentis & tortoribus insultabant. Modo delicata filia in conclavi residens secura, deliciis, lascivia, & longo otio dissoluta, nec ad campum rite agonizantium aliquando progressa, pia matre satagente & decertante pro ea, non erubescit aut veretur primatum arrogare, maternæ senectuti jam emeritæ derogare, nec effetum corpus ejus laboribus & diebus, rugososque & minus validos artus, quondam torosos & ad prælia divina exertos, saltem aliquo humanitatis respectu considerare, nullam reverentiam reverendis canis ipsius habere, sed ipsam puellari levitate post innumerabiles triumphos, ad recidiva bella adversum semet provocare, & eam solido perfectorum cibo privatam, ad carnalium lac retrahere, quod contra usum naturæ, ex ipsis pubertatis suæ mammis in Ægypto, sicut supra dictum est, toties confractis, conatur impudenter ori ejus instillare.

B

XXV.

Et utinam saltem verum lac. Sed, proh dolor, non est lac, quo tenera fidelium paulatim nutriatur infantia, ut ad solidam escam pertingat; sed quod Salomon cavendum denuntiat, dicens: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Et: *Væ ei qui lactat amicum suum, & ducit eum via non bona.* Nec est aqua, de qua qui biberit, non sitiat ultra; quia fiet in eo fons aquæ salientis in

Prov. 1.

Prov. 16.

C vitam æternam, & flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: sed potius aquæ furtivæ de puteis, quos Palæstini, lutum non aquam amantes, repleverunt terra: vel de cisternis dissipatis, seu fluminibus Ægypti & Babylonis, quibus distenditur venter, & gravatus non repletur, sed exinanitur & intumescit, ut more hydropici tanto plus sitiat ad perniciem, quanto plus biberit. De quibus profecto dominus per Ieremiam contra quosdam conqueritur, dicens: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Et post aliqua: *Nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Aut quid tibi in viis Assyriorum, ut bibas aquam fluminis?* Quas utique

Ierem. 2.

Ibidem.

D ne sitiamus idem vetat, dicens: *Prohibe guttur tuum a siti.* Hinc Salomon, quas aquas appetere, quasque debeamus vitare demonstrans, ait: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta.* Et in subsequentibus, hæreticam vanitatem, sub specie stultæ mulieris, visibili quodammodo forma coloratam atque depictam introducit, dicens: *Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocet transeuntes per viam & pergentes itinere suo: Qui est parvulus, declinet ad me.*

Ibidem.

Prov. 5.

Prov. 9.

E *Et vecordi locuta est: Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior. Et ignoravit quod gigantes ibi sint, & in profundis inferni convivæ ejus.*

XXVI.

Quorum ne fit particeps in Tartari flammis, quas vicissim sine fine pascat medullis suis, jam nunc filia recordetur gemitus piæ genitricis, & quot vel quanta pericula propter eam, seu propter sorores ipsius, in utero suo hactenus vidit: & gratia Dei discat talis fieri, saltem admonita, qualis bene de se meritam matrem, etiam senio ac assiduo incurvam labore & tremulam, data manu atque supposito humero studeat sublevare & sustentare, non ad ruinam impellere, deprimere, pertur-

perturbare, vel affligere. Pio affectu & humili corde jugiter perpendat quid idem Salomon dicat: Prov 15. *Stultus homo decipit matrem suam.* Et item: Prov. 23. *Ne despicias cum senuerit mater tua.* Alioquin si, quod absit, pertinax esse voluerit, & piæ matri supercilium ejus & arrogantiam adhuc dissimulanti, atque ad satisfactionem patienter expectanti, parcere & parere contempserit: experietur in anicula matre virides annos exertos ad paternarum traditionum defensionem lacertos, adulescentulæ competentem alacritatem, juvenculæ constantiam efficacem: & Prov. 1., juxta Salomonem, contumax comedet fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabitur: quia, sicut idem testatur: Eccles 3. *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Et iterum: Ibidem. *Quam malæ famæ est qui fugit patrem: & est maledictus a Deo qui exasperat matrem.* Et: Prov. 19. *Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominiosus est & infelix.* Quam utique offendere cavet quisquis placere patri studet, velut etiam quidam sapientium sæculi ait:

Ne matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

XXVII.

His igitur & aliis quamplurimis liquet assertionibus, quid mereatur etiam carnalis matris contemptus: & quid de spiritualis genitricis contumelia & exprobratione dicetur. Illa siquidem in iniquitatibus nos conceptos generavit ad mortem: ista vero, culpis remissis, regeneravit ad vitam. Quarum ceu dispar est meritum, ita & dispar pro earum honore * ut dedecore præmium: quia carnalem matrem honoranti longævitas super morientium terram, & firmamentum casæ casuræ repromittitur: exasperanti autem eam, terrenorum eradidicatio fundamentorum. Porro spiritualem venerantes, longitudinem dierum in dextra Dei videbunt, & in terra viventium sine fine habitabunt: spernentes vero illam, duplici contritione conterentur, &, sicut diploide, confusione sua induentur, & radix eorum de terra viventium evelletur. Etenim affectatio carnalis matris si nos prohibet a reverentia spiritualis, penitus relinquenda & abscindenda est nobis, ut in Deuteronomio Moyses de tribu Levi dicit: Deut. 33. *Qui dixerit patri suo & matri, nescio vos; & fratribus suis, ignoro vos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt testamentum tuum, iudicia tua, o Iacob, & legem tuam, o Israel.* Matth. 19. Quod denique facturis dominus Iesus in euangelio centuplum hic, & in futuro vitam æternam repromisit.

* &, vel

XXVIII.

Sed ecce jam non debet ingrata filia apparere, quia præ cæteris eam honorare dignata est mater sua. Nam cum nullo divino vel humano privilegio honorabilior seu clarior aliis ecclesiis Constantinopolitana existat ecclesia, & Antiochena, atque Alexandrina, ob reverentiam principis apostolorum, inter alias retentent dignitatis jura: tamen pia mater, Romana scilicet ecclesia, nolens dilectam filiam dote honorificentiæ ex toto carere, per beatos prædecessores nostros in aliquot synodis curavit decernere, ut, salva principalium & apostolicarum sedium antiqua dignitate, Constantinopolitanus antistes honoraretur sicut regiæ civitatis episcopus: quamvis Iustinianus religiosus Augustus legibus humanis voluisset adstruere, ut post papam Romanum sedeat Constantinopolitanæ præsul ecclesiæ. Et certe hoc nulla alia excellentia meritorum est assecuta, nisi quod Romana ecclesia pro amore venerabilis Constantini, seipsam, quantum in eo fuit, honorantis & exaltantis, civitatem ipsius hoc privilegio honoris sola humana benevolentia insignivit, juxta prophetæ dictum ad Heli: *Glorificantem me glorificabo: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1. Reg. 2.

XXIX.

Aut si quod aliud retinet, aut putat se habere dignitatis privilegium, vos rebelles lumini ac veritati, & signiferi umbræ & vanitatis, proferte in medium. Vos enim alloquimur, *qui*, sicut dominus ait Pharisæis, *tulistis clavem scientiæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines:* nec ipsi intrastis, nec alios intrare permittitis, sed potius prohibetis, dum matris venerandam faciem conspuere quæritis, dum eam insequimini conviciis & maledictis, dum agnos ejus ab ea segregare, etiam anathemate & flagellis, ne vocem maternam agnoscant & sequantur, contenditis. Vt enim fertur, omnes Latinorum basilicas penes vos clausistis, monachis monasteria & abbatibus tulistis, donec vestris viverent institutis. Ecce in hac parte, Romana ecclesia quanto discretior, moderatior, & clementior vobis est! Siquidem cum intra & extra Romam plurima Græcorum reperiantur monasteria sive ecclesiæ, nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur a paterna traditione, sive sua consuetudine: quin potius suadetur & admonetur eam observare. Nec enim animositatem impiæ hæreseos habet, quæ semper divisione gaudet, dicens per patricidam meretricem: *Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur:* sed pietate veræ matris sic Salomonem deprecatur: *Obsecro, domine, date huic infantem vivum, & nolite interficere eum.* Scit namque quia nil obsunt saluti credentium diversæ pro loco & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat omnes.

Luc. 11.

Græcorum in Latinos injuriæ.

3. Reg 3.

XXX.

Quod vos cum ex debito gradus & loci vestri oportuisset scire & prædicare, quatenus de collectis ovibus gratiam a bono pastore, non condemnationem pro dispersis mereremini percipere, incurristis illud apostoli ad Hebræos: *Quia cum debueritis magistri esse ex tempore, iterum necesse habetis doceri quæ sint elementa sermonum Dei.* Hebr. 5. *Zelum enim Dei habetis, sed non secundum scientiam.* Rom. 10. Quam ut apprehendissetis, non saltu, sed canonico intervallo, immo plano pede ad episcopatus culmen a laica conversatione pervenire debuistis, ne vobis refragarentur verba ipsius apostoli, de episcopo dicentis: *Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* 1. Tim. 3. Nam cum locum doctoris usurpat indoctus, necesse est ut, aut discat quod doceat; aut cæcus pastor, seu non valens latrare canis mutus, perniciose sibi & subjectis remaneat; aut discere & tacere erubescens, perniciosius docere præsumat. Raro quoque evenit, ut in culmine positus valeat humilitatem discere, qui in imis non desiit superbire. Huc accedit & illud, quod albuginem habens in oculo, a sacerdotio prohibetur. Albuginem quippe habet in oculo, quisquis arrogantia justitiæ vel sapientiæ cæcatur.

XXXI.

Sed absit ut religiosi principes & orthodoxi, atque Christianissima & Deo devota civitas, vos in hoc vestro errore a[illegible]diendos putent: quos potius ad unitatis bonum terrore potestatis cogere debent. Recordentur Constantinopolitanos præsules in tantum priscis temporibus familiarissimo sibi morbo superbiæ laborasse, ut edicto Augustorum Theodosii, Arcadii & Honorii prohibitus sit quisquam ex Constantinopolitana ecclesia

ecclesia pontificatum, defuncto episcopo Sisinnio, deinceps sperare, sed ex alia sibi jugiter pontificem expetere: quia erant inani gloriæ dediti, & supra modum arrogantes, ceu commemorant historiographi. Qui etiam referunt, quod septuaginta sex orientales episcopi concilium Sardicense declinantes, in Philippopoli Thraciæ anathematizandum conventiculum habuerunt, sanctamque & immaculatam Nicænæ synodi fidem adulterantes, communi subscriptione errorem suum confirmarunt: occidentales vero trecenti amplexi sanam sanctorum patrum sententiam, unanimitate sua corroborarunt. Quod totum ideo dicitur, ne post priorum cognitionem incaute præsentibus credatur.

XXXII.

Nam Romanæ ecclesiæ fides per Petrum super petram ædificata, nec hactenus deficit, nec deficiet in sæcula, Christo ejus domino rogante pro ea, ceu testatur sub ipsa passione sua: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quo dicto demonstravit fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa & indeficiente fide Petri, velut firmæ ancoræ subsidio figendam, & in fundamento universalis ecclesiæ confirmandam. Quod nemo negat, nisi qui evidenter hæc ipsa verba veritatis impugnat: quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro & successoribus ejus totius ecclesiæ disponitur emolumentum. Et sicut cardo immobilis permanens ducit & reducit ostium, sic Petrus & sui successores liberum de omni ecclesia habent judicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum: quia summa sedes a nemine judicatur. Unde clerici ejus cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo cætera moventur, vicinius adhærentes.

Luc. 22.

XXXIII.

Quapropter nos certissime retinentes omni venerabilem mundo institutionem Petri, & fidem ipsius coapostoli sui & doctoris gentium Pauli clarissimo calamo subscriptam, ab apostolica sede omnibus libere clamamus quod Galatis idem Paulus: *Licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizatum est vobis, anathema sit. Sicut prædixi, & nunc iterum dico: Si quis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Nec ideo silebimus, si dicimur non esse quales debemus, nec qualis est Petrus. Quod utique agendum esset, si cuiquam commendaremus nosmetipsos. *Quia vero*, sicut ait apostolus, *non prædicamus nosmetipsos, sed dominum Iesum, nos autem servos servorum ejus per Iesum: nobis pro minimo est, ut a vobis judicemur, aut ab humano die: quoniam qui judicat nos, dominus est. Neque enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Et repellendo temerarium judicium, dicit alibi: *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Suo domino stat aut cadit: potens est enim Deus illum statuere.*

Galat. 1. ..Cor. 4. .Cor. 4. ..Cor. 10. Rom. 14.

XXXIV.

Nempe & vos, licet quamplurimum tumeatis, quamvis de vobis ultra modum alta sentiatis, non credimus tamen quod dicere audeatis, vos esse quales debetis, aut qualis Alexander, Ioannes Chrysostomus, vel Flavianus fuit: sicut nec Antiochenus se talem, qualis extitit ipse Petrus: nec Alexandrinus parem se Marco vel Athanasio profiteri est ausus: quia sine retractatione a suis punirentur. Idcirco etsi ad hoc vos impellit tumor, tamen retardat timor. Quæ cum ita sint, nullius tamen vos detractio reprimit quin diligenter lac & lanam ab ovibus exigatis: nec veremini, ne dicatur non esse vos pares illis antecessoribus vestris magnis. Cur hoc, nisi quia quicumque sacerdotes, etsi dispares sunt merito, pares tamen sunt officio? Nec potest denegari pro merito quod debetur officio. Alioquin non staret sacerdotium, si majus aut minus fieret, seu variaretur secundum humanorum varietatem meritorum: essentque pene tot sacerdotia, quot homines.

XXXV.

Qua de re, fratres, utinam non ad judicium nostrum dicamus, profecto sumus quales Petrus, & non sumus qualis Petrus: quia idem sumus officio, & non idem merito. Et quotiescumque lac & lanam, scilicet stipendium & honorificentiam, ab ovibus Dei exigimus, nulla meriti nostri ibi fit commemoratio, sed officio nostro quæritur debita recompensatio. Ac sic meritum Petri non habentes, officium autem Petri exequentes, officio nostro debitos reposcimus honores, apostolo dicente: *Quamdiu minister ero, ministerium meum honorificabo.* Et præmonens oves Christi ad solvendum singulis debita, ait: *Reddite omnibus debita: cui honorem, honorem.* Non quia bonum sit accipientibus, sed quia malum sit non reddentibus. Sic ergo & beatissimus prædecessor noster Gregorius dicit: Nemo nos propter nos in loco Petri despiciat: quia ex cathedra ejus, cui, auctore Deo, qualescumque præsidemus debita sibi jura nostrum officium reclamat. Frequenter enim solet evenire quod dicimus, ut persona in hoc mundo potens despectum servum habeat. Cumque per eum suis vel extraneis aliqua mandat, non despicitur, persona missi servi, quia in corde servatur reverentia mittentis domini. Ergone saltem quod dominus concessit Pharisæis & Scribis sedentibus in cathedra Mosis, servus denegabit qualibuscumque conservis suis in cathedra Petri? *Super cathedram*, inquit, *Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate & facite.* Ita quod male vivimus, nostrum est: quod vero bona dicimus, cathedræ, cujus occasione necesse habemus recta prædicare. Unde dicit ille exercitatissimus Paulus: *Dum omnimodis sive occasione, sive invidia Christus annuntietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Ecce apostolus sic necessarios ducit hujusmodi, ut gaudeat super eis: & vos qui estis, qui negligentiam eorum ad injuriam apostolicæ cathedræ retorquetis? Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra dominum, cujus ordinationi resistendo, damnationem vobis acquiritis: cum nostra potestas, sicut & omnis, a nullo alio nisi ab ipso sit. Sciendum est, quia falsa justitia dedignationem, vera autem compassionem habet. Qua utique privamini, insultando, non compatiendo, alienæ calamitati. Et forte approbare nequitis, quod objicere vel calumniari præsumitis: immo constat vos comprobare non posse. Sed esto. *Ecce in cælo judex noster, & conscius noster in excelsis.*

Rom. 11. Rom. 13. Matth. 23. Philipp. 1. Iob. 16.

XXXVI.

Cæterum de homine sentite, o homines, quod vultis: unum tamen conscientia respondet nobis, quia omnium ecclesiarum Dei salutem & exaltationem summopere desideramus. Sed ut quicumque quodlibet ex superbia arripiat, & sibi contra nostram apostolicam sedem atque leges ejus usurpet, hoc nos tolerare non possumus: quia quisquis Romanæ ecclesiæ autoritatem vel privilegia evacuare seu imminuere nititur, non hic unius

ecclesiæ, sed totius Christianitatis subversionem & interitum machinatur. Cujus enim compassione vel sustentatione ulterius respirabunt filiæ a quovis oppressæ, unica illa suffocata matre? Cujus refugium appellabunt? Ad quam confugium habebunt? Ipsa enim Athanasium, ipsa omnes catholicos suscepit, fovit, defendit, & sedibus propriis pulsos restituit.

XXXVII.

Ideo cupiendo omnes in visceribus Iesu Christi nobiscum, vos admonemus, ne falsum nomen scientiæ, justitiæ, vel gloriæ quærendo, unus adversus alterum inflletur, ne cinis & terra periculose superbiat, ne abominabilis & miser homo, bibens quasi aquas iniquitatem, sequendo exteriora, in vita sua projiciat intima sua. Simus unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati sumus in una spe vocationis nostræ. Ipsa corporis compositio & membrorum nos doceat, qualiter & quanti habenda sit ecclesiæ unitas. Ipsa etenim corpus est Christi, ut Apostolus dicit: Rom. 12. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Et sicut in uno corpore multa membra habentur; omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo,* 1. Cor. 12. *singuli autem alter alterius membra. Et si dicit auditus, non sum manus, non sum oculus, non sum de corpore: ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus,* & reliqui sensus? Nunc autem disposuit Deus, sicut voluit, corporis membra, singula officio suo apta. Membrum vero suo officio non contentum, sed cupiens præripere alienum, conturbat corporis ordinem totum: velut si visus voces, auditus colores, gustus odores, olfactus asperas res aut lenes, tactus tentaret discernere sapores, nonne frustra omnes paterentur? Sic singulorum ornamenta seu indumenta non sunt omnibus membris accommoda, nec congrua: sed unumquodque requirit sua, & abjicit aliena. Nempe refutat pes coronam, galeam & pileum, caputque sandalia vel pedules ad suum non applicat usum. Sic manuum dignitas & maxima utilitas, quamvis componat insignem imperii coronam, non tamen hanc sibi adaptat & imponit, sed capiti, contenta suis armillis, dextrocherio, & annulis. Idem fit & in cæteris, & tam discors concordia est in eis, ut eorum quodlibet alii officium suum omnino deputare recuset: & tamen de bono unius pariter exultent, sicut de malo communiter dolent: & officia sua non sibi tantum, sed magis mutuæ utilitati, exhibent. Unde 1. Cor. 12. secutus idem apostolus, ait: *Si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Et quantæ insipientiæ est nolle nos imitari quod sumus, & quod ad transitoriam vitam aliquamdiu retinendam accepimus, non considerare, ut in perpetuum subsistamus?

XXXVIII.

Superbia & invidia quarumirerum origo.

Quia vero ante omnia pestilens mater superbia, ejusque crudelissimæ filiæ, invidia scilicet ac inanis gloria, passim obstinata rabie corpus Christi moliuntur eviscerare & dilacerare: non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes: ne, quod avertat Deus, Galat. 5. contingat nobis dictum apostoli: *Quod si invicem mordetis, videte ne ab invicem consumamini.* Et illud Iacob. 3. Iacobi: *Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in vobis, nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, primo quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, amans bonum, sine simulatione.* Has itaque duas & valde sibi contrarias sapientias vigili mente discernite: & si Petrus singulariter figura summi capitis nostri, vicariusque ejus, ac sui successores jam in terris retinent specialem dignitatem terreni cælestisque regni, nolite invidere vel detrahere Romanæ ecclesiæ apici, quem per caritatem totum valetis adipisci, & in nobis regnare & ipsi. Sin alias, audietis quod supra: *Iam saturati estis, jam divites facti estis: sine nobis regnatis: atque utinam regnaretis, ut & nos vobiscum regnaremus.* 1. Cor. 4.

XXXIX.

Ecce nos vestram gloriam ducimus nostram: cur vos annullare nitimini nobis divinitus & humanitus concessam? Nonne decus vel dedecus sui capitis manus seu pes suum non ducit? Nec dolet, sed potius gaudet uno sensu, id est, solo tactu donatum corpus, superpositum sibi caput omnibus pollere sensibus, quia eos militare facit, & invigilare corporis subjecti utilitatibus: & caput de omnibus judicans sensibus nullo sensu judicatur, utpote solius sui judicio sufficientissimum: utque apostolus dicit, *spiritualis judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur.* 1. Cor. 2. Hæc & supra dicta de corporis nostri harmonia si non sentitis in vobis, in corpore non estis, nec in corpore vivitis: & si in corpore Christi, quod est ecclesia, non estis, nec de eo vivitis, jam videte ubi & quid sitis. Abscissi estis, putrescitis, & velut palmes præcisus de vite foras missi estis, & arescitis, ut in ignem mittamini, & ardeatis: quod divina pietas longe faciat a vobis.

XL.

Sed quia jam nunc videmur digressi modum epistolæ, alio exordio congruum censuimus respondere vestræ calumniæ, quam confratribus & coepiscopis nostris Apulis, scriptam ad suggillationem nostri azymi, & prædicationem vestri fermenti, non dubitastis dirigere. Inter hæc dirigimus vestris cavillationibus refragantia venerabilium patrum nostrorum aliqua super his scripta: deinde, ut Deus inspirabit, nostra rescripta, quatenus multipliciter vestra retundantur & retro ferantur jacula, & quem non vultis feriant. Nam si vos non erubescitis, nec timetis de loquacitate, nos non tantum erubescere, quantum timere debemus de taciturnitate: quia de nostra, multorum pendent animæ, quæ falsis fratribus calumniantibus, & nobis tacentibus, habent perire.

XLI.

Ista autem vobis paterna pietate, ac germana dilectione interim rescribimus, in quibus satis declinasse nos credimus, ne in illud Salomonis incideremus: *Noli respondere stulto juxta stultitiam suam,* Prov. 26. *ne efficiaris illi similis.* Verum si non resipueritis, experiemini quod idem mox secutus ait: *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Et illud apostoli: *Hæreticum hominem post* Tit. 3. *unam & secundam correptionem devita: subversus est enim qui ejusmodi est, & delinquit proprio judicio condemnatus.* Et cavendo interdictum veteris legis typicum, deinceps non coquemus hœdum in lacte matris suæ: sed impetiginem ejus & scabiem fricabimus instanter mordaci aceto & multo sale: quia cum dolore abscindenda sunt, quæ leni manu palpari & sanari non possunt, ut dominus admonet, dicens: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Matth. 18. Sed miseratio Dei præcedens hæc nostra dicta, parcet & nobis & vobis, ut deinceps non sit necesse circa quæstiones & pugnas verborum occupari, sed ex divinis paginis nostram in hoc mundo peregrinationem

invicem

invicem consolari, & pacifice adhortari, ut psalmista canit: *Pax multa diligentibus legem tuam, domine, & non est illi scandalum.* Quod vero caritas & unitas fratrum ipsa sit lex Dei, ostendit illud euangelii: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Quam nos sinceram hic conservare, & in futuro sine fine ipsam, quæ Deus est, perspicere, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, dignetur concedere. Amen.

Psal. 118.

Ioan. 15.

II. AD EPISCOPOS VENETIÆ ET ISTRIÆ.

Præcipit, ut patriarchæ Gradensi, cujus primatum ab apostolica sede concessum in synodo confirmarat, obedientiam præbeant.

Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis Venetiæ & Istriæ, salutem & apostolicam benedictionem.

NOVERIT vestra carissima nobis in Christo fraternitas, hac in præsenti indictione* sexta, carissimum confratrem nostrum Dominicum Gradensem, immo novæ Aquileiæ patriarcham, ad synodum nostram Romæ habitam venisse, & querimoniam de sua & Forojuliensi ecclesia, quam credimus vos non ignorare, lacrymabiliter coram fecisse. Cujus tandem relectis privilegiis, a sancta Romana & apostolica sede sibi concessis, judicio totius sanctæ synodi hoc definitum fuit: Vt nova Aquileia totius Venetiæ & Istriæ caput & metropolis perpetuo haberetur, secundum quod evidentissima prædecessorum nostrorum adstruebant privilegia. Forojuliensis vero antistes, tantummodo finibus Longobardorum esset contentus, juxta privilegium Gregorii II. & retractationem tertii. Et hoc quidem extra patientiam canonum ei pro magno concessimus, quia quater jam vocatus a nobis, nec venit, nec excusavit: cum Gradensis, id est, novæ Aquileiæ patriarcha, quinquies nostræ synodo, etiam non vocatus, interfuerit. Vnde monendo mandamus, & præcipimus vobis ex parte Dei, & sancti Petri, & nostra, ut præfato Gradensi patriarchæ successoribusque ejus, in omnibus, secundum jura canonica, obedientes sitis, sicut primati vestro & patriarchæ esse debetis, & sicut antecessoribus ejus nostri perpetuo confirmarunt. Et si quid sui juris in urbibus vestris vel parochiis continetur, quod suo dominatui merito debeat subdi, nullus vestrum sibi contradicere præsumat. Si quis vero vestrum quidquam justæ querimoniæ adversus eum videtur habere: aut coram vobis confratribus & comprovincialibus causam suam proferat, & cum eo, si potuerit, pacifice diffiniat; aut in præsentiam nostram utraque pars examinanda veniat, salva sibi interim per omnia & patriarchali reverentia, & proprietate sua. Quod si extra feceritis, sententia canonica super vos vigilabit.

*an. 1053.

III. AD THOMAM EPISCOPVM AFRICANVM.

Ostendit Carthaginensem archiepiscopum totius Africæ esse primatem: Gummitanum vero episcopum, sine illius consensu nec episcopos consecrare, nec provinciale concilium convocare posse: solius autem Romani pontificis esse, & episcopos deponere, & generalia concilia indicere.

Leo episcopus, servus servorum Dei, Thomæ confratri carissimo & coepiscopo, salutem.

CVM ex venerabilium canonum autoritate recolimus ducentos quinque episcopos concilio interfuisse Carthaginensi, & nunc a tua fraternitate audimus, quinque vix episcopos superesse in tota Africa, utique tertia hujus corruptibilis mundi parte: compatimur tantæ vestræ imminutioni totis visceribus animi. Cum autem ipsas Christianitatis reliquias ediscimus interna & mutua dissensione discindi & dispergi, & adversus se invicem zelo & contentione principatus inflari, nil aliud nobis primo dicendum occurrit, quam illud sancti Amos vatis: *Parce, Domine, parce obsecro: quis suscitabit Iacob, quia parvulus est?* Sed quamvis in tali tantoque defectu religionis plurimum doleamus, multum tamen gaudemus, quia sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ sententiam requiritis & expectatis super quæstionibus vestris: & quasi rivulis ab uno fonte erumpentibus, & in suo se cursu per diversa spargentibus, ad ipsius fontis primam scaturiginem reverti debere optimum putatis, ut inde resumatis directionis vestigium, unde sumpsistis totius Christianæ religionis exordium. Noveris ergo procul dubio, quia post Romanum pontificem primus archiepiscopus & totius Africæ maximus metropolitanus est Carthaginensis episcopus: nec quicumque sit ille Gummitanus episcopus, aliquam licentiam consecrandi episcopos, vel deponendi, seu provinciale concilium convocandi habet, sine consensu Carthaginensis archiepiscopi, cujuslibet dignitatis aut potestatis sit, exceptis his quæ ad propriam parochiam pertinent: cætera autem, sicut & alii Africani episcopi, consilio Carthaginensis archiepiscopi aget. Vnde carissimi confratres nostri & coepiscopi Petrus & Ioannes recte sentiunt de Carthaginensis ecclesiæ dignitate, nec consentiunt errori Gummitanæ ecclesiæ. Hoc autem nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani pontificis universale concilium celebrari, aut episcopos damnari, vel deponi: quia etsi licet vobis aliquos episcopos examinare, diffinitivam tamen sententiam, absque consultu Romani pontificis, ut dictum est, non licet dare: quod in sanctis canonibus statutum, si quæritis, potestis invenire. Quamvis enim omnibus generaliter apostolis dictum sit a Domino: *Quæcumque ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo; & quæcumque solveritis in terra, soluta erunt & in cælo*: tamen non sine causa specialiter & nominatim dictum est beato Petro apostolorum principi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædicabo ecclesiam meam: & tibi dabo claves regni cælorum.* Et in alio loco: *Confirma fratres tuos.* Scilicet, quia omnium ecclesiarum majores & difficiliores causæ, per sanctam & principalem beati Petri sedem a successoribus ejus sunt diffiniendæ. Iam quia ad interrogata etiam confratrum nostrorum Petri & Ioannis episcoporum decrevimus respondere: optamus ut sanctam tuam fraternitatem jugiter invigilantem utilitatibus sanctæ catholicæ ecclesiæ, devote pro nobis orantem, sancta & individua Trinitas semper conservet, carissime frater.

Amos 7.

Matth. 18.

Matth. 16.

Luc. 22.

Datum XVI. Kalendas Ianuarii, anno domini Leonis papæ IX. quinto*, indictione VII.

*an. 1054.

IV. AD PETRUM ET IOANNEM EPISCOPOS.

Ejusdem argumenti. Addit præterea nonnulla de episcoporum & archiepiscoporum institutione.

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis in Christo fratribus Petro & Ioanni episcopis salutem & apostolicam benedictionem.

DECUS ecclesiarum Africanarum ita conculcatum a Gentibus nimium dolemus, ut modo vix quinque inveniantur episcopi, ubi olim ducenti quinque solebant per concilia plenaria computari: & ibi pauculas oves, quotidianæ occisioni deputatas, remansisse, ubi quondam innumerabilis grex Domini sub numerosis arietibus exultabat alta pace. Sed hæc peccatis nostris imputantes, justitiam creatoris collaudantes, timeamus, & misericordiam ejus instanter postulemus, ut servos suos tandem respicere dignetur. Quod autem scripsistis nobis pro sanctæ Romanæ ecclesiæ statu, nostraque incolumitate, vos Dominum gratias agendo exorasse: noveritis nos vestræ fraternitati gratias agere, & pro consolatione vestra semper orare. Et revera, fratres, hoc acceptabile est Domino nostro Iesu Christo, ut caput omnibus membris prospiciat & invigilet; membra vero sui capitis salutem sine intermissione quærant & optent. Bene equidem fecistis, quod jussi a nobis concilium de rebus ecclesiasticis habuistis: quod etiam omni anno vel semel agere debetis. Insuper recte contra Gummitanum episcopum, dignitatem Carthaginensis ecclesiæ defendistis: quia sine dubio post Romanum pontificem primus archiepiscopus, & totius Africæ maximus metropolitanus est Carthaginensis episcopus, nec pro aliquo episcopo in tota Africa potest perdere privilegium semel susceptum a sancta Romana & apostolica sede: sed obtinebit illud usque in finem sæculi, & donec in ea invocabitur nomen Domini nostri Iesu Christi, sive deserta jaceat Carthago, sive resurgat gloriosa aliquando. Hoc ex concilio beati martyris Cypriani, hoc ex synodis Aurelii, hoc ex omnibus Africanis conciliis, hoc, quod majus est, ex venerabilium prædecessorum nostrorum Romanorum præsulum decretis aperte monstratur: nec quicumque ille sit Gummitanus episcopus, aliquam licentiam consecrandi episcopos, vel deponendi, seu provinciale concilium convocandi habet sine consensu Carthaginensis archiepiscopi, cujuslibet dignitatis aut potestatis sit. Tantummodo procurabit ille Gummitanus episcopus, quæ ad propriam parochiam pertinent: cætera autem, sicut & alii episcopi Africani, consilio Carthaginensis archiepiscopi aget, qui solus in Africa pallium ab apostolica sede habere solet. Unde & episcopos consecrandi principale & antiquum jus retinet, sicut ex verbis Aurelii in concilio Carthaginensi, capitulo trigesimo nono, potest intelligi cum, dicit: In ecclesia, ad quam dignata est vestra sanctitas convenire, crebro ac pene per diem dominicam episcopos ordinandos habemus, &c. Sed hoc vos non lateat, non debere præter * scientiam Romani pontificis universale concilium celebrari, aut episcopos damnari, vel deponi: quia etsi licet examinare, diffinitivam tamen sententiam absque consultu Romani pontificis, ut dictum est, non licet dare. Quod in sanctis canonibus statutum, si quæritis, potestis invenire. Scilicet quia omnium ecclesia-

[Margin: Carthaginensis episcopus solus in Africa pallium habet. Concilium Carthaginense III.]

[Margin: * sententiá.]

A rum majores & difficiliores causæ, per sanctam & principalem beati Petri sedem, a successoribus ejus diffiniendæ sunt, utpote cui divinitus dicitur: *Confirma fratres tuos.* &, *Tibi dabo claves regni cælorum*, &c.

[Margin: Luc 22. Matth. 16.]

Nunc quia de archiepiscopis & metropolitanis sententiam nostram requiritis, venerabilium antecessorum nostrorum dicta aperte demonstrant, id est, Clementis, Anacleti, Aniceti, & aliorum, ubi ita legitur: Sacerdotum ordo bipartitus est, nec amplius quam duos ordines, id est, episcoporum & presbyterorum, nobis collati sunt, nec apostoli docuerunt. Episcoporum autem ordo unus est, quamvis alii præferantur aliis, sive pro eo quod B primas civitates, & magis nominatas, secundum potentiam, aut leges sæculi retinent, sive quod a sanctis patribus pro aliqua reverentia sanctitatis aliquod privilegium dignitatis possident. Nam sicut omnis mundana potestas his gradibus dignitatum a se invicem distat, id est, ut primus sit Augustus vel imperator, deinde Cæsares, deinde reges, duces, & comites atque tribuni: ita & ecclesiastica dignitas ordinata a sanctis patribus invenitur, dicente beato Clemente: In his civitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum, atque primi legis doctores erant, primates vel patriarchæ positi sunt, qui reliquorum * judicia & majora negotia juste diffinirent, qui etiam non uni C provinciæ, sed pluribus præessent. Deinde ubi archiflamines erant paganorum, archiepiscopi instituti sunt Christianorum, qui singulis provinciis præessent. Ubi vero metropolis erat, quæ interpretatur mater civitas, metropolitani erant: quippe qui de tribus aut quatuor civitatibus intra aliquam provinciam majori & matri aliarum civitatum præsidebant. Isti aliquando metropolitani tantum nominantur, aliquando vero archiepiscopi, si in ipsa provincia majores non fuerint aliqui. Ubi autem minores civitates habuerint solummodo flamines vel comites, episcopi sunt instituti. Porro tribuni plebis non absurde intelliguntur presbyteri, sive reliqui inferioris ordinis clerici. His omnibus divino & humano privilegio prælatus est pontifex Romanus. D Sed de Africæ primatibus aliter intelligendum est, quia in singulis ejus provinciis antiquitus primates instituebantur, non secundum potentiam alicujus civitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis: quibus tamen omnibus præerat unus, scilicet Carthaginensis archiepiscopus, qui etiam non incongrue dici potest metropolitanus propter Carthaginem metropolim totius Africæ, quorum supra meminimus. Ita legitur in concilio Carthaginensi, capitulo vigesimosexto: Primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus. Sanctam vestram fraternitatem jugiter invigilantem utilitatibus sanctæ Dei ecclesiæ, atque E devote pro nobis orantem, sancta & individua Trinitas semper conservet, carissimi fratres.

[Margin: Sacerdotii ordo bipartitus.]

[Margin: Epist. 1. to. 1. p. 55.]

[Margin: Concilium Carthaginense I.]

V. AD PETRUM EPISCOPUM.

Gratulatur de ejus erga sedem apostolicam observantia. Confirmat ejus ordinationem, si secundum canones fuerit promotus. Hortatur ut suæ ecclesiæ dignitatem tueatur. Probat fidem ad se ab eo scriptam: eamdem esse quam tenet Romana ecclesia, cujus fidei summa capita ad eum mittit.

Leo

Leo episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri & coepiscopo Petro.

CONGRATULAMUR vehementer in Domino tuæ sanctissimæ fraternitati, atque multimodas gratias, ut dignum est, referimus ei qui est uera pax & caritas suorum, quod tandem per te, carissime frater, videtur refloruisse sanctæ Antiochenæ ecclesiæ studium, & sentire quod est sentiendum. *In hoc enim cognoscent omnes, quia Christi sumus discipuli* (qui primum in ipsa magna Antiochia nominati fuerunt Christiani) *si dilectionem habuerimus adinvicem, & idipsum dixerimus omnes, & non fuerint in nobis schismata: si fuerimus perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.* Neque enim Deus, qui unus est, in scissuris mentium, sed in sola unitate, & puro corde habitat, & habitare facit unanimes in domo. Alioquin domus exasperans erit, nec jam digna vocari ecclesia Dei, sed synagoga maligni. Porro sicut calamitosum est, si unitas deest bonis: ita perniciosum, si adsit malis. Quod ipse ex specula sanctæ illius ecclesiæ, cui videris designatus divinitus speculator, prudenti oculo considerans, promotionem tuam ad episcopale fastigium, electione cleri & populi, sicut asseris, factam, atque fidem tuam, secundum antiquæ consuetudinis religiosum & valde necessarium studium, apostolicæ & primæ sedi, cui, Deo autore, quamvis indigni præsidemus, annuntiare & exponere curasti. In quo facto noverit tua dilectio nos plurimum recreatos & gavisos in domino: quia quod maxime oportebat, tibi & ecclesiæ, cui temporaliter præsides, non distulisti efficere. Siquidem ab apostolica tua sede nostram apostolicam sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle deviare a dominico & omnium sanctorum patrum concordi decreto, quo inviolabiliter cunctis in toto orbe terrarum ecclesiis, sancta Romana & apostolica sedes caput præponitur, ad quam majores & difficiliores causæ omnium ecclesiarum definiendæ referantur. Sic omnia veneranda concilia; sic leges humanæ promulgant, sic ipse sanctus sanctorum, rex regum, & dominus dominantium confirmat: quatenus ibi principalis dignitatis, & totius ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex præfulgeat & præcellat, ubi ipse vertex atque cardo apostolorum Petrus, carnis suæ beatam resurrectionem in novissimo die expectat. Nimirum solus est ille, pro quo, ne deficeret eius fides, Dominus & Salvator asserit se rogasse, dicens: *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in sæculum sæculi: sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usquenunc confirmare non cessavit. Pro cujus excellentia tertiam a Romana ecclesia dignitatem retinet Antiochena, quam te defendere summopere monemus, non tuæ gloriæ causa, sed pro sedis, cui ad tempus præsides, antiqua honorificentia. Nec revoceris ab hac intentione cujuslibet pompa vel arrogantia, quin constanter defendas honorem, quem Antiochenæ ecclesiæ reliquerunt omnia sanctorum patrum concilia. Ad quod utique, si oportuerit, maxima mater, Romana scilicet atque prima sedes, tam dilectæ sibi filiæ, immo consociæ, nusquam & numquam deerit. Quod totum ideo dicimus, quia quosdam conari minuere antiquam dignitatem Antiochenæ ecclesiæ audivimus.

Porro quod a nobis causas divisionis universalis ecclesiæ compatiendo requiris, fatemur tuæ religiosæ solicitudini, nos adhuc a Domino miserante firmissime retinere vinculum sanctæ unitatis: nec videmus nos alicubi incurrisse damnum schismatis, quos integritas concordiæ, & plenitudo ecclesiasticæ disciplinæ indesinenter regit. Vnicuique nostrum debetur honor, & sua jura conserventur. Terminos, quos patres nostri fixerunt, nulli arroganter transgredi conceditur. Magis vestra fraternitas circumspiciat, ne qua radix amaritudinis atque dissensionis, quod absit, in vestris partibus succrescat, per quam inquinentur multi, & quam necesse sit districta falce sanctorum canonum a catholicæ ecclesiæ agro extirpari. Mea vero humilitas in culmine apostolici throni ideo exaltata, ut approbanda approbet, improbanda quoque improbet, tuæ sanctissimæ fraternitatis episcopalem promotionem libens approbat, collaudat, & confirmat: & communem Dominum instanter exorat, ut quod humano ore jam diceris, ante ejus oculos existas. Noveris tamen, nos ipsam tuam promotionem taliter approbare, si non hanc neophytus, aut curialis, seu digamus, vel precio, aut alio quolibet modo sacris canonibus contrario, quod absit, obtinuisti. Sane fidem tuam, quam proprio scripto summæ & apostolicæ sedi exposuisti, sanam & catholicam atque orthodoxam per omnia protestamur, & sicut vere unicam & salutarem amplectimur, & tuæ dilectioni vehementer congratulantes in Domino, eamdem nostram esse devoto corde & prompto ore profitemur. Firmiter enim credo sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem esse, totamque in Trinitate deitatem coessentialem & consubstantialem, coæternam & coomnipotentem, uniusque voluntatis, potestatis, & majestatis: creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quæ sunt in cælo & in terra, visibilia & invisibilia. Credo etiam singulas quasque in sancta Trinitate personas, unum Deum verum, plenum & perfectum. Credo quoque ipsum Dei Patris Filium, Verbum Dei æternaliter natum ante omnia tempora de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, & coæqualem Patri per omnia in divinitate, temporaliter natum de Spiritu sancto ex Maria semper virgine, cum anima rationali: duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem: duas voluntates & operationes habentem: Deum verum, & hominem verum: proprium in utraque natura atque perfectum: non commixtionem atque divisionem passum, non adoptivum neque phantasticum: unicum & unum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed in unius personæ singularitate: impassibilem & immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis & pro nostra salute passum vera carnis passione, & sepultum, ac resurrexisse a mortuis die tertia, vera carnis resurrectione: propter quam confirmandam, cum discipulis nulla indigentia cibi, sed sola voluntate & potestate comedisse, die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua surrexit, & anima, ascendisse in cælum, & sedere in dextera Patris: inde decimo die misisse Spiritum sanctum: & inde, sicut ascendit, venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique secundum opera sua. Credo etiam

Fidei Romanæ ecclesiæ explicatio.

etiam Spiritum ſanctum plenum & perfectum verumque Deum, a Patre & Filio procedentem, coæqualem & coeſſentialem & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio, per prophetas locutum.

Hanc ſanctam & individuam Trinitatem non tres deos, ſed in tribus perſonis, & in una natura ſive eſſentia unum Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem & incommutabilem ita credo & confiteor, ut Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum ſanctum nec genitum nec ingenitum, ſed a Patre & Filio procedentem, veraciter prædicem. Credo ſanctam catholicam & apoſtolicam unam eſſe veram eccleſiam, in qua unus datur baptiſmus, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credo etiam veram reſurrectionem ejuſdem carnis, quam nunc geſto, & vitam æternam. Credo etiam novi & veteris teſtamenti, legis & prophetarum & apoſtolorum unum eſſe autorem Deum & Dominum omnipotentem: Deum prædeſtinaſſe ſolummodo bona, præſciviſſe autem bona malaque. Gratiam Dei prævenire & ſubſequi hominem credo & profiteor, ita tamen, ut liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem. Animam non eſſe partem Dei, ſed ex nihilo creatam; & abſque baptiſmate, originali peccato obnoxiam, credo & prædico.

Porro anathematizo omnem hæreſim extollentem ſe adverſus ſanctam eccleſiam catholicam, pariterque eum quicumque aliquas ſcripturas, præter eas quas catholica eccleſia recipit, in autoritate habendas eſſe crediderit, vel veneratus fuerit. Quatuor concilia omnimode recipio, & velut quatuor euangelia veneror: quia per quatuor partes mundi, univerſalis eccleſia, in his, tamquam in quadro lapide, fundata conſiſtit. Primum, Nicænum trecentorum & octodecim patrum ſub beato Silueſtro papa Romano, & Conſtantino Auguſto magno: cui præfuerunt Victor & Vincentius Romani preſbyteri. Secundum, Conſtantinopolitanum primum centum quinquaginta patrum, ſub Damaſo papa & Theodoſio majore. Tertium, Epheſinum primum ducentorum patrum, ſub Cæleſtino papa & juniore Theodoſio. Quartum, Calchedonenſe ſexcentorum & triginta patrum, ſub beato Leone papa, & Marciano Auguſto.

Ita divus Gregorius ep. 14 l 1.

Pari modo recipio & veneror reliqua tria concilia, id eſt, ſecundum Conſtantinopolitanum, ſub Vigilio papa & Iuſtiniano Auguſto: deinde tertium Conſtantinopolitanum contra Monothelitas, ſub Agathone papa & Conſtantino nepote Heraclii: ultimum, ſecundum Nicænum, ſub Hadriano papa & Conſtantino Irenes filio, pro reverendis Domini Ieſu Chriſti & ſanctorum imaginibus. Quidquid ſupra dicta ſeptem ſancta & univerſalia concilia ſenſerunt & collaudaverunt, ſentio & collaudo: & quoſcumque anathematizaverunt, anathematizo. Hanc fidem ſancta Romana & apoſtolica ſedes corde credit ad juſtitiam, & ore confitetur ad ſalutem. Secundum hanc vivere, Domino donante, ſtudet, & pro ejus defenſione, ſi oportuerit, mori parata eſt. Quam & in te, frater cariſſime, perfectam cognoſcimus, & ſecundum eam te vivere nobiſcum admonemus, profecto ſcientes quia fides ſine operibus mortua eſt. Salutamus cum omni fraternitate ſeu collegio ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ ſedis tuam fraternitatem ſanctam, cunctumque collegium in domino tibi ſubjectum: & ut pro noſtra gemina ſalute omnipotentem Do-

A minum jugiter exores precamur plurimum, reverende & deſiderabilis frater.

VI. AD MICHAELEM CONSTANTINOP. ARCHIEPISCOPUM.

Gratulatur ei, quod Græcos Latinis conciliare ſtuderet. Arguit eum, tum quod patriarchas Alexandrinum & Antiochenum ſuæ poteſtati ſubjicere conaretur, tum quod univerſalis partriarchæ nomen ſibi uſurparet, & Romanam eccleſiam, quæ in azymis ſanctum euchariſtiæ ſacrum conficiat, damnaret. Probat Chriſtum in azymo conſecraſſe.

B *Leo epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Michaeli Conſtantinopolitano archiepiſcopo.*

SCRIPTA tuæ honorandæ fraternitatis tandem ad nos pervenerunt, in quibus ad maxime neceſſarium omnibuſque Chriſti fidelibus amplectendum bonum concordiæ & unitatis exhortari ſtudes: quatenus poſt nimium longas & pernicioſas diſcordias, filia ex propriæ matris reconciliatione exultet. Ad quod utique te provocantem & præmonentem tanto promptius auſcultare cupimus, quanto vigilantius animadvertimus hanc ſolam eſſe propriam & ſpecialem virtutem piorum atque ſanctorum, cum cæteræ virtutes bonis & malis eſſe poſſint communes, Domino ſic præmonſtrante: *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis adinvicem.* Et deiloquo

Caritas vi[rtus] propr[ia] ſanctorum

Ioan. 13.

C Paulo proteſtante: *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Vnde plurimum tuæ fraternitati congratulamur in domino, qnoniam ſummum deſiderium noſtrum tua induſtria anticipaſti: quod utique ſi aliquo frigore caritatis pigritareris exequi, noſtra debueras ſolertia præveniri. Nos enim, juxta præfatum apoſtolum, ſi fieri poteſt, cum omnibus hominibus pacem habere peroptamus: quanto magis ergo tecum, quem videmus eccleſiæ Dei valde utilem & neceſſarium poſſe fore miniſtrum, ſi non tranſgredi laboraveris terminos quos patres noſtri poſuerunt? Et quia Chriſtianæ perfectionis eſt, paci-

Hebr. 12.

Rom. 12.

D ficum eſſe, etiam cum inimicis pacis, ſpe correctionis, non conſenſu malignitatis: tanto ſolicitius debemus omnes occaſiones ſcandalorum de medio tollere, quanto tenacius optamus pacis amicos retinere. Plurima autem ex tua fraternitate intolerabilia rumor jamdiu pertulit ad aures noſtras, quæ nos, partim quia incredibilia videbantur, partim quia nulla facultas inquirendi talia concedebatur, indiſcuſſa hucuſque reliquimus. Denique diceris neophytus, & non gradatim proſiluiſſe ad epiſcopale faſtigium: quod nullatenus eſſe faciendum, & apoſtolus edocet, & venerabiles canones

1. Tim. 3.

E interdicunt. Hinc nova ambitione Alexandrinum & Antiochenum patriarchas, antiquis ſuæ dignitatis privilegiis privare contendens, contra omne fas & jus tuo dominio ſubjugare conaris. Quod quanto tuo periculo tentes, omnibus ſanæ mentis patet: quandoquidem vana gloria & pompa ſæculari elatus, conſilium divinitatis antiquum ſuper ſtabilimento columnarum ſuæ eccleſiæ * contendis, quaſi ex fallacibus divitiis præjudicium facturus illi, qui cum vere & ſingulariter dives eſſet, pauper pro nobis factus, delegit ſuæ temporali nativitati opidulum, & ſpeluncæ diverſorium, non quodlibet regum palatium. Cujus exempla quiſquis horret, ad ſortem illius pertinet, qui tunc per ſe, nunc autem per ſuos ſatellites, dicere

* *Hic dee[st]* mutare, *a[ut]* *aliquid e-* *juſmodi.*

andet·

14. audet : *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis* A
55. *ero altiſſimo. Sed non cogitationes meæ, cogitationes veſtræ : neque viæ meæ, viæ veſtræ, dicit dominus:* qui diſpergit ſuperbos in furore ſuo, & reſpiciens omnem arrogantem humiliat, & exurgit ut non prævaleat homo, in cujus conſpectu non eſt Deus. Ne enim ſuperbia propter altitudinem ſuam ſe conjun-
137. ctam putaret Deo, dicit pſalmiſta : *Alta a longe cognoſcit excelſus dominus.* Vnde per ſemetipſum te-
16. ſtatur : *Quod altum eſt hominibus, abominabile eſt apud Deum.* Qualis vero, & quam deteſtabilis atque lamentabilis eſt illa ſacrilega uſurpatio, qua te univerſalem patriarcham jactas ubique & ſcripto & verbo, cum omnis Dei amicus hujuſmodi hactenus horruerit honorari vocabulo ? Et quis poſt B Chriſtum convenientius poſſet inſigniri hoc voca-
th.16. bulo, quam cui dicitur divina voce : *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam,* &c. Verumtamen quia ille non invenitur univerſalis apoſtolus dictus, quamvis princeps apoſtolorum ſit conſtitutus, nullus ſucceſſorum ejus tam prodigioſo prænomine conſenſit appellari penitus, licet magno Leoni prædeceſſori noſtro, & ſucceſſoribus ipſius, hoc ſancta decreverit Calchedonenſis ſynodus. Nempe animadvertebant non eſſe amicum ſponſi, qui pro ſponſo vellet amari : quin potius paranymphum & lenonem antichriſti, qui adverſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ecce ille Ioannes veſter, cujus C veſanæ adinventionis adhuc heredes permanetis,
l. 43. qui, ſecundum pſalmiſtam, per vos adhuc vocat nomina ſua in terris ſuis, cum interiit non ſumpſit omnia, neque deſcendit cum eo gloria ad infernum : quia cum in honore eſſet, non intellexit.
agius II. ſtola 1. ctus egorius ſtolarū 6 epiſt. & lib. 7. ſt. 30. Ipſe a beatiſſimis pontificibus Pelagio & Gregorio ſucceſſoribuſque eorum pro hac inſolentia anathematizatus, in ſua pertinacia irrevocabilis periit, jamque per quadraginta & quadringentos annos ſuæ contumaciæ ſequaces præcipitare non ceſſavit. Quibus quid profuit ſuperbia, divitiarum ja-
. 5. ctantia quid contulit? *Tranſierunt omnia velut um-*
tth.16. *bra. Quid denique prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Et D quomodo animas pro fratribus habetis ponere, qui inane nomen, & univerſam eccleſiam ſcandalizans, dedignamini deponere? Reſipiſce ergo, rogamus, ab hac inſania, ne illius conſors tu quo-
41. que, quod abſit, fias, de quo dicitur : *Omne ſublime videt, & ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Illud autem quis non ſtupeat, quod poſt tot ſanctos & orthodoxos patres, per mille & viginti a paſſione Salvatoris annos, novus calumniator eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes, & publicam perſecutionem excitans, quicumque participarentur ſacramentorum ex azymis? Quam præſumptionem tuam & fama nobis obtulit, & litterarum ſub nomine tuo ad Apulos datarum textus manifeſtavit : quæ violenter ad- E ſtruere conantur fermentatum panem fuiſſe, quo Dominus apoſtolis ſuis corporis ſui myſterium in cœna commendavit. Quod omnino falſum eſſe ex utroque teſtamento facillime deprehenditur : quia qui non venerat ſolvere legem, ſed adimplere, juxta ipſius legis præceptum, ex azymis & vino vetus paſcha adimplevit, & protinus ex azymis & vino novum, ſicut aperte Lucas nar-
od. 12. rat, diſcipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Iſrael, & apud quemcumque inveniebatur, peribat anima ejus de populo ſuo. Quod ſi in cœna Domini Ieſu apparuiſſet, aut ipſe ſeu diſcipuli ejus quoquo modo guſtaſſent, juſte ſicut prævaricatores legis perirent, nec ipſe Dominus diceret ſuis inſidiatoribus : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8. Nec eſſet opus falſos teſtes ad perdendum eum quærere, cum hoc ſolo perderetur juſte. Sed qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, 2. Petr. 2. quod paſſurus diſcipulis mandavit, evidenter per apoſtolum, in quo loquebatur, commemorans, inquit : *Epulemur, non in fermento veteri,* 2. Cor. 13. *neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis. Denique modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* 1. Cor. 5. Vbicumque autem corruptio, ibi procul dubio naturæ deterioratio, & alicujus vitii ſuſceptio.

Porro noſtrum paſcha ideo novum dicitur, quia illud vetus præceptum eſt Iſraelitis in memoriam ſuæ egreſſionis ex Ægypto : iſtud vero Chriſtianis in memoriam dominicæ paſſionis, qua ad Patrem tranſivit ex hoc mundo. Sed quia tam de his, quam de aliis, quibus nos calumniaris, latius a noſtris nuntiis per alia ſcripta noſtra, quæ deferunt, inſtrueris : hic breviter attigiſſe ſit ſatis. Diſcat autem fraternitas tua, ſaltem admonita, caute & humiliter loqui, ne aliquando Dominus dicat & tibi : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Matth. 12. Scripſiſti ſiquidem nobis, quoniam ſi una eccleſia Romana per nos haberet nomen tuum, omnes eccleſiæ in toto orbe terrarum haberent per te nomen noſtrum. Quid hoc monſtri eſt, frater cariſſime? Romana eccleſia, caput & mater eccleſiarum, membra & filias non habet? Et quomodo poteſt dici caput aut mater? Credimus enim propter quod & loquimur atque conſtanter profitemur: Romana eccleſia adeo non eſt ſola, vel ſicut tu putas, una, ut in toto orbe terrarum, quæcumque natio diſſentit ſuperbe ab ea, non ſit jam dicenda vel habenda eccleſia aliqua, ſed omnino nulla : quin potius conciliabulum hæreticorum, aut conventiculum ſchiſmaticorum, & ſynagoga ſatanæ. Videris dicere illud ſancti Eliæ, tunc præſumentis de ſe: *Relictus ſum ego ſolus.* 3. Reg. 19. Sed audi quid ille audivit a Domino: *Reliqui mihi ſeptem millia virorum.* Quieſce, quieſce jam, venerabilis frater, ab his ſuperſtitionibus, ne illud Salomonis in te dicatur : *Sunt qui ſe divites affectant, nihil habentes.* Prov. 13. Simillimum nempe hoc eſt diabolicæ arrogantiæ, qui regna mundi a conditore omnium facta putans ſua eſſe, dixit illi : *Hæc omnia tibi dabo.* Matth. 4. Igitur hinc jam ad cor redeatur, & tam pernicioſa ſcandala de medio tollantur, & tunc, ſecundum pſalmiſtam : *Loquetur* Pſal. 84. *Dominus pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertuntur ad cor.* Nam nos cum pertinacibus, & in errore ſuo permanentibus, pacem aliquam habere non poſſumus, ne operibus malignis communicemus : quia nec Dominum Chriſtum alicubi talia feciſſe invenimus : cum etiam in nativitate ipſius, angeli pacem annuntiaverunt ſolummodo bonæ voluntatis hominibus. Qui etiam oculum ſcandalizantem eruendum, manum vel pedem ſcandalizantes abſcindendos inſinuat.

Ceſſent ergo hæreſes & ſchiſmata, & diligentibus legem Dei jam non erit ſcandalum, ſed pax multa. Quicumque gloriatur Chriſtiano nomine, ceſſet Romanam ſanctam & apoſtolicam eccleſiam maledicere & laceſſere : quia fruſtra patremfamilias honorat, quiſquis ejus uxorem exhonorat. Et fruſtra matrisfamilias caput & faciem magnificat, qui minimos filiorum ejus impugnans, tamquam digitos pedum illius conculcat. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur : *Quam malæ eſt famæ,*

Ecclef. 3. *qui fugit patrem: & est maledictus a Deo qui exasperat matrem.* Et in Proverbiis: Prov. 30. *Oculum qui subsannat patrem, & despicit matrem, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Confidimus tamen ex divina pietate, quod ab his innoxius aut correctus invenieris, aut certe admonitus cito corrigeris. Quod dum fuerit effectum, pax nostra jam ad nos non revertetur, sed super te requiescet, ceu super pacis filium: & regnabit inter nos germana caritas, de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta: nec necesse habebis nobis supplicare, sed jubere. Super hæc, sicut cœpisti, collabora, ut duo maxima regna connectantur pace optata. Orantem pro nobis tuam honorabilem fraternitatem sancta Trinitas in perpetuum conservet. Data mense Ianuario,* indictione VII. * an. 1054.

VII. AD CONSTANTINUM MONOMACHUM IMPERATOREM.

Laudat eum, quod pacem inter Latinos & Græcos conciliare curet. Hortatur ut Romanam ecclesiam defendat. De arrogantia Michaelis Constantinopolitani conqueritur: legatosque commendat.

Leo episcopus, servus servorum Dei, glorioso & religioso imperatori novæ Romæ Constantino Monomacho, dilecto filio, salutem.

QUANTAS gratias referre jugiter debeamus creatrici & gubernatrici omnium sanctæ & individuæ Trinitati, super inenarrabili dono ejus, quo operatur omnia in omnibus, etiam ex tua devotione & religiosa industria, gloriosissime fili atque serenissime imperator, perpendere possumus: qui te talem nostris exhibuit & gratuita pietate providit diebus, cujus fida ope statum sanctæ & catholicæ ecclesiæ relevari, & terreni imperii rempublicam meliorari confidamus. Tu enim post nimium longas & perniciosas discordias, primus pacis & concordiæ monitor, portitor, & exoptatus exactor efficeris, & cum ipso vase electionis humillimo Paulo dicere videris: 2. Cor 5. *Pro Christo legatione fungentes, tamquam Deo exhortante per nos, obsecramus, reconciliamini propter eum qui est pax nostra, qui facit utraque unum.* Ephes. 2. Etenim velut religiosa & egregiæ indolis proles, gemitus matris tuæ non oblivisceris: nec contemnendam, quia senuit, sed potius reverendam arbitraris, atque plenis caritate visceribus, ad eam redire meditaris, ut uni Deo & Patri omnium tanto fias carior & propinquior, quanto eidem principali matri benignior atque humilior. Neque enim tuam prudentiam latet, quod in Ecclesiastico habent: Ecclef. 3. *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Et illud: Prov. 1. *Ne dimittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo jugiter.* Quæ utique proverbia magis curant nobis commendare matrem quæ ad æternam vitam nos generat & erudit, quam illam quæ ad mortem parit, & carnaliter diligit, & instruit. Cui nisi illa successerit, ut regeneret & refoveat, ista procul dubio secundæ morti filios suos destinat. Porro hæc catholica mater & incorrupta virgo, quamvis omnem terram & fines orbis occupaverit membris suis & repleverit: tamen unum caput omnibus reverendum & suspiciendum exerit, & prætendit. Quod quicumque exhonorat, frustra se in ipsius membris computat. Illud autem quid sit, tua imperialis claritas omnino novit: illud nimirum, quod Christi vox prætulit, & præeminere voluit universis, & subsequens ecclesiæ pietas, & generalis sanctorum patrum consensus jugiter hactenus celebravit. Cujus venerabilem faciem tu quoque honorificare disponis, non ingratus illi quæ tuum verticem diademate terreni principatus decenter insignivit, & tremendum & amandum populis effecit, &, ut in sempiternum regnes, chrismate adoptionis inunxit. Nempe ipsa antiqua & jam emerita Roma illum primum nobilissimum & religiosissimum Constantinum, cujus genealogia gloriaris, & potentia magnificaris, cujusque de nomine dictam urbem famosam regis, temporaliter edidit, nutrivit, provexit, & super omnes mortales constituit, nec a beneficiis cessavit, donec eumdem æterni regni gloria cumulavit. Unde multimoda gratiarum actione tuam excellentiam, gloriosissime fili, magnificando, tanto majori super tua devotione & recognitione replemur gaudio, quanto copiosior animarum numerus ex tuo regimine pendet, tuoque innititur exemplo. Et ideo non cessamus orare communem Dominum, per quem reges regnant, & principes justa decernunt, ut in suo beneplacito te conservet longævum, & compleat in bonis desiderium tuum. Prov. 8. Porro ego ipse qualiscumque apostolicæ vicarius sedis, pro modulo humilitatis meæ & possibilitatis supplere laborans vicem mihi commissæ dispensationis, secundum deiloquum Paulum, *Væ mihi est, si non evangelizavero: necessitas enim mihi incumbit maxima,* 1. Cor. 9. positurо rationem æterno & districto judici, propter unius regimen ecclesiæ, * ex omnium ecclesiarum merito. *hoc est, d Illa ergo solicitudine, qua omnibus ecclesiis debeo invigilare, videns indisciplinatam & alienam gentem incredibili & inaudita rabie, & plusquam pagana impietate adversus ecclesias Dei insurgere passim, Christianos trucidare, & nonnullos novis horribilibusque tormentis usque ad defectionem animæ affligere, nec infanti, au seni, seu femineæ fragilitati aliquo humanitatis respectu parcere, nec inter sanctum & profanum aliquam distantiam habere, sanctorum basilicas spoliare, incendere, & ad solum usque diruere: sæpissime perversitatem ejus redargui, obsecravi, prædicavi, opportune importuneque institi, terrorem divinæ & humanæ vindictæ denuntiavi. Sed quia Sapiens ait: *Nemo potest corrigere quem Deus despexerit, & stultus non corrigitur;* Ecclef. 7. adeo obdurata & obstinata ejus malitia permansit, ut de die in diem adderet pejora pessimis. Unde non tantum exteriora bona pro liberatione ovium Christi cupiens impendere, sed superimpendi ipse peroptans, visum est mihi ad testimonium nequiæ eorum, vel, si sic expediret, ad repressionem contumaciæ, humanam defensionem undecumque attrahendam fore, audiens ab apostolo, principes non sine causa gladium portare, Rom. 13. sed ministros Dei esse, vindices in iram omni operanti malum: & quia pricipes non sunt timori boni operis, sed mali: & reges atque duces missos a Deo ad vindictam malefactorum.

Suffultus ergo comitatu, qualem temporis brevitas & imminens necessitas permisit, gloriosi ducis & magistri Argyroi fidelissimi tui colloquium & consilium expetendum censui, non ut cujusquam Northmannorum, seu aliquorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, sed ut saltem humano terrore resipiscerent, qui divina judicia minime formidant. Interea nobis eorum pertinaciam salutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex adverso omnem subjectionem ficte

A ficte pollicentibus, repentino impetu comitatum nostrum aggrediuntur: sed adhuc de victoria sua potius tristantur, quam lætentur. Sicut enim tua pietas scribere curavit ad nostram consolationem, pro ista sua præsumptione majorem in proximo expectant sibi superventuram indignationem, post illam, quam experti sunt, suæ catervæ diminutionem. Nos quoque divinum adjutorium nobis adfore, & humanum non defore credentes, ab hac nostra intentione liberandæ Christianitatis non deficiemus, nec dabimus requiem temporibus nostris, nisi cum requie sanctæ ecclesiæ periclitantis. Ad quam acquirendam & obtinendam, habemus maximum ex divina pietate solatium & præsidium, carissimum atque clarissimum B filium nostrum imperatorem Henricum, cujus de die in diem expectamus promissum & proximum adventum, utpote cum procinctu & expeditione imperiali properantis ad nostrum subsidium. Ad quod etiam superna gratia tuam serenitatem animavit, ut hinc inde vobis duobus, velut totidem brachiis, inimicam gentem ab ecclesia Christi propellentibus & procul effugantibus, afflictæ nunc Christianitatis relevetur decus, & reipublicæ reformetur status. Et quia abundante iniquitate & refrigescente caritate, sancta Romana ecclesia & apostolica sedes nimium diu obsessa fuit mercenariis & non pastoribus, a quibus sua, non quæ sunt Iesu Christi, quærentibus, devastata jacebat miserabiliter hactenus: C divinum consilium voluit meam humilitatem suscipere tantæ cathedræ pondus. Quo licet plurimum mei imbecilles prægraventur & deprimantur humeri, non parum mihi subest sanctæ spei, quandoquidem ex utroque latere tales adstant filii religione & potentia præclarissimi. Quapropter, devotissime fili, & serenissime imperator, collaborare nobis dignare ad relevationem tuæ matris sanctæ ecclesiæ, & privilegia dignitatis atque reverentiæ ejus, necnon patrimonia recuperanda in tuæ ditionis partibus, sicut manifeste cognoscere poteris ex venerabilium prædecessorum nostrorum seu tuorum scriptis & gestis. Tu ergo magnus D successor magni Constantini, sanguine, nomine, & imperio factus, ut fias etiam imitator devotionis ejus erga apostolicam sedem, exhortamur: & quæ ille mirabilis vir post Christum eidem sedi contulit, & confirmavit, & defendit, tu juxta tui nominis etymologiam, constanter adjuva recuperare, retinere, & defendere. Ita enim apud Deum singulariter pugnans, cognominaberis, quod jamdudum inter homines cognominaris. (Alludit ad cognomen Monomachi.) Hoc sane gloriosissimus filius noster Henricus perficere molitur in suis partibus. Quæ omnia nobis & vobis provenient felicius, & multipli- E cius, ubi quantocius, Dei gratia præveniente, & beatissimis apostolorum principibus intervenientibus, & me qualicumque vicario eorum mediante, & obtinente, firmissimum pacis & amicitiæ inter vos ambos componetur fœdus.

Præterea confrater noster archiepiscopus Michael exhortatorias ad concordiam & unitatem direxit nobis litteras: quem ad tam optabile & necessarium bonum præmonentem tanto necesse est nos devotius & alacrius suscipere, quanto perspicacius consideramus non posse computari inter discipulos Christi aliquem, qui fraternæ paci dedignatur acquiescere, Domino suis dicente: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinvicem*: (Joan. 13.) & magno Paulo sic protestante: *Pacem sequimini cum omnibus, &* (Hebr. 12.) *sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Sed noverit tua claritas, super præsumptionibus ejus multa & intolerabilia jamdudum pervenisse ad aures nostras, qualiter etiam aperta persecutione in Latinam ecclesiam exardescens, anathematizare non timuit omnes qui sacramenta attrectant ex azymis: & quod Alexandrinum & Antiochenum patriarchas antiqua dignitate sua privare contendens, contra fas & jus sibi subdere nova ambitione appetit: & pleraque quæ usurpare dicitur, sicut a nostris nuntiis diligenter cognoscere poteris. In quibus si, quod absit, pertinax fuerit, pacem nostram nullatenus retinere poterit: quia procul dubio, *ad nos revertetur*, sicut dominus dicit, (Luc. 10.) *si ille noluerit esse filius pacis.* Vnde & apostolus: *Si fieri*, inquit, *potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* (Rom. 12.) Siquidem in vano patremfamilias honorat, qui uxorem ejus exhonorat. Et frustra matrisfamilias caput & faciem magnificat, qui vel minimos filiorum ejus impugnans, velut digitos pedum ejus conculcat. Contra quem sapientia Dei in Ecclesiastico sic intonat: *Quam malæ famæ est qui fugit patrem, & est maledictus a Deo qui exasperat matrem.* (Eccl. 3.) Confidimus tamen quod præveniente gratia Dei invenietur innoxius ab his, aut correctus, aut cito resipiscet admonitus: & efficietur non qualis dicitur, sed qualis a nobis pie desideratur & speratur. Hinc jam tuæ gloriæ præsentes filios nostros sanctæque Romanæ & apostolicæ sedis nuntios per omnia commendamus, quatenus ut decet liberaliter suscipiantur, reverenter habeantur, benigne & honeste tractentur, rationabiliter patienterque audiantur, atque quantocius nobis laudabiliter remittantur, ne tantum laborem illos frustra arripuisse pigeat, nos mandasse pudeat. Porro ex Amalfitano episcopo nulla tibi suboriatur suspicio, quia Romanus est omnino, & ab Amalfitanis discedens, familiariter nobiscum vivit jam pene anno integro. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, dignetur tuam excellentiam benedicere omni benedictione spirituali, repleatque omni gaudio & pace, ut in præsenti sæculo per longa tempora feliciter domineris, & in futuro sine fine cum Rege regum, & Domino dominantium, regno cælorum beate perfruaris, honorabilis & desiderabilis nobis in Christo fili, & gloriose Auguste. Amen.

*** VIII. EPISTOLA LEONIS PAPÆ IX. (Ex MS. Sirmondi.)

AD OMNES PER ITALIAM EPISCOPOS.

Ne possessiones omnes suas quisquam donet monasterio, sed earum saltem medietatem ecclesiæ ad quam pertinet.

Leo episcopus, omnibus episcopis in Christo per totam Italiam.

RELATUM est auribus nostris, esse quosdam perverse agentes, qui subvertere atque dividere conantur ecclesiæ unitatem: videlicet abbates & monachi, qui non studio caritatis, sed zelo rapacitatis invigilant, & docent atque seducere non cessant sæculares homines quos illaqueare possunt, ut res suas atque possessiones, sive

sive in vita, sive in morte, in monasteriis illorum tradant; & ecclesiis quibus subjecti esse videntur, & a quibus baptismum, pœnitentiam, eucharistiam, necnon pabubum vitæ cum lacte acceperunt vel accipiunt, nihil de bonis suis relinquant. Hanc denique formam discordiæ nos animadvertentes, omnibus modis inhibere volumus; &, ne amplius fiat, omnino prohibemus: considerantes non esse bonum, ut illi qui olim fuerunt socii passionum, secundum apostolum, sint immunes a societate consolationum; & quia dignus est operarius mercede sua. Ideoque præcipimus atque jubemus, ut quicumque amodo in monasterio se converti voluerint, sive in vita, sive in morte, omnium rerum & possessionum, quas pro salute animæ suæ disponi decreverit, medietatem, ecclesiæ, cui ipse pertinere dignoscitur, relinquat: & sic demum in monasterio, prout libitum sibi fuerit, eundi convertendique habeat licentiam. Quicumque autem hujus decreti contradictor extiterit ac temerator, anathematis gladio subjaceat.

IX. AD FRANCOS.

De rebus in concilio Remensi gestis, ac nomminatim de celebrando festo S. Remigii.

Leo episcopus, servus servorum Dei, fratribus & filiis catholicis per universum regnum Francorum constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

COMPERTUM caritati vestræ credimus, quod post consecrationem nostram, *&c. Extat infra in fine actorum concilii Remensis sub Leone.*

DIPLOMA LEONIS PAPÆ IX.

De concessa basilicæ Vaticanæ decima oblationum.

BEATE Petre apostole, ego Leo episcopus servus tuus, & omnium servorum Dei, de tuis donis aliquam tibi offero particulam, quam mihi fuit visum dignum & justum curis, quibus circumdor, auferre, & tibi offerre quasi meam, cum sit tua. Quidquid enim est quod in juribus nostris sit, licet sit parum ad conferentiam præteritorum quæ nostri antecessores habuerunt: id tamen, quantumcumque sit, dignum tecum judicavi sortiendum. Ecce enim de oblationibus fidelium, quæ tibi offeruntur in altari tuo, sub quo sacrum & venerabile corpus tuum requiescit, & etiam in confessione ipsius altaris, decimam partem tibi, quamvis tuum totum sit, humili devotione, & tota cordis prosternatione offerimus, donamus, concedimus, & etiam corroboramus, atque confirmamus, ad constructionem & resarcitionem ipsius tui sacri templi, in ædificandis parietibus, picturis, tignis, tectis, imbricibus, & præterea luminariorum concinnationibus assiduis olei & ceræ, necnon lampadibus, vitreis, & acindulis, atque thymiamate, cæterisque omnibus utensilibus, quæ ad usum & necessitatem atque decorem totius ipsius ecclesiæ pertinent. Decimam vero ipsam semper volumus esse decimam diem, ut oblatio quæ tibi debetur, separata sit a cæteris oblationibus, & nullum aliqua confusione patiatur errorem.

Super hoc etiam, si qua vasa, si qua ornamenta, vel indumenta ecclesiastica, super ipsum sacrum & venerabile altare tuum oblata fuerint ad cultum A Dei, divinis officiis & mysteriis necessaria: conferimus ea omnia ipsi tuæ ecclesiæ ibi perpetuo permansura in usum & salarium, Deo & tibi illic servientium, & serviturorum.

Addendum quoque credimus illud oblationis munus, ut quidquid scilicet per fideles ad ipsum tuum altare, & ad ipsam confessionem offertur in vigiliis natalis tui, & in ipsa tui natalis die, beate Petre apostole, totum sit speciale tuum pro luminaribus, & cæteris diversis necessitatibus, ad ipsa tua solennia agenda pertinentibus. Nec illud prætermittendum censuimus, ut quotiescumque, de quibuscumque regnis vel oris, tributa, sive ad altare tuum offeruntur, sive ad apostolici pedes ponuntur, sive quovis modo apostolicæ sedi, cui, B Deo autore, præsidemus, persolvuntur: decima pars eorum semper tibi, beate Petre apostole, debeatur ad reformationem ecclesiæ tuæ, & cætera quæ superius diximus.

Ut vero hæc omnia observentur illibata, tam a successoribus nostris in sede tua, o beate Petre, usque in finem sæculi sessuris, quam etiam cunctis hominibus, tam magnis, quam parvis, tam divitibus, quam pauperibus, mediocribus, diversi sexus & ætatis: statuimus apostolica censura, qua licet indigni fungimur, sub divini judicii obtestatione, & terribilis anathematis interpositione, ut scilicet quicumque contra hoc nostræ humilitatis donum tibi de tuo, beate Petre apostole, fideliter ac pure collatum venire tentaverit, & intemeratum non justificaverit, non solum segre- C gatus sit a communione fidelium in hac temporali vita; sed in illa quoque æterna damnatus sit perpetuis pœnis, & gehennalibus tormentis. A contrario etiam, quicumque devotus custos & cautus observator nostræ oblationis extiterit, divinis benedictionibus augeatur, & hic per te, beate Petre apostole, a peccatorum vinculis absolvatur, & illic quoque per te intra januam regni cælestis admittatur.

Hoc itaque nostræ devotionis privilegium, ut verius credatur, & certius habeatur, subscriptione nostra roboravimus, & roboratum nostro sigillari sigillo jussimus, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, apud quem, beate Petre apostole, semper esto memor nostri & omnium D ovium, quas suas ipse pascendas tibi commisit, & per nos miseratus pascit, & pascet adhuc per alios in sæcula sæculorum.

Ego Leo episcopus servus tuus, beate Petre apostole, donum, quod tibi de tuo feci, manu propria roboravi.

X. AD AUXIMANOS.

Post obitum episcopi expilatores domorum episcopalium redarguit.

Leo episcopus, servus servorum Dei dilectis in Christo filiis omnibus Auximanis, clero & populo, salutem & apostolicam benedictionem. E

QUIA autore Deo sic nobis unius ecclesiæ cura specialiter est commissa, ut per dignitatem apostolicæ sedis etiam cæterarum ecclesiarum generalis sit provisio delegata: nostro competere videtur officio, non solum quæ hactenus adversus easdem ecclesias temerariis ausibus sunt usurpata corrigere, sed etiam ne rursus eadem præsumantur in posterum providere. Perversam autem & prorsus execrabilem quarumdam plebium consuetudinem fama vulgante cognovimus: ut videlicet,

videlicet, suo defuncto episcopo, domum episcopi hostiliter irrumpentes invadant, facultates ejus prædonum more diripiant, prædiorum domos incendant, vites insuper & arbusta, bestiali immaniores feritate, succidant.

Quod nimirum nisi ecclesiastici vigoris fuerit censura correctum: haud dubium, quia regionibus illis repentini furoris immineat gladius. Si enim honorare parentes primum dicitur in repromissione mandatum, si maledicens patri vel matri mulctari morte præcipitur: cujus animadversionis sententia digni sunt, qui non carnales genitores persequi gestiunt, sed ipsam matrem suam ecclesiam, in qua ex aqua & Spiritu sancto regenerati sunt, ut viperinum genus dissipare contendunt? Etsi enim sacerdos quilibet ex debito humanæ conditionis obiit: sed Christus, qui animarum nostrarum episcopus est, ex virtute divinitatis in æternum vivit. Sicut enim Paulus dicit, *Plures facti sacerdotes secundum legem, eo quod morte prohiberentur permanere: Iesus autem, quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Deum ergo inhonorare convincitur, qui mortali episcopo vivente, terrena pressus formidine, ab ecclesiæ se læsione cohibuit: defuncto autem eo, ad injuriam Christi, qui immortalis ecclesiæ sponsus est, fel odii & virus malitiæ, quod eatenus occultabat, effundit. Et fortasse episcopus in vita sua aliquem læsit? Sed Christus, qui ecclesiæ custos relictus est, quid peccavit? Si ergo illi, qui nocuit, malum pro malo non redditur: cur æterno pontifici, qui nobis bona pro malis reddidit, reverentia non habetur? Verumtamen si ecclesiæ prædo, Dei Filium immortalem procul dubio pontificem videret, si eum ubique præsentem omnia nosse ac posse consideraret: coram ejus oculis admittere tam impium, tam sacrilegum facinus non auderet. Sed vere in illo completur quod per Psalmistam dicitur: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Porro si illi, qui bona sua ecclesiæ conferunt, proprii reatus absolutionem felici commercio promerentur: subsequenter autem illi, qui ecclesiasticas facultates barbarica feritate diripiunt, in æternæ suæ damnationis voraginem cadunt: qui nimirum novo & incomparabili criminis genere sic Iudaicam perfidiam superant, ut non modo Gentilium errorem, sed & hæreticorum pravitatem detestabiliores excedant, a quibus videlicet Christus iterum crucifigitur, & corpus ejus, quod est ecclesia, crudeliter laceratur.

Contra expilatores domus episcoporum.

Hebr. 7.

Psal. 13.

Deprimatur ergo ausus illicitus, & nefarius diabolicæ instigationis cohibeatur excessus, abstineat manus audax ab ecclesiastico patrimonio, ne victus pauperum pereat: ne quod ex oblatione fidelium jam Deo factum est sacrificium, præda raptorum fiat. Quisquis autem hujus nostri decreti improbus temerator extiterit, ex parte Dei omnipotentis, & autoritate beatorum apostolorum Petri & Pauli anathematizandum esse decernimus, & ut revera putridum membrum, excommunicationis ferro a sanctæ ecclesiæ corpore detruncamus. Sit igitur, nisi resipiscat, anathema, maranatha, omnesque maledictiones Hebal super caput suum descendisse cognoscat. Observatoribus autem gloriam, & honorem, & incorruptionem quærentibus, vitam æternam. Amen.

Deut. 27.

XI. AD IOANNEM ARCHIEPISCOPUM SALERNITANUM.

Iura metropolitanatus ejusdem ecclesiæ confirmat.

Leo episcopus servus servorum Dei, sanctæ & venerabili Salernitanæ ecclesiæ, quæ est beatæ & semper virginis Dei genitricis Mariæ, ubi etiam gloriosum Matthæi apostoli & euangelistæ corpus cum beato martyre Fortunato requiescit, & per eum confratri nostro Ioanni ejusdem ecclesiæ archiepiscopo in perpetuum.

OFFICIUM sacerdotale assumere, si interiori vigilantia perpendamus, oneris est magis quam honoris: quippe cui propria curare non sufficiat, nisi & salubriter gesserit aliena. Nam ad hoc pastoralis regiminis curam aggreditur, ut aliorum in se solicitudinem pia provisione suscipiat, ut in eorum se custodia vigilanter disponat, ne nostra forte desidia invidus hostis rabida, quod absit, quempiam fauce deglutiat, & eorum ad nostram non immerito applicetur pœnam perditio, qui commissos solicita custodire cautela negligimus.

Exhibeamus ergo quod dicimus, & quibus divini dispensatione consilii præesse nos contigit, prodesse quantum possumus festinemus: ut dum creditor rationem nobiscum positurus advenerit, lucrum nos fecisse reperiat, & sua, sicut promisit, remuneratione lætificet. Et quoniam ad præsens ecclesiam istam nullis bonis nostris honorare, ditare, vel, ut oportet, adaugere possumus; sua sibi confirmare, & indiscissa vel imminuta pia devotione censemus conservare. Unde fratris Ioannis archiepiscopi petitioni libentissime annuentes, hoc apostolatus nostri privilegium fieri decrevimus, statuentes apostolica censura, ut quæcumque imperatores, reges, principes, aut qui nunc clare principatur Guaimarius, ad hanc domum domini contulit bona, vel omnia a quibuscumque Christi fidelibus concessa, vel in perpetuum sunt concedenda, rata semper & inviolata permaneant.

Confirmamus etiam tibi ipsum ex integro archiepiscopatum Salernitanum cum sibi adjacentibus parochiis suis. Et insuper licentiam & potestatem damus ordinandi & consecrandi in his subjectis nobis locis, hoc est Pestanensem episcopatum cum parochiis & adjacentiis suis, & Nolanum, & Consanum cum parochiis & adjacentiis suis, necnon Malvitanum, & Cusentinum, simulque episcopatum Bisunianensem, atque episcopatum Acerentinum cum omnibus parochiis & adjacentiis eorum. Necnon liceat tibi ordinare episcopos super congruentia loca, secundum regulam sanctorum patrum, in ipsa integritate Salernitani archiepiscopatus. Et non habeant potestatem successores nostri, in cunctis prædictis episcopatibus, quos vobis apostolica autoritate concessimus, deinceps in perpetuum episcopos consecrare, quemadmodum vobis concessum est.

Si quis autem contra hujus nostræ præceptionis privilegium agere præsumpserit, aut præsumentibus consenserit, aut fautor extiterit, & non potius observare eum in integrum studuerit, sed nostram apostolicam hanc præceptionis interdictionem transgredi præsumpserit: sciat se autoritate beati Petri apostolorum principis cælorum regni clavigeri, nostroque anathematis vinculo & innodatum, & a regno Dei alienatum, atque cum diabolo & ejus atrocissimis pompis, transgressorum, sanctorum patrum canonica traditione deputa-

QQq iij tum,

Prov. 22. tum. Quoniam scriptum est: Terminos patrum nostrorum nulla autoritate illicitæ temeritatis transgredi præsumi. Et quia opportunitatis exigit ratio, protervos ac transgressores ex canonicæ correctionis freno debere constringi: illius insuper * speciali jaculo perdat animam, cujus temporali gladio Malchus amisit auriculam. Qui vero hujus nostri privilegii constitutionem & confirmationem observaverit, a domino Deo benedicatur, & æterni regni, beato interveniente Matthæo euangelista, particeps effici mereatur.

* spirituali

Datum XI. Kalendas Augusti per manus Friderici diaconi, sanctæ apostolicæ sedis bibliothecarii & cancellarii, & domini Hermanni Coloniensis archiepiscopi & archicancellarii, anno domini Leonis IX. papæ tertio, * indictione IV.

* ann. 1051.

DIPLOMA LEONIS PAPÆ IX. DE CORPORE S. DIONYSII.

In Salvatoris nostri Iesu Christi nomine. Amen.

Leo episcopus servus servorum Dei, clarissimo filio inclyto regi Francorum, ac venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, & dilectis in Christo filiis abbatibus, prioribus, præpositis, & decanis, universisque tam subditis quam prælatis ejusdem regni, salutem & apostolicam benedictionem.

DEUS omnipotens, qui non immerito per Prophetam in sanctis suis esse mirabilis prædicatur, mira quadam inscrutabilis consilii sui profunditate disponit: quæ dum considerare non sufficit mens humana, ipsa suimet infirmitate deficiens, in quemdam sui excessum rapi cogitur & stuporem. Quod ipsi nos nuper experti, & vobis in Christo carissimis, & universitati fidelium promulgare compellimur, ut & Dei opera pariter admiremur. Nam cum per instantiam serenissimi imperatoris Henrici ad partes Germaniæ visitandas, ac præcipue ad urbem quæ dicitur Ratispona, vel Regenspurg, evocati essemus ad venerabile corpus beati VVolfgangi ejusdem urbis episcopi transferendum, hoc ea qua decuit reverentia & devotione peracto, tui, Francorum rex in Christo fili carissime, nos legati, tuorumque omnium vice solliciti rogarunt, quatenus litem, quæ inter vos & urbem prædictam super sacrosanctis ossibus beatissimi Dionysii Areopagitæ diutissime ventilatam, veritate discussa, dirimere curaremus: vobis quidem eadem apud vos esse dicentibus, civibus autem atque incolis urbis præfatæ astruentibus e converso ea per invictissimum Arnulphum quondam imperatorem ad ecclesiam beati martyris Emmeranni esse translata, ibidemque deinceps contineri. Quæ quidem ecclesia inibi sita est, atque ab omni aliorum subjectione ac jurisdictione libera & excepta, ad jus & proprietatem beati Petri apostolicæ sedis immediate pertinere dignoscitur: oblatione videlicet excellentissimi Romanorum imperatoris Caroli Magni, ac posterorum ipsius, qui eidem hactenus successerunt, seu in imperio, seu in regno. Idipsum nihilo minus venerabilis abbas Reginvvardus ac fratres ejusdem ecclesiæ cum universitate Ratispona instantissime petiverunt fieri.

Nos ergo utriusque partis precibus inclinati, nec volentes ulterius corda fidelium hujus dubii ambiguo caligare, in fratrum nostrorum ac plurium episcoporum ac prælatorum præsentia & conspectu, scripta Arnulphi Augusti, ordinemque rei diligentissime perlegentes; nec eo contenti, capsas, thecas, & scrinia, in quibus sacræ reliquiæ conditæ dicebantur, ac titulos ac epigrammata eorumdem, oculo tenus solerti examine discutiendo, nihilque omittendo quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam imperialibus quam papalibus antecessorum nostrorum litteris sufficienter instructi, picturis quoque parietum multiplicibus, & sculpturis vetustissimis, exprimentibus indicia veritatis & notas: indubitata fide comperimus, dicti doctoris & martyris ossa venerabilia, excepta particula unica simul & minima manus dextræ, apud memoratum B. Emmeranni cœnobium integraliter contineri. Etenim, ne testimonia hominum, quæ jam diximus, non sufficerent, divina quoque non defuere prodigia & portenta, quæ dubium omne penitus abegerunt: quæ nos quoque conscribi jussimus diligenter, vobisque transmitti per vestros nuntios ac legatos, necnon apud ecclesiam prædictam perpetuo conservari; ut & ad posteros gestæ rei notitia deducatur, & ulterius litigandi materia penitus conquiescat. Insuper & districte præcipimus, statuentes, ut translationis ipsius veneranda solemnitas, tam a fratribus ejusdem ecclesiæ, quam ab universis urbis jam dictæ, annis singulis, cum omni jucunditate & gaudio celebretur, totaque tripudiet regio Germanorum tanti patris atque patroni adventui non ingrata.

Vos autem in Christo dilectissimi filii, rex Francorum, tuique fideles, quamvis invidendi Teutonicæ genti videamini justam quidem habere materiam, ita ut putatis merito de Alemannorum vobis lætitia sit dolendum: considerantes tamen & Dei omnipotentis & invicti martyris sui voluntatem, quem ablatum plangitis, consolationis tandem admittite placamentum, pensantes attentius, quod nec vobis ablatus est, quippe qui carissimos prædicationis suæ & passionis consortes, Rusticum & Eleutherium, in dilectionis adhuc & tutelæ pignus & certitudinem dereliquit: nec dolete, si Germanos jam visitare dignatus est vel defunctus, qui vobis adhuc vivens prædicavit, & apud vos bonum certamen certando, cursum consummando, fidem servando, triumphum peregit victoriosissimæ passionis, apostolatus sui super vos signa tam in vita perficiens, quam in morte.

Qui igitur Alemanniam ipsius ossa fovere non permittatis in solatium & tutelam, quem vobis Athenæ, ut Christo lucrifaceret vos, vivum recipere, audire, & cælo transmittere permiserunt? Accedet nihilo minus consolationis & alia ratio, & autoritas scilicet & excellentia subtractoris. Preciosum quidem thesaurum vos perdidisse fatemur, sed ablatoris attendite dignitatem: simulque patris & apostoli vestri gloriæ congaudete, qui cum vos meritorum atque doctrinæ suæ gaza ditaverit, & reliquiarum saltem suarum ac apothecas tam devotum furem sui corporis habet quam insignem, auro utique & topazio meliorem, qui sui valore ad ossa sua sanctissima subtrahenda cæsareum etiam verticem inclinavit. Nec majestas imperialis, nec regia celsitudo, pii furis hic notam aut nomen erubuit in Arnulpho: dummodo beati corporis opibus vel doli, vel furti, vel sacrilegii modo sacrari atque ditescere mereretur, qui fures atque sacrilegos erat solitus condemnare. Dummodo macarii Dionysii precioso corpore frueretur, fur ipse tunc fieri & sacrilegus non contempsit.

Cum insuper fides atque devotio dubium etiam omne per hoc penitus amputavit, quod non in ipsa Roma, non in quacumque metropoli, non in urbe

urbe qualibet regni vel arce sibi studebat eligere sepulturam, sed ubi suum se Dionysium condidisse & sciunt, & lætantur, suo se sperans patrocinio defendendum, & conresuscitandum in die novissimo cum beatis. Præsentibus igitur dilectionem vestram monemus attentius, & hortamur in domino, districte præcipientes, quatenus Rustico & Eleutherio pie contenti, non fallentes vosmetipsos & alios, beatissimi Dionysii ossa in urbe Ratisponensium apud ecclesiam beati Emmeranni martyris & noscatis & fateamini coruscare.

Datum & actum Ratisponæ per manus Friderici diaconi bibliothecarii & cancellarii sanctæ Romanæ ecclesiæ catholicæ & apostolicæ, anno domini millesimo quinquagesimo secundo, anno pontificatus domini Leonis noni papæ quarto, indictione quinta, nonis Octobris.

COMMEMORATIO BREVIS RERUM A LEGATIS APOSTOLICÆ SEDIS Constantinopoli gestarum.

Incipit brevis & succincta commemoratio eorum quæ gesserunt apocrisiarii sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis in regia urbe, & qualiter anathematizarunt Michaelem cum sequacibus suis.

Res gestæ per legatos apostolicos Constantinopoli.

ANNO duodecimo imperii Constantini Monomachi *indictione septima, ipso die nativitatis beati Ioannis Baptistæ, advenientibus a domno papa Leone nono apocrisiariis sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis, Humberto scilicet cardinali episcopo Silvæcandidæ, & Petro Amalphitanorum archiepiscopo, Friderico quoque diacono & cancellario, ad monasterium Studii intra urbem Constantinopolitanam: Niceta monachus, qui & Pectoratus, ante præsentiam præfati imperatoris, & procerum ejus, insistentibus ipsis nuntiis Romanis, anathematizavit quoddam scriptum sub suo nomine contra sedem apostolicam & omnem Latinam ecclesiam editum, & prætitulatum de azymo, de sabbato, & de nuptiis sacerdotum. Insuper anathematizavit cunctos, qui ipsam sanctam Romanam ecclesiam negarent primam omnium ecclesiarum esse, & qui illius fidem semper orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere. Post hæc statim in conspectu omnium, ad suggestionem eorumdem nuntiorum Romanorum, jussit idem orthodoxus imperator præfatum incendi librum, sicque fuit discessum.

*ann. 1054

Niceta Pectoratus cantat palinodiam.

Sequenti autem die prædictus Niceta urbe egressus, ultro adiit ipsos legatos intra palatium Pigi, a quibus accipiens perfectam suarum propositionum solutionem, iterum sponte anathematizavit omnia dicta, & facta, vel tentata adversus primam & apostolicam sedem. Sic ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Porro dicta vel scripta eorumdem nuntiorum adversus diversas calumnias Græcorum, & maxime contra scripta Michaelis Constantinopolitani episcopi, & Leonis Acridani metropolitani episcopi, atque sæpe dicti Nicetæ monachi, jussu imperatoris in Græcum fuere translata, & in eadem urbe hactenus conservata. Tandem Michaele præsentiam eorum & colloquium devitante, atque in stultitia sua perseverante, præfati nuntii decimo septimo Kalendas Augusti adierunt ecclesiam sanctæ Sophiæ, & super obstinatione illius conquesti, clero ex more ad missas præparato, jam hora tertia, die sabbati, chartam excommunicationis super principale altare posuerunt sub oculis præsentis cleri & populi. Inde mox egressi, etiam pulverem pedum suorum excussere in testimonium illis, juxta dictum evangelii, proclamantes: *Videat Deus, & judicet.* Hinc ordinatis ecclesiis Latinorum intra ipsam Constantinopolim, anathemate dato cunctis qui deinceps communicarent ex manu Græci Romanum sacrificium vituperantis, in osculo pacis, accepta orthodoxi imperatoris licentia, donisque imperialibus sancto Petro & sibi, alacres cœpere reverti decimo quinto Kalendas Augusti.

Humberti scripta in Græcum translata.

Excommunicatur Michael patriarcha

Constantinopolitanus. Matth 10.

Sed nimia instantia precum Michaelis, spondentis tunc demum se conflicturum cum eis, imperator compulsus, a Solembria litteris suis eos revocavit decimo tertio Kalendas Augusti. Quo etiam die festinantes regressi diverterunt ad palatium Pigi. Quos præfatus hæresiarcha comperiens rediisse, quasi ad concilium conabatur adducere in ecclesiam sanctæ Sophiæ sequenti die, ut ostensa charta illorum, quam omnino corruperat transferendo, obruerentur ibidem a populo. Quod prudens imperator præcavens, noluit haberi aliquod concilium, nisi & ipse adesset præsens. Cumque in hoc ei omnimodis Michael contradiceret, jussit Augustus ipsos nuntios confestim arripere iter. Quod & factum est.

Legati apostolici profecti revocati Machinatio contra legatos apostolicos.

Porro vesanus Michael dolens suas non procedere insidias, concitavit imperatori seditionem vulgi maximam, velut nuntiis cooperata fuerit ejus voluntas. Unde imperator coactus, interpretes Latinorum, Paulum videlicet, ac filium ejus Smaragdum, cæsos & detentos, Michaeli tradidit: sicque tumultus ille conquievit. Verum imperator post nuntios Romanos directis suis, exemplar excommunicationis veracissimum a civitate Russorum sibi remissum accepit civibusque: ac tandem Michaelem falsasse chartam legatorum comperit, atque convicit. Itaque commotus, amicos & affines ipsius honoribus privatos a palatio eliminavit: contraque ipsum usque nunc graves iras retinuit. Denique exemplar chartæ excommunicatoriæ est tale:

Commotus populus contra imperatorem.

Humbertus Dei gratia cardinalis episcopus sanctæ Romanæ ecclesiæ, Petrus Amalphitanorum archiepiscopus, Fridericus diaconus & cancellarius, omnibus catholicæ ecclesiæ filiis. Sancta Romana prima & apostolica sedes, ad quam tanquam ad caput sollicitudo omnium ecclesiarum specialius pertinet, ecclesiasticæ pacis & utilitatis gratia, ad hanc regiã urbem nos apocrisiarios suos facere dignata est, ut, juxta quod scriptum est, descenderemus, & videremus, utrum opere completus sit clamor, qui sine intermissione ex tanta urbe conscendit ad ejus aures: aut si non est ita, ut sciret. Quamobrem cognoscant ante omnia gloriosi imperatores, clerus, senatus, & populus hujus Constantinopolitanæ urbis, & omnis ecclesia catholicæ, nos hic persensisse magnum, unde vehementer in domino gaudeamus, bonum; & maximum, unde miserabiliter contristemur, malum. Nam quantum ad columnas imperii, & ejus honoratos, atque cives sapientes, Christianissima atque orthodoxa est civitas: quantum autem ad Michaelem abusive dictum patriarcham, & ejus stultitiæ fautores, nimia zizania hæreseon quotidie seminantur in medio ejus.

Libellus excommunicationis contra Michaelem patriarcham.

Quia sicut simoniaci, donum Dei vendunt: sicut Valesii, hospites suos castrant, & non solum ad clericatum, sed insuper ad episcopatum promovent: sicut Ariani, rebaptizant in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos, & maxime Latinos: sicut Donatistæ, affirmant, excepta Græcorum ecclesia, ecclesiam Christi, & verum sacrificium atque baptismum

Errores Michaelis & sociorum.

baptiſmum ex toto mundo periiſſe: ſicut Nicolaitæ, carnales nuptias concedunt & defendunt ſacri altaris miniſtris: ſicut Severiani, maledictam dicunt legem Moyſis: ſicut Pneumatomachi vel Theomachi, abſciderunt a ſymbolo Spiritus ſancti proceſſionem a Filio: ſicut Manichæi, inter alia quodlibet fermentatum fatentur animatum eſſe: ſicut Nazareni, carnalem Iudæorum munditiam adeo ſervant, ut parvulos morientes ante octavum a nativitate diem baptizari contradicant; & mulieres in menſtruo vel partu periclitantes communicare, vel ſi paganæ fuerint, baptizari prohibeant; & capillos capitis ac barbas nutrientes, eos qui comas tondent, & ſecundum inſtitutionem Romanæ eccleſiæ barbas radunt, in communione non recipiant.

Pro quibus erroribus, & aliis pluribus factis ſuis, ipſe Michael litteris domini noſtri Leonis papæ admonitus reſipiſcere contempſit. Inſuper nobis nuntiis illius, cauſas tantorum malorum rationabiliter reprimere volentibus, præſentiam ſuam & colloquium denegavit, & eccleſias ad Miſſas agendum interdixit. Sicut & prius Latinorum eccleſias clauſerat, & eos Azymitas vocans, verbis & factis ubique perſecutus fuerat, in tantum, ut in filiis ſuis anathematizaſſet ſedem apoſtolicam, contra quam ſe adhuc ſcribit œcumenicum patriarcham. Vnde nos quidem ſanctæ primæ & apoſtolicæ ſedis inaudiram contumeliam & injuriam non ferentes, catholicamque fidem ſubrui multis modis attendentes, autoritate ſanctæ & individuæ Trinitatis, atque apoſtolicæ ſedis, cujus legatione fungimur, & cunctorum orthodoxorum patrum ex conciliis ſeptem, atque totius eccleſiæ catholicæ: anathemati, quod dominus noſter reverendiſſimus papa eidem Michaeli, & ſuis ſequacibus, niſi reſipiſcerent, denuntiavit, ita ſubſcribimus: Michael abuſivus patriarcha, neophytus, & ſolo humano timore habitum monachorum adeptus, nunc etiam criminibus peſſimis a multis diffamatus, atque cum eo Leo Acridanus epiſcopus dictus, & ſacellarius ipſe Michaelis Conſtantinus, qui Latinorum ſacrificium profanis conculcavit pedibus, & omnes ſequaces eorum in præfatis erroribus & præſumptionibus, ſint anathema maranatha cum Simoniacis, Valeſiis, Arianis, Donatiſtis, Nicolaitis, Severianis, Pneumatomachis, Manichæis, & Nazarenis, & cum omnibus hæreticis, immo cum diabolo & angelis ejus, niſi forte reſipuerint. Amen, Amen, Amen. *Poſt hæc mox iſta:*

Item alia excommunicatio ibidem facta in præſentia imperatoris, & optimatum ejus viva voce.

Quicumque fidei ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ ſedis, ejuſque ſacrificio pertinaciter contradixerit, ſit anathema maranatha, nec habeatur Chriſtianus catholicus, ſed Prozymita hæreticus. Fiat, fiat, fiat.

XII. AD PRINCIPES BRITANNIÆ.

Excommunicat epiſcopus Armoricæ, tum quod Turonenſi archiepiſc. ſubjici recuſent: tum quod ſimoniacas ordinationes faciant.

Leo ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia Dei papa E. Britonum principi, & Analo comiti, & cæteris principibus Britanniæ, ſecundum Deum vivere volentibus, vita & ſalus.

In ſcriptis veterum reperimus, omnes epiſcopos tuæ patriæ archiepiſcopo Turonico ſubjectos eſſe debere: de qua re Nicolai papæ temporibus, & Ioannis, Leoniſque, & cæterorum, quorum nomina inſerere longum eſt, clamor factus eſt. Ex quibus Nicolaus papa litteras Salomoni regi Britonum direxit, in quibus præcipit, ut omnes ſuæ patriæ epiſcopi, Turonicæ eccleſiæ ſubjecti ſint. Alii vero apoſtolici eoſdem apoſtolica autoritate ob id excommunicaverunt, ad nos quoque in Remenſi concilio clamor hujuſmodi delapſus eſt. Nos ſtatim, ut ipſe veſter archiepiſcopus cum ſuis ſubjectis Romano concilio præſens adeſſet, non ſolum de hac cauſa redditurus rationem, ſed etiam de hoc quod ſimoniacus cum ſuis ſuffraganeis eſſe comprobatur & exlex, quærens quæ ſunt mundi, non quæ Ieſu Chriſti, legatos etiam Turonici archipræſulis adeſſe præcepimus. Legati Turonici adfuerunt, veſtrates pontifices cum ſuo capite ſe ſubtraxerunt. Nullo itaque modo probare potuimus illum veſtrum præſulem archiepiſcopum eſſe debere: præſertim cum archiepiſcopus ſine ſede civitatis, ſine pallio archiepiſcopali nequeat haberi. Excommunicamus omnes hos, de quibus ſermo eſt, ex autoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſanctique Petri & noſtra, non ſolum propter hanc præſumptionem, qua ſubjici Turonicæ eccleſiæ dedignantur, ſed etiam propter ſimoniacam hæreſim qua polluti ſunt, & ordinatos a ſe contaminare videntur; tali ratione, ut divinum officium non peragant, neque benedictionem tribuant. Simili etiam ſententia ab eis ordinati feriantur. Tibi autem, cariſſime fili, mandamus, ut te ab eorum conventibus cum omnibus fidelibus ſubtrahas, deinde eos commoneas, ut noſtris præceptis obſecundent, ſimoniacam hæreſim deponant, ſecundum Deum vivant. Et hoc te autoritate hortamur apoſtolica, ut per totum regnum tibi commiſſum pacem facias, juſtitiam diligas, ſubditos pie regas. Turpe eſt enim, ut cum unus ex maximis Galliæ principibus habearis, naturalibus his vitiis ſubjugaris. Et ſi ſecundum Deum te vivere audiero, bonumque exemplum præbere ſubjectis, benedictione ſancti Petri & noſtra donaberis: ſin aliter egeris, & excommunicatis te adjunxeris, ut illi, noſtra autoritate excommunicatus ſis. Quod ſi veſter archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis de hoc quod Turonicus pontifex clamat, deque ſimoniaca hæreſi excuſare ſe rationabiliter valuerint, Vercellenſi concilio, Kalendis Septembris futuro præſentes ſint, noſque ibi, ſi Deus permiſerit, erimus, cauſas eorum audituri. Vale.

XIII. AD EDVVARDVM REGEM ANGLORVM.

Extat in conventu VVeſtmonaſterienſi anno domini MLXVI.

*** XIV. AD IOANNEM PORTVENSEM EPISCOPVM.

Ex Tomo 1. Italiæ ſacræ.

Ejus tranſitum a Tuſcanenſi epiſcopatu ad Portuenſem approbat: ipſique & ſucceſſoribus Portuenſem eccleſiam confirmat.

Dilectiſſimo nobis in Chriſto fratri & epiſcopo noſtro Ioanni Portuenſis eccleſiæ antiſtiti, ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum, in domino ſalutem.

Svpplicantivm deſideriis annuendum nobis eſſe, & ratio & benignitas poſcit: quia quod rationabile eſt impendere, benigne quidem non negare. Quapropter quia tranſmigrationem feciſti de ſede Tuſcanenſi ad Portuenſem, dignum duximus in ſynodo prius ventilare, utrum juſte facta fuerit, vel injuſte: quod & fecimus, reſidentes in ſynodo, &

& ecclesia salvatoris. Cumque ibi diligenter esset examinatum, qua ratione de episcopatu ad episcopatum transieris: inventum est tam necessitatis quam utilitatis causa hoc factum fuisse, & judicatum est hoc fieri potuisse. Quæ etiam fuerit necessitas, quæ utilitas, satis patenter est expressum: necessitas, quia jam Romana ecclesia in filios, quos ipsa lactaverat, defecerat, quorum tu pars superstes eras congrua: utilitas vero, sive pro rebus ipsius ecclesiæ, quæ tibi notæ erant præ aliis; sive pro consiliis dandis; sive etiam pro mediatione Romanæ ecclesiæ, & imperatorum, quorum tu sæpe mediator fuisti. Hac igitur re inclinati, decrevimus petitioni tuæ satisfacere, scilicet ut tibi tuisque successoribus ipsum Portuensem episcopatum confirmemus. Et primum ipsum episcopatum Portuensis ecclesiæ, quæ posita esse videtur foris prædictam Portuensem civitatem, cui vocabulum est S. Hippolyti, cum vineis, & hortis, &c. *Enumerat possessiones Portuensis ecclesiæ, & omnia quæ ex ea dependent. Mox addit:* Etiam confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum totam insulam quæ vocatur Lycaonia, ubi est ecclesia S. Ioannis Baptistæ, & S. Adalberti: unde querimoniam posuistis in synodo, quam celebravimus in ecclesia salvatoris, contra Crescentium S. Sylvæ candidæ ecclesiæ episcopum, qui eandem ecclesiam suo episcopatui vendicabat. Cum vero ambæ partes ante præsentiam nostram, & totius synodi staretis, placuit ut si scripturam exinde haberes, in medium videndam, legendamq; proferres. Statim attulisti privilegium, quod antecessori tuo Benedicto episcopo, qui dicebatur de Pontio, Benedictus VIII. antecessor noster fecit de integritate totius episcopatus. Quod cum lectum esset, nominatim ibi inventa est ecclesia illa, quam, sicut in querimonia tua dixisti, ipse tuus antecessor dicaverat tempore Ottonis tertii Imperatoris, a quo ædificata fuit in honorem sancti Adalberti, qui suo tempore martyrium pro Christi nomine suscepit. At episcopus ille rogavit sibi a nobis dari inducias ad certum terminum, ut afferre nobis posset justitiam, quam se habere dicebat: nos vero, quia synodus ea die terminabatur, concessimus. Cumque terminus advenisset, tu ad nos humiliter, & solus; ille autem magna hominum multitudine fretus, ad nos venire despexit. Residentes tamen nos cum judicibus nostris, ad eum legatum, ut ad nos veniret, direximus: sed nonnisi cum suis redemptis adjutoribus venire se dixit: quo dicto cum tota sua multitudine recessit. Sed nos ad ejus contumaciam non respicientes, ex consilio judicum archidiaconum nostrũ Hugonem usque ad domum ejus misimus, ut sequenti die ad nos veniret, sicut episcopus cum episcopo rationem habiturus. Cumque die altera simili modo resideremus expectantes eum, non venit: sed epistolas quasdam veniam præferentes misit. Cumque nihil rationis diceret, ut amplius expectari deberet, laudantibus omnibus judicibus, frater Alinardus Lugdunensis archiepiscopus, canonicam, & diffinitivam protulit sententiam, primam de contumacibus puniendis, secundam de ecclesiis, quæ sunt intra limites episcopatus, quomodo ad eum pertineant. Qua prolata sententia, a nobis, & ab omnibus laudata, confirmata fuit. Quapropter tam tibi, quam tuis successoribus eandem ecclesiam per hoc nostrum privilegium concedimus, confirmamus, querimonia tam illi episcopo, quam successoribus ejus perpetuo interdicta de eadem ecclesia, sita in prædicta insula, cum curtibus, & oratoriis infra casdem curtes, & cum omnibus ad eas generaliter, & in integrum pertinentibus, cum hortis, & aquimolis suis, sita infra hanc urbem Romanam, sicuti extenditur ab uno capite, ubi dividitur flumen, & usque in altum caput ipsius insulæ, ubi adunatur. Pari modo concedimus & confirmamus vobis, vestrisque successoribus in perpetuum, omnem ordinationem episcopalem, tam de presbyteris, quam de diaconis, vel diaconissis, sive subdiaconis, consecrationem ecclesiarum, vel altarium, quæ in tota Transtiberi necesse fuerit facienda: nisi forte cardinales diaconi, vel subdiaconi, aut acolyti, sacri Lateranensis palatii efficiantur. scilicet omnia tibi, tuisque successoribus, vel quibus episcopis a vobis invitati fuerint, ordinandi, benedicendi, & consecrandi concedimus potestatem; & ne parochia vestra ab aliquo pervadatur episcopo, fines ejus per hoc nostrum privilegium insinuare, tuæque ecclesiæ confirmare curamus, incipiente primo termino a fracto ponte; &c.

Hic describuntur limites episcopatus Portuensis.

Iterum sancientes jubemus, ut nullus presbyter, vel cujuslibet ordinis clericus de toto episcopatu audeat ad placitum constringere, aut ad finiendas contentiones compellere, aut aliquod servitium ab eis exigere, præterquam Portuenses episcopi, in cujus parochia sunt. Quicumque vero præsumptor, sive dux, sive comes, vel vicecomes, aut cubicularius, vel a nostra apostolica sede missus, aut qualiscumque interveniens potestas, de ipsa civitate Portuense dominatum tenuerit, de quocumque fuerit ordine, prædicta omnia immobilia loca, aut præcominatum castaldum, vel duos piscatores, & duos curiales, vel omnes prædictos clericos a jure, & potestate, atque ditione præfati episcopii auferre, vel minuere voluerit, vel parochiam infringerere tentaverit, aut homines in prædicta turre habitantes, vel ubicumque proprietas episcopii mansionata fuerit, ad publicum servitium revocaverit; sciat se compositurum ipsi episcopatui auri purissimi, lib. 20. & insuper anathemati subjaceat. Statuentes apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, & anathematis interdictione, ut nullus unquam successorum nostrorum pontificum, vel alia quælibet magna, parvaque persona, ea quæ a nobis ad laudem Dei, pro stabilitate vel augmento prædicti episcopatus statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi, aut aliquid deinde minuere audeant: sed sicut superius a nobis statutum, vel concessum est, ita perennibus ac perpetuis temporibus sine aliqua minutione permittat in æternum permanere. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc nostrum privilegium venire, aut in quoquam dirumpere præsumpserit, & sicut a nobis superius statuta sunt, firma manere non dimiserit, & in aliquo offenderit: sciat se, ni resipuerit, autoritate Dei omnipotentis, & B. Petri apostolorum principis, atque nostra, qui ejus fungimur vices, anathematis vinculo esse innodatum, & a regno Dei alienum, atque cum Iuda traditore domini nostri Iesu Christi, cum diabolo, & omnibus pompis ejus æterno incendio concremandum. Qui vero pio intuitu custos & observator hujus nostri privilegii extiterit, benedictionis gratiam, vitamque æternam a justo judice domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen. Bene valete. Datum 10. Kal. Maii, per manum Petri diaconi bibliothecarii, & cancellarii S. apostolicæ sedis, anno domini Leonis noni papæ primo, * Indict. 2. *ann. 1049

Ego Eberchardus Treverorum archiepiscopus,

quamvis indignus, interfui & subscripsi.

A Ego Alinardus Lugdunensis archiepiscopus hoc decretum laudans, manu propria subscripsi.

Ego VV. episcopus subscripsi.
Ego Roprandus episcopus scripsi.
Ego Cunibertus episcopus Taurinensis scripsi.
Ego Cadolus Parmensis episcopus scripsi.
Ego Oppizo Pisensis episcopus scripsi.
Ego Guido VVlternensis episcopus scripsi.
Ego Henricus Spoletanus episcopus scripsi.
Ego Arnulfus episcopus scripsi.
Ego Martinus Pistoriensis episcopus scripsi.
Ego Petrus Clusiensis episcopus scripsi.
Ego Dux episcopus interfui.
Teuderius Arbinensis episcopus interfui.
Ego Benedictus episcopus Forosemproniensis interfui.

Ex bibliotheca Cluniac.

**XV. AD HUGONEM CLUNIACENSEM ABBATEM.

Confirmat Cluniacensia privilegia.

Leo episcopus servus servorum Dei, dilectissimo in Christo filio Hugoni abbati Cluniacensis monasterii nostri in honorem beatorum apostolorum Petri & Pauli fundati, tuisque successoribus abbatibus perpetuam in domino salutem.

CONVENIT apostolico moderamini, pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo in sidereis arcibus promerebimur: si venerabilia loca nostro tempore, aut ad meliorem fuerint statum perducta; aut, ne unquam in aliquo minuantur, corroborata. Quapropter inclinati precibus tuis, dilectissime fili, ipsi monasterio nostro Cluniacensi, cui Deo auctore præesse videris, per hoc nostræ apostolicæ autoritatis privilegium, sicut & fecerunt privilegiis suis antecessores nostri, confirmamus atque corroboramus quicquid rerum & facultatum modo habet, & usque in perpetuum est habiturum: ne ab aliqua humana temeritate aliquid unquam exinde mutiletur; sed in sua integritate omnia custodiente Deo permaneant in usum, & salarium fratrum ibidem nunc servientium, & per sæcula serviturorum. In qua apostolicæ munitionis tuitione locum etiam ipsum antiqua, & per prædecessores nostros ei concessa libertate donamus, non nova facientes, sed vetera confirmantes. Ne scilicet ullus mortalium, sive sit imperator, sive rex, sive dux, seu marchio, vel archiepiscopus, vel episcopus, aut aliqua alia humana potestas, super idem Cluniacense monasterium aliquam in aliquo potestatem exercere præsumat. Nec post solutionem tui corporis aliquem ibi præferre, & ordinare audeat: sed in arbitrio semper & electione fratrum consistat, quemcumque de sua congregatione secundum Deum, & secundum regulam sancti Benedicti sibi præferre & imponere abbatem voluerint: cujus consecratio non a constituto episcopo, sed a quolibet, quicumque ipsi congregationi placuerit, expetatur, non aliquo pretio redimenda, sed gratis accipienda. Quod etiam de omnibus ecclesiasticorum graduum ordinationibus, & altarium, sive ecclesiarum consecrationibus præcipimus & confirmamus: ut liceat vobis, vestrisque successoribus, a quocumque ea velitis episcopo gratis exposcere, nullusque audeat vobis contradicere. Quam prærogativam a prædecessoribus nostris monasterio vestro concessam, & a nobis merito confirmatam, idcirco eidem contribuere decrevimus: ut sicut hactenus sub apostolico tantum jure & ditione constitit, ita amodo semper consistat, nec aliorsum respiciat: quatinus sub apostolicæ defensionis umbraculo positum semper crescat, semper augescat, nullam pravorum hominum tyrannidem, nullam humanam potestatem metuens: ut quotidiana Deo obsequia devote, ut solent, & quiete ibi agantur; nec agentes, in aliquo per aliquem sollicitentur, molestentur, inquietentur. In qua prærogativa, etiam chrismatis libera receptio a quoquo velitis episcopo consistit. Quæ omnia, sicut præmisimus, quemadmodum a prædecessoribus nostris sancita reperimus, ita quoque nos stabilire & confirmare decrevimus. Statuentes apostolica censura, sub divini judicis obtestatione, ut nulla unquam magna parvaque persona, spirituali vel sæculari dignitate prædita, omnive dignitate privata, contra hoc nostræ apostolicæ autoritatis privilegium venire, aut in quoquam illud infringere pertentet. Quod quicumque ausu temerario impiaque præsumptione contra Deum, & sanctum Petrum, contraque animam suam fecerit, in tunc * tantum se noverit nostræ apostolicæ maledictionis aculeo transpunctum, nostræ excommunicationis telo perfossum, nostri etiam apostolici anathematis gladio transverberatum, nec ipsi per dignam satisfactionem saluti pristinæ reparandum. Qui vero se ab hoc observaverit, & inviolatum hoc nostrum privilegium permanere laudaverit: hic benedictionem, gratiam, & omne bonum, a retributore omnium bonorum Deo & in præsenti sæculo consequatur, & in futuro.

Datum IV. Idus Iunii, per manus Petri diaconi bibliothecarii, ac cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Leonis IX. papæ primo, * Indict. II.

* an. 1049.

Ex Spicilegio Dacheriano Tom. VI.

**XVI. AD FULCONEM CORBEIENSEM ABBATEM.

Corbeiensis abbatiæ privilegia confirmat.

Leo episcopus servus servorum Dei, Fulconi abbati Corbeiensis monasterii, siti in pago Ambianensi, perpetuam in domino salutem.

CONVENIT apostolico moderamini, pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, & petentium desideriis congruum impartiri suffragium. Et ideo quia postulasti a nobis quatenus exempla antecessorum nostrorum sequentes, privilegio nostræ apostolicæ autoritatis monasterium vestrum, ejusque bona, tam præsentia, quam futura muniremus, & etiam prærogativam ipsi monasterio collatam ab episcopis Ambianensibus, & archiepiscopis Remensibus, necnon apostolicis viris antecessoribus nostris corroboraremus: inclinati precibus tuis, per hanc nostræ apostolicæ autoritatis censuram confirmamus & corroboramus quidquid invenitur in privilegiis antecessorum nostrorū Benedicti, Nicolai, Christophori: ut scilicet præfatum vestrum monasterium, rerum suarum liberam obtineat dominationem, & quæcumque eidem monasterio

monasterio in auro, in argento, in agris, in famulis, in quibuslibet aliis rebus fuerint oblata, in tua tuorumque successorum abbatum, fratrumque maneant dispositione & libera potestate: nec liceat episcopo Ambianensi quidquam portionis ex eis accipere, vel exposcere: nec in abbate, vel in fratribus, vel in ipso cœnobio potestatem exercere, sive in cellis ejusdem monasterii, videlicet Busco, Braczo, Taneta, Naurdi, Uscia, Thenis, sive in clericis, vel in laicis, vel in famulis, omnibusque possessionibus ad respectum ejusdem monasterii ejusque cellarum pertinentibus, sicut ipsi monasterio jamdudum concessum cognovimus, & collaudatum ab episcopis Ambianensibus, & archiepiscopis Remensibus, cæterisque episcopis Galliarum.

Prohibentes ne quis unquam Ambianensis episcopus potestatem habeat ipse, vel œconomus, vel archipresbyter, aut archidiaconus ejus, accedendi ad vestrum monasterium, ejusque cellas, nisi forte vel necessitate vel dilectione ab abbate monasterii fuerit vocatus: ea tamen ratione, ut nec in ecclesiis eidem monasterio subjectis, vel in earum ecclesiarum clericis, molestationem vel perturbationem agere audeat, vel novam consuetudinem abbati vel fratribus statuat, disponens aliquid contra voluntatem eorum. Qui tamen monachorum vel canonicorum, & quas abbas cum fratribus petierit, ordinationes differre non debebit; similiter altarium & basilicarum consecrationem tam in ipso monasterio, quam in possessionibus ejusdem; chrisma quoque & oleum consecratum singulis annis: nec aliquod propterea munus exposcere.

Constituentes etiam ut nullus per Galliarum Germaniarumque provincias, sive laicus sit, sive clericus, in ecclesiis, agris, vel famulis, aliquam suam voluntatem exerceat præter voluntatem abbatis & fratrum, etiamsi rex sit, dux, marchio, archiepiscopus, vel episcopus.

Sancimus præterea inter se abbatem eligere fratres secundum Deum, nec aliquem principem hoc audere agere, nec ipsum abbatem postquam electus fuerit, nisi in probabili crimine deprehendatur, dejici: sed canonice examinetur & dijudicetur. Quam nostram sanctionem si quis violaverit, admoneatur satisfactionis ab Ambianensi episcopo; sin vero non obedierit, etiam a Remensi archiepiscopo; quod si nec hunc audieret, liceat fratribus monasterii Romanam sedem appellare: & Romanus pontifex non differat eumdem violatorem ore proprio anathematizare.

Ultimo, quia ad apostolicam sedem tam devotus, fili carissime, venisti, placuit munificentiæ nostræ usum tibi dalmaticæ & sandaliorum concedere: ea tamen ratione ut non negligas annis singulis nuntium ad apostolicam sedem dirigere, tuique conveniens monasterii notificare: ut vos valeamus, si necesse fuerit, adjuvare. Statuentes apostolica censura, ne quis unquam mortalium, sive sit rex, sive comes, archiepiscopus, vel episcopus, aliave parva magnaque persona, contra hoc nostrum privilegium venire attentet. Quod qui fecerit, ad usque dignam satisfactionem vinculo anathematis innodatus sit. Qui vero illibatum custodierit, a domino Deo benedicatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur, Amen.

Data XIV. Kal. Maias per manus Petri diaconi bibliothecarii & cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Leonis IX. Papæ * secundo, indictione quarta. [* an. 1050.]

Concil. general Tom. IX.

A ✱ XVII. AD PETRUM DAMIANI TUNC EREMITAM

Approbat librum Damiani, qui Gomorrhianus inscribitur, adversus clericos qui contra naturam peccabant: præscribitque quinam ex iis gradu suo privandi sint.

[Fragmenta Binius ediderat ex Baronio. Nunc integram habes ex Tomo III. operum Damiani, in fronte opusculi VII. quod inscribitur, Gomorrhianus.]

Ad splendidum nitentis pudicitię torum, fili carissime, pio certamine, intentionem tuę mentis pervenisse, libellus, quem contra quadrimodam carnalis contagionis pollutionem, honesto quidem stylo, sed honestiori ratione edidisti, manifestis documentis commendat. Subegisti quidem carnis barbariem, qui sic erexisti brachium spiritus adversus libidinum obscœnitatem. Execrabile quidem vitium, longeque segregans ab autore virtutum, qui cum sit mundus, nihil admittit immundum. Nec de sorte ejus esse poterit, qui sordidis illecebris subjacebit. Clerici vero, de quorum vita spurcissima flebiliter, pariterque rationabiliter tua prudentia disputavit, vere, & omnino vere ad funiculum hereditatis ejus non pertinent, de quo ipsi voluptuosis se oblectationibus submovent. Quod si pudice conversarentur, non solum templum Dei sanctum, sed ipsum etiam sanctuarium dicerentur: in quo, niveo candore conspicuus ille Dei agnus immolatur, per quem fœda totius orbis lues lavatur. Tales nimirum clerici, etsi non verborum, operum tamen testimonio profitentur, quia non existunt quod censentur. Quomodo enim clericus esse possit vel nominari, qui proprio arbitrio non metuit se inquinare?

De qualibus, quia sancto furore permotus, quæ tibi videbantur scripseras: oportet, sicut desideras, apostolicam nostram interponamus autoritatem, quatenus scrupulosam legentibus auferamus dubietatem: & constet omnibus certum, nostro judicio placuisse, quæcumque continet ipse libellus diabolico igni velut aqua oppositus. Igitur ne cœnosæ libidinis impunita licentia pervagetur, necesse est apostolicæ severitatis congrua reprehensione refellatur: & tamen aliquod tentamentum in austeritate ponatur.

Ecce omnes illi, qui quavis quatuor generum, quæ dicta sunt, fœditate polluuntur, prospecta æquitatis censura ab omnibus immaculatæ ecclesiæ gradibus, tam sacrorum canonum, quam nostro judicio depelluntur. Sed nos humanius agentes, eos qui, vel propriis manibus, vel inter se egerunt semen, vel etiam qui inter femora profuderunt, & non longo usu, nec cum pluribus, si voluptatem refrænaverint, & digna pœnitudine probrosa commissa luerint, admitti ad eosdem gradus, in quibus in scelere manentes, non permanentes, fuerant divinæ miserationi confisi, volumus, atque etiam jubemus: ablata aliis spe recuperationis sui ordinis, qui vel per longa tempora secum, sive cum aliis, vel cum pluribus brevi licet tempore, quolibet duorum fœditatis genere, quæ descripseras, maculati; vel, quod horrendum est dictu & auditu, in terga prolapsi sunt. Contra quod nostrum apostolicæ sanctionis decretum si quis ausus fuerit vel judicare, vel latrare, ordinis sui se noverit periculo agere. Qui enim non pungit vitium, sed palpat: cum eo qui vitio moritur, ipse quoque mortis reus merito judicatur.

Sed, o fili carissime, inenarrabiliter gaudeo, quia exemplo conversationis instruis, quidquid oratoria facultate docuisti. Plus est enim opere docere quam voce. Quapropter, autore Deo,

palmam obtinebis victoriæ, & cum Dei & virginis filio lætaberis in cælesti mansione, & tot mercedibus eris cumulatus, quot ereptis per te a diaboli laqueis fueris constipatus, & quodammodo coronatus.

Edita initio Tomi III. operum Damiani.

** XVIII. AD EUNDEM.

Privilegium ipsius eremo concessum.

Apostolicæ sedis competit autoritati, & legaliter ordinata statuere, & Deo semel oblata, ut inconvulsa serventur, in posterum providere: ne, quod priorum devota Deo pietas inchoat, sequentium pravitas, sacrilega, quod absit, B temeritate subvertat. Quapropter eremum, quæ dicitur Ocri, in Saxena videlicet territorio constitutam, tibi, Petre Damiane prior ejusdem eremi, tuisque successoribus adjudicamus: & ipsam eremum in suo statu persistere, & in perpetuum valere decernimus. Nec liceat ulli mortalium, non parvæ, non magnæ personæ, ipsam quandoque eremum ad sæculi jura redigere, vel alicui prorsus monasterio subjugare. Enimvero prædictum locum per semetipsum quidem fieri monasterium, si congruum visum fuerit, non abnuimus: juri vero alterius monasterii subjici, omnimodis prohibemus. Non enim ignoramus, quia hujusmodi suppositio, plerumque loci est absque dubietate C destructio. Sancimus etiam, ut plebem S. Mariæ positam in loco, qui dicitur Vineole, præfata eremus perpetuo jure possideat. Sed & prædia, si qua nunc sunt, vel deinceps acquisitura est, absque injusta cujuscumque molestia, quiete & tranquille detineat. Nec ulli hominum liceat in ipsam eremum per hostilem impetum violenter irrumpere, & servos Dei, qui illic habitaverint, vel expellere, vel deprædationibus infestare; salvo tamen jure fidelium laicorum, qui ejusdem eremi patroni sunt, & eam pro animarum suarum remedio condiderunt. Si quis autem hujus nostri apostolici decreti temerator extiterit, nisi resipiscat, atque in omnibus apertus Dei inimicus emen- D dare contemnat, anathematis se vinculis obligandum indubitanter agnoscat.

Ex Tomo VIII. Italiæ sacræ.

** XIX. AD SICENOLPHUM ABBATEM SANCTÆ SOPHIÆ, Beneventi.

Abbatiæ privilgia confirmat.

Leo episcopus servus servorum Dei, Sicenolpho dilecto nostro in Christo filio, & abbati venerabilis cœnobii almæ & coæternæ domine patri Sophiæ intra Beneventum in loco nuncupato Urbe-Vetere, constructi, & post te in eodem cœnobio tuis suc- E *cessoribus canonice promovendis in perpetuum.*

Ad hoc in sacerdotali culmine constituti sumus, ut evellamus, necnon & destruamus, & ædificemus juxta ac plantemus in nomine ejus. Debito officii nostri exigente optimum duximus diebus nostris, prout superna gratia concesserit, obvia quæque nobis illicita falsæ ecclesiasticæ disciplinæ dimittere; & licitis, copiam fructificandi passim suppeditare. Quamobrem post nimiam calamitatem Beneventanorum, quam pertulerunt juste ob injuriam & superbiam Romanorum pontificum & dominorum Imperatorum, postque eorum miserabilem & luctuosam satisfactionem: tibi A jam dicto Sicenolpho, quem loco illius dejecti ac scelerati Gregorii, abbatis immerito dicti, nec jam dicendi, ordinavimus, juxta petitionis tuæ tenorem, confirmamus ex integro præfatam abbatiam sanctæ Sophiæ, cum ecclesiis, cortibus, villis, casalibus, vineis, terris, servis ac ancillis, omnibusque mobilibus, vel immobilibus ad se juste pertinentibus, tam ea quæ hactenus acquirere potuit, quam quæ deinceps liberalitate, collatione, sive concessione quorumlibet religiosorum hominum poterit adipisci, atque prorsus, quæcumque concessa sunt illi, corroborata piorum imperatorum, vel principum præceptis, aut chirographis. Præterea autoritate apostolicæ sedis Romanæ concedimus ac confirmamus tibi, tuisque successoribus in perpetuum, omnes in integrum oblationes vivorum, ac defunctorum, quæ amodo & deinceps ipsi monasterio, vel ecclesiis illi subjectis a quibuscumque personis datæ fuerint: liceat quoque ipsis monachis ex eadem congregatione eligere abbatem sibi, si inibi idoneum* ad hoc officium invenerint: sin alias, undecumque possunt dignum rectorem sibi eligant: & perpetuo maneat jam sæpe fatum cœnobium sub tutela, seu jure sanctæ Romanæ ecclesiæ, liberum & immune ab omni subjectione, ac jugo Casinensis monasterii; itaut nec vox calumniatorum super hoc recipiatur aliqua, sed penitus habeatur frivola & irrita, sitque rata controversiæ illius manifeste ac publice facta definitio a religiosis principibus Landolpho, ac Pandolpho, magnatibus, ac ducibus eorum, quando prius Malepotus, deinde Ioannes Cassinenses abbates, adversus Ursum, ac Gregorium abbatiæ sanctæ Sophiæ rectores, super hæc litem suscepere. Obtineat ergo & possideat semper libertatem, antecessorum nostrorum privilegiis & imperatorum præceptis hactenus sibi concessam & confirmatam: ita ut nullus deinceps imperatorum, regum, ducum, vel principum, aut marchionum, nec ulla cujuscumque dignitatis persona, contra hanc nostram autoritatem, aut conditionem privilegiorum, venire audeat, aut de bonis ejusdem abbatiæ, per nos aut quoscumque concessis, usurpare, minuere, aut alienare quicquam quocumque modo aut ingenio præsumat, ne sub judicio districti anathematis decidat. Porro quia ab aliquibus episcopis solent cœnobia gravamina sustinere, nos vero alicui præjudicium nec volumus, nec debemus facere: hoc tandem concedimus tibi hac nostra autoritate, ut si ab episcopo in cujus diœcesi consistis, nequiveris ecclesiasticas ordinationes gratis & canonice acquirere, licentiam habeas a quocumque tibi tuisque acquirendi eas juste. Hujus nostri privilegii statuta infringere, & cassare, nullus aliquando quacumque arte præsumat: ne damnationem ab initio a sanctis patribus promulgatam pro sacrilegis incurrat. Nam quisquis hæc pio divinitatis respectu reverenter observaverit, confidimus quia a sancta Trinitate benedictionem habebit, & sortem nanciscetur cum eis, qui præcepta dominica servaverunt, & ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt.

Data XII. Kal. Iunii per manus Frederici diaconi S.R.E. bibliothecarii, necnon & cancellarii vicedomini Hermanni archicancellarii & Coloniensis archiepiscopi, anno domini Leonis papæ quarto. *male legebatur Ind. XV. Annus est 1052.*
Indict. * V.

Circa an. Christi 1049.

LEGES ECCLESIASTICÆ MACCABÆI REGIS SCOTORUM

e sæcularibus suis depromptæ.

Hector Boëthius historiæ [...]12.

CHRISTO initiatum ad profanum judicem non vocato: vocatum comparentemve non judicato, sed ad sacros antistites remittito.

Decimam partem terræ nascentium pastoribus ecclesiarum libere conferto, Deumque semper votis & oblationibus consuetis adorato.

Qui pontificis autoritatem annum totum execratus contempserit, neque se interim reconciliarit, hostis reipublicæ habetor: qui vero duos annos in ea contumacia perseverarit, fortunis omnibus B multator.

Si quis quempiam, cujus ipse sumptibus aut victu non alitur quotidiano, ad ecclesiam, seu ad publicum conventum, seu ad forum nundinasve comitatus ut assecla fuerit, capitis reus esto.

Anno Christi ......

CANONES ÆLFRICI, AD VVULFINUM EPISCOPUM.

Habentur canones isti ad finem libri catholicorum sermonum, Anglice in ecclesia recitandorum, in celebri bibliotheca corporis Christi, vulgo sancti Benedicti Cantabrigiæ, prout sequuntur.

EPISTOLA DE CANONIBUS.

Ælfricus humilis frater venerabili episcopo VVulfino, salutem in domino.

OBTEMPERAVIMUS jussioni tuæ libenti animo: sed non ausi fuimus aliquid scribere de episcopali gradu, quia vestrum est scire quomodo vos oporteat optimis moribus exemplum omnibus fieri, & continuis admonitionibus subditos exhortari ad salutem, quæ in Christo Iesu dico: tum quod sæpius deberetis vestris clericis alloqui, & illorum negligentiam arguere, quia pene statuta canonum, & ecclesiæ religio, vel doctrina, eorum perversitate deleta sunt. Ideoque libera animam tuam, & dic eis quæ tenenda sunt, sacerdotibus & ministris Christi, ne tu pereas pariter, si mutus habearis canis. Nos vero scriptitamus hanc epistolam, quæ Anglice sequitur, quasi ex tuo ore dictata sit, & locutus esses ad clericos tibi subditos, hoc modo incipiens:

I.

Dico vobis sacerdotibus ego ipsemet: Non feram negligentiam vestram in vestro ministerio, sed in veritate vobis annuntiabo, quid de sacerdotibus constitutum est. Christus ipse nobis exemplum præbuit Christianæ institutionis, & puritatis vitæ, seu castitatis. Omnes igitur, qui in via sua secum ambulaverint, mundana omnia reliquerunt, ne uxores respicientes. Unde ipsemet in quodam euangeliorum suorum ait: *Qui uxorem suam non odit, indignus est meus esse discipulus.*

(Christus exemplum castitatis.) (Luc. 14.)

II.

Post Christi vero ascensionem in regnum cælorum, & excessum venerabilium ejus apostolorum, tanta excitata est in terrarum medio persecutio, ut ad synodum congregari nequibant ministri Dei, propterea quod eorum vitiis insidiabantur gentes ethnicæ: donec Constantinus Cæsar imperium orbis assecutus, Christianus fieret.

(Persecutio post Christum impedit synodos.)

III.

Tunc congregavit ille in Nicæa civitate 318. episcopos ex omnibus nationibus ad confirmandam fidem catholicam. Erant in hac synodo multi episcopi insignibus clari miraculis, & hi missalem quemdam sacerdotem, Arium nomine, telo anathematis perstrinxerunt, quod non crederet Filium Dei viventis in perpetuum æqualis esse potentiæ cum Patre suo glorioso. Ipsumque igitur satanæ tradiderunt omnes: sed is noluit resipiscere, usquedum effusa cum alvo intestina sua in latrinam viderat.

(Primum concilium Nicææ.) (Anno Christi ..... Ariū damnat.)

IV.

In hac synodo instituta fuit sanctæ ecclesiæ liturgia, & fidei symbolum quo in missa utimur, nonnullaque alia ad cultum & servitium Dei pertinentia.

(Liturgiam & symbolum edit.)

V.

Decreverunt jam tum omnes unanimi cogitatione, ut neque episcopus, neque sacerdos missalis, neque diaconus, nec qui vere est canonicus, in domo sua secum haberet aliquam mulierem, nisi matrem vel sororem suam, amitam vel matertera suam: & qui aliter fecerit, ordine & gradu suo privaretur.

(Canon Nicænus: sacerdos non habeat mulierem in domo.)

VI.

Considerate igitur digna hæc auditu. Cum enim habueritis ecclesiæ vestræ solicitudinem, e contrario .... adduct............ quasi periculosum non esset, sacerdotem vivere more conjugati*. Sed dicetis eum haud posse carere mulie-C bribus servitiis. Respondeo. Quonam pacto vitam transegerunt sancti olim viri absque femina vel uxore, qui in mercedem casti sui animi vita nunc fruuntur sempiterna? Ad hoc dicent sacerdotes, Petrum habuisse uxorem. Verum est: sub lege enim veteri, dum in Christi adhuc non venisset clientelam, bene ei licuit: quamprimum autem factus est discipulus Christi, qui castitatis exemplum præbuit, uxorem dereliquit, & mundana omnia.

(Ecclesia conjux sacerdotis.) (*vel hominis plebei.)

VII.

In lege veteri, pontifici licuit uxorem sibi sumere puram uirginem, & ex ea prolem suscitare usque in tempus constitutum, propterea quod ex una tantum familia ad eumdem ordinem, & non ex alia umquam consanguinitate, cooptandus esset pontifex. Nec tamen licuit pluries quam semel uxorem ducere, nec hanc viduam aut repudiatam, sed, ut jamjam diximus, puram virginem. Bene tamen sub iis sæculis uxore fruerentur: neque enim missam celebrabant, nec sacramentum corporis & sanguinis Christi administrabant, sed boves offerebant, usque dum Christus ante passionem suam illud sacramentum sanctificaverat, missamque instituerat... modo per eum exist......

(In hoc differunt nova lex & vetus.)

VIII.

Constitutum etiam fuit in eadem synodo, ut is qui viduam duxerat, aut repudiatam, aut ad secundas nuptias transierat, ad sacrum ordinem numquam postea assumeretur, nec consecraretur in sacerdotem: sed is qui castæ unius uxoris maritus fuerat, ad castum ordinem eligendus foret, juxta id quod apostolus Paulus in epistola sua scriptum tradidit.

(Qui sunt ordinandi.)

IX.

Nulli liceat sacerdoti iis interesse nuptiarum celebritatibus, in quibus aut secundæ vir uxori jungitur, aut secundo viro femina: nec vel iisdem benedicere, ut admonuit eum......... ita quod in castitate degant. Sic doctores scripserunt, licet apostolus veniam cesserit iterum ducendi uxorem, si uxor ejus...... Canones autem jam tum prohibent benedictionem, & ejusmodi connubentibus imponunt etiam pœnitentiam.

(Digamiæ non benedicendum.)

ANNO CHRISTI .... | ANNO CHRISTI .....

X.

De ordinibus ecclesiæ.

Septem gradus constituti sunt in ecclesia: primus, ostiarius: secundus, lector: tertius, exorcista: quartus, acolytus: quintus, subdiaconus: sextus, diaconus: septimus, presbyter.

XI.

Ostiarius.

I. Ostiarius est ostiorum templi seu ecclesiæ custos, qui campanarum sonitu designat tempora, fidelibusque ecclesiæ fores aperit, infidelibus vero occludit.

XII.

Lector.

II. Lector is est qui legit in ecclesia Dei, ad hoc etiam ordinatus, ut verbum Dei populo prædicet.

XIII.

Exorcista.

III. Exorcista idem est qui malignos spiritus homines cruciantes omnipotentis Dei nomine prodire ex eisdem adjurando cogit.

XIV.

Acolytus.

IV. Acolytus dicitur qui candelam, vel cereum accensum fert, dum euangelium legitur in Dei ministerio, vel dum sacerdos sacramentum corporis Domini ad altare consecrat: non ita tamen ad arcendum caliginosas tenebras, sed ad indicandum eo lumine beatitudinem, ad Christum honorandum, qui est lumen nostrum.

XV.

Subdiaconus.

V. Subdiaconus is est qui diacono vasa porrigit, & omni cum humilitate ad altare sanctum eidem famulatur, vasa subministrans ad sacramentum corporis Domini nostri pertinentia.

XVI.

Diaconus.

VI. Diaconus est qui missali sacerdoti est a ministerio, oblationes super altari ponit, & in divinorum celebratione euangelium legit. Ei liceat baptizare, populoque cœnam Domini exhibere.......... Salvatori deservire, & vitæ cælestis rationem in castitate colere, & omnia...... sicut decet illum ordinem. Sacerdos qui versatur absque diacono, nomen tenet, non ministerium.

XVII.

Presbyter, vel sacerdos.

VII. Presbyter est sacerdos missalis, aut senior, non a senectute, sed quod senili gaudet prudentia. Illius est corpus Domini in sacramento consecrare, eodem modo quo Salvator ipse instituit. Ejus est ut populum ducat ad fidem, cum & prædicando, tum & sacra ministeria caste exequendo, Christianis se exemplum præbens, & vitam agens non pro more laicorum. Haud pluris interest inter missalem presbyterum & episcopum, quam quod episcopus constitutus sit ad ordinationes conferendas, & ad visitandum, seu inspiciendum, curandumque ea quæ ad Deum pertinent (*Dei jura) quod nimiæ crederetur multitudini, si omnis presbyter hoc idem faceret. Ambo siquidem unum tenent eumdemque ordinem, quamvis dignior sit illa pars episcopi.

XVIII.

Monachi & abbates non sunt inter ordines.

Non est alius ordo constitutus in ecclesiasticis ministeriis præter memoratos septem istos. Monachorum & abbatum classes alterius sunt generis, & neque istis annumerantur, neque ordinis alicujus nomen obtinent. Dicti autem ordines sancti sunt, & perducunt presbyterorum suorum animas ad beatitudinem, si pure teneantur.

XIX.

Vt presbyter seruet horas canonicas.

Ad presbyteros spectat, & ministros Dei omnes, ut ecclesiam suam sancto colant obsequio, septem in ea horarios cantus psallant, ut a synodo constitutum est, id est cantus antelucanus, cantus matutinus, cantus tertianus, vel ad horam diei tertiam, cantus meridianus, cantus nonalis, vel ad horam nonam diei, cantus vespertinus, cantus nocturnus, qui & septimus.

A

XX.

Vt oret pro rege, populo, &c.

Tenentur hi etiam preces obnixius fundere pro rege, & ipsorum episcopo, etiam pro suis benefactoribus, & pro omni populo Christiano.

XXI.

Vt habeat codices sacros.

Habebit etiam presbyter quilibet, priusquam ordinatus fuerit, arma ad opus spirituale pertinentia, videlicet codices sacros, id est, psalterium, epistolarum librum, & librum euangeliorum, librum missalem, libros canticorum, librum manualem, seu enchiridium, *gerim*, passionalem, pœnitentialem, & lectionarium. Hæc ut habeat necessarium est: & curet presbyter diligenter, ut accurate omnia sint correcta, & a scribarum vitiis liberata.

B

XXII.

Et missalia vestimenta.

Habebit etiam missalia vestimenta, ut Deo serviat prout decet, honorifice: nec sint ea mucida, ne vel aliquantulum....... & altaris etiam pallia affabre sint contexta. Calix ejus e pura * una materia factus, putredini non obnoxia: & sic etiam patina. Corporale item nitidum, ut Christi convenit ministerio. Nemo quidpiam impune proferat quod non semper dignum fuerit apud Deum, ut ei serviat, cum in prudentia, tum in puritate.

XXIII.

C

Vt exponet euangelium, &c.

Presbyter etiam, seu missalis sacerdos, in diebus Solis, & missalibus, euangelii ejus intellectum populo dicet Anglice, & ipsorum etiam *Pater noster* & *Credo* toties quoties poterit ad eos instruendos adhibere, & ut symbolum fidei memoriter discant, Christianamque suam teneant confessionem, monente hoc Domino, una & propheta inquiente: *Canes muti non possunt latrare.* *Isa. 59.* Oportet nos latrare & exhortari laicos, ne forte pro defectu instructionis perdamus eos. De insipienti doctore ait Christus in euangelio: *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* *Luc. 6.* Cæcus est doctor qui litteras nescit, & ignorantia sua laicos & indoctos decipit. Caveatis in hoc igitur, prout opus fuerit.

D

XXIV.

Decimæ dandæ.

Sancti etiam patres statuerunt, ut ecclesiæ Dei decimas suas quique conferant, tradanturque eæ sacerdoti, qui easdem in tres distribuat portiones: unam ad ecclesiæ reparationem, alteram pauperibus erogandam, tertiam vero ministris Dei qui ecclesiam ibi curant.

XXV.

Locus missalis.

Constituerunt etiam, ut nemo missam celebraret in domo non consecrata, nisi urgente necessitate, vel quispiam sit infirmus, & ad ecclesiam proficisci nequeat.

E

XXVI.

Baptizandum propere.

Si puer non baptizatus libere adducatur ad presbyterum, caveat ille ut eumdem protinus baptizet, ne forte moriatur ethnicus.

XXVII.

Vt nō vendat ministerium.

Nullus presbyter pro pecuniis vendat ministerium suum, nec pro eodem quidpiam petat, neque pro baptismo, neque pro alio aliquo ministerio exequendo: ne sit eorum similis, quos de templo Christus ipse flagro expulit, quod mercaturam nequiter exercebant in eodem. Dei siquidem ministri non jam faciant ministeria, ut pecuniam inde sibi conferant, sed ut gloriam mereantur sempiternam.

Nullus

ANNO CHRISTI ......

XXVIII.

Nec pro lucro trãsire ab ecclesia.

Nullus itemque presbyter ex quacumqne lucri vel cupiditatis causa ab una ecclesia ad aliam transeat, ad mortem usque in eadem hæreat, cui primitus ordinatus fuit.

XXIX.

Nec sit bibax.

Nullus presbyter ex ineptia bibat plus quam decet, nec alium provocet ad bibendum ultra quod desiderat: ne forte minime compos fuerit, cum vel infans baptizandus, vel moriturus quispiam viatico sit donandus. Quod si non acciderit, haud tamen fiat ebrius, quia Dominus ministris suis interdixit ebrietatem.

XXX.

Nec mercator, causidicus, &c.

Presbyter nec sit mercator, nec mercaturæ cupidus, nec, omisso theologiæ studio, se ad mundanas conferat sermocinationes, nec arma ferat, nec causidicus sit, vel lites agat: nec in œnopoliis bibat more sæcularium: juramentum etiam ne jurato: semper autem & simpliciter verum dicat absque mendacio, ut servi Dei docuerunt.

XXXI.

Cautus in pœnitentiis & cœna Domini ministrantis.

Distincte etiam peccatoribus instituet pœnitentiam, unicuique scilicet juxta meriti sui rationem, sicuti probabilius eam assequatur. Infirmis & ægrotis cœnam Domini ministrabit, dum tamen valeant hanc deglutire: semimortuo autem non porriget, quia Christus dicit, homo manducat hoc sacramentum.

XXXII.

De oleo & extrema unctione.

Habebit etiam presbyter consecratum oleum duplex: hoc infantibus, id ægrotis paratum: & ægrotos semper unget jacentes. Quidam vero ægroti hoc nihili pendunt, & in ægritudine sua se non concedunt ungi. Dicam quid de iis docuit Iacobus Domini apostolus, qui credentibus ait: *Tristatur aliquis vestrum? oret æquo animo, & psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra: & orate pro invicem, ut salvemini.* (Iacobi 5.) Hæc locutus est Iacobus de ungendis ægrotis. Ægrotus autem, priusquam inungatur, confitebitur ab intimo corde, si quid peccati commiserit, pro quo dignam non contulerit satisfactionem, sicut apostolus hic jam supra eum monuit: & nemo præsumat ungere, nisi exoratus, & post peractam confessionem. Si antea peccator fuit, & negligens: faciat jam demum confessionem, pœnitentiam, & eleemosynam ante obitum suum, ut inferno non adjudicetur, sed divina gaudeat misericordia.

XXXIII.

De dignitate quatuor priorum synodorum.

Quatuor erant synodi pro veræ fidei defensione contra hæreticos blasphemias eructantes in sanctam Trinitatem, & Salvatoris nostri humanam naturam. Prima Nicææ, ut hic antea memoravimus: post eam altera Constantinopoli, e 150. episcopis sanctis Dei servis: tertia Ephesi fuit, e 200. episcopis: quarta vero Calchedoni, ubi multæ aderant episcoporum centuriæ: & hi omnes unanimi assensu omnia confirmarunt quæ in Nicæna statuebantur synodo, & in quibus violata fuit, ea omnia refecere. Quatuor istæ synodi adeo observandæ sunt a Christi ecclesia, ut quatuor Christi codices. Multæ ex illo tempore fuerunt synodi, sed hæ quatuor erant firmissimæ. Extinxerunt enim istæ hæreticas illas doctrinas, quas adversus Deum hæretice posuerunt hæretici, & constituerunt pariter ecclesiasticum ministerium.

A

XXXIV.

ANNO CHRISTI ......

Sacerdotes provocat ad observandos canones exẽplo monachorum.

Qua igitur audacia, o sacerdotes, istorum omnium despexeritis constitutiones? Monachi enim, unius hominis constitutiones tenent, sancti videlicet Benedicti, & secundum regulam ejus vivunt; quam si violaverint, corrigunt statim omni cum humilitate, juxta abbatis eorum sententiam. Vos etiam habetis regulam: si vel eam legere volueritis, videretis quid sit vobis constitutum. Vos autem mundanis delectamini collocutionibus, vicecomites fieri, præpositi, seu ballivi, neglecta interea ecclesia vestra; & his una constitutionibus.

Sacerdotibus non conveniũt sæcularia officia.

XXXV.

Volumus, ut constitutiones perhibent, vos vosmetipsos, prout Christianos decet, citius expedire, ecclesiæque vestræ sedulo indulgere. In ecclesia vero, ne vel fabulari liceat, aut......... loqui: orationis enim domus est, & Deo consecrata in sermonis spiritualis exercitationem. Nec in ea quispiam bibat, aut indebite edat: cum sit illis sanctificata qui ibidem corpus Domini in fide manducaverint. Hæc quamvis turpia faciunt homines, bacchantes sæpe, & usque ad insaniam bibentes in domo Dei, contumeliose etiam & turpiter ludentes; quin & fœdis sermonibus ipsam hanc domum contaminantes, satius eis foret in lectis suis acquiescere, quam Deum istiusmodi irritare.

B

Reliqua desunt.

C

CAPITULA INCERTI AUTORIS, LOCI, ET TEMPORIS AD ECCLESIÆ regimen congesta:

Ex manuscripto collegii Corporis Christi Cantabr.

TITULI CAPITULORUM.

De susci-

ANNO CHRISTI ......

PRÆFATIO.

OBSECRO vos, fratres dilectissimi, ut erga subditarum plebium profectum & emendationem, vigilantissima cura laboretis; qualiter illis viam salutis ostendentes, & eos verbis & exemplis instruentes, & vos de eorum profectu, & nos de vestræ fidei agro, Domino nostro Iesu Christo auxiliante, fructuosos illi manipulos reportemus. Obsecro etiam fraternitatem vestram, ut hæc capitula, quæ ad emendationem vitæ breviter digessi, assidue legatis, & memoriæ vestræ commendetis: & bonorum operum cultibus, sive sanctarum scripturarum lectionibus componatis vitam, & emendetis: & cum subditis plebibus, opitulante Domino, ad regna cælestia pergere certetis.

CAPITVLA.

I.

Veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quibus regendarum animarum cura commissa est: quod pro his qui negligentia nostra pereunt, rationem reddituri sumus; pro his vero, quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus. Nobis enim a Domino dictum est: *Vos estis sal terræ.* Quod si populus fidelis, cibus est Dei: ejusdem cibi condimentum nos sumus. *Matth. 5.* Scitote vestrum gradum esse nostro gradui secundum, & pene conjunctum esse. Sicut enim episcopi apostolorum in ecclesia, ita nimirum presbyteri cæterorum discipulorum Domini vicem tenent: & illi tenent gradum summi pontificis Aaron; isti vero filiorum ejus. Vnde oportet vos memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ, quam in manibus suscepistis, unctionis: ut nec vos ab eadem dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacra unctione delibutas peccando polluatis: sed cordis & corporis munditiam conservantes, plebibus exemplum bene vivendi præbentes, his quibus præestis, ducatum ad cælestia regna præbeatis.

II.

Oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi: quia justi viri vita lectione instruitur, oratione ornatur: & assiduitate lectionis munitur homo a peccato, juxta illum qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* *Psal. 118.* Hæc sunt enim arma, lectio videlicet & oratio, quibus diabolus expugnatur; hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur; his armis vitia comprimuntur; his alimentis virtutes nutriuntur.

III.

Sed & si quando a lectione quis cesset, debet manuum operatio subsequi: quia otiositas inimica est animæ, & antiquus hostis, quem a lectione, sive ab oratione, sive ab operatione vacantem invenit, facile ad vitia rapit. Per usum namque lectionis discitis, qualiter & vos recte vivatis, & alios doceatis: per usum orationis, & vobis, & his, quibus in caritate conjuncti estis, prodesse valebitis. Per manum operationem & corporis macerationem, & vitiis alimentum negabitis, & vestris necessitatibus subvenietis, & habebitis quid ad necessitatem patientibus porrigatis.

IV.

Quando modo solito ad synodum convenitis, vestimenta, & libros, & vasa sancta, quibus vestrum ministerium & injunctum officium peragatis, vobiscum afferte: necnon duos aut tres clericos, sive laicos, cum quibus missarum solennia celebretis, vobiscum adducite: ut probetis, quam diligenter quamque studiose Dei servitium peragatis.

V.

Panes, quos Domino in sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris, coram vobis nitide ac studiose fiant. Et diligenter observetis, ut panis, & vinum, & aqua, sine quibus missæ nequeunt celebrari, mundissime atque studiose tractentur. Et nihil in his vile, nihil improbatum inveniatur, juxta illud quod ait scriptura: *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* *2. Par. 19.* Vinum, cruciatum significat quem pro nobis sustinuit Dominus noster; aqua, populum pro quo sanguinem suum effudit Christus.

VI.

Feminæ, missam sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent: & ibi sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat. Memores enim esse debent feminæ infirmitatis suæ, & sexus imbecillitatis: & idcirco sancta quælibet in ministerio ecclesiæ contingere pertimescant: quia etiam laici viri pertimescere debent, ne Ozæ pœnam subeant, qui dum arcam Domini extra ordinationem contingere voluit, Domino percutiente interiit.

VIII.

Sacerdos missam solus nequaquam celebret, quia, sicut illa celebrari non potest sine salutatione sacerdotis, & responsione plebis, admonitione sacerdotis nihilo minus pleb...... ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari. Esse enim debent qui ei circumstent, quos ille salutet, a quibus ei respondeatur: & ad memoriam illi reducendus est ille dominicus sermo: *Vbicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum & ego in medio eorum.* *Luc. 19.*

Videmus

VIII.

Videmus crebro in ecclesiis messes & fenum congeri. Vnde volumus ut hoc penitus observetur, ut nihil in ecclesia præter vestimenta ecclesiastica, & vasa sancta, & libri recondantur. Ne forte si alia ibi quam oportet negotia exerceantur, a Domino audiamus: *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.*

c. 19.

IX.

Antiquus in his regionibus in ecclesiis sepeliendorum mortuorum usus fuit, ut plerumque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata, cœmeteria sive polyandria facta sunt, id est, tumuli mortuorum. Vnde volumus, ut ab hac re deinceps abstineatur. Et nemo in ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora vero, quæ antiquitus in ecclesiis sepulta sunt, nequaquam projiciantur: sed tumuli qui apparent, profundius in terram mittantur. Et pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ecclesiæ reverentia servetur. Vbi vero tanta est multitudo cadaverum, ut hoc facere difficile sit, locus ille pro *mysterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco constituto, ubi religiose & pure Deo sacrificium offerri valet.

* lege cœmeterio, ex aliis ... Melanse.

X.

Non debere ad ecclesiam ob aliam causam convenire, nisi ad laudandum Deum, & ejus servitium faciendum, statuimus. Disceptationes vero & tumultus, & vaniloquia, & cæteræ actiones ab eodem sancto loco penitus prohibendæ sunt. Vbi enim Dei nomen invocatur, Deoque sacrificium offertur, angelorum inesse frequentia non dubitatur: periculosum est tale aliquid dicere, vel agere, quod sancto loco non convenit. Si enim Dominus illos de templo ejecit, qui victimas quæ sibi offerebantur emebant vel vendebant: quanto magis illos iratus inde abjiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, risibus, & hujuscemodi nugis locum divino cultui mancipatum fœdant?

XI.

Missarum solennia nequaquam alibi nisi in ecclesia celebranda sint, non in quibuslibet domibus & in vilibus locis, sed in loco quem elegerit Dominus, juxta illud quod scriptum est: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus, ut ponat nomen suum ibi.* Exempta ratione eorum qui in exercitu per gentes ad hoc opus habent tentoria & altaria dedicata, in quibus missarum solennia expleantur.

Deut. 16.

XII.

Nulla femina cum presbytero in una domo habitet. Quamvis enim canones matrem, & sororem, & hujusmodi personas, in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant: hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio, sive in occasione illarum veniunt aliæ feminæ, quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, & eum ad peccandum illiciunt.

XIII.

Observandum vobis est, ut & vos ab ebrietate abstineatis: & ut plebes vobis subditæ abstineant se, illis prædicetis: & neque per tabernas eatis bibendo, aut comedendo: neque aliorum domos, aut vicos, curiositate qualibet peragretis: neque cum feminis, aut cum quibuslibet & impuris personis convivia exerceatis; nisi forte paterfamilias quilibet vos ad domum suam invitaverit, & cum conjuge sua, & prole velit vobiscum spirituali gaudio lætari, & verborum vestrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem caritatis officio exhibere. Oportet enim, ut si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis spiritualibus.

XIV.

Nullus presbyter fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ de alterius presbyteri parochia persuadeat ut ad suam ecclesiam concurrant, relicta propria ecclesia, & suas decimas sibi dent. Sed unusquisque sua ecclesia & populo contentus, quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat, juxta illum euangelicum sermonem: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis.* Quisquis autem contra hæc constituta venerit, aut his monitis nostris reniti tentaverit: aut gradum se sciat amissurum, aut in carcere longo tempore detinendum. Matth. 7.

XV.

Hoc quoque modis omnibus prohibemus, ut nullus vestrum alterius clericum solicitet, aut recipiat: quia gravis de hac re in sacris canonibus sententia est.

XVI.

Si quis presbyter inventus fuerit alicui clerico aut laico munera dare aut dedisse, ut ecclesiam alterius presbyteri subripiat: sciat se pro hac rapina & sæva cupiditate aut gradum amissurum, aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam* agendi detinendum.

XVII.

Si parvulus ægrotans ad quemlibet presbyterum baptismi gratia de cujuslibet parochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus absque baptismatis gratia mortuus fuerit: noverit se ille qui eum non baptizaverit, pro ejus anima rationem redditurum.

XVIII.

Nullus sacerdos seu laicus præsumat calicem, aut patinam, aut quælibet vasa sacra, & divino cultui mancipata, ad alios usus retorquere. Nam quicumque de calice sacrato aliud bibit præter Christi sanguinem qui in sacramento accipitur, & patinam ad aliud officium habet quam ad altaris ministerium: deterrendus est exemplo Baltassar, qui dum vasa Domini in usus communes assumpsit, vitam pariter cum regno amisit.

XIX.

Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum, ad scholam mittere in ecclesiis quæ nobis concessæ sunt ad regendum, ei licentiam id faciendi concedimus.

XX.

Presbyteri per villas & vicos scholas habeant: & si quislibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere, & docere non renuant; sed cum summa caritate eos doceant, attendentes illud quod scriptum est: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Cum ergo eos docent, nihil ab eis precii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant: excepto quod eis parentes ex caritatis studio sua voluntate largientur. Dan. 12.

ANNO CHRISTI ......

XXI.

Cum ergo omnium sacrarum scripturarum paginæ, instrumentis bonorum operum refertæ sint, & per sanctarum scripturarum campos possint inveniri arma quibus vitia comprimantur, & virtutes nutriantur: placuit tamen nobis huic nostro capitulario inserere sententiam cujusdam patris de instrumentis bonorum operum, in qua magna brevitate, quid agi, quid vetari debeat, continetur. In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute: deinde proximum suum tamquam seipsum: deinde non occidere, non adulterari, non facere furtum, non concupiscere rem proximi, non falsum testimonium dicere, honorare omnes homines, & quod sibi quis fieri ab alio non vult, alii ne faciat: abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum, corpus castigare, delicias non amplecti, jejunium amare, pauperes recreare, nudum vestire, infirmum visitare, mortuum sepelire, in tribulatione oppresso subvenire, dolentem consolari, a sæculi astibus se facere alienum, nihil amori Christi præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reservare, dolum in corde non retinere, pacem falsam non dare, caritatem non derelinquere, non jurare, ne forte fiat perjurium, veritatem ex corde & ore proferre, & malum pro malo non reddere, injuriam non facere, sed sibi & factam patienter sufferre, inimicos diligere, maledicentibus sibi non remaledicere, sed magis benedicere, persecutionem propter justitiam sustinere: non esse superbum, non vinolentum, non somnolentum, non multum edacem, non pigrum, non murmurantem, non detractorem: spem suam Domino committere, bonum aliquid in se cum viderit, Domino applicet, non sibi; malum vero semper a se factum sciat, & sibi reputet: diem judicii timere, gehennam expavescere, vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare, mortem quotidie ante oculos suspectam habere, actus vitæ suæ omni hora custodire, in omni loco Deum se respicere pro certo scire, cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, & seniori spiritali patefacere. Os suum a malo vel pravo eloquio custodire, multum loqui non amare, verba vana aut risui apta non loqui, risum multum, aut excessum non amare, lectiones sanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere, mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cætero emendare, desideria carnis non perficere, voluntatem propriam odisse, præceptis sacerdotis & præceptoris in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, agat, memorans illa dominica præcepta, in quibus habetur: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere:* non velle dici sanctum, antequam sit, sed prius mereri sanctus esse, quod verius dicatur: præcepta Dei factis quotidie adimplere, castitatem amare, nullum odisse, zelum & invidiam non habere, contentionem non amare, elationem fugere, seniores venerari, juniores diligere, in Christi amore pro inimicis orare, cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, & de Dei misericordia numquam desperare. Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis, quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, & in die judicii reconsignata, merces nobis a Domino recompensabitur, quam ipse promisit: *Quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparavit Deus his qui diligunt eum.*

[Margin: Præcepta plurima. — Matth. 23. — 1. Cor. 2.]

XXII.

Commonendi sunt fideles, ut generaliter omnes a minimo usque ad maximum orationem dominicam & symbolum discant: & dicendum eis quod in his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit. Et nisi quis has duas sententias memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione sæpissime frequentaverit, catholicus esse non poterit. Constitutum namque est, ut nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis alium suscipiat, neque coram episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum & orationem dominicam memoriter tenuerit: exceptis his, quos ad loquendum ætas minime perduxit.

XXIII.

Dicendum illis, ut singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet & vespere, dicens symbolum, sive orationem dominicam: *Qui plasmasti me, miserere mei*, vel etiam, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et Domino gratias agens pro quotidianæ vitæ commeatibus, & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & a * peccatoribus segregare. His actis, & solo Deo creatore suo adorato, sanctos invocet, ut pro se intercedere ad majestatem divinam dignentur. Hæc facient quibus basilicæ locus prope est in basilica. Qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in silvis aut in agris est: ubicumque eum hora matutina vel vespertina invenerit, sic faciat, sciens Deum ubique præsentem esse, dicente psalmista: *In omni loco dominationis ejus.* Et: *Si ascendero in cælum tu ibi es*, &c.

[Margin: Luc. 18. — *lege peccoribus — Psal. 102. — Psal. 138.]

XXIV.

Dies vero Dominica, quia in eo Deus lucem condidit, in eo mannam eremo pluit, in eo redemptor humani generis sponte pro salute nostra mortuus resurrexit, in eo Spiritum sanctum super discipulos infudit, tanta esse debet observantia: ut præter orationes, & missarum solennia, & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam & si necessitas fuerit navigandi, sive iter agendi, licentia datur: ita dumtaxat, ut ex occasione missæ & orationes non prætermittantur. Conveniendum est sabbato die cum luminaribus cuilibet Christiano ad ecclesiam: conveniendum est ad vigilias, sive ad matutinæ officium: concurrendum est etiam cum oblationibus ad missarum solennia. Et dum ad ecclesiam convenitur, nulla causa dici debet vel audiri, nulla jurgia sunt habenda, sed tantummodo Deo vacandum est in celebratione videlicet sacrorum officiorum, exhibitione eleemosynarum; & in Dei laudibus cum amicis, & proximis, & peregrinis spiritualiter epulandum.

XXV.

Admonendi sunt, ut hospitalitatem diligant, & ut nulli hospitium præbere detrectent: & si cui forte hospitium præstiterint, nullam ab eo mercedem accipiant, nisi forte ille qui recipitur sponte sua aliquid det: dicendumque illis qualiter multi per hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente apostolo: *Per hanc enim placuerunt quidam Deo, angelis hospitio susceptis.* Et iterum: *Hospitales invicem sine murmuratione* Et ipse Dominus dicturus est in judicio: *Hospes eram, & collegistis me.* Sciant sane quicumque hospitalitatem amant, Christum se in hospitibus recipere. Nam ille modus hospitalitatis non solum inhumanus, sed etiam crudelis est, quo numquam hospes in domum ante recipitur, nisi prius dandi hospitii merces compen-

[Margin: 1. Pet. 1. — 1. Petr. 4. — Matth. 25.]

Anno Christi ....

pensetur; & quod Deus agere jussit pro perceptione regni cælestis, pro acquisitione terrenarum rerum agatur.

XXVI.

Prædicandum est etiam, ut perjurium fideles caveant, & ab hoc summopere abstineant: scientes hoc grande scelus esse, & in lege & prophetis sive evangelio prohibitum. Audivimus enim quosdam parvipendere hoc scelus, & levem quodammodo perjuris pœnitentiæ modum imponere: qui nosse debent talem perjuro pœnitentiam imponere debere, qualem & de adulterio, & de fornicatione, de homicidio, & de cæteris criminalibus vitiis. Si quis vero perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiæ longam ærumnam, ad confessionem venire noluerit: ab ecclesia repellendus est, sive a communione & consortio fidelium, ut nullus cum eo comedat neque bibat, neque oret, neque eum in sua domo recipiat.

XXVII.

Dicendum est eis, ut a falso etiam testimonio se abstineant: scientes & hoc gravissimum scelus esse, & ab ipso Domino in monte Sinai prohibitum, dicente ipso Domino: *Non falsum testimonium dixeris*: sive: *Testis falsus non erit impunitus*. Sciat se etiam quisquis hoc perpetravit, aut tali pœnitentia purgandum, ut superius dictum est de perjurio, aut tali damnatione aut excommunicatione damnandum, sicut superius insertum est. Dicendumque illis est, quod summa stultitia est, si quis pro cupiditate argenti & auri, aut vestimentorum, aut cujuslibet rei, aut, quod creberrime contingere solet, propter ebrietatem, in tam grande scelus voluerit corruere; ut aut septem annis in arcta ærumna sit, aut ab ecclesia repellendus, dicente Domino: *Quid prodest homini, si lucretur totum mundum, & animæ suæ detrimentum faciat*: quippe, pe, cum aliis videatur pius existere, sibimet crudelis existat.

Exod. 20. Prov. 17. Matt. 8.

XXVIII.

Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes. Qui scripturas scit, prædicet scripturas; qui vero nescit, saltem hoc quod notissimum est plebibus dicat; ut declinent a malo, & faciant bonum; inquirant pacem, sequantur eam: quia oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes malum, ut perdat de terra memoriam eorum. Nullus ergo se excusare poterit, quod non habeat linguam, unde possit aliquem ædificare. Mox enim ut quemlibet errantem viderit, prout potest, & valet, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur. Cum vero, Domino opitulante, ad synodum in unum convenerimus, sciat nobis unusquisque dicere quantum, Domino adjuvante, laboraverit, aut quem fructum acquisierit: & si quis forte nostro indiget adjutorio, nos cum caritate nihilo minus ei pro viribus adjutorium ferre differemus.

XXIX.

Admonere debetis fideles, ut assiduitatem & studium habeant orandi. Ipse autem orandi modus talis esse debet: ut primo, dicto symbolo, quasi fidei suæ recensito fundamento, dicat quisquis est tribus vicibus: *Qui plasmasti me, miserere mei*; & tribus vicibus: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Et compleat orationem dominicam. Si ergo locus aut tempus exierit, deprecetur sanctos apostolos, sive martyres, ut pro eo intercedant: & armata fronte signo crucis, elevatis cum corde manibus & oculis, Deo gratias agat. Si vero tempus ad hæc omnia peragenda minus sufficiens est, sufficiat tantum, *Qui plasmasti me, miserere mei*; Et, *Deus propitius esto mihi peccatori*: & oratio dominica tantum, cum gemitu & contritione cordis.

Luc 18. Ibidem.

XXX.

Omni enim die Deo in oratione nostra, aut semel, aut bis, aut quando amplius possimus, confiteri debemus peccata nostra, dicente Propheta: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me injustitias meas, Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*. Facta etenim confessione cum gemitu & lacrymis Domino in oratione, recitandus est psalmus quinquagesimus, sive vigesimusquartus, sive vigesimusquintus, atque alii ad rem pertinentes, & sic complenda est oratio: quia confessio, quam sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum affert, qui accepto ab eis salutari consilio, saluberrimis pœnitentiæ observationibus, sive munitiis, peccatorum maculas diluimus. Confessio vero, quam Deo soli facimus, in hoc juvat, quia quanto nos memores sumus peccatorum nostrorum, tanto horum Dominus obliviscitur: & e contrario, quanto nos horum obliviscimur, tanto Dominus reminiscitur, dicente eo per prophetam: *Et peccatorum tuorum non meminero*. Tu autem memor esto, quod David propheta fecisse testatur, cum dicit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper*.

Psal. 31. Ezech. 33. Psal. 50.

XXXI.

Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis, quæ sive in opere, sive in cogitatione perpetrantur. Octo sunt principalia vitia, sine quibus vix ullus inveniri potest. Est enim gastrimargia, hoc est, ventris ingluvies; secundum, fornicatio; tertium, acedia, sive tristitia; quartum, avaritia; quintum, vana gloria; sextum, invidia; septimum, ira; octavum, superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo aut qua occasione peccatum perpetraverit quod peregisse confitetur: & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei persuaderi ut de perversis cogitationibus faciat confessionem, & nominatim debet ei sacerdos unumquodque vitium dicere, & suam de eo confessionem accipere.

Octo peccata principalia.

XXXII.

Esurientes satiandi sunt, sitientes potandi, nudi operiendi, infirmi & qui in carcere sunt, visitandi, & hospites colligendi, dicente Domino: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Nam hæc omnia, & in se quisque debet specialiter agere, & in aliis temporaliter adimplere: quia pene nihil possunt hæc omnia proficere ad vitam æternam capessendam, si luxuriose, superbe, invide, &, ne singula replicem, si vitiose & inordinate quis vivat, & cæteris bonis operibus non vacet. Qui ergo videt se Christum non habere, qui dixit, *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*, & caritatem quæ est pastus animæ non habet, esurit quidem: sed si semper bona opera Christi adjungit, & caritatis se dulcedine replet, esurientem omnino semper pavit. Qui se videt doctrina Spiritus sancti, & scripturarum sanctarum fluentis carere, sitiens est: sed si se fluentis verbi Dei irriget, & mentem suam spiritualis poculi ducedine inebriet, iste se sitientem potavit. Qui induit se justitia sive cæteris virtutibus, nudum se procul dubio vestit,

Matth. 25. Ioan. 6.

ANNO CHRISTI ......

vestit, si in lecto vitiorum suorum jacet, & morbo iniquitatis suæ laborat, & funibus peccatorum suorum constrictus est, & vitiorum obsitus pariete, & in tenebris iniquitatis suæ est, infirmus quidem est: sed si de lecto vitiorum per confessionem* egreditur, & per pœnitentiæ lamenta vinculis peccatorum absolvitur, & ad lucem bonorum operum egreditur, infirmum & in carcere positum se procul dubio visitat. Sin hujus vitæ via videt se laborare, & vitiorum procella quasi quadam aeris intemperie inquietari, & receptaculum bonorum operum non habere, sciat se in itinere positum hospitio egere. At si se ad virtutum domum deducat, & sese in earum tutamine receptet, hospitem quidem suscepit. Quæ omnia sibi spiritualiter exhibet, Christum in se, cujus ipse membrum est, pascit, potat, vestit, visitat ac suscipit.

XXXIII.

Admonendi sunt fideles sanctæ Dei ecclesiæ, ut filios suos, & filias suas edoceant parentibus obedientiam exhibere, dicente Domino: *Fili, honorifica patrem tuum.* Nam & ipsi parentes erga filios suos ac filias modeste debent agere, dicente apostolo: *Et vos parentes, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Et hoc dicendum est eis, ut si illi genitali affectu parcere velint injuriis filiorum, non has impune Dominus finit, nisi forte digna pœnitentia exhibeatur: & quia levius est filiis parentum quælibet flagella suscipere, quam Dei iram incurrere. (Exod. 20. Ephes. 6.)

XXXIV.

Admonendus est populus, quod hæc sit vera caritas, quæ Deum diligit plusquam se, & proximum tamquam se: quæ nihil vult alii facere, nisi quod sibi vult fieri; & plura quæ recensere longum est. Nam quicumque in potu, & cibo, & dandis atque accipiendis rebus caritatem putant, non mediocriter errant, dicente apostolo: *Regnum Dei non est cibus & potus.* Nam & ipsa quando cum caritate fiunt, bona sunt, & inter virtutes computanda sunt. (Rom. 14.)

XXXV.

Admonendi sunt qui negotiis ac mercationibus rerum invigilant, ut non plus terrena lucra quam vitam cupiant sempiternam. Nam qui plus de rebus terrenis quam de animæ suæ salute cogitat, valde a via veritatis aberrat, & juxta quemdam sapientem, in via sua perdidit intima sui. Sequendus est in hac parte, sicut in cæteris, apostolicus sermo, qui ait: *Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio proximum suum: vindex est enim Deus de his omnibus.* Sicut enim ab his qui labore agrorum, & cæteris laboribus, victum atque vestimentum quærunt, & necessaria usibus humanis acquirere inhiantes instant, decimæ & eleemosynæ dandæ sunt, ita his quoque qui pro necessitatibus suis negotiis insistunt faciendum est. Vnicuique enim homini Deus dedit artem qua pascitur: & unusquisque de arte sua, de qua corporis necessaria subsidia habet, animæ quoque, quod magis necessarium est, subsidium ministrare debet. (1. Thess. 4.)

XXXVI.

Hebdomada prima ante initium quadragesimæ confessiones sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, & omnia jurgia sedanda, & dimittere debent debita invicem de cordibus suis, ut liberius dicant: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* & sic ingredientes in beatæ quadragesimæ tempus, mundis & purificatis mentibus ad sanctum pascha procedant, & per pœnitentiam se renovent, quæ est secundus baptismus. Sicut enim baptismus peccata, ita & pœnitentia purgat: at qui post baptismum peccat, denuo non potest baptizari. Hoc medicamentum a Domino pœnitentiæ datum est, ut per eam vice baptismi peccata post baptismum diluantur. Septem enim modis peccata dimitti scripturæ sanctæ demonstrant. Primo enim in baptismate, quod propter remissionem peccatorum datum est. Secundo, per martyrium, juxta illud quod ait psalmista: *Beatus cui non imputavit Dominus peccatum:* quia juxta ejusdem Dauid sententiam, remittuntur peccata per baptismum, teguntur per pœnitentiam, non imputantur per martyrium. Tertio, per eleemosynam, juxta Danielem, qui profano Nabuchodonosor ait: *Peccata tua eleemosynis redime in misericordiis pauperum.* Et illud: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata.* Et Dominus in euangelio: *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quarto, si remittat quis peccanti in se peccata sua, juxta illud: *Dimittite & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis.* Et illud: *Sic & Pater vester dimittet vobis peccata vestra, si remiseritis unicuique de cordibus vestris.* Quinto, si per prædicationem suam quis, & bonorum operum exercitium, alios ab errore suo convertat, juxta illud quod ait apostolus: *Quoniam si converti fecerit quis peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & cooperiet multitudinem peccatorum.* Sexto, per caritatem, juxta illud: *Caritas Dei cooperiet multitudinem peccatorum per Iesum Christum Dominum nostrum.* Septimo per pœnitentiam, juxta quod ait Dauid: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* (Matth. 6. Peccata septempliciter dimittuntur. Psal. 31. Daniel. 4. Eccles. 3. Luc. 11. Idem 6. Marc. 11. Iacob. 5. 1. Petr. 4. Psal. 31.)

XXXVII.

Ipsa autem quadragesima cum summa observatione custodiri debet, ut jejunium in ea, præter dominicos, qui abstinentiæ subtracti sunt, nullatenus resolvatur: quia ipsi dies, decimæ sunt anni nostri, quos cum omni religione & sanctitate transire debemus. Nulla enim in his occasio sit resolvendi jejunii: quia alio tempore solet jejunium caritatis causa dissolvi, isto vero nullatenus debet: quia alio tempore jejunare, in voluntate & arbitrio cujuslibet positum est, in hoc vero non jejunare, præceptum Dei transcendere est: & in alio tempore jejunare, præmium abstinentiæ acquirere est, in hoc vero, præter infirmos aut parvulos, quisquis non jejunat, pœnam sibi acquiret: quia eosdem dies Dominus per Moysen, & per Eliam, & per semetipsum sacro jejunio consecravit.

XXXVIII.

Diebus vero jejunii eleemosyna facienda est, & cibum sive potum, quo quisque uti debuit si non jejunaret, pauperibus eroget: quia jejunare, & cibos prandii ad cœnam reservare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.

XXXIX.

Solent plures qui se jejunare putant, mox ut signum audierint, ad horam nonam manducare: qui nullatenus jejunare credendi sunt, si manducaverint, antequam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad missas, & auditis missarum solennibus, sive vespertinis officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad missam

Missam convenire non valeat, æstimata vespertina hora, completa oratione sua, jejunium absolvere debet.

XL.

Abstinentia vero in his diebus pene omnium deliciarum esse debet, & sobrie & caste vivendum. Qui vero ovis, caseo, piscibus, vino abstinere potest, magnæ virtutis est: qui autem his, aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere, abstinere non potest, utatur tantum, ut jejunium usque ad vesperam solemniter celebret; & vinum non ad ebrietatem, sed ad refectionem corporis sui sumat. A caseo vero, lacte, butyro & ovis abstinere & jejunare dementissimum est, & ab omni ratione semotum. Vinum enim pro ebrietate & luxuria prohibitum est, non lac & ova: non enim ait apostolus, Nolite comedere lac & ova, sed, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Vinum in jejuniis prohibitum, non lac & ova.

Ecclef. 5.

XLI.

Singulis diebus dominicis in quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt. Et in cœna domini, vigilia paschæ, & in die resurrectionis domini, penitus ab omnibus hominibus communicandum est. Et ipsi dies paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt.

XLII.

In his jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus, & in opere necessario persistendum. Arguit enim eos qui contentiones & lites quadragesimæ tempore construunt, & qui debita a debitoribus exigunt, dominus per prophetam dicens: *Ecce in die jejunii vestri inveniuntur voluntates vestræ, & omnes debitores vestros repetitis: ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie.*

Isaia 58.

XLIII.

Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus a conjugibus, & caste & pie vivendum, & sanctificato corde & corpore isti sancti dies transigantur, & sic perveniatur ad diem sanctum paschæ: quia pene nihil valet jejunium quod conjugali macula vel opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, eleemosynæ non commendant.

XLIV.

Admonendus est populus ut ad sacrosanctum sacramentum corporis & sanguinis domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc minime abstineat: sed cum omni diligentia atque prudentia eligat tempus, quando aliquamdiu ab opere conjugali abstineat, & vitiis se purget, virtutibus exornet, eleemosynis & orationibus insistat, & sic ad tantum sacramentum accedat. Quia sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum sacramentum accedere: ita etiam periculosum est ab hoc prolixo tempore abstinere, sola ratione eorum qui excommunicati, non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & religiosis quibusque sancte viventibus, qui pene omni die id faciunt.

XLV.

Vt & missæ quæ per dies dominicos peculiares a sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis missarum solemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abstrahatur. Quia pessimus usus est apud quosdam, qui in diebus dominicis, sive in quibuslibet festivitatibus, mox missam celebrare etiam pro defunctis si audierit, abscedit, & per totum diem a primo mane ebrietati & comessationi potius quam Deo deservit: admonendus est populus, ut ante publicum peractum officium ad cibum non accedant, & omnes ad publicam sanctam matrem ecclesiam missarum solemnia & prædicationem audituri conveniant; & sacerdotes per oratoria nequaquam missas nisi tam caute ante secundam horam celebrent, ut populus a publicis solemnibus non abstrahatur. Sed diversi sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, sive populus, ut prædiximus, in unum ad publicam missarum celebrationem convenient, exceptis Deo sacratis feminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterii contineri.

ANNO CHRISTI ....

LEGES ECCLESIASTICÆ SANCTI EDVVARDI REGIS & confessoris e sæcularibus suis depromptæ.

TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM.

* *leg.* filio

INCIPIVNT LEGES SANCTI EDVVARDI regis quas in Anglia tenuit, quas VVilielmus heres & cognatus suus postea confirmavit.

PRÆFATIO.

POST acquisitionem Angliæ VVilielmus rex quarto anno regni sui, consilio baronum suorum, fecit submoneri per universos Angliæ consulatus, Anglos nobiles, sapientes, & sua lege eruditos, ut eorum leges, & jura, & consuetudines ab ipsis audiret. Electi igitur de singulis totius patriæ comitatibus viri duodecim, jurejurando primum coram rege confirmaverunt, ut quoad possent recto tramite incedentes, nec ad dextram nec ad sinistram divertentes, legum suarum & consuetudinum sancita patefacerent, nihil prætermittentes, nihil addentes, nihil prævaricando mutantes. A legibus igitur sanctæ matris ecclesiæ sumentes exordium, quoniam per eam rex & regnum, solidum

lidum ſubſiſtendi habent fundamentum, leges, libertates, & pacem ipſius concionati ſunt, dicentes:

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

Omnis clericus, & etiam ſcholaris, & omnes eorum res & poſſeſſiones, ubicumque fuerint, pacem Dei & ſanctæ eccleſiæ habeant.

II.

Ab adventu domini uſque ad octavas epiphaniæ pax Dei & ſanctæ eccleſiæ per omne regnum. Similiter a ſeptuageſima uſque ad octavas paſchæ. Item ab aſcenſione domini uſque ad octavas pentecoſtes. Item omnibus diebus quatuor temporum. Item omnibus ſabbatis ab hora nona, & tota die ſequenti, uſque ad diem Lunæ. Item vigiliis ſanctæ Mariæ, ſancti Michaelis, ſancti Ioannis Baptiſtæ, apoſtolorum omnium, & ſanctorum quorum ſolemnitates a ſacerdotibus dominicis annuntiantur diebus, & omnium ſanctorum in Kalendis Novembris: ſemper ab hora nona vigiliarum, & ſubſequente ſolemnitate. Item in parochiis, in quibus dedicationis dies obſervatur. Item in parochiis eccleſiarum, ubi propria feſtivitas ſancti celebratur. Et ſi quis devote ad celebrationem ſancti adveniat, pacem habeat eundo, & ſubſiſtendo, & redeundo. Item omnibus Chriſtianis ad eccleſiam cauſa orationis euntibus pax in eundo & redeundo ſit eis. Similiter ad dedicationes, ad ſynodos, ad capitula venientibus, ſive ſubmoniti ſint, ſive per ſe quid agendum habuerint, ſit ſumma pax. Etiam ſi excommunicatus aliquis abſolvendi cauſa ad epiſcopum confugerit, abſolutus, eundo & redeundo pacem Dei & ſanctæ eccleſiæ habeat. Quod ſi aliquis ei forisfecerit, epiſcopus inde juſtitiam faciat. Verumtamen ſi quis arrogans pro epiſcopi juſtitia emendare noluerit, epiſcopus regi notum faciat. Rex autem conſtringat malefactorem, ut emendet cui forisfecerit, ſcilicet primum epiſcopo, deinde ſibi: & ſic erunt duo gladii, & gladius gladium juvabit.

III.

Vbicumque regis juſtitia, vel cujuſcumque ſit, placita tenuerit, ſi miſſus epiſcopi veniens illuc apparuerit cauſam ſanctæ eccleſiæ, ipſa primitus terminetur. Iuſtum eſt enim ut ubique Deus præ cæteris honoretur.

IV.

Quicumque de eccleſia aliquid tenuerit, vel in fundo eccleſiæ manſionem habuerit, extra curiam eccleſiaſticam coactus non placitabit, quamvis forisfecerit: niſi, quod abſit, in curia eccleſiaſtica rectum defecerit.

V.

Vbicumque reus vel noxius ad eccleſiam, præſidii cauſa confugerit: ex quo atrium eccleſiæ tenuerit, a nemine inſequente nullatenus apprehendatur, niſi per pontificem vel miniſtros ejus. Quod ſi fugiendo, domum ſacerdotis, vel curiam ejus intravit: eamdem ſecuritatem & pacem habeat, quam & apud eccleſiam: dum tamen domus ſacerdotis & curia ejus, in fundo eccleſiæ conſiſtant. Hic ſi latro vel raptor eſt, quod male cepit, ſi ad manum eſt, reddat: & ſi illud penitus extirpaverit, & de ſuo proprio unde reddat habuerit, in integrum ei cui damnum intulit reſtituat. Quod ſi more ſolito latro taliter egerit, & forte fortuito ad eccleſiam & ſacerdotum domos frequenter evaſerit: ablatione reſtituta, provinciam forisjuret, nec redeat: & ſi forte reditum fecerit, nullus eum hoſpitari præſumat, niſi a rege data licentia.

VI.

Si quis vero ſanctæ pacem eccleſiæ violenter infregerit, epiſcoporum eſt juſtitia. Quod ſi nocens ſententiam eorum diffugiendo vel arroganter contemnendo deſpexerit, clamor de eo deferatur ad regem poſt quadraginta dies: & regis juſtitia mittet eum per vadimonium, & plegios, ſi habere poterit, uſque dum Deo primitus, regi & eccleſiæ poſtea ſatisfaciat. Qui ſi infra triginta & unum dies, ſive per amicos aut notos, ſive per juſtitiam regis inveniri non poterit, utlagabit eum rex verbo oris ſui. Si vero poſtea repertus fuerit, & retineri poſſit, vivus reddetur, vel caput ejus, ſi ſe defenderit: lupinum enim gerit caput a die utlagationis ſuæ, quod Anglice *VVulfesheofod* dicitur. Et hæc eſt lex communis & generalis de omnibus utlagatis.

VII.

De omni annona, decima garba Deo debita eſt, & ideo reddenda. Et ſi quis gregem equarum habuerit, pullum reddat decimum; qui unam tantum vel duas habuerit, de ſingulis pullis ſingulos denarios. Similiter qui vaccas plures habuerit, decimum vitulum; qui unam vel duas, de vitulis ſingulis obolos ſingulos. Et qui caſeum fecerit, det Deo decimum; ſi vero non fecerit, lac decimo die. Similiter agnum decimum, vellus decimum, caſeum decimum, butyrum decimum, porcellum decimum.

VIII.

De apibus vero ſimiliter decima commodi, quin etiam de boſco, de prato, de aquis, & molendinis, parchis, vivariis, piſcariis, virgultis, hortis, & negotiationibus, & omnibus rebus quas dederit dominus, decima pars ei reddenda eſt, qui novem partes ſimul cum decima largitur. Qui eam detinuerit, per juſtitiam epiſcopi & regis, ſi neceſſe fuerit, ad redditionem arguatur. Hæc enim beatus Auguſtinus prædicavit & docuit: & hæc conceſſa ſunt a rege, & baronibus, & populo. Sed poſtea inſtinctu diaboli multi eam detinuerunt, & ſacerdotes locupletes negligentes non curabant inire laborem ad perſequendas eas, eo quod ſufficienter habebant ſuæ neceſſaria vitæ. Multis enim in locis modo ſunt tres vel quatuor eccleſiæ, ubi tunc temporis una tantum erat, & ſic cœperunt minui.

IX.

Die illo quo judicium fieri debet, veniat illuc miniſter epiſcopi cum clericis ſuis, & ſimiliter juſtitia regis cum legalibus hominibus provinciæ illius, qui videant & audiant, ut æque omnia fiant: & quos dominus per miſericordiam ſuam, non per merita ſalvare voluerit, quieti ſint & libere recedant: & quos iniquitas culpæ, non dominus damnaverit, juſtitia regis de ipſis juſtitiam faciat. Barones vero qui ſuam habent curiam de ſuis hominibus, videant ut ſic de eis agant: quatenus erga Deum reatum non incurrant, & regem non offendant. Et ſi placitum de hominibus aliorum baronum oritur in curiis ſuis, adſit ad placitum regis juſtitia, quoniam abſque ea placitum finiri non licet. Si qui barones judicia non habent, in Hundredo, ubi placitum habitum fuerit, ad propinquiorem eccleſiam, ubi judicium regis erit, determinandum eſt, ſalvo jure baronum illorum.

X.

Omnis qui habuerit triginta denariatus vivæ pecuniæ

pecuniæ in domo sua, de suo proprio, Anglorum lege, dabit denarium sancti Petri; & lege Danorum, dimidiam marcam. Iste vero denarius debet submoneri in solemnitate apostolorum Petri & Pauli, & colligi ad festivitatem quæ dicitur, Ad vincula, ita ut ultra illum diem non detineatur. Si quispiam detinuerit, ad justitiam regis clamor deferatur, quoniam denarius hic eleemosyna regis est: justitia vero faciat denarium reddere, & forisfacturam episcopi & regis. Quod si quis plures domos habuerit, de illa ubi residens fuerit in festo apostolorum Petri & Pauli denarium reddat.

XI.

[V]idetur [h]oc caput [a]dditum [e]sse tempo[r]e Henrici I.

Danegeldi redditio propter piratas primitus statuta est: patriam enim infestantes, vastationi ejus pro posse suo insistebant. Ad eorum quidem insolentiam reprimendam, statutum est danegeldum annuatim reddi, scilicet duodecim denarios de unaquaque hida totius patriæ, ad conducendos eos qui piratarum irruptioni resistendo obviarent. De hoc quoque danegeldo libera & quieta erat omnis ecclesia, & etiam omnis terra quæ in proprio dominio ecclesiæ erat, ubicumque jacebat, nihil prorsus in hac tali redditione persolvens: quia magis in ecclesiæ confidebant orationibus, quam in armorum defensionibus. Hanc itaque tenuit Anglorum ecclesia libertatem usque ad tempora VVilielmi regis junioris, qui Rufus vocabatur: donec eodem a baronibus Angliæ auxilium requirente, ad Nortmanniam retinendam de Roberto fratre suo, cognomento Curtehose, Ierusalem proficiscente, concessum est ei, non lege statutum tamen, neque firmatum, sed hac necessitatis causa, ex unaquaque hida sibi dari quatuor solidos, ecclesia non excepta. Dum vero collectio censu fieret, proclamabat sancta ecclesia, suam reposcens libertatem: sed nihil profecit.

[E]cclesia libera fuit a [d]anegeldo [u]sque ad [t]empus [V]Vilielmi [R]ufi.

XII.

Pax regis multiplex est. Illa enim data manu sua, quam Angli vocant *cynninger honde sealde grith*: alia, die quo primum coronatus est, quæ dies tenet octo: in natali domini, dies octo: in paschate, dies octo: in pentecoste, dies octo, *&c. Infra.* Mambote vero (id est compensatio domino persolvenda pro homine suo occiso) Anglorum lege, regi, & archiepiscopo, tres marcas de hominibus eorum propriis: sed episcopo ejusdem comitatus, & consuli, & dapifero regis, viginti solidos, baronibus autem aliis, decem solidos, *&c.*

XIII.

Thesauri de terra regis sunt, nisi in ecclesia vel in cœmeterio inveniantur. Et licet ibi inveniatur, aurum regis est, & medietas argenti: & medietas, ecclesiæ ubi inventum fuerit, quæcumque ipsa fuerit, vel dives, vel pauper.

XIV.

Rex autem qui vicarius summi regis est, ad hoc est constitutus, ut regnum terrenum, & populum domini, & super omnia sanctam veneretur ecclesiam ejus, & regat, & ab injuriosis defendat, & maleficos ab ea evellat & destruat, & penitus disperdat. Quod nisi fecerit, nec nomen regis in eo constabit: verum, testante papa Ioanne, nomen regis perdit. Cui Pippinus & Carolus filius ejus necdum reges, sed principes, sub rege Francorum stulto scripserunt, quærentes si ita permanere deberent Francorum reges solo regio nomine contenti. A quo responsum est: Illos decet vocari reges, qui vigilanter defendunt & regunt ecclesiam Dei, & populum ejus, imitati regem Psalmographum

A dicentem: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam*, &c. *Psal.* 100.

XV.

Archiepiscopi, episcopi, comites, barones, & omnes qui habent sacham, & socam, thol, team & infangthefe: etiam milites suos & proprios servientes, scilicet dapiferos, pincernas, camerarios, coquos, pistores, sub suo friborgo habeant. Et item isti suos armigeros, vel alios sibi servientes sub suo friborgo. Quod si cui forisfacerent, & clamor vicinorum de eis assurgeret, ipsi tenerent eos rectitudini in curia sua: illi dico qui haberent sacham, & socam, thol, & theam, & infangthefe.

Quæ præterea sequuntur apud Lambardum in hoc capite de officio regis, & de iure & appenditiis coronæ regni Britanniæ, cum epistola Eleutheri papæ ad Lucium regem, non habentur aut in nostro manuscripto, aut in Hovedeno.

XVI.

B Sacha est, quod si quilibet aliquem nominatim de aliquo calumniatus fuerit, & ille negaverit, forisfactura probationis vel negationis, si evenerit, sua erit.

XVII.

Socha est, quod si aliquis quærit aliquid in terra sua, etiam furtum, sua est justitia, si inventum fuerit, an non.

XVIII.

Thol (quod nos dicimus telonium) est, scilicet quod habeat libertatem vendendi & emendi in terra sua.

XIX.

Theam, quod si quispiam aliquid interciet super aliquem, & interciatus non poterit vvarrantum suum habere, erit forisfactura sua, & justitia

C similiter de calumniatore, si defecerit.

XX.

Omnis enim qui habet sacha & socha, thol & them, & infangdthefe, prædictas videlicet consuetudines: justitia cognoscentis latronis sua est, de homine suo, si captus fuerit super terram suam. Illi vero qui non habent has consuetudines, coram justitia regia rectum faciant in hundredis, vel in vvapentachiis, vel in scyris.

XXI.

Sciendum quoque quod omnes Iudæi, ubicumque in regno sunt, sub tutela & defensione regis ligea debent esse: nec quilibet eorum alicui diviti

D se potest subdere sine regis licentia. Iudæi enim, & omnia sua, regis sunt. Quod si quispiam detinuerit eos, vel pecuniam eorum, perquirat rex, si vult, tamquam suum proprium.

XXII.

Vsurarios quoque defendit rex Edvvardus, ne remaneret aliquis in toto regno suo. Et si quis inde convictus esset quod fenus exigeret, omni substantia propria careret, & postea pro exlege haberetur. Hoc autem asserebat ille rex, se audisse in curia regis Francorum, dum ibidem moraretur, quod usura summa radix omnium vitiorum est.

E

LEGES ALIÆ EDVVARDI REGIS NORTMANNICO IDIOMATE conscriptæ.

TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM.

PRÆFATIO

PRÆFATIO.

CES sont les leis & les custumes que le reis VVilliamg rauntat à tut le puple de Engleterre, apres le conquest de la terre: iceles meismes que le reis Edovvard son cosin tint devant lui.

HÆ sunt leges & consuetudines quas VVilielmus rex concessit universo populo Angliæ, post terræ acquisitionem: ipsæ scilicet eædem quas rex Edvvardus consanguineus ejus ante ipsum custodivit

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

Ceo est à saveir: Pais à saint Yglise, de quel A forfait que home out fait on cel tens, e il pout venir à saint Yglise out pais de vie & de membre. E se alquons meist main en celui qui la mere Yglise requireit, se ceo fust v evesque, v abbeie, v Yglise de religion, rendist ceo que il iavereit pris, e cent sols de forfait, e de mer Yglise de paroisse xx. solz. e de chappele x. solz. e que enfraiant la pais le rei en Merchenelae, cent solz les amendes, altresi de heinfare, e de avveit purpensed.

I.

Intelligendum est: Pax sanctæ ecclesiæ de quocumque reatu quis hoc tempore sit culpabilis, & venire potest ad sanctam ecclesiam, pacem habeat vitæ & membri. Et si quis manum ei injecerit, qui matrem ecclesiam quæsierit, sive episcopi fuerit ecclesia, sive abbatiæ, sive ecclesia religionis, restituat quod abstulerit, & mulctæ nomine centum solidos, matrici etiam ecclesiæ parochiali viginti solidos, & capellæ decem solidos. Et qui pacem regiam violaverit, centum solidis emendet lege Merciorum, similiter de heinfare, & de insidiis præcogitatis.

II.

Et si alquons est apelez de muster fruisser, v de chambre, e il neit ested blamed enarer, sen escon- B dit per xii. leals homes nomez sei dudzime mein, e sil est alre fiee ested blamed, sen escondied a treis dubles, ceo à saveir, per * xlviij. homes leals, nomes sei trentesiste mein: e sil aver nes pot aut à la ivise à treis dubles si coil doust à treis * du blein serment, e sil ad enarer' larcin amended alt al evv, li arcevesque averad de forfaiture xl. solz en Merchenlae, e li evesques xx. solz, e li quenz xx. solz, e le baron x. sols, e li vilain xl. denir.

* xxxvi.

*l. dublein.

II.

Et si quis appellatus fuerit de fractione monasterii, seu ecclesiæ, vel cubiculi, nec fuerit retro defamatus, ipse abneget cum xii. legalibus hominibus, quos vocant, duodecima sua manu; & si alia vice increpatus fuerit, tunc hoc neget triplicato numero, videlicet xxxvi. legalibus hominibus, quos vocant, tricesima sexta sua manu: & si hos habere nequierit, eat à la * ivise *triplicatum, sicut debuit ad triplicatum sacramentum: & si alias de latrocinio composuerit, eat ad judicium aquæ. Archiepiscopus habebit de forisfactura xl. solidos in Merciorum lege, & episcopus xx. solidos, & comes xx. solidos, & baro x. solidos, & villani xl. denarios.*

*Examinis genus: sed hæc per conjecturam.

III.

Franc home qui ad aver champestre xxx. deniers C vailaunt, deit doner le dener seint Pere. Le seignur pur iiii. den. que il dourad, si erunt quites ses bordiers, & ses boner, & ses serianz. Li burgeis qui ad en son propre chatel demi marc vailant, deit doner le dener seint Pere. Qui en Denelae francz home est, e il averad demi marc en argent vailant de aveir champestre, si devrad doner le dener seint Pere: e par le dener qui li seignur durrat, si erent quites ceals qui meinent en son demaine.

III.

Liber homo qui habuerit 30. denariorum valorem in averus campestribus, debet dare sancti Petri denarium. Pro iiii. denariis quos dominus dederit, quieti erunt bordarii sui, etiam boneri & servientes sui. Burgensis qui in propriis suis bonis valorem possidet dimidiæ marcæ, tenetur dare sancti Petri denarium. Qui Danorum lege liber est, & in campestribus animalibus valere æstimatur dimidiam marcam argenti, tenetur dare sancti Petri denarium: & per denarium quem dominus dederit, quieti erunt qui in suo degunt dominico.

IV.

D

Qui renent le dener seint Pere, le dener rendra per la justice de seint Yglise, e xxx. den. forfait. e si il en est plaidé de la justice le rei, le forfait al evesque xxx. den. e al rei xl. solz.

IV.

Qui negaverit denarium sancti Petri, eum reddat per justitiam sanctæ ecclesiæ, & mulctæ nomine xxx. den. & si in ius vocatus fuerit a iustitia regis, episcopo luat xxx. denariis, & regi xl. solidis.

V.

Si home mort sans devise, si departent les enfans l'erite entre sei per uvvell.

V.

Si quis intestatus obierit, liberi eius hereditatem æqualiter dividant.

CONCILIVM

NNO RISTI 049.

CONCILIVM ROMANVM I.

CONTRA SIMONIACOS CELEBRATVM ANNO domini MXLIX. tempore Leonis papæ IX.

pus lii.

HANC *synodum tempore supra notato Romæ celebratam fuisse testatur Hermannus in chronico, his verbis:* Proximo pascha Vdalricum Augiensis cœnobii provisorem, Romam venientem, abbatis benedictione consecravit: & monasterii ejusdem privilegia, antiquitus a sede apostolica tradita, sua autoritate confirmavit & innovavit, Indictione secunda, VII. Kalendas Aprilis. Idem papa in hebdomada post Albas synodum cum episcopis Italiæ Romæ celebravit. Idem in hebdomada pentecostes aliam synodum Papiæ congregavit: indeque per montem Iovis cum pluribus Romanorum in Cisalpinas partes devenit. *Hæc Hermannus.*

con- quæ?

Decretum illud quod contra simoniacos in concilio Romano sub Clemente II. constitutum fuerat, in hac synodo per Leonem pontificem confirmatum esse Petrus Damiani in epistola ad Henricum Ravennatem archiepiscopum testatur his verbis: Verumtamen & hoc otiosum esse non credimus, si quid super hoc negotio idem venerabilis Leo papa statuerit, exponamus. Nam cum omnes simoniacorū ordinationes synodalis vigoris autoritate cassasset, protinus a Romanorum sacerdotum multitudine, magnæ seditionis tumultus exortus est: ita ut non solum ab ipsis, sed a plerisque diceretur episcopis, omnes pene basilicas sacerdotalibus officiis destitutas, & præcipue missarum solemnia, ad subversionem Christianæ religionis, & desperationem omnium circumquaque fidelium, funditus omittenda. Quid plura? Post longa sane disceptationum hinc inde volumina: tandem suggestum est, reverendæ memoriæ nuper ejusdem sedis episcopum Clementem decrevisse: Vt quicumque a simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum esse cui se obtulerit promovendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti ordinis officio ministraret. Quam nimirum sententiam protinus venerabilis Leo ratam percensuit, & sub hujusmodi pœna hos in acceptis officiis de cetero perseverare mandavit. Nam & nonnullos hodieque conspicitis, qui dum a talibus per diversos gradus fuerant ordinati, ab eodem summo pontifice ad episcopatus apicem sunt provecti: nec id perperam, *&c.*

nian. cul. 6. Tom. m. II. retum mo- is.

d Leo- decre- eodem sculo 27.

Aliud idem Petrus ejusdem pontificis synodale decretum recitat superius eadem epistola, istis verbis: Nam & is qui supra magnificus Leo, omnes clericos ab hæreticis venientes, in his quidem, quos adepti sunt, ordinibus præcepit recipi: ad altiores autem gradus prohibuit promoveri. Cujus decreti nos titulum contenti sumus hic breviter adhibere: ad textum autē mittemus, quibus vacat diffusius illic exarata perlegere. Quin omnis, *inquit*, cujuslibet ordinis clericus, qui catholicam deserens, hæreticæ communioni se miscuerit, si ad ecclesiam fuerit reversus, in eo gradu, in quo erat, sine promotione permaneat, *&c.* Ponamus itaque, ut simoniaci in nullo a cæteris hæreticis differant, atque per schismaticam sectam similiter cum eis ab ecclesiastica communione procul recedant: in sacerdotio tamen, vel cæteris gradibus, quicumque jam ab eis promoti sunt, Leoniano decernuntur permanere judicio. *Hæc Petrus ex decreto Leonis sancito in hac prima synodo, in qua prominentiores vepres succisi esse noscuntur.*

uæst. 1. omnis slibet.

G. C. *Celebratam hanc a Leone synodum cum episcopis Italiæ, ait Hermannus: sed ad eam convocatos*

A *Galliæ episcopos omnes asserit chronicon S. Benigni, cujus hæc sunt verba.* Domno Leucorum episcopo Brunone, qui appellatus est Leo Papa, ordinato, evocatus est ab ipso Romæ ad concilium domnus archiepiscopus * Halynardus, simulque omnes episcopi Galliæ, ad pertractandum inibi de statu & correctione sanctæ ecclesiæ.

ANNO CHRISTI 1049.

* Lugdunensis.

** CONCILIVM TICINENSE,

A LEONE IX. CELEBRATVM ANNO Christi MXLIX.

HANC *synodum* in hebdomada Pentecostes Papiæ congregasse Leonem, indeque per montem Iovis cum pluribus Romanorum in Cisal-
B pinas partes devenisse, *ait Hermannus, ut supra vidisti: sed quid in ea sit actum non addit.*

CONCILIVM REMENSE,

pro disciplina & moribus ecclesiæ reformandis celebratum anno domini MXLIX. tempore Leonis papæ IX.

Ex vetusto Remensi codice a Baronio editum.

I. QVÆ ANTECESSERVNT CONCILIVM.

DEFVNCTO papa Damaso, qui in civitate Brixenorum, quæ est in provincia Istriæ, fuerat episcopus, & in apostolica sede inthronizatus, triginta solummodo ibi vixerat diebus: Romani,

I. Leonis electio & cōsecratio.

C legatione de ejus obitu ad imperatorem Henricum directa, petierunt ut ecclesiæ pastore viduatæ ab eo subrogaretur alius.

Qui super hoc negotio, episcoporum & optimatum imperii sui quærens consilium, invenit inter cæteros dominum Brunonem Tullensem ad idem officium subeundum esse idoneum: utpote qui ætatis maturitate, morumque & scientiæ claritudine videbatur conspicuus, sibique sanguinis affinitate proximus. Vnde apostolicæ dignitatis ei adjudicata sunt insignia: jussumque ab Augusto, ut ad hęc secundum ecclesiasticas sanctiones suscipienda, Romana inviseret mœnia. Sed quia solemnia imminebant nativitatis dominicæ: hæc cum clero,
D cujus fuerat pastor, disposuit celebrare, eisque celebratis, quo erat præceptum, abire.

Hujus itaque pontificis notitiam, in colloquio, a præfato imperatore & Francorum rege, pacis & amicitiæ confirmandæ gratia, ante non multum tempus habito, memoratus abbas Herimarus fuerat consecutus. A quo etiam promissum acceperat, quod in proximo quadragesimali jejunio, beati Remigii sepulcrum absque equi solatio foret expetiturus: quia cum eorumdem regum aliquando familiaria adinvicem perferens mandata, per contiguam regionem transierit, ipsius sancti locum orationis gratia invisere neglexerit. Quod idem abbas sagaciter recolens animo, sua dirigens scripta illi suggerit, ut quoniam pro delegato sibi apostolici
E primatus officio Romam ire disponit, si quando ad cognatos fines certo ecclesiæ revocetur emolumento, non fiat irrita Francorum apostolo ab eo facta promissio. Mittit vero ei in munere vas ad bibendum idoneum, intus & exterius auro decentissime decoratum *: insinuans illi de ipsius sancta ecclesia dedicanda suum cum petitione desiderium. Ad hæc idem episcopus benigne refert, quia etsi alia nulla se revocet ecclesiæ utilitas, vel pro solo amore sancti Remigii reversurum ad Gallias, & ejus basilicam dedicaturum, si divina annuerit benignitas.

* Ligneum fuisse affe ritur a Desiderio abbate Cassinensi eodemque Victore papa III.

Celebratis ergo in sede civitatis Leucorum duobus dominicæ nativitatis diebus: in tertio, clero

ANNO CHRISTI 1049.

suo valefaciens, iter carpere Romam ducens aggreditur. Quo perveniens, cum favore totius populi honorabiliter excipitur: apostolicæque dignitatis infulis insignitus, in hypapante domini, in cathedra beati Petri inthronizatur, & Leo papa Romano more nuncupatur. Hic digne administrans quæ sui sunt officii, instanterque disponens quæque videntur accommoda divinæ religioni: quadragesimalis temporis explet jejunia, succedentiaque dominicæ resurrectionis ibi celebrat solemnia. Quibus elapsis, synodum convocat episcoporum Italiæ: & ibi quælibet perversa in eorum episcopiis pullulantia, aut corrigit, aut hortatur corrigere.

II. Leonis iter in Gallias, Remos usque.

Aliquanti autem temporis interlabente curriculo, Gallicum revisere solum tam beato Remigio facta promissio, quam orthodoxæ fidei in illis partibus adeo tepefactæ persuadet intentio. Unde a Romanis expetita licentia, per quasdam Latii urbes iter agens, in eis multa disponit ecclesiasticæ honestati congrua: tandemque adit imperatorem Henricum, in regione commorantem Saxonica.

Interea memoratus abbas desiderii sui compotem se futurum ex ipsius papæ certus pollicitatione, regi Francorum Laudunum venienti occurrit in pentecostes solemnitate, ejusque consilium & favorem expetit de præfato templo apostolica consecrando benedictione: monens & postulans, ut his agendis suam præsentiam exhibeat, & episcopos regnique sui principes secum interesse faciat. Cui idem rex ad præsens mente benigna annuit: seque, nisi alicujus impedimenti intercesserit casus, tantæ festivitati adfuturum asserit. Ex quo promisso abbas lætificatus revertitur, indeque papæ Coloniam Agrippinam cum imperatore advenienti, in apostolorum Petri & Pauli natalitio fit obvius: a quo, adventus sui ad Remense solum, gerendarumque ibi rerum tempus & ordinem, investigat diligentius.

Ille vero sibi notificans pandit, quomodo prius deliberasset, ut octava die ab ipsius sancti festivitate, quæ in Kalendis Octobris habetur celeberrima, illo veniret: & ipsius monasterium dedicans, postea ibidem ex episcopis Galliæ congregatam synodum celebraret. Qua sententia mutata, ad eundem locum in solemnitate sancti Michaelis archangeli se venturum, & in ecclesia beatæ Mariæ Remis missarum sacra in eadem die memorat celebraturum: festum vero gloriosi patris Remigii, preciosi corporis ejus elevationi; & subsequentem, basilicæ consecrationi; cæteros deinde tres, synodi deputat celebrationi. Quibus auditis, ad suum cœnobium rediit abbas, suaque scripta per Franciam eique contiguas direxit provincias: invitans sanctæ ecclesiæ fideles, ut ad tanti gaudii participationem concurrant mente promptissima, tam pro amore & veneratione ejusdem patroni sui, quam ut benedictione muniri mererentur apostolica.

A Leone papa indicitur synodus Remensis.

Cæterum papa Colonia digressus, Tullum in exaltatione dominicæ Crucis venit: indeque circumjacentium regionum episcopis & abbatibus litteris suæ autoritatis mandari præcepit, ut in præfixa die sibi occurrerent ad synodum celebrandam in basilica præfati Francorum apostoli: ut per quem orthodoxæ fidei initiati sunt rudimentis, in ejus præsentia consequerentur reparationem tepefactæ in se divinæ religionis. Hujusmodi mandatis gratulatur pia fidelium devotio, præparans se studiose ad implendum quod ex apostolicæ dignitatis sibi promulgatur edicto.

Venenatus autem serpens, qui ab exordio mundi ad humani generis inhiat præcipitium, tam salutari proposito, commenti sui nititur opponere obstaculum. Ad complendam enim perfidiæ suæ voluntatem quosdam potentes laicos excitat, qui incestis conjugiis operam dando, & aliorum criminum nefariis usibus se implicando, violatores erant honestatis ecclesiasticæ: ideoque verebantur reatuum suorum latebras in lucem prodere. Sed & nonnullos episcopos & abbates illis adjungit, qui in ovile dominicum aliunde, non per ostium irruperant; & in ecclesiis suis, catholicorum patrum sanctionibus contraria quædam pullulare permiserant, quæ condictæ synodi examinatione resecanda manifestari metuebant. Ut enim scriptum est: *Omnis qui male agit, odit lucem:* & idcirco peccatis suis magis magisque occultationis adhibet obnubilationem. *Ioan. 3.* Tantæ itaque perversitatis viri, incentoris sui callida suggestione instructi, regi Francorum suggerunt, regni sui decus annihilari, si in eo Romani pontificis autoritatem dominari permitteret; vel si eidem, ut decreverat, occurrens, præsentiæ suæ favorem ad cogendum concilium exhiberet.

Addunt etiam, quod nullus antecessorum ejus id reperiatur aliquando concessisse, ut ob similem causam in Franciæ urbes ingressus pateret alicui papæ. His vero agendis, pacis & tranquillitatis congrua sunt tempora: regni autem ejus status sit in perturbatione non modica, quibusdam viris potentibus dominationis ejus jugum detrectantibus, terrasque & castella quælibet ab ipsius ditione abalienantibus. Quapropter regiæ dignitati ferunt congruere, utilitati reipublicæ suæ sapienter consulere potius, quam synodis intendere: principes suos, & totius exercitus sui potentiam in rebelles commovere. Ipsos etiam episcopos & abbates, penes quos maxima pars facultatum regni est, censent immunes hujus expeditionis esse non debere: ante alios abbatem sancti Remigii, quem, quasi de rerum suarum abundantia præsumentem, pro vanæ gloriæ amore ad monasterium suum consecrandum calumniabantur Romanæ urbis pontificem evocasse.

Hac igitur versipelli persuasione rex emollitus, & ab honesto proposito ad seductionis devia flexus, papæ per Silvanectensem mandat episcopum, se suosque pontifices cum abbatibus cogi ad comprimendam pervicaciam sibi resistentium: ideoque non posse occurrere illi in præfixo termino ad peragendum concilium. Unde adventum suum in Franciam in aliud tempus differat: quo absolutis hujusmodi negotiis, eum debito cum honore suscipiat. Ad hæc papa remandat, promissionem beato factam Remigio nequire se irritam facere, sed ad basilicam ejus dedicandam procul dubio venturum: ubi, si qui divinæ religionis amatores convenerint, cum eis synodi rationem se fatetur habiturum. Cujus mandati ad regem relatione perlata, ipse tamen in rebelles iter aggreditur, coacta in unum ingenti exercitus sui militia: sed & episcopis, & plerisque abbatibus contra voluntatem suam illo euntibus; illis etiam perversis ecclesiarum rectoribus ad id negotium ultro se ingerentibus, qui ut summi pastoris vicarium actus eorum examinare venientem possent effugere, eamdem expeditionem exitiali techna elaboraverant struere. Abducitur cum eis & memoratus abbas sancti Remigii, mœstus admodum & gemens, quasi non esset visurus effectum desiderii sui. Sed divinæ

ANNO CHRISTI 1049.

divinæ consolationis ejus mœrori non defuit potentia.

Vix enim unius diei & dimidii itinere confecto, indulta est illi redeundi licentia. Qui reversus celerrime, Romanum antistitem adhuc Tulli remorantem expetit: eumque pro regiis mandatis jamdiu conceptum propositum non permutasse cognoscens, gratulabundus ad monasterium rediit, instanter præparare satagens, quæ tanti patris confluentiumque filiorum sanctæ ecclesiæ forent necessaria conventui. Iam quippe dierum prope erat terminus, qui supradictæ dispositionis completioni fuerat attributus.

Venit Remos Leo papa.

Denique domnus papa a Leucorum urbe digressus, iter ad Remensem ducens urbem arripuit: & in opportunis locis, singulis quibusque noctibus, mansione accepta, in vigilia festivitatis sancti Michaelis ad Curmolensem villam venit. Cui præfatus abbas ibidem obvius factus, quæcumque necessarius expetit usus, illi omnique comitatui ejus affluenter suppeditavit. Die vero sequenti ad sanctum pervenit Remigium, archiepiscopis tribus comitatus, Trevirensi videlicet, Lugdunensi, Vesontionensi, aliisque viris honorabilibus: inter quos erat Ioannes episcopus Portuensis, & Petrus ecclesiæ Romanæ diaconus, & ipsius urbis præfectus. Hic protinus conglobatur in unum tota fratrum congregatio, & cunctis * abbatum, monachorum, clericorum, qui jam ex multis confluxerant partibus, numerosa concio. Ex quibus omnibus in atrio basilicæ disponitur decentissima processio, episcopis tribus, Silvanectensi videlicet, Andegavensi, Nivernensi, longe digestos ordines antecedentibus, textumque evangelii cum aqua benedicta & aromatum odore ferentibus. Sic ergo dispositi, papam advenientem suscipiunt, cui ecclesiam introeunti responsorium, *Lætentur cæli*, cum digna modulatione concinunt: & dum ante altare sanctæ crucis orat, aliud responsorium, summæ Trinitati videlicet, concinentes finiunt. Progresso autem eo usque ad altare sancti Christophori, & ante venerandi Francorum apostoli sepulcrum orationem explente, iterum hymnum, *Te Deum laudamus*, consona vocum jubilant vociferatione. Qui tandem in sede sibi decenter apparata paululum residens, adstantes lætificavit benedictione apostolica: & exinde egressus, ab eisdem psallentium choris cum divinis laudibus deducitur usque ad civitatis mœnia.

Qui Remensis clerus cum archiepiscopo suo, aliisque quibusdam obviam procedens episcopis, perspicuæ processionis numerosos disponit ordines in atrio sancti Dionysii martyris. Vbi ad tanti pontificis susceptionem competentia concinens cantica, usque ad ecclesiam sanctæ Mariæ illum comitatur cum maximæ jubilationis gloria. Illic vero, ante sanctæ crucis & ejusdem Dei genitricis altaria completa oratione, in archiepiscopali aliquantulum resedit sede, archipræsule Remensi ad ejus dexteram, Treuirensi autem residente ad sinistram. Deinde ministris altaris præparatis, quibusque pro officiorum congruentia: & ipse sacerdotalibus redimitus insignibus, processit ad missarum celebranda solemnia. Quibus expletis, & adstante populo apostolica benedictione munito, prædicto Remorum archiepiscopo sibi suisque necessarios sumptus suppeditante, refectionem percepit in majori palatio juxta ecclesiam sito.

Die autem subsequenti, metuens ne præpediretur frequentia circumfluentium populorum, duobus tantum comitatus capellanis, dum nocturnæ a fratribus explerentur vigiliæ, ad sanctum remeavit Remigium: factoque sibi balneo lotus & tonsus est, utpote qui imminentem tanti patris solemnitatem in crastino celebraturus, transferre disponebat tam preciosæ gemmæ venerabile pignus: & præparata sibi quadam domo contigua ecclesiæ, illic secretum remorandi expetiit, quia metuebat ad publicum procedere.

Ad sepulcrum enim sancti, quasi ex toto orbe excitata, tanta hominum confluebat numerositas: ut introeuntibus, spatiosi templi vix sufficeret capacitas. Advolabant enim tam ex vicinis, quam ex longinquis regionibus, promiscui sexus innumerabiles, effundebat aspera Francia ad honorem gloriosi apostoli sui villanos, opidanos, & cives: sed & Gallia pene ex omnibus suis partibus huc transmittebat populorum millia: inter quos accelerabant episcoporum, abbatum, monachorum, clericorum generosa agmina. Ignobilis nobili, aut inops cedere nesciebat diviti: sed omnes una conglobati, concurrebant intentione devota, bustoque cælestem margaritam continenti dulcia imprimentes oscula, oblationum suarum quisque pro posse offerebant donaria. Qui vero constipatorum violentia repulsi propius accedere non valebant, heu! quantum gementes se desiderii sui privari effectu, de longe projectis muneribus quæ attulerant, quasi lapidibus, sancti sepulcrum pia tamen devotione obruebant.

Est autem ante fores ipsius basilicæ quoddam spatiosum atrium, in quo quotiens densitatem sui perpeti non poterat frequentia tantorum explicabat cœtuum, eo ducta aviditate cernendi ipsum beati Petri vicarium. Post beati enim Remigii captatum suffragium, ad hujus summopere inhiabat conspectum. Qui ut magnanimo desiderantium satisfaceret affectui, eminentius solarium domus, in qua remorabatur, petens, unde & adstantes contueri, & ab eisdem conspici, & loquens posset audiri, apostolica eos benedictione lætificavit. Hisque recedentibus, & aliis subinde atque aliis illud atrium catervatim replentibus, ter in eadem die suæ exhortationis monita impertiens salubria, liquido patefecit, quæ vitanda, quæque ad salutem animarum suarum sibi forent expetibila. In eadem denique domo, sacra mysteria sibi fecit celebrari: quia non dabatur uspiam locus opportunus ecclesiam introeundi, nec ipsi fratres præ importunitate plebium solitum illic pensum divini valebant persolvere officii.

III. Translatio corporis S. Remigii.

Adveniente interea nocte, nec tamen confluentium rarescente, sed magis magisque crebrescente copia, domnus papa metuens ne in sacris vigiliis Deo famulantes importunitate plebis præpedirentur exequi divinæ servitutis solemnia; tum etiam ne sibi preciosi corporis sancti ipsius transferendi, ecclesiæque dedicandæ inhiberetur copia: delegatis clericis suis ejusdem loci memorato abbati, spatiositatem templi præcepit penitus evacuari, obseratisque diligenter foribus, omnibus intercludi facultatem introeundi. Præcepit etiam ex sua parte hoc populis enuntiari, ut ad horam secederent, & absque ulla sui impetus inquietudine solemnes illius noctis excubias cum digna devotione a Deo militantibus celebrari finerent: se procul dubio die subsequenti eorum desideriis promittit satisfacturum, & thesaurum desiderabilem, quem quærebant, illorum conspectibus expositurum. Si vero mandatis detrectarent annuere, infecto negotio, propter quod

ANNO CHRISTI 1049.

quod advenisset, recessurum fore. Quod cum tandem maxima difficultate fuisset obtentum, pleraque tamen numerositas populorum cum copiosis luminaribus deforis excubans, ejusdem pollicitationis præstolaretur effectum: cereorum ubertate, quasi multiplici siderum splendore, interius irradiata ecclesia, Deo servientium chori in canticis spiritualibus decentissime illius noctis exegerunt spatia.

Mane autem facto susceptus est a domno papa intra ecclesiam sanctus martyr Cornelius: quem cum aliis sanctorum pignoribus comperientes clerici, illo detulerunt pro multis violentiis, quas ecclesia sua patiebatur a quibusdam malefactoribus. Circa horam deinde tertiam, redimitus idem apostolicus infulis sacerdotalibus, ad gloriosi patris Remigii sepulcrum procedit cum thymiamateriis & crucibus, sociatis sibi archiepiscopis quatuor, Remensi videlicet, Trevirensi, Lugdunensi, Vesontionensi, cum quibusdam aliis: sed & ipsius loci abbate, domnoque Hugone venerabili patre cœnobii Cluniacensis, & illius ordinis plurimis. Cum quibus litania facta, & super sanctum corpus non modica thymiamatum accensa fragrantia, cecinit responsorium, *Dirigatur oratio mea.* Quo cum versu expleto, feretrum sancti, ut præparatis instrumentis aptatum ad portandum redderetur habile, a suo loco paululum removit, & antiphonam, *Confessor domini Remigius*, decantavit.

At ubi competenter, prout res exigebat, dispositum fuit: ipse ante alios cum præfatis archiepiscopis, & abbatibus, suppositis humeris illud devote lacrymans extulit, & responsorium, *Iste est de sublimibus*, inchoavit. Cujus vocem subsequentes chori psallentium ovantes erumpunt in jubilationis tripudium, præque alacritate cordis. O quantorum ora manantium rigavit redundantia fletuum! quantorumve mentes ad tanti patris captanda suffragia sunt compunctæ in suspiria beatorum gemituum! Tradens autem dominus papa eumdem preciosum thesaurum se ultro ingerentium * vobis, ab inquietudine turbarum secessit in oratorium sanctæ Trinitatis, quod ad meridianam plagam infra ambitum ipsius ecclesiæ decenter constructum erat, Harduni cujusdam illius loci cœnobitæ studio continens dominicum sepulcrum eleganter imaginatum instar illius Hierosolymitani, in quo nostra requievit salvatio. Hoc igitur Trevirensem archiepiscopum in sui præsentia eadem die consecrare fecit, ex consensu præfati Remorum archipræsulis, multorum ibi sanctorum collatis reliquiis.

*corr. votis

Denique monasterii foribus patefactis, ubi illa cælestis gemma desiderantium populorum est exposita obtutibus, tum vero cerneres promiscuum vulgus præ nimia exultatione manibus plaudere, innumeros in divinas laudes gratulabunda vociferatione erumpere, potentes, impotentes, nobiles, ignobiles, quemque pro suis viribus summopere niti, ut tam optata gaudia propius mereretur contingere. Magna fides, magno procul dubio remuneranda præmio: quæ ne tanti reddatur expers emolumenti, nec imminentis mortis revocatur periculo. Quidam enim præ nimia desiderii sui festinatione præcipites, dum inter constipatos cuneos corruunt, non valentes resurgere, suffocati & conculcati intereunt. Rapitur & jactatur potius quam portatur preciosi corporis theca, tot millium undique propellente frequentia, velut navis æquoreorum fluctuum hac & illac agitata violentia: nunc hi, nunc illi, extorquendo sibi felicia vendicant dona. Et ut paucis multa concludantur, nec longis ambagibus legentium deficiat intentio: toto interstitio, quod civitatem & castellum ipsius sancti interjacet, tam jucunda agitatur contentio. Adest Remensis clerus cum civium multitudine, apostolum suum ad propriæ urbis mœnia elaborat devehere.

Quem vix ab hujusmodi impetus densitate avulsum, sanctæ Dei genitricis infert ecclesiæ: ut cui vivens in corpore dignis laboribus vitæ præsentis multa comparaverat commoda, catholicæque religionis competentia addiderat insignia; huic vel unius noctis morula, exultationem simul & sanctificationem, suorum ossium exhiberet præsentia. Collocato ergo eo super sanctæ Crucis altare, archiepiscopus Vesontionensis ad altare beatæ Mariæ procedens, missarum solemnia cum eorum clero de ipsius gloriosi patris celebravit festivitate.

His autem expletis, dum concurrentium devotio magis agglomeratur, diei interea elapso curriculo nox subsequitur: cujus tamen caligine basilicæ illius adyta nullo modo fiunt obscura: tot gratulabundi conventus suum quodammodo diem præferentia undique micant luminaria. Monachi autem ibidem circa patronum suum lætis invigilant excubiis, & matutinalem explent cursum cum duodecim lectionibus & responsoriis suis. Post quos easdem vigilias solemniter peragendas canonici suscipiunt, & cum novem lectionibus matutinorum officia consummantes usque ad lucem protrahunt. Qui facto mane, Primam, Tertiam, Missamque cum Sexta hora ante solita decantantes tempora, venerabile corpus cum divinis laudibus efferunt a beatæ Dei genitricis ecclesia: quod in circuitu civitatis cum jucunditate deportantes, congruas stationes per præfixa faciunt spatia. Cumque ad eum locum ventum esset, ubi quondam fuerat porta antiqua, Patens nuncupata vocabulo, per quam idem sanctus hostem humani generis in eadem urbe visibilibus ignium debacchantem exterminiis adhuc in carne vivens orationibus expulit: illic eosdem preciosos artus deponunt, & ipsius miraculi memoriam digna devotione & canticis spiritualibus agunt. Ad cujus facti memoriale ibidem basilica moderno est constructa tempore: quam quidam servus Dei, Constantius nomine, suis impensis eleganter composuit, & Dei famulos ad ejus obsequium, quoad potuit, dum viveret, aggregavit, & in honore sanctæ Mariæ Magdalenæ sanctique Remigii consecrari fecit.

IV. Dedicatio basilicæ S. Remigii.

Dum itaque agitur illa circuitio extra civitatis mœnia, domnus papa convocatis episcopis intra dedicandi monasterii abdita, singulis singula ad consecrandum delegavit altaria: Remensem vero archiepiscopum cum Lisoiensi episcopo ternam circuitionem cum crucibus & sanctorum reliquiis, secundum ecclesiasticum ordinem exterius constituit agere, ibique consecrationis officium adimplere: ipse vero cum sibi necessariis remanens interius, divini tabernaculi sanctificationem strenue diligenterque exequitur.

Postquam igitur eo ventum est, ubi secundum orthodoxorum patrum decreta, pignora sanctorum, & sacra quæque debent intra dedicatam ecclesiam recipi: præfati canonici, ut dictum est, deportato corpore beati Remigii per gyrum urbis & castelli, eique adjacentis municipii, pervenerunt cum eo usque ad portas monasterii, ubi

ANNO CHRIST. 1049.

ubi tot millium excreverat frequentia, ut præ eorum densitate eidem glorioso patri domum sibi paratam introeundi intercluderetur licentia. Ipse namque papa easdem januas vetuerat reserari: ne impetus cum eodem sancto irruentium, & sibi discrimini, & impedimento cœptæ dedicationis foret consummationi. Quocirca aliquod diverticulum, quo valeat intromitti, perquiritur: tandemque vix a turbarum inquietudine abstractus, per fenestram, quæ est super sanctæ Trinitatis oratorium, demittitur. Quem domnus apostolicus cum maxima devotione & canticis spiritualibus receptum, non ad præsens in proprio loco reposuit, sed super principale altare, quod in honore apostolorum Petri & Pauli, Clementisque & Christophori martyrum, & beati Remigii, consecrarat, collocavit. Et cujus rei gratia hoc facere decreverit, dignam memoria rationis sententiam subintulit: videlicet ut evidens & conspicuus omnium appareret oculis in celebranda synodo: in qua si quis erroneus aliquid frivolum vel ecclesiasticæ religioni adversum asserere præsumeret, erga hunc vir Dei illius virtutis potentiam per sui corporis præsentiam exhiberet, quam adhuc in mundo vivens erga Arianum hæreticum exhibuit: cui in conventu episcoporum catholicæ fidei lucem nebulosi dogmatis umbra obnubilare molienti, ad adventum suum divina virtute officium vocis extorsit; sed paulo post cum humili satisfactione reatum suum agnoscentem, animæ corporisque eumdem sanitate donatum ad filios adoptionis transtulit. Quæ perorantis papæ intentio ex superno instinctu procedens, effectu nullo modo caruit: velut hoc opusculum suo loco declarabit.

Hac ergo de causa sic locato beati Remigii corpore, univesis agminibus episcoporum, abbatum, monachorum, clericorum, per choros decentissime dispositis, missarum solennia idem pontifex ex dedicationis celebravit festivitate. Lecto euangelio, pulpitum conscendens, exhortationis sermonem fecit ad circumstantem populum, qui plurimus monasterii, ut dictum est, foribus obseratis, per fenestras irrumpendo sibi fecerat aditum. Ad quem multa ex ipsius templi sanctificatione concionatus utilia, diem illam celebrem esse præcepit per Remensis episcopii confinia: anathematis pœna damnans omnes illos qui ad eumdem locum hujus solennitatis gratia per singulos annos confluentibus, vel inde redeuntibus, alicujus impedimenti irrogarent incommoda. Constituit etiam, ut ad altare, quod, ut præfatum est, in honore apostolorum Petri & Pauli, Clementis & Christophori martyrum, gloriosique confessoris Remigii, consecraverat, non indiscrete a quibusque, sicut hactenus, sacrosancta mysteria agerentur: sed secundum morem Romanæ ecclesiæ septem tantummodo sacerdotes, qui in illa congregatione digniores haberentur, ad hoc officium deputarentur: soli Remensi archiepiscopo, ipsiusve cœnobii abbati ibidem missas agendi potestate collata, & cui idem abbas daret licentiam, certe interdum rationis exigente gratia, necnon clero Remensi bis in anno, feria videlicet secunda paschalis festi, & vigilia ascensionis dominicæ, quando solennes illic stationes ex antiqua faciunt traditione. Hæc decreta ne aliquando irrita fierent antiquitate temporis, litteris mandari, easque signari sigillo suæ præcepit autoritatis.

Deinde memoratum populum, secundum institutionis ejus verba publicam de peccatis suis con- A fessionem agentem absolvit: explicitisque divinis officiis, apostolica benedictione sanctificans illum dimisit. Pontifices autem, cœnobiorumque rectores, & cæteros sacri ordinis ministros qui ibi aderant, ad eumdem locum in crastino jussit reverti, ut cum illis haberet rationem quam condixerat synodi.

ACTA CONCILII.

Die vero altera, quæ est quinto Nonas Octobris, congregati sunt in memorata basilica episcopi, videlicet numero viginti, cum quinquaginta fere abbatibus, & aliis ecclesiastici ordinis quamplurimis: ubi statim vetus querela inter Remensis ac Treverensis archiepiscopi clericos est renovata; his adstruentibus, quia Remensis, pri- B mas esset in Gallia, ideoque illi dispositio competeret synodica; econtra vero illi archiepiscopo Treverensi eamdem dignitatem conabantur adscribere, primamque sedem post Romanæ ecclesiæ præsulem in celebrando concilio acquirere. Dominus autem papa non arbitratus opportunum tempus, quo his rationibus imponi valeret congruus finis, scilicet potius metuens hujusmodi controversiam prorumpere ad scandalum contentionis: in modum coronæ sedilia episcoporum disponi, & in medio eorum suæ sedis suggestum præcepit locari; cujus ordinationis modum ex arbitrio Remensis archipræsulis sanxit administrari. Qui convocatis archidiaconis, & quibusque cleri sui præcipuis, cum eorum consilio, in modum, ut dictum est, coronæ, pontificum sedilia; & in medio ejus, apostolicæ sedis apparari fecit insignia. His ita dispositis, dominus papa sacerdotalibus, quasi ad celebrandam missam, infulis redimitus, processit ex oratorio sanctæ Trinitatis, cum cruce & euangelii libro, antecedentibus eum sacri ordinis ministris: sexque alii coram eo procedentes, ante sanctum altare ex integro cantaverunt antiphonam, *Exaudi nos domine.* Qua expleta cum psalmo, & *Gloria*, archiepiscopus Treverensis litaniam fecit: eaque finita conventum diaconus ut ad Deum preces effunderet admonuit, & sic tempori congruentem domno apostolico orationem dicente, lectum est euangelium: *Dixit Simo-* D *ni Petro Iesus: Si peccaverit in te frater tuus.* Post hæc consederunt omnes ordine quo Remensis archipræsul disposuit: dominus quidem papa in medio, ut dictum est, chori, verso vultu ad sepulcrum beati Remigii; ante oculos autem ejus ad orientalem plagam Remensis in dextera, Treverensis vero in parte resedit sinistra. Matth. 18.

Post Remensem deinde, secundum subnotatum ordinem resederunt Beroldus Suessionensis, Trogo Morinensis, Frollandus Silvanectensis, Adalbero Metensis: ad meridianam autem plagam Aylenardus archiepiscopus Lugdunensis, Hugo Lingonensis, Iosfridus Constantiensis, Ivo Sagensis, E Herbertus Lisoiensis, Hugo Baiogarensis, Hugo Avringensis, Theodoricus Virdunensis: ad septemtrionalem vero plagam Hugo archiepiscopus Vesontionensis, Hugo Nivernensis, Eusebius Andegavensis, Pudicus Namnetensis, episcopus Anglorum, & Ioannes Portuensis. Post quorum terga in modum similiter coronæ resederunt abbates hoc ordine: domnus scilicet abbas sancti Remigii Herimarus, domnus Hugo Cluniacensis, Sigefridus Corziensis, Folco Corbeinsis, Rotbertus Pemniesis, Rainoldus sancti Richarii, Gotfridus Verzelliacensis, Arnoldus Pultariensis, Rudolphus Mosomensis, Oylardus Catalaunensis. Milo

ANNO CHRISTI 1049.

Dervensis, Nozgaudus Altuillarensis, Albertus A sancti Theoderici, Stephanus sancti Urbani, Vulvricus sancti Augustini Cantuariensis, Alvvinus sancti Benedicti de terra Anglorum. Deinde cæteri, qui, ut superius relatum est, simul fuerunt numero quinquaginta.

ACTA DIEI PRIMAE.

Quibus ita residentibus, imperato silentio ex præcepto domni papæ, surrexit Petrus sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus, expedito sermone proponens de quibus in eadem synodo sermo esset habendus: de multis videlicet illicitis, quæ cōtra canonum instituta in Gallicis finibus exercebantur: id est, de simoniaca hæresi, de ministeriis ecclesiasticis, & altaribus, quæ a laicis tenebantur, de pravis consuetudinibus, quæ ab eis in atriis ecclesia- B rum accipiebantur, de incestis conjugiis, & eis qui legitimas relinquentes uxores, adulterinis iterum nuptiis implicabantur; de monachis & clericis a sancto proposito & habitu recedentibus: item de clericis mundiali militiæ studentibus, de rapinis, pauperumque injustis captionibus, de Sodomitico vitio, & quibusdam hæresibus, quæ in eisdem pullulavalerant partibus. Quibus propositis, admonuit omnes qui aderant, ut inde secum prudenti deliberatione tractarent, consiliumque cum opportuno adjutorio domno papæ præberent, quomodo hæc zizania divinæ segetis semen suffocantia extirpari valerent. Post hæc ad episcopos sermone converso, C commonuit illos sub anathemate apostolicæ autoritatis, ut si quis eorum ad sacros ordines per simoniacam hæresim pervenisset, vel præmio quemlibet ad eamdem dignitatem promovisset, publica confessione patefaceret.

Primus ergo Treverensis archiepiscopus ad hæc verba surrexit, seque nec aliquid dedisse vel promisisse pro adepto episcopatu, neque alicui sacros ordines vendidisse respondit. Deinde Lugdunensis & Vesontionensis surgentes, ab hujusmodi culpa professi sunt se esse immunes. Tunc præfatus diaconus ad Remensem archiepiscopum se convertit: & quid de his, ex quibus a cæteris facta fuerat purgatio, ediceret, requisivit. At ille surgens, inducias petiit usque in crastinum: dicens se velle D privatim loqui ad domnum apostolicum. Cumque datæ fuissent, cæteri omnes surrexerunt in ordine, secundum verba priorum purgantes se ab hujusmodi suspicione: quatuor tantummodo exceptis, Lingonensi videlicet, Nivernensi, Constantiensi, Namnetensi. Quorum causa eo die ad discutiendum relicta, diaconus sermonis cursum ad abbates qui aderant vertit: eosque, ne forte & ipsi in ovile dominicum aliunde, non per ostium, introissent, confiteri admonuit. Primus sancti Remigii abbas Herimarus surrexit, seque ab hujusmodi culpa, congrua responsione purgavit. Deinde domnus Hugo Cluniacensis subsecutus, hanc purgationis suæ rationem subintulit, dicens: Pro E adipiscendo abbatiæ honore, Deo teste, nihil dedi vel promisi: quod quidem caro voluit, sed mens & ratio repugnavit.

Post hunc se quidam congrue excusare studuerunt: alii vero nihil respondentes, reatum suum occulere quam patefacere maluerunt. Tunc Lingonensis episcopus surgens, super abbate Pultariensi diœcesano suo plurimum est conquestus, quod videlicet in fœtore luxuriæ vivens, pluribus flagitiis inserviebat; beato quoque Petro, ejusque vicario, Romanæ scilicet ecclesiæ pontifici, cujus abbatia illa erat, debitum censum quotannis persolvere detrectaverat; & inde excommunicatus missarum sacramenta celebrare præsumpserat; excommunicationique adhuc subjacens, eidem synodo intererat. Qui discussus, nec ab objectis se valens purgare criminibus, ab honoris sui est dignitate depositus. His ita definitis, edictum est sub anathemate autoritatis apostolicæ, ut si quis assidentium, quempiam universalis ecclesiæ primatem, præter Romanæ sedis antistitem, esse assereret, ibidem publica satisfactione patefaceret. Cumque ad hæc universi reticerent, lectis sententiis super hac re olim promulgatis ab orthodoxis patribus, declaratum est, quod solus Romanæ sedis pontifex, universalis ecclesiæ primas esset & apostolicus. Post hæc domnus papa sub excommunicatione prohibuit, ne quis absque licentia recederet, antequam tertia lux consummaretur in celebratione concilii: sicque jam nocte propinquante conventum dimisit.

ACTA DIEI SECUNDAE.

Sequenti autem die ad memoratam basilicam cum abbatibus & clero convenientibus episcopis, domnus papa cum quibusdam eorum secessit in oratorium sanctæ Trinitatis: ubi dum cum eo confessionis suæ privatum colloquium Remensis habuisset archiepiscopus, & de ecclesiasticæ religionis profectu tractatum esset diutius eo ordine, quo & transacta die: apostolicus inde processit, dictaque sua antiphona, & litania facta a Treverensi archipræsule, euangelium, *Omnis arbor bona*, *Matth. 7* diaconus legit universis. Deinde suo loco residentibus, Remensem archiepiscopum, ut de simoniaca hæresi, de qua hesternas obtinuerat inducias, rationem redderet, præfatus annuit cancellarius: impetens eum etiam de multis, quæ se fama vulgante comperisse asserebat, criminibus. Ad hæc archiepiscopus surgens, ut sibi consiliandi facultas concederetur expetiit. Qua impetrata, Vesontionensem, Suessionensem, Andegavensem, Nivernensem, Silvanectensem, Morinensem, episcopos convocans, cum eis mysterium habuit consilii sui: indeque reversus, causam suam ut Silvanectensis peroraret a domino papa obtinuit. Surgens autem episcopus Silvanectensis, eumdem archiepiscopum respondit non esse reum simoniacæ hæresis. His auditis apostolicus præcepit, ut hæc ita esse sacramento comprobaret archiepiscopus: mandans etiam recitari sententiam, qua Maximum Salonitanum episcopum ex simili culpa notatum, pari modo se inde purgare beatus papa sanxit Gregorius. At ille canonicas inducias inde postulavit, seque post earum expletionem, quod ratio purgationis posceret, peracturum spopondit. Quibus ei concessis, statutum est ut medio Aprili mense, concilio, quod Romæ celebrandum erat, interesset.

Cætera vero quæ ei objecta sunt, quia legitimi accusatoris videbantur delatione carere, decretum est ad præsens indiscussa remanere.

Sic igitur hujusmodi definito negotio, super abbatia Dervensi dominus papa conquestus est, quæ a Tullensi subtracta fuerat episcopio, & hanc ad ipsius pertinere ecclesiæ possessionem, per privilegiorum, quæ inde habebat, demonstravit recitationem. E contra Remensis archiepiscopus abbatiam respondit sui juris potius esse, & hoc antiquioribus privilegiis ecclesiæ suæ se testificari valere. Papa vero, quia in præsenti non erant eadem scripta, ex quorum lectione valeret hæc controversia finiri, jussit ea interim in archivis Remensis ecclesiæ perquisita in crastino in medium afferri. Tunc Turonenses clerici per Lugdunensem archiepiscopum querelam intulerunt super Dolensi episcopo Britanniæ, qui se cum septem suffraga-

ANNO CHRISTI 1049.

suffraganeis a Turonensi archiepiscopo subtraxerat, sibique archipræsulis nomen contra fas vendicaverat. Qui statim ex autoritate apostolica vocatus est ad concilium, quod, ut præfatum est, medio mense Aprili Romæ erat celebrandum, ut ibi rationis hujus agitaretur judicium.

Post hæc memoratus diaconus in episcopum Lingonensem invehitur, eumque episcopalem dignitatem per simoniacam hæresim obtinuisse, sacros ordines vendidisse, bellica arma contra fas ferendo homicidia perpetrasse, alieni matrimonii jura violasse, in clericos suos tyrannidem exercuisse, sodomitico etiam flagitio pollutum esse, criminatur. Quibus verbis fidem præbebant plurimi delatores qui aderant: inter quos quidam clericus asseruit, quod sibi adhuc laico conjugem suam violenter abstulerat, & post perpetratum cum ea adulterium monacham fecerat. Adfuit & presbyter quidam, se ab eodem episcopo conquerens captum, & satellitum ejus fuisse potestati traditum, qui eum multis suppliciis excruciantes, quod scelestius est, clavis acutissimis genitalia ejus confixerant, talique violentia ab eo decem libras denariorum extorserant. His auditis, episcopus consiliandi licentiam petiit: qua impetrata, archiepiscopos Vesontionensem & Lugdunensem accersit, eisque credens arcanum consilii sui, petit ut sibi sint causidici. Sed qui cum tantis flagitiis foret implicitus, in oculis alterius magis quam in suis trabem videns, fratrem quamvis culpabilem in hesterna synodo criminatus fuerat, ejusque ad consummationem & ipse merito damnandus aspiraverat: non solum se objectis nequit excusare criminibus, sed etiam ejus causidico, ne ad sui defensionem quidquam proferre valeat, linguæ motus adimitur divinitus.

Vesontionensis quippe episcopus, dum susceptum ejus negotium perorare, & ad excusationem criminosi incongrua quædam decerneret proponere: insperato sibi suffragium vocis divino sensit denegari numine. Procul dubio magnus pater Remigius ob hoc ipsum, ut prædictum est, ante conspectum synodi expositus a beatæ fidei papa, etiam hic ejusdem virtutis enituit potentia, qua olim, dum adhuc peregrinaretur in terris, Ariani illius exinanivit molimina. Tunc enim hæreticum adversus catholicam fidem blasphemias deliberantem garrire, ne conata perageret, sed potius respiciendo* fidelis fieret, silentio condemnavit: nunc autem virum licet fidelem, ne sceleratum defendendo delinqueret, usu loquendi privavit. Et revera divinæ sublimitatis incomprehensibilis virtus in utroque facto mirabiliter enituit: quæ & ibi gloriosæ animæ, licet adhuc involucris septæ, tantum potestatis contulit; & quanta eam jam beatificaverit gloria, nunc circa ejus exanime corpus patenter ostendit.

*f. resipiscendo.

Postquam ergo præfatus Vesontionensis episcopus a suo conatu tali miraculo se prohiberi cognovit: Lugdunensi, ut sui vice causam peroraret innuit. Qui surgens ait eumdem Lingonensem episcopum confiteri, quod sacros ordines vendiderit, & memoratam pecuniam ab illo presbytero extorserit: sed suppliciis, quibus asserebat, eum excruciari non fecerit: cætera vero, quæ sibi fuerant objecta, hunc penitus denegare asseruit. His dictis, domnus papa videns eadem die non posse ad plenum hujusmodi negotium ventilari, jam enim nox instabat: quid in canonibus de sacrorum ordinum venditoribus sit decretum jussit tantummodo recitari. Lectaque sententia ad præceptum ejus ex concilio Calchedonensi, capitulo videlicet secundo, soluta est synodus, dilato usque in crastinum hujus rationis judicio.

Acta diei tertiae.

Mane autem facto, iterum ad eumdem locum episcopi convenere cum abbatibus & cæteris ecclesiæ ordinibus: ad quos domno papa procedente non est cantata antiphona, *Exaudi nos Domine*, sicut heri, & nudiustertius; sed ad ejus adventum clerus decentissime cecinit hymnum, *Veni creator Spiritus*. Quo completo cum antiphona de sancto Remigio, litania facta est a Vesontionensi archiepiscopo, postquam de Spiritu sancto collectam dixit domnus apostolicus. Sicque lectum est evangelium: *Ego sum pastor bonus*. Cumque universi consueto resedissent ordine: supradictus ecclesiæ Romanæ diaconus ait, consequens esse, ut ubi hesterna synodus fuerat terminata, ibi rationis suæ iteraret initia, a Lingonensi videlicet causa. Qui requisitus, & a synodica examinatione se subduxisse repertus, ex parte Dei & beati Petri apostolorum principis, ejusque vicarii, qui præsens aderat, ab eodem diacono, tertio est vocatus. Directi sunt etiam episcopi Silvanectensis & Andegavensis ad illius hospitium, ut si forte eum ibi reperirent, revocarent ad concilium. Qui dum imperata accelerant peragere, ipsius reverendarii allocutio fit ad illos, qui nondum se a simoniaca hæresi debita purgaverant responsione. At Nivernensis episcopus surgens, pro episcopio plurimum pecuniæ confessus est a parentibus datum fuisse, se tamen ignorante: eoque adepto nonnulla ecclesiasticæ religioni contraria commisisse, unde se asserebat divinæ ultionis vindictam pertimescere. Ideoque, si domno papæ & præsenti conventui dignum videretur, idem officium velle dimittere potius, quam in ejus retentione animam suam pessumdare. Quæ ubi dixit, pastorale pedum ante pedes ipsius apostolici posuit. Ille vero tanti viri flexus devotione, favente synodo, eumdem, quod absque suo consensu eadem pecunia data fuerit, sacramento comprobare fecit: sicque illi per aliud pedum ministerium episcopale reddidit.

Joan. 11.

Interea allatum est coram privilegium Remensis ecclesiæ de abbatia Dervensi: ex cujus lectione comprobatum est, eam pertinere ad jus Remensis archiepiscopi. Redeuntes denique qui missi fuerant ad revocandum Lingonensem episcopum, nuntiaverunt eum, facinorum suorum metuentem discussionem, fugæ arripuisse præsidium. Tunc ex præcepto ipsius papæ lectæ sunt sententiæ super hujuscemodi re promulgatæ ab orthodoxis patribus: sicque universi concilii judicio excommunicationis est pœna damnatus. Quod audiens episcopus Vesontionensis, surrexit, & quomodo eumdem reum excusare nitens, ex divina virtute per beati Remigii merita silentio condemnatus sit, patefecit: coram eodem conventu satis devote veniam petens, quod ejusdem miraculi novitatem eousque negligenter celarit. Hic ex pia devotione & alacritate cordis domnus papa in lacrymas compunctus, sic ait: Adhuc vivit beatus Remigius. Tunc ex præcepto ejus omnes surrexerunt, & cum eo ante ejusdem sancti sepulcrum prostrati, antiphonam sancti Remigii ex integro devotissime cecinerunt.

Post hæc surgens Constantiensis episcopus, confessus est se ignorante a quodam fratre suo emptum sibi episcopium fuisse: quod cum rescisset, ne contra fas ordinationem illam susciperet, voluisse

ANNO CHRISTI 1049.

voluisse aufugere, sed ab eodem violenter captum, A episcopali contra voluntatem suam esse dignitate donatum. Quod sacramento comprobare jussus, nec renuens, sic judicatus est simoniacæ hæresis non incurrisse facinus. Accedens denique Namnetensis, confessus est genitorem suum episcopum fuisse civitatis, & in ejus vita donum episcopii se percepisse, mortuoque illi subrogatum per largitionem pecuniæ. Quapropter judicio synodi, sublato annulo & pastorali pedo, privatus est pontificali ministerio, condonato ei, intervenientibus episcopis, tantummodo presbyteratus officio.

Horum igitur causa tali modo terminata, commonuit domnus papa archiepiscopos qui erant in præsentia, ut si quem suffraganeorum suorum simoniacæ pestis esse reum scirent, coram omnibus B notificare non renuerent. Quibus id omnino se scire denegantibus, habitus est sermo de episcopis qui invitati ad synodum venire noluerant, nec aliquod inde suæ excusationis scriptum transmiserant illo. Vnde competentibus ad hæc patrum recitatis sententiis, pœna damnati sunt excommunicationis, cum omnibus illis qui ipsius papæ formidantes adventum, hac de re profecti erant in expeditionem regis: nominatim vero Senonensis archiepiscopus, Bellovacensis, & Ambianensis episcopus: sed & abbas sancti Medardi, quia absque licentia recesserat a conventu concilii. Excommunicatus est etiam sancti Iacobi archiepiscopus Galliciensis, quia contra fas sibi vendicaret culmen apostolici nominis. C

Post hæc petentibus eis qui sanctæ religionis amatores ibi aderant, plurima sanctorum patrum decreta, quæ jam per incuriam pro nihilo habebantur, præcepto suæ autoritatis renovavit; & multa quæ in Gallicana ecclesia exercebantur illicita, ne fierent ulterius, sub anathemate prohibuit. Videlicet:

CANONES.

I.

Ne quis sine electione cleri & populi D ad regimen ecclesiasticum proveheretur.

II.

Ne quis sacros ordines, aut ministeria ecclesiastica, vel altaria, emeret aut venderet. Et si quis clericorum quidlibet eorum emisset, id cum digna satisfactione suo episcopo redderet.

III.

Ne quis laicorum, ecclesiasticum ministerium vel altaria teneret, nec episcoporum quibus * consentirent. E

* f. quivis cõsentiret.

IV.

Ne quis in atriis ecclesiarum, præter episcopum & eius ministrum, quaslibet consuetudines exigere præsumeret.

V.

Ne quis pro sepultura, vel baptismo, sive pro eucharistia, aut infirmorum visitatione, quidquam exigeret.

VI.

Ne quis clericorum, arma militaria gestaret, aut mundanæ militiæ deserviret.

VII.

Ne quis clericus vel laicus usuras exerceret.

VIII.

Ne quis monachus, vel clericus, a suo gradu apostataret.

IX.

Ne quisquam aliquibus sacri ordinis iter agentibus violentiam ullam inferre auderet.

X.

Ne quis pauperes homines rapinis vel captionibus vexaret.

XI.

Ne quis incestuosæ coniunctioni se copularet.

XII.

Ne quis legitima uxore derelicta aliam duceret.

Et quia novi hæretici in Gallicanis partibus emerserant: eos excommunicavit, illis additis qui ab eis aliquod munus vel servitium acciperent, aut quodlibet defensionis patrocinium illis impenderent.

Pari modo damnavit & Sodomitas.

Excommunicavit etiam comites Engelrai & Eustachium propter incestum: & Hugonem de Braina, quia legitimam uxorem dimiserat, & aliam sibi in matrimonio sociaverat. Interdixit & Balduino comiti Flandrensi, ne filiam suam VVilielmo Nortmanno nuptui daret; & illi, ne eam acciperet. Vocavit etiam comitem Tetbaldum, quoniam suam dimiserat uxorem.

Votavit & Gozfridum Andegavensem usque ad synodum futuram Moguntiæ, ibi excommunicandum, nisi relaxaret quem captum tenebat, domnum Gervasium, qui tunc erat præsul sedis Cenomanicæ: postea vero ab ejusdem tyranni potestate exemptus, VVidone archiepiscopo defuncto, a rege Francorum Henrico subrogatus est ad regimen Remensis ecclesiæ.

Excommunicavit denique illos, de quibus proclamationem fecerant Compendienses clerici, propter quorum injustitiam illuc detulerant corpus sancti martyris Cornelii: eos quoque qui ab eadem synodo redeuntibus aliquid inferrent impedimenti.

Privilegium autem quod fecerat sancto Remigio, ibidem in conspectu omnium recitatum confirmavit, & constituit omni tempore, sicut scriptum continebatur, inviolabiliter conservari: sicque benedictione data concilium solvit.

QVÆ CONCILIVM SECVTA SVNT.

Hujusmodi ergo ordine, beati patris Remigii devotus Romanæ sedis pontifex quartam celebravit translationem, & feliciter sexto Nonas Octobris consummavit divinæ domus sanctificationem: quam etiam, ut declaratum est, trium dierum continuatione insignivit celebratione synodi millesimo & quadragesimonono anno felicissimæ incarnationis Domini nostri Iesu Christi. Quapropter, ut deliberaverat, ex divina dispositione compos effectus desiderii sui, die subsequenti, post expletionem synodicam, venit in capitulum fratrum, seque eis innotuit suum velle accelerare reditum,

ANNO CHRISTI 1049.

reditum. Unde spiritalibus illos demulcens colloquiis, societatem eorum devote petiit & accepit, suamque eis humiliter petentibus ipse largitus est, & prostratos ad publicam confessionem absolvit, & ex ordine omnes deosculatos apostolica benedictione sanctificavit.

Post hæc egressus, episcopos, & abbates, cæterosque ecclesiastici ordinis, qui nondum recesserant, convocavit: & cum eis ecclesiam ingressus, missarum solennia celebrari fecit. Quibus expletis, ad sancti sepulcrum, quod, ut dictum est, super altare beati Christophori post basilicæ dedicationem collocaverat, cum humili devotione accessit: ibique oratione completa, illud devote suppositis humeris inde extulit, & in statione sibi decenter apparata cum divinis laudibus reposuit. Ubi iterum B atque iterum cum lacrymis se prosternens, tandem in viam suam exiit: & usque ad castelli aditum comitatus cum canticis spiritualibus a fratribus, & numeroso conventu populi, omnibus valedicens recessit.

Accedens * autem, inde ad sui laboris recompensationem retulit fructum magnæ mercedis, in arcano scilicet devoti pectoris ignem præcipuæ dilectionis, quo ab illo tempore erga eumdem gloriosum patrem Remigium magnopere dignoscitur flagrasse: ut idem ipse fatetur in quadam epistola directa postmodum episcopis Franciæ, quam suo loco in subsequentibus curabimus ponere.

f. Abscedens autem inde.

Ex qua gratia etiam alterius gratiæ adeptus est C emolumentum, cum ei divina virtus de quibusdam, qui ei impedimentum advenienti in Gallias conati erant inferre, ultionem præstitit per ipsius sancti, cui fuerat famulatus, meritum. Nam, ut multos prætermittamus, qui illi fuere contrarii, Gebuinus Laudunensis episcopus, & Hugo de Braina castello, qui inter ejus derogatores quasi signiferi extiterunt, eodem anno ignominiosa morte vitam finierunt. Ille enim, quia exitialem technam, ut apostolicam devitaret præsentiam, regi suggessit, & hanc maxima parte cleri sui devote expetente, ipse a sua sede longe aufugit: nec dominici corporis viatico a malitia sua sanctificatus, D nec ab eodem clero suo consolatione visitationis in extremis refocillatus, divino judicio extra fines episcopii sui solus obiit quasi peregrinus. Alter vero, quia caput ministri Christi se abscissurum fuerat minitatus, ore sacrilego, quo impia verba protulerat, hostilis gladii abscissione est mutilatus.

Dignum est ad * posterum memoriam aliud miraculum supradictis addere, quod divina potentia in manibus hujus pontificis operata est, ex ea qua erga patronum nostrum flagrabat devotione. Anno enim secundo post expletionem eorum quæ præmissa sunt, cum Romæ moraretur, casu accidente per pincernæ incuriam vas illud fractum E est, quod sibi datum esse a præfato abbate Herimaro in primordiis hujus opusculi memoratum est. Quod ubi pro certo agnovit, aliquantum graviter tulit. Licet enim multa haberet pluris precii, præ cæteris tamen illud diligebat, quia in initio apostolatus sui ex parte sancti Remigii sibi missum asserebat: ideoque ad bibendum, supra cætera quæ erant in obsequio ejus, illi delectabilius esse solebat.

posterorum

Dum ergo cum spiritualibus quibusdam viris, qui ei præsentes erant, placido, ut semper erat, vultu, ex eodem damno conquereretur, & aurifex

ANNO CHRISTI 1049.

A peritus reficiendi hujusmodi fracturam ab eo perquiri præciperetur: quidam eorum alludentes, seria & alacri responsione dixerunt, quod sanctus hic, in cujus illud tantopere amplectebatur devotione, tanti esset apud Dominum meriti, ut ei idem vas integrum sua reformaret intercessione. At ille nihil inde se diffidere cum spirituali jucunditate respondens, ejusque virtutes multiplici sermone exaggerans, vas fractum sibi deferri præcepit. Quo delato, avulsam inde particulam suo loco reposuit: &, quasi aurifici ad reficiendum reservaretur, signum tamen crucis, ut fertur, ei caute imprimens, recondi jussit. Quod in crastino velut causa reficiendi coram delatum, ita operatione divina integrum est inventum, ut nullum in eo fracturæ posset reperiri vestigium.

Hoc itaque videns venerabilis papa, Dei omnipotentiam collaudavit, & hujus miraculi novitatem meritis beati Remigii adscripsit, per cujus interventum, fidei efficacia id obtinere meruit. Ne autem ex hac relatione arguamur mendacii, ideoque frivolum habeatur hujus scripti memoriale: proferimus tres idoneos testes, quorum indicio id nobis postmodum contigit agnoscere, Hugonem videlicet Nivernensem episcopum, & Hugonem Remensis ecclesiæ diaconum, & quemdam clericum Aylenardi quondam Lugdunensis archiepiscopi capellanum, nomine Benedictum. Quorum duo primi concilio ab eodem papa, ut moris illi erat, decimoquinto die post dominicam resurrectionem Romæ habito interfuerunt: & quod retulimus, ab his qui præsentes viderunt, id vere factum esse didicerunt. Tertius vero cum domino suo præsens interfuit: & quod videndo comperit, nobis post aliquot annos sciscitantibus indicavit.

Vir denique venerabilis sæpe dictum apostolum nostrum eo magis ferventi excolens dilectione, eumque summopere desiderans honorare, & illius monasterium sua autoritate nobilitare: epistolam ejus laude refertam direxit sanctæ ecclesiæ filiis in Francia constitutis, qua decrevit apud eos haberi celebrem ipsius sancti festivitatem, quæ recolitur Kalendis Octobris.

Plurima etiam ad ecclesiasticam utilitatem pertinentia, quæ in præfata synodo in ejus basilica habita tractaverat, jussit apud eos capitulatim digeri, & inter orthodoxos canones numerari. Cujus epistolæ textum, quia ordo narrationis videtur exigere, huic operi dignum judicavimus inserere. Ejus vero exemplar hujusmodi est:

Leo episcopus, servus servorum Dei, fratribus & filiis catholicis per universum regnum Francorum constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

COMPERTUM caritati vestræ credimus, quod post consecrationem nostram, illam videlicet, qua benignitas Dei humilitatem nostram sanctæ Romanæ ecclesiæ præesse voluit, Germaniam Galliamque visitavimus; ac Remorum urbem adeuntes, maximo voto & summa devotione ecclesiam beati Remigii (ut longe ante desideravimus) Deo annuente, & ejusdem sanctissimi viri patrocinantibus meritis, cum magna gloria dedicavimus; atque post consecrationem ecclesiæ in eadem synodum celebrantes, plurima ad utilitatem Christianæ religionis necessaria consilio coepiscoporum * suorum, assensu etiam & laude cleri & populi, quorum innumera multitudo ad tantæ devotionis

** forte nostrorum.*

ANNO CHRISTI 1049.

tionis celebritatem confluxerat, statuendo confirmavimus. Quæ omnia capitulis digesta inter canones haberi præcepimus, & postea in omnibus synodis quas habimus, idipsum confirmare curavimus. Et quoniam beatissimum Remigium gentis Francorum prædicatorem, & apostolum scimus, venerari & honorare illum, quem Dominus in cælo mirificavit, prout possumus, debemus: præsertim cum semper in nostro pectore inde ipsius amor ferventius ardeat, quod preciosissimum corpus ipsius sanctissimi viri propriis manibus transferentes in locum sibi præparatum, miraque pulcritudine exquisiti operis decoratum, reposuimus. Vnde vestram admonere volumus dilectionem, ut sicut nos in ejus obsequiis perpenditis gratulari, ita & vos causa nostri amoris, maximeque ex debito paterni honoris, solennitatem ejus, quæ est Kalendis Octobris, celebrem habeatis. Quia etsi aliis non est apostolus, tamen vobis est: nam primitiæ ejus vos estis in Domino. Hunc itaque honorem patri & apostolo vestro exhibete: ut, juxta promissum Domini, longævi super terram vivere, & ejusdem patris precibus æternæ beatitudinis felicitatem mereamini possidere. Valete.

NOTÆ SEVERINI BINII.

De hac synodo Hermannus Contractus: *Autumnali*, inquit, *tempore Dominus papa synodum magnam Remis cum Galliarum episcopis habuit*. De eadem Sigebertus in libro de illustribus scriptoribus ecclesiasticis cap. 153. ita scribit: *Anselmus Remensis monachus scripsit itinerarium noni Leonis papæ a Roma in Gallias, ob hoc maxime, ut notificaret, quanta autoritate Remis, vel in aliis urbibus, synodum celebrarit: qua subtilitate & justitia examinaverit causas ecclesiasticas, qua discretione peccantes correxerit, quomodo ei virtus Dei cooperata sit. Quod satis patuit in una causa Remensis synodi, ubi dum episcopus Frisingensis contumaciter ageret contra apostolicam autoritatem, repente in omnium oculis obmutuit.* Hæc Sigebertus. Acta concilii integra ab autore ejus temporis, qui vidit, quamfidelissime scripta, accepit ex Remensi ecclesia Baronius, eaque appendici to. 11. unde nos eadem huc transtulimus, inseruit.

Inter eos qui synodo interfuisse narrantur, ponitur Ivo Sagensis; quem rectius Sagiensem appellandum esse bene monuit reverend dominus Ioannes Picardus sancti Victoris Parisiensis canonicus. Nam Sigeberti continuator ipse, monachus Beccensis in Normannia, ita eum passim nominat. Est vero Sagiensis episcopus archiepiscopo Rotomagensi subditus. Quod autem desideratur in actis concilii hujus, supplebit VVilielmus Gemmeticensis monachus æqualis lib. 7. cap. 15. his verbis: *In illo tempore sanctus Leo papa Gallias expetiit, ecclesiam sancti Remigii Remensis archiepiscopi consecravit, ejusque corpus in ecclesiam nuper dedicatam transtulit. Tunc Remis idem papa grande concilium tenuit, & desides episcopos vel abbates acriter redarguit: inter quos, ut dicunt, propter combustionem ecclesiæ Ivoni dixit: Quid fecisti perfide? Qua lege damnari debes, qui matrem tuam ecclesiam cremare ausus es? Eloquens Ivo palam confessus est, se malum quidem fecisse, ne deteriora fierent a scelerosis super filios ecclesiæ. Denique pœnitentiam secundum sagacis papæ jussum accepit, ac de restituenda sancti Gervasii ecclesia operam adhibuit.* Vt id vero enucleatius perscribatur, necessario fuerit relegendum caput 13. ejusdem VVilielmi Gemmeticensis, aientis Robertum & Avesgotum filios VVilielmi Sorengii depopulatos fuisse Sagiensem ecclesiam, & in eam prædonum collocasse turbam. Quod ægerrime ferens Ivo, nobiles barones Normanniæ, præcipueque Hugonem Grantemaisnilium rogavit sibi cum suis adesse turmis. Sorengii vero cernentes exercitum, fortiter restiterunt. Ivo contra jussit vicinas ædes incendi. *Mox*, inquit VVilielmus Gemmeticensis, *parochiani jussis parent episcopi: ignis vero immissus flante vento ad ecclesiam currit, ipsamque invadens consumit, & impios in ea furentes acriter angit.* Et cap. 14. ejusdem libri: *Prostratis, ut dictum est, filiis discordiæ, simplicibus in pace circa Sagium licuit aliquantulum respirare. Nobilis Ivo præsul ecclesiam cooperire sategit, & quarto Nonas Ianuarii iterum dedicavit.* Hæc ex VVilielmo Gemmeticensi R D Ioannes Picardus.

G.C. Addit Ordericus, libro v. quod in his actis prætermissum est, prohibuisse Leonem in hoc concilio, ne presbyteri conjuges haberent: quód Hugonis abbatis Cluniac. consilio factum docet Albericus in chronico.

CONCILIVM MOGVNTINVM

XLII. EPISC. CONTRA SIMONIAM aliave vitia cleri celebratum anno domini MXLIX. tempore Leonis papæ IX.

ANNO CHRISTI 1049.

De tempore hujus synodi variant scriptores. Lambertus, quem sequitur Serarius in historia Moguntina ad annum Christi 1050. abbas Stadensis eamdem ad annum Christi 1051. refert. Ego Baronium sectatus, veriorem esse puto sententiam Hermanni Contracti, & Adami Bremensis qui hæc & scripserunt & viderunt; nimirum hanc synodum anno 1049. celebratam esse. De rebus in synodo gestis Hermannus nihil præter ista: *Moguntiacum veniens aliam synodum quadraginta prope episcoporum coram imperatore & regni nostri principibus celebravit.* Adamus autem Bremensis libro 3. cap. 31. acta hujus synodi prolixius enarrans, hæc scribit: *Tunc habita est synodus generalis apud Moguntiam, præsidente domno apostolico, & imperatore Henrico, cum episcopis Bardone Moguntinensi, Eberhardo Treverensi, Hermanno Coloniensi, Adalberto Hamburgensi, Engelhardo Magdeburgensi, cæterisque provinciarum sacerdotibus. In eo concilio quidam Spirensis episcopus, nomine Sibico, cui crimen adulterii intendebatur, examinatione sacrificii purgatus est. Præterea multa ibidem sancita sunt ad utilitatem ecclesiæ, præ quibus simoniaca hæresis, & nefanda sacerdotum conjugia, holographa synodi manu perpetuo damnata* est: quod veniens domum noster archiepiscopus non tacuisse probatur. De mulieribus statuit eamdem sententiam, quam prædecessor ejus memorabilis Alebrandus, & antea Libentius, inchoaverant: ut scilicet fierent extra synagogam, & civitatem, ne malesuada pellicum vicinia castos violaret obtutus. Hæc synodus facta est anno domini 1049. ipse est archiepiscopi septimus. Et tunc majus altare tribunalis dedicatum est in honorem Genitricis Dei. De qua synodo mentionem ideo feci, quod dominus Adelbertus eo tempore, quo tam clari homines in ecclesia fuerunt, sapientiæ ac virtutum merito fere omnes præcelluit: tantus apud papam, talis apud Cæsarem habebatur, ut de publicis rebus absque ejus concilio nil ageretur.* Hæc Adam.

Tempus concilii.

Acta concilii quæ?

* sunt:

Hac eadem synodo, intercessione pontificis aliorumque principum, imperatori reconciliatus est Lotharingiæ dux Godefridus: de cujus animi magnitudine, bellica gloria, bellicisque contra imperatorem & ecclesias nonnullas expeditionibus, tandemque de admirabili voluntaria pœnitentia ejusdem, plura Lambertus: quamquam in tempore graviter aberret. *Hac synodo*, inquit Chapeavilla in notis cap. 1. tom. 2. *imperator quæstionem proposuit coram sancta synodo de legenda sancti Servatii Leodiensis episcopi, de gestis ejus ac supputatione annorum: quæ omnia, facta diligenti discussione, ut pie credenda, sunt synodali decreto confirmata. Ioannes Presbyter chronico Gemblacensi.*

G.C. De concilii hujus epocha dubitare non sinit VVibertus in vita S Leonis: ubi dicitur sanctus pontifex, post Remense concilium per Germaniam rediens, *generale apud Maguntiam concilium habuisse.* Ex eo quoque discimus, Sibichonem ibi peierasse: atque in perjurii pœnam, *maxillam ejus mansisse contortam paralysi, quamdiu vixit.* Remense quoque concilium, hujus epocham adstruit: cum in eo Gozfridus Andegavensis ad synodum futuram Moguntiæ vocetur.

CONCILIVM

ANNO CHRISTI 1050.

**CONCILIVM ROTOMAGENSE, A MALGERIO ARCHIEP. ROTOMAGENSI, cum duobus suffraganeis episcopis, celebratum circa annum Christi ML.

Nunc primum in lucem editum ex R. P. Iacobi Sirmondi S. I apographo, quod ex codice sancti Michaelis de Tumba descripserat.

TITVLI CANONVM.

EPISTOLA SYNODICA AD EPISC. cæterosque orthodoxos provinciæ Rotomagensis.

Fratribus nostris, ac comprovincialibus episcopos, & cæteris orthodoxis fidelibus, Malgerius sanctæ Rotomagensis ecclesiæ praelectus episcopus, Hugo Ebroicacensis sedis episcopus, Rotbertus Constantiæ sedis episcopus, & omne concilium in Domino salutem.

QVONIAM, sanctissimi fratres, sanctam matrem ecclesiam a primo sui honoris & tranquillitatis statu penitus immutatam videmus, partim sublatis e vita bonis principibus, partim ignaris & imbecillibus successoribus, sed & magis peccatis nostris exigentibus: placuit sacerdotalem inter nos fieri conventum, ut salutifera collatione, in quantum divina nobis gratia inspiraverit, quod male a nobis erratum est, corrigamus; quod recte & sobrie factum, stabiliter teneamus. Incumbebat enim nobis & necessarium consilium tractare super his, quæ nostris temporibus ab inimicis ecclesia sancta patitur. Sed quia, ut ait beatus Gregorius, ordo erectionis in bono iste est, ut primum contra nos, & postmodum contra malos erigamur: quod a nobis constat admissum, a nobis quoque primum judiciali sententia expietur. Et licet de re hujusmodi, quam salubri ordinatione constituere volumus, præcedentium patrum prisca autoritas nequaquam siluerit: tamen quia multi inter nos sunt, qui aut exiguam, aut pene

Malgerius Willelmi ... cis ho... serat.

A nullam rectæ eruditionis notitiam contigerunt, necessarium duximus ea quæ a sanctis patribus nobis tradita sunt in medium recensere. Videlicet.

CANONES.

I. *De symbolo fidei catholicæ.*

In primis, ut catholicæ & apostolicæ fidei symbolum firmiter teneamus.

II. *Vt episcopatus a principe, datis muneribus non ambiatur.*

B Vt illa perniciosa consuetudo, & inexplebilis avaritiæ corruptela funditus eradicetur, qua multos perniciosa munera undecumque collegisse audivimus, quibus principem regni & familiares ejus corrumpere valeant, ut ad episcopatus honorem valeant pervenire. Quod nulla quidem humilitate, sed ambitiosa dominatione fieri non dubium est. Vnde hanc pestem a finibus ecclesiæ repellendam judicamus: ne gratiam sancti Spiritus, vilis mercaturę compendiis appretiabilem facere videamur.

III. *Vt episcopi ad alias civitates non transeant.*

C Vt nullus episcoporum de civitate in qua denominatus & ordinatus est, ad aliam amplioris honoris causa transire præsumat: sicut de quibusdam auditum est, qui putabant euangelico exemplo posse tueri cupiditatem suam: per quod, ex occasione persecutionis apostolici prædicatores jubentur transire de civitate in civitatem. Quod omnino prisca sanctorum patrum....,

IV. *Ne monachi ad honores per pecuniam adspirent.*

Similis sententia de monachorum ordine...... Nullus per pecuniam, nisi com-D muni fratrum....... S. Benedicti ad hujusmodi honorem adspiret.

V. *Vt episcopus episcopum non supplantet, nec abbas abbatem.*

Vt nullus episcopus, sive abbas, alterius episcopi, vel abbatis honorem, supplantare præsumat.

VI. *Vt episcopus sacros ordines non vendat.*

Vt nullus episcopus presbyterum aut diaconum, nec aliquem inferioris ordinis cle-E ricum, per pecuniam ordinare præsumat.

VII. *Vt episcopi officiales ab ordinandis munera non exigant.*

Vt nullus ex officialibus episcopi, archidiaconus videlicet, aut notarius, pro ordinandis clericis munera exigat.

VIII. *De scientia, & ætate ordinandorum.*

Vt ad sacros ordines, nisi eruditi, & ætate legitima, non promoveantur.

IX. *Alie-*

ANNO CHRISTI 1050.

IX. *Alienum clericum episcopus non ordinet.*

A Vt episcopus alterius diœcesis clericum, nisi sub legatione, aut probabilibus signis, ordinare præsumat.

X. *Vt episcopus clericorum stipendia laicis ne largiatur.*

Vt episcopus, clericorum ecclesiæ stipendia, aut terras, laicis beneficiare minime præsumat.

XI. *Ne archidiaconus archidiaconum supplantet.*

B Vt nullus archidiaconus, alterius archidiaconum supplantare præsumat.

XII. *Ne clericus clericum supplantet.*

Similiter clericus, alterius clerici honorem non invadat.

XIII. *Ne presbyter presbyteri ecclesiam usurpet.*

C Presbyter quoque, alterius presbyteri ecclesiam temeraria usurpatione quærere non audeat.

XIV. *Ne chrisma vendatur.*

Vt sacrum chrisma nullus vendere præsumat.

XV. *Vt pro dedicandis ecclesiis munera non exigantur.*

Vt in dedicandis ecclesiis nullus coacta munera exigat, nisi sponte a fidelibus donentur. Sed ne hac occasione dilatio ulla consecrandis ecclesiis ingeratur.

XVI. *Vt pro baptismate pecunia non exigatur.*

D Vt pro baptizandis cathecumenis nullus quoque pecuniam, nisi sponte quoque donetur, quærere præsumat.

XVII. *Vt baptizatorum in albis candela & chrismale tantum donetur.*

Vt in albis baptizatorum, solummodo candela & chrismale capitium donetur, nisi quid benignitas humana privato concesserit.

XVIII. *Ne pœnitentes per avaritiam graventur, aut alleventur.*

E Vt pœnitentes occasione avaritiæ gravare, aut levare, nemo præsumat: sed juxta modum culpæ, vel possibilitatem naturæ, moderetur pœnitentia. Tales namque, si hujus sanctionis transgressores inveniantur, gradus sui periculo subjaceant.

XIX. *Vt baptizati in ecclesia per octo dies in albis repræsententur.*

Vt baptizati, in eadem ecclesia, in qua regenerationis gratiam acceperunt, & in qua parochiani existunt, per octonos dies in albis repræsententur cum cereis ardentibus. octavo..........

** *DE BERENGARII HERESIARCHÆ damnatione multiplici.*

Opusculum Anonymi qui scribebat anno 1088. quo mortuus est Berengarius.

Petrus Franc. Chiffletius S. I edidit ex MS. codice S. Augendi. Hoc vero conciliis quæ Berengarianam causam agitarunt, præmittere visum est.

BERINGERIVS Andegavensis hæresim sui nominis condidit, & veritatem Dominici corporis & sanguinis, contra euangelicam veritatem abnegare præsumpsit. Videlicet asserens, panem & vinum in sacrificio Domini, non vere, nec essentialiter, sed figurate tantum converti in corpus & sanguinem Dominicum: quod catholicæ fidei & euangelicæ veritati apertissime adversatur, uti sancti patres docuerunt. Quapropter sanctus Leo papa IX. eamdem hæresim suo tempore ad apostolicam sedem per litteras* ipsius Beringerii delatam, generali synodi judicio diligentius ventilavit, & ventilatam synodali judicio damnavit. Ipsum quoque Beringerium communione ecclesiæ privavit; quam ipse Dominici corporis & sanguinis communione suis assertionibus voluit privare. Deinde ipsum ad proximam tunc synodum, in proximo Septembri ab eo Vercellis celebrandam, vocavit audiendum. Ad hanc synodum non ipse Beringerius, sed quidam ejus fautores pervenerunt: qui se legatos ejus esse asserentes, eumque defendere volentes, in primo aditu defecerunt. Domnus autem apostolicus iterum synodali judicio sententiam Beringerii, & librum Ioannis Scotti de corpore Domini, sub anathemate damnavit: & fidem, quam omnes catholici de veritate corporis & sanguinis Domini hactenus habuerunt, & adhuc habent, confirmavit. His utrisque synodis domnus Lanfrancus, non multo post Anglorum archiepiscopus, scribens contra Beringerium, se interfuisse fatetur: in quarum priore de Beringeriana hæresi se infamatum, & expurgatum; sed in utrisque, ejusdem hæreseos damnationi cum omnibus catholicis se assensisse testatur.

an. 1050. * *ad Lanfrancum datas*

an. 1050.

Victor quoque papa, & in sede, & in autoritate successor sancti Leonis papæ, misso legato in Gallias, venerabili inquam Hildebrando, tunc archidiacono, sed nostri temporis apostolico, generalem synodum Turonis congregavit: in qua ipse Beringerius accepta optione defendendi se, cum se penitus defendere non posset, sub jurejurando propriam hæresim anathematizavit, & communem sanctæ ecclesiæ fidem de veritate corporis & sanguinis Domini se deinceps servaturum sub eodem juramento promisit; licet postea ad eamdem hæresim redierit. an. 1055.

Nicolaus autem papa eidem Beringerio Romæ in generali synodo audientiam concessit, causamque ejus cum centum tredecim episcopis synodali judicio ventilavit. Sed ille iterum cum sectam suam defendere non valeret, tandem quasi correptus, libros propriæ hæreseos in conspectu domni apostolici, & totius synodi, manu propria concremavit: & errore abnegato, catholicam professionem quam in Turonensi concilio fecerat, sub jurejurando iterum renovavit: ita pronuntians. Ego Berengarius, indignus, &c. *ut infra in concilio Romano anni 1059.* an. 1059.

Formam autem hujus juramenti & anathematis ita sancta Ephesina synodus quibuslibet abdicandis hæresibus cap. xv. præscripsit; & de hæresi infamatos, non

tos, non nisi per hujusmodi abdicationem hæresis, expurgari debere decrevit: unde & a Beringerio talem receperunt satisfactionem. Hanc juratoriam professionem Beringerii domnus papa Nicolaus statim per diversa transmisit regna: ut omnes gratias agerent pro ejus conversione, quoniam pridem multum scandalizati sunt de ejus aversione. Sed Beringerius more suo ad proprium vomitum redire non timuit, & ultra omnes hæreticos, Romanos pontifices, & sanctam Romanam ecclesiam verbis & scriptis blasphemare præsumpsit. Nempe sanctum Leonem papam, non pontificem, sed pompificem, & pulpificem appellavit; sanctam Romanam ecclesiam, vanitatis concilium & ecclesiam malignantium; Romanam sedem, non apostolicam, sed sedem satanæ, dictis & scriptis non timuit appellare. Sed hæresim suam, post tot synodicas damnationes, & adjurationes, clanculo per discipulos suos usquequaque non cessavit disseminare, & quoslibet incautos veneno suæ hæreseos inficere.

Unde venerabilis papa Alexander successor Nicolai papæ, litteris eum satis amice præmonuit, ut a secta sua cessaret, nec amplius sanctam ecclesiam scandalizaret. Ille autem ab incepto desistere noluit, hocque ipsum eidem apostolico litteris suis remandare non timuit.

Quapropter reverendissimus papa Gregorius septimus, successor Alexandri, iterum eidem Beringerio audientiam in duabus * synodis generalibus Romæ concessit. Sed cum ipse sectam suam catholicæ fidei contrariam denegare non posset; iterum sub juramento eamdem abdicare, & fidem catholicam profiteri delegit, sicut in superioribus conciliis fecit. Tot igitur conciliis Beringerianam hæresim damnatam percepimus, tum ex fidelium relatione virorum qui eisdem conciliis interfuerunt, tum ex regestis Romanorum pontificum, tum ex scriptis religiosorum virorum, qui de his fidelissime scripserunt. Nam eadem concilia nostris temporibus infra XL. annos celebrata reperiuntur, quot anni ab exordio pontificatus sancti Leonis papæ usque in præsentem annum computantur, qui est ab incarnatione domini MLXXXVIII. Unde & adhuc multi vivunt, qui eisdem conciliis interfuerunt: qui & nobis de eisdem conciliis fidelissime testificati sunt.

Altera anno 1078. ut probabile est: cui Berengarium interfuisse minus hic auctor docet.

Ultimæ quoque generali synodo sub Gregorio papa septimo, anno dominicæ incarnationis MLXXIX. nos ipsi interfuimus, & vidimus quando Beringerius in media synodo constitit, & hæresim de corpore domini, sicut supra diximus, coram omnibus propriæ manus sacramento abdicavit: videlicet sub præsentia Gregorii papæ, Heinrici patriarchæ Aquileiensis, & reverendissimorum episcoporum Petri Albanensis, beati Anselmi Lucensis, Landulfi de Pisa, Reginherii de Florentia, Hugonis Diensis, Altmanni Pataviensis, & reliquorum centum quinquaginta episcoporum, & abbatum, & innumerabilium clericorum.

Altera ann. 1079.

Horum igitur conciliorum tam generalium, & apostolica autoritate tam principaliter firmatorum sanctiones, contra Beringerianam hæresim nobis sufficere debent *Tum post disputationem mere polemicam adversus Berengarii dogma*: Nec necessarium, *inquit*, nobis videbatur, ut singulas Beringerii nænias enumeraremus, & enumeratas singulariter annullaremus: præsertim cum eruditissimi doctores, Lanfrancus inquam, & * Christinus, ambo religione & eruditione Christianissimi, non multo post episcopi, de his enucleatissime scripserint. *Et Concil. general.* Tom. IX.

**Christinum Chiffletius non alium esse putat quam Guitmundum. Vide quibus argumentis.*

post nonnulla: Hæc autem in fine scedulæ simplicioribus fratribus, nostris inquam similibus, fraterna præmonitione suggerimus. *Quibus verbis, monachum se prodit: atque ut putat Chiffletius ex conjecturis quas affert, Benedictinum.*

CONCILIUM ROMANUM II.
in quo, damnato Berengario, Lanfrancus sententiam absolutionis retulit, anno ML. tempore Leonis papæ IX.

Anno Christi 1050.

QUO tempore ista synodus Romæ celebrata fuerit, Hermannus Contractus in chronico, anno 1050. indicat breviter his verbis: *Dominus papa post pascha synodum item Romæ collegit.* Qua de causa celebratum, quidve in ea actum fuerit, ostendit Lanfrancus in commentario quem contra Berengarium edidit, his verbis: *Tempore sancti Leonis papæ delata est hæresis tua* (alloquitur Berengarium ipsum) *ad apostolicam sedem. Qui cum synodo præsideret, ac resideret secum non parva multitudo episcoporum, abbatum, diversique ordinis e diversis regionibus religiosarum personarum, jussum est in omni audientia recitari quas mihi de corpore & sanguine domini litteras transmisisti. Portitor quippe earum legatus tuus, me in Northmannia non reperto, tradidit eas quibusdam clericis. Quas cum legissent, & contra usitatissimam ecclesiæ fidem scriptas animadvertissent, zelo Dei accensi, quibusdam ad legendum eas porrexerunt. Itaque factum est, ut non deterior de te quam de me fuerit exorta suspicio, ad quem videlicet tales litteras destinaveris: putantibus multis, me fovere ac favere quæ a te dicerentur; vel gratia, qua te diligerem; vel fide, qua revera ita esse indubitanter tenerem. Igitur cum a quodam Remensi clerico Romam perlatas recitator legeret, intellecto quod Joannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communi de eucharistia fidei adversa sentires: promulgata est in te damnationis sententia, privans te communione sanctæ ecclesiæ, quam tu privare sancta ejus communione satagebas. Post hæc præcepit papa ut surgerem, pravi rumoris a me maculam abstergerem, fidem meam exponerem, expositam plus sacris autoritatibus quam argumentis probarem. Itaque surrexi: quod sensi, dixi: quod dixi, probavi: omnibus placuit: nulli displicuit.* Hactenus de synodo Romana Lanfrancus, in qua damnato, ut vidisti, Berengario, ipse Lanfrancus absolutionis sententiam retulit.

Tempus concilii.

Berengarius condemnatus, Lanfrancus absolutus.

In hoc eodem concilio contra Berengarium a Leone pontifice celebrato, idem pontifex decrevit pallium Dominico patriarchæ Veneto, eidemque privilegium concessit, ut crucem ante se deferret: patriarchalemque sedem approbavit, & episcopis Venetiæ provinciæ & Istriæ scripsit, ut huic tamquam primati suo obedirent, eumque revererentur. Hæc ex scripto chronico Andreæ Danduli. Quæ omnia renovata & confirmata ab Alexandro secundo in concilio Mantuano, idem autor affirmat. Sicque plane translatus fuit patriarchatus Gradensis in Venetum, qui hactenus titulo Gradensis sedis potitus erat.

NOTÆ GABR. COSSARTII S. I.

Romæ habitam hoc anno synodum discimus tum ex Hermanno, cujus verba paulo ante legisti, tum ex actis Remensis concilii, cujus sessione secunda statutum est, ut archiepiscopus Remensis, & Dolensis episcopus, medio Aprili, Romano concilio interessent. At cum in annis etiam consequentibus a Leone concilia Romæ habita sint post pascha, atque id moris ipsi fuisse dicat Anselmus monachus in fine actorum concilii Remensis: cur huic potius,

Tempus concilii.

ANNO CHRISTI 1050.

quam consecutis conciliis prima illa Berengarii damnatio tribuatur, mox dicemus in notis ad concilium Vercellense. Recte autem admonet vir clarissimus Franciscus de Roye, in eruditissima dissertatione de Berengario, bis lapsum esse autorem vitæ Lanfranci, quod & hoc concilium Leoni VIII. Pont. Max. tribuat; & Berengarium dicat eo responsales clericos duos pro se misisse. Nam in Romano concilio, neque per se, neque alium ullum auditus est: neque clericos duos nisi ad Vercellense misit.

Quis in hoc concilio Lanfranco locus.

Locum in hoc concilio vir idem eruditissimus Lanfranco inter abbates tribuit: qui anno tantum MLXIII. hoc est, annis post hoc concilium tredecim, abbas fuit. Alius hic erat Lanfranco in synodo locus, ad quam, ut ait ipse, non tantum episcopi & abbates, sed *diversi ordinis religiosa personæ* magno numero convenerant.

Cur ad concilium venerit.

Aliud est, quod eidem erudito viro excidit: venisse Romam eo anno Lanfrancum ad placandum pontificem, qui Normanniam totam, propter Guillelmi ducis cum Mathilde consanguinea matrimonium, interdicto multaverat. De hoc enim interdicto egisse Lanfrancum, non cum Leone IX. sed cum Nicolao II. qui post annos omnino IX. pontificatum adiit, discimus tum ex Lanfranci vita; cujus autor, Lanfranci ipsius ætati suppar; tum ex Beccensi chronico, in quod ex ea vita pars ista transfusa est. Illius autem interdicti nulla, opinor, nisi in duobus his locis mentio.

a** *DE IOANNIS SCOTI LIBRO cujus in his contra Berengarium conciliis frequens mentio.*

GABR. COSSARTII S. I. ADMONITIO.

IOANNIS Scoti de eucharistia librum non alium esse puto, quam qui extat hodie sub nomine Bertrami. Primus hoc detexit Petrus de Marca Parisiensis archiepiscopus, eaque de re scripsit eruditissimam epistolam ad D. Lucam Dacherium, quæ Spicilegii Tomo II. ipso in limine est edita. Præcipuum illius argumentum est, quod excerptus ex codice Ioannis Scoti locus, quem mox in Ascelini epistola leges, totidem verbis eo in libro, qui dicitur Bertrami, reperiatur. Deinde librum suum Scotus Caroli Calvi jussu scripserat, ut ait Berengarius in litteris ad Ricardum; Bertramus pariter in epistola nuncupatoria, principis imperio adactum scripsisse se profitetur. Ioannes Scotus Paschasium impugnabat; in Paschasium Bertramus totus est.

Berengarii ad Ricardu epist. infra.

Vnum est in quo assentiri sententiæ hujus illustrissimo eruditissimoque autori non possum; quod opus istud jam inde ab ortu suo sub ementito Bertrami nomine delituisse credit: id agente scilicet Ioanne ipso Scoto, ut hac tanquam larva tectus, hæreseos invidiam declinaret. Primis enim temporibus, nulla Bertrami mentio, perpetua Ioannis Scoti. Hincmarus, Berengarius, Lanfrancus, Guitmundus, Durandus, Ascelinus, synodi Romanæ, Vercellensis, Parisiensis, omnes Ioannem Erigenam, Scotum operis illius agnoverunt autorem: ac ne semel quidem exprobrata est aut cōmemorata nominis illa fictio, quam ignorare non poterant, si librum, quem sciebant dicebantque esse Ioannis Scoti, alterius inscriptum nomini videbant. Primus Sigebertus opus hoc Bertramo adscripsit. Ratramno tribuit Anonymus a Cellotio nostro in Appendice miscellanea ad storiam Gottescalci editus, quem Sigeberto recentiorem arbitror.

Est autem operæ pretium animadvertere, quod nuper in publicis de Theologia disputationibus pari eruditione ac facundia docebat Bullionæus princeps Emmanuel Theodosius dux Albretanus, nunquam visa simul opera illa duo, quorum alterum Ioannis Scoti diceretur, alterum Bertrami. Nono, undecimo, duodecim & sæculo, liber Ioannis Scoti legebatur; duodecimo & consequentibus, Bertrami. Magnum indicium unius ejusdemque operis (præsertim cum id aliunde tam multa persuadeant) primum sub uno, deinde sub alio nomine prodeuntis.

ANNO CHRIST 1050.

a** BERENGARII AD LANFRANCUM epistola, cujus mentio in Romano concilio.

Edita To. II. Spicilegii Dacheriani.

Fratri Lanfranco Beringarius.

PERVENIT ad me, frater Lanfrance, quiddam auditum ab Ingelranno Carnotensi, in dissimulare non debui ammonere dilectionem tuam. Id autem est, displicere tibi, immo hæreticas habuisse sententias Ioannis Scoti de sacramento altaris, in quibus dissentit a suscepto tuo Paschasio. Hac ergo in re si ita est, Frater indignum fecisti ingenio, quod tibi Deus non aspernabile contulit, præproperam ferendo sententiam. Nondum enim adeo sategisti in scriptura divina cum tuis diligentioribus Et nunc ergo, Frater, quantumlibet rudis in illa scriptura vellem tantum audire de eo, si opportunum mihi fieret, adhibitis quibus velles, vel judicibus congruis, vel auditoribus. Quod quamdiu non fit, non aspernanter aspicias quod dico. Si hæreticum habes Ioannem, cujus sententias de eucharistia probamus: habendus tibi est hæreticus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, ut de cæteris taceam.

Hanc epistolam primus edidit Dacherius ex bibliotheca regia, ac deinde Franciscus de Roye in dissertatione de Berengario: quorum posterior illam ipsam esse, quæ in Romano concilio prolata fuit, ex eo probat, quod intellexit concilium ex his litteris, *quod Berengarius Ioannem Scotum extolleret, Paschasium damnaret, communi de eucharistia fidei adversa sentiret.* Quæ tria in hac epistola præstat. Addo ego certissimum id esse ex postrema hujus epistolæ periodo: conferatur modo cum his Berengarii verbis in epistola ad Ascelinum: *Verba autem mea de Ioanne hæc fuerunt: non pervidisse omnia illius: quæcumque autem vidissem ad eam rem pertinentia, recitare me posse ex scriptis illorum, quos præfixeram habendos esse hæreticos in epistola ad Lanfrancum si Ioannes ille hæreticus haberetur.*

a** CONVENTUS BRIONENSIS in quo Berengarius convictus, anno domini ML. Leone IX. pontifice: Henrico I. Franc. rege: Guillelmo Notho Normanniæ duce.

DAMNATUS *Romæ Berengarius venenum suum spargere non cessavit. Quo vero in Normannia successu, discimus ex opere Durandi Troarnensis abbatis de corpore & sanguine Christi: cujus hæc sub finem, verba sunt:* Is autem (Berengarius) dominicæ Incarnationis anno *1053. Normannorum finibus irrepsit, & ad cœnobium, quod Pratellis nuncupatur, appulit; catholicoque viro, qui idem strenue regebat cœnobium, a quo & honeste satis exceptus fuerat, multa blasphemus impie delatravit: quod ipse quoque, eodem abbate, Ansfredo nomine, referente, dum apud me super tanta impietate valde quereretur, non multo post agnovi. In multis itaque subtiliter ab eodem abbate pertentatus, in multis perinde reprehensibilis & perfidus est repertus. Qui inde digressus, Normannorum principem* festinus adiit, quem sua quoque irretire perfidia subtiliter attentavit. Verum ille licet ætate, adolescentiæ necdum excederet annos: tamen illum, quia catholicæ fidei merito præditus erat, & gratia, callide suspendit: secumque, quoad regni sui ad mediterraneam perveniret sedem, Brionam vocabulo, detinuit. Vbi undique coactis catholicis ac sapientibus viris, super eadem re disponebat conflictum haberi. Eo ergo ventum est, & res sequenti die ventilanda proposita. Cumque multi ex tota Normannia sapientes, qui plurimi & clari

** Corr. 1050.*

** Guillelmus erat, is qui deinde Rex Angliæ.*

ANNO CHRISTI 1050.

clari habebantur, convenissent: præfatum hæresiarcham Berengarium cum alio quodam, quem secum adduxerat, clerico, in cujus eloquentia victoriæ sibi spem posuerat, ita coram omnibus confutaverunt, atque evidenti ratione superaverunt, quatinus eis silentium imponerent, verborumque quibus fidem catholicam tuebantur, assensum ab eis extorquerent. *Narrat deinde, ipsum Carnutum petiisse: clericis illius urbis interrogantibus nihil respondisse: sed mox ad eos litteras dedisse, errorum adversus catholicam fidem, & maledictorum in Leonem pontificem plenas. Quorum omnium tempus designat Durandus*, cum instaret constituta dies concilii postmodum Vercellis habiti.

NOTÆ GABR. COSSARTII S.I.

[..]mpus [..]us con[..]tus.

Conventus hujus annum certissime designat Durandus, dum habitum esse docet paulo ante Vercellense concilium, quod anno ML. Kal. Septembr. celebratum, ex nostris ad illud notis mox intelliges. Quod ergo annum MLIII. notatũ apud eumdem legimus, mendum est manifestissimum Quis autem in designando rerũ quibus ipse interfuit tempore, non aliquando labatur? præsertim si non annales digerit, sed ex occasione narrat: quod hoc loco Durandus facit. Quid si scripserit Durandus, minus quidem Latine, sed ut temporibus illis, *anno ML in Normanniæ finibus irrepsit*: & pro, in, legerit Amanuensis, III detrita forte postremæ litteræ media lineola. Vndeunde vitium profluxerit, legendum esse ML. nemini ut spero dubium erit, qui id modo legerit, quod ad Vercellense concilium mox annotabo.

Opponitur, Pratellensis monasterii ædificationem anno MLIII. adscribi in chronico Beccensi: nullum ergo fuisse Pratellensem abbatem anno ML. quem Berengarius adiret. Royus in doctissimis suis vindiciis, chronico Beccensi VVillelmum Gemmeticensem aliosque opponit, ex quibus intelligitur constitutum esse hoc cœnobium ante annum ML. Addo ego vetustiora esse quoque illius initia Nam ex Gilberti Candelarii Pratellensis monachi codice MS. cujus verba describit Arturus Monasteriensis, in Neustria pia, discimus Eimardum Fontanelle sem monachum a Radulpho abbate suo ad regendum Pratellense monasterium missum esse, eique præfuisse annis decem. Obiit autem Radulphus ille Fontanellensis abbas anno MXLVII. itaque annis decem ante Ansfredum abbatem, si non perfectum, at certe inchoatum erat Pratellense monasterium Beccense igitur chronicon vel errasse dicamus, vel locutum de perfecto monasterio, quod dudum ante inchoatum fuerat.

Ætas Guilelmi anno 1050.

Ad ætatem Guilelmi ducis quod attinet: subductis omnibus reperio, annos tum XXIII. natum fuisse. Octennem enim fuisse cum dux renuntiatus est discimus ex *a* Orderico: adeptum autem hanc dignitatem anno MXXXV. doceat Ordericus *b* idem, & VVillelmus *c* Gemmeticensis. Emendandus igitur Ordericus *d*, apud quem Guillelmus moriens anno MLXXXVIII. ait se annos LXIV. vixisse: scribendum enim LVIII. emendandus etiam, cum dicit ibidem Guillelmus se ducem fuisse annis ferme LVI scribendum enim L. non tantum ex initis a me modo rationibus, sed etiam ex alio Orderici *e* loco.

a Lib. 1. & 7.
b Ibid.
c Lib. 6. 13.
d Lib. 7.
e Lib. 1.

ANNO CHRISTI 1050.

CONCILIVM VERCELLENSE, in quo damnatur Ioannis Scoti liber, & Berengarii doctrina, celebratum Kalend. Septembr. anno domini ML. Leone IX. pontifice: Henrico I. Franc. rege.

QVÆ in hac synodo contra Berengarium actitata fuerint, in prædicto Lanfranci contra eumdem Berengarium commentario his verbis recensentur: *Dehinc * declarata est Synodus Vercellensis, quæ tunc proximo Septembri, eodem præsidente pontifice, est celebrata Vercellis, ad quam vocatus non venisti. Ego vero præcepto & precibus præfati pontificis, usque ad ipsam synodum secum remansi. In qua in audientia omnium, qui de diversis hujus mundi partibus illuc convenerant, Ioannis Scoti liber de eucharistia lectus est ac damnatus; sententia tua exposita ac damnata; fides sanctæ ecclesiæ, quam ego teneo, & tenendam adstruo, audita & concordi omnium sensu confirmata. Duo clerici, qui legatos tuos se esse dixerunt, volentes te defendere, in primo statim * auditu defecerunt, & capti sunt. Ab hac sententia nunquam discessit sanctus Leo in omnibus suis conciliis, seu quibus ipse præsentiam suam exhibuit, seu quæ per legatos suos in diversis provinciis congregari instituit. Quæ sententia non effugit successorem quoque suum felicis memoriæ papam Victorem.* Hucusque Lanfrancus de synodo Vercellensi; cujus meminit etiam Guitmundus in commentario, quem scripsit de corpore & sanguine Christi, eidemque præfuisse Leonem pontificem tradit.

* nempe in concilio Romano ejusdem anni.

* al. aditu

Lib. 1.

NOTÆ GABR. COSSARTII S.I.

Hermannum anno ML. hoc concilium adscribentem secuti omnes erant: donec prodeunti nuper Durandi Troarnensis abbatis libello, qui annum ML II. designat, adhærere nonnulli maluerunt. Veterem epocham asserit Franciscus de Roye, tum argumentis plurimis, tum hoc præsertim, eoque, ut diffiteri nemo potest, certissimo: quod anno MLIII. Beneventi Leo pontifex a Iunio ad exeuntem annum moratus est, immo, ut aiunt nonnulli, ad consequentis Martium. Septembri ergo, interesse Vercellensi concilio non potuit: lapsumque esse vel Durandum, vel ejus exscriptorem necesse est. Qua de re vide, quæso, quid modo ad conventum Brionensem annotaverim.

Recentiorem epocham infirmasse, priscam confirmasse est. Eam tamen lubet, ut symbolam etiam meam conferam, peculiari argumento asserere. In Remensi concilio anni MXLIX. vocatus fuerat, ut supra legisti, Dolensis episcopus cum cæteris Armoricæ antistitibus ad concilium quod medio Aprili (anno scilicet ML.) Romæ celebrandum erat Non adfuerunt: quapropter eos excommunicavit Leo papa per litteras, ad Brittonum principem datas, quas supra edidimus; additque: *Quod si excusare se rationabiliter va uerint, Vercellensi concilio Kalendis Septembris futuro præsentes intersint: nosque ibi, si Deus permiserit, erimus, causas eorum audituri.* En igitur post concilium Romanum anni 1050. Vercellense concilium, eodem anno, Septembri mense Quid aliud quærimus? Septembri habitam hanc synodum didiceramus ex Lanfranco: habitam Kalendis Septembr. ex hac una Leonis epistola discimus.

** ASCELINI ET BERENGARII litteræ mutuæ, post Vercellense concilium datæ.

Editæ a D. Luca Dacherio cum Lanfranco.

I.

Fratri Ascelino Berengarius.

LONGE aliter vobis scribendum fuerat, si mihi id liberum vis divina fecisset: quod quia non fit, scribendum vobis utcumque putavi. Per vos igitur transiens disposueram omnino nihil agere cum quibuscumque de eucharistia, priusquam satisfacerem in eo episcopis, ad quos contendebam secundum evangelicam & apostolicam scripturam. Inde factum est, ut nihil pene vobis opposuerim, nihilque consenserim in colloquio illo, ad quod quam indigne tunc conveneras, ut omittam cæteros, si rem consideres, non latebit. Inde factum est, ut etiam tacuerim ad damnabilem & sacrilegam illam VVillelmi sententiam, quam pronunciavit, omnem hominem ad mensam dominicam debere ad pascha accedere. Vt ergo ad rem veniam, audivi nunc jactitare VVillelmum, quod negare nequiverim hæreticum esse Ioannem Scotum. Quod falsum esse, testis mihi es, si satis meministi verborum meorum: quamvis hæreticum habeas tu quoque Ioannem Scotum: quam inconsiderate, quam impie, quam indigne sacerdotio tuo, non diutius te nescire permittat, ille de quo apostolus fidelibus promittit, *sed & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit.* Sapis enim contra omnes naturæ rationes, contra euangelicam & apostolicam sententiam: si cum Paschasio sapis, in eo quod solus sibi confingit, sacramento dominici corporis decedere panis omnino substantiam. Verba autem mea

Philip. 3.

mea de Ioanne hæc fuerunt: non pervidisse omnia illius, sicut etiam nunc verum est: quæ autem vidissem ad eam rem pertinentia, recitare me posse ex scriptis illorum, quos præfixeram habendos esse hæreticos in epistola ad Lanfrancum, si Ioannes ille hæreticus haberetur: cæterum si quid in illo viderem non satis delimatum, facile me improbaturum esse. Hæc & vere dicebam, & in nullam excussionem ex transitu venire contendebam, propter caussam superius dictam. Duo tantum protulit ille, sicut nosti, vir optimus, quæ a me audita ad eum pervenerant. Convincere ipsa verba in consecrationem panis instituta, non decedere sacramento panis materiam: & non esse virgam episcopalem, animarum curam. Horum prius ego, sicut meminisse potes, confirmavi: & ita planum est, ut sufficiat hæc sentire & convincere etiam puerulus in schola constitutus, qui vim juncturæ verborum non instrenue callet. De secundo, immo dixi, & confirmavi, & confirmo, virgam illam esse animarum curam: ut facile advertere posset, qui vellet, quid sentirem. Et nunc quod apud episcopos agere susceperam, vellem, si mihi tutum fieret, saltem apud vos agere in audientia quorumcumque. Sed quamdiu non possum, obsecro per nomen domini, ne falsum testem te facias, quod Ioannem illum ego damnaverim: moneoque ut caveas, & ab evangelico illo væ:
Luc. 11. ut *qui tenetis clavem scientiæ, ipsi non introitis, & introeuntes introire non sinitis.* Memineris etiam illius propheticæ ad populum detestationis, ubi ait:
Isa. 30. *Populus enim ad iracundiam provocans est, & filii mendaces: qui dicunt videntibus, nolite videre; & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt.* Sicut ad me dixit in audientia tua Arnulphus vester, ut permitterem vos, sicut instituti essetis, sentire. Quamquam totus in eo sim, ne quis transgrediatur terminos patrum, evangelistæ, apostoli, Ambrosii, Augustini, Hieronymi. Quod ita se habere, si mihi fiat copia tecum agere, quantum de tua vigilantia certissimus præsumo, luce clarius pervidebis. Scripsi tibi hæc utcumque: interim opportunitatem a domino colloquendi tibi expectans. Vale.

G. C. Convictus Berengarius in Brionensi conventu & aliis, cum sibi non constitisset, rursusque errores doceret suos: ægre ferebat dici ab iis qui colloquiis istis interfuerant, damnatum a se Ioannem Scotum. Illam itaque veluti maculam hac epistola eluere conatur: aliaque addit, quæ ad præsens argumentum non spectant.

Datas post Vercellense concilium has litteras ostendit Ascelini responsio; ante Parisiense, mentio quam bis hic facit Berengarius, episcoporum, quibuscum agit.

II.

** *DOMINO BERENGARIO frater Ascelinus.*

LITTERAS tuas nuper lætus suscepi, sperans festinum nobis tuæ correctionis significari gaudium: quibus perlectis lætitia mea versa est in mœrorem, cum pristinum adhuc affirmare non destiteris errorem. O Deus! ubi est illa vivacitas, illa subtilitas, illa prudentia, quibus affatim pollere solebas? Cum etiam illa quæ in colloquio nostro dicta sunt, ut majora taceam, si non dissimulas, oblitus sis. Illam sententiam VVillelmi dico, quam pronuncias dixisse, omnem hominem in pascha debere ad mensam dominicam accedere. Quam si sic proferret, sacrilega utique judicari deberet: sed hanc aliter fuisse prolatam testes sunt qui interfuerunt. Tunc enim dictum fuit, quod & nunc testificamur: omnem Christianum debere in pascha de mensa dominica communicare, nisi pro aliquo crimine a se perpetrato a tam salubri sequestretur convivio: hoc autem nullomodo fiat, nisi solo præcepto confessoris sui; alioquin claves ecclesiæ annullantur. Sed ut ad me redeam, omni re considerata, non indigne me ad prædictum colloquium convenisse credo. Attuli enim mecum, quod quamdiu vixero, adjuvante divina virtute, certum, indubitabile, nullisque eventibus violabile in sacrario cordis retinebo: panem scilicet & vinum in altari, Spiritus sancti virtute, per sacerdotis ministerium, verum corpus, verumque sanguinem Christi effici. Quod scriptura attestante, satis evidenter probatur, si non sinistra interpretatione temeretur. Ioannem vero Scotum, nec inconsiderate, nec impie, nec indigne sacerdotio meo habeo: quem toto nisu, totaque intentione ad hoc solum tendere video, ut mihi persuadeat, hoc videlicet quod in altari consecratur, neque vere corpus, neque vere Christi sanguinem esse. Hoc autem astruere nititur ex sanctorum Patrum opusculis quæ prave exponit. Quorum illam sancti Gregorii orationem hic annotari sufficiat. *Perficiant in nobis tua, domine, quæsumus, sacramenta quod continent: ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus.* Quam exponendo prædictus Ioannes, inter cætera fidei nostræ contraria, *specie*, inquit, *geruntur ista, non veritate.* Quod non catholice dictum, si bene tuam vigilantiam novi, non ignoras: præsertim cum id in sæpe dicto colloquio non negaveris, quando eandem orationem cum expositione sua ex Ioannis libro recitavi. Verum tunc, quod & nunc, objecisti nobis, te libellum illius nondum ad finem usque perlegisse. Unde satis mirari nequimus, te, tantæ scilicet prudentiæ virum, tantopere laudare quod ignoras: neque enim, si noveris, te laudavisse crediderim. Novit namque prudentia tua, sic cavenda esse verba hæreticorum, ceu pocula veneficorum, quæ prius dulciter mulcent, ut postmodum letaliter necent. Cæterum cum Paschasio aliisque catholicis non solum sapio, sed etiam veneror, & amplector, verum corpus verumque sanguinem Christi a fidelibus in altari sumi sub specie panis & vini. Sed neque hoc, ut dicis, contra naturæ rationes ago: neque enim aliud naturam dixerim, quam Dei voluntatem. Quis enim sane sapiens caussam rerum naturam vocet? aut non potius omnium naturarum, & ex natura sui generis nascentium, voluntatem Dei esse fateatur? Porro voluntas Dei tam efficax est, & omnipotens, ut ejus velle solum, fieri sit: ac per hoc voluisse illum aliquid, fecisse. *Omnia enim quæ-* Psal. 134.
cumque voluit dominus fecit. Voluit autem panem & vinum, quod in altari, sancti Spiritus consecratione, per ministerium sacerdotis conficitur, vere suam carnem & sanguinem potentialiter creari; creando vero, quotidie mystice immolari. Quod & ipse patenter insinuat in hujus sacramenti exordio discipulis suis dicens: *Accipite & comedite:* Matth 26.
hoc est corpus meum. Ac ne leviter acciperent, vel qualecumque corpus putarent (membra enim Christi dicuntur quique fideles: ac per hoc, corpus) adjecit claritudinem, & ait: *quod pro vobis tradetur:* similiter & de calice: *qui pro vobis ef-* Ibidem.
fundetur. Ecce quomodo nos instruit Redemptor noster: ecce quomodo aperit & exprimit quod corpus, quem sanguinem nobis commendet: panem & vinum discipuli carnalibus intuebantur oculis, & audiebant a veritate: *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: & , hic sanguis meus,*

ANNO CHRISTI 1050.

meus, qui pro multis fundetur. Quid apertius? Quid clarius? Quid dulcius? O quam sanum astruere? Quam periculosum niti refellere, quod veritas asseverat? Hoc evangelistæ testantur, apostoli concionantur, sancti doctores tractanti, si recto intellectu percipiantur.. Quisquis autem illorum bene dicta prave interpretatus fuerit: quid de eis mereatur, ipse viderit. Neque vero mirari, vel diffidere debemus, Deum facere posse, ut hoc quod in altari consecratur, virtute Spiritus sancti, & ministerio sacerdotis uniatur corpori illi quod ex Maria virgine Redemptor noster assumpsit: quippe utrumque substantia corporea, utrumque visibile; si reminiscimur, nos ipsos ex corporea & incorporea, ex mortali & immortali substantia esse compactos: si denique firmiter credimus divinam humanamque naturam convenisse personam. Edisserat mihi cinis & pulvis, secundi, vel tertii rationem; & tunc se sufficere credat ad primi expeditionem. *Quis enim cognovit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit?* (Isa. 40.) Hæc tibi breviter responderim, ostendens me cum Paschasio neque contra naturæ rationes, neque contra euangelicam & apostolicam sapere sententiam. Denique per nomen domini me obsecras, ne faciam me falsum testem, quod Ioannem nobiscum damnaveris: quod libenter observabo. Verum de hoc testis sum verus, quod supra dictam illius expositionem in oratione Gregoriana, ipsa veritate constrictus, nobiscum improbasti. Ad ultimum, timeo ne illud væ euangelicum, unde me cavere mones, in caput tuum, quod absit, retorqueatur. Clavem enim scientiæ voluens, ipse non introire videris, quoniam universali ecclesiæ dissentis: & quibus persuades quod sentis, nimirum introeundi aditum claudis. Quod vero domnus Arnulphus cantor subjecit, videlicet ut permitteres nos sicut instituti essemus sentire: bene & sapienter protulit, tuæque saluti, si velles, compendiose consuluit. Deterruisset enim te, si posset, ne per te solum, vel si qui sunt, per tuos socios, viam mutareништereris, quam doctores nostri tam sancti, tam sapientes, tam catholici, adeo rectam, adeo delimatam, adeo protritam nobis ostenderunt, ut nullus qui eam tenuerit, exorbitet; nullus qui non tenuerit, non exorbitare nequeat. Sed hæc hactenus. Nunc te familiariter exoratum velim, ut ab hac perversa intentione desistas, neve nobis inauditas, vanasque credulitates ingeras, neve tibi tam libere committas: evangelicæ illius gallinæ alis nutriendum te humiliter submittere non detrectes, ne præclarum illud ingenium, quod tibi Deus concessit, infatuetur, & ideo foras ejiciatur, & ab omnibus conculcetur. Pudeat te patrocinari librum, quem Vercellis in plenaria synodo damnatum, te quoque propter eum hæresis macula notatum, audivimus. Redi ergo, precor, ad catholicam & apostolicam traditionem, ut & in te compleatur illud apostolicum quod mihi direxisti: *Sed & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit.* (Philip. 3.)

ANNO CHRISTI 1050.

** CONCILIVM PARISIENSE, in quo damnatus Berengarius coram Henrico I. Francorum Rege, XVII. Kal. Novemb. anno domini M L.

CELEBRATI *huius concilii unus meminit Durandus Troarnensis: qui postquam de Brionensi conventu disseruit, deque litteris a Berengario ad Carnotenses clericos datis:* Cum autem, *inquit*, tanti mali fama crebresceret, & omnium corda fidelium vehementius percelleret, perque multos hujusmodi virus latenter & operte jam serperet: contigit, ut ad aures etiam Regis Francorum Henrici perveniret, qui consultu sui regni pontificum, procerumque, concilium Parisius cogi decimo septimo Kal. Novembris præcepit, ac præfatum Berengarium, ut aut sua dicta patrum autoritate firmaret multis sibi obnitentibus; aut si ea defendere nequiret, in catholicam cui obviare non posset fidem prudenter transiret, interesse tantorum cœtui patrum imperavit. Interea condicta venerat dies, frequensque conventus præsulum, ac reliquorum sancti ordinis clericorum, necnon nobilium laicorum Parisius factus est. Sed jam dictus Berengarius malæ conscientiæ perculsus terrore, ut jussus erat eo venire distulit: seque cum Brunone suo, videlicet episcopo Andegavensi, sub quo archidiaconi fungebatur honore, pro eo maxime continuit, quia eodem errore, ut pote tanti viri credulus & ipse noscebatur involui. Interea præsul Aurelianensis quosdam apices in scheda haud parva digestos in conspectu omnium, & regis, intererat enim, protulit. Et præcipiat, inquit, vestra sanctitas has litteras a Berengario editas, si libet recitari: quas ego quidem ab ipso nequaquam accepi, sed cum eas cuidam suo familiari, nomine Paulo, per veredarium dirigeret, violenter rapui. Quibus susceptis, & ad recitandum traditis, omnium aures eriguntur, ora in silentium componuntur, corda ad intelligendum, quæ continebantur in eis, præparantur: sed inter legendum multum repente fit murmur, & per singula absurdi sensus verba gravis instrepit fremitus. Itaque omnibus talis lectio, quoniam nequissima sordebat hæresi, vehementer displicuit. Damnato proinde communi sententia talium autore, damnatis ejus complicibus, cum codice Ioannis Scoti, ex quo, ea quæ damnabantur, sumpta videbantur, concilio soluto discessum est: ea conditione, ut nisi resipisceret ejusmodi perversitatis autor, cum sequacibus suis, ab omni exercitu Francorum, præeuntibus clericis cum ecclesiastico apparatu, instanter quæsiti, ubicumque convenissent, eo usque obsiderentur, donec aut consentirent catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur. *Addit eos in alio postea concilio, nempe Turonensi anno 1055. errorem abiurasse, moxque ad vomitum rediisse.*

NOTÆ GABR. COSSART. S.I.

Convocatum hoc concilium intellexerat Baronius ex Theoduini Leodiensis episcopi ad Henricum regem epistola, quam mox subjiciam: sed habitum non esse, eadem ipsi epistola persuaserat. (Baronius ad ann. 1055.) Arbitrabatur nimirum, Henricum dissuadenti Theoduino assensum esse. Secus autem omnino esse, a Durando Troarnensi, quem Baronius non viderat, docemur.

Diem XVII. Kal. Novembr Durandus adscribit: & revellere hunc limitem religio est. Neque vero cur hæc synodus a Francisco de Roye V. Cl. ante Vercellensem collocata sit, causæ quidquam video. Nam quod ait Durandus, *instabat tempus concilii postmodum Vercellis habiti* id non ad Parisiense concilium refert, sed ad Berengarium respondere interrogantibus tunc temporis cunctantem. Immo Parisiense concilium non commemorat, nisi post factam de Vercellensi mentionem: exiguam illam quidem, sed quæ ad consilium suum satis esset, nempe ut causam indicaret Berengariani silentii. Hoc enim loco Durandus, quod animaduertendum est, ea duntaxat enarrat quæ adversus Berengarium in Gallia gesta sunt, in Brionensi conventu, in Parisiensi consilio, ac denique Turonensi: Romanas synodos quatuor ne appellat quidem, Vercellensis mentionem facit, nomine uno tenus, ob eam quam dixi causam: ne-

Anno Christi 1050.

que de ipsius actis una est apud ipsum littera.

Cur ergo coacta Parisiensis synodus, siquidem in Vercellensi confecta res erat? Quia forte causabatur Berengarius, Vercellis neque se auditum esse, cum abesset; neque legatos suos, cum primo statim aditu, teste Lanfranco, defecerint. Contumax erat hæresiarcha, Vercellensi non parebat iudicio: ad id per Gallicanam synodum adigendus. Aliæ subesse, quas ignoramus, causæ potuerunt. Quod autem opponitur, causari Theoduinum in epistola sua, Berengarium a Romano Pontifice nondum esse damnatum: id vero neque scripsit Theoduinus, ut mox legenti constabit; neque vero scribere potuit, cum Romanæ synodi iudicium ignorare non posset.

Hoc addo, non esse disceptatam in hac synodo Brunonis causam, quantum intelligere ex Troarnensi abbate possumus; & Theoduini consilia Henricum regem eatenus secutum esse. Quid enim ille suadebat? Hoc unum præcipuum (nam appendicis loco cætera) ut supersederetur iudicio, donec *acciperetur Romanæ sedis audientia*, hoc est audiendi & cognoscendi potestas, *cum episcopum non oporteat damnationis subire sententiam, præter apostolicam autoritatem*. Cæterum Brunonem multis purgat Royus in dissertatione jam a me laudata.

Hanc porro Theoduini epistolam hic edendam putavimus: ex qua, præter cætera, id quoque intelliges, scripsisse illum, non quod a Rege exquisitum esset ipsius super habenda synodo consilium, sed quod indictam eam esse, fama accepisset.

Epistolam Baronius Durando Leodiensi episcopo tribuit. sed pridem animadversum est, istius non esse; quippe qui anno 1025. obierit, annis omnino sex antequam Henricus regnaret; sed Theoduini, qui eiusdem civitatis episcopus anno 1048. creatus est. En tibi illius epistolæ partem.

* Corr. Theoduinus.

*Gloriosissimo & invictissimo Regi Francorum Henrico, Durandus * Leodicensis antistes, temporalis regni gubernationem ita moderari, ut in æternum cum Sanctis ab omnipotente Deo merito debeat coronari.*

Fama supremos Galliæ fines prætergressa, totam Germaniam pervasit, jamque omnium nostrum replevit aures, qualiter Bruno Andegavensis episcopus, item Berengarius Turonensis, antiquas hæreses modernis temporibus introducendo, astruāt corpus domini, non tam corpus esse, quam umbram & figuram corporis domini: legitima conjugia destruant, & quantum in ipsis est, baptismum parvulorum evertant. Quos ad revincendum & publice confutandum, eo zelo, eoque fervore, quo erga sanctam ecclesiam divina inspiratione plurimum semper ardetis, aiunt vos concilium advocasse, ubi tandem illud totius nobilissimi regni vestri, heu nimis turpe opprobrium, de medio auferatis, & in æternum, si fieri potest, ab ipsa omnium hominum memoria deleatis. O pia voluntas, & vere rege dignissima! Quæ utinam effectum habere posset, ut in tanto sacrilegio convictos, quod certe facillimum est, absque ulla dilatione debita ultio consequeretur.

Sed desperamus id fieri posse, cum Bruno existat episcopus: episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam, præter apostolicam autoritatem. Igitur omnes, quicumque sumus filii matris ecclesiæ, in maximo dolore positi sumus. Nam plurimum veremur, si illis miserrimis & perditissimis viris audientia sancti concilii, sicut ipsi de pœna securi postulant, permittatur, cum de tanta præsumptione revictos puniri minime concedatur, gravissima scandala in omnium fidelium populo generari. Certe, quos videbunt impunitos, & nequaquam a sui gradus honore dejectos: eosdem putabunt ab omni concilio, aut vinci non potuisse, aut justificatos esse: eruntque, ut ita dicam, novissima pejora prioribus.

Ergo majestatem tuam omnes exoratam vellemus, ut interim illorum impiam, sacrilegam, & nefariam assertioné audire contemneretis: donec accepta Romanæ sedis audientia, damnandi potestaté haberetis. Quamquam hujusmodi homines nequaquā oporteat audiri: neque tam est pro illis concilium advocandum, quam de illorum supplicio exquirendum. Tunc quippe hæretici audiendi fuerunt, quando hæreses ipsæ, & hujusmodi quæstiones, utpote quæ nondum ad unguem discussæ fuissent, in dubium venire potuerunt: ut per congressum certaminis pateesceret, utra pars staret pro defensione veritatis. Quod idem nunc profecto fieri non oporter, quia creberrimis sanctorum patrum conciliis, tum etiam venerabilium doctorum clarissimis sententiis, ita omnia sunt eliquata, ut ne minimum quidem resederit de omni fece dubitationis. Sed & nos ex multis, epistolari brevitate cogente, pauca exponemus & proponemus exempla, pertinentia ad corpus & sanguinem domini. Ait itaque B Leo papa, &c. *Recitatis S. Leonis papæ, Cyrilli, Ambrosii, Augustini, Basilii, Eusebii, Hilarii, & Toletani concilii verbatim sententiis, ita perorat.* Quamobrem Brunonem & Berengariū jam anathematizatos arbitramur. Quod si ita est, vere illis concilii audientia deneganda est: & cum vestris, cumque nostris episcopis (si ita vobis videtur) cum amico vestro imperatore, cum ipso papa, quæ vindicta in eos statuatur, deliberandum. Est enim justum, ut quorum manus sunt contra omnes, omnium manus etiam contra ipsos excitentur. *Huc usque Theoduinus.*

Integra extat epistola Tomo III. bibliotheca PP. ultima editionis Paris.

BEREGARII AD RICHARDUM EPIST.

Ex bibliotheca regia edidit Dacherius Tom II. Spicilegii.

Data est post concilium Vercellense, cujus meminit: data item post Parisiense cum factam sibi a rege dicat injuriam. Quam enim aliam?

Dilecto fratri Richardo Berengarius, salutem ac sospitatem.

Quia facile vobis factum esse cum rege loqui non nescio: vellem, si videretur & vobis, verbum illi aliquod pro me faceretis, si forte humanitatis, liberalitatis, dignitatisque regiæ, atque Christianitatis reputatione aliqua munificentia compensaret damnum, quod is clerico ecclesiæ suæ injustissime, ac regia majestate indignissime, tantum intulit. Quod si facit, ab immodica culpa, se modica expensa, non modicum exoluit. Si autem non facit, me tamen præsto nihilominus habet in eo uno servire regiæ majestati, ut satisfaciam secundum scripturas illi & quibus velit: injustissime damnatum Scotum Ioannem, injustissime nihilominus assertum Paschasium in concilio * Vercellensi, perverse & regio auditu indignissime exposuisse illi clericos Carnotenses (si ita res acta est quomodo ad me pervenit) sententiam de eucharistia, quam in scriptura habêt gloriosæ memoriæ Fulberti episcopi: quam quidam ipsius episcopi putant fuisse sententiam, sed est B. Augustini: *Væ* autem *prophetis qui prophetant de corde suo, qui dicunt, hæc dicit dominus, cum dominus non sit loquutus.* Propter Ascelinum dico, quod beati Augustini verba ad pravitatem sui erroris detorquere non timuit: sicut quidam compatriota illius, qui apud Pictavum inter discutientes eandem beati Augustini sententiam, hanc conjecturam non est confusus inferre. Propheta dicit transitorium sacramentum, quod per fauces transiret in ventrem. Quod autem hoc minus fidelitatis meæ servitium refugiat: noverit quæ scribit Ioannes Scotus, monitu illum scripsisse precarioque Caroli magni antecessoris sui: qui quantum circa res gerendas

* *Mendose scriptum erat* Vincellensi.

res gerendas perstrenuus, tantum circa religionem A devotus, ne ineruditorum, carnaliumque illius temporis prævaleret ineptia. Erudito vero Ioanni illi imposuit colligere de scripturis quæ ineptiam illam converterent. Vnde ferato portet defuncto patrocinium contra calumnias nunc viventium: ni se malit exhibere indignum successione & sede illius magnifici antecessoris sui, qui etiam circa negotium intelligendarum scripturarum sollicitus, ab erudito vivo viro, non ad tenebrandum veritatis lumen, tale exegit obsequium.

Sacramentum quidem transitorium est: virtus vero quæ per ipsum operatur, & gratia qua insinuatur æterna participatio sacramenti, multorum est, B paucorum communio caritatis. Qui dominum pure diligit, bene ad sacramentum accedit. Mandatum novum, caritas. Testamentum novum, promissio regni cælorum, pignus hereditatis, id est sacramentum communionis.

ANNO CHRISTI 1050.

CONCILIVM COYACENSE, pro reformandis moribus ecclesiæ in diœcesi Ovetensi, æra MLXXXVIII. id est anno Christi ML. celebratum sub Ferdinando rege primo Castellæ, qui cognominatus est Magnus, tempore Leonis papæ IX.

TITVLI CAPITVLORVM.

DECRETA FERDINANDI REGIS, & Sanciæ reginæ, & omnium episcoporum in diebus eorum in Hispania degentium, & omnium ejusdem regni optimatum, æra MLXXXVIII.

PRÆFATIO.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego Ferdinandus rex, & Sancia regina, ad restaurationem nostræ Christianitatis fecimus concilium in castro Coyaca, in diœcesi scilicet Ovetensi, cum episcopis, & abbatibus, & totius regni nostri optimatibus. In quo concilio præsentes extitere Froilanus episcopus Ovetensis, Cyprianus Legionensis, Didacus Asturicensis, Syrus Palentinæ sedis, Gomes Visocensis, Gomezius Calaguritanensis, Ioannes Pampilonensis, Petrus Lucensis, Cresconius Iriensis.

CAPITVLA.

I.

In primo igitur titulo statuimus, ut unusquisque episcopus ecclesiarum ministerium cum suis clericis ordinate teneat in suis sedibus.

II.

In secundo titulo, ut omnes abbates se & fratres suos, & monasteria, & abbatissæ se & moniales suas, & monasteria, secundum beati Benedicti regant statuta: & ipsi abbates & abbatissæ cum suis congregationibus & cœnobiis sint obedientes, & per omnia subditi suis episcopis. Nullus eorum recipiat monachum alienum, aut sanctimonialem, nisi per abbatis sui & abbatissæ jussionem. Si quis hoc decretum violare præsumpserit, anathema sit.

III.

Tertio autem titulo statuimus, ut omnes ecclesiæ & clerici sint sub jure sui episcopi: nec potestatem aliquam habeant super ecclesias aut clericos laici. Ecclesiæ autem sint integræ, & non divisæ, cum presbyteris & diaconis, & cum totius anni circuli libris, cum ornamentis ecclesiasticis: ita ut non sacrificent cum calice ligneo, vel fictili. Vestes autem presbyteri sint in sacrificio, amictus, alba, cingulum, stola, casula, manipulus. Vestes diaconi, amictus, C alba, cingulum, stola, dalmatica, manipulus. Altaris vero ara tota sit lapidea, & ab episcopis consecrata. Hostia sit ex frumento sana & integra. Vinum sit mundum, & aqua munda, ita ut inter vinum, hostiam, & aquam, Trinitas sit significata. Altare sit honeste indutum, & desuper lineum indumentum mundum. Subtus calicem, & desuper, corporale lineum mundum & integrum.

Presbyteri vero & diacones, qui ministerio funguntur ecclesiæ, arma belli non deferant, semper coronas apertas habeant, D barbas radant, mulieres secum in domo non habeant, nisi matrem & sororem, aut amitam, aut novercam. Vestimentum unius coloris, & competens habeant. Intra etiam * dextros ecclesiæ laici uxorati non habitent, nec jura possideant. Doceant autem clerici filios ecclesiæ, & infantes, ut symbolum & orationem dominicam memoriter teneant. Si quis autem laicus, hujus nostræ institutionis violator extiterit, anathema sit: presbyter vero & diaconus, si hujus jussionis destructor extiterit, sexaginta solidos episcopo persolvat, & gradu ecclesiastico E careat.

IV.

Quarto vero titulo statuimus, ut omnes archidiaconi & presbyteri, sicut sacri canones præcipiunt, vocent ad pœnitentiam adulteros, incestuosos, sanguine mixtos, fures, homicidas, maleficos, & qui cum animalibus se inquinant; & si pœnitere noluerint, separentur ab ecclesia & a communione.

V.

Quinto autem titulo decrevimus, ut archidiaconi tales clericos constitutis qua-

Anno Christi 1050. tuor temporibus ad ordines ducant, qui perfecte totum psalterium, hymnos, & cantica, epistolas, euangelia, & orationes sciant. Presbyteri ad nuptias causa edendi non eant, nisi ad benedicendum. Clerici & laici, qui ad convivia defunctorum venerint, sic panem defuncti comedant, ut aliquid boni pro eius anima faciant: ad quæ tamen convivia vocentur pauperes & debiles pro anima defuncti.

VI.

Sexto vero titulo admonemus, ut omnes Christiani die sabbati advesperascente ad ecclesiam concurrant, & dominica matutina, Missas, & omnes horas audiant, opus servile non exerceant, nec sectentur itinera, nisi orationis causa, aut sepeliendi mortuos, aut visitandi infirmos, aut pro regis secreto, pro Saracenorum impetu.

Nullus etiam Christianus cum Iudæis in uno domo maneat, nec cum eis cibum sumat. Si quis autem hanc nostram constitutionem fregerit, per septem dies pœnitentiam agat. Quod si pœnitere noluerit, si maior persona fuerit, per annum integrum communione careat; si inferior persona fuerit, centum flagella accipiat.

VII.

Septimo quoque titulo admonemus, ut omnes comites, seu maiorini regales, populum sibi subditum per iustitiam regant, pauperes iniuste non opprimant, in iudicio testimonium, nisi illorum præsentium qui viderunt aut audierunt, non accipiant. Quod si testes falsi convicti fuerint, illud supplicium accipiant, quod in libro iudicum de falsis testibus est constitutum.

VIII.

Octavo autem titulo mandamus, ut in Legione, & in suis terminis, in Gallæcia, & in Asturiis, & Portugale, tale sit iudicium semper, quale est constitutum in decretis Adefonsi regis pro homicidio, pro rauso, pro saione, aut pro omnibus calumniis suis. Tale vero iudicium sit in Castella, quale fuit in diebus avi nostri Sancii ducis.

IX.

Nono quoque titulo præcipimus, ut triennium non includat ecclesiasticas veritates: sed unaquæque ecclesia (sicut Canones præcipiunt, & sicut lex Gothica mandat) omni tempore suas veritates recuperet & possideat.

X.

Decimo vero titulo decrevimus, ut ille qui laboravit vineas aut terras in contentione positas, colligat fruges: & postea habeant iudicium super radicem: & si victus fuerit laborator, reddat fruges domino hereditatis.

XI.

Vndecimo autem titulo mandamus, ut Christiani per omnes sextas ferias ieiunent, & hora congrua cibo reficiantur, & faciant labores suos.

XII.

Duodecimo quoque titulo præcipimus, ut si quilibet homo pro qualicumque culpa ad ecclesiam confugerit, non sit ausus aliquis eum inde violenter abstrahere, nec persequi infra dextros ecclesiæ, qui sunt triginta passus: sed sublato mortis periculo, & corporis deturbatione*, faciat quod lex Gothica iubet. Qui aliter fecerit, anathema sit, & solvat episcopo mille solidos purissimi argenti. *f. deturpatione.

XIII.

Tertio decimo titulo mandamus, ut omnes maiores & minores veritatem & iustitiam regis non contemnant: sed, sicut in diebus domini Adefonsi regis, fideles & recti persistant, & talem veritatem faciant regi, qualem illi fecerunt in diebus suis. Castellani autem in Castella talem veritatem faciant regi, qualem fecerunt Sancio duci. Rex vero talem veritatem faciat eis, qualem fecit præfatus comes Sancius. Et confirmo totos illos foros cunctis habitantibus Legione, quos dedit illis rex dominus Adefonsus, pater Sanciæ reginæ uxoris meæ. Qui igitur hanc nostram constitutionem fregerit, rex, comes, vicecomes, maiorinus, sago, tam ecclesiasticus, quam sæcularis ordo, excommunicatus, & a consortio sanctorum segregatus, & perpetua damnatione cum diabolo & angelis eius damnatus, & dignitate sua temporali sit privatus. Finis. *Hæc ex Cod. Cordubensi.*

*** CONCILIVM SIPONTINVM, a Leone IX. celebratum, in quo depositi archiepiscopi duo, anno domini ML. Anno Christi 1050.

HVIVS *concili memoriam debemus VViberto, cuius, in sancti huius pontificis vita, hæc verba sunt:* zelo sanctæ religionis fervens præsul venerandus, apud Sipontum habito concilio, duos deposuit ab officio archiepiscopatus, qui cum mercede sanctum assumpserant ministerium, vitio elationis unus ambiens præcellere alterum. *Hæc tantum VVibertus, nec alibi usquam synodi huius mentio.* L. 2. c. 6.

CONCILIVM ROMANVM III. in causa Gregorii Vercellensis episcopi, de adulterio accusati, eorumque qui a simoniacis ordinati fuerant, congregatum anno domini MLI. tempore Leonis papæ IX. Anno Christi 1051.

HERMANNVS Contractus in chronico res hujus synodi in causa Gregorii Vercellensis episcopi, paulo fusius quam solet, istis verbis recenset: *Post pascha item dominus papa Leo synodum Romæ collegit, ubi inter alia Gregorium Vercellensem episcopum propter adulterium cum vidua quadam avunculi sui sponsa admissum, & periuria perpe-* Acta concilii quæ.

ANNO CHRISTI 1051.

perpetrata, absentem & nescientem excommunicavit: quem tamen non multo post Romam venientem, satisfactionemque, promittentem officio priori restituit.

In hac eadem synodo ventilatam fuisse quaestionem de ordinatis ab episcopis simoniacis indicat epistola Petri Damiani ad Henricum Ravennatem episcopum: qua cùm ille ordinatos a simoniacis ab aliorum calumnia merito, prout supra constitutum ac decisum fuerat, defendisset, idque ipsis ordinatis gratum esset, libellum edidit, quem *Gratissimum* inscripsit, ideo quod in eodem de illis ordinatis ageret qui omnino gratis a simoniacis ordinati fuerant, quibusque ea de causa idem libellus vere gratissimus foret.

Insuper in hoc concilio Leonem scripsisse decretum de continentia clericorum, quod Constitutum vocabant, testatur Petrus Damianus in epistola ad Cunibertum Taurinensem episcopum: ubi & de feminis, clericis malo usu inservientibus, haec quae sequuntur statuta fuisse tradit: *In plenaria plane synodo sanctae memoriae Leo papa constituit, ut quaecumque damnabiles feminae intra Romana moenia reperirentur presbyteris prostitutae, extunc & deinceps Lateranensi palatio adjudicarentur ancillae. Quod videlicet salutare statutum, aequitatis justitiaeque plenissimum, nos etiam per omnes ecclesias propagandum esse decernimus: quatenus praecepto prius apostolicae sedis edicto, unusquisque episcopus ecclesiae vendicet famulas, quas in sua parochia deprehenderit sacrilega presbyteris admixtione prostratas: aequitatis scilicet jure, ut quae sacris altaribus rapuisse servorum Dei convincuntur obsequium, ipsae hoc saltem episcopo per diminuti capitis sui suppleant famulatum.* Haec Petrus.

Tom. III. opusc. 18. cap. 7.

Caeterum ex succisis vepribus infausta vitulamina rursus exorta, falce apostolica post sanctum Leonem papam amputanda fuerunt per successores pontifices, rursumque radicitus excidenda.

ANNO CHRISTI 1052.

** CONCILIUM MANTUANUM A LEONE IX. CELEBRARI COEPTUM, & factiosorum tumultu abruptum, anno Domini MLII.

Sanctus pontifex, repedans in Italiam, *ait VVibertus in ejus vita*, concilium apud Mantuam habendum constituit: quod factio quorumdam pontificum, severitatem ejus justi judicii timentium perturbavit. Nam familiae eorum fautrices sceleri, subitum contra domni apostolici familiam moverunt tumultum, secure adstantem ante basilicam, in qua publicum habebatur concilium: ita ut vir sanctus cogeretur, a medio consessu surgere, & ante portam ad sedandum strepitum procedere. Cujus praesentiam non veriti, Deo odibiles, magis magisque in nequitia pertinaces, nitebantur ad eum exarmatos confugientes ante oculos ipsius confodere, & a valuis ecclesiae ut ibi tutarentur repellere. Ita ut impetus sagittarum & saxorum circum ejusdem sancti aures & ora volitaret, atque quosdam ejus veste defendi cupientes vulneraret. Qui tumultus admodum difficulter sedatus, coeptum rigorem concilii imperfectum coegit relinqui. Sed in crastinum cuncti hujus seditionis incentores severa examinatione damnandi, a piissimo patre sunt misericordi indulgentia absoluti: ne videretur causa ultionis asperitatem in eos exercere judicii.

Lib. 2. c. 8.

ANNO CHRISTI 1052.

** CONVENTUS EPISCOPORUM.

In quo Icterius a clero & populo Lemovivensi electus est episcopus, & a metropolitano, ac suffraganeis ordinatus, anno Christi MLII.

Omnium Aquitanensium ecclesiarum filiis, tam praesentibus quam futuris, aeternam in Domino salutem.

NOTIFICAMUS fraternitati vestrae, quia defuncto venerabilis memoriae episcopo domno Iordano, ecclesia Lemovicensis multis quassata tempestatibus, & suorum etiam afflicta injuriis, consilio & auxilio eguit: sed Dei misericordia & pietas nobis in tentationibus non defuit. Igitur de subrogando antistite, Dei providentiam & clementiam precati sumus, atque clericorum & optimatum plures, dominum Guillelmum comitem adiimus, & de desolata ecclesia nostra conquesti sumus: utque Deo dignum episcopum afflictae ecclesiae Lemovicensi provideret, rogavimus. Ipse vero afflictiones nostras haud nesciens, nobisque compatiens, & super eligendo antistite haesitans, huc illucque animum vertens, totius Aquitaniae primorum, & ecclesiae nostrae clericorum & casatorum, commune expetiit consilium: rimarique coepit, si quem ubique locorum hujus officii reperiret idoneum. Diu autem alii cum aliis sciscitantes, nullum atque idoneum provisorem, vel ordinatorem sanctae dispersae ecclesiae videntes; postremo sententia cleri & populi, necnon & comitis, totiusque Aquitaniae potestatis, in unum convenit, ut quemdam nobilissimum virum nomine Icterium, multorum testimonio approbatum, moribus probum, hospitalem, benignum, sobrium, & ad omne opus Dei paratum, elegerunt; & ex monogamia, sicut apostolus praecepit, rapuerunt, atque episcopum acclamaverunt. Hic enim nunc ecclesiae praedictae hiatus & fracturas supplere & consolidare valebat. Elegimus ergo illum secundum Domini praeceptum, reluctantem & contradicentem, ex voluntate & consensu domni Guillelmi comitis, & Ademari vicecomitis, omniumque procerum & casatorum, atque totius populi, clericorum quoque, decani vi-videlicet Petri, & praepositi Goffridi, & omnium archidiaconorum, cantoris, atque totius cleri. Elegimus illum, & adhuc eligimus ad regendam ecclesiam beati Stephani Lemovicae sedis: ut sit nobis pastor pius in necessitate, ad succurrendum promptus, & pro omnibus sibi commissis bellator indefessus. Igitur domine Bituricensis metropolitane, ante vestram praesentiam, caeterorumque episcoporum gratia Dei hic adunatorum, venimus rogantes & postulantes, ut hunc clericum a Deo praeelectum, a nobis autem acclamatum, ab apostolico Romano, & omnibus comprovincialibus episcopis collaudatum, ab comite autem & omnibus optimatibus adjudicatum, nobis ordinetis episcopum.

Ergo electus est domnus Icterius anno Domini MLII. ab incarnatione, & ordinatus a praesentibus episcopis, videlicet Bituricensi metropolitano domno Aimone, & Arvernensi episcopo domno decano Rencone, & Gerardo Petrogoricensi, laude & consensu Petri Rutenensis episcopi, Guillielmi Albiensis episcopi, Bernardi Caturcensis episcopi. Electus est autem D. Icterius mense Ianuario, pridie nonas. Anno 22. Henrici regis.

ANNO CHRISTI 1052.

S. Aimo Bituricensis archiepiscopus.
S. Renco Arvernensis episcopus.
S. Geraldus Petrogoric episcopus.
S. Guillelmus Albiensis episcopus.
S. Bernardus Caturcensis episcopus.
S. Hildebertus Gabalitensis episcopus.
S. Stephanus Velavensis episcopus.
S. Petrus Rutenensis episcopus.
S. Guillelmus comes.
S. Ademarus vicecomes.
S. Ademarus Larondensis.
S. Geraldus Petrobuferensis.
S. Aimericus Piscanarensis.
S. Petrus Petrobuferensis.

ANNO CHRISTI 1053.

CONVENTUS SANDIONYSIANUS EPISCOPORUM, ET OPTIMATUM, ubi detectæ & recognitæ S. Dionysii reliquiæ, V. Idus Ianuar. annō domini, ut probabile est, MLIII. Leone IX. pontifice: Henrico I. Franc. rege.

SANCTI Dionysii Areopagitæ corpus a se servari jactabant monachi Ratisbonenses S. Emeranni, furto scilicet, ut fertur in fictitio Leonis IX. diplomate, sublatum ex regio ad Parisios monasterio. Quod velut per aliquot annos amissum, & recens in ruinis repertum, dum magna pompa tranferrent coram Henrico imperatore, immo Leone ipso papa IX. intercedunt regis Francorum nuntii: contenduntque nihil prius statuendum, quam rite inquisitum esset in Gallia, verene sublatum esset S. Dionysii corpus, an ibidem superesset. Visa pontifici atque imperatori justa legatorum oratio: quibus domum regressis, conventus indictus ad V. Idus Ianuar. dataque ad omnes, & ad Ratisbonenses ipsos litteræ, ut cognitioni, quibus liberet, interessent. Adfuerunt tum episcopi, tum cæterorum ordinum viri, maxima frequentia: quibus spectantibus, ibi repertæ sacræ reliquiæ, unde ablatæ dicebantur. Hæc tum ex Anonymo, quem edidit [a] Quercetanus, tum ex Rigordo [b] in vita Philippi Augusti, collegimus. Iuvat autem, omissis cæteris quæ præcesserunt, conventum ipsum Anonymi & Rigordi verbis describere.

a Histor. Franc. To. IV. p. 157.
b Ibid. To. V. p. 18.

Die imminente constituta, *inquit Anonymus*, undique convenit multitudo non modica: in qua contigit fuisse episcopos, abbates, monachos, clericos, nobiles, atque ignobiles. & utriusque sexus quamplures. Quorum consortio non defuit victoriosissimi regis Henrici frater nomine Odo, ab eo directus cum curialium pluribus, ad diligenter percipiendum, & luculenter enarrandum, quo ordine suorum adesse fidelium precibus, optata prospera revelando, dignaretur conditor omnium Dominus: quoniam se agnoscens sarcinis peccatorum depressum, proclamabat indignum corporeis oculis videre tanti viri corpus gloriosum. Sed tamen divinam clementiam fideliter esse credens adfuturam, misit sanguineam purpuram ad involvendam preciosi corporis glebam. In hoc beatus vaticinandus juxta vocem euangelicam, quod non visis rebus fidem adhibuerit devotam, spemque penitus inconcussam. Pridie autem quam hujus nuntii insudaretur proposito, Domini facie generali præventa a fratribus, jejunio scilicet, & sequenti nocte continuata, orationum, vigiliarum, lacrymarumque exercitio: post consummationem officii matutinalis, præsentibus episcopis, præfatorumque ordinum probabilibus plurimis, in afflictione eorum desideria prosperari rogantibus Dominum, reverenter in medio delatum est ar-

A genteum scrinium, prisca adhuc subtilitate artificiosissime munitum. Quo cum magna difficultate reserato in adstantium præsentia, repente preciosissimi martyris Dionysii reperiuntur ossa, pallio tantæ vetustatis nimietate consumpto obvoluta, ut inter manus tenentium evanesceret in similitudinem telæ aranearum. Vnde perfusi suavissimi odoris fragrantia, asseruerunt nullius ad hanc esse delectationis pigmentorum genera.

Tunc inenarrabilis gaudii diu postulata visione, Domini experta pietate, qui numquam sibi placita rogantibus dedignatur adesse, jubilando prorumpunt in laudibus gratiarumque actione, permixtis devotis singultibus inopinabiliter ortæ lætitiæ. Post hæc ablatis vetusti pallii reliquiis, B cum aliisque pignoribus vestimentorum sancti Dionysii sociorumque ejus studiose conditis; ossibusque devotissime ab abbate involutis in pallio ad hoc a rege destinato, magnalia Dei votis poscentium declarata pastores ecclesiastici enuntiaverunt omni populo voce præclara. Qui quanto exultaverunt tripudio, jocunda, qua longiuscule a monasterio prosecuti sunt sacra membra, indicavit processio. Præfato vero Odone regi per ordinem juxta quod viderat alacriter cuncta referente: ille Domino solutis multiplicibus gratiarum actionibus pro collatis ab eo votis fidelium prosperis effectibus, intermissis regiæ pompæ dignitatibus, eodem die gratum duxit venire nudis pedibus, tanti patroni suffragium humiliter asciturus: ibique C se confitens deliquisse in quibus solitum est humanæ fragilitati divinæ conspectum majestatis offendere, seque cum suis omnibus devovens sancti martyris famulatui, & patrocinio, recessit, pro munere pallio magni precii oblato. Delato vero a processione cum præeunte & subsequente plebis frequentia sacro corpore, quindecim continuis diebus dimissum est super principale altare: in quibus ex diversis regionibus causa visitandi, suffragiumque expetendi, plurimi utriusque sexus convenere. Et tunc sibi mutuo ad custodiam succedentibus fratribus, diei noctisque vicibus tamdiu est diligentissime custoditum: donec intromissis litteris indicibus primi croris, & subsecutæ veritatis, seris obicibusque munitum sacros artus con- D tinens subtili artificio scrinium, quampluribus præsentibus, suo priori loculo honorabiliter fuit restitutum.

Sed non prætereundum videtur, aliquorum nomina hic ad posterorum memoriam inserere, qui potiorum dignitatum insigniti claritate, præsentis dicuntur celebritatis gaudio interfuisse, atque omnia quæ tunc gesta narrantur in præsentiarum vidisse: ut eorum testimonio fallax sopiatur opinio, veritatisque subnixæ fiducialius roboretur promulgata traditio.

De episcopali ordine isti convenere: VVido Re- E mensium archiepiscopus, Robertus Cantuariorum archiepiscopus, Imbertus Parisiorum episcopus, Ilenandus Laudunensium episcopus, Balduinus Noviomensium episcopus, VValterius Meldensium episcopus, Froelandus Silvanectensium episcopus. Vnusquisque quorum, clericalis laicalisque ordinis adduxit probabiliores personas secum.

De ordine abbatum isti adfuerunt iterum: in primis domnus abbas Hugo Cœnobii sancti Dionysii, Albertus abbas Majoris-monasterii, Ioannes abbas Fiscannensis cœnobii, Landericus abbas sancti Petri Carnotensis, Robertus abbas sancti Petri Fossatensis, Rodulfus abbas sancti Petri Latiniacensis,

ANNO CHRISTI 1053.

[A]NNO [CH]RISTI 1053.

niacensis, Adalbertus monachus sancti Remigii, qui & ipse asseruit in præsentia imperatoris, in hac patria sanctum Areopagitam Dionysium esse; quando unius mortui hominis corpus pro eo de terra voluit extrahere: Gaufredusque abbas Columbensis cœnobii. Quorum unumquemque, devotos & Dei fideles monachos secum non piguit habere.

Isti autem astiterunt de ordine laicorum: in primis Odo memorati regis frater atque fidelis nuncius, VValterius comes Pontisarensis, VVillelmus comes Corboilensis, Ivo comes Bellomontensis, VValerannus comes Melledensis: & alii nobiles, multique devotæ fidei gregarii milites. *Hactenus Anonymus.*

Rigordus vero ad annum Philippi quintum, nescio qua occasione, digressus ad regum Francorum seriem percensendam: cum cæterorum ferme omnium nomen unum commemoret, ad Henricum Roberti filium ubi pervenit, in hoc describendo conventu moratur, & habet propria nonnulla: quæ cum Anonymi narratione conferat cui vacuum erit. Imperator, *inquit*, misit magnos viros & sapientes in Franciam, ut plene rei veritatem agnoscerent. Visis nuntiis imperatoris, Henricus rex convocavit archiepiscopos, episcopos, & barones totius regni: & cum Odone carissimo fratre suo ad ecclesiam beatissimi martyris Dionysii misit. Facta autem oratione, allata sunt tria vasa argentea, Rustici, Dionysii, & Eleutherii, coram omni populo, diligentissime sigillata. Et aperto vase beati martyris Dionysii, totum corpus ipsius cum capite inventum est, exceptis duobus ossibus de collo, quæ sunt in ecclesia Vergiacensi; & os quoddam de bracbio, quod Stephanus papa III. secum ad Romanam portavit ecclesiam, & posuit in ecclesia, quæ hodie schola Græcorum vocatur. Hoc videntes universi populi, cum lacrymis & suspiriis puras manus levantes ad Dominum, Deo & beatæ Mariæ virgini, & sanctis martyribus se commendantes, cum gaudio recesserunt. Tunc nuncii qui missi fuerant, ad imperatorem citissime revertentes, super his quæ viderant & audierant, imperatorem plenissime certificaverunt. Hoc fuit factum tempore Leonis papæ IX. anno Domini ML. *Hactenus Rigordus.*

ANNOTATIVNCVLA G.C.

Alios fallebant Germani, Galli fortasse seipsos. Vtcumque est, falso apud Rigordum annus huic conventui ML. adscribitur. Primum enim Helinandus Laudunensis episcopus, qui intererat, anno tantum 1052. episcopus creatus est. Deinde habitus est hic conventus post supposititiam S. Dionysii Areopagitæ apud Ratisbonenses inventionem, quæ anno Leonis papæ IV. hoc est, Christi 1051. adornata est. Hoc enim anno consignatum est Leonis diploma, ab illis confictum: quod vel expunctum esset a nobis ex pontificis hujus litteris, nisi cederemus susceptæ jam inde ab initio hujus operis necessitati, totius Binianæ editionis repræsentandæ; vel accusatum falsi, nisi scholion hac de re nostrum properantes operæ omisissent. Vitia ejus omnia fusissime persequitur Dubletius. Quibus ego unum addam, petitum ex indictione, quæ notatur V. Adscripsisset pontificius notarius sextam, quæ labi incipiebat a Kalendis Septembribus.

ANNO CHRISTI 1053.

CONCILIVM ROMANVM IV.

de canonizatione sancti Gerardi Leucorum episcopi, & de limitibus diœcesis inter Aquileiensem & Forojuliensem episcopos controversis, celebratum anno Domini MLIII. tempore Leonis papæ IX.

ANtequam Leo pontifex adversus Nortmannos proficisceretur, *inquit Hermannus Contra-*A *ctus*, post pascha Romæ synodum habuit, in qua, autore Sigeberto, Gerardum Leucorum supra se quintum episcopum in sanctorum numerum retulit. Ex epistola secunda Leonis noni ad Thomam Africanum episcopum aperte constat, in hac synodo definitam esse veterem illam controversiam inter Forojuliensem & Aquileiensem antistites de limitibus diœceseos, statutumque ut Aquileia totius Venetiæ & Istriæ metropolis esset.

ANNO CHRISTI 1054.

*** CONCILIVM NARBONENSE,

In quo treuga & pax confirmata est VIII. Kal. Septembr. anno MLIV. Indict. VII.

Ex archivo archiepiscopi Narbonensis edidit Steph. Baluzius V. Cl. in opere de concordia sacerdot. & imp.

PRÆFATIO.

ANNO Dominicæ incarnationis MLIV. Indictione VII. Epacta nona, concurrente V. octavo Kal. Septembris, conventus erat apud urbem Narbonam, decem venerabilium episcoporum, Bernardi scilicet Biterrensis, & Gonterii Agathensis, & Rostagni Luctevensis, & Arnaldi Magalonensis, Froterii quoque Nemausensis, Guifredi vero Carcassensis, immo Berengarii Gerundensis, C Guifredi Barchinonensis, necnon & Guillelmi Albiensis: inter quos fuere legati domni Guillelmi Vrgellensis, videlicet Berengarii, & Vgonis Vzetensis. Præsidente domno Guifredo prædictæ urbis archipræsule, cujus industria prædicta synodus, opitulante Petro Ramundi comite, atque Berengario vicecomite, cum abbatum & clericorum ac quorumdam nobilium & ignobilium non minima multitudine, ad confirmandam pariter & custodiendam treugam & pacem, & dilectionem quam universalis ecclesia unanimiter instituit, & reformandum ejusdem statum, qui a pravis conculcabatur hominibus, Dominicis obtemperantes D jussibus pro temporalibus commodis commissæ sibi plebi impensis, a summo omnium pastore; ut æterna præmia mereantur adipisci in sæcula.

CAPITVLA.

I.

Primo ergo omnium institutionum nostrarum, quæ in hoc tomo scribenda sunt, monemus, & mandamus secundum præceptum Dei, & nostrum, ut nullus Christianorum alium quemlibet Christianum occidat: quia qui Christianum occidit, sine dubio Christi sanguinem fundit. Si E quis vero, quod non optamus, injuste hominem occiderit, per legem eum emendet. I. DE TREVGA.

II.

Iterum mandamus atque confirmamus ipsam treugam Dei, quæ a nobis * dudum constituta fuerat, & nunc a pravis hominibus disrupta esse videtur: at firmiter deinceps ab omnibus teneatur. Igitur obsecramus per Deum, & monemus, ut nemo Christianorum, quemlibet Christianum requirat ad malefaciendum ab occasu solis quartæ feriæ, usque secundæ feriæ illucescente Sole.

* *circa ann. forte 1041. quo tempore fere ubique recepta.*

Præcipi-

ANNO CHRISTI 1054.

III.

Præcipimus etiam, ut a prima dominica adventus domini, usque octavas transactas epiphaniæ; sive a prima dominica quæ est ante caput jejuniorum, usque transactas octavas paschæ; sive a dominica ante ascensionem domini, usque octavas pentecosten expletas; vel de festivitatibus sanctæ Mariæ, & in vigiliis ejusdem, & in vigilia sancti Ioannis Baptistæ, vel in festivitate eiusdem, atque in vigiliis apostoorum, & in festivitatibus eorumdem, & in vigilia vinculæ sancti Pteri, & in festivitate eiusdem, & in vigilia sanctorum Iusti & pastoris, & solennitate eorumdem, & in vigilia sancti Laurentii, eiusdemque festivitate, & in festivitate sancti Michaelis, & in vigilia omnium Sanctorum, & in festivitate eorumdem, & in festivitate sancti Martini, & in ieiuniis quatuor temporum; in præscriptis ieiuniis, sive festivitatibus, atque vigiliis, nemo Christianorum quemlibet alium Christianum lædat, neque dehonestare, aut deprædare de suis rebus præsumat.

IV.

Hanc treugam domini firmiter custodiri præcipimus: & omnes qui eam tenuerint, & fideliter observarint, benedictionem sempiternam ab ipso Iesu Christo domino & salvatore nostro percipiant, & hereditatem æternæ vitæ sine fine possideant. Illi autem qui rebelles extiterint, vel transgressores, sive qui auxilium eis in aliquo præbuerint, tamdiu anathematis vinculo subiaceant, quousque digne arbitrio proprii episcopi satisfaciant.

V.

Si quis autem voluntarie aut scienter hominem occiderit in hac treuga, aut apprehenderit, aut castrum cuiuslibet tulerit, aut destruxerit, aut in...... indictam treugam insidiando, aut aguitando facere volens comprobatus fuerit: ab omni cœtu Christianorum definitum est ut in omni vita sua perpetuo damnetur exilio.

VI.

Si quis autem aliter alicui aliquam iniuriam fecerit, aut damnum: in iudicio proprii episcopi, aut clericorum eiusdem, quibus idem episcopus commiserit, secundum modum culpæ directionem faciat per iudicium aquæ frigidæ, aut per exilium, sicut statutum est.

VII.

Quicumque vero adpropinquante quadragesimæ tempore, sive ascensionis domini, vel pentecostes, necnon & adventus domini, qui est treugam Domini, castrum vel munitionem construere voluerit: non illi facere hoc liceat, nisi duas hebdomadas, cunctis scientibus, ante prædictum tempus incipiant.

VIII.

De debitoribus vero & fideiussoribus, ut si contendunt ea quæ debent, proiiciantur ab ecclesia: & in illorum parochia nemo faciat sacrum ministerium, usque præscripti debitores reddant debita.

IX.

Oliveta namque, cuius pignoris in ipso aquarum diluvio pacem legimus terris redditam, & de cuius liquore sanctum chrisma conficitur, necnon & altaria sancta illuminantur, sub tam firmam pacem statuimus: ut nemo Christianorum eam præcidere audeat, vel ad deformitatem truncare, neque earumdem fructus rapere. Quod qui fecerit, iuxta quod definitum de cæteris, per treugam Dei ea emendet.

X.

Oves ergo, & earum pastores eas custodientes, similiter in treugam Dei permaneant cunctis diebus, in cunctis locis: ita ut nullus Christianus eas deprædare præsumat, neque illas, neque illarum pastores, lædere, vel invadere. Quod qui fecerit per Dei treugam, hoc totum emendet.

XI. — II. DE PACE.

Pacem autem a nobis sive a principibus olim constitutam mandamus, sive firmamus: ut ab hodierna die & deinceps ecclesiam nullus hominum infringat; neque mansiones, quæ in circuitu ecclesiarum sunt & erunt; neque aliquid ex omnibus, quæ infra xxx. passus sunt ecclesiæ & erunt, violenter auferre audeat, aut præsumere: nisi episcopus, aut cui ipse iusserit, propter suum censum, aut propter hominem excommunicatum: excepta munitione, quæ infra prædictos passus xxx. ecclesiæ sita fuerit ad concitandum bella & contentiones.

XII.

Censemus iterum, ut ne quis hominum terras, vel res cuiuscumque ecclesiæ vindicare præsumat; sine dono & permissione illius cuius eadem ecclesia fuerit.

XIII.

Reditus vero synodales nemo laicorum in opus suum retineat, præter consensum episcoporum, vel clericorum: sed quibus iure debentur omnino restituat.

XIV.

Monemus iterum, ut nullus laicorum in opus suum retineat primitias, neque oblationes, neque cimeteriorum pretia, neque ova, aut ea quæ ad eos dantur per aspersionem salis & aquæ in cœna domini, neque trigintarios qui recte debentur a clericis recipi pro fidelium defunctorum orationibus: sed clericis qui eisdem ecclesiis præsunt, utendos relinquat; nec quicquam

ANNO CHRISTI 1056.

quicquam ex feuo*, quod pro eadem ecclesia tenet, minuere præsumat.

* mendose legebatur fœno.

XV.

Clericis quoque, monachis, atque sanctimonialibus, feminis, & comitibus eorum, militaria arma non portantibus, ut aliquid ex bonis eorum nemo apprehendat, nec rapiendo auferat.

XVI.

Eas vero res, & terras, ac vineas, & cætera, quæ in ius proprium ac dominium canonici, & monachi, sanctimoniales feminæ habent & habere noscuntur, nullus hominum vel feminarum invadere, rapere aut tollere præsumat, nec aliquid inde usurpare; neque per vim, neque per vicariam, neque per districtionem ibi ullam hospitalitatem accipiat: nisi permissionem, vel donum episcoporum vel canonicorum & abbatum, ad quos eadem res pertinuerit, adquirere potuerint.

XVII.

Insuper eas villas, & mansos, terras, & vineas, sive ecclesias, quæ a fidelibus Dei collatæ esse videntur in opus canonicorum, ut commune inde viverent, quæ veraciter sciri potest in hoc opus data esse noscuntur, nullius persona hominum ausus sit habere vel retinere, neque per vicariam, neque per feuum, neque per bajuliam, neque per ullam vocem, sine propria voluntate episcopi, & canonicorum, vel abbatum, canonicorum, ad quos eas res pertinere noscuntur, cum voluntate canonicorum suorum, nisi quantum præscripti canonici cum præscriptis senioribus communiter voluerint.

XVIII.

Statuimus autem, inter vos de contentionibus terrarum, & de debitoribus & fidejussoribus, Dei autoritate, & nostra, ut nemo ex eis vindictam sumat: donec ante proprii sui episcopi, & potestatis, cujus ditionis fuerit, præsentiam veniens, causam suam exponat, ut alicujus eorum iudicio terminetur, atque definiatur. Episcopus autem & princeps regionis ipsius, quibus eadem res pertinuerit ad distringendum, noceat resistenti, & adiuvet obedientem.

XIX.

Nullus etiam Christianorum ullam substantiam villani non apprehendat, nisi tantum corpus suum per forfacturam quam ipse per se faciat, & non distringat eum nisi per directum.

XX.

Caballarium autem nemo apprehendat, ut * redut faciat, neque faciat, neque substantiam ejus tollat, nisi tantum per directum.

* vox corrupta

XXI.

Rapinas & prædas ex quibuslibet Christianorum nemo virorum aut mulierum faciat.

XXII.

Præcipimus etiam, ut equas nemo rapiat, nisi homo desuper inventus fuerit armatus. Aleses vero nemo incendat.

XXIII.

Furi prænotato & publico, latronique atque prædoni, in Christianis nemo auxilium præbeat: neque ad illud agendum eum conducat se sciente, usque ad satisfactionem veniant.

XXIV.

Negociatores, & oratores qui ferunt sportas, nemo sobstantiam eorum apprehendat.

XXV.

Hanc autem institutionem prædictam monemus pariter & obsecramus, ut omnes homines & feminæ in prædictis comitatibus sive episcopatibus degentes firmiter teneant, atque intente custodiant secundum suum posse.

XXVI.

Quod si quis eorumdem hominum vel feminarum prædictam pacem ac institutionem præsumptuose infregerit, & infra XL. dies non emendaverit: noverit se tamdiu extraneum a Christianorum consortio, & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ segregatum, donec ei, cui damnum pertulerit, duplum restituat; & potestati illius terræ, in qua illud actum fuerit, XL. solidos emendet; & episcopo ejusdem terræ emendet, manu propria iurando super altare sedis, aut super quo liberavit, quo episcopus iusserit, quia amplius emendare non debeat pro transgressione excommunicationis; aut emendet ei XL. solidos sine sacramento.

XXVII.

Dicimus iterum, ut hæc institutio ab omnibus firmiter teneatur, sicut superius scriptum est: præter eos qui de suo alode, vel feuo, sive baiulia, institutores extiterint.

XXVIII.

Quam institutionem quicumque transgressus fuerit; obedire nolens supradictis institutionibus: presbyter ei missam non cantet, neque ullum sacrum officium, neque communicet eum, vel sepeliat, se sciente.

XXIX.

Si autem quislibet hominum, vel feminarum, ab hac die & deinceps ausu temerario hujus nostræ institutionis violator extiterit: anathematis vinculo feriatur, & a sancta Dei ecclesia procul pellatur, & ab omnium cœtu Christianorum tamdiu separetur, donec ad satisfactionem indubitanter veniat.

ANNO CHRISTI 1054.

"** CONVENTUS BARCINONENSIS AN. DOM. MLIV.

ANNO salutis humanæ MLIV. convenerunt apud Barcinonem Guifredus Narbonensis, & Raimbaldus Arelatensis, archiepiscopi; episcopi vero, Guislibertus Barcinonensis, Guillelmus Ausonensis, & Berengarius Gerundensis. Quo in conventu lectum est decretum Raymundi comitis Barcinonensis, & Adalmodis comitissæ, adversus invasores bonorum ecclesiæ Barcinonensis. *Ex schedis Petri de Marca Parisiens. archiepiscopi.*

ANNO CHRISTI 1054.

"** CONCILIUM MOGUNTINUM, in quo electus Victor papa II. anno MLIV.

CONtinuator chronici Hermanni, ad annum MLIV. Conventus, *inquit*, ab imperatore Moguntiæ factus est, in quo Gebehardus Eistetensium episcopus, ab episcopis electus, Romamque missus; ibique honorifice susceptus, in sequenti quadragesima, *anni nimirum* MLV. in cœna Domini CLIV. papa ordinatus, Victoris II. nomen accepit.

ANNO CHRISTI 1055.

VITA ET EPISTOLA

VICTORIS PAPÆ II.

Victor quando & a quibus electus pontifex.

VICTOR, cui nomen Gebehardus erat, ecclesiæque Eistetensi magna cum utilitate præsidebat, jussu cleri Romani per Hildebrandum ecclesiæ Romanæ subdiaconum ab imperatore postulatus, Romam adducitur: & consensu universi cleri ac populi pontifex anno Domini 1055. tempore Henrici III. imperatoris eligitur, & in die cœnæ Domini solenniter consecratur. Ab imperatore eum sibi præsentari postularunt, quoniam in ecclesia Romana, ut inquit Leo Ostiensis, persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat.

Res gestæ.

Ad corrigendos pravos usus ecclesiæ Gallicanæ, causasque quorumdam episcoporum cognoscendas, Hildebrandum Romanæ ecclesiæ subdiaconum cardinalem, qui postea factus est pontifex nomine Gregorius VII. legatum a latere in Gallias ablegavit, qui* Lugduni indicto concilio episcopum de simonia accusatum miraculose ad propriam delicti confessionem adegit, dum jussus recitare hymnum glorificationis, in eo, *& Spiritui sancto* nequaquam pronuntiare potuisset. Anno pontificatus sui primo passus est horrendam proditionem, cum ad ejus interitum subdiaconus quidam venenũ (dictu pavendum) in sacrum calicem immisit. Sed Deus duplici miraculo ne pontifex biberet obstitit, & tanti sacrilegii autorem detexit. Lambertus rem gestam sic describit: Huic, nempe Victori papæ, „ subdiaconus toxicum in calicem misit: quem cum „ ipse post consecrationem levare vellet, nec posset, „ a Domino causam facti inquisiturus, cum populo „ ad orationem prosternitur, statimque toxicator a „ dęmone arripitur. Ita igitur causa manifestata, dom„ nus papa calicem cum sanguine dominico cuidam „ altari jussit includi, & pro reliquiis in perpetuum „ conservari. Deinde iterum cum populo tamdiu ad „ orationem prosternitur, quousque subdiaconus a „ dæmonio liberaretur. Hæc Lambertus, Urspergensis, aliive plures.

* *In Gallia quidẽ Lugdunensi: sed quo loco, incertum.*

Ab Henrico imperatore Roma evocatus, in Germaniam veniens anno pontificatus sui secundo, Christi Redemptoris 1056. invenit eum gravi morbo laborantem, & jam animam agentem. Accidit illud sine dubio singulari Dei gratia. Nam paulo postquam coram pontifice peccatorum confessionem egisset, ablata restituisset, ab adstantibus veniam petivisset, filiumque Henricum adhuc quinquennem ab electoribus tunc præsentibus regem constitutum Romanæque ecclesiæ commendatum Victori pontifici obtulisset, magno Dei beneficio per eumdem animam suam Deo obtulit, cum annis octodecim in imperio regnasset. Agnes. Augusta mater puerum quidem religiose educare cœpit: sed cum ex ephebis excessisset, abstractus a matre, factus est hostis Romanæ ecclesiæ, cujus beneficio, per Victorem Romanum, regnum Germaniæ consecutus fuerat. Anno sequente ex Germania in Urbem reversus, excommunicavit Trasimundum comitem Theatinum, qui legatos Constantinopoli redeuntes spoliaverat.

Henrici imperatoris obitus.

Henricus IV. fit rex Germaniæ.

Hujus temporibus, magno totius Germanorum ecclesiæ beneficio, sanctus Anno in cathedra Coloniensi collocatur archiepiscopus: qui Henrico imperatori, a quo graviter exagitabatur, propterea quod libere eum reprehenderet, futurum obitum prædixit.

S. Anno fit archiepiscopus Coloniensis.

Defunctus est Victor papa Florentiæ anno Christi 1057. die 28. Iulii, cum sedisset annos duos, menses tres, & dies quindecim: sepultus est loco eodem quo obierat. Cessavit episcopatus, autore Lamberto, a vigesima octava Iulii ad secundam Augusti per dies quinque.

Obitus Victoris.

VICTORIS PAPÆ II. LITTERÆ, quibus ecclesiæ Silvæ Candidæ privilegia Humberti episcopi gratia amplificat.

Victor episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri & coepiscopo Humberto, & per eum ecclesiæ sanctarum virginum & martyrum, Rufinæ & Secundæ, quæ nominatur Silva candida, in perpetuum.

OFFICII nostri esse dignoscitur, ut ex apice summæ apostolicæ sedis, cui Deo autore præsidemus, universitati ecclesiarum tamquam nostris reliquis membris consulamus. In qua utique, si pia & necessaria solicitudine debemus operam nostram etiam longinquis, & non quærentibus ultro porrigere: multo magis propinquis sequela, merito eam debemus exigentibus prorogare: quia dum tempus habemus, ad omnes debemus bonum operari, maxime autem ad domesticos fidei, juxta magisterium divi apostoli Pauli. Ut enim ipse attestatur, qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. Ad instar siquidem visibilis ignis, invisibilis caritas paucis* viciniora sibi corripit, & inde gradatim ad longinquiora se extendit. Quapropter secundum suggestionem tuam, noster reverendissime confrater, & coepiscope Humberte, ad *aliquam temporalem memoriæ decessori nostro domino Leoni, & jugiter in sancta Romana & apostolica sede, etiam supra vires tuas & facultates hactenus exhibuisti, per hujus nostri privilegii sanctionem decernentes concedimus, & confirmamus tibi, & per te atque propter te in perpetuum, reverendæ ecclesiæ sanctarum virginum & martyrum, Rufinæ ac Secundæ, quæ nominatur Silva Candida, in fundo, qui vocatur Boscus, quicquid auri, argenti, pallii, seu ceræ, vel quarumcumque rerum omnino jactatum, vel positum fuerit, vel oblatum in toto altari majori sancti Petri, sive in ejus venerabili confessione, aut certe sibi, suisque successoribus oblatum ab inchoatione matutinorum quintæ feriæ in cœna Domini, usque dum completorium peractum fuerit, veluti

* *f.* spatia.

veluti in sabbato sancto ab hora tertia per totam ipsam diem, deinceps usque post expletam in crastinum missam, qualescumque, vel quantascumque oblationes præfati altaris, & confessionis ejus, per privilegia venerabilis Sergii, & multorum antecessorum nostrorum, jam dicta ecclesia sanctarum Rufinæ, ac Secundæ promeruit, retinuit, retinet, etiam retineat ad perpetuam animæ nostræ mercedem, nominisque nostri & servitii sui in sancta Romana ecclesia memoriam illarum oblationum, quas eidem sacrosanctæ ecclesiæ per hoc nostrum privilegium adjiciendo concedimus, & confirmamus, sicut superius dictum est: scilicet ab inchoatione matutinorum quintæ feriæ in cœna domini, usque post completorium: salva sibi per omnia, & hoc nostro privilegio eidem in perpetuum reservata, & confirmata confessione, & confirmatione omnium oblationum, quas per privilegia antecessorum nostrorum hactenus accipere, & sibi habere * conservetur: videlicet in die palmarum, in cœna domini, & in parasceve, in sabbato sancto, & die dominica. Neque enim istud nostrum ita adjicimus, ut illud antecessorum nostrorum donum in aliquo minuamus. In qua utique concessione, & confirmatione, nil novitatis arbitramur egisse: scilicet exemplo reverendissimorum prædecessorum nostrorum, & copia sanctæ Romanæ ecclesiæ, inopiam lateralis, & maxime domesticæ filiæ, laudabili liberalitate secundum apostolicam institutionem supplere. Venerabilis apostolicæ sedis censura sub divini contestatione judicii, & anathematis interpositione statuentes interdicimus, ut nullus umquam successorum nostrorum pontificum, vel quilibet publicarum actionum administrator, seu alia quælibet, & quantumlibet magna, parvaque persona audeat, vel præsumat, contra hujus nostræ donationis privilegium cogere, aut aliter quicquam alienare, auferre, aut minuere: sed potius firmum, & stabile in perpetuum, sicut concessum & confirmatum est, permaneat. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu hoc nostrum apostolicæ sedis statutum, in quoquam infringere præsumpserit, & coadjutor illius in aliquo extiterit: autoritate sanctæ & individuæ Trinitatis, & apostolorum principis Petri, cujus licet indigni, dignatione divina, vice fungimur, vinculo anathematis sit mancipatus, & a regno Dei segregatus, & diabolo, & angelis ejus, nisi forte resipiscens satisfaciat, indissolubiliter aggregetur. Qui vero pio respectu observator & defensor hujus concessionis & confirmationis extiterit, potestate beati Petri apostolorum principis, & precibus sanctarum virginum, ac Christi martyrum Rufinæ, & Secundæ, cælestis regni introitum, & gratiam, atque gloriam a justo judice Domino Deo nostro, vitamque æternam percipere mereatur in sæcula sæculorum, Amen. Scriptum per manus Gregorii notarii, & scriniarii S. Romanæ ecclesiæ in mense Maii, Indict. x. Bene valete. Datum octavo Idus Maii, per manus Aribonis diaconi, anno 3. domini papæ Victoris II. Indict. x. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, &c. Si quæ igitur in futurum, &c. Cunctis autem, &c.

ANNO CHRISTI 1055.

CONCILIVM FLORENTINVM,

contra alienatores rerum ecclesiasticarum, celebratum an. Dom. MLV. tempore Victoris papæ II.

Decreta & acta concilii quæ fuerint.

AVTORITATE Leonis Ostiensis constat hanc synodum in præsentia Victoris papæ, & Henrici imperatoris celebratam esse. Constitutum fuisse in ea decretum de bonis ecclesiæ non alienandis, testatur Petrus Damianus in epistola ad Dominum V. episcopum, quæ est duodecima libri IV. In eadem hac synodo damnatum fuisse Berengarium constat testimonio Lanfranci, qui asserit Victorem ipsum in omnibus conciliis quæ celebravit, vel celebranda curavit, cuncta a prædecessore constituta confirmasse: præcipue quæ circa damnationem hæreseos Berengarii per ipsum gesta fuerant. Ait enim: *Quæ sententia Leonis papæ non effugit successorem quoque suum felicis memoriæ papam Victorem. Sed quidquid de hac re seu de cæteris ipse statuit, statuive præcepit, hoc etiam ista sua atque omnium conciliorum suorum autoritate firmavit.* Vide Baronium prædicto loco.

ANNO CHRISTI 1055.

CONCILIVM IN LVGDVNENSI* Gallia celebratum, quo episcopus quidam per Hildebrandum sedis apostolicæ legatum miraculose de crimine simoniæ convincitur, an. domini MLV. tempore Victoris papæ II. celebratum.

* Lugdunen, appellavit Baronius, nullo certo argumento.

Hildebrandus cui indixerit.

HIldebrandus S. Romanæ ecclesiæ cardinalis subdiaconus, quem Victor papa ad corrigendos pravos usus ecclesiæ Gallicanæ legatum a latere miserat in Galliam, Lugduni concilium congregavit; de quo ex antiquioribus gestis Romanorum pontificum a Nicolao Aragonio congestis hæc descripsit Baronius: Eodem tempore, cum simoniaca hæresis totam Italiam & Burgundiam occupasset: idem pontifex misit a latere suo eumdem* archidiaconum Hildebrandum ad ultramontanas partes cum quibusdam episcopis. Cum autem ad Lugdunensem provinciam pervenisset, in ea synodum celebravit: in qua per ipsum archidiaconum Deus maximum dignatus est operari miraculum. Residentibus enim in ea synodo archiepiscopis, episcopis, & aliarum ecclesiarum prælatis: archiepiscopus vir quidam litteratus, & accusatores pecunia corrupit, & sibi amicos fecit. Mane autem facto rediens ad synodum, audacter dixit: Vbi sunt qui me accusant? Exeat in publicum quicumque me voluerit damnare.

* Tunc non nisi subdiaconum.

Tunc, obmutescentibus cunctis, prædictus archidiaconus, tamquam vir discretus & sapiens, convertens se ad illum, dixit: Credisne, o archiepiscope, Spiritum sanctum cum Patre & Filio unam esse substantiam deitatis? Quo respondente, Credo: addidit archidiaconus: Dic *Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.* Tunc ille *Gloria Patri, & Filio,* expedite dicebat: sed Spiritum sanctum nullatenus proferre poterat. Quem cum frequenter inchoaret, & nihil proficeret: videns se per divinum judicium omnino confusum, procidit ad pedes archidiaconi, & confessus est proprio ore se simoniacum esse. Postquam vero a sacerdotali & episcopali officio est depositus, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto,* libera & clara voce decantavit. Quod factum simoniacos in tantum perterruit, quod præter alios prælatos ecclesiarum viginti septem, episcopi quadraginta quinque simoniacos se esse confessi sunt, & suis honoribus absque ulla alia accusatione renuntiaverunt. Celebrata synodo, & aliis rebus rite ordinatis & compositis, legati ad Vrbem redierunt.

Archiepiscopus miraculo arguitur simoniacus.

Eamdem historiam recitant Desiderius abbas Cassinensis, VVilielmus Malmesburiensis bibliothecarius, & Petrus Damiani in epistola ad Dominicum & fratres eremi, & ad Nicolaum papam, his verbis: Interea illud etiam quod Hildebrando Romanæ ecclesiæ archidiacono referente didici, hic inserere operæprecium judicamus. Nam cum adhuc subdiaconatus dumtaxat fungeretur officio, a Victore papa apocrisia-

Tom. III. opusc. 19. cap. 6.

ANNO CHRISTI 1055.

apocrisiarius in Gallias destinatus, synodum congregavit: in qua videlicet sex episcopos diversis criminibus involutos ex apostolicæ sedis autoritate deposuit. Inter quos quidam erat episcopus, qui, quoniam per simoniacam hæresim ad episcopatus culmen irrepserat, Spiritum sanctum verbis exprimere, quibuscumque tentaret nisibus, non valebat. Et quidem Patrem, & Filium expedite satis ac facile proferebat: ad Spiritum vero sanctum cum pervenisset, mox lingua balbutiens tandem rigida manebat. Merito siquidem Spiritum sanctum dum emit, amisit: ut qui exclusus erat ab anima, procul etiam consequenter esset a lingua. Hac igitur difficultate convictus, episcopale * decarceraverit officium. *Hæc Petrus.*

* *renuntiavit*

Vvilielmus Malmesburiensis de gestis regũ Anglorum lib. 3.

Hæc eadem de Hildebrando recitat VVilielmus Malmesburiensis bibliothecarius, ex relatione sancti Hugonis abbatis Cluniacensis, atque in fine ait: Hujus miraculi testis fuit abbas sæpe nominatus, *Hugo scilicet*, qui dejectum episcopum per loca secum ducens, illius rei experimentum sæpe risit: de quorum verborum certitudine dubitantem omnis Europa confutat, quæ Cluniacensis religionis numerum per eum augmentatum non nescit. *Hæc de Hildebrando VVilielmus ex Hugone.*

ANNO CHRISTI 1055.

CONCILIUM TURONENSE,

per Hildebrandum subdiaconum, & apostolicæ sedis legatum, indictum, quo Berengarius abjurata hæresi fidem catholicam est professus anno Domini MLV. tempore Victoris papæ II.

Berengarius hæresim suam abjurat, & fidem orthodoxam profitetur.

AUTORITATE apostolica, per Hildebrandum subdiaconum & legatum a latere, Berengarium post detestationem & abjurationem hæreseos, catholicæ fidei professionem edidisse, scriptor hujus temporis Guitmundus Aversanus archiepisc. testatur his verbis: *Inde Romana ecclesia per beatum Leonem papam hæc Berengariana figmenta mox suo exortu damnavit: deinde per hunc ipsum, qui nunc præest, dominum Gregorium papam, tunc * archidiaconum ejusdem Romanæ sedis in concilio Turonensi convicit: ipsumque Berẽgarium, ut videbatur, correctum, ac propriæ manus sacramento satisfacientem, clementer suscepit.* Lanfrancus agens contra Berengarium testatur idem his verbis: *Denique in concilio Turonensi, cui ipsius Victoris interfuere legati, data est tibi optio defendendi partem tuam. Quam cum defendendam suscipere non auderes, confessus coram omnibus communem ecclesiæ fidem, jurasti te ab illa hora ita crediturum, sicut in Romano concilio te jurasse est superius comprehensum.* Ad hanc synodum Henricus imperator suos legatos misit, per quos conquerebatur, quod Ferdinandus Magnus Castellæ ac Legionis rex, detrectaret Romano imperatori parere, sibique contra jura moremque majorum nomen imperatoris arrogaret. Quæ cum inusitata essent, petebat per eosdem legatos, eum, si non monitus a cœptis desisteret, excõmunicatione percelli, universamque Hispaniam ipsi subjectam interdicto subjici. Petitionem imperatoris justam esse patres concilii, una cum Victore pontifice, judicarunt: ideoque legatos quosdam deputarunt, qui ad Ferdinandum regem profecti, eum a cœptis desistere monerent, simulque eidem intimarent, quod si decreto pontificis & concilii non obtemperet, excommunicationis & interdicti sententias metuere debeat. Hac legatione audita rex episcopos & principes regni convenire, quidve legatis responderi debeat, in consultationem vocari præcipit.

Lib. 3. de sacram.
* lege *subdiaconum*

Henricus imperator legatos misit ad synodum.

Quod cum factum esset, potiori parti visum fuit Romano pontifici obediendũ: adeoque nomine imperatoris & rebellione abstinendum esse. Huic sententiæ rex Ferdinandus acquiescens, respondit legatis se effecturum quod sedes apostolica præcepisset. Hæc ex Ioanne Mariana, aliisve supra recensitis, Baronius anno 1055. numero 23. & sequentibus.

ANNO CHRISTI 1056.

CONCILIUM COLONIENSE,

quo autoritate Victoris papæ Balduinus & Godefridus comites Flandriæ, Henrico regi quinquennali conciliati fuerunt, anno domini MLVI.

Causa & acta concilii.

BALDUINUS & Godefridus ambo Flandriæ comites, hostes erant imperiales, a quibus rex quinquennalis jure sibi metuere poterat. Cum ergo Henricus imperator moriturus, filium suum pontifici commendasset: ille necessarium esse judicabat, ut perduelles imperii, qui regnum intestinis bellis graviter inquietare potuissent, cum rege adhuc puero conciliarentur. Qua de causa generalem synodum Coloniæ celebrandam indicit. *In ea*, inquit Sigebertus, *Balduinus & Godefridus, mediante papa Victore, ad gratiam regis & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus sedantur.* In hac inita concordia redditam fuisse Beatricem viro suo Godefrido par est credere, licet illud autor non dicat. Baronius anno 1056. numero 11.

ANNO CHRISTI 1056.

** EXCERPTA CONC. APUD S. ÆGIDIUM

in provincia Narbonensi habiti circa ann. MLVI. pro confirmanda treuga & pace.

Ex Archivo archiepiscopi Narbonensis edidit Steph. Baluzius V. Cl. ad lib. IV. de concord. sacerdot. & imp.

EX concilio apud sanctum Ægidium peracto, ubi facta est synodalis collatio patrum, episcoporum videlicet Gallicanorum XXII. quorum unanimiter consensus, & par votum, hoc definivit, quod hic titulatum, memorandum mandamus, cum personis suppositis. Hi sunt. Raimbaldus Arelatensis, Laudegarius Viennensis, cum legatis Narbonensis primæ præsulis vice fungentibus, Froterius Nemausensis, Vgo Vceticensis, VVilelmus Albiensis, Bernardus Lutevensis, Geraldus Vivariensis, Petrus Vasensis, Vdalricus Tricastrinensis, Franco Vendacensis, Clemens Cavillonensis, Petrus Aquensis, Pontius Massiliensis, Deodatus Tolonensis, Gaucelinus Forojulensis, Andreas Nicensis, Durandus Vincensis, Bertrannus Regensis, Vgo Senaciensis, Pontius Glandensis, Vgo Dignensis. Hi omnes collecti in unum, tale sancitum dederunt decretum.

I. Canonicam promulgantes sententiam, ut loca canonicorum, ac monachorum cœnobia, vel villas sacris ordinibus ecclesiarum designatas, nullius conditionis persona invadere tentet ab hodie usque in perpetuum, nec hospitalitatis causa, nec ingenio malæ insitæ consuetudinis: nisi cum necessitas coegerit, quantum ad usum naturæ pertinuerit, sine destructione loci.

II. Ecclesias autem, quæ intra castellum aut civitatem fundatæ fuerint, aut in villis, vel in agris, illæ videlicet in quibus ædificium ad debellandum non habetur, vel cum quibus seditio non exercetur, nec malefactorum excursus ad reparanda damna civilia vel communia fieri

ANNO CHRISTI 1056.

fieri comprobatur: hanc pari consensu volunt & definiunt habere potestatem, ut nemo infra terminum xxx. dextrorum circa ecclesias positum quicquam rapere præsumat, nec ulli personæ nocenti aut innocenti malum ingerat, nisi cum ipso termino malefactor damnum intulerit. Hoc excommunicant sub anathemate im perpetuum.

III.

Militibus autem majoribus vel minoribus hoc præcipiunt, ut ab hodie usque in nativitatem sancti Ioannis, nullus arma ferre præsumat quacumque de causa. *Data pridie. Non. Septembris.*

CIRCA ANNUM CHRISTI 1056.

SYNODUS LANDAVENSIS, sub Hergualdo XXIX. ibidem episcopo.

In qua familia regis excommunicatur ob vim illatam per ebrietatem medico & nepoti episcopi in festo nativitatis domini.

Familia Catgucauni regis Morcannue filii Mourici die nativitatis domini visitavit Landaviam bono affectu: & ut dicitur de virga Aaron versa in draconem, animus illius familiæ tardus ad sperandum bonum, velox ad faciendum malum, & ditatus præ nimio gaudio tantæ festivitatis, cœpit bacchari copia potationis, sequestrata discretione sobrietatis, in tantum quod imperfecti viri amissa vi scientiæ & pietatis, devastaverunt unum familiarem & nepotem Hergualdi episcopi, Berthutis nomine, virum justum & medicum totius patriæ. Et facta tam execrabili invasione, & sub ala sanctorum Dubricii, Teliavi, Oudocei, & asylo: misit episcopus legatos suos per omnes ecclesias totius suæ diœceseos obtemperantes sibi infra ostium *Taratir*, super ripam *Gui* & ripam *Tyvi*, ut simul convenirent clerici majoris dignitatis electi tam, quam inferioris apud Landaviam. Et in plena synodo depositis crucibus cum sanctis reliquiis ad terram, & versis cymbalis, simul & clauso ostio ecclesiæ, cum stipatis spinis: & ita carens servitio & pastore remansit diebus & noctibus, facto anathemate familiæ regis & sequestratæ a tota orthodoxæ fidei sorte. Et audita tanta submotione, & dilatata per patriam magno strepitu & murmure, cœpit rex lacrymari pro damnatione familiæ suæ, desiderans potius pacem cum suo pastore, quam participationem perpetratæ injuriæ. Advocatis omnibus comitibus suis requisivit apud Landaviam lacrymabili devotione, simul & familia segregata a Christianorum consortio. Et audita ejus prece, & data sibi venia simul & familiæ juncta cum pœnitentia canonica: dixit rex positis manibus suis super altare Petri apostoli & sanctorum confessorum Dubricii, Teliavi, & Oudocei, & coram utroque populo clericali & laicali: Confirmo hanc eleemosynam, tribuens Deo Henriugunua videlicet, & sanctis prædictis, & episcopo Hervvaldo, & omnibus pontificibus Landaviæ in sempiterna consecratione, liberam ab omni servitio sæculari & regali, & cum data communione incolis, in campo & in silvis, in aqua & in pascuis. De clericis testes sunt, *&c.* Facto anathemate separaturis hanc eleemosynam ab ecclesia Landaviæ & a pastoribus ejus, data autem benedictione servaturis & confirmaturis in quieta pace. Amen.

ANNO CHRISTI 1056.

CONCILIUM TOLOSANUM, XVIII. episcoporum contra simoniam aliaque cleri & populi vitia celebratum anno domini MLVI. tempore Victoris papæ II.

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

Anno incarnationis dominicæ millesimo quinquagesimo sexto, Idibus Septembris, habita est sancta synodus decem & octo episcoporum apud urbem Tolosam, jussu domni papæ Victoris, qui ob funditus extirpandam simoniacam hæresim, ac reparandum sanctæ ecclesiæ statum secundum priscorum scita canonum, vicarios vice sua direxit Rambaldum Arelatensem, & Pontium Aquensem, archiepiscopos, qui adjuncto sibi VVifredo Dei gratia Narbonensi archiepiscopo, aliisque coepiscopis cæterarum urbium, sancti Petri autoritate & prænominati papæ jussione, sanctorum patrum instituta sequentes, hæc in provinciis Galliæ atque Hispaniæ perpetim observanda æstimaverunt.

CAPITULA.

I.

Si quis episcoporum accepta quocumque modo pecunia ordinaverit episcopum, abbatem, presbyterum, diaconum, aut quemcumque alium, qui numeratur inter clericos, ipse gradus sui subiaceat periculo: & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex huiusmodi mercimonio; sed sit alienus eius dignitatis & ordinis quem per pecunias acquisivit.

II.

Item placuit confirmare, sicut scriptum est, ut episcopus, vel abbas, presbyter, ante triginta annos, diaconus vero ante viginti quinque non ordinetur: nisi aut studio sanctitatis aut sapientiæ ornati, providentia episcopi simul & cleri promoveantur. Et eadem ordinatio ne fiat, nisi temporibus secundum canones statutis: aliter quidem irrita fiat ordinatio.

III.

Dedicationes item ecclesiarum eadem sancta synodus per pecunias fieri nullatenus voluit.

IV.

Item placuit, ut nullus clericus, vel monachus, vel alius aliquis pro eis, episcopatum, vel abbatiam, vel presbyteratum emere præsumat. Sed neque comes, vel alia ulla potestas, eadem vendere, aut precium pro eis accipere audeat. Quod si quis hoc transgressus fuerit, nisi resipuerit, & digne satisfecerit, communione privetur.

V.

Statuit item sancta synodus, ut si quis clericorum adipiscendæ abbatiæ causa monachus effectus fuerit, in abbatia quidem monachus permaneat, sed ad ipsum honorem, ad quem adspirabat, nullatenus accedat. Quod si præsumpserit, excommunicetur.

VI.

Item decrevit, ut abbates curam monachorum & monasteriorum exerceant, & eis victum & vestitum secundum regulam sancti Benedicti præbeant: & hoc agentes proprium eos habere nullatenus permittant. Ipsi vero monachi absque voluntate abbatis præposituram aliquam non teneant. Abbas autem vel monachus has institutiones corrigentes, a propriis corrigantur episcopis.

VII.

Placuit quoque presbyteros, diaconos, & reliquos clericos, qui ecclesiasticos tenuerint honores, abstinere omnimodis ab uxoribus, vel reliquis mulieribus. Quod si non fecerint, honore simul & officio priventur, & a propriis episcopis excommunicentur.

VIII.

Inter hæc quoque placuit, noxios diversorum scelerum diversis sententiis refrenari. Et quia audivimus quosdam laicorum nefario ausu res ecclesiasticas suis usibus applicuisse, & iniusto dominio in suum opus retinuisse: idcirco omnimodis prohibemus, ut nemo laicorum abbatiam monachorum, vel clericorum archidiaconatum, neque præposituram, vel honorem presbyterii, vel sacristæ, seu magistri scholæ, neque ullos honores ad ius prædictum pertinentes, ausit suis usibus retinere: & si fecerit, excommunicationi subiaceat.

IX.

Præcipimus quoque ut nullus laicorum aliquid suscipere audeat de rebus aut substantiis defunctorum, nisi quantum ipsi defuncti adhibitis idoneis testibus in vita sua ordinaverint: aut si intestati obierint, ad libitum propinquorum heredum dividantur.

X.

Statuimus etiam, ut ecclesiæ ad sedem pertinentes, quæ solvunt tertium, aut paratam, vel synodum, solito more persolvant episcopis vel clericis. De iis vero ecclesiis, quæ non dant tertium, vel paratam: tertia pars decimarum cum primitiis & oblationibus, quæ de cœmeteriis & defunctis consequuntur, episcopo & clericis assignetur. Simili quoque modo statuimus de ecclesiis ad monasteria pertinentibus.

XI.

Item de ecclesiis in alodiis laicorum constitutis, ut tertia pars decimarum cum primitiis, & presbyterio, & cæteris in potestate presbyteri, ad servitium ipsius ecclesiæ, sub episcopi, vel clericorum ditione permaneant. Qui autem contrarii sanctæ matri ecclesiæ & auferunt & retinent ad suum opus alodia, quæ pertinent ad communitates canonicorum, vel monachorum: nisi resipuerint, & reddiderint ea, prædicto anathemati subdantur.

XII.

Adulteros vero, incestuosos, ac perjuros monemus per domini obedientiam, & Petri apostolorum principis, & domini Victoris, & nostram: ut resipiscant a vitiis hujusmodi, & ad dignam satisfactionem secundum statuta canonum perveniant: & excommunicamus id in futurum fieri nullatenus.

XIII.

Cum hæreticis & cum excommunicatis ullam participationem vel societatem habentem præcipue excommunicamus: nisi correctionis vel admonitionis causa, ut ad fidem redeant catholicam. Si qui autem adiuvantes eos defendere conati fuerint: vinculo simul excommunicationis cum eis subditi permaneant.

Quæcumque superius scripta tenentur, confirmavit & anathematizavit sancta synodus prædictis congregata temporibus jubente papa Victore, regnante Henrico Pio imperatore, sub venerabili Pontio Tolosano comite. Quibus quicumque obedire studuerit, domini benedictione & apostolica repleatur: qui vero contemptor & inobediens extiterit, domini judicio perpetualiter subjectus sit. Firmant & consignant Rambaldus Arelatensis & Pontius Aquensis archiepiscopi, vice papæ Victoris. Consignat VVifredus Narbonensis Dei gratia archiepiscopus. Confirmant domini antedicti episcopi, scilicet, Arnoldus Tolosanus episcopus, Bernardus Biterrensis, Gontherius Agathensis, Arnaldus ..... Bernardus Aginnensis, Raimundus Vasatensis, Arnaldus Magalonensis, Elfandus Aptensis, Petrus Ruthenensis, Froterius Nemausensis, Rostagnus Lutevensis, Heraclius Bigorrensis, Bernardus

Convenensis, Bernardus Consoranensis, Arnaldus Elnensis.

Anno Christi 1056.

CONCILIUM COMPOSTELLANUM,

a Cresconio Compostellano archiepiscopo ad disciplinam ecclesiasticam restaurandam celebratum anno domini MLVI. tempore Victoris papæ II.

Acta concilii quæ?

IN hoc concilio ex schedis Antonii Augustini asserit Baronius, inter alia quæ ad disciplinam ecclesiasticam conservandam spectant, illud sancitum reperiri, Ut sacerdotes omnes, episcopi atque presbyteri missam quotidie celebrarent: Ut clerici tempore jejunii & litaniarum, quoties publica delictorum expiatio indiceretur, cilicio induerentur. Hæc Baronius ex prædicto codice Antonii Augustini anno 1056. num. 16.

Anno Christi 1057.

** CONCILIUM ROMANUM,

a Victore II. celebratum anno MLVII.

ANNO domini MLVII. XIV. Kal. Maii, Ind. X. habuit Victor Papa II. generale concilium Romæ in Constantiniana basilica: ubi inter cætera, Marsorum episcopatus, qui fuerat in duos divisus, antiquum in statum reformatus est, sublata illa scissione: & Acto episcopus, qui tunc partem Marsicanæ diœceseos injuste occupabat, in Theatinam civitatem translatus. *Hoc discimus ex epistola Stephani Papæ IX. quam post eius vitam secundo loco subiiciemus.*

Anno Christi 1057.

VITA ET EPISTOLÆ
STEPHANI PAPÆ IX.

Stephanus quando & a quibus pontifex electus,

STEPHANUS, antea Fridericus appellatus, ex abbate Cassinensi & cardinale presbytero, communi totius cleri consensu invitus factus est pontifex, hujus nominis nonus, anno Christi redemptoris 1057. regnante Henrico IV. Habitis in Urbe plurimis conciliis contra concubinatum aliave plurima vitia cleri, mores ecclesiæ reformavit. Petrum Damiani ab eremo abstractum, creavit episcopum cardinalem Ostiensem. Ad ecclesiam Constantinopolitanam schismate divisam catholicæ & apostolicæ communioni consociandam legationem misit in orientem, qua fungebantur Stephanus cardinalis, Mainardus Silvæ Candidæ episcopus, & Desiderius abbas Cassinensis designatus. Dato illis rerum agendarum commonitorio, præcepit, ut quamprimum possent reditum pararent. De futuri pontificis electione decretum edidit, quod Leo „Ostiensis his verbis describit: Post hæc, congre„gatis intra ecclesiam episcopis, & clero, populo„que Romano, sub districta nimis inhibitione con„stituit, ut si, antequam Hildebrandus Romanæ „tunc ecclesiæ subdiaconus ab imperatrice, ad quã „pro quibusdam reipublicæ negotiis cõmuni con„silio mittebatur, rediret, se mori contingeret, nul„lus omnino papam eligere auderet: sed usque ad „illius reditum sedes apostolica intacta vacaret, ejus „demum ordinanda consilio. Ad invisendum sanctum Ioannem Gualbertum, fama sanctitatis celeberrimum, Florentiam profectus incidit in morbum: & paucis diebus postquam ægrotasset, obiit quarto Kalendas Aprilis, anno 1058. Interea, in„quit Leo Ostiensis, Gregorius Lateranensis, &

Legationẽ misit Constantinopolim.

Decretum de futuri pontificis electione.

Obitus Stephani.

A Tusculanensis comes, comperto Romani pontifi„cis obitu, sociato sibi Gerardo * Galesense, & Ro„manis potentibus aliquot, noctu cum armatorum „turbis ecclesiam una pervadunt, & Ioannem Veli„trensem episcopum, Mincium postea cognomina„tum, papam constituunt, Benedicti illi imposito „nomine. Quod cum Petrus Damianus, vir valde „religiosus, quem eo tempore Stephanus papa ab „eremo extractum in Ostiensi ecclesia episcopũ fe„cerat, comperisset: una cum cardinalibus resistere „ac reclamare cœpit, atque anathematizare. Sed „tamen hi omnes timore perculsi per varia loca fu„gere. Qua ratione autem schismaticus sede expul- B sus fuerit, infra in vita Nicolai II. dicetur.

Anno Christi 1057.

* Galerense,

Benedictus X pseudopapa & schismaticus.

EPISTOLA I. STEPHANI PAPÆ IX.

ad Gervasium * archiepiscopum Remensem.

* Vide Binii notam.

Pro religione fortiter agenti auxilium pollicetur: Bituricensis archiepisc. causam in aliud tempus differt: in urbem ad synodum cum suffraganeis suis eum evocat.

Stephanus episcopus servus servorum Dei, Gervasio Remensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

C PRomotioni nostræ, sicut nobis scripsisti, non ambigimus te gratulari: amicitiam quoque sinceram & volumus & optamus inter nos fore perpetuam. Porro obedientiam fidelitatemque, quam nobis polliceris, te integerrime servaturum, si ut debes, & ut te decet, servaveris: facis quod faciendum optime scis, quod principalem & communem matrem, non modo nos, revereris in nobis. De concilio autem Remis habendo quid aliud dicendum, nisi quod beatæ memoriæ dominus Victor Dei judicio hinc est raptus: & quod tu, sicut inter nos convenit, non remandasti, an in hoc esset regis consensus? Sed & de Bituricensi archiepiscopo, quia dilectus filius noster Hildebrandus, cui illius causa maxime nota est, abest, hoc tantum D respondemus, quod eo revertente, & te cum illo ad nos veniente, tam ex hoc, quam ex aliis ecclesiasticis negotiis tuum consilium habebimus. Ne deficias, aut frangaris, si adversarios pro fidelitate sanctæ Romanæ ecclesiæ, immo pro sanctorum canonum defensione pateris: sciens secundum apostolum, quod in hoc positus sis. Auxilium enim nostrum & consilium tibi pro iustitia agonizanti tempore nostri pontificatus, ad quem nullo meo merito videor assumptus, non deerit: & secundum quod oras, orabimus dominum Iesum, ne a bono proposito aliquando decidas. Cæterum Romæ quinto decimo die post sanctum pascha synodum celebraturi, tuam fraternitatem, cum suf- E fraganeis ejus, volumus, & autoritate apostolica jubemus, interesse absque inevitabili necessitate.

1. Thess. 3.

NOTA SEVERINI BINII.

Ex bibliotheca Papirii Massoni hæc cum quatuor Nicolai, & sexdecim Alexandri II. ad Gervasium Remensem archiepiscopum scripta, prodiit in lucem. In vita Stephani, Nicolai & Alexandri II Papirius pro *Gervasio* scripserat *VVilielmo Remensi archiepiscopo*: illum ego antea male imitatus, in hac editione, pro *VVilielmo*, *Gervasio* scribendum esse censeo; siquidem horum pontificum tempore non VVilielmus aliquis, sed VVido, & Gervasius primus, ut videre est in catalogo Remensium episcoporum, qui est apud Flodoardum, Remensi ecclesiæ præfuisse legitur. Non ille vero Gervasius alter est, cujus Ivo epistola 206. & Sigeberti continuator anno 1114 meminerunt, vixitque tem-

pore

pore Paſchalis II. ad quem epiſtolam quamdam ſcripſit, quam habet dictus Papirius in vita ejuſdem Paſchalis II.

Ex Tomo IX. Italiæ ſacræ.

** II. AD PANDULPHUM MARSICANUM EPISCOPUM.

Marſorum epiſcopatum in duas partes diviſum, in priſtinum ſtatum reſtituit.

Stephanus epiſcopus ſervorum Dei, dilecto confratri & coepiſcopo Pandulpho, cæteriſque ſucceſſoribus epiſcopis in ſancta Marſicana eccleſia canonice promovendis in perpetuum.

In ſpecula ſanctæ & univerſalis eccleſiæ adhuc peregrinantis, quanto cæteris eminentiores apparemus, tanto vehementius concurrere viciſſitudinibus inde debemus. Sicut enim Luna menſtruo curſu deficit, & perficit: ſic in eccleſia militanti temporalibus ſubjecta, continuas* altercationes, & profectus incurrit: cujus defectui, vel diminutioni, ſicut neceſſe eſt ut compatiamur, procul dubio expedit, ut profectui vel plenitudini congratulemur. Quapropter unam Marſicanam eccleſiam inteſtino & diuturno malo, & pluſquam civili diſcordia ſæcularium hominum miſerabiliter diſciſſam, & in duos epiſcopatus contra ſanctorum Patrum canones a Theophylacto dicto papa diviſam, & poſtea permiſſu magis quam conſenſu, neceſſitate quam utilitate, a ſanctiſſimo prædeceſſore noſtro Leone, ſicut inventa fuit, & omiſſam; eandemque ſub beatæ memoriæ deceſſore noſtro Victore, judicio generalis concilii, per divinam gratiam in gremio Baſilicæ Conſtantinianæ aggregatam, quarto decimo Kalendas Maii, Indictione decima, & diviſionem illam unius diœceſeos in duas partes evacuatam, & abdicatam, atque in antiquam ſui ſtatus unionem reformatam, & in perpetuum ipſam, ſicut juſtum fuit; diœceſim unam uni epiſcopo decretam. Inde interventu totius ſanctæ ſynodi, epiſcopo Actone, qui tunc partem Marſicanæ diœceſeos injuſte occupabat, in Theatinam civitatem ſublato, per hujus noſtri privilegii decretalem paginam, deinceps tibi, beatiſſime & confrater & coepiſcope Pandulphe, & ſucceſſoribus tuis in perpetuum concedimus, & ſecundum quod tibi ſynodaliter, ſicut ſuperius dictum fuit, judicatum eſt, firmum Marſicanum epiſcopatum, cum omni ſua integritate & pertinentia (inter quæ nominatim eccleſia ſanctæ Sabinæ antiquæ civitatis Marſorum) ad epiſcopalem ſedem largimur, atque decernimus: necnon & reliquas eccleſias totius Marſicanæ diœceſis cum pertinentiis, decimis, & oblationibus earum, tam pro vivis, quam etiam pro defunctis, ſecundum quod ſancti canones decreverunt: pariterque eccleſiam dominæ noſtræ ſanctæ Dei genitricis virginis Mariæ in Carſeolo cum decimis & oblationibus, immo cum omnibus ſibi pertinentibus tam in caſtro Tupho, & Scavellis, quam...... & alto ſanctæ Sabinæ, & Civitellæ, & Pamperano uſque ad Capiſtrellum, & in tota valle Nerfacendæ. Inſuper autoritate apoſtolica ſancimus, ut quandocumque expedierit, ordinationes clericorum, & conſecrationes altarium ibidem facias, & in monaſteriis, quod tui juris eſt, & ſancti canones cenſent, & reliqua omnia quæ ad epiſcopum pertinent ſine cujuſquam contradictione expleas: ſcilicet intra juſtos terminos totius parochiæ Marſicanæ, tam illius partis quam antea obtinebas, ſive & alterius quam tibi injuſte epiſcopi invaſerant. Hinc apoſtolicæ ſedis autoritate ſubnixi, poteſtatis & confirmationis privilegiũ indiſſolubiliter ſtatuentes, interdicimus ſub divini etiam conteſtatione judicii, & anathematis interpoſitione, ut nullus unquam ſucceſſorũ noſtrorum pontificum, vel quilibet publicarum actionum adminiſtrator, ſeu alia quælibet, vel quantumlibet magna, parvaque perſona, audeat vel præſumat contra hujus noſtræ confirmationis privilegium agere, aut quippiam inde alienare, auferre, aut minuere: ſed potius firmum ac ſtabile in perpetuum ſit, ſicut a nobis conceſſum, & confirmatum eſt. Si quis autem, quod non optamus, temerario auſu hoc noſtræ apoſtolicæ ſedis ſtatutum in quopiam alienare, uel infringere præſumpſerit, & contradictor illius extiterit: autoritate ſanctæ & individuæ Trinitatis, & apoſtolorum principis, vinculo anathematis mancipatus, a regno Dei ſegregatus, diabolo, & angelis ejus, niſi forte reſipiſcat, indiſſolubiliter aggregetur. Qui vero pro reſpectu obſervator & defenſor hujus conceſſionis & confirmationis extiterit: poteſtate ſanctæ Dei genitricis, & ſemper virginis Mariæ, & B. Petri apoſtolorum principis, & precibus beatæ Sabinæ martyris, & omnium ſanctorum, & cæleſtium multitudine angelorum, gloriam a juſto judice domino noſtro Ieſu Chriſto, vitamque æternam percipere mereatur in ſæcula ſæculorum. Amen.

* *f.* continuæ altercationes.

Scriptum per manum......... Notarii & Scriniarii ſanctæ Romanæ apoſtolicæ ſedis in menſe Decembr. Indict. 11.

Datum in Caſtro Caſino v. Idus Decembris per manus Humberti ſanctæ eccleſię Silvę candidæ epiſcopi, & bibliothecarii ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ ſedis, anno primo domini papæ Stephani IX. Indict. 11.

Anno Christi 1058.

VITA ET EPISTOLÆ NICOLAI PAPÆ II.

Nicolaus quando & qua ratione electus.

Nicolaus, cui nomen erat Gerardus, ex Florentino epiſcopo, per cardinales ab Vrbe fugatos, legitime electus eſt pontifex Romanus anno Chriſti 1058. tempore regnantis Henrici IV. Antequam vero conſecraretur & Romam mitteretur, hoc conſilio Hildebrandi prudenter egerunt, ut ad expellendum & facilius ejiciendum e ſede ſchiſmaticum Benedictum, legatione ad imperatricem miſſa, approbatio Henrici regis poſtularetur: ne, fortaſſe hac re intermiſſa rex ſibi injuriam illatam exiſtimans ſchiſmaticis adhæreret, & intruſum defendens, periculum ſchiſmatis augeret. Placuit conſilium, petita & obtenta eſt approbatio electi Nicolai pontificis: ſimulque Godefrido Tuſciæ marchioni demandatum fuit, ut electum in Vrbem inducat, & invaſorem ſedis Benedictum inde ejiciat. Quod cum, teſte Leone Oſtienſi, menſe Ianuario anni 1059. effectum fuiſſet: conſecratus, & Nicolai ſecundi nomine appellatus, Romanæ ſedis invaſorem cum ſuis fautoribus omnibus excommunicavit: tandem interventu quorumdam admiſſum ad communionem apud eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ major a Romanis dicitur, ſacerdotali officio privatum manere conſtituit. Berengarium ſecundo relapſum & perjurum, tertio ad palinodiam, pœnitentiam, & fidei orthodoxæ profeſſionem emittendam ſuſcepit. Conſtitutionem de electione Romani pontificis edidit. Ad Mediolanenſem eccleſiam

Benedictus ſedis invaſor ejicitur.

Berengarium relapſum ad communionem eccleſiæ recepit.

siam a labe simoniæ expurgandam, Petrum Damiani, & Anselmum Lucensem in Romano pontificatu successorem, ablegavit.

In Apuliam profectus, Northmannos ab excommunicatione absolvit, eosque exacto juramento fidelitatis Romanæ ecclesiæ devinxit: ut ea horum præsidio fulta & munita, tyrannidem & rapinam omnem a sede apostolica profugaret. Mortuus est pontifex optimus in fine mensis Iulii, anno Christi millesimo sexagesimo, cum sedisset annos duos & sex menses. Vacavit episcopatus mensibus ferme tribus.

EPISTOLA I. NICOLAI PAPÆ II.

AD GERVASIUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Vt Henricum Francorum regem ob quædam perperam facta corripiat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, Gervasio venerabili archiepiscopo salutem cum benedictione apostolica.

LICET de vestra fraternitate quædam sinistra, nec sine discussione dimittenda, pervenerint ad apostolicam sedem, scilicet, quod ejus invasoribus faverit, quod pontificales actus postposuerit: tamen quia testimonio personæ non levis defenderis, sed potius de fidelitate sancti Petri laudaris, præmissa transimus, & ut verum sit de vobis testimonium optamus. Vos autem omni conamine studete ita vivere, ut vestri non habeant inimici, unde nos possint in vos contristare. Scitis enim quam benigna vobis fuerit communis mater sancta Romana ecclesia, quamque de te magna ei fiducia, ut tua solertia Francorum posset succurrere pene lapsæ ecclesiæ. Proinde agere stude, quod de te speravit apostolica sedes: & vestrum regem gloriosum castiga, precare, admone, ne pravo nitatur pessimorum consilio, qui nostra discordia putant se apostolicam censuram evadere; caveatque sacris canonibus, immo beato Petro, resistere, nosque, qui eum sicut pupillam volumus amare oculi, contra se movere. Satis enim mirari potest, si pro aliquo stulto, sicut est, quem voluit ordinari, Matisconensis episcopus, vult dominum & sanctum Petrum offendere, * nostram caritatem atque sinceram dilectionem circa se parvi pendere. An putat aliquis membrorum antichristi, quod plus non possit ei prodesse gratia beati Petri, quam omnium impiorum perfida fidelitas? Agat itaque gloriosus rex, ut libet, contra nos quamvis: pro illo ejusque exercitu Deum semper precari parati sumus. De duce vero Godefrido nemo vos terreat, cum fuerit opus vos venire Romam: quia non tantum vobis impedimentum non faciet, sed etiam fideliter servitium impendet. Salutant vos, carissimi fratres nostri, cardinales episcopi, nec non humilitas carissimi filii nostri Hildebrandi.

alias, vestram

II. AD GERVASIUM REMENSEM archiepiscopum.

Iubet Belvacensem episcopum simoniace promotum cum Silvanectensi ejusdem criminis conscio ab officio suspendi.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, Gervasio venerabili archiepiscopo Remensi salutem & apostolicam benedictionem.

AUDIVIMUS relatione multorum, quod Beluacensis episcopus, contra statuta canonum, sine vobis, & sine vestro assensu fuerit consecratus, immo execratus; &, quod pejus est, ad episcopatum sublimatus. Accingimini igitur, & fultus hac nostra autoritate, ex parte omnipotentis Dei, autoritate beati apostoli Petri, omne episcopale officium sibi, usquedum ad Romanam synodum in tertia septimana post pascha ante nos discutiendus veniat, interdicite. Si autem in aperto res est, quod pecuniam dederit, omnibus Beluacensibus clericis ac laicis, ut sibi ante prædictum nostrum judicium non obediant, sub excommunicatione, prædicti apostoli Petri autoritate interdicite. Non enim ob hoc promotus est, ut sit episcopus, ut beatus Gregorius dicit, sed ut fiat lupus, & sanctæ ecclesiæ invasor, & detestandus hæreticus. Silvanectensi enim vestro suffraganeo episcopo, si cum pecuniam dedisse præscivit, & vestrum assensum in maledictionis herede benedicendo non habuit: similiter omne episcopale officium, usquedum ad prædictam synodum veniat, & nobis & tibi digne satisfaciat, beati apostoli Petri autoritate interdicite.

III. AD EUMDEM.

Monet, ut ob damna personis & rebus Virdunensis ecclesiæ illata, eidem debite satisfaciat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, Gervasio Remensis ecclesiæ archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

QUONIAM nobis commissum est, & autoritate beati Petri traditum, supra quem fundamentum universalis ecclesiæ solidatum est, quatenus & errata corrigamus, & membra nostro capiti cohærentia, ne dissonent, studeamus: tibi, utpote velut de nostris & sanctæ Romanæ ecclesiæ membris, paterne intimando præcipimus, quatenus per te, quem in gremio matris tuæ, universalis videlicet ecclesiæ, conclusum esse speramus, ne Virdunensi ecclesiæ quæ nobis commissa est cum fratribus, quidquam injuriæ tam per te, quam per tuos inferre amodo patiaris. Quod autem contra ejusdem ecclesiæ fratres nunc noviter, & tu, & tui, damni & injuriæ intulistis, communiter & sanctæ ecclesiæ Romanæ causa, & nostri amore emendare te, omni occasione remota, admonendo jubemus: hoc est, prædam de Postuiler, quæ potestati tuæ contigit, & de Mecla, quam Engobrandus deprædatus est, prædæ, cujus numerus infra scriptus est, ducenta sexaginta quatuor animalia. Clericos autem de eadem ecclesia canonicos, nulla interveniente mora, recludi a captura præcipias: ut pro hac & prædictis rebus studiose peractis, & gratiam apostolorum principis & nostram habere promerearis.

IV. AD EUMDEM.

In gratiam recipitur, & monetur ut cum duce N. pacem ineat.

Nicolaus servus servorum Dei Gervasio venerabili archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

QUIA referente filio nostro G. te in fidelitate beati Petri persistere, ejusque autoritati per omnia reverenter assurgere comperimus: paterna caritate sicut carissimum filium amplectimur, & amplectendo, toto mentis affectu diligimus. Denique quamdiu te fidelem filium exhibebis, nostra paternitas tibi nusquam deerit: immo debita caritate suffragabitur, nostraque autoritate incessanter tuebitur. Quod de episcopo Silvanectensi nobis per filium nostrum mandasti, quia canonicum est, cum eodem filio nostro tibi concedimus. Neque enim justitiæ contraire volumus, pro qua mori, si necesse sit, lucrum putamus. Cæterum de nostro adventu in Franciam, nullam ad præsens tibi scribimus certitudinem. Cum autem ad te noster filius venerit: ipse tam de hoc, quam de omnibus aliis te certificabit. Mandamus autem & præcipimus, quatenus cum duce carissimo filio nostro pacem ineas: ut tui ad nos secure valeant venire, nosque eos possimus audire. Nolumus etenim duos tam carissimos filios in discordia manere.

NOTA SEVERINI BINII.

Hallucinatur Binius. Scripsit Gervasius post obitũ Henrici I. Frãcorum regis. Ejus epistolam habes infra.

Epistola quædam Gervasii ad Nicolaum II extat in fine illarum quæ cum epistolis Gerberti, Ioannis Sarisberiensis, & Stephani Tornacensis ex bibliotheca Papirii Massoni Parisiis impressæ sunt anno 1611. sed eam a Gervasio II. ad Paschalem II scriptam esse patet, primo ex vita Paschalis II apud Massonum ubi hanc ad Paschalem II. scriptam refert: secundo quia scripta est post obitum regis Philippi, qui mortuus est anno 1106. tempore Paschalis II. & Ivonis, qui epist. 206. ejusdem Gervasii II. meminit.

V. PRIVILEGIUM MONASTERIO sanctæ Felicitatis concessum a Nicolao papa II.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei Teibergæ abbatissæ monasterii sanctæ Felicitatis, juxta Florentiam siti, sibique successuris, & in sancto proposito permansuris, in perpetuum.

QUONIAM omnipotentis dignatio suo gratuito munere, nullo digno præcedente opere, ad hoc nostram humilitatem dignata est provehere, quatenus per nos ubique terrarum proprio sanguine redemptæ ecclesiæ lumen administraret indeficiens: profecto rationabile ducimus, cooperante ipso, de quo loqui præsumimus, secundum proprias vires unicuique acceptum talentum distribuere: ne, apparente ipsius majestate, quod absit, sine acquisito lucro velut inutilis servus videamur remeare. Quod utique per divinam misericordiam consequi posse speramus, si membris ejus adhuc per fidem in terra cælestia anhelantibus, præsidia quæ possumus sereno affectu suppeditare curamus. Sic enim, sic profecto supernum nostræ fragilitati conciliamus auxilium, & pura intra cordis hospitium manente intentione, hominum consequimur favorem honestum: cum licet universis debitores simus gentibus, fidei lumine clarentibus; domesticis quoque nostris benevolentiæ studio singularem curam impendimus, magistrum gentium sequentes, qui bonum opus adimpleri præcepit in omnes, ad domesticos fidei maxime. Monasterium itaque sanctæ Felicitatis cum omnibus sibi pertinentibus rebus, quod nostra episcopalis simplex adhuc dispensatio quorumdam prædecessorum nostrorum negligentia destructum, coaptato nobilium sanctimonialium plurimarum collegio, reædificare curavit ex integro: nunc etiam secundum apostolicæ sedis, cui deservimus, valentiam, per nostras manus dedicatum, stabilitate perseveranti roboramus, & confirmamus, atque ut perpetua vigeat religione, sequestrata pravorum infestatione, omnipotentis Dei committimus tutelæ. Cui etiam, sicut dignum nobis videtur, quia incuria Florentinorum episcoporum sua prædia nequiter sunt distracta, & sacrilegorum quorumdam temeritate invasa, concedimus, & apostolica autoritate stabilimus mansos, & fundos venerabili loco pia devotione oblatos, & offerendos, ubicumque veraci relatione ejus nomini fuerint titulati, suoque juri religiosa solicitudine investiti, atque investiendi.

Liberum præterea idem reddimus monasterium, atque absolutum ab omni sæculari & mundana conditione, sive districtione: ne liceat alicui magnæ parvæque personæ, a nobis restituta prædia, firmiterque stabilita, decimales (*proventus scilicet*) quoque quosdam a nobis concessos aliquo ingenio evadere, aut aliqua fraude surripere, sive diminuere, fiscum denique, seu debitam subjectionem exigere: sed maneat venerabilis locus nostra tutela firmatus in sancto proposito; nullique alii sit obnoxius, nisi Florentino episcopo, qui memor nostræ devotionis, suæque fragilitatis, justitiæ norma servata, secundum doctoris gentium præceptum, eisdem sanctimonialibus honorem congruum exhibendo, nil præter blandum dominium requirat ex debito. Si autem, quod non credimus, aliquis temerarius hanc apostolicam sanctionem crudeli mente tentaverit refringere, nostramque institutionem secundum locum lædendo cassare: nisi admonitus resipuerit, ac digne emendaverit, anathematis gladio percutiatur ab omnipotenti divinitate, jaculata sibi de cælo ultione in hac præsenti carne, interficiatque eum Deus spiritu oris sui, dum venerit judicare sæculum. Qui vero nostræ roborationis pius conservator extiterit, in secundo adventu mereatur illam mellifluam vocem audire: *Venite Benedicti Patris mei, percipite regnum.* Præterea ut hæc pagina fidem legentibus astruat: & propriæ manus subscriptione, & apostolici sigilli munire studuimus impressione. *Matth. 25.*

† Sigillum Nicolai papæ.

Ego Bonifacius Albanensis episcopus subscripsi.
Ego Ioannes Portuensis episcopus subscripsi.
Ego Petrus Lavicanensis episcopus subscripsi.
Ego Brunus Prænestinus episcopus subscripsi.
Ego Petrus peccator monachus subscripsi.

Datum Florentiæ sexto Idus Ianuarii, anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi 1059. per manus Humberti sanctæ ecclesiæ Silvæ candidæ episcopi, & apostolicæ sedis bibliothecarii, anno primo pontificatus domini papæ Nicolai II. Indictione decima tertia.

A

VI. AD EDVVARDUM ANGLORUM REGEM.

De confirmatione privilegiorum ecclesiæ VVestmonasteriensis, quam in honorem sancti Petri apostoli rex fundaverat.

Extat infra in Conventu VVestmonasteriensi anno 1066.

** VII. AD ANNAM REGINAM GALLIÆ.

dujus epistolæ Damianus est autor. Extat inter ejus epistolas, lib. 7. ep. 9.

Laudat ejus pietatem: hortatur ut ad virtutem, & virum excitet, & prolem instituat.

B

Nicolaus episcopus servus servorum Dei gloriosæ reginæ salutem & apostolicam benedictionem.

BONÆ voluntatis autori omnipotenti Deo dignas gratias agimus, quia in femineo pectore virile virtutum robur audimus. Pervenit quippe ad aures nostras, præcellentissima filia, serenitatem tuam indigentibus munificentia piæ liberalitatis affluere, devotissimæ orationis studiis insudare, pro violenter oppressis vim districtionis exercere, cæterisque bonis operibus, in quantum tibi competit, officium regiæ dignitatis implere. Hortamur igitur, ut eum quem Deo inspirante semel ingressa es tramitem teneas, invictissimumque virum tuum, filium nostrum, regem, ad pietatis æquitatisque gubernacula moderanda provocare contendas. Si enim eloquentia Abigail stultum Nabal ab irascentis David gladio servavit illæsum: quanto magis devotio tua prudentissimum virum tuum divinis reddet obtutibus gloriosum? Sic denique eum vere diligis, si servare quæ Dei sunt piis exhortationibus facis. Alioquin quo pacto viros suos illæ conjuges amare creduntur, quæ in eis capsas, ut ita loquar, corporum diligunt, sed animarum aurum, quod in eis reconditur, non attendunt? *Habemus* enim, juxta apostolum, *thesaurum istum in vasis fictilibus*: quæ nimirum hoc dumtaxat amplectuntur, quod vermes devorant in sepulcris; illud vesane despiciunt, cui immarcescibilis gloria servatur in cœlis. In carne quippe amorem suum illa constituerat, quæ David se despicienti ironica insultatione dicebat. *Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante oculos servorum suorum, & nudatus est quasi nudetur unus ex scurris?* Quæ profecto quia desiderium suum in sola carne posuerat, carnis fructu debita est animadversione privata. Unde paulo post scriptura subjungit: *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque ad diem mortis suæ.* Tu autem, gloriosa filia, quia fœcunditatis donum divinitus meruisti, sic clarissimam instrue sobolem, ut inter ipsa lactantis infantiæ rudimenta ad creatoris sui nutriatur amorem. Per te igitur discant cui potissimum debeant, & quod in regalis aulæ solio sint nobiles geniti, & quod in ecclesiæ gremio longe nobilius per sancti Spiritus gratiam sunt renati. Noli aliquando pecuniam præferre justitiæ, sed thesaurum veræ sapientiæ inhianter acquire. Regina quippe Saba venit non videre divitias, sed audire sapientiam Salomonis: quas tamen ipsa non petiit, copiosius reportavit. Tu etiam, filia, divinis obediendo mandatis sapientiam posside, ut merearis ad salutem animæ tuæ, & terrenis competenter affluere, & de transitorii regni culmine ad cæleste transire.

1. Reg. 25. — 2. Cor 4. — 2. Reg. 6. — Ibid.

** VIII. AD EPISCOPOS GALLIÆ, Aquitaniæ, Vasconiæ.

Ex Sirmondi apographo.

Decreta promulgata in Romana synodo ann. 1059. nonnulla continet.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, clericis, & laicis fidelibus, tam majoribus quam minoribus, per omnes Gallias in Christo commorantibus, immo Aquitanicis & Vasconibus, salutem & apostolicam benedictionem.

ANNO dominicæ Incarnationis MLIX. anno pontificatus nostri primo, Indict. XII. Romana urbe in basilica sancti Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, sanctam celebrantes synodum, a sanctis Patribus, videlicet CXIII. episcopis, exceptis abbatibus, & clericis religiosis ac laicis celebratam: de statu ecclesiæ sanctæ ad communem utilitatem, Deo propitio, canonice disposuimus. Inter cætera de Nicolaitarum hæresi, id est de conjugatis presbyteris, diaconibus, & omnibus in clero constitutis, ab omni concilio statutū est & corroboratum ita. Quicumque sacerdotum, diaconorum, & subdiaconorū, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi Leonis papæ de castitate clericorum, concubinam palam duxit, vel ductam non reliquit: C ex parte omnipotentis Dei, autoritate beatorum apostolorum Petri & Pauli, præcipimus & omnino contradicimus, ut Missam non cantent, neque evangelium pronuntient, neque epistolam ad Missam legant, neque in presbyterio ad divina officia cum his qui præfatæ institutioni obedientes fuerunt maneant, neque partem ab ecclesia recipiant: quousque a nobis sententia super hujusmodi, Deo concedente, procedat. Et præcipientes statuimus, ut hi prædictorum ordinum, qui ejusdem prædecessoris nostri decreto obedientes hæc servaverint, juxta ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent & dormiant. Et rogantes monemus, ut ad apostolicam, communem scilicet, vitam summopere pervenire studeant: quatenus D perfectionem consecuti, cum his qui centesimo fructu ditantur in cælesti patria mereantur adscribi.

De his autem clericis qui tonsuram projiciunt, & a clericatu recedunt, quos apostatas Iulianistas jure vocitamus: statuimus ut nisi ad professionem clericatus redierint, omni Christiana communione priventur.

De monachis vero propositum non servantibus decrevimus, ut quousque ad propositum redeant, & in monasterio regulariter consistant, communione privati permaneant.

Illi etiam qui peregrinos, vel oratores cujuscumque sancti, sive clericos, sive monachos, vel feminas, seu inermes pauperes deprædati fuerint, vel bona E eorum rapuerint, vel in malum eis obviaverint, anathematis vinculo feriantur, nisi digne emendaverint.

De confiniis cœmeteriorum, sicut antiquitus a sanctis Patribus statutum est, statuimus ita: Ut major ecclesia per circuitum sexaginta passus habeat, capellæ vero, sive minores ecclesiæ, triginta. Qui autem confinium eorum infringere tentaverit, vel personam hominis aut bona ejus inde abstraxerit, nisi publicus latro fuerit, quousque emendet, & quod rapuerit reddat excommunicetur.

Hæc igitur & cætera hujusmodi, quæcumque in sacris canonibus habentur, authenticum sancta synodus præfata fore censuit observandum.

Ex Sirmondi apographo.

** IX. AD R........ COMITEM ARUTENNENSEM.

Hortatur & ecclesiarum & pauperum sit defensor, & monasterio Virdunensi possessiones aliquas, quas injuste detinet, restituat.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, R. Rutenensi comiti dilecto filio salutem & apostolicam benedictionem.

Cognoscentes tui animi propositum, & quod propter regnum Dei & justitiam ejus volueris renuntiare temporali fastigio sæcularium occupationum: confidenter tibi denuntiamus, ut secundũ quod tibi injunximus cum ore ad os loqueremur, B ecclesiis Dei & pauperibus defensorem te opponas, justitiamque eis adquirendo, in conspectu Dei excusatus existas, quod non sine causa gladium portas. Et quia nostrum est te admonere, si qua non negligenda cognoverimus te negligere: orando simul & præcipiendo autoritate apostolica monemus, ut monasterio S. Petri sito Virduni, quod venerabilis vir consanguineus tuus VValeranus abbas regit, curtes, quas in terra possessionis tua habere dinoscitur, restituas: ne, quod absit, ad perditionem animæ tuæ diutius eas retinendo, excommunicationem ab antecessoribus nostris comprecatam invasoribus eorum incurras. Nec volumus dicas, a parentibus tuis, vel uxoris tuæ, eas servis Dei subtractas: quia justus dominus reddit iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Sicur enim conscia C veritatis testatur antiquitas, S. Amantius peculiaris vester patronus eas contradidit servitorum S. Petri usibus.

Ex Sirmondi apographo.

** GERVASII REMORUM ARCHIEPISC. epistola ad Nicolaum II. papam.

Gratias agit de benignitate legatis suis exhibita. De obitu Henrici regis dolere se ostendit, ac pontificem, si in Galliam venerit, debito cum honore suscepturum.

Excellentissimo patri patrum & episcoporum episcopo Nicolao, Gervasius dictus episcopus fidele servitium cum exiguitatis meæ orationibus.

D

GRatias ago divinę primum pietati, vestræ etiam, optime pater, mediocritati, quod non tantum apud vos accusatorum meorum valuit delatio, ut non veridica legatorum nostrorum admitteretur excusatio: nec apostolica censura mihi negaret misericordiam, in quem non sine multorum admiratione tantum inhorruerat. Gratias nihilominus ago vestræ humilitati: quæ, quanta principem & pastorem sanctæ Romanæ ecclesiæ decuit benignitate, nostros legatos sanos accepit, infirmos visitavit, mortuos sepelivit. Etsi enim uni tantum apud vos infirmato & mortuo hæc visitationis & sepulturæ solatia impendistis: in uno tamen cæteros visitastis, E cæteros sepelistis. Cui non ego qui nihil sum, sed tota Remensis ecclesia bonæ conversationis testimonium perhibet. Cujus obitum, cæterorumque, qui pene omnes obierunt, audiens, incredibili tristitia sum affectus: nec unquam non odisse valeo illum, cujus superbia id effecit, ut isti mitterentur. Si enim qualem existimavi legatum misissem, isti nec mitterentur, nec fortasse morerentur: quod vestra prudentia optime recognoscit. Præterea multo gravior angit me tristitia de obitu domini regis: quod etiam vestram non latet prudentiam. Scitis enim quantum infrænes & indomiti sunt nostrates: quorum divisionem, timeo regni nostri fore desolationem. Ad quam evitandam, vestrum mihi consilium & auxilium flagito, quæ nulli regno ut pote pater omnium, negare poteritis: præsertim cum nostro semper debeatis quod optimi viri patriæ deberi censuerunt. De vestro adventu in nostram Galliam quid animi habuerim vivente domino rege, licet diffamatus sim id noluisse, satis ut puto significavi paternitati vestræ: & nunc in eo is mihi animus est, Deo testante, ut non tantum eum desiderem, sed & sitiam: ita ut venientem autoritatem vestram cum tanto gaudio & honore suscipiam, quanto decet Petri vicarium suscipi, & apostolicæ censuræ per omnia cooperator existam. Dicant adversarii quantumlibet me infidelem & rebellem magistratui vestro; ego subjectionem meam vobis profiteor: & quicumque eam vobis negaverint, cujuslibet ordinis sint, mihi communicare non poterunt. Obloquitur etiam adversariis illa obedientia, quam sine omni respectu suspensionis & interdicti vestri conservant, non sine magno damno ecclesiarum nostrarum & nostro. Impedivit quoque meum erga vos famulatum illa suspensio. Ad quod restaurandum, sicut recuperare possibile est, si ita ad cætera redintegranda saltem aliqua spes restaret, de tanto dolore, quasi de gravi somno resurgerem. Est enim mihi animus, nec despero id futurũ, cum gaudio atque reverentia quandoque apostolatum vestrum suscipere, tantumque honoris vobis impendere, quantum personæ & officio vestro convenire manifestum est. Nec nostris temporibus fuisse, vel futurum esse in vestra sede aliquem credo, quem copiosius honorare desiderem. Nam qui nos sic honorastis prudentia & sanctitate vestra, ut de regno nostro Roma eligeret, quem sibi & mundo caput ordinaret: nos quoque tanto honore vos dignamur, quanto dominus noster Iesus Christus Petrum decoravit, ubi ecclesiæ principatu illum sublimavit. Dominus omnipotens sanctitatem vestram ad utilitatem sanctæ ecclesiæ diutissime conservet: & avertat a prudentia vestra, ne alicujus levis sermo gratiam vestram mihi, neve servitium & fidelitatem meam vobis auferat.

CONCILIUM SUTRINUM, quo Benedictus pseudopapa & schismaticus, cognomento Mincius, depositus, omnique sacerdotali officio privatus est, anno MLIX. tempore Nicolai papæ II. electi.

ANNO CHRISTI 1059.

IN hac synodo invasorem sedis apostolicæ Benedictum depositum, omnique sacerdotali munere privatum esse, & postea veniam a pontifice petivisse, habetur, inquit Baronius, in codice Vaticano, qui inscribitur *Liber censuum*. Idem testantur vetera Romanorum pontificum gesta, quæ collegit Nicolaus Aragonensis cardinalis, his verbis: *Celebrata itaque in pace electione (ut dictum est) Senis dictus Nicolaus pontifex cum archidiacono & cardinalibus consilium habuit, ut pro causa jam dicti Velitrensis intrusi, apud Sutrium synodum celebraret: ad quam non solum episcopos Tusciæ & Lombardiæ, sed & magnum Godefridum, & Guibertum cancellarium convocare deberet. Quod absque dilatione factum est. Prædictus autem Mincius, ubi Nicolaum papam cum personis, quæ apud Sutrium convenerant, in synodo residere cognovit: sedem quam invaserat, conscientia remordente, reliquit, & in domum propriam remeavit. Quod factum posteaquam Nicolaus pontifex rei veritate cognovit, concilio cum fratribus habito, ad Vrbem una cum eis, non cum potentia, sed tamquam bonus & humilis*

ANNO CHRISTI 1059.

humilis pastor accessit. Unde, autore domino factum est, quod cum a populo & clero, digno honore susceptus, juxta consuetum ordinem a cardinalibus in sede apostolica positus est. Transactis autem paucis diebus, memoratus Mincius ad præsentiam Nicolai papæ veniam petiturus accessit: & ad ejus vestigium procidens, violentiam se fuisse perpessum asseruit: sed invasionis crimen & perjurii reatum non negavit. Ex propria igitur confessione digna factis recipiens, episcopalis & sacerdotalis officii depositionem incurrere meruit. Illud autem ipsius pontificis animum vehementer angebat, quod Romanorum pontificum capitanei, Urbis dominium, & ecclesiastica jura, quæ illicite occuparant, per violentiam detinebant. Hæc ibi. Quæ acta esse in concilio ab eodem pontifice celebrato dubium non est.

ANNO CHRISTI 1059.

CONCILIUM ROMANUM CENTUM & tredecim episcoporum, quo Berengarius hæresi sua tertium abjurata, fidem catholicam tertio professus est, & de electione Romani pontificis constitutio edita fuit, anno domini MLIX. tempore Nicolai papæ II.

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis catholicis, cunctoque clero & populo, salutem carissimam & apostolicam benedictionem.

VIGILANTIA universalis regiminis assiduam solicitudinem omnibus debentes, saluti quoque vestræ providentes, quæ in Romana synodo nuper celebrata, coram centum tredecim episcopis, nobis licet immeritis præsidentibus, sunt canonice constituta, vobis notificare curamus: quia ad salutem vestram executores eorum vos esse optamus, & apostolica autoritate jubendo mandamus.

I.

Cardinales episcopos. Primo namque, inspectore Deo, est statutum, ut electio Romani pontificis in potestate cardinalium episcoporum sit: ita ut si quis apostolicæ sedi sine præmissa concordi & canonica electione eorum, ac deinde sequentium ordinum religiosorum, clericorum & laicorum consensu, inthronizatur, is non papa vel apostolicus, sed apostaticus habeatur.

II.

Ut moriente Romano pontifice, vel cujuscumque civitatis, nullus præsumat facultates eorum invadere, sed successoribus eorum reserventur integræ.

III

Missa noto concubinarii non audienda. Ut nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Unde etiam ipsa sancta synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, dicens: Quicumque sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi papæ Leonis de castitate clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, autoritate beatorum apostolorum Petri & Pauli præcipimus, & omnino contradicimus, ut missam non cantet, neque evangelium vel epistolam ac missam legat, neque in presbyterio ad divina officia cum iis qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint maneat, neque partem ab ecclesia suscipiat, quousque a nobis sententia super hujusmodi, Deo concedente, procedat.

IV.

Et præcipientes statuimus; ut ii prædictorum ordinum, qui eidem prædecessori nostro obedientes, castitatem servaverunt, juxta ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent, & dormiant: & quidquid eis ab ecclesiis venit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad apostolicam, communem scilicet, vitam summopere pervenire studeant.

V.

Deinde, ut decimæ & primitiæ, seu oblationes vivorum & mortuorum, ecclesiis Dei fideliter reddantur a laicis: & ut in dispositione episcoporum sint. Quas qui retinuerint, a sanctæ ecclesiæ communione separentur.

VI.

Ut per laicos nullo modo quilibet clericus aut presbyter obtineat ecclesiam, nec gratis, nec precio.

VII.

Ut nullus habitum monachi suscipiat, spem aut promissionem habens ut abbas fiat.

VIII.

Nec aliquis presbyter duas ecclesias simul obtineat.

IX.

Ut per simoniacam hæresim nemo ordinetur vel promoveatur ad quodlibet ecclesiasticum officium.

X.

Ut cujuslibet ordinis clericos laici non judicent.

XI.

Ut de consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque ad generationem septimam, vel quousque parentela cognosci poterit.

XII.

Ut laicus uxorem simul & concubinam habens non communicet ecclesiæ.

XIII.

Ut nullus laicus ad quemlibet gradum ecclesiasticum repente promoveatur: nisi, post mutatum habitum sæcularem, diuturna conversatione inter clericos fuerit comprobatus.

Vos ergo hæc & alia sanctorum patrum statuta fideliter & Christiana reverentia observate, si vultis de sanctæ Romanæ ecclesiæ, & apostolicæ sedis, pace & communione atque benedictione gaudere.

DECRETUM CONTRA SIMONIACOS.

DOMINUS papa Nicolaus synodo in basilica Constantiniana præsidens, dixit: Erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habedam esse decernimus; sed juxta canonum sanctiones, & decreta sanctorum patrum, eos omnino damnamus, ac deponendos esse apostolica autoritate sancimus. De iis autem qui non per pecuniam, sed gratis sunt a simoniacis ordinati, quia quæstio a longo tempore est diutius ventilata, omnem *modum dubietatis absolvimus: ita ut super hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur usque adeo hæc venenata pernicies hactenus inolevit, ut vix quælibet ecclesia valeat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta: eos qui usque modo gratis sunt a simoniacis consecrati, non tam censura justitiæ, quam intuitu misericordiæ, in acceptis ordinibus manere permittimus: nisi forte alia culpa ex vita eorum contra canones eis existat. Tanta quippe talium multitudo est, ut dum rigorem canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit ut dispensatorie ad piæ condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus. Ita tamen autoritate sanctorum apostolorum Petri & Pauli omni-

*nodum

ANNO CHRISTI 1059.

omnimodis interdicimus, ne aliquando aliquis successorum nostrorum ex hac nostra permissione regulam sibi vel alicui assumat, vel præfigat: quia hoc non autoritas antiquorum patrum jubendo aut concedendo promulgavit, sed temporis nimia necessitas permittendum a nobis extorsit. De cætero autem si quis hinc in posterum, ab eo quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit: & consecrator, & consecratus, non disparem damnationis sententiam subeat; sed uterque depositus pœnitentiam agat, & privatus a propria dignitate persistat.

Nihilo minus autoritate apostolica decernimus, quod in aliis conventibus nostris decrevimus: Vt si quis pecunia, vel gratia humanæ, vel populari, seu militari tumultu, sine concordi & canonica electione ac benedictione cardinalium episcoporum, ac deinde sequentium ordinum religiosorum clericorum, fuerit apostolicæ sedi inthronizatus: non papa vel apostolicus, sed apostaticus habeatur: liceatque cardinalibus episcopis, cum religiosis & Deum timentibus clericis & laicis, invasorem, etiam cum anathemate, & humano auxilio, & studio, a sede apostolica repellere; & quem dignum judicaverint, præponere. Quod si hoc intra Vrbem perficere nequiverint: nostra autoritate apostolica extra Vrbem congregati in loco qui eis placuerit, eligant quem digniorem & utiliorem apostolicæ sedi perspexerint, concessa ei autoritate regendi & disponendi res ad utilitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ, secundum quod ei melius videbitur, juxta qualitatem temporis, quasi jam omnino inthronizatus sit.

IVSIVRANDVM QVOD IN EADEM SYNODO FECIT BERENGARIVS.

Prima Berengarii abjuratio.

EGO Berengarius indignus diaconus ecclesiæ sancti Mauritii Andegavensis, cognoscens veram & apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim: præcipue, de qua hactenus infamatus sum: quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse; nec posse sensualiter, nisi in solo sacramento, manibus sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ ecclesiæ & apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor de sacramento dominicæ mensæ eam fidem me tenere, quam dominus & venerabilis papa Nicolaus, & hæc sancta synodus autoritate euangelica & apostolica tenendam tradidit, mihique * firmavit: scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse: & sensualiter, non solum sacramento, sed in veritate, manibus sacerdotum tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri: jurans per sanctam & homousion Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi euangelia. Eos vero, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & sectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando aliquid contra hæc sentire ac prædicare præsumpsero: subjaceam canonum severitati. Lecto & perlecto sponte subscripsi.

* formavit:

NOTÆ SEVERINI BINII.

Numerus episcoporum quantus?

In hac synodo centum & tredecim episcopos (qua de causa a Guitmundo ejus temporis nobilissimo scriptore generale concilium nominatur) autoritate sedis apostolicæ congregatos fuisse, Algerus & Lanfrancus testantur. Verba Algeri ista sunt: *Quod ut certius innotescat fidelibus, Berengarii Andegavensis haretici confessio, quam de hujus rei catholica fide scripsit Romæ præsente Nicolao papa, & coram centum tredecim episcopis jurejurando firmavit, ad medium deferatur*, &c. Eodem pertinent illa Lanfranci: *A beata memoria Nicolao totius Christiani nominis summo pontifice, & a centum tredecim episcopis Romæ audita, examinata, atque damnata sunt.* Berengarium in hac synodo confutatum, convictum & damnatum esse, tertiaque vice ad communionem ecclesiæ receptum, Ioannis Scoti aliorumque libros, quorum lectione corruptus fuerat, combussisse, fidei professionem ejusdem rogatu per Humbertũ cardinalem conceptam edidisse, & juramento præstito confirmasse, constat in primis ex fragmentis historiæ Francorum ad Glabrum appositis, ubi hæc summatim recensita continentur his verbis: *Qua de causa*, nimirum quod post hæresim secundo abjuratam, & fidei professionem iteratam, ad vomitum suum, ut ait Guitmundus supra nominatus, aliquanto post reversus fuerit, *a Nicolao papa evocatus Romam petiit, ubi in præsentia ejusdem papæ & multorum episcoporum examinatus, suum confitens anathematizavit errorem: Ioannnem Scotum igni comburens, cujus lectione ad hanc nefariam devolutus fuerat sectam* [Lanfrancus in suo contra Berengarium commentario eumdem compellans, ait: *Igitur cum a quodam Remensi clerico Romam perlatas litteras*, scilicet Berengarii, *recitator legeret, intellecto quod Ioannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communi de eucharistia fidei adversa sentires, promulgata est in te damnationis sententia*, &c.] De facta tum in eodem concilio per ipsummet Berengarium combustione librorum, ista Lanfrancus subjungens, ait: *A beata memoria Nicolao, totius Christiani nominis summo pontifice, & a centum tredecim episcopis Romæ audita, examinata, atque damnata sunt. Tunc quoque inclinato corpore sed non humiliato corde, ignem accendisti, librosque perversi dogmatis in medio sancti concilii in eum conjecisti, jurans per id quod rebus omnibus incomparabiliter majus est, te fidem a patribus qui præsentes erant traditam inviolabiliter servaturum, ueteremque doctrinam tuam de corpore & sanguine Domini ab illa die aliis non prædicaturum.* Berengarius igitur in hoc concilio ob eam hæresim, quam de vera præsentia corporis & sanguinis Christi domini male docuerat, condemnatus, postulavit formulam orthodoxæ fidei a Nicolao pontifice proponi qua, quid de veritate corporis & sanguinis Christi tenendum foret, contineretur. Rogatu Berengarii, jussaque pontificis accedente conscripsit eam Humbertus episcopus cardinalis, omniumque assensu, teste Lanfranco, legendam & confitendam tradidit Berengario; qui acceptam legit, seque contenta credere non tantum publice est confessus, sed etiam jurejurando confirmavit, manuque propria subscripsit. Nicolaus vero papa gaudens de ejus conversione, jusjurandum ejusdem scriptum misit per urbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & ad quæcumque loca fama pravitatis illius pervenire potuerat: ut sicut ecclesiæ scandalizatæ prius dolebant de ipso auerso atque adverso, ita de eodem postea converso gauderent, & Deo gratias agerent. Quibusnam autem verbis conceptum fuerit ejusmodi Berengarii jusjurandum, hic ex Lanfranco describendum, & exhibendum putamus. Sic se habet: *Ego Berengarius*, &c. ut supra.

Lib. I. de sacramento cap. 16.

Acta concilii quæ?

Vncinis duobus inclusa pertinent ad concilium Rom. anni 1050. Meminisse debuerat Binius, ibi jam a se descripta esse.

Berengarius fidem profitetur, hæresi abjurata.

Formulam professionis petitione Berengarii scripsit Humbertus cardinalis.

Sed a concilio libere dimissus, tantum abest ut juratæ promissioni & fidei professioni steterit: ut potius eamdem impugnaverit. Nam, ut abunde docet Lanfrancus, post hoc concilium, ubi quæ vellet scribendi liberam facultatem nactus esset infelix, scripsit invectivam adversus eam quam in eo concilio legit, probavit, juramento firmavit, atque subscripsit, fidei catholicæ confessionem, conversus in Humbertum qui eam scripsisset, & Romanam ecclesiam, cujus autoritate fecisset. Quod dum Lanfrancus cognovisset, mox sparso veneno paravit antidota, scribens ad eumdem Berengarium, egregium commentarium, quo arrogantis hæresiarchæ arrogantiam retundit, errores refellit, fallacias dissolvit, & blasphemias redarguit. Adversus eamdem virulentam Berengarii scriptionem non solum Lanfrancus, sed etiam Guitmundus, Algerus Cluniacensis monachus, & Albericus Cassinensis diaconus, scripserunt. Epistola quædam eodem argumento contra Berengarium a sancto VVorphermo abbate hujus temporis autore conscripta extat apud Surium in vita ejusdem VVorphermi: qua præter hanc enarratur & redarguitur alia hæresis ejusdem Berengarii negantis Christum ingressum esse ad discipulos januis clausis, ideoque euangelicam veritatem plane contemnentis. Quid quod ipse Deus e cælo miraculis Berengarium confutarit? Petrus Damiani in epistola ad Desiderium Cassinensem abbatem refert, quod

Berengarius iterum relapsus.

Berengarius refellitur a Lanfranco, aliisque scriptoribus.

Alia hæresis Berengarii quæ.

Deus miraculis Berengarium confundit.

ANNO CHRISTI 1059.

A quod mulier quædam zelotypa habens virum de adulterio ſuſpectum, alterius conſilio hoſtiam conſecratam a ſacerdote ſibi quaſi communicaturæ porrectam acceperit: qua uſque ad medietatem in carnem converſa, altera medietas in ſpecie non fuerit mutata. Item quod ſacerdoti cuidam inter ſacrificandum de veritate corporis & ſanguinis in euchariſtia dubitanti, hoc eodem tempore accidit, ut dum ſacram hoſtiam frangeret, rubra prorſus ac perfecta caro inter ejus manus appareret, illiuſque digitos cruentaret. Hæc ex epiſtola Petri Damiani Baronius.

De electione Romani pontificis quid conſtitutum ?

Hoc eodem concilio de electione Romani pontificis edita eſt conſtitutio, qua ad gratiam referendam regi Henrico, cujus ope, proxime præcedenti ſchiſmati finis impoſitus, redditaque pace eccleſiæ Romanæ pontifex conſtitutus fuerat, decretum eſt, ut pontifex quem clerus primum ſuis ſuffragiis elegiſſet, imperator favore ſuo approbaret: ſin vero per bella aut ſeditiones id clero facere non liceret, tunc ipſe clerus refunderet liberam electionem in imperatorem; quemque vellet ipſe, non ſuo, B ſed cleri nomine eligeret, electumque contra ſchiſmaticos ſedis invaſores defenderet. Hoc privilegio autoritate apoſtolica ad ædificationem eccleſiæ imperatoribus conceſſo, dum miniſtri regii ad deſtructionem eccleſiæ ejuſdem abuterentur, ipſo jure privari meruerunt. Nam quod ad vitanda ſchiſmata ſalubriter fuerat inſtitutum: nequitia principum converſum eſt ad excitanda ſchiſmata deteriora quam umquam fuerunt, ut patebit infra in creatione Cadaloi & Guiberti duorum peſtilentiſſimorum pſeudopontificum. Ipſam conſtitutionem, quæ apud Gratianum capite In nomine diſt 23. extat, Deuſdedit, presbyter cardinalis tituli ſanctorum apoſtolorum, in libello quem contra invaſores ſimoniacos atque ſchiſmaticos paulo poſt edidit, quando Guiberti ſchiſma vigeret, labefactatam atque a ſchiſmaticis additione corruptam eſſe oſtendit, apud Baronium anno 1059. Tenor conſtitutionis iſte eſt:

Conſtitutio apud Gratianum extans eſt corrupta.

Decretum de electione Romani pontificis.

C In nomine Domini noſtri & Salvatoris Ieſu Chriſti. Anno ab incarnatione ejuſdem milleſimo quinquageſimonono, menſe Aprili, indictione duodecima, propoſitis ſacroſanctis euangeliis, præſidente quoque reverendiſſimo ac beatiſſimo Nicolao apoſtolico papa in baſilica Lateranenſis patriarchii, quæ cognominatur Conſtantiniana, conſidentibus etiam reverendiſſimis epiſcopis, abbatibus, preſbyteris, diaconis, idem venerabilis pontifex autoritate apoſtolica decernens de electione ſummi pontificis inquit: Novit beatitudo veſtra, dilectiſſimi fratres coepiſcopi, inferiora quoq; membra Chriſti non latuit, defuncto piæ memoriæ domino Stephano prędeceſſore noſtro, hęc apoſtolica ſedes, cui autore Deo deſervio, quot adverſa pertulerit, quot deniq; per ſimoniacę hęreſeos trapezitas repetitis malleis crebriſque tunſionibus ſubjacuerit: D adeo ut columna Dei viventis jamjam pene videretur concuſſa nutare; & ſagena ſummi piſcatoris, procellis intumeſcentibus, cogeretur in naufragii profunda demergi. Vnde, ſi placet fraternitati veſtræ, debemus, auxiliante Deo, futuris caſibus prudenter occurrere, & eccleſiaſtico ſtatui, ne recidiva, quod abſit, mala prævaleant, præcavere. Quapropter inſtructi prædeceſſorum noſtrorum, aliorumque ſanctorum patrum autoritate, decernimus atque ſtatuimus: ut obeunte hujus Romanæ univerſalis eccleſiæ pontifice, in primis cardinales epiſcopi diligentiſſime ſimul de electione tractantes, mox * ipſi clericos cardinales adhibeant, ſicque reliquus clerus, & populus ad conE ſenſum novæ electionis accedat: nimirum præcaventes, ne venalitatis morbus aliqua occaſione ſubrepat. Et ideo religioſiſſimi viri præduces ſint in promovenda pontificis electione; reliqui autem ſequaces. Certus vero atque legitimus electionis ordo perpenditur, ſi perſpectis diverſorum patrum regulis, ſive geſtis, etiam illa beati Leonis præ»deceſſoris noſtri ſententia recolatur: Nulla, inquit, » ratio ſinit, ut inter epiſcopos habeantur, qui nec » a clericis ſunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a » comprovincialibus epiſcopis cum metropolitani

* Chriſti

A judicio conſecrati. Quia vero ſedes apoſtolica « cunctis in orbe terrarum præfertur eccleſiis, atque ideo ſupra ſe metropolitanum habere non poteſt: cardinales epiſcopi procul dubio metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum epiſcopum ad apoſtolici culminis apicem provehant.

ANNO CHRISTI 1059. Ivo parte 5. cap. 80.

Eligatur autem de ipſius eccleſiæ gremio, ſi reperitur idoneus; vel ſi de ipſa non invenitur, ex alia aſſumatur: ſalvo debito honore & reverentia dilecti filii noſtri Henrici, qui impræſentiarum rex habetur; & futurus imperator, Deo concedente, ſperatur, ſicut jam ſibi conceſſimus; & ſucceſſoribus " illius, qui ab apoſtolica ſede perſonaliter hoc jus impetraverint. Quod ſi pravorum at- B que iniquorum hominum ita perverſitas invaluerit, ut pura, ſincera, atque gratuita fieri in Vrbe non poſſit electio: cardinales epiſcopi cum religioſis clericis, catholiciſque laicis, licet paucis, jus poteſtatis obtineant eligere apoſtolicæ ſedis pontificem, ubi " congruere viderint. Plane poſtquam electio fuerit facta, ſi bellica tempeſtas, vel qualiſcumque hominum conatus, malignitatis ſtudio reſtiterit, ut is qui electus eſt in apoſtolica ſede juxta conſuetudinem " autorizari non valeat: electus tamen, ſicut verus papa obtineat autoritatem regendi Romanam eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius. Quod beatum Gregorium ante ſuam conſecrationem feciſſe cognovimus.

" ſucceſſ. ...

" cōgregentius ... ...int.

" inthronizari.

C Quod ſi quis contra hoc noſtrum decretum, ſynodali ſententia promulgatum, per ſeditionem, vel præſumptionem " quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus, ſeu inthronizatus fuerit: autoritate divina, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, perpetuo anathemate cum ſuis autoribus, fautoribus, & ſequacibus, a limine ſanctæ Dei eccleſiæ ſeparatus, abjiciatur ſicut antichriſtus, invaſor, & deſtructor totius Chriſtianitatis. Nec aliqua ſuper hoc audientia aliquando ei reſervetur: ſed ab omni eccleſiaſtico gradu, in quocumque fuerat prius, ſine retractatione deponatur. Cui quiſquis adhæſerit, vel qualemcumque tamquam pontifici reverentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præſumpſerit; pari ſententia ſit mancipatus.

" aut quodlibet ingenium

D Quiſquis autem hujus noſtræ decretalis ſententiæ temerator extiterit, & Romanam eccleſiam ſua præſumptione confundere & conturbare contra hoc ſtatutum tentaverit: perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur, & cum impiis, qui non reſurgent in judicio, reputetur. Omnipotentis ſcilicet Patris, & Filii, & Spiritus ſancti contra ſe iram ſentiat, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, quorum eccleſiam præſumit confundere, in hac vita & in futura furorem ſentiat. Fiat habitatio ejus deſerta, & in tabernaculis ejus non ſit qui inhabitet. Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua: commotus commoveatur ipſe, & filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationiE bus ſuis. Scrutetur fenerator omnem ſubſtantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus: orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa ſint ei contraria: & omninm ſanctorum quieſcentium merita illum confundant, & in hac vita ſuper eum apertam vindictam oſtendant. Obſervatores autem hujus noſtri decreti omnipotentis Dei gratia protegat, & autoritas beatorum apoſtolorum Petri & Pauli ab omnium peccatorum vinculis abſolvat.

Nicolaus epiſcopus ſanctæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, huic decreto a nobis promulgato ſubſcripſi.

Bonifacius Albanenſis, ſubſcripſi.

Humbertus

ANNO CHRISTI 1056.

Humbertus sanctæ ecclesiæ Silvæ Candidæ, subscripsi.
Petrus Ostiensis, subscripsi.
Et cæteri episcopi numero LXXVI. cum presbyteris & diaconibus subscripserunt.

Contra simoniacos in hac synodo constitutum edidit, ex quo Gratianus tria quæ sequuntur in suo libro decretorum descripsit istis verbis:

Contra simoniacos decretum. cap. Statuimus. 1. q. 1. Ivo parte 3 cap. 79.

Statuimus decretum de simoniacis tripartita hæresi, id est, de simoniacis simoniace ordinantibus, vel ordinatis; & de simoniacis simoniace a non simoniacis; & de simoniacis non simoniace a simoniacis. Simoniaci simoniace ordinati, vel ordinatores, secundum ecclesiasticos canones a proprio gradu decidant. Simoniaci quoque simoniace a non simoniacis ordinati, similiter ab officio male accepto removeantur. Simoniacos autem non simoniace a simoniacis ordinatos misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere. *Et inferius*: De cætero statuimus, ut si quis in posterum ab eo, quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit: & consecrator & consecratus non disparem damnationis sententiam subeant, sed uterque depositus pœnitentiam agat, & privatus propria dignitate persistat. *Et sequenti capite ita*: Erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus: sed juxta canonum sanctiones, & decreta sanctorum patrum, eos omnino damnamus, ac deponendos esse apostolica autoritate sancimus.

1 quæst 1. cap De cætero, & sequentibus

Damian. Tom. III. opusc. 30. cap. 1.

Hactenus apud Gratianum. De his etiam Petrus Damiani in epistola ad Florentinos, cum ab eodem Nicolao pontifice ait in hoc concilio decretum editum contra simoniacos, testatur his verbis: Constitutum est in Romano, sanctæ memoriæ Nicolao pontifice præsidente, concilio, ut quicumque per eos (*nempe simoniacos*) eatenus fuissent in cujuslibet ecclesiastici gradus dignitate promoti, in percepti honoris ministerio permanerent: extunc vero & deinceps, quicumque se paterentur a simoniaco provehi, nihil penitus deberent ex ea promotione lucrari, & sic ministrandi jura deponerent, tamquam si hæc nullatenus percepissent. *Ita ibi.*

Præcipuum illum grassatorum, qui Anglis spolium intulerat, Gerardum comitem Galeriæ, in hac eadem synodo excommunicatum affirmat Petrus Damiani in defensione Romanæ ecclesiæ adversus regium Advocatum, quam infra sub Alexandro positam invenies.

*** G C Epistola ad episcopos Galliæ superius descripta, octava inter Nicolai epistolas, ad hoc concilium pertinet. Omnino videnda.

ANNO CHRISTI 1059.

CONCILIUM AMALPHIÆ, IN Apulia celebratum anno MLIX. tempore Nicolai papæ II.

Locus & acta concilii.

AMALPHIA urbs est Apuliæ, in qua, teste Leone Ostiensi, Nicolaus papa hanc synodum celebravit, & Tranensem episcopum, teste Petro Damiani in epistola ad sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, throno deposuit. Probabile est eumdem pontificem in hac synodo duo illa juramenta, fidelitatis, & solvendi annui census, quæ ex Vaticano codice recitantur apud Baronium, a Nortmannis exegisse.

ANNO CHRISTI 1059.

*** SYNODUS BENEVENTANA, a Nicolao II. habita anno Christi MLIX.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno dominicæ incarnationis MLIX. Mense Augusto initiante, Indictione XII. currente, domino quoque venerabili ac reverendissimo papa Nicolao M.* in sacrosancta beati apostolorum principis Petri sede, anno I. pontificatus sui, præsidente.

* Cor. II.

ANNO CHRISTI 1059.

Cum prædictus dominus Nicolaus papa apud Beneventum, extra ipsam civitatem, intra ecclesiam sancti Petri, juxta fluvium Sabbati, synodum celebraret, & cum eo nonnulli archiepiscoporum, abbatum, monachorum, ac totius ecclesiastici ordinis, atque laicalis, non parva multitudo resideret: in primis dominus Humbertus, Bonifacius, Ioannes, cardinales episcopi; Desiderius abbas & presbyter, Ildebrandus subdiaconus, cardinales; Voaldaricus Beneventanus, Petrus Amalfitanus, Alfanus Salernitanus, Sergius Neapolitanus, Ioannes Surrentinus, archiepiscopi; Hieronymus, Albertus, aliique quamplurimi episcopi; Landulphus Beneventanus princeps, Robertus, Petrus, Gerardus, comites; & alii quamplures. Assurgens Ioannes Monasterii (*S. Vincentii super Vulturni fluminis fontes siti*) abbas, conquestus est super Albertum monachum*, dicens: Obsecro, Domini, misericordiam vestram, & omnium qui huic sanctæ synodo intersunt, ut faciatis mihi justitiam de Adelberto monacho, qui cellam sancti Vincentii, sanctę Marię in Castanieto, monasterio nostro subripuit, ibique sibi nomen & specimen officii abbatis usurpatum, & in præsentia papę Leonis refutatum, ac sub interpositione pepetua anathematis contradictum, testantibus venerabilibus viris Vmberto cardinali, Petro Amalfitano, Voaldarico Beneventano, archiepiscopis, nunc iterum temerario ausu usurpavit, & ipsam cellam jam dicto monasterio violenter contendit. Ipso vero Alberto assurgente, & se per comitem, cujus ne * hoc egerat, defendere nitente, dum multa pars justitię sibi faveret, litteris distinctionis, & constitutionis sępe* dicti [imperii dicendi.] domini papę Leonis recitatis, & sacro sigillo munitis, atque testimonio prędictorum venerabilium archiepiscoporum confirmatis, judicio totius synodi est diffinitum: prępatum Albertum debere nomine & officio male arrepto privari, & monasterium beati Vincentii perpetualiter investiri de jam dicta cella omnibusque suis pertinentiis: quod & factum est. Ipse nanque Albertus monachus dictus abbas, nomen & officium abbatis, atque cellam per virgam in manu papæ refutavit: & quia erat anathematicus, ab omni altaris ministerio depositus, in potestate abbatis est ad regulandum, & corrigendum datus. Roffredus comes, dum vellet sibi jus supradictæ cellæ vendicare: relatis litteris domini papæ Leonis anno * nuntiorum imperatoris Ottonis testimon.......... prædictorum archiepiscoporum, Humberti videlicet, Petri, atque Vadalrici convictus, necnon & anathematis mille aureorum nummulorum adjudicatus, præfatam cellam in manu papæ refutavit: seque suosque heredes, quod per ea numquam contra monasterium beati Vincentii aliquo modo agerent, perpetualiter supra prædicta pœna obligavit. His itaque gestis, reverendissimus papa Ioannem abbatem sancti Vincentii ex eadem sanctæ Mariæ cella in perpetuum investivit: omnes hujus investitionis, aut constitutionis violatores, cum prænominata pœna, perpetuo anathemate obligavit. Quod ut verius videatur, huic paginæ manu propria subscripsit, sua bulla insigniri jussit:

* Roffredi comitis filium

* for. concessione

* supradicti

Ego Nicolaus sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis præsul confirmavi.

Ego Hum-

Ego Humbertus dictus episcopus sanctæ ecclesiæ Silvæ Candidæ interfui, & subscrisi.

Ego Alfanus gratia Dei Salernitanus archiepiscopus interfui, & subscripsi.

Sergius archiepiscopus Neapolitanus.

Ego Ioannes archiepiscopus Surrentinus.

Ego Bonifacius dictus episcopus sanctæ ecclesiæ Albanensis interfui.

Ego VValdaricus Dei gratia Beneventanus archiepiscopus interfui.

Ego Petrus gratia Dei Amalfitanæ ecclesiæ archiepiscopus interfui.

ANNO CHRISTI 1059.

CONVENTUS *REMENSIS

*Parisiense concilium male Binius vocavit.

quando Philippus rex, præsente Henrico patre, Remis coronatus est, die Pentecostes, anno MLIX.

*** Auctior ex MS. Sirmondi, & Tom. IV Histor Franc. Quercetani, pag. 161

ANNO Incarnat. Dominicæ MLIX. Indict. XII. Henrici regis anno XXXII. eadem die completo, pontificatus domni Gervasii archiepiscopi quarto, die pentecostes, XXIII. Maii. Philippus rex hoc ordine in majore ecclesia ante altare sanctæ Mariæ a venerabili archiepiscopo Remensi consecratus est. Inchoata missa, antequam epistola legeretur, domnus archiepiscopus vertit se ad eum, & exposuit ei fidem catholicam, sciscitans ab eo, utrum hanc crederet & defendere vellet. Quo annuente, delata est ejus professio; quam accipiens ipse legit, dum adhuc septennnis esset, eique subscripsit. Erat autem professio ejus hæc:

Ego Philippus, Deo propitiante, mox futurus rex Francorum, in die ordinationis meæ promitto coram Deo & sanctis ejus, quod unicuique vestrum, & ecclesiis vobis commissis, canonicum privilegium, & debitam legem, atque justitiam conservabo, & defensionem, adjuvante Domino, quantum potero exhibebo, sicut rex in suo regno unicuique episcopo & ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet: populo quoque *vobis credito me dispensationem legum in suo jure consistentem nostra autoritate concessurum.

*nobis

Qua perlecta, posuit eam in manus archiepiscopi, præsentibus Hugone archiepiscopo Vesontionensi, & Ermenfrido episcopo Sedunensi, Nicolai papæ legatis, & Mainardo Senonensi, Bartholomæo Turonensi, archiepiscopis. Item episcopis, Balduino Noviomagensi, Frollando Silvanectensi, Litberto Cameracensi, Guidone Ambianensi, Aganone Eduensi, Harduino Lingonensi, Achardo Cabilonensi, Isembardo Aurelianensi, Hugone Nivernensi, Heudone Suessionensi, Rotgero Catalaunensi, Elinando Laudunensi, Imberto Parisiensi, VValterio Meldensi, Godefrido Autisiodorensi, Hugone Tricassino, Icterio Lemovicensi, Guillelmo Ecolesmensi, Arnoldo Santonensi, Quiriaco Namnetensi. Præsentibus etiam abbatibus, Ademaro sancti Remigii, Rainerio sancti Benedicti, Hugone sancti Dionysii, Adroldo sancti Germani, Geruino sancti Richarii, Gathone sancti Valerici, Guerino sancti Vitoni, Fulcone Faremonasteriensi, Gerardo sancti Medardi, Henrico Hermeriarum, Fulcone sancti Michaelis, Harduino Laudunensi, Gontone sancti Flori, Guidone Marcianensi, Radulpho Mosomensi, Alberto sancti Theoderici, Guarino Altvillarensi, Genrico sancti Basoli, Hugone Resbacensi, Odilardo Catalaunensi, Gendelgero monasterii in eremo, Valerano Virdunensi, Adalberone Divionensi, Arnoldo Pictavensi, Guillelmo Trenorciensi, Hugone Karrofensi, Avesgaudo Cenomanensi, Hugone Crespiacensi.

ANNO CHRISTI 1059.

Deinde accipiens archiepiscopus baculum sancti Remigii, disseruit quiete & pacifice, quomodo ad eum pertineret electio regis, & consecratio, ex quo S. Remigius Ludovicum regem baptizavit & consecravit. Disseruit etiam, quomodo per illum baculum hanc consecrandi potestatem, & totius Galliæ principatum Hormisdas papa sancto dederit Remigio; & quomodo Victor papa, sibi & ecclesiæ suæ concesserit. Tunc annuente patre ipsius Henrico, elegit eum in regem.

Post eum, legati Romanæ sedis, cum id sine papæ nutu fieri licitum esse disertum ibi sit, honoris tamen & amoris gratia, tum ejus ibi affuerunt legati. Post hos archiepiscopi & episcopi, abbates & clerici. Post, VVido dux Aquitaniæ. Post, Hugo filius & legatus ducis Burgundiæ. Post, legati Balduini marchionis, & legati Gofridi Andecavensis comitis. Deinde comites, Rodulfus scilicet Vadensis, Herbertus Vermandensis, VVido Ponticensis, VVillelmus Suessionicus, Rainaldus, Rogerus, Manasses, Hilduinus, VVillelmus Arvernensis, Heldebertus de illa Marchia, Folco Ecolesmensis, vicecomes Lemovicensis. Post, milites, & populi, tam majores quam minores, uno ore consentientes, laudaverunt, ter proclamantes: Laudamus, volumus, fiat. Tunc fecit ipse Philippus præceptum, sicut antecessores sui fecerunt, de rebus sanctæ Mariæ, & de Remensi comitatu, & de rebus sancti Remigii, & de cæteris abbatiis. Quod firmavit, eique subscripsit. Subscripsit etiam archiepiscopus. Nam ibi constituit eum summum cancellarium; sicut antecessores sui, antecessores suos fecerant: & ita consecravit eum in regem. Revertente autem archiepiscopo ad sedem suam, & sedente, delatum est privilegium, quod papa Victor ei dederat: lectumque est circumstantibus & audientibus episcopis. Facta sunt hæc omnia cum omni devotione & alacritate quam maxima, sine omni disturbatione, & nullatenus alicujus contradictione, vel aliquo reipublicæ damno. Hos omnes Gervasius archiepiscopus libenter excepit; & de sumptibus suis, eis plenissime erogavit: nulli tamen ex debito, præter regem; sed honoris causa ecclesiæ, & liberalitatis suæ.

ANNO CHRISTI 1060.

*** CONCILIUM TURONENSE,

In quo multa de disciplina ecclesiastica a Stephano cardinale legato apostolico, & X. episcopis constituta sunt an. Christi MLX. Ind. XIII. Kal. Martii.

Editum a D. Luca Dacherio initio operum Lanfranci, inter notas ad ejus vitam.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Ut nemo pecunia, vel alia conventione contra canones, det vel accipiat beneficium.*

II. *Ut episcopo beneficium contra prædictam regulam conferenti contradicant clerici.*

III. *Ut nullus episcopus beneficium vendat, aut det: nec alienet quæ sunt ecclesiæ.*

IV. *Ut nullus ecclesiam a laico accipiat sine consensu episcopi: neque venalem accipiat.*

V. *Ut nemo clericale officium accipiat nisi in unius civitatis ecclesiis.*

VI. *De episc. presbyter. diac. subdiac. qui mulieris carnali copula detenti, ab officio non cessaverint.*

VII. *Ut clericus militans beneficium amittat.*

VIII. *De laicis qui oblationes ecclesiæ, sepulturam, tertiam decimarum partem, possident, aut vendunt, aut dant.*

IX. *Ut excommunicati sint incesti, & adulteri, & qui sua uxore dimissa, aliam ducunt.*

ANNO CHRISTI 1060.

X. *Vt desertor monasticæ religionis, sit excommunicatus: similiter & abbas qui eum pœnitentem non receperit.*

PRÆFATIO.

AB incarnatione Domini nostri Iesu Christi anno MLX. Indictione XIII. Kalend. Martii Luna XIII. IV. feria, præsidente Stephano catholicæ urbis Romæ cardinali presbytero, & apostolicæ sedis vicario, in basilica sancti Mauritii, sociorumque ejus, sancta synodus, quæ ex præcepto domini nostri beatissimi summi pontificis, & universalis papæ Nicolai, Turonis, quæ est metropolis Galliæ, convenit, propositis sacrosanctis euangeliis, & præmissis ad Deum intentissime precibus, diligenti consideratione retractatis iis, in quibus ecclesiarum status in toto pene orbe, & maxime in Galliis, vacillare & pessundari videbatur: quæ breviter infra placuit annecti, condigna solicitudine definivit.

CAPITVLA.

I.

Sancti Spiritus autoritate, ut credimus, in Calchedonensi synodo sententia de simoniacis prolata, sic ab omnibus observetur: quatinus quicumque deinceps pecunia, aut aliqua inconveniente conventione sæculari, aut quolibet modo contra canonicam censuram, episcopatum aut abbatiam, aut archidiaconatum, seu archipresbyteratum, aut aliquam dignitatem ecclesiasticam, sive aliquem gradum, aut ministerium, vel beneficium, quod non nisi clericis habere sanctorum patrum sancivit autoritas, dare, vel accipere, quolibet modo canonibus contrario, tentaverit: & dans a proprio decidat gradu & dignitate; & accipiens, ministerium seu beneficium male usurpatum, numquam recuperaturus, amittat.

II.

Si quis aut episcopus, aut prælatus quislibet, contra præfixam regulam aliquod ecclesiasticum ministerium, vel etiam ipsam præbendam, quæ canonica dicitur, ordinare, aut dare voluerit: libere liceat clericis contradicere, & vicinorum episcoporum iudicium, vel, si necesse fuerit, ipsam quoque sedem apostolicam appellare.

III.

Item ut nullus episcoporum, vel prælatorum, aliquod novum beneficium de rebus ad ius ecclesiæ pertinentibus ulterius præsumat contra canones alicui vendere aut dare. Quicumque vero aliquid ad ius ecclesiæ pertinens, sub nomine beneficii, sive quolibet modo, ab ecclesia alienare hactenus præsumpsit: si adhuc superest, aut restituat ecclesiæ quod male subtraxit, aut canonica multetur sententia.

IV.

Nullus ecclesiam magnam, vel parvam, deinceps consensu episcopi, in cuius parochia est, a laicis præsumat accipere quolibet modo: sed neque a clerico, vel monacho, seu laico, sub precii alicuius venalitate. Quod si fecerit: & vendens, & emens ea careat.

V.

Confirmamus etiam ut non nisi in unius civitatis ecclesiis, quisquam amodo aliquod clericale officium accipiat. Quod qui prævaricatus fuerit, canonica ultione feriatur.

VI.

Præterea si quis episcoporum, presbyterorum, diaconorum, aut subdiaconorum, post cognitum interdictum domini nostri papæ Nicolai, mulieris cuiuslibet carnali detentus copula, a ministerio & beneficio altaris non cessavit; sive deinceps cognoscens prælibatum apostolicæ sedis interdictum, aut mulierem, aut ministerium ecclesiæ cum beneficio non statim deseruerit: nullam restitutionis in pristino gradu veniam sibi reservasse cognoscat.

VII.

Quicumque autem clericorum deinceps in armis militaverint, & beneficium, & consortium clericorum amittant.

VIII.

Quicumque laicorum aliquid de iis quæ ad oblationem, vel eleemosynam ecclesiæ pertinent, sive sepulturam, sive saltem tertiam decimarum partem possidere, vendere, aut sub nomine beneficii, alicui dare ulterius præsumpserit, anathematis gladio feriatur.

IX.

Quicumque consanguineam suam, aut quam consanguineus suus prius cognoverat, aut cuius consanguineam carnaliter in coniugium accepit, vel deinceps acceperit: vel postquam cognovit, non statim dimisit, aut cognoscens non dimiserit; aut qui uxorem alterius rapuit, seu rapuerit; vel qui suam uxorem sine iudicio episcopali dimittens, aliam duxit, vel duxerit: donec se fructuosæ tradat pœnitentiæ, a corpore & sanguine domini nostri Iesu, & a liminibus ecclesiæ se exclusum, & alienatum, & omnimodis sicut putridum membrum a sano corpore præcisum gladio spiritus, quod est verbum Dei, agnoscat.

X.

Quicumque monasticæ religionis desertor inventus fuerit, a regno Dei, & a consortio Christianorum, sicut apostata, excludatur, & alienus existat, donec resipiscens digne præniteat. Similiter qui eiusmodi digne pœnitentes recipere noluerit, tertio admonitus, si non adquieverit: a communione fratrum suspendatur, sive sit abbas, sive abbatissa, donec acquiescat.

Ego

ANNO CHRISTI 1059. Ego Stephanus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis sacerdos vocatus, vice domini mei papæ Nicolai præsidens synodo, his constitutionibus a nobis canonice promulgatis, parvitatis meæ assensum præbens subscripsi. Deinde subscripserunt decem tam archiepiscopi, quam episcopi.

STEPHANI CARDINALIS LEGATI APOSTOLICI EPISTOLA* AD I...... DICTUM archiepiscopum Dolensem.

* Missa ante synodū supra descriptam.

Ut adsit synodo Romanæ Nicolai II. post pascha; vel Turonensi a se habendæ ante mediam quadragesimam.

Stephanus Petri apostolorum principis, & sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis I.....Dolensis ecclesiæ dicto archiepiscopo, resipiscere, & ad viam salutis & emendationis redire.

DOMINUS meus pontifex summus & universalis papa Nicolaus, te quamvis rebellem, & monitis salutaribus aversum, nequaquam tamen paterna & consueta Romanæ ecclesiæ misericordia indignum judicavit: sed missa, si tamen ad te pervenit, legatione, ad synodum, quæ antiquo more Romæ post pascha celebrabitur, adhuc tibi resipiscendi locum donans, evocavit. Sed & post datas ad te litteras, secundum consilii sui providentiam, & temporum eventorumque necessitatem, me ad has partes destinavit, & ut quæ possem in ecclesia Gallicana, Deo juvante, conciliis, cæterisque laboribus emendarem, vices suas mihi tradens, injunxit. Unde apud Turonum dominica ante mediam quadragesimam synodum indixi, ad quam dominum meum solicitudine, & mediocritatem tuam sumptibus & labore levans, sancti Petri ejusque vicarii mihique tradita autoritate te convoco, & ab omni periculo, quod tibi ex parte principis civitatis ejusdem evenire possit, securum facio. Quod si nec ad nos, nec ad dominum meum in dictis terminis venire volueris: vindictam absque misericordia senties ecclesiasticę districtionis. Exemplar etiam mitto epistolæ hujus potestatis a domino meo mihi traditæ.

ANNO CHRISTI 1060.

** CONCILIUM IACCETANUM in Hispania.

In quo abrogatus ritus precandi Gothicus, Romanus introductus: & translata Iaccam episcopalis sedes quæ Oscæ prius fuerat, anno MLX.

Ex Hieronymi Suritæ Indicibus Rerum Aragon.

ÆRA MXCVIII. hoc est, anno Christi MLX. Sanctius episcopus Aragonensis, *inquit Surita*, Paternus episcopus Cæsaraugustanus, Arnulphus episcopus Rotensis: & Guillelmus Vrgellitanus VVifredi Cæretaniæ comitis filius, Heraclius Bigeronensis, Stephanus Olorensis, Gomecius Calagurritanus, Ioannes Lectorensis, episcopi, Austindo Auxitano episcopo assidentes, Iaccæ vetusto Vasconum oppido, concilium ejus provinciæ celebrant, quam & cis Pyrenæum, & ea Aquitaniæ regione, quæ Vasconia illis temporibus dicta est, nunc Gascunia vocatur, aut regi Ramiro paruisse, aut fœdere fuisse adjunctam, non opinione solum, sed etiam plane ad veritatem hoc uno monumento mihi persuadeo. In primo concilii consessu, rege una cum filiis ac regni proceribus assidente, maxima frequentia atque applausu in Dei optimi maximi laudes populus erumpit: regem, benignissimum ac serenissimum principem compellat: prosperaque acclamatione divinum implorat numen, ut hostium ac gentium victor existeret. Summa religione ac pietate, in eo concilio cæremoniarum sacra, magna corruptela propter assiduos bellorum multus intermissa, sanciuntur: depravati mores patrii in ordinem rediguntur, & perfecta instituta majorum revocantur: ne quid ex sanctorum patrum ritu, negligentia fraudeve prætermitteretur. Sacra omnia pie riteque ex catholicis sanctæ Romanæ ecclesiæ decretis atque sanctionibus instaurantur: ne inter ipsas clades, ac feros bellorum exitus, aut continuum armorum usum, sacræ religionis viderentur nostri negligentiores. Data sacerdotibus lex, ne quo alio more quam Romano precarentur: neque Gothica, utpote peregrina, piacula exsolverentur. Ecclesiastica sedes Iaccæ constituitur, quæ priscis temporibus Oscæ collocata fuerat: decernuntque, ut quandoque diœcesis caput ab impiorum dominatu eriperetur, illi Iaccetana sedes subjiceretur, & tamquam filia parentem pie sanctèque coleret. Fines diœcesis terminantur, ac circumscribuntur. Paternus Cæsaraugustanus episcopus, permissu sacri concilii, ecclesiam sanctarum Massarum Cæsaraugustæ urbis, quæ innumerabilium martyrum cineribus compactę erant, ad Orbæ & Iberi confluentes ripas vetustis temporibus constructam, quę sacris reliquiis consecrata fuerat, & D. Encratidi dicata, regio honori tribuens atque gratificans, Iaccetanę ecclesię contribuit. Eamque rem ac terminatos fines Gregorius VII. pontifex maximus decreto suo postea confirmat. Prẹter decumas, tertia tributorum portio, quę Cæsaraugustani & Tudelani populi reges Mauri pensitant, ecclesiasticis muneribus assignatur. Ex eo episcopi, qui ad eam diem Aragonię cognomento usi fuerant, Iaccetani etiam appellantur.

ANNO CHRISTI 1061.

VITA ET EPISTOLÆ ALEXANDRI PAPÆ II.

Alexander quando & a quibus pontifex electus?

ALEXANDER, patria Mediolanensis, episcopus Lucensis, antea Anselmus nuncupatus, post tres menses interregni, a cardinalibus sanctę Romanę ecclesię legitimo ritu pontifex Romanus hujus nominis secundus electus est, anno Christi 1061. tempore regnantis Henrici IV. Cum obitus Nicolai papę innotuisset, comites Tusculani, & Galeriani, aliique Romani proceres, propter fœdus cum Nortmannis initum sanctę Romanę ecclesię cardinalibus infensi, habita pseudosynodo Basileensi, comitem quemdam Galerię deputarunt, qui coronam auream, & insignem patriciatus titulum, ad regem Henricum deferens, pro Romano pontifice ex Longobardia eligendo solicitaret. Cardinales, circumventione eorum cognita, idem prẹstiterunt: & ad eumdem regem, Stephanum cardinalem presbyterum, quondam Cluniacensis cœnobii monachum, ablegarunt. Qui cum, regiis ministris obstantibus, contra jus gentium ad colloquium regis non admitteretur: rediit ad suos, quidque sibi evenisset coram omnibus exposuit. Facta relatione, circa Kalendas Octobris cardinales pontificem elegerunt, non quem vellent, sed quem regi gratum fore putabant: nimirum Anselmum patria Mediolanensem, episcopum Lucensem, regis familiarem, aulęque regię quasi alumnum & domesticum. Sed quid accidit?

Audita electione Anselmi, quæ inscio & inconsulto rege contigisset, conclamata est ab omnibus in aula regis injuria regi illata. Hortatu ergo Guiberti Parmensis cancellarii, duo episcopi publico concubinatu infamati, cum Gerardo illo Galeriæ comite & sacrilego prædone, quem Nicolaus in Romano concilio excommunicaverat, ipso festo Simonis & Iudæ convenientes, Cadaloum Parmensem episcopum jam antea excommunicatũ elegerunt, novumque schisma concitarunt. Petrus Damiani schismaticum per litteras increpavit: sed tantum abest ut homo pestilens litteris Petri exterritus cessaret, ut etiam ipse turpissimus turpissime viveret, aliisque turpiter viventibus conniveret. Cumque ea re incontinentium clericorum omnium animos sibi conciliaret, libidinique frena laxaret, dicti sunt Cadaloitæ, qui antea Nicolaitæ dicebantur.

Per Cadaloum Parmensem episcopũ, & pseudopapam novum schisma exortum.

Alexander Hildebrandum, statura quidem parvum, sed viribus ingenii & gratia Spiritus sancti admirabilem, ex archidiacono creavit cancellarium, cui universæ Romanæ ecclesiæ administratio ex officio committeretur. Cadalous corruptis auro proceribus Vrbis, Romam armata manu ingredi tentavit: sed repulsus, magna sui confusione ad propria revertit. Cumque hæc omnia fierent studio, instinctu, & opera istius Guiberti principis, quem imperatrix cancellarium fecerat: singulari Dei concilio accidit, ut sancto Annoni Coloniensi archiepiscopo (qui Henricum regem puerum jam annorum decem a matre Agnete imperatrice subduxerat, blanditiisque delinitum, cæterorumque Germaniæ principum obsequio frequentatum & cultum, educandum retinuerat) regis custodia & regni administratio, habitis desuper comitiis, demandaretur. Hanc potestatem consecutus, ad res ecclesiæ componendas, atque schisma novum plane extirpandum, contulit se in Italiam, & Romam usque pervenit. Inde in Germaniam reversus, hortatu Petri Damiani, in præsentia regis, episcoporum Germaniæ & Italiæ synodum convocavit: qua, post disputationem inter Romanæ ecclesiæ defensorem & advocatum regium habitam, omnium acclamatione Cadalous pseudopontifex est damnatus, Alexandri autem electio comprobata. Quod cum patres Mantuani concilii, cui Anno Coloniensis legatione regis nomine functus interfuerat, sua sententia confirmassent, & schismaticus secundo Vrbem infeliciter expugnare tentasset: tandem pseudopontifex a schismate recedens, petita & obtenta venia ab Alexandro, paucis post diebus malam mortem incurrit. Augusta, quæ nefariæ Cadaloi promotioni faverat, pœnitentiam actura Romam venit ad limina apostolorum: seque non tantum imperio, verum etiam sæculari cura & honore totam abdicavit. Alexander pontifex sedem apostolicam quiete adeptus, legationem misit ad Eduardum regem Angliæ pro VVulstano VVigorniensis ecclesiæ episcopo eligendo. Petrum Damiani ablegavit in Gallias propter angustias, quibus Cluniacenses monachi affligebantur: eumdem misit Florentiam ad schisma ibidem conflatum denuo componendum.

Cadalous schismaticus insidiatur Romæ.

S. Annoni administratio regni committitur.

Alexandri electio confirmatur, Cadalous reprobatur.

Obitus Cadaloi schismatici.

Res sub Alexandro gestæ.

Hæresim Nicolaitarum, qui clericorum incontinentium conjugia pertinaciter defendebant, per Damianum confutavit & eradicavit. Incestuosorum vero hæresim, quæ autoritate Iustiniani imperatoris asserebat, eadem ratione qua in successionibus numerandos esse gradus consanguinitatis, non tantum per epistolam Petri Damiani, verum etiam duobus pluribusque Romæ habitis conciliis impugnauit. Contra novos hæreticos hoc tempore emergentes, qui docebant episcopatus a principibus laicis absque crimine simoniæ licite emi posse, quosque Petrus Damiani scriptis suis graviter insectatus est, decretum edidit, quo omnis beneficii ecclesiastici venditionem & emptionem interdixit.

Hęreses sub Alexãdro quæ?

Per Godefridum Tusciæ marchionem, Romanam ecclesiam liberavit a Nortmannis: cum jam Richardus Nortmannorum princeps Aquinum usque victor pervenisset, Vrbem proxime invasurus, ut a pontifice imperatoris insignia consequi posset. Ad Guilielmum comitem Nortmanniæ, quem Edvvardus, virgo virginem habens uxorem Editham, nulla prole relicta, successorem regni constituerat, misit vexillum, ut Haroldum tyrannum, Angliæ regnum occupantem, post obitum sancti Edvvardi regis expelleret, atque ut legitimus successor eodem regno potiretur. Pro componendis seditionibus per simoniacos & fornicarios clericos exortis, legationem misit ad Mediolanenses. Decreta autoritate apostolica ipsis præscripta infra subjunguntur. A Guilielmo comite Burgundiæ, & compluribus Francorum nobilibus, pro defendenda Romana ecclesia, quoties opus erat, juratam promissionem accepit. Vsum mitræ, laicis hactenus inconcessum, Vratislao duci Bohemorum concessit. Henricum regem, qui juvenili furore Bertam conjugem repudiare parabat, per Petrum Damiani apostolica legatione a proposito revocavit. Argentinensem episcopum, Guarnerum nomine, ob crimen simoniæ episcopatu privavit. Cum Moguntino & Bambergensi de simoniæ crimine accusatis sanctum Annonem ad se venientem, & pro reis episcopis intercedentem, honorifice excepit, brachio sancti Cæsarii donavit; ejusque favore, citra munerum acceptionem, ut cum injuria pontificis suspicatur Lambertus, prædictos absolvit. Per legatos a latere suo in Angliam missos in concilio VVintoniensi Stigandum Cantuariensis ecclesię invasorem deposuit: Lanfranco eidem subrogato duplex pallium concessit. Petrum Anagninæ civitatis episcopum, ad Michaelem VII. Orientis imperatorem, apocrisiarium misit: unde eumdem imperatorem cum Romana ecclesia communione conjunctum fuisse aperte colligitur. Basilicam sancti Benedicti in monasterio Cassinensi ipse in præsentia omnium cardinalium dedicavit. Henricum regem, quem propter simoniacas abbatiarum & episcopatuum nundinationes, aliaque plura delicta, Saxones & principes imperii apud pontificem accusaverant, quemque sanctus Anno, abdicata hanc ob causam regni cura & administratione, ab impietate & sacrilegiis apud eumdem pontificem graphice descripserat, per litteras Romam citavit: verum morte præventus, causam regis, successori dijudicandam reliquit. Mortuus est pontifex miraculosa dæmonis expulsione, & claudi hominis cura celeberrimus, Romæ, decimo Kalendas Maii, anno 1072. cum sedisset annos vndecim, menses sex, & dies viginti duos.

Romanam ecclesiam a Nortmannis liberavit.

Edvvardus rex virgo virginem uxorem reliquit.

Alexander miraculis clarus quando obierit.

EPIST. I.

EPISTOLA I. ALEXANDRI PAPÆ II.

AD MEDIOLANENSES CONTERRANEOS SVOS.

Excitat eos ad virtutum exercitia.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, omnibus Mediolanensibus clero, & populo, salutem & apostolicam benedictionem.

DIVINI judicii dispositione provisum est, ut Mediolanensis ecclesiæ filius, & Ambrosianis uberibus sublactatus, ad famulatum apostolicæ sedis indignus ascenderem, ac matri omnium ecclesiarum pastoralis curæ solicitudine deservirem. Vnde cum totius universalis ecclesiæ cura nobis non levis incumbat, propensius circa vos ipsa natura nos provocat esse pervigiles: ut unde nos constat originis duxisse primordium, ibi etiam majoris ad æternam salutem habeamus solicitudinis incrementum. Nam & ignis ea primum ligna conflagrat, ex quibus oritur: & fons ante omnia illas terræ venas infundit, ex quibus profluens derivatur. Vnde vos, dilectissimi, internæ dilectionis studio cohortans, rogo, ut ad cælum se vester spiritus erigat, deceptoria terrenarum rerum & caduca lucra contemnat, ab amore cœnosi hujus mundi se prudenter expediat, ad creatoris sui desiderium medullitus inardescat. Estis enim, sicut beatus dicit apostolus, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit ad admirabile lumen suum. Quibus ergo hereditas incontaminata, immarcescibilis, conservatur in cælis: absit ut eorum mens per amorem rebus sit involuta terrenis. (1 Petr. 2.)

Plane, quia etiam vulgaribus loquimur, vulgatum scripturæ testimonium libentius exhibemus. Mementote itaque, fratres mei, quod in oratione dominica dicitis: *Pater noster, qui es in cælis.* (Matth. 6.) Quem itaque patrem vocamus, ad ejus hereditatem tota mentis concupiscentia festinare debemus. De terrena porro hereditate scriptum est: *Hereditas, ad quam in principio festinatur, in novissimo benedictione carebit.* (Prov. 20.) Cur ergo, cum dicimus, *Pater noster,* præsto subjungimus, *Qui es in cælis,* & non potius, qui es in terris, videlicet quæ nobis notiores sunt: sive, qui es in aquis, aut in abyssis, cum ubique Deus sit, nihilque ab ejus præsentia vacuum sit? sed cum dicimus, *Pater noster,* idcirco addimus, *Qui es in cælis,* ut ad illam cælestem hereditatem sese noster animus erigat, atque in tam sublime germen adscitus, ut sit heres Dei, terrena quælibet ignobiliter non requirat. Enimvero pater fidei Abraham plures habuit filios: sed solus ille nobilis, qui fuit uxoris; qui vero ex concubinarum sunt ignobilitate suscepti, paternæ hereditatis successione leguntur exclusi. Porro autem, dum eos aluit Abraham, omnes dicebantur filii Abraham: at vero cum testamentum venit, qui esset legitimus heres, qui fieri deberet exheres, patenter ostendit. Nam scriptura testante, dedit Abraham omnem hereditatem filio suo Isaac: filiis autem concubinarum dedit munera, & segregavit eos a filio suo Isaac. (Genes. 25.)

Ecce itaque omnes dicebantur filii, sed non omnes hereditatis paternæ sunt jura sortiti. Sic profecto fratres quamplures sunt hodie Christianæ

A professionis titulo decorati, qui videlicet in Christi hereditate nequaquam merentur adscribi: & nunc quidem paterno vocabulo gloriantur, sed nequaquam ad hereditanda paterna bona perveniunt, quia velut spurii, non cælestia, sed terrena ignobiliter concupiscunt. Vos autem, dilectissimi, membra mea, viscera animæ meæ, sic satagite per viam mandati cælestis incedere, ut mens nostra merito semper debeat de sancta consanguineorum suorum conversione gaudere. (Castitatem clericorum insinuat.) Speramus autem in eo, qui de Virgine dignatus est nasci, quia nostri ministerii tempore sancta clericorum castitas exaltabitur, & incontinentium luxuria cum cæteris hæresibus confundetur. Omnipotens Deus, dilectissimi fratres mei, ab omni vos pravitate custodiat, & per justitiæ semitam ad cælestia vos regna perducat.

II. AD HARALDVM NORVEGIÆ REGEM.

Hortatur eum ad obediendum Adalberto Hamburgensi archiepiscopo.

Alexander episcopus servus servorum Dei Haraldo Nortmannorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

QVIA adhuc rudes in fide existitis, & in ecclesiastica disciplina quodammodo claudicatis: oportet nos, quibus totius ecclesiæ est commissum regimen, divinis admonitionibus vos frequentius visitare. Sed quia ob longarum difficultatem viarum per nos hoc agere minime valemus: sciatis nos * Alberto Bremensi archiepiscopo vicario nostro hæc firmiter commisisse. (* Adalberto.) Prædictus itaque archiepiscopus legatus noster suis nobis est conquestus epistolis, quod episcopi vestræ provinciæ, aut non sunt consecrati, aut data pecunia contra Romana privilegia quæ suæ ecclesiæ sibique data sunt, in Anglia, vel in Gallia, pessime sunt ordinati. Vnde ex autoritate apostolorum Petri & Pauli vos admonemus, ut sicuti apostolicæ sedi reverentiam subjectionis debetis exhibere, ita præfatam venerabili archiepiscopo vicario nostro, & vice nostra fungenti, vos vestrique episcopi impendatis, &c.

III. EPISTOLÆ AD SVENONEM REGEM DANORVM FRAGMENTVM.

Exigit censum a Suenone Danorum rege, quem majores ejus persolvere consueverunt.

Alexander episcopus servus servorum Dei Suenoni regi Danorum.

QVapropter prudentiam tuam admonemus, ut censum regni tui, quem prædecessores tui sanctæ apostolicæ ecclesiæ persolvere soliti sunt, nobis & successoribus nostris transmittere studeat: ita tamen, ut non sicut oblatio in altari ponatur, sed, ut supra diximus, tam nobis, quam successoribus nostris, ut certius approbetur, præsentialiter offeratur.

IV. AD PETRUM DALMATIÆ ET SCLAVONIÆ ARCHIEPISCOPUM.

Misso illi pallio, ejusdem officio graviter incumbere hortatur.

Alexander servus servorum Dei Petro venerabili archiepiscopo Diocliensis atque Antibarensis ecclesiæ salutem perpetuam in Christo.

G. C. Nonnulla emendavimus ex epistola II. Leonis VII. ex qua, multa in hanc transcripta sunt

Si pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia die ac nocte intenti sunt, & ut ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus deficiat, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore, quantaque cura debemus B esse pervigiles nos, qui pastores animarum esse dicimur? Attendamus igitur ut susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus: ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem negligentiæ nos reatus excruciet, unde modo honoris reverentia inter cæteros sublimiores judicamur. Igitur, dilectissime frater, petitionibus tuis justis annuentes, apostolica autoritate decernimus, ut per hujus privilegii nostri paginam sic sanctissimam Dioclensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Antibarensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Eiaterensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, C Palechiensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Suatinensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Scodriensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Dinnastinensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Polatinensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Serbiensem ecclesiam cum suis pertinentiis, Boloniensem ecclesiam cum suis pertinentiis, Tibuniensem ecclesiam cum suis pertinentiis, monasteria quoque tam Latinorum, quam Græcorum, sive Slavorum cures: ut scias & hæc omnia unam ecclesiam esse, teque omnibus prædictis locis episcopali regimine præesse.

D Pallium autem fraternitati tuæ ex more ad Missarum solemnia celebranda, sicut antecessoribus tuis concessum est, concedimus: videlicet in natali domini, epiphania, cœna domini, pascha, ascensione, pentecoste, in natali sancti Ioannis Baptistæ, natali apostolorum Petri & Pauli, & quatuor festivitatibus sanctæ Mariæ, scilicet nativitate, annuntiatione, purificatione, assumptione, & duobus festis sancti Angeli, sic pro natalitiis quoque duodecim apostolorum, natali sancti Gregorii, & sanctorum Sergii & Bacchi, & festivitate omnium sanctorum, atque natali tuo, & quoties ordinationem vel consecrationem ecclesiarum celebramus. Hortamur itaque caritatem tuam, ut mores vitæ tuæ tanto honori conveniant: quatenus, autore E Deo, exemplis verbisque possis esse conspicuus. Vita igitur tua filiis tuis sit regula, ut si quæ tortitudo in illis deprehenditur, in ea dirigatur. Cor ergo tuum neque prospera, quæ corporaliter hic blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant: sed quidquid illud fuerit, virtutis puritate devincat.

Nullum apud te locum ira, odium, nullum furor indiscretus inveniat. Sacræ benedictionis tuæ, justique judicii opus, nulla venalitatis interventio commaculet. Sit in te & boni pastoris dulcedo, sit & judicis severa districtio: unum scilicet, quod innocenter viventes foveat; aliud quod inquietos

A a pravitate compescat. Misericordem te, prout virtus patiatur, pauperibus exhibe. Oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus modesta ratio contradicat. Nullius faciem contra justitiam accipias: nullum quærentem justa despicias. Custodia in te æquitatis excellat: ut nec dives potentia sua aliquid apud vos extra viam suadeat rationis audere; nec pauperem de se sua faciat humilitas desperare: quatenus, Deo miserante, talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit, dicens: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse.* (1 Tim. 3) Sed his omnibus uti salubriter poteris, si caritatem magistram habueris: quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, frater carissime, inter multa alia, ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii ornamenta: quæ si studiose observaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Crux etiam ante te, sicut ante prædecessores tuos per Dalmatiam & Slavoniam ubique geratur. Archiepiscopatum quoque ecclesiæ tuæ, juxta formam sanctorum prædecessorum nostrorum, a quorum autoritate non debes aberrare, concedimus & confirmamus. Sancta Trinitas gratia suæ protectionis fraternitatem tuam circumdet, atque in timoris sui vos viam dirigat: ut post hujus vitæ amaritudinem, ad æternam possis simul dulcedinem pervenire. Bene valete.

Subjacet his sigillum, nempe circulus quadrificus, in formam crucis, cum nomine ejusdem pontificis Alexandri papæ II. circumcirca ejusmodi habens inscriptionem:

† *Exaltavit me Deus in virtute brachii sui.*

Post sigillum ista subjicitur subscriptio post notam temporis:

Pontificatus domini Alexandri II. papæ II. indictione duodecima. Datum Romæ decimo quinto Kalendas Aprilis.

V. SYNODICA AD OMNES EPISCOPOS.

De rebus in concilio Romano gestis.

Alexander servus servorum Dei, omnibus episcopis catholicis, cunctoque clero & populo, salutem & apostolicam benedictionem.

Vigilantia universalis, *&c. Extat infra in concilio Romano primo.*

VI. AD GERVASIUM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

De Cadaloi pseudopontificis vinculis: & de simoniacis extirpandis.

Alexander episcopus servus servorum Dei, carissimo confratri Gervasio Remensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

Visis fraternitatis tuæ litteris, evidenter intelleximus, eam matri suæ sanctæ Romanæ ecclesiæ sinceram compassionem exhibere; ipsamque, si facultas daretur, præsentia corporis velle visitare. Et quia solicitudinem tuam ejusdem prosperitate lætari, quemadmodum de infortunio contristari, non dubitamus: annuntiamus tibi, divina suffragante clementia, Cadaloi præsumptionem extollentem se adversus apostolicam sedem, tanto amplius ad majorem sui ignominiam devenisse,

misse, quanto ipse speraverat altioris superbiæ culmen ascendisse. Siquidem proprii nominis etymologiam evidenter intelligens, ad reparandam pecuniam in periculum capitis sui a fautoribus suis distributam, cujusdam turris præsidio gemebundus servatur.

Vnde per misericordiam Dei speramus nullo modo posse evadere, donec quidquid contra sanctum Petrum nequitia sua præsumpsit, satisfecerit digna emendatione. Quod igitur simoniacæ hæreseos pestem, quæ in partibus illis vires adhuc obtinet ejus dolo, velle insequi significasti: non parum devotionis tuæ studio congaudemus. In quo nimirum adeo specialem dilectionem a nobis & filiis sanctæ Romanæ ecclesiæ promeruisti, ut a nonnullis te odio habentibus, odium nobis evidentibus indiciis exhiberi declaretur. Super Aurelianensem denique, qui simoniace episcopatum obtinuisse, & inde perjurium tribus aliis sibi adhibitis incurrisse probatur, sententiam dare archiepiscopum Senonensem litteris nostris admonuimus: quem nimirum, ut cum ipso convenias, & negotium illud pariter agas, apostolica autoritate hortamur. Abbatem quoque sancti Medardi jam pridem excommunicationis vinculo innodatum, omnibus modis operam dare studeas, ut de abbatia, quam injuste retinet, ejiciatur, & alter digne & canonice substituatur.

Cætera vero quæ in litteris tuis continentur, ad præsens distulimus: præsertim cum in præsentia tui, quam desideramus videre, id melius fieri existimamus: non enim panis securi, neque arbor cultro succidi solet. De causa autem Amelrici iterum & iterum te admonemus, ut quod in apertis litteris nostris continetur, omni studio omnique solicitudine peragas.

CONSTITVTIONES QVAS LEGATI sedis apostolicæ Mediolanensibus observandas præscripserunt.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione domini Iesu Christi MLXVII. *pontificatus vero domini Alexandri II. papæ sexto, indictione quinta, die primo mensis Augusti, actum feliciter Mediolani.*

[Præ]scriptæ [le]ges ser[va]ndę Mediolanensi [ec]clesię.

CVM constet, fratres carissimi, omne genus hominum sub primi parentis prævaricatione ortum, ex radice carnis peccati trahere contagia culpæ, eamque propter hoc pœnam sustinere vindictæ, ut miseriis multis repletum, sibique ipsi grave & ingratum, nunquam in eodem valeat permanere statu: ut quia factori suo noluit obedire, ex pœna peccati cogatur mutabilitatis suæ miserias tolerare; ita ut nec animo virtutis stabilitatem, nec corpore status tenens qualitatem, in diversa vitiorum monstra erumpat, & præceps ad æternæ mortis interitum currat: immensa Dei bonitas humanam naturam sic vitiatam, & a se per mandatorum ejus transgressionem multifariam elongatam non deservit; sed labentem quotidie erigit, fugientem revocat, nexibus amoris multiplicium beneficiorum sibi ligat. Sed nec sic in voluntate ipsius permanenti, vel mandatis ejus adhærenti leges edixit, canonesque Spiritu sancto dictavit, modos constituit quibus debeat anima compesci, & in bonis enutriri. Quorum omnium caput, summumque apicem, Romanam, cui per beatum Petrum non solum terram, sed ipsos cælos ligandos ac solvendos dedit, constituit ecclesiam: ut quidquid ubique ecclesiarum pravitatis reperitur, dum ibi non poterit, ab ea quasi ab origine & magistra omnium corrigatur.

Quapropter dilectionem vestram hortor, & per Christum rogans obtestor, ne erubescat quisquam malum emendare, quod non erubuit ante Dei oculos perpetrare. Quia igitur in hac sancta Mediolanensi ecclesia, quorumdam pravorum clericorum ac laicorum statu, vel neglectu, in multis divinæ legis desuevit regula, unde in hac præclara urbe perniciosa inter justitiæ, ut videbatur, fautores, & malitiæ defensores orta seditio, ac mortifera in omnem intus & extra populum disseminata discordia, ad animarum interitum: qualiter per boni Iesu amatoris hominum misericordiam, & per nos qualescumque apostolicæ sedis legatos, nostramque pervigilem operam, seditio in quietem, discordia in pacem, perversitas reducta sit in rectitudinem, scripturæ titulis annotamus: ut, juvante domino, pacem firmam, & canonicæ rectitudinis normam, in hac sancta ecclesia in perpetuum stabiliamus. Quia itaque per confratrem nostrum dominum Petrum Ostiensem episcopum, reverendæ sanctitatis virum, quædam sunt olim in hac urbe correcta: non opus est ea, vel præteritas lites omnibus notas, replicare; sed quæ nunc sunt canonica disciplina a nobis statuta, ad futurorum memoriam litteris exarare.

Apostolica igitur autoritate fulti, ex parte omnipotentis Dei & apostolorum principis Petri, gloriosique confessoris Christi Ambrosii, statuentes præcipimus, ac per virtutem Spiritus sancti, qui est peccatorum remissio, interdicimus, non nova præcipientes, sed antiqua reformantes, ut nullus in universa hujus ecclesiæ parochia monachus abbas per precium quocumque modo conventum accipiat, canonicus etiam nec nisi gratis, nec ullo alio modo ordinetur. Ex nulla quoque ecclesiastici ordinis benedictione, vel ex ecclesiarum consecrationibus, vel chrismatis datione, quidquam muneris a quoquam per aliquam conventionem detur aut accipiatur. Contra simoniacos.

Presbyter etiam, diaconus, ac subdiaconus, feminam ad fornicandum palam retinens, donec in culpa manserit, nec officium faciat, nec ecclesiæ beneficium habeat. Qui vero non retinet, & eventu ex humana conditione ceciderit: postquam manifestum veraciter fuerit, suspendatur ab officio tantum, donec per pœnitentiam satisfecerit. Contra clericos fornicatios.

Statuimus insuper neminem prædictorum graduum clericum ex suspicione damnari, ita ut nec officio careat, nec beneficio, nisi ipse forte confessus, vel per idoneos testes veraciter sit convictus. Ne autem lædendi eos aliqua occasio pro relictis feminis eorum fiat.

Statuimus ut cum illis in una domo non maneant, nec manducent, nec bibant, nec sine tribus vel duobus idoneis testibus simul loquantur: & hæc servantes, nullam pro eis calumniam patiantur: ipsi vero juxta ecclesias, si fieri potest, habitare cogantur. Qualiter vero quisque eorum pro ordinum inæqualitate, vel culpæ varietate, officium ac beneficium perdat; ideo scribimus, quia cuncta ecclesiastica officia in status sui dignitate consistere volumus, & nullum clericorum pro cujusquam peccati culpa, vel officii sui aliqua in Deum offensa, in judicio laicorum amodo esse permittimus, sed modis omnibus in perpetuum prohibemus.

Si

Si quis autem laicus cujusque ordinis, præscriptorum graduum clericos in potestate sua habet, cum primum sciverit in veritate, aliquem ex eis vel feminam, sicut dictum est, retinere; vel in fornicationis crimen casu cecidisse: statim per se vel per suum nuntium hoc studeat indicare archiepiscopo, & hujus ecclesiæ ordinariis, quibus cura ista commissa fuerit. Si ipse, aut ipsi, illi admodum scilicet in culpa obdurato vel accidentaliter lapso interdixerint, ut dignum est, officium: ipse laicus postmodum interdicat obdurato tantum officium. Si vero archiepiscopus, vel sui ordinarii, postquam audierint, hoc neglexerint: ipse laicus, quicumque sit, ex tunc in sua potestate, nec officium facere, nec beneficium alicui ex illis permittat tenere, donec culpam deserat, & digne domino per pœnitentiam satisfaciat. Præcipimus ut illud beneficium, quod cuiquam clericorum aufertur, nullus laicus in suum usum vel lucrum accipiat, nec alicui suorum tribuat: sed ad ipsius ecclesiæ, vel ministrantium illi opus & utilitatem servetur, aut expendatur, donec vel ipse, si dignus fuerit, reconcilietur, vel alter loco ejus constituatur.

Suppleat laicus neglectum quod est ab archiepiscopo.

Hoc etiam constituimus, & firmiter contradicimus, ut nullus laicus alicui ex illis qui forte lapsi fuerint, ullam in prædiolis, si habet, aut in aliquibus bonis suis, vel sæculari, si forsan fuerit, beneficio, violentiam inferat, nihilque de suis nisi ecclesiasticum beneficium prædicto modo tollat.

Similiter quoque, ut nullus laicus a cujusquam ordinis clerico in gradu aliquo ecclesiastico benedicendo quidquam muneris exigat vel accipiat, ne cum Simone mago particeps fiat.

Illud autem quod speciali devotione est dignum, inviolabili constitutione judicamus fore in perpetuum firmum: ut hujus gloriosæ sedis antistes, qui nunc est, vel quicumque deinceps fuerit, semel aut bis, si posse fuerit sibi, per omnes plebes, quicumque eas teneat, ad consignandum, & Christianitatem secundum Canones perquirendum vadat: nullusque laicus aut clericus in hoc ei resistat, sed devote ei in his quæ domini sunt obediat & ministret. Integram quoque habeat in omnem suum clerum canonice judicandi ac distringendi potestatem, tam in civitate, quam extra, per omnes plebes & capellas: ut dum clerici fuerint a sæcularis judicii infestatione securi, in divina servitute, & canonum autoritate consistant quieti, & archiepiscopo suo obediant devoti.

Illos autem omnes clericos & laicos, qui contra simoniacos & incontinentes clericos, ut per rectam fidem, ne hæc mala fierent, operam darent, juraverunt, & per hoc incendia, deprædationes, sanguinum effusiones, multasque injustas violentias fecerunt, omnimodo prohibemus ne hæc ulterius faciant: sed semetipsos custodiendo, & pro his qui ea non servant, archiepiscopo suo & ordinariis hujus ecclesiæ, suffraganeisque episcopis, quod canonicum est suggerendo, & cum bono animo supplicando, in his operam tribuant; hoc est, studium habeant. Et nulla alicujus damni vel dedecoris, quod pro hujus placiti causa alicui illatum est, ex aliqua parte amodo repetitio fiat, aut odium maneat: sed pax Christi, quæ superat omnem sensum, corda vestra possideat.

Ad hæc igitur omnia conservanda, & perenniter stabilienda, quia aliquando nonnullos magis mundana quam æterna pœna a malo retrahit, & ad bonum compellit: si quis ex his omnibus, qui pro officio & potestate ecclesiastica vel mundana hæc agere debet, & potest ea studiose & fideliter perficere, sicut præmissum est, neglexerit aut noluerit: archiepiscopus quidem, de suo centum libras denariorum persolvat, & si contempserit, donec emendet, proprio officio abstineat; clericus autem vel laicus, pro ordinis ac dignitatis suæ qualitate ac potestate tali mulctetur damno, ut si quidem de ordine capitaneorum fuerit, viginti denariorum libras, vassorum autem decem, negotiatorum quinque, reliquorum vero pro qualitate & possibilitate componat ad utilitatem hujus sanctæ matris ecclesiæ: & sicut pro treuga Dei fracta per decem tot civitates riscattum faciat.

Si quis itaque (quod non optamus, & dominus avertat) hæc non observaverit, & transgressor factus, sicut statutum est, emendare contempserit: incurrat æternæ maledictionis & anathematis vinculum, & cum Dathan & Abiron præsens, atque cum Iuda traditore, Pilato & Caipha, æternum subeat interitum, nisi resipiscat, & digne satisfaciat. Omnipotens Deus, dulcissimi fratres & filii, precibus beatissimi apostolorum principis Petri, & gloriosissimi consortis sui Ambrosii, ab his omnibus malis vos custodiat: & in bonorum observantia corda vestra & corpora ita dirigat, ut ad promissam vobis æternæ beatitudinis hereditatem pervenire concedat. Amen.

Ego Mainardus Dei gratia Silvæcandidæ dictus episcopus, apostolicæ sedis legatus, huic constitutionis paginæ a me factæ subscripsi.

Ego Ioannes sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis presbyter, atque ejusdem legatus, huic constitutioni subscripsi.

VII. AD EPISCOPOS DANIÆ.

Pro synodo celebranda.

Alexander episcopus servus servorum Dei, omnibus episcopis in regno Danorum constitutis, apostolicæ sedis & nostro vicario obedientibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Hamburgensis episcopus, venerabilis vicarius noster, litteris & legatis suis conquestus est, quod quidam Edbertus Fariensis episcopus, multis criminibus involutus, ad synodum suam per triennium vocatus, venire contempsit. Quod quia consilio quorumdam vestrorum dicitur esse factum: mandamus, & apostolica autoritate præcipimus, ut ab hujusmodi recedatis omnino consilio, eumque ad audientiam prædicti fratris nostri ire admoneatis: quatenus post factam examinationem canonice judicetur. *Et alia, quibus ibi præcipitur ut ei obediant, & satisfactionem exhibeant.*

VIII. AD VVILIELMVM REGEM ANGLORVM.

Pro exactione denarii sancti Petri.

Idem Alexander VVilielmo regi Anglorum.

Novit prudentia tua Anglorum regnum, ex quo nomen Christi ibi clarificatum est, sub apostolorum principis manu & tutela extitisse: donec quidam, membra mali capitis effecti, zelantes superbiam Fragmenta.

perbiam patris sui satanæ, pactum Dei abjecerunt, & Anglorum populum a via veritatis averterunt. *Et paulo post*: Nam, ut bene nosti, donec Angli fideles erant, piæ devotionis respectu ad cognitionem religionis annuam pensionem apostolicæ sedi exhibebant, ex qua pars Romano pontifici, pars ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ vocatur Schola Anglorum, in usum fratrum deferebatur.

IX. AD SANCTUM ANNONEM ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM.

Concedit illi privilegium immunitatis pro monasterio Sigebergensi.

Alexander episcopus servus servorum Dei, Annoni archiepiscopo sanctæ Coloniensis ecclesiæ in Christo Iesu fratri carissimo.

QUOD a nobis, Deo dilecte frater, expetis, ex officio suscepto & apostolica autoritate universis debemus ecclesiis. At mihi tecum, in Deo dilecte frater, aliter agendum est, quippe apud virum religiosum, & revera tam operibus quam nomine episcopum. Itaque ex parte domini nostri Iesu Christi, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctorumque apostolorum Petri & Pauli, omniumque sanctorum & electorum Dei, confirmamus & corroboramus abbatiam illam in perpetuum: ne qua persona magna vel parva, non aliquis successorum tuorum, non rex, aut comes, nullus, inquam, hominum, ex ea quidquam ad destructionem loci demoliri audeat: verum omnibus collatis & conferendis pax sit permanens & inconvulsa: & prima ista, qua modo instituuntur, apud monachos permaneat consuetudo, sitque illis de abbate libera electio. Si quis hujus nostri privilegii temere violator extiterit, perpetui anathematis vinculis se innodandum noverit, nisi forte resipiscens digne satisfecerit. Qui vero pia devotione observator esse studuerit, peccatorum suorum omnium consequatur veniam, & æternæ beatitudinis gloriam mereatur.

X. AD VVILIEMUM REGEM ANGLORUM.

Fidem laudat, eique ecclesiasticarum personarum defensionem, & Lanfranci causam commendat.

Alexander episcopus servus servorum Dei, carissimo filio VVilielmo glorioso regi Anglorum, salutem & apostolicam benedictionem.

OMNIPOTENTI Deo laudes gratiasque referimus, quod in hoc tempore licet mundus in maligno positus plus solito pravis incumbat studiis, tamen inter mundi principes & rectores egregiam vestræ religionis famam intelligimus, & quantum honoris sanctæ ecclesiæ, tum simoniacæ hæresis vires opprimendo, tum catholicæ libertatis usus & officia confirmando, vestra virtus impendat, non dubia relatione cognoscimus. Sed quia non iis, qui bona demonstrant, justitia, sed in fine probatis præmium & corona promittitur: excellentiam vestram plena dilectione monemus, ut in studio Christianissimæ devotionis vestræ persistatis: & primo quidem ecclesias Christi, quæ in regno vestro fiunt, religioso cultu, & justis dispositionibus exornetis, commissa vobis regni gubernacula ita justitia tenendo tractetis, ut ex operum rectitudine, quod scriptum est, *Cor regis in manu Dei*, vobis manifeste congruat.

Rogamus etiam dilectionem vestram, ut ecclesiasticas personas ab injuria defendatis: viduas, & orphanos, & oppressos misericorditer relevando protegatis. Quoniam licet ille rex regum & supernus arbiter totius regni, quod vobis tradidit, rationem a vobis exigat: pro his tamen districtius appellabit, quibus non fuerunt vires & arma, nisi vestra potentia. Ad hæc igitur perficienda, & aliarum virtutum incrementa percipienda, fratris nostri Lanfranci Cantuariensis archiepiscopi monitis & consiliis gloriam vestram hortamur acquiescere, quem carissimum membrum, & unum ex primis Romanæ ecclesiæ filiis lateri nostro assidue non adjunctum esse dolemus; sed ex fructu, quem ecclesiæ in regno vestro tribuit, consolationem ejus absentiæ sumimus. (Admonet Alexander regem.)

Præterea eminentiæ vestræ notum esse volumus, quod causa Alricii, qui olim Cicestrensis ecclesiæ præsul dictus, a suppositis legatorum nostrorum depositus est, non ad plenum nobis tractata videtur: ideoque, sicut in canonibus cautum est, in pristinum locum debere restitui judicavimus. Deinde causam ejus juxta censuram canonicæ traditionis diligenter retractandam & definiendam prædicto fratri nostro archiepiscopo Lanfranco commisimus. Item sibi negotium de discernenda lite, quæ inter archiepiscopum Eboracensem & episcopum Dorcacestrensem de pertinentia diœcesis eorum est, firmiter injungendo commendavimus, ut hanc causam diligentissima perquisitione pertractet, & justo fine determinet. In causis autem pertractandis & definiendis ita sibi nostræ & apostolicæ autoritatis vicem dedimus, ut quidquid in eis, justitia dictante, determinaverit, quasi in nostra præsentia definitum, deinceps firmum & indissolubile teneatur. Multa vobis præter hæc significata dedissemus, nisi quod ea in hujus dilectissimi fratris nostri Lanfranci, & ejusdem fidelissimi vobis, ore posuimus: ut ejus viva voce, & nostræ dilectionis affectum plenius cognoscatis, & reliqua nostræ legationis verba attentius audiatis. Deus autem omnipotens det vobis quæcumque sibi sunt placita velle & posse: ut & hic auctor sit vestri gubernaculi, & retributor in gloria sempiterni gaudii. (De causis Lanfranco commissis. — Lanfrancus decernitur legatus apostolicus.)

XI. AD LANDULPHUM.

Respondet quod non aliter quam cum consensu uxoris suæ monasticam vitam ingredi & votum continentiæ emittere possit.

Alexander II. Landulfo in Corsica.

NOTIFICASTI te morte tenus infirmatum esse, & peccatorum tuorum recordatione & terrore valde pavefactum, anxie quæsisse monachum fieri, & a tua uxore, minis & terroribus eam occidendi, ad hæc licentiam extorsisse, & sic te monachicam vestem sine abbate sumpsisse, & monasterium petiisse. Postea vero cum sanus factus esses, tuæ uxoris reclamantibus ejulationibus, & planctibus, tuæque familiæ dispersionibus, utpote * pœnitens, devictus, domum remeasse, & post multos dies quorumdam sapientum consilio ad jam dictæ mulieris cubile rediisse diceris. Nunc autem, si tua uxore uti liceat, nostrum requiris consilium. Si ita denique est, ut tuus nuntius narrat, non videtur (Ivo p. 8. c. 220. Et 33. qu. 5. c. notificasti. — * al. utpote penitus.)

nobis rationabiliter neque sana mente id factum. Quoniam cum omni homini ad monachicam vitam tendenti legaliter & juste sit peragendum: tu contra leges minaciter & violenter a tua uxore, partim terrore mortis, partim tuæ infirmitatis doloribus exanimatus, devia * secutus, nulla, ut dicitur, licentia accepta, recessisti, & monasterium petisti. Non enim violentia, sed ex pari voluntate & consensu, sicut sancti patres dicunt, hæc fieri debent. ' Neque vir in monasterio recipiendus est, nisi uxor illius femineum monasterium elegerit, aut professa continentiam, habitum cum festinatione mutaverit. Sanctus enim » Basilius episcopus de hac re taliter dicit: Si quis » conjugatus vult converti ad monasterium, non » est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam » profitente fuerit absolutus. Nam si illa, illo » vivente, alteri per incontinentiam nupserit: pro» cul dubio adultera erit: nec recipitur apud do» minum ejusmodi viri conversio, quam sequitur » conjugalis fœderis prostitutio. Tales igitur tunc » sine culpa relicto sæculo sequuntur Christum, » si habeant ex pari voluntate castitatis consen» sum. Itaque, fili carissime, perpende & vide: si sic canonice a tua es solutus uxore, & tua uxor ita pollicita est: & tu & illa adimplete bonum inceptum, & votum vestrum: aliter enim non debemus vobis necessitatem separationis imponere.

* al. de via secutus.

' al. Neque vir monasterium eligere, aut professa continentia habitū cum festinatione debet mutare. can. 2. 33. q. 5.

XII. AD GERVASIUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM

Compatitur afflicto statui ecclesiæ Remensis: illatamque injuriam legitime vindicandam pollicetur.

Alexander servus servorum Dei, dilectissimo fratri Gervasio archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectionis tuæ litteras diligenter accepimus, & gratanter amplectentes, intento mentis intuitu caritative perspeximus. Sed querelis & doloribus plenas cernentes, caritative compatimur, & condolemus: tum quia ecclesia tua antiquitus inter cæteras occidentales, Deo propitio, nitore prudentiæ atque religionis resplenduit, ac per apostolicam, cui Deo autore licet indigni deservimus, sedem, magnificata emicuit; cum eadem, a prioribus patribus & prædecessoribus nostris non discrepans, in sinu suo te retinere, & caritatis dulcedine fovere desiderat. Quæ querelæ, etsi inter damna ecclesiæ quæ referunt, inter dolores & gemitus cordis tui, quos depingere contendunt, saltem* pectoris tui & fidelitatem, quam nostræ Romanæ adhibes, & unicam & sinceram dilectionem, quam tuæ Remensi servas ecclesiæ, satis urbane & honeste monstraverint: nos tamen utcumque arguunt, quia vindicem gladium manu apostolicæ ultionis in adversarios tuos * jam porreximus: siquidem antiqui hostis invidia, antichristum per iniquitatis conceptionem suorum viscerum egerens de sentina, tantis eo ingruente Romanam ecclesiam per quinquennium, nunc callida tergiversatione, nunc hostili invasione oppressit periculis, ut intestina nostræ specialis ecclesiæ negotia vix possemus ventilare, nedum longinqua ad plenum extricare. Verum post longam tempestatem, & crebras procellas, sereno, nube expulsa, Deo jubente, reddito, forensibus jam occurrere valemus: quia, Deo propitio, unde ire debeamus viam videmus. Non tamen juste, ut vestra diligentia novit, potest fieri, ut prius quis a quoquam prælato excommunicetur, quam missa synodica canonice ad respondendum vocetur. Age modo debitum tenentes ordinem, & adversariis tuis vocatorias litteras dirigemus, & tibi tuæque ecclesiæ justitiam exequi procul dubio pollicemur. Quapropter, quia, ut aiunt, nunquam consequimur victoriam, nisi prius præcedat pugna: ut tuæ, sicut amantissimus sponsus & egregius patronus, ecclesiæ viriliter subvenias, & Romanæ per beatum Petrum, velut bonus filius, strenue adjuvando obedias, & vineæ domini indefessus collaborator centenum fructum tempore messionis recipias: ad synodum, Deo annuente, quintodecimo die post proximum pascha cum præsentiæ tuæ dilectione celebrandam, sanctitatem tuam venire desideramus, ac sancto conventui interfore apostolica autoritate invitamus. Ad hæc si dilectus filius noster Petrus sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconus, & noster cancellarius, quem pro responsis ecclesiasticis vestras ad partes misimus, per vos transierit: ita erga eum se tua fraternitas habeat, ut, quemadmodum nos diligat, ostendat. Quod autem citius apicibus tuis non respondimus, non nobis, sed tui legati nimiæ deputes festinationi.

* al. salem.

* for. non jam.

Ivo p. 14. c. 41.

XIII. AD EUMDEM.

Monet ut controvesiam quæ est inter clericos citra affectum componat. Significat comitibus esse scriptum, ut ecclesiæ læsæ satisfaciant, vel ad synodum futuram Romæ compareant.

Alexander episcopus servus servorum Dei, Gervasio Remensi archiepiscopo fratri carissimo, salutem & apostolicam benedictionem.

Si sacerdotale, quod administramus, officium mentis integritate pensemus: sic nos cum filiis nostris individuæ caritatis debet unire concordia, ut sicut patres in nomine, ita affectu probemur in opere. Ideoque desideramus, ut quos diversitas voluntatis ab alterutra dilectione facit esse divisos, eos ad concordiam redeuntes caritas faciat esse in gratia unitos. Litteras itaque sanctitatis vestræ suscipientes solita diligentia relegimus: in quibus continebatur controversia quæ inter vos & clericos vestros M*. & A. vertitur; & damna, quæ M. & R. comites, ecclesiæ vestræ atque canonicis inferunt. Unde ipse professus es, te ante legatos nostros aut satisfaciendo corrigere, aut plenissime purgare. Quapropter dilectionem tuam intente hortamur, ut ante legatos nostros P. sanctæ Romanę ecclesiæ bibliothecarium, atque V. cardinalem presbyterum, si ipsi adesse potuerint, congregatis suffraganeis tuis, admisso etiam Laudunensi, cui instans negotium commiseramus, episcopo, ita ęquitatis lance terminetur, ut neutra pars de injustitia amplius causetur. Illi tamen, quia ad beatissimi Petri sacratissimum corpus venerunt, in quo totius Christianitatis est singulare refugium, sibi sentiant adesse pręsidium, quo per nos non videamini moti ad iracundiam: quia si proximorum necessitatibus benigna mente compatimur, nostris procul dubio petitionibus clementem dominum reperimus. Ita ergo, frater beatissime, stude, quatenus dum ad synodum, ad quam pro adjutorio sanctę ecclesię invitatus es, Deo auxiliante veneris, de his expeditus, solummodo ad ecclesiastici negotii vaces consilium, & sanctę tuę universali matri

* Manas sem & malricum

matri ecclesiæ, ut prudentissimus consiliator, & A fortissimus propugnator, contra hostes suos ultionis atque defensionis impendas auxilium. Comitibus autem illis, qui ecclesiæ tuæ adversantur, iterum scripsimus, ut aut ante legatos nostros mala, quæ ecclesiæ tuæ intulerunt, satisfacientes digne emendando corrigant, aut ad præfatam synodum omni posthabita occasione, ad respondendum de objectis veniant. Ubi si rebelles fuerint, quod justum visum fuerit decernemus, & officium nostrum adimplere non omittemus. Præfatos autem legatos vestræ benignitati iterum commendamus: quos tamen a fraternitate tua honeste tractari non dubitamus.

XIV. AD EUMDEM.

Monet iterum ut duorum clericorum Remensium causam terminet.

Alexander episc. servus servorum Dei, Gervasio venerabili confratri Remorum archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

MIRAMUR diligentiam tuam, dilectissime frater, autoritatem nostram ita parvi pendere, ut ea, quæ crebris orationibus nostris digne admoneris atque rogaris, minime videaris perficere. Si enim aliquis in tui auxilii favore confisus, a partibus nostris ad te veniendi fatigium arripe- C ret, & in confidentia sua deceptus nihil proficeret: credimus quod caritas tua non parum doleret. Ut enim de patientia nostra interim taceamus: qua fiducia beatissimum Petrum, cælestis regni clavigerum, in tuis petitionibus vales invitare; cum jam per biennium ii, qui ejus patrocinium longis itineribus, gravibusque laboribus petierunt, fere nihil, nobis vice sua instantibus, adhuc potuerunt impetrare? Cum enim in hac petra, in qua Christi ecclesia ædificata est, singulare sit refugium tribulantibus constitutum, ut qui ad eam confugiunt semper soleant invenire solatium: hujuscemodi tempore nostro evacuari Romanæ ecclesiæ privilegium, dissimulando ferre non possumus. Quapropter fraternitatem tuam his nostris affatibus diligenter admonemus, atque admonentes præcipimus: ut ita te nunc in causa Manasse & D Amalrici ecclesiæ tuæ clericorum pium reddas, ita benignum exhibeas, quo ulterius aures nostræ inde querelam non audiant: quatenus sicut in uno cœpisti restaurationem, ita justa executione perficias in utroque: quia non incipientibus, sed perseverantibus promittitur præmium. Si autem in hac re verba nostra tibi levia fuerint, amicitia inter nos durare non poterit.

XV. AD EUMDEM.

Blandinensis & alterius cœnobii invasores, nisi rationi acquiescant, excommunicari jubet. E

Alexander episcopus servus servorum Dei, Gervasio Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

LICET Carnotensium causam contra præceptum sanctæ apostolicæ sedis, & pristinæ rectitudinis tuæ zelum, reprehensibiliter neglexisse proberis: tamen quia messis multa, & operarii pauci, ad definienda ecclesiastica negotia quæ nobis deferuntur, prudentiam tuam nobis cooperatricem esse exposcimus. Præsentium itaque portitoris lacrymabiles querimonias audientes, compassionem ut oportuit exhibuimus. Deploravit enim se honore propriæ abbatiæ, altero simoniace subrogato, privatum: seque nullam inde justitiam consequi potuisse. Litteras etiam Blandinensis cœnobii nobis attulit, quod quidam Everelmus monasterium illud simoniace invaserit, ipsiusque bona ejectis monachis ad nihilum redegerit, vitamque suam adulteriis variisque criminibus ultra humanam consuetudinem polluerit. Admonemus itaque caritatem tuam, ut utrumque invasorem convenias: & si res ita est, hanc præsumptionem in partibus illis ulterius locis venerabilibus obesse non permittas. B Quod si præfati invasores canonicæ rationi acquiescere contempserint, & quibus debentur ipsa monasteria dimittere noluerint: nostra eos apostolica autoritate studeas cum omnibus fautoribus suis excommunicare.

XVI. AD EUMDEM.

Condolet necessitatibus ecclesiæ Remensis, eique auxilium pollicetur.

Alexander servus servorum Dei, Gervasio Remensium diligentissimo archipræsuli, atque in Christo dilectissimo fratri, salutem & apostolicam benedictionem.

VISIS fraternitatis tuæ litteris, coepiscoporum quoque tuorum, nec non & clericorum flebilibus auditis querelis: sensibiliter intelleximus quam maximis cladibus & ærumnis præter solitum Remensis gloriosissima opprimatur ecclesia; quantoque tua religiosa dilectio immerito versetur * incommodo. Quapropter vera affecti compassione, tum ex loci, cui immeriti præsidemus, solicita consideratione; tum etiam ex tuæ prudentiæ necessitudine, quam pio diligimus sinceri cordis amore: gravi gemitu, detrimento tuæ condolemus ecclesiæ: nec non fatigio tuo, carissime, procul dubio compatimur præcipue. Auxilii quoque dexteram, quam a nostra tantopere postulare studuisti apostolica sede, integro affectu prompti sumus pro viribus nostris, proque temporis qualitate, necessitati tuæ benigne impendere; atque apostolicæ autoritatis clypeum omnibus Remensis ecclesiæ adversariis libenter opponere. Sed præ nuntii tui festinatione, qui se asserebat collegas nullo modo posse relinquere, tuæ causæ habile, utpote in momento temporum, minime tunc, absentibus etiam nostris fratribus cardinalibus, reperire valuimus consilium. Ipsi autem post paululum, tuæ legationis communicata supplicatione, & aptum consilium invenire, & inventum una cum legato, quem a latere nostro poposcisti, auxiliante Deo, quam citius poterimus, curabimus partibus vestris dirigere. Interim vero hanc nostram responsionem suffraganeis tuis episcopis, qui similiter nostrum per litteras imploraverunt suffragium suæ matri ecclesiæ Remensi, intimare ne negligas: apostolicæ sedis, nisi morte fuerimus præventi, certissime præstolando legatum.

* f. vexetur.

XVII. AD EVMDEM.

Hortatur ut in causa abbatissæ e Laudunensi monasterio injuste ejectæ cognoscenda Elinando Laudunensi episcopo, juxta tenorem commissionis apostolicæ, consilio assistat.

Alexander episcopus servus servorum Dei, carissimo fratri Gervasio Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

PRoclamatio delata est sanctæ apostolicæ sedi, quod abbatissa Laudunensis, monasterii scilicet sancti Ioannis, sine canonica audientia & judicio episcopi sui a regimine suo ejiciatur. Quod nimirum quia canonicis institutionibus omnino videtur esse contrarium, admonuimus confratrem nostrum Elinandum Laudunensem episcopum, ut hanc causam diligenter discutiat, atque canonice diffiniat. Ita tamen, ut eadem abbatissa, priusquam discussio fiat, regimini suo, sicut sacri canones præcipiunt, restituatur. Invitamus igitur fraternitatem tuam, ut manum adjutorii tui ad hæc exequenda sibi tribuas, & ut hoc negotium juxta tenorem literarum nostrarum, quas sibi misimus, determinetur, te adjutorem & cooperatorem adhibeas. Quod quidem solicitudinis studium, etiamsi apostolatus nostri literis præmonitus non esses, oporteret tamen devotionem suam impendere, ipsumque Laudunensem episcopum, quia parochianus tuus est, ad hoc peragendum incitare. Non dubitet igitur prudentia tua hunc laborem arripere, seque pro domo Israel murum opponere. Et quia officii tui est pacem diligere, sicut jam te sæpius admonuimus, iterum admonemus, ut pacem cum carissimo nostro duce Godefrido studeas componere. Periculosum est enim ecclesiam tuam tanto discrimine fatigari, & nobis importabile tot accusationibus pulsari.

XVIII. AD EVMDEM.

Prohibet ne consecret Iossélinum Suessionensem episcopum de simonia convictum. Beluacensem episcopum corrigi, & Ambianensem, ob injuriam Corbeiensi abbati illatam, ad satisfactionem adigi præcipit.

Alexander episcopus servus servorum Dei, Gervasio venerabili Remorum archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

PESTEM simoniacam, quæ hactenus vestris in partibus quasi timida serpere solebat, nunc caput accepimus extulisse, & gregi dominico, tam timore quam pudore remoto, gravissimam jacturam instantissime inferre. Vnde non mediocri mœrore afficimur: quippe qui nobis creditos & Christi sanguine redemptos quorumdam perversitate perire videamus. Quod totum sane archiepiscopis imputamus: nemo enim simoniacus emptionem iniret, si se consecrandum fore desperaret. Sed quia archiepiscopi sine discretione consecrant, multi indiscrete ad episcopatus adspirant. Verum cum tempus acceperimus, adjutore Deo, & de consecratis & de consecratoribus justitias judicabimus. At vero audito tuo erga sanctam religionem bono studio, non modice gaudemus, quem strenuum cultorem ita in vinea domini operari audivimus, ut nulla Simonis propago in ea, quantum A ad te attinet, radicare possit. Et quamquam admonitione non videaris egere: te tamen admonemus atque præcipimus, ut Iossélinum Suessionensi ecclesiæ non consecres episcopum, qui archidiaconatum simoniace obtinuisse non contentus, episcopari etiam pecunia contendit. Beluacensem autem episcopum, quem res ecclesiasticas & populum Dei atrociter disperdentem audivimus, si verum est, jubemus ita virga sanctæ autoritatis ferias, ut cæteri, si qui sunt similes ejus, exemplo corrigantur. Porro Ambianensis episcopus a nobis admonitus ab injuria Corbeiensi abbati illata, non veritus nostram autoritatem non modo non desistit, verum etiam in dies eam multiplicat. Quare utrumque ad te maturius convoces, eorum contenB tioni finem canonice impositurus. Quod si per te nequiveris, rem totam ad sedem apostolicam tempestivius per epistolam referas, ut apostolica autoritate hæc contentio sopita conquiescat. Hæc agas, & aliis quoque ecclesiæ utilitatibus hortamus inservias: ut laboris tui dominum Iesum quandoque habeas largissimum retributorem, & nostram erga te benevolentiam sentias certiorem.

XIX. AD EVMDEM.

Cur monasterium Corbeiense ab episcopo exemerit.

Alexander episcopus servus servorum Dei, fratri Geruasio, salutem & apostolicam benedictionem.

C PRivilegia cœnobii Corbeiensis ab antecessoribus nostris instituta antiquitus noverit nos tua dilectio confirmasse, & ut in perpetuum rata sint autoritate sanctorum Petri & Pauli roborasse. Quod nostrę sanctionis edictum te quoque observare volumus, & ut per omnia observari facias, pia solicitudine commonemus. Miramur autem tuæ prudentiæ videri prædicta privilegia dissentiri ecclesiastico canoni: cum constet apud te alias esse leges ecclesiarum, quæ sunt generales, & alias esse eas, quæ specialiter in privilegiis quibusdam prærogantur ecclesiis ad immunitatem; ne quorumlibet importunitate patiantur inquietudines. CauD sam vero, quę summa & principalis erat inter episcopum & abbatem, canonice in concilio discussam scias nos penitus terminasse: eumdemque episcopum nobis & sanctæ Romanæ & apostolicæ sedi, cui Deo autore præsidemus, coram fratribus & coepiscopis nostris satisfecisse in synodo: ipsumque pro inobedientia sua suspensum fuisse ab officio. Cætera autem, de quibus abbas conqueritur, mandamus fraternitati tuæ ut audias; & secundum quod tibi justum videbitur definias. Chrisma vero & ordinationes si episcopus spiritu superbiæ inflatus dare noluerit, nostra licentia præfato monasterio concedas, & in omnibus negotiis auxilium tuæ protectionis exhibeas.

E

XX. AD EVMDEM.

Privilegia monasterio sancti Dionysii a prædecessoribus contra Parisiensem episcopum concessa confirmat.

Alexander servus servorum Dei, carissimo fratri Gervasio Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

DEvotioni tuæ notum fieri volumus, quod abbas monasterii S. Dionysii martyris apud nostram

noſtram audientiam ſuper epiſcopo Pariſienſi ſemel & ſecundo fuerit queſtus : videlicet quod ipſe contra jus privilegiorum a ſanctis & apoſtolicis viris ſalubriter eidem monaſterio multotiens conceſſum, contraque Francorum regum & epiſcoporum ipſius patriæ conſtitutiones, ſubripere, ſibique vendicare jamdicti monaſterii poteſtatem attentaverit. Ad quæ nimirum dirimenda ad ſedem apoſtolicam utrumque venire invitavimus : ut ibi congregatis eccleſiarum judicibus hujus cauſam litigii canonice determinaremus. His igitur in ſancto concilio repræſentatis, poſt longam diſcuſſionem, poſt varias utriuſque partis oppoſitiones, claruit juſtitiam præfato monaſterio favere: nec tot aut tantorum pontificum autoritati, abſque horrendo anathemate, aliquem poſſe obviare. Vnde conſilio totius ſancti conventus, quæ a ſanctis prædeceſſoribus noſtris ſancte ſunt inſtituta firmavimus atque corroboravimus. Rogando itaque fraternitatem tuam admonemus, quatenus, ſi invitatus fueris ab abbate vel fratribus ejuſdem monaſterii, chriſma & oleum & cætera quæ eis ex epiſcopali officio videntur neceſſaria, tribuas, ac tuos ſuffraganeos tribuere præcipias.

XXI. AD ARCHIEPISCOPOS GALLIÆ.

Mandat ut Petro Damiano Oſtienſi epiſcopo, legato ſedis apoſtolicæ, in omnibus fidem habeant, & debite obediant.

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Gervaſio Remenſi, Richerio Senonenſi, Bartholomæo Turonenſi, M.......... Bituricenſi, T....... Burdigalenſi, archiepiſcopis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Non ignorat ſancta veſtra fraternitas, dilectiſſimi, quod ex autoritate ſedis apoſtolicæ, cui nos indignos clementia divina præfecit, totius univerſalis eccleſiæ regendus ac diſponendus nobis ſtatus incumbit. Quoniam igitur pluribus eccleſiarum negotiis occupati ad vos ipſi venire non poſſumus, talem vobis virum deſtinare curavimus, quo nimirum poſt nos major in Romana eccleſia autoritas non habetur, Petrum videlicet Damianum Oſtienſem epiſcopum, qui nimirum & noſter eſt oculus, & apoſtolicæ ſedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem noſtram pleno jure commiſimus: ut quidquid in illis partibus, Deo auxiliante, ſtatuerit, ita ratum teneatur & firmum, ac ſi ſpeciali noſtri examinis fuerit ſententia promulgatum. Quapropter venerabilem ſanctitatem veſtram fraterna caritate monemus, & inſuper apoſtolica vobis autoritate præcipimus: ut talem tantumque virum, tamquam noſtram perſonam, digna ſtudeatis devotione ſuſcipere, ejuſque ſententiis atque judiciis, propter beati Petri apoſtolorum principis reverentiam, humiliter obedire. Quiſquis enim faſtu ſuperbiæ, quod abſit, inflatus illius judicio contradictor vel adverſator extiterit: uſque ad dignam ſatisfactionem, noſtram vel Romanæ eccleſiæ gratiam non habebit. Quia vero, cum ad vos Girelmum miſimus, adhuc adventum præfati domini Petri nos impetrare poſſe nullatenus ſperaremus : volumus ut ſi quid apud vos Girelmus cœpit, ad domini Petri magiſterium veniat, & per ejus manum quidquid agendum eſt fiat.

XXII. AD GERVASIUM REMENSEM archiepiſcopum ejuſdemque ſuffraganeos.

Excommunicationis ſententiam in Reginaldum monaſterii ſancti Medardi invaſorem a Petro Damiani latam confirmat, eamque executioni mandari præcipit.

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Gervaſio Remenſi archiepiſcopo cum ſuis ſuffraganeis, ſi obedierint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Si quod officii veſtri eſt exequeremini, non abbatem, ſed maleficum Reginaldum, a Petro Oſtienſi epiſcopo, & a vobis in conciliis juſta ratione, ut nobis relatum eſt, condemnatum, ab ipſo ſancti Medardi, quod ſimoniace invaſit, cœnobio penitus eliminaretis. Quod ſi cauſa cupiditatis, aut amore vel timore alicujus potentis perſonæ explere renuiſtis, hæc omnia Dei omnipotentis timore prępoſuiſtis: & nullum diſperſis monachis ſolatium regrediendi præbuiſtis. Quapropter ejuſdem Rainaldi malitia magis multiplicatur & creſcit. Hæc vero idcirco mandare curavimus, quia ex iiſdem diſperſis monachis quidam ad nos venerunt flentes & ejulantes ; alii litteras direxerunt lamentabiles, juſtitiam ſancti Petri, noſtramque conſolationem pro tali injuſtitia requirentes. Vnde ſupradicti Petri veſtramque noſtra autoritate corroboramus ſententiam, eumdemque Rainaldum & conſentaneos ejus anathematizamus, ipſumque cœnobium, quamdiu in eo manſerit, interdicimus, & ut idem faciatis vobis mandamus.

XXIII. AD GERVASIUM REMENSEM.

De amoto Carnotenſis eccleſiæ ſimoniaco invaſore Gervaſio & regi gratias agit. Aurelianenſem eadem de cauſa amoveri petit.

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo fratri Gervaſio Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Debitas fraternitati tuæ grates rependimus, quod in ejectione H...... a nobis damnati, quod Carnotenſem eccleſiam ſimoniace invaſerat, te promptum ſolicitumque oſtendiſti ; quodque ut alter dignus & idoneus eidem eccleſiæ canonice ſubſtitueretur cariſſimo, filio noſtro Philippo Francorum regi conſilium dediſti. Cui nimirum, ſuiſque optimatibus ut dignas ſuper hoc grates rependas prudentiam tuam invitamus. Noverit etiam fraternitas tua nos confratrem noſtrum Senonenſem archiepiſcopum admonuiſſe, quatenus Aurelianenſis eccleſiæ invaſorem * noſtra apoſtolica autoritate excommunicet. Claret enim ipſum ſimoniace epiſcopatum obtinere, & ad obtegendam reatus ſui improbitatem perjurium in Cabilonenſi ſynodo incurriſſe ; ſuique fraudulentia confratrem noſtrum Petrum Oſtienſem epiſcopum, a quo eadem ſynodus celebrata eſt, decepiſſe. Super hæc etiam ad argumentum criminum ſuorum litteras apoſtolatus noſtri, quibus ad hæc examinanda vocabatur, omnino refutavit. Quapropter caritatem tuam apoſtolica autoritate admonemus, ut præfato Senonenſi archiepiſcopo in damnatione

* Hadericum

Aurelianensis invasoris, contempto timore & gratia omnium, te socium & adjutorem adhibeas.

XXIV. AD GERVASIUM REMENSEM & ad Senonensem, archiepiscopos, eorumque suffraganeos.

Causam divortii inter Radulfum comitem ejusque uxorem, utrique dijudicandam committit.

Alexander episcopus servus servorum Dei, carissimo fratri Gervasio Remensi archiepiscopo, omnibusque suffraganeis suis, necnon Senonensi archiepiscopo, suisque suffraganeis, salutem & apostolicam benedictionem.

MULIER ista, præsentium litterarum portatrix, apostolorum limina adiens, conquesta est quod ei comes Radulfus omnia bona sua abstulerit, eaque dimissa, crimine fornicationis fallaciter objecto, alteram ducere velit: quod quam sit divinis & humanis legibus contrarium, fraternitas vestra perpendat. Quapropter studeat religio vestra ipsum convenire: & si causa talis est, ut ista asserit, redditis propriis bonis, ut ipsa ab eodem recipiatur satagite. Quod si ipse rationi acquiescere recusaverit, vos super eum canonicum deliberate judicium: quod nos, sequentes sanctorum patrum autoritatem, ubi sententiam vestram audierimus, confirmabimus.

XXV. AD GERVASIUM ARCHIEPISC. REMENSEM.

Ut corpus sancti Menni ab ecclesia sua indebite per Catalaunensium episcopum translatum ad propriam ecclesiam comminatione censurarum ecclesiasticarum referatur.

Alexander episcopus servus servorum Dei, Gervasio Remensi episcopo confratri dilectissimo, salutem & apostolicam benedictionem.

QUONIAM ad universalem sedem, cui divina providentia præsidemus, lacrymabilis & inaudita ecclesiæ sancti Menni querimonia est allata, sanctissimi scilicet, ejus corporis absentia desolata, domibus quoque & cæteris omnibus bonis impie & sine more denudata, lacrymas nos & Romanam fundere cogit ecclesiam. Unde fraternitati tuæ rogando curavimus mandare, ut corpus sanctissimi viri ab episcopo Catalaunensium a propria sede deportatum, & quod lacrymabilius est, cruentis armatorum militum manibus velut in partem prædæ discissum, ad propria redire, remota omni excusationis simulatione, facias. Eversionem quoque domorum, & direptionem cæterorum bonorum, sicut justum est, & officium magisterii tui decet, ut emendare compellas, ex parte beatorum apostolorum Petri & Pauli præcipiendo mandamus. Quod si sententiæ nostræ, immo tuæ justæ deliberationi, parere noluerit: virga magistratus tui ex autoritate sancti Petri ardentissime feriatur.

*** XXVI. AD UDONEM TREVERENSEM, & Theodoricum Virdunensem episcopos.

Ut qui in morbo monachum se futurum promiserat, & beneficia abdicaverat, si deinde convalescens monachus fieri nolit, beneficia illi restituantur.

Alexander episcopus servus servorum Dei, Udoni Treverensi, & Theodorico Virdunensi, episcopis, salutem perpetuam.

PRÆSENTIUM lator Cosaldus presbyter ad limina apostolorum veniens, querelam apostolicæ sedi deposuit: beneficium & altaria quæ per canonicam Virdunensis ecclesiæ obtinere solebat, a quodam diacono Richerio nomine sibi ablata esse. Dixit enim, quod quondam in infirmitate, fervore passionis oppressus, monachum se facere promiserit, non tamen ut monasterio vel abbati se tradiderit, vel promissionem scripserit: sed confitetur quod beneficium in manu advocati ecclesiæ refutaverit. At postquam convaluit, monachum facere mox negavit. Dixit etiam, quod cum infirmus jaceret, prædictus Richerius beneficium suum ab episcopo Virdunensi acquirere potuisset, quia dixit eum monachum jam factum esse. Causa differtur in Treverensem synodum, in qua præfatus Richerius diaconus mala fide acquisisse ac male intrasse convictus est. Quapropter quia beati Benedicti, canonicaque, & præcipue patris & prædecessoris nostri sancti Gregorii papæ constitutio, interdicit, ante unius anni probationem effici monachum: si ita est, ut dixit, judicamus, & autoritate apostolica præcipimus, ut diligentia vestra atque clementia harum portitor, Cosaldus presbyter videlicet, beneficia & altaria recipiat, habeat, & quiete retineat. Ivo p. 6. c. 418.

*** XXVII. AD CLERICOS NEAPOLITANOS.

Quomodo gradus consanguinitatis computandi sint.

Alexander II. clericis Neapolitanis.

DE parentelæ gradibus tam famosæ quæstionis apud illos scrupulum nuper etiam inter vos emersisse cognovimus: super qua nonnullos perniciosos interpretes ac disputatores, contra veritatis regulam sanamque doctrinam dogmatizare dolemus. Sedentes enim in cathedra pestilentiæ dictant jura quæ nesciunt, & docent illa quæ nullatenus didicerunt. Nam, ut fertur, ita generationes a duobus fratribus altrinsecus prodeuntes enumerant, ut eorum invicem filios quartam, nepotes sextam, pronepotes octavam generationem esse perhibeant. Hoc itaque modo unumquemque generationis gradum qui unus procul dubio dicendus est, dividunt, atque imperite numerandam progeniem, desecare contendunt. Qui nimirum nequaquam in hujus fœtoris ructus pestilenter irrumperent, si sacræ pabulum scripturæ vivacis ingenii faucibus ruminarent. Nam quod duorum fratrum, sive nepotum, vel deinceps utrinque descendentium generationes, non diversæ dici, sed eodem ac sub uno nomine debeant uniformiter appellari, Ivo p. 9. c. 6.

appellari, testatur liber Geneseos, cum dicit: Vixit Ioseph CX. annis, & vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir, filii Manasse, nati sunt in genibus Ioseph. Porro autem si sic cognationes supputari deberent, ut vestri disputatores autumant, dum Ioseph ex utroque filio, Ephraim scilicet & Manasse, nepotes haberet: nequaquam scriptura diceret, quia vidit filios Ephraim usque ad tertiam, sed usque ad sextam generationem. Item beatus quoque Gregorius dum super Anglorum conjugiis scriberet, hæc fere verba deprompsit. Quædam lex in Romana republica præcepit, ut duorum fratrum, vel sororum filius, vel filia, in conjugio copularentur. Sed omnino cognoscitur ex hoc conjugio sobolem non posse succrescere. Unde necesse est, ut jam IV. vel V. invicem generationes copulentur. In quibus nimirum verbis luce clarius patet, quia dum doctor insignis duorum fratrum soboles prohibet in matrimonio jungi, in quarta vero generatione permittit neophytos copulari: nequaquam, ut cultores perversi dogmatis adstruunt, generatio quarta in duorum fratrum filiis valet inveniri.

*** XXVIII. AD CONSTANTINUM ARETINUM EPISCOPUM.

Ut qui concubinæ suæ consanguineam, alteri desponsam, uxorem duxit, eam sponso restituat.

Ivo p. 9. c. 37. SCRIPSISTI quemdam ecclesiæ tuæ filium, concubinæ suæ in quarta linea consanguineam, alterius scilicet desponsatam, pro conjuge duxisse. Iuraverat enim eam, ut asseris, in matrimonium prius ducere sponsus: juravit etiam illam in fornicatione retinere incestuosus. *Item infra.* Apostolica fulti autoritate tibi judicando consuluimus, sponsam proprio sponso concedi, illi videlicet qui nulla consanguinitatis copula jungitur sibi. Quoniam misericordius perjurii pœna, quam pro vitandis culpis contrahit, indulgenda est, quam pœna perjurii cum perseverantia criminis vel delicti. Tribus denique peccator iste notatur criminibus, perjurio, adulterio, incestu. Perjurio namque, quia quod observare legaliter non potuit, sine judicio parentum vel judicum, temere jurare præsumpsit. Adulterio quidem, quoniam alterius sponsam vivente proximo coucupivit & seduxit. Incestu, quia contra decreta patrum, vicinius quam liceat, permiscere sanguinem sanguini non veretur. *Item infra.* Nosti quid sacri canones super hujuscemodi homine decreverunt: videlicet, si laicus, ut non promoveatur ad clerum; si clericus, ulterius non ascendat.

*** XXIX. AD AMALGERIUM CIVITATENSEM EPISCOPUM.

De pœnitentia presbyteri qui presbyterum occidit.

Ivo p. 10. c. 14. FRATRI huic, quem perpetrati homicidii reatu ad judicium canonicæ pœnitentiæ suscipiendum, ad apostolicam sedem misisti, noveris nos hujus ordinis pœnitentiam misericordiæ respectu injunxisse. Nam quia presbyter presbyterum occidit, quadrupliciter, XXVIII. videlicet annis, eum pœnitere oportet: qaatuordecim annos sibi misericorditer indiximus, irrecuperabiliter dejicientes eum presbyteratu, & omni administratione altaris. Quos quidem quatuordecim annos hoc ordine observabit. Tribus prioribus annis extra ecclesiam, nisi ad extrema mortis, absque communione, & mensæ participatione, & pace sit. Sed a cœna Domini solummodo reconcilietur, usque ad octavas pentecostes. Hac præsenti quadragesima quotidie jejunet in pane & aqua diebus tribus hebdomadæ, usque in pascha. Ab octavis pentecostes usque in festum sancti Michaelis, duobus diebus: deinde tres. Post tres annos, reddita sibi communione ecclesiæ & mensæ, inter idiotas sit usque ad expletos septem annos, eodem modo totum pœnitentiæ tempus servans. Et quia convenit eum esse sub regimine abbatis, mandamus tibi, ut mittas eum in aliquo monasterio, ut ibi condigne pœnitens salvetur; & si tibi vel abbati videtur sibi remittere, si hunc observasse pœnitentiam videris, post tres annos liceat.

*** XXX. AD CLERUM VULTURNENSEM.

De pœnitentia ejus qui presbyterum in se armis irruentem interfecerit.

POENITENS præsentium portitor ad nos veniens, retulit se instinctu diaboli quemdam presbyterum armatum super se irruentem, ictumque ferentem, occidisse. Unde quia in canonibus habetur pro interfectione armati presbyteri simplicem pœnitentiam esse dandam, injunximus pœnitentiam decem annorũ: ita ut hinc usque ad pascha jejunet tribus diebus per septimanam in pane & aqua, & non utatur calciamentis neque lino. Ab octava pentecostes, usque ad festivitatem sancti Martini jejunet duobus diebus per septimanam: & a festivitate sancti Martini usque ad natalem Domini, aut faciat carcerem jejunans quotidie in pane & aqua, aut eat exul & jejunet tribus diebus in pane & aqua. Ab octava epiphaniæ usque ad quadragesimam jejunet duobus diebus. A quadragesima usque in pascha jejunet tribus diebus, in pane & aqua: & hæc faciat usque ad annos quinque. Ab ingressu autem ecclesiæ & communione septem annos abstineat. Ivo p. 10. c. 16.

*** XXXI. AD RUMOLDUM CONSTANTIENSEM EPISCOPUM.

De abbate cujus servus fustis uno ictu ab ipso percussus, post sex menses mortuus est.

Alexander Rumoldo Constantiensi episcopo.

INTELLEXIMUS in litteris tuis, quod earum lator, sacerdos videlicet & abbas, ira acerrime stimulatus, servientem uno fustis ictu in dorso percusserit; & sic percussus, ut per conjecturam admittitur, sex tamen mensibus transactis, obierit. Unde hunc quasi homicidii culpa notatum, & sui gradus horrens incurrisse periculum, & dignitatis perpendimus pertulisse naufragium. In qua re, salvo tui ordinis privilegio, quodammodo repentina severitas & statuisse videtur præjudicium, & præcipue discretionis excessisse modum: quæ nimirum clementiori nobis videtur moderamine temperanda. De qua videlicet habenda discretione si tua fraternitas hæsitat, Gregorianæ autoritatis testimonium legat. *Item.* Fraternitati tuæ mandamus, ut fratrem istum abbatiæ restituat: & & si jam annus pœnitentiæ transactus habetur, sacerdotali sibi officio restituto, eum sacris altaribus ministrare permittat. Ivo p. 10. c. 21.

*** XXXII.

**XXXII. AD EUMDEM.

De eo qui ſubdiaconatus ordine poſtpoſito, diaconus & presbyter eſt ordinatus.

Ivo p. 6. c. 409. Et diſt. 52. c. ſolicitudo. SOLICITUDO dilectionis tuæ ſtuduit conſulere, utrum portitor iſtarum litterarum, diaconatus & presbyteratus officium ſit idoneus peragere, necne: cum ad id præpropero curſu, videlicet ſine ſubdiaconatus ordine, negligentia potius quam ſuperbia, cognoſcatur adſcendiſſe. Unde nos conſulendo caritati tuæ mandavimus, ut ab officio ſacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio ſubdiaconatus miniſterium ſibi rite imponas, & ſic deinceps ad majora officia eum redire concedas.

**XXXIII. GUILLELMUM PETRACORICENſem & Durannum Toloſanum epiſcopos.

Præſcribit modum pœnitentiæ ab eo peragendæ qui fraternæ cædis nolens cauſa fuerat.

Alexander epiſcopus ſervorum Dei, Guillelmo Petragoricenſi, Duranno Toloſenſi, epiſcopis; & Hugoni abbati.

Ivo. p. 10. c. 177. PRÆSENTIUM portitor litterarum ad nos perveniens lacrymabiliter confeſſus eſt ſe fratricidii crimen incurriſſe. Qui, licet tanti facinoris efficiens cauſa fuerit: tamen minime ſua voluntate peractum intimavit. Cum enim fratrem ſuum inimicantem ſibi paratis inſidiis cepiſſet, & ipſum ut ſecum iret percuſſione capuli enſis coegiſſet, conſobrinus quidam ſuus ſecum perveniens, ſine conſilio, & præmeditatione, ſine voluntate etiam ipſius, ut adſtruit, eum interfecit. Cui licet condignam religio veſtra injunxerit, & laudabilem pœnitentiam: tamen circa eum miſericordiæ viſcera exhibentes, præcipimus, ut cum domum redierit, medietatem totius patrimonii ſui, pro fratris animæque ſuæ remedio pauperibus tribuat; alterius quoque hereditatis ſuæ portionem nihilo minus pro eadem cauſa diſtribuens, uſum fructum ſuæ neceſſitati reſervet. Et ſic ordinatis omnibus ſuis, liber in monaſterium ingrediatur, & ibi per unum annum hujuſmodi pœnitentia maceretur, ſcilicet ut a pentecoſte uſque ad ſancti Michaelis feſtivitatem bis in unaquaque hebdomada jejunet in pane & aqua. Dehinc autem uſque ad quadrageſimam tribus diebus jejunet ſimiliter in pane & aqua; & ut a corpore & ſanguine Domini uſque ad tres annos expletos abſtineat, niſi periculum mortis immineat. Quadrageſimam totam, præter dies dominicos, ſimiliter jejunet: arma nullo modo in vita ſua induat: conjugio uſque ad peractam ſeptem annorum pœnitentiam non utatur: ſexta feria, donec vixerit, jejunet. Hæc omnia ita illi injunximus, ut ſi infirmitatem ejus hæc minime ferre poſſe providentia veſtra præſenſerit, licentiam habeat miſerendi, prout placuerit.

**XXXIV. AD OMNES EPISCOPOS *HISPANIÆ. *al. Galliæ.

Quod Iudæi ſervari debeant, non occidi.

Alexander papa omnibus epiſcopis Hiſpaniæ.

PLACUIT nobis ſermo, quem nuper de vobis audivimus: quomodo tutati eſtis Iudæos qui inter vos habitant, ne interimerentur ab illis qui contra Sarracenos in Hiſpaniam proficiſcebantur. Illi quippe ſtulta ignorantia, vel forte cæca cupiditate commoti, in eorum necem volebant ſævire, quos fortaſſe divina pietas ad ſalutem prædeſtinavit. Sic etiam beatus Gregorius quoſdam qui ad eos delendos exardeſcebant, prohibuit, impium eſſe denuntians eos delere velle, qui Dei miſericordia ſervati ſunt: ut patria libertateque amiſſa, diuturna pœnitentia, patrum præjudicio, in effuſione ſanguinis ſalvatoris damnati, per terrarum orbis plagas diſperſi vivant. *Diſpar nimirum eſt Iudæorum & Sarracenorum cauſa. In illos enim, qui Chriſtianos perſequuntur, & ex urbibus & propriis ſedibus pellunt, juſte pugnatur: hi vero ubique parati ſunt ſervire. Quemdam etiam epiſcopum ſynagogam eorum deſtruere volentem prohibuit. Ivo p. 13. c. 114. *can 11. 23. q. 8.

**XXXV. AD CLERUM ET POPULUM LUCENSEM.

Miniſtri & ſervitores eccleſiæ abſque ulla venalitate ab epiſcopis ordinentur.

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Lucenſis eccleſiæ clero & populo, ſalutem perpetuam.

EX multis temporibus hoc deteſtabile malum intra veſtram eccleſiam inoleviſſe cognovimus, ut nulli umquam clerico, quamvis religioſo, quamvis ſcientia & moribus prædito, eccleſiaſticum beneficium concederetur, niſi ei, qui profano pecuniæ munere illud emere ſtuduiſſet: fiebatque eccleſia & res ejus ita venalis, veluti quædam terrena, & vilis merx a negotiatoribus ad vendendum expoſita. Quod malum, quam deteſtabile, quantum Deo ſanctiſque ſit contrarium, & ſacri canones docent, & fere omnibus manifeſtum exſtitit. Chalcedonenſe namque concilium unum ex principalibus, ſimili pœna condemnat eos, qui eccleſiæ beneficium interventu pecuniæ acquirunt, & eos, qui ſacram manus impoſitionem, per quam Spiritus ſanctus confertur, mercari dignoſcuntur. Utroſque enim autoritate inexpugnabili, illos a beneficio, iſtos a ſacro ordine jubet expelli. Unde humani generis redemptor, omnes ementes & vendentes de templo ejiciens, cathedras vendentium columbas evertit, nummulariorum effudit æs, præcepti ſui autoritate denuntians, & dicens: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Illud quoque in eodem facto ſolicite conſiderate, quod per totum textum ſancti euãgelii nuſquam reperitur, Dominum tanta ſeveritate, tam diſtricta cenſura juſtitiæ, peccantes corripuiſſe: cum non ſolum eloquio increpans, verum etiam facto flagello de funiculis verberans, omnes eliminavit de templo: aperte demonſtrans, quod tales negotiatores, non ſicut cæteri peccatores, ſunt corripiendi, ſed a templo Dei, id eſt, a ſancta eccleſia longius ſunt projiciendi. Nam ſicut per columbarum venditores illi deno- 1 q. 3. c. Ex multis. Ioan. 2.

denotantur, qui sacram manus impositionem vendere conantur: sic per nummularios, ecclesiastici beneficii venditores designantur, qui domum Dei, teste euangelio, speluncam latronum efficiunt. Quapropter ego Alexander sanctæ Romanæ ecclesiæ, & apostolicæ sedis episcopus, immo minis ter indignus, tot & tanta mala in multis ecclesiis, & maxime in Lucensi ecclesia, ex iniqua concupiscentia fieri conspiciens, ne sanguis iniquorum a districto judice de manu nostra requiratur, illa extirpare, & penitus eradicare decrevimus. Constituimus itaque, & præsenti decreto firmamus, sicut olim nostri antecessores fecisse noscuntur, ut nullus deinceps episcoporum, beneficium ecclesiæ, quod quidam canonicam, vel præbendas, seu etiam ordines vocant, pro aliquo pretio vel munere clericis audeat umquam conferre: sed omnes ministros, & servitores ecclesiæ, gratis, & absque ulla venalitate in sancta ecclesia studeant ordinare. Nec eligant in domo Domini, qui majores sacculos pecuniæ conferant: sed eos, qui moribus, & disciplina, atque scientia divites, pro officio suo ipsam valeant sustentare ecclesiam. Constituimus, & eodem modo firmamus, ut nullus cujuscumque gradus clericus, pro ecclesiæ beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ ecclesiarum, vel donariis ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit tribuendum: quia, teste scriptura, qui aliquid male accipit, ut quasi bene dispenset, potius gravatur, quam juvatur. Quod si aliquis divinorum præceptorum, & animarum salutis immemor, præfatum beneficium ecclesiæ, iniqua cupiditate ductus, vendere, vel emere temerario ausu præsumpserit, sicut in Calchedonensi concilio definitum est, gradus sui periculo eum subjacere decernimus: nec ministrare possit ecclesiæ, quam pecunia venalem fieri concupivit: & insuper terribili anathematis mucrone perfossus, nisi resipuerit, ab ecclesia Dei, quam læsit, modis omnibus ascindatur.

** XXXVI. GEBONARDUM Viennensem archiepiscopum.

De presbytero, qui caduco morbo laborabat.

Ivo p. 6. c. 405. Et 7. q. 2. c. In tuis litteris.

IN tuis litteris continebatur sic. Hic clericus ordinem habet presbyterii: sed quia caduco morbo laborat, & ipsi in præsentiarum hoc agnovimus, non ausi fuimus concedere sibi, ut offerret, vel missam celebraret. Quia vero languor in culpa non est, super hac re autoritatis nostræ decreto consulendum deliberavimus. Consulimus itaque, ut si frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione, & missarum celebratione, modis omnibus prohibeatur. Indecens enim est, & periculosum, ut in consecratione eucharistiæ morbo victus epileptico cadat. Si vero Dei misericordia convaluerit, quandoquidem non culpa, sed infirmitas est in causa, eum sacrificare jam non interdicimus.

XXXVII. AD VULTINENSIS ecclesiæ clericos.

Quam imposuerit pœnitentiam Theoderico, qui filium non sponte occidit

Ivo p. 10. c. 178. 1. Tenderigo 2. imposuisse: 3. in eodem pacto pœnit. connumeravimus.

DILIGENTIA vestra noscat huic 1. Theoderico, pro parricidio, videlicet morte filii sui, non sponte commisso, autoritate beatissimorum apostolorum & canonum pœnitentiam nos septennio 2. composuisse: in eodem 3. peractæ pœnitentiæ tempus connumerantes. Ita ut amodo usque sancti Martini festum duobus jejunet in hebdomada diebus, quarta feria videlicet & sexta, in pane & aqua. A sancti Martini festivitate usque ad Domini nativitatem, continuum agat jejunium in pane & aqua, exceptis dominicis & quintis feriis, in quibus quadragesimali cibo vescatur. Ab octavis theophaniæ usque ad quadragesimam, duobus in hebdomada jejunet diebus, quarta & sexta feria, in pane & aqua, exceptis festis principalibus, in quibus eleemosyna se redimat. In quadragesimali vero tempore continuum agendum est jejunium in pane & aqua, exceptis dominicis. In quinta feria * tantum, vinum ei bibere & quadragesimali uti cibo concedimus. Post annum vero completum, in toto anno duobus diebus in unaquaque hebdomada in pane & aqua jejunet. In quadragesima tamen continuum agat jejunium in pane & aqua. Et in unoquoque anno usque ad expletum pœnitentiæ tempus hujusmodi jejunium agendum est, & a carne se abstineat. Per unum annum ecclesiam ei denegamus. Post ingressum ecclesiæ, tribus annis eum a communione separamus, nisi mortis fuerit timore præventus. Si quis autem episcopus, vel religiosus presbyter, causa pietatis aliquid sibi relaxare voluerit: hoc ei apostolica autoritate concedimus.

* al. tamen vinum exhibere

** XXXVIII. AD EPISCOPOS, clericos & judices Italiæ.

Quomodo computandi gradus consanguinitatis.

35. q. 5. c. 2.

AD sedem apostolicam perlata est quæstio noviter exorta de gradibus consanguinitatis: quam quidam legum & canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros canones, & ecclesiasticum morem, numerare nituntur: novo & inaudito errore affirmantes, quod germani fratres, vel sorores, inter se sint in secunda generatione, filii eorum, vel filiæ, in quarta, nepotes, vel neptes eorum in sexta. Talique modo progeniem computantes, & in hujusmodi sexto eam gradu terminantes, dicunt, deinceps viros ac mulieres inter se posse nuptialia jura contrahere. Et ad hujusmodi profanum errorem confirmandum, in argumentum assumunt sæculares leges, quas Iustinianus imperator promulgavit de successionibus consanguineorum. Quibus confisi, ostendere moliuntur, fratres in secundo gradu esse numeratos, filios eorum in quarto, nepotes in sexto. Sic seriem genealogiæ terminantes, numerationem sanctorum patrum, & antiquam ecclesiæ computationem ad nos usque perductam, perversa quadam calliditate disturbare nituntur. Nos vero, Deo annuente, hanc quæstionem discutere curavimus, in synodo habita in Lateranensi consistorio, convocatis ad hoc opus episcopis, & clericis, atque judicibus diversarum provinciarum. Denique diu ventilatis legibus, & sacris canonibus, distincte invenimus, ob aliam causam, alteram legum fieri, alteram canonum computationem. In legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hereditas, vel successio, ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur, usque ad quotam generationem a consanguineorum sit nuptiis abstinendum. Ibi præscribitur, ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur: hic vero, ut rite & canonice inter fideles

fideles nuptiæ celebrentur. In legibus distinctè non numerantur gradus, nisi usque ad sextam: in canonibus autem usque ad septimam distinguuntur generationem. Hac igitur de causa, quia hereditates nequeunt deferri nisi de una ad alteram personam: idcirco curavit sæcularis imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia vero nuptiæ sine duobus non valent fieri personis, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas. Vtramque tamen computationem, si attente, ac subtiliter perspecta fuerit, idem sensisse, & eamdem esse in eis sententiam, atque ad eumdem terminum convenire manifestissimum erit. Iustinianus namque usque ad quem gradum consanguinitas ipsa perduret, in suis legibus non definivit. Canones vero ultra septimam, nullam numeravere generationem. Sexto quippe gradu determinato, in ipsis legibus subintulit imperator. [Hactenus ostédisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namque ex his palam est intelligere, quemadmodum ulteriores quoque gradus numerare debeamus. Generata quippe persona semper gradum adjicit.] Ecce in his brevibus verbis aperte ostenditur, tales gradus, quales isti computant, non tantum usque ad sextum, verum etiam ultra numerari debere: quippe cum ultra sextum ulteriores gradus numerandos esse decernat. Vbi enim ulteriores nominat gradus, aperte indicat non sex tantummodo esse gradus, sed sex finitis, adhuc alios numerandos. Nec mirum, cum in præcedentibus ipse firmaverit imperator, decimo etiam gradu consanguineos sibi inrer se posse succedere. Cum enim decimum nominat, non esse tantummmodo sex, luce clarius confitetur. Hi ergo evigilent, & aciem mentis, si possunt, intendant, quos hactenus istiusmodi pertulit error. Enimvero ubi secundum leges inter agnotos, vel cognatos defertur successio, consanguineos esse non dubium est. Neque enim sibi succederent, nisi inter se parentelæ vinculo tenerentur. Succedunt autem inter se, teste Iustiniano, in decimo gradu: consanguinei igitur sibi sunt, qui sibi succedunt. Quod si in decimo gradu consanguinei sibi existunt, non est terminata consanguinitas, ut isti fatentur, in sexto tantummodo gradu. Quid igitur dicent? computatis namque gradibus, sicut isti numerant, aut finitur consanguinitas in sexto gradu, aut non. Si finitur, fallaces erunt leges, quibus isti nituntur, quæ in decimo gradu sibi succedete consanguineos jubent. Quod si non finitur consanguinitas in isto sexto gradu, falcidici erunt ipsi, qui ultra illum sextum gradum nolunt computare consanguinitatem. Igitur aut leges erunt falsæ, aut isti, qui sic finiunt generationem. Sed ut veridicæ leges, & veraces sint canones, dicamus hoc quod veritas habet: scilicet quod non terminatur consanguinitas in hujusmodi sexto gradu, sed terminatur secundum canones in septimo gradu. Vtraque enim computatio, sicut superius diximus, uno fine concluditur. Namque duo gradus legales unum gradum canonicum constituunt. Fratres itaque, qui secundum sæculares leges, dicuntur in secundo gradu, juxta canones numerantur in primo; filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo; nepotes, qui in sexto ibi, istic numerantur in tertio: sic deinceps qui in legibus scribuntur in octavo & decimo, in canonibus definiuntur in quarto & quinto. Atque hoc modo de reliquis sentiendum est, ut qui se-

A cundum canones dicuntur in sexto, vel septimo, secundum leges accipiantur in duodecimo, vel quattodecimo. Hanc computationem intelligens prudentissimus papa Gregorius, dum quæreretur, in quota generatione conjungi fideles debeant, ipsas sæculares leges in testimonium adducens, Augustino Anglorum episcopo sic rescripsit: [Quædam terrena lex in Romana republica permittit, ut sive fratris & sororis, sive duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Vnde necesse est, ut jam in tertia, vel in quarta generatione copulatio fidelium licenter sibi conjungi debeat. Nam a secunda, quam prædiximus, omnimodo debent abstinere.] Ecce hic B aperte monstratur, filios & filias fratrum in secunda generatione numerari. Et, si fratrum filii & filiæ numerantur in secunda: fieri non potest, ut ipsi fratres non sint in prima. Quod si fratres computantur in prima, filii eorum in secunda: dubium non est, quin eorum nepotes sint in tertia, pronepotes in quarta, & sic de reliquis usque ad septimam. Sed sunt quidam qui ex his Gregorii verbis, quibus ait, ut in tertia, vel quarta generatione copulentur fideles, occasionem accipiunt illicita matrimonia contrahendi: dicentes se hoc juste facere posse, quod prudentissimus doctor sua sententia diffinivit. Isti itaque C qui se hoc velamento defendere nituntur, advertant in ejusdem patris sententiis, hoc non generaliter cunctis, sed specialiter Anglorum genti mandasse. Nam postmodum a Felice Messanæ Siciliæ præsule requisitus, an hoc, quod Augustino mandaverat, generaliter cunctæ ecclesiæ tenendum esset, apertissime firmavit, non aliis hoc, quam illi genti mandasse, ne bonum quod cœperant, metuendo austeriora, desererent. Sed & illis, postquam in fide essent firma radice solidati, & universali ecclesiæ, censuit semper esse tenendum, ut nullam de propria consanguinitate, vel affinitate, infra septimam generationem D aliquis sibi audeat conjugio copulare. Ecce aperte monstratum est, & ex verbis ipsius legis, & autoritate prudentissimi papæ Gregorii, quid de gradibus consanguinitatis numerandis sentire debeamus. Quamvis alia quoque ratio pari modo ipsos revincat adversarios. Nam si, ut ipsi fatentur, in illo sexto gradu consanguinitas finiretur: omnes personarum ramusculos, qui ultra illum gradum in pictura arboris continentur, velut superfluos oporteret detruncari. Sed quia omnes qui in prædictæ arboris pictura numerantur, ex una parentela consistunt, numquam sine diminutione consanguinitatis a se poterunt separari; veluti non sine damno cujusque personæ valent a proprio corpore, manus, brachia, & pedes truncari. E Illa quoque sacrorum præceptio canonum, quæ jubet a propria abstinere consanguinitate, quamdiu generatio recordatur, aut memoria retinetur, nec a prædicta parentelæ discrepat computatione. Nam in septem gradibus, si canonice & usualiter numerentur, omnia propinquitatum nomina continentur. Vltra quos nec consanguinitas invenitur, nec nomina graduum reperiuntur, nec successio potest amplius prorogari, nec memoriter ab aliquo generatio recordari. Ne vero in hac consanguinitatis computatione, aliqua dehinc valeat ambiguitas remanere: aliam, quam quidam faciunt, numerationem, in hac etiam disputatione duximus

duximus finiendam. Sunt enim quidam, qui non a fratribus, sed a filiis eorum, id est, patruelibus, vel consobrinis, genealogiam numerare incipiunt: docentes filios fratrum in prima generaliter computari debere, quia fratres, quasi quidam truncus, ex quo cæteri ramusculi oriuntur, existunt. Sed nec ista graduum computatio, si bene intellecta fuerit, ab ea, quam superius exposuimus, in sententia poterit esse diversa. Isti enim qui numerandi initium sumunt a filiis fratrum, non progrediuntur ultra sextam generationem: sed sicut totius mundi sex ætates existunt, & humanæ vitæ itidem sex: ita & in consanguinitate sex tantummodo autumant computandas esse generationes: quibus finitis, novæ conjunctionis dicunt posse fieri initium, ut quasi fugientem revocare possint consanguinitatem. Hæc itaque computatio, quæ incipit a fratrum filiis, & numerat usque ad sextam generationem, tantumdem valet, quantum ea quæ incipit a fratribus, & computat usque ad septimam. Nec ulla in sensu existit diversitas: quamvis in numero graduum varietas videatur. Ultima enim generatio, si initium numerandi sumat a fratribus, septima invenitur; si a filiis fratrum, reperitur sexta. Taliter igitur determinatis gradibus consanguinitatis, apostolica vos autoritate monemus, fratres, & filii, ut omnibus sic seriem genealogiæ computandam esse intimetis, quemadmodum sancti patres numerandam esse sanxerunt, & antiquus mos sanctæ, & universalis ecclesiæ per longa tempora olim computasse monstratur. Nam si quis perversa & obstinata mente a recto tramite apostolicæ sedis deviare voluerit, & aliter, quam nos, in nuptiis celebrandis gradus parentelæ numerare contenderit: primum pro sua temeritate, cælesti pœna plectetur; postmodum vero gladio perpetui anathematis se noverit jugulandum. Data Romæ, &c.

" ** XXXIX. AD LANFRANCUM Cantuariensem archiepiscopum.

Prædecessorum suorum decreta confirmat, ut monachis ecclesias cathedrales obtinere liceat.

Alexander episcopus servus servorum Dei, reverendissimo fratri in Christo Lanfranco venerabili Cantuariensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Edita inter epist. Lanfranci.

ACCEPIMUS a quibusdam venientibus de partibus vestris ad limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli, quod quidam clerici associato sibi terrenæ potestatis, laicorum videlicet, auxilio, diabolico spiritu repleti, moliuntur de ecclesia sancti Salvatoris in Dorobernia, quæ est metropolis totius Britanniæ, monachos expellere, & clericos inibi constituere. Cuinefario operi molitionis suæ, hoc adjicere conantur, ut in omni sede episcopali ordo monachorum extirpetur, quasi in eis non vigeat autoritas religionis.

Qua de re zelo Dei compulsi, scrutinium de privilegiis ecclesiarum fieri præcepimus: & venit ad manus statutum prædecessoris nostri beatæ memoriæ Gregorii majoris, de ecclesiis Angliæ; quomodo scilicet præcepit Augustino gentis vestræ apostolo, ut ejusdem ordinis viros, cujus & ipse noscitur esse, poneret in præfata sede metropolitana. Cujus præceptionis inter alia hæc subnexa sunt: »Quia, inquit, tua fraternitas monasterii regulis erudita, in ecclesia Anglorum, quæ nuper autore « Deo ad fidem perducta est: hanc debet conver- « sationem instituere, quæ in initio nascentis ec- « clesiæ fuit patribus nostris: in quibus nullus « eorum ex iis, quæ possidebant, aliquid suum « esse dicebat, sed erant illis omnia communia: « Quam communionis regulam ordini monacho- « rum permaxime congruere, nemo qui dubitat. « Hinc habetur epistola Bonifacii, qui quartus a beato Gregorio ecclesiæ Romanæ, cui autore Deo præsidemus, præfuit, quam Atelberto regi Anglorum, & Laurentio prædecessori vestro misit: in qua præmissis hujusmodi censura anathematis usus est: Gloriose, inquit, fili, quod ab apostolica « sede per coepiscopum nostrum Mellitum postu- « lastis, libenti animo concedimus; id est, ut ve- « stra benignitas in monasterio Dorobernensi ci- « vitate constituto, quod sanctus doctor noster « Augustinus beatæ memoriæ Gregorii discipulus « sancti Salvatoris nomini consecravit, cui ad « præsens præesse dignoscitur dilectissimus fra- « ter noster Laurentius, licenter per omnia mo- « nachorum regulariter viventium habitationem « statuat: apostolica autoritate decernentes, ut « ipsi vestræ salutis prædicatores monachi, mona- « chorum gregem associent, & eorum vitam san- « ctitatum moribus exornent. Quæ nostra decre- « ta si quis successorum nostrorum, regum, sive « episcoporum, clericorum, sive laicorum irri- « ta facere tentaverit, a principe apostolorum Pe- « tro, & a cunctis successoribus suis anathema- « tis vinculo subjaceat, quoadusque quod teme- « rario ausu peregit, Deo placita satisfactione « pœniteat, & hujus inquietudinis vestræ emen- « dationem promittat. Unde quia ratione dictan- « te quieti ecclesiarum utile esse perspeximus, præsens decretum prænominatorum patrum confirmamus, & vice apostolorum sub eodem anathemate eos constringimus, quicumque huic obviare contenderit.

" ** XL. AD ODRICUM ABBATEM VINDOCINENSEM.

Abbatiæ privilegium.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectissimo filio Odrico abbati Vindocinensis monasterii, cunctisque successoribus ejus ibidem regulariter promovendis, in perpetuum.

Ex apogr. Sirmondi.

OMNIBUS qui de justo ac puro desiderio procedunt succurrere nos debere, ipsa apostolica censura monemur. Quanto enim quisque altius effert oculos mentis ad divinæ speciem contemplationis: tanto nos ejus intentionem studiosius animare & exaltare debemus; ut ad illum, qui est fructus & merces operum bonorum, possit pervenire desiderium bonum. Confirmamus igitur, atque per hujus nostri privilegii paginam corroboramus, monasterium sanctæ Trinitatis apud castrum Vindocinum situm: quod videlicet Gaufredus Andegavensis comes, & uxor ejus Agnes Pictavensis comitissa, fundaverunt, & beato Petro in alodium & patrimonium cum universis rebus ad eumdem locum pertinentibus pia devotione obtulerunt. Hoc itaque monasterium studio bonæ voluntatis fundatum, & juri beati Petri contraditum, juxta fundatorum institutionem, & tuæ religionis petitionem, carissime fili Abba Odrice, ita apostolica autoritate munimus: quatinus inter primæ & apostolicæ sedis pontificem, & Vindocinensis mona-

ſterii abbatem, nulla, cujuſcumque dignitatis vel A ordinis perſona ſit, media habeatur. Concedimus etiam omnibus hujus loci abbatibus eccleſiam beatæ Priſcæ: ſancti Spiritus judicio decernentes, ut nulla deinceps eccleſiaſtica ſæcularíſve perſona prædictam beatę Priſcę eccleſiam, ſeu eccleſiæ dignitatem, eis auferre præſumat. Abbas Vindocinenſis, qui alodiarius beati Petri noſcitur, ab epiſcopo, vel a quolibet noſtræ ſedis vicario, ad concilium nullatenus vocetur. Hoc etiam præſentis decreti autoritate prohibemus, ut nulla, niſi ſolius papæ perſona, poteſtatem aliquam aut dominarionem in prædicto Vindocinenſi cœnobio exercere audeat, vel pro aliquibus rebus ejuſdem loci abbatem ſive fratres ſolicitare contendat. Sed ſi quis contra eos B cauſari voluerit, papæ præſentia requiratur; cujus, monaſterium ipſum, & res ad monaſterium pertinentes, eſſe noſcuntur. Quod ſi legatus a noſtro vel noſtrorum ſucceſſorum latere miſſus, ad partes Tranſalpinas deſcenderit, & prædictum locum beati Petri placuerit viſitare: ibi caritative ſuſcipiatur, & ei quæ corpori erunt neceſſaria, juxta loci poſſibilitatem, miniſtrentur. Ipſe vero in eodem loco nihil diſponat, nihil corrigat, nec occaſione legationis quicquam moleſtiæ loci habitatoribus inferat: ſed ſi quid agnoverit corrigendum, papæ notificare licebit. Præterea ſtatuimus, ut defuncto abbate ipſius loci, ſucceſſor ei eligatur de eadem congregatione: ſi tamen ſancto regimine dignus inveniatur. Si apud eos dignus prælatione inven- C tus non fuerit, a Cluniaco, ſeu a Majori monaſterio, uti undecumque melius poterunt, procurent monachi patrem ſibi ſecundum Deum eligere. Electus autem, ad nos, vel ad noſtros ſucceſſores, ordinandus accedat: & a ſede beati Petri apoſtoli, cujus eſt juris, baculum & conſecrationem accipiat. Si vero grave fuerit electo, pro ſua ordinatione ſtatim Romam venire: licentiam habeat, a quocumque voluerit catholico epiſcopo, abbatis benedictionem ſuſcipere. Quomodo tamen vel qualiter electio ipſa vel ordinatio facta extiterit: ſtudeant monachi ejuſdem loci, papæ litteris intimare, ut aut emendet, ſi opus fuerit emendandum; aut ſi fuerit ſecundum Deum, & B. Benedicti D regulam facta, bono ſtudio gratuletur, & ſua autoritate firmetur. Neque illud omittendum eſt, magis autem huic noſtræ confirmationi adnectendum, quod Theodericus ſanctæ Mariæ Carnotenſis eccleſiæ, epiſcopus, in cujus diœceſi prædictus Vindocinenſis locus ſitus noſcitur, Clementi papæ epiſtolam ſuam tranſmiſerit, rogans eum, quatenus hic locus, conſilio ejus & voluntate, beato Petro oblatus, tali per eum corroboraretur autoritate: ut neque illi, neque ſucceſſoribus ſuis hujus loci rebus vim vel calumniam inferre, ſive E de his quicquam ſubtrahere, vel pro qualicumque cauſa excommunicare, ſive interdicere, ſeu quamlibet poteſtatem aut dominationem in ipſo loco exercere liceret, vel qualibet occaſione rectorem loci vel fratres moleſtare præſumeret. Quod benigne Clemens papa annuit, & ſua autoritate firmavit. Et nos noſtra autoritate dignum annuere cenſemus: & perpetuo anathemate prædicti epiſcopi damnamus ſucceſſorem his præceptionibus refragantem, & calumniam inferre tentantem, donec reſipiſcat, & Romanæ eccleſiæ ſatiſfaciat. Omnia autem, quæ præfatum monaſterium uſque hodie poſſediſſe noſcitur, firma, inconcuſſa, eidem loco manere ſine cujuſquam retractatione ſancimus. Cenſum vero duodecim ſolidorum de moneta illius patriæ beato Petro per unumquemque annum reddi volumus. Si comes Vindocinenſis, vel quilibet de hominibus ſuis, adverſus prædicti loci abbatem querelam habuerit: in curia abbatis, pro dignitate loci, querela ipſa finiatur. Dimidia tamen ſors forfacti, ſecundum conſtitutionem fundatorum monaſterii, condonetur. Quicumque igitur contra hujus noſtræ autoritatis præceptionem ſcienter fecerit, niſi ſe correxerit digna ſatisfactione, maledictione Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti damnetur, confundatur, pereat, in cujus honore & nomine locus ipſe conſtructus eſt. Deinde incurrat iram Dei genitricis, & apoſtoli Petri, & omnium ſanctorum, & noſtra autoritate ſit excommunicatus, ut numquam regnum Dei videat, ſed cum diabolo & Iuda traditore omnibuſque impiis ſit damnatus, & in tenebris maneat & umbra mortis. Qui autem conſervator hujus noſtræ apoſtolicæ confirmationis & tuitionis extiterit: ipſe benedicatur omni benedictione, & partem habeat in regno Dei, & gaudeat lætitia ſempiterna in illa luce & claritate cælorum, ubi eſt omne bonum in ſæcula ſæculorum. Amen.

Scriptum per manus Rainerii ſcriniarii & notarii ſacri palatii in menſe Maii, Indictione I. Datum Laterani per manus Petri ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconi atque cancellarii vice domni Annonis Colonienſis archiepiſcopi, VIII. Idus Maii, anno II. domni Alexandri II. papæ, ab incarnatione Domini MLXIII. Indictione I.

** XLI. AD EVGVBINOS.

Privilegium eccleſiæ Petri Damiani.

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus Eugubinis, clero & populo, fidelibus videlicet ſancti Petri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NON ignorat ſancta veſtra devotio, dilectiſſimi fratres & filii, quia eccleſiam cariſſimi fratris & coepiſcopi noſtri Petri Damiani, in beati Lucæ euangeliſtæ nomine conſecratam, nos in beati Petri apoſtolorum principis, noſtraque tutela ac defenſione ſuſcepimus, ſalva reverentia, & utilitate ſanctæ Romanæ eccleſiæ: eamque, ut ad orationis & ſacrificii gratiam vigeat, ac illibata permaneat, ex apoſtolicæ ſedis autoritate firmamus. Quapropter quicumque prædictum oratorium qualibet machinatione vel ſtudio deſtruere, vel hoſtiliter impugnare tentaverit, ab omnipotenti Deo, ac beato Petro apoſtolo excommunicandum ſe eſſe non ambigat: & uſque ad ſatisfactionem congruam excludendum ſe a liminibus ſanctæ eccleſiæ, prout dignum eſt, perhorreſcat: ſicut dicit apoſtolus: *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Qui præfatum locum ſanctum pro Chriſti amore coluerit, & intemeratum atque incolumen ſervare ſtuduerit: ipſe quoque per interceſſionem beati Petri, templum Chriſti fiat; & benedictionem ſui redemptoris hereditate poſſideat.

Inter Damiani opera initio Tomi III.

1. Cor. 3.

Ex apographo Sirmondi.

*** XLII. AD VVIDONEM EPISCOPUM AMBIANENSEM.

Iubet ut desistat ab inquietatione abbatis & monasterii Corbeiensis. Alioquin suspendit ipsum ab officio, & excommunicat, donec abbati coram archiepiscopo Remensi satisfaciat.

Alexander servus servorum Dei, VVidoni Ambianensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

MIRAMUR fraternitatem tuam, neglectis sanctorum canonum autoritatibus, postposita quoque sanctæ apostolicæ sedis reverentia, injuste, & sine ulla ratione, monasterium Corbeiense inquietare, & abbatem a prædecessore nostro piæ memoriæ Leone ordinatum temeraria præsumptione excommunicasse. Altaria quoque juri ipsius monasterii pertinentia, contra sanctorum canonum instituta, aliis, unde maxime indignamur, collata, dato ab ejusdem monasterii abbate pretio non reddidisse. Ita videlicet, ut in his prædictis omnibus privilegia ab antecessoribus nostris canonica & apostolica autoritate confirmata pro nihilo duceres, & sanctæ universali ecclesiæ nullius obedientiæ reverentiam exhiberes. Unde monemus, & apostolica autoritate omnino præcipimus, ut ab istiusmodi præsumptionibus manum retrahas, & injuriam præfato monasterio & abbati ulterius inferre non præsumas. Quod si huic nostræ admonitioni aurem debitæ obedientiæ non inclinaveris, & supra memoratum monasterium ulterius inquietare tentaveris: apostolica autoritate sancimus, ut idem, chrisma, & ordinationes, & cætera quæ a te sosolitus est recipere, ab archiepiscopo Remensi, vel a quolibet alio, quem sibi opportunius providerit, deinceps recipiat. Si autem superbia elatus, his nostris præceptionibus obviaveris, & supradicto monasterio injuriam amplius inferre præsumpseris: scias te omni episcopali officio & sacerdotali privatum esse, donec tumorem superbiæ, debitam per humilitatem dimiseris, & nobis & sanctæ apostolicæ sedi per condignam obedientiam satisfacere studueris. Si autem, secundum duritiam & impœnitens cor tuum, iram tibi apostolicæ sedis, spreta hac nostra admonitione, thesaurizaveris: omnino tibi sacrosanctam communionem interdicimus, nisi cum in periculo mortis fueris constitutus: donec ante præsentiam fratris nostri Remensis archiepiscopi, cujus judicio omnem hanc causam commisimus, supradicto abbati satisfacias.

Ex bibliotheca Cluniac.

*** XLIII. AD HUGONEM abbatem Cluniacensem.

Quod nemo sine apostolico judicio potest excommunicare monachos Cluniacenses, nec interdicere.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectissimo filio Hugoni abbati monasterii, quod dicitur Cluniacum, in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli consecratum, in comitatu Matisconensi situm, & per te cunctis successoribus tuis abbatibus in perpetuum.

CUM omnium fidelium petitionibus & necessitatibus subvenire debeat apostolicæ cari-

A tatis gratia: multo magis his est impertienda ejus beneficii clementia, quos singulariter proprios, & specialiter se gaudet filios habere sancta Romana mater ecclesia, & suæ utilitatis gratia, & præcedentium patrum autoritate egregia. Quorum etiam desideriis & votis, eo plenius parere debet autoritas apostolicæ sublimitatis: quo certius constat eos non nisi illa desiderare & expetere, quæ sunt ad honorem sanctæ pietatis, & utilitatem veræ religionis. Et quotiens in suæ necessitatis commodis nostrum assensum, & solitum apostolicæ autoritatis studuerunt humiliter requirere præsidium: ultro benignitatis intuitu nos convenit subvenire, & rite pro magna securitate solidare: ut ex hoc nobis potissimum præmium a conditore B omnium Deo in sidereis arcibus conscribatur. Et ideo quia postulasti a nobis, ut præfatum monasterium apostolicæ autoritatis serie muniremus, & omnia ejus pertinentia perenni jure ibidem inviolabiliter permanendo confirmaremus, & absque omni jugo, seu ditione cujuscumque personæ, constabilire nostri privilegii pagina studeremus: propterea tuis flexus precibus, per hujus nostræ autoritatis privilegium statuentes decernimus, ut cuncta loca & monasteria ad supradictum Cluniacum cœnobium pertinentia, quæ ab aliquibus fidelissimis Christianis, regibus, episcopis, ducibus, seu principibus, eidem loco sunt concessa, & ab antecessoribus tuis adquisita, Bernone videlicet, Odone, Eymardo, & beatæ recordationis S. Majolo, & bonæ memoriæ Odilone prædecessore tuo, C vel quæcumque ad eumdem locum pertinere videntur, absque ullius contradictione, cum magna securitate quietus debeas possidere; & per te universi successores tui in perpetuum. Necnon sub divini judicii promulgatione, & confirmatione, & anathematis interdictione, corroborantes decrevimus, ut nullus episcopus, seu quilibet sacerdotum, in eodem veniat cœnobio, pro aliqua ordinatione, sive consecratione ecclesiæ, presbyterorum, vel diaconorum, missarum celebratione, nisi ab abbate ejusdem loci invitatus fuerit, venire ad agendum præsumat. Sed liceat monachis ipsius loci, cujuscumque voluerint ordinationis gradum suscipere, ubicumque tibi, tuisque successoribus D placuerit. Interdicimus autem sub simili anathematis promulgatione, ut idem locus sub nullius cujuscumque episcopi, vel sacerdotis, deprimatur interdictionis titulo, seu excommunicationis, vel anathematis vinculo. Non enim patitur sanctæ sedis apostolicæ autoritas, ut ullius cujuscumque personæ obligatione proscindatur a se cuilibet concessa liberalis libertas: neque ipsius loci fratres ubicumque positi, cujuscumque episcopi maledictionis vel excommunicationis vinculo teneantur adstricti. Inhonestum enim nobis videtur, ut sine nostro judicio a quoquam anathematizetur sanctæ sedis apostolicæ filius, veluti cujuscumque E subjectæ ecclesiæ discipulus. Si qua vero competens ratio adversus eos quemquam moverit, & hoc aliter determinari nequiverit: judicium apostolicum, quod nulli præjudicium prætendere patitur, supra hoc patienter præstoletur, & humiliter requiratur. Decernimus etiam, & illius, cujus vice, quamvis indigni fungimur, autoritate sancimus: ut isdem locus omnibus ad se ob salutem confugientibus sit misericordiæ sinus, sit totius pietatis & salutis portus. Obtineat in eo locum justus, nec repellatur pœnitere volens iniquus. Præbeatur innocentibus caritas mutuæ fraternitatis, nec negetur offensis spes salutis, & indulgen-

tia pietatis. Et si aliquis eumdem locum expetierit suæ humilitatis & salutis gratia, minime a venia & optata misericordia excludatur: sed oleo medicamenti salutaris fovendus benigniter colligatur: quia & justum sic est, ut in domo pietatis & justo præbeatur dilectio sanctæ fraternitatis, & ad veniam confugienti peccatori non negetur medicamentum indulgentiæ & salutis. Sit autem omnibus ibi advenientibus causa salutis, hic, & in perpetuum divinæ miserationis & pietatis refugium, & apostolicæ benedictionis & absolutionis præsidium. Decernimus præterea & omnino constituimus, ut prædicti loci obeunte abbate, non ibi alius cujuscumque personæ violentia constituatur ordinandus, sed ab ipsa congregatione loci, secundum timorem Dei, & institutionem legislatoris Benedicti, pater qui sibi præesse debeat, eligatur; & ad eum ordinandum, quicumque illis placuerit, episcopus advocetur. Quascumque vero terras nunc tenes, & quas tu, tuique successores acquirere potueritis, in perpetuum possidendas concedimus vobis. Si quis autem temerario ausu, quod fieri non credimus, contra hujus nostræ apostolicæ confirmationis seriem venire, aut agere tentaverit: sciat se domini nostri Iesu Christi, & apostolorum principis Petri, anathematis vinculo innodandum, & cum diabolo, ejusque atrocissimis pompis, atque cum Iuda traditore Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi, in æternum ignem concremandum, simulque in voraginem, tartareumque chaos demersum cum impiis dejiciendum. Qui vero custos & observator nostri privilegii extiterit, benedictionis gratiam, & vitam æternam a domino consequatur, &c.

Ex Metropoli Salisburg. Tom. I.

** XLIV. AD GEBEHARDUM SALZBURGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Concedit ut episcopatum unum in sua parochia constituat.

Alexander episcopus servus servorum Dei, Gebehardo Salzburgensi archiepiscopo, suisque successoribus in perpetuum.

QUOTIENS ea a nobis petuntur quæ religioni conveniunt, prompta debemus concessione annuere, & favoris nostri gratanter præbere assensum: quoniam ex consideratione nostri officii cogimur ecclesiarum utilitatibus, etiam si minime exigantur, solicite invigilare, & animarum saluti solerti studio providere. Quapropter, dilectissime frater, quia postulasti a nobis, quatenus apostolica autoritate concederemus tibi unum episcopatum in tua parochia constituere, quia ecclesia tua tam ample diffusa est, quod per te solum non possis eam in chrismate, aliisque pluribus, quibus episcopali officio indiget, decenter ac rationabiliter regere: piis precibus tuis inclinati, libenter annuimus, & ut etiam impleatur, satagimus. Apostolica igitur autoritate, venerande frater, religioni tuæ concedimus, volumus, & firmamus, atque autoritate beati Petri apostolorum principis, in quocumque loco tibi melius visum fuerit, episcopatum in tua parochia, construe, & ad procurandam salutem animarum, adjutorem tibi tua consideratione ibi præpone. Ita tamen, ut episcopatus ille, ecclesiæ tuæ, tibique, vel tuis successoribus numquam subtrahatur: & nullus ibi episcopus quandoque, sive per investituram, ut dici assolet, vel quocumque pacto inibi constituatur, nisi quem tu, vel tui successores, prompta voluntate elegerint, ordinaverint, & consecraverint. Indignum enim atque detestabile est, ut hoc quod studio pietatis a vobis quæsitum, apostolica autoritate firmatum, ad detrimentum ecclesiæ tuæ quolibet modo vertatur. Si quis autem temerario ausu hujus nostræ sanctionis privilegium infregerit, noverit se apostolicæ excommunicationis atque anathematis vinculo innodatum. At vero, qui pio intuitu custos & observator extiterit, perpetuæ benedictionis abundantia repleatur. Data Lateranis XII. Kal. Aprilis, per manus Petri clerici, fungentis vice Petri sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis ac bibliothecarii, anno ab Incarnatione domini MLXX. pontificatus vero domini Alexandri papæ II. nono, Indict. VIII.

Ex Metrop. Salisburg. Tom. II.

** XLV. AD ALTMANNUM PATAVIENSEM EPISCOPUM.

Privilegium ecclesiæ ab Altmanno ad regularem canonicorum vitam ædificatæ.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilecto fratri in Christo Altmanno Patav. episcopo, & per eum ecclesiæ quam in territorio ejusdem civitatis in portu Oeni fluminis construxit, & in honore sanctæ Trinitatis & passionis domini nostri Iesu Christi, & sanctorum Andreæ apostoli, Pantaleonis martyris, & sancti Nicolai confessoris, consecravit, in perpetuum.

CONVENIT apostolico moderamini religiosis desideriis & petitionibus ea benignitate & pietatis studio condescendere, effectumque præbere: ut dum spiritualis autoritas officii sui debitum peragit, dum pia fidelium statuta roborando venerabilibus locis præsidium defensionis impendit, hinc affectus supernæ retributionis lucretur initium, quod in parando beneficio non minor fuit caritas quam potestas. Hoc enim & bonorum studiis, spe proficiendi, augmentum tribuit; & opus proprium, fructu profectionis, Deo acceptabile reddit. Itaque, dilecte frater, carissima sancti Petri filia Imperatrice Agnete semper Augusta indicante nobis, te in suburbio civitatis tuæ juxta portum prædicti fluminis Oeni ad communem & regularem canonicorum vitam, ecclesiam construxisse; & ut eam, juxta propositum tuæ devotionis & constitutionis, apostolicis privilegiis firmaremus, tum ipsa partes tuas referente, tum ipso pro te sanctissimo desiderio postulante: tanto promptius utriusque voluntati annuendum esse judicavimus, quanto & tua vota justa esse certius intelligimus, & illius desideria divino accensa spiritu ubique prosperari cupimus. Concedentes igitur tibi & præfatæ ecclesiæ, hujus nostri apostolici decreti privilegium, sancimus, & apostolica autoritate statuimus; ut clerici qui vel nunc in eadem ecclesia sunt ordinati, sub communi semper vita, & claustrali conversatione consistant. Ad quorum communem usum confirmamus, & incommutabiliter tenenda decernimus, determinate quidem & ea quæ prænominata Imperatrix Augusta pro remedio animæ suæ donavit,

Enumerat possessiones tum ab Imperatrice, tum ab episcopo, huic ecclesiæ donatas.

Hæc inquam omnia, & quæcumque etiam innominata bona, eidem ecclesiæ vel nunc juste collata sunt, vel in posterum Deo disponente conferenda, eo tenore & autoritate ad communem usum

usum fratrum ibidem Deo famulantium decernimus, & corroboramus: ut communem & regularem vitam ducentes, nihil de bonis ecclesiæ præposito & singulari usui vendicent. Vt hæc igitur nostra decreta, adjuvante domino, undique firma illibataque permaneant: apostolica autoritate constituimus, ut nullus rex, imperator, dux, comes, episcopus, vel archiepiscopus, seu aliqua persona secularis aut ecclesiastica, præfatam ecclesiam ab eo statu & ordine, quem superius confirmavimus, divellere, aut aliqua perturbatione impedire præsumat; vel quicquam de rebus & bonis ecclesiæ invadere, aut diminuere, vel ab usu fructuum subtrahere audeat. Si quis autem contra hujus nostræ sanctionis decreta temerario ausu venire tentaverit: usque ad dignam satisfactionem, anathematis laqueo se irretitum noverit. Qui vero hæc eadem fideli devotione observare curaverit, divinæ remunerationis gratiam & apostolicæ benedictionis hic & in futuro consequatur abundantiam. Datum Romæ v. Non. Martii, per manus Petri sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyt. cardinalis ac bibliothecarii. Anno XII. pontificatus domini Alexandri II. Papæ, Indictione XI.

FRAGMENTA QVÆDAM EPISTOLARVM ALEXANDRI PAPÆ II.

VVilielmo marchioni.

Excommunicatus alium excommunicare ne possit.

Audivimus quod Henricus Ravennas dictus archiepiscopus, nisus sit te excommunicare: quod, quia excommunicatus excommunicare non potuit, apostolica autoritate te tuosque absolventes, mandamus exinde non curare.

G C. Inscribitur apud Gratianum Valeriano episcopo Martyri.

Episcopis & regi Dalmatiarum.

De episcop. presbyter. diacon. feminam accipientibus, & retinentibus.

Si quis amodo episcopus, presbyter, diaconus, feminam acceperit, vel acceptam retinuerit, proprio gradu decidat, usque ad satisfactionem, nec in choro psallentium maneat, nec aliquam portionem de rebus ecclesiasticis habeat.

Iisdem.

De autoritate Mainardi episcopi, & Ioannis archiepiscopi.

Notificamus, omnia capitula, quæ per confratres nostros venerabiles, Mainardum scilicet collateralem episcopum nostrum, & Ioannem archipræsulum nostrum, in Spalæto aliisque civitatibus sunt statuta, eadem in Romana synodo seriatim ea referente, a beatæ memoriæ prædecessore nostro Nicolao, apostolica autoritate roborata, & sub anathematis interpositione roborata.

Dominico Gradensi patriarchæ

De presbyt. diacon. subdiac. caste non viventibus.

Erubescant impii, & aperte nos intelligant judicio sancti Spiritus eos qui in tribus sacris gradibus, presbyteratu scilicet, diaconatu, & subdiaconatu positi, mulierculas non abjecerunt, & caste non vixerunt, excludere ab eorumdem graduum dignitate. De manifestis loquimur: secretorum autem cognitor & judex Deus est.

Clero Mediolanensi.

De simoniacis, & presbyt. diacon. subdiacon. qui feminis abutuntur.

Noveritis nos in synodo nostra Romana episcopis omnibus, & religiosis fratribus adjudicantibus, decrevisse, a simoniacis & fornicatoribus officium celebrari non debere, nec aliquem Christianum id ab iis audire. Populum itaque a simoniacis, & ab his quos feminis abuti cognoscitis, officium audire interdicite, & sacerdotes nihilo minus a tam nefaria præsumptione repellite. Si quis vero sacerdotum, diaconorum, vel subdiaconorum, officium contumaciter deserens, feminam sibi potius eligit, sicut sponte ob fornicationem dimittit officium, ita ob prævaricationem dimittere cogatur & invitus beneficium. Can. 17. dist. 81.

Populo Mediolanensi.

De presbyteris simoniacis, & fornicatoribus.

Sciat nobilitas vestra nos in Romana synodo consilio totius sancti conventus decrevisse, ut a presbytero simoniaco, seu concubinam habente, Missa a nullo fidelium audiatur. Eos etiam, qui ut fornicari liceat divinum officium derelinquunt, & ab eo recedentes, diabolo & ejus operibus serviunt, sicut se justissime ab officio alienos faciunt, ita beneficio ecclesiarum privatos adjudicamus. Can. 18. dist. 81.

Ex registro eiusdem.

De episcopo simoniaco & fornicatore.

Lancium Micernium episcopum ab episcopio deposui, quia accusatus est & convictus de fornicatione, & simoniaca episcopatus adeptione, sacrorumque ordinum venditione.

Iocelino archidiacono Parisiensi.

De eo qui episcopatum per simoniam & homicidium acquisiit.

Litteris ad sedem apostolicam allatis comparuimus, te contempto sanctorum patrum anathemate, archidiaconatum non modo pecunia, verum etiam homicidio acquisiisse: Et nunc tanta sceleris contagione maculatum, Suessionensem episcopatum per detestabile simoniacæ hæresis commercium comparasse. Vnde apostolica autoritate tibi interdicimus, ut ordinationem suscipere non præsumas, donec ante nos, vel legatum nostrum, purificare te super hac infamia studeas.

Ex registro eiusdem.

De episcopis duobus depositis.

Ernolfus Santonensis in Francia, & Landus Nucerinus in Italia, episcopi, multis certisque criminibus accusati; alter quod ecclesiarum ecclesiasticorumque ordinum consecrationem simoniace & interveniente pecunia fecerit; alter quod officium ab apostolico sibi interdictum præsumpserit, convicti: sunt synodali judicio depositi.

Clero

A

Clero Mediolanensi.

De archiepiscopo simoniaco.

Archiepiscopum vestrum simoniacum fuisse nullus vestrum ignorat: quia dum abbatias & ordines vendit, hoc etiam ipse propalat.

"** *Ex loco incerto.*

Quot Missas in die sacerdoti celebrare liceat.

Ivo p. 2. c. 81. Et dist. 1. de consecr. c. sufficit.

Sufficit sacerdoti Missam unam in die celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est, unam Missam facere: & valde felix est, qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse sit. Nam quicumque pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium, una die præsumunt plures facere missas, non existimo evadere condemnationem.

B

"** *Philippo regi Francorum.*

Quod Romanæ sedis decreta tanquam regulæ canonum admittenda sunt.

Ivo p. 5. c. 31.

Ignorant miseri quod hujus sanctæ sedis decreta, ita pia fide a filiis matris ecclesiæ accipienda sint, & veneranda, ut tanquam regula canonum ab eisdem absque ullo scrupulo admittantur.

C

"** *Clero & populo Florentino.*

Monachi intra claustra morentur, & a prædicatione abstineant, non ministrent.

Ivo p 7. c. 151. Et 16 q. 1. c. juxta Chalc.

Iuxta Calchedonensis tenorem optimi concilii, monachis, quamvis religiosis, ad normam sancti Benedicti, intra claustrum morari præcipimus: vicos, castella, civitates peragrare perhibemus: nisi forte quis de suæ animæ salute sollicitus, ut eorum habitum assumat, eos intra claustrum consulere voluerit.

D

"** *Mangiso Venetensi episcopo.*

Nullis eleemosynis redimi posse, quin consanguinei separentur.

Ivo parte 9. c. 9.

Hujus viri causam, super qua apostolicam sedem consuluisti, retractantes, si quomodo misericorditer conjunctam sibi illicite consanguineam retinere posset, & orationibus, jejuniis, ac hereditatis & eleemosynarum se largitione redimere: nullam autoritatem comperimus, qua sibi concederemus.

E

"** *Berengario Basileensi episcopo.*

De pœnitentia ejus, qui filiam patrui corruperat.

Ivo p. 9. c. 10.

Iste pœnitens venit ad nos, confessusque est, se filiam patrui sui corrupisse. cui quatuordecim annorum pœnitentiam injunximus, ut jejunet quidem tribus quadragesimis In quadragesima post pentecosten, duobus diebus in pane & aqua in septimana: & in adventu, tribus: & in majori quadragesima, tribus: & abstineat se ab ingressu ecclesiæ, & a communione duobus annis.

"** *Guillelmo de' Monstrolio.*

' al Monasteriolo.

Nisi coram ecclesia consanguinitate probata, uxorem dimittere non licet.

Ivo p. 9. c. 32. Item 35. q. 6. c. multorum.

Multorum relatione cognovimus, te propriam velle abjicere uxorem, & adhærere alteri, prætendentem consanguinitatis occasionem. Vnde apostolica autoritate interdicendo mandamus tibi, ut hanc quam nunc habes uxorem, nullatenus præsumas dimittere, vel aliam ducere, donec episcoporum religiosorum concilium causam istam examinaverit.

"** *VVifredo Constantiæ episcopo.*

De misericordia impendenda his, qui homicidio supervenientes nec voluntate, nec actione perpetraverint.

Ivo p. 10. c. 30.

Dicebant se latores præsentium homicidio illi, pro quo pœnitentia illis injuncta est, penitus non interfuisse, sed præliantibus solummodo casu supervenisse. Quod si ita est, quando quidem nec in causa homicidii, nec in culpa fuerint, misericordia super eos moti, exilium eis apostolica autoritate remisimus.

' ** *Landulfo & Arialdo clericis.*

Non ita esse indulgendum perjuris, ut perjurandi detur occasio.

Ivo p. 12. c. 24.

Possumus in perjurio aliquo crimine lapsis misericordiæ manum porrigere, sed non debemus ad futuræ perditionis exemplum licentiam dare.

"** *Berengario Narbonensi Vicecomiti.*

Non esse occidendos Iudæos.

Ivo p 13. c. 115.

Noverit prudentia vestra nobis placuisse, quod Iudæos, qui sub vestra potestate habitant, tutati estis ne occiderentur. Non enim gaudet Deus effusione sanguinis, neque lætatur in perditione malorum.

"** *VVifredo Narbonensi archiepiscopo.*

De eodem.

Ivo p. 13 c. 116.

Noverit prudentia vestra, quod omnes leges tam ecclesiasticæ, quam sæculares, effusionem humani sanguinis prohibent.

"** *Ex loco incerto.*

Consecretur qui electus est ab ecclesia, & est altero dignior, licet filius sacerdotis.

Dist. 56. can. 12.

Apostolica autoritate præcipimus vobis, ut si eum, qui ab ecclesia electus est, altero digniorem esse, canonicamque ejus electionem probaveritis, fulti nostra autoritate consecretis Nam pro eo quod filius sacerdotis dicitur, si cæteræ virtutes in eum conveniant, non rejicimus: sed suffragantibus meritis connivendo, eum recipimus.

"** Ex

"** *Ex loco incerto.*

Fratrem, aut sororem uxoris æquivoce tantum dici cognatos.

QVOD autem frater, sororve uxoris tuæ, cognati tui dicuntur, æquivocationis jure fit, & necessitate vulgaris appellationis potius, quam ulla causa cognationis. Vxor enim fratris, fratrissa potius, quam cognata vocatur. Mariti frater, levir dicitur. Duorum autem fratrum uxores, vocantur janitrices, quasi eandem januam tenentes, vel per eandem januam intrantes. Viri soror, glos appellatur. Sororis autem vir non habet nomen speciale, non uxoris frater.

"** *Ex loco incerto.*

Nisi canonice judicatum episcopum qui comprehenderit laicus excommunicetur.

SI quis deinceps priorum, aut cujuscumque dignitatis, vel cujuscumque ordinis laicorum, episcopum comprehenderit, percusserit, aut aliqua vi a propria sede expulerit, nisi forte judicatum canonice: autores, & cooperatores tanti sceleris anathematizentur, & bona eorum ecclesiæ ipsius juri perpetuo tradantur. Si vero in presbyterum, vel in quemcumque inferiorum graduum clericum hæc eadem præsumpserit, canonice pœnitentiæ, atque depositioni subjacebit. Si contumax fuerit, excommunicetur.

CONCILIABVLVM BASILEENSE, in causa electionis pontificiæ celebratum anno domini MLXI. tempore interregni pontificii. ANNO CHRISTI 1061.

HVIVS *synodi meminit Hermannus in chronico: res gestas perpetuo silentio dignas supprimit. Petrus vero Damiani easdem in opprobrium schismaticorum his verbis describit:* Cum autem in urbe Romana hæc agerentur, Longobardorum episcopi, tam simoniaci & incontinentes, quam alii facinorosi, autore Guiberto Parmensi (constitutus erat hic cancellarius regis, homo nequissimus, ut idem autor habet in Nicolao) convenerunt in unum, & consimilium clericorum multitudine congregata, communiter statuerunt, ut aliunde non deberent papam recipere, quam de paradiso Italiæ (ita Longobardiam nominabant) & talem personam, quæ infirmitatibus eorum compateretur & condescenderet. Quo facto, aliquos ex ipsis ad imperatricem ultra montes miserunt, qui ejus animum quibusdam verisimilibus figmentis allicerent, & sibi propitium facerent. Venientes autem ad eam, suggesserunt quod filius ejus ita in honorem patriciatus deberet succedere, sicut in regia dignitate. Præterea impudenter asserebant quod Nicolaus papa statuerat decretis suis, quod nullus deinceps haberetur Romanus episcopus, nisi prius a cardinalibus eligeretur, cui postea accederet consensus regis. *Hæc de legatione ad Henricum.*

Quæ autem probrosa in eadem pseudosynodo facta sint, in illa disputatione habita inter regium advocatum & Romanæ ecclesiæ defensorem, autore Petro Damiani, a nobis suo loco inferius recitanda, hæc descripta leguntur: Defensor Romanæ ecclesiæ dixit: Ecce compellis me vulgato sermone depromere, quod ob imperialis palatii reverentiam decreveram silentio præterire. Sed juxta vestræ scilicet exactionis instantiam, jam proferatur in medium opus egregium vestrum, sæculis omnibus inauditum. Rectores enim aulæ regiæ, cum nonnullis Teutonici regni sanctis (ut ita loquar) episcopis conspirantes, contra Romanam ecclesiam concilium collegistis, qui papam, *Nicolaum videlicet*, quasi per synodalem sententiam condemnastis, & omnia quæ ab eo fuerant statuta, cassare incredibili prorsus audacia præsumpsistis. In quo nimirum, non dicam judicio, sed præjudicio, idipsum quoque privilegium, quod regi prædictus papa contulerat, si dicere licat, vacuastis. Nam dum quidquid ille constituit, vestra sententia decernente, destruitur: consequenter etiam id, quod ab eodem papa regi præstitum fuerat, aboletur. Sed absit a nobis, ut propter cujuslibet hominis insolentiam rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem sui juris amittat: & quem, autore Deo, votis omnibus præstolamur ad imperiale fastigium, non permittemus ob alienam culpam, regiæ dignitatis incurrere detrimentum. *Hæc de pseudosynodi decreto perinfami defensor Romanæ ecclesiæ.*

Pseudosynodi infame decretum.

CONCILIVM OSBORIENSE, autoritate sancti Annonis Coloniensis archiepiscopi congregatum, quo in præsentia regis, post habitam disputationem, quæ infra scribitur, Cadalous pseudopapa omnium acclamatione est condemnatus, & Alexandri legitime facta electio est confirmata, anno domini MLXII. ipso festo sanctorum Simonis & Iudæ. ANNO CHRISTI 1062.

Disceptatio synodalis inter regis advocatum & Romanæ ecclesiæ defensorem.

IPSO exordio Petrus Damiani, ejusdem operis autor, compellans impium Cadaloum antipapam, post alia, quæ in eum dixerat, hæc habet: Sed ad hæc gloriaris, & jactas: rex me & imperatrix mater elegit: ad hunc apicem me regia celsitudo provexit. Sed cum hinc aula regia suum tueatur electum, illinc Romana ecclesia proprium defendat antistitem jam in solio constitutum: dignum est ut sanctorum atque prudentium sacerdotum multitudo conveniat, & hanc quæstionem ventilans sub canonici juris autoritate discernat. Quoniam & in proximo, ut speramus, fiet hic Osboriense concilium, hic jam ejusdem concilii constituamus velut in quadam tabella picturæ præludium. Iuxta jussionem ergo Danielis, patrum throni sint positi, judicium sedeat, libri aperiantur, & solutionis indiga quæstio in medium deducatur. Hic itaque Romanæ defensor ecclesiæ, suas allegationes inferat: illic advocatus regius propriæ partis argumenta depromat. Taceat Parma cum suo hæresiarcha: advocatio tantum regia, & Romana invicem colloquatur ecclesia. Sanctorum vero sacerdotum erecti sint animi, ut & quæ utrinque dicenda sunt conferant, & perorata causa judicialiter sententiæ calculum ponant. Age igitur, defensor apostolicæ sedis incipiat: deinde regius advocatus, quæ sibi videbuntur ostendat.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Cum beatitudo vestra, venerabiles patres, super apostolicæ sedis negotio disputat, ad cunctas ecclesias pertinere, quod versatur in manibus, non ignorat. Hac enim stante, reliquæ stant: sin autem hæc, quæ omnium fundamentum est & basis, obruitur, cæterarum quoque status necesse est collabatur. Omnis autem sive patriarchatus

Causa Romanæ ecclesiæ qualis.

 cujuslibet

ANNO CHRISTI 1062.

cujuslibet apicem, sive metropoleon primatus, aut episcopatuum cathedras, vel ecclesiarum cujuscumque ordinis dignitates, sive rex, sive imperator, sive cujuslibet conditionis homo purus instituit, &, prout voluntas aut facultas tulit, spiritualium prærogativarum jura præfixit: Romanam autem ecclesiam solus ille fundavit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato vitæ æternæ clavigero terreni similiter & cælestis imperii jura commisit. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud Verbum, per quod constructum est cælum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit ecclesiam. Illius certe privilegio fungitur, illius autoritate fulcitur. Vnde non dubium, quia quisquis cuilibet ecclesiæ jus suum detrahit, injustitiam facit: qui autem Romanæ ecclesiæ privilegium, ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur: & cum ille notatur injustus; hic est dicendus hæreticus: fidem quippe violat, qui adversus illam agit quæ mater est fidei; & ille contumax invenitur, qui eam cunctis ecclesiis prætulisse cognoscitur. Cum hoc igitur vestra sanctitas indubitanter agnoscat, vos, qui non quilibet, sed nobiliores & egregii estis filii Romanæ ecclesiæ: pietatis viscera circa matrem vestram compatientes ostendite, & utrum destrui debeat, sibimet eligendo pontificem, judicate. Mirum quippe est, si, quod minoribus ecclesiis canonicus vigor attribuit, illi soli, quæ caput est omnium, non permisit.

Regius advocatus.

Prolixa declamatio dedit attentionem, benevolentiam, atque docilitatem, & hoc potius juxta consuetudinem fori judicialis, quam secundum regulam concilii synodalis: ubi scilicet non magnopere curare debemus elucubratæ locutionis urbanitatem, sed vivæ sententiæ potius puritatem. Ad querelam ergo coram sanctis sacerdotibus deponendam sufficiat nobis dicere, quoniam inthronizastis papam sine consensu domini nostri regis, ad injuriam scilicet atque contemptum regiæ majestatis.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Ordinationem papæ factam diffiteri nec possumus, nec debemus; regis autem injuriam modis omnibus propulsamus. Sed videamus primo, si placet, utrum papa sine rege potuerit fieri, & sic postmodum de regis disputemus injuria.

Regius advocatus.

Per te liquido novimus, quia illi debent pontificem, cum ordinatur, eligere, quos sibi, postquam ordinatus fuerit, canonica decrevit autoritas obedire: papæ vero, quia universalis est pontifex, non modo Romanus populus, sed Romanus imperator, qui caput est populi, obedientiam debet: censendumne ergo est ut papam sine capite suo populus eligat, & ei quem non elegit imperator obediat? Constat ergo quod, nisi Romani regis assensus accesserit, Romani pontificis electio non erit perfecta.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Perhibendum est itaque juxta vestræ disputationis articulum, quod neque Stephanus, nec Sixtus, neque Cornelius, non denique Clemens, non Silvester, non ipse beatus Petrus, papali nomine digni sunt, qui ab imperatoribus eorumdem tempore electi non sunt.

Regius advocatus.

Gentiles reges non sunt adhibendi ad hujus, de qua loquimur, electionis exemplum: qui, quoniam ignorabant fidem Christianam, Christianorum non poterant ordinare pontificem. Cæterum Christiani principes, semper Romanos elegere pontifices.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Qui mentitur in communi colloquio, mendax dicitur: qui autem in præsentia venerabilium sacerdotum falsa protulerit, sacrilegii procul dubio crimen incurrit. Dixisti Christianos principes, Romanos semper elegisse pontifices: percurre mecum ecclesiasticæ antiquitatis historias, Romanorum præsulum catalogum studiose disquire: & cum perpaucis inveneris in electione sua regium accessisse consensum, confitere te perspicuum protulisse mendacium. Quis enim rex Antonii filium Damasum Hispaniensem? quis Innocentium Innocentii filium Albanensem? quis denique Zosimum Græcum Abramii filium elegit? Quis præterea Leonem Quintiani filium de Tuscia? quis Hilarium Crispini filium de Sardinia? quis Cælestinum Prisci Romani civis filium? quis Bonifacium, quis Anastasium, æque Romanos? Denique multos attexerem, nisi fastidium generarem. Sed ne me putes, non habentem copiam, ab eorum enumeratione deficere: quis imperatorum, elegit Simplicium Tiburtinum? quis Felicem natione Romanum? quis Gelasium Afrum Valerii filium? quis Symmachum Sardiniæ provinciæ, filium Fortunati? quis Hormisdam filium Iusti natione Campanum? Ioannem origine Tuscum, Felicem natione Samnitem, Bonifacium Gibaldi filium, Mercurium Projecti, Agapitium Gordiani, natura Romanos?

Quis enim regum, electioni cujuslibet istorum suum legitur adhibuisse consensum? Cum eorum temporibus Romanæ reipublicæ Christiani principes præfuisse legantur, id est Valentinianus senior, Valens frater ejus, qui occisus est in pugna Gothica prope Hadrianopolim, Gratianus, qui a Maximo tyranno peremptus est, Valentinianus junior, qui necatus est a comite suo Viennæ, deinde Arcadius, Honorius, Theodosius, Ioannes ille qui apud Ravennam occisus est, Valentinianus tertius, qui in campo Martio est peremptus, Martianus, Leo, Majoranus, Severus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Zeno, Nepos ille qui in villa sua occisus est juxta Salonas, Augustulus, Anastasius, Iustinus, & cæteri Romani imperatores: quos evitandi laciniosi styli causa prætereo. Da mihi ergo eorum, quos enumeravimus, aliquem, vel præsulem requirentem, vel principem assensum in electione præbentem: & ego do manum, ac te perhibeo laureandum: alioquin si dare non poteris, in hoc te convictum per omnia pernecesse est fatearis. Quod autem beato Gregorio legitur adhibuisse Mauricius imperator assensum, & perpauci alii principes aliis promovendis: hoc dictavit perturbatio temporum, & tempestas horrenda bellorum.

Regius advocatus.

Si mentiri est contra mentem loqui, temerarium est me mendacii tam procaciter argui, qui non utique falsum, sed verum me dixisse putavi: tamen assentior, & in hoc superatum me esse non abnuo.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Vt autem idipsum adhuc manifestius pateat, & te super hac dimicandi materia perdidisse, tibimetipsi clarius innotescat: lege Constantini imperatoris edictum, ubi sedis apostolicæ constituit super omnes in orbe terrarum ecclesias principatum. Nam postquam supra corpus beati Petri basilicam fundator erexit, postquam patriarchium Lateranense Edictum Constantini.

ANNO CHRISTI 1062.

ranense in beati Salvatoris honore construxit, mox per imperialis rescripti seriem, Romanæ ecclesiæ constituit dignitatem. Vbi nimirum beato Silvestro * suisque successoribus obrulit, ut regali more, & aurea corona * plectatur in capite, & cæteras regii cultus infulas usurparent. Verum beatus Silvester ornamenta, quæ sacerdotali congruere judicabat officio, in proprios usus assumpsit; coronam vero, vel cætera, quæ magis ambitiosa quam mystica videbanrur, omisit. Cui etiam Constantinus Lateranense palatium, quod eatenus aula regalis extiterat, perpetuo jure concessit; regnum Italiæ judicandum tradidit. Nam & ipsius regis hæc verba sunt: Vnde, inquit, congruum inspeximus, nostrum imperium & regni potestatem orientalibus transferri & transmutari regionibus, & in Byzantia provincia in optimo loco nomini nostro civitatem ædificari, & nostrum illic constitui imperium. Quoniam ubi principatus sacerdotum, & Christianæ religionis caput ab imperatore cælesti constitutum est, justum non est, ut illic imperator terrenus habeat potestatem.

*forte ... ,liquæ.

Audisti quia terrenus imperator non habet in Romana ecclesia potestatem: quomodo ergo sine illius arbitrio, qui potestatem ibi non habet, non licet eligi sacerdotem? Ipse vero Constantinopolim velut in secunda Roma perpetuo regnaturus abscessit. Longe vero post Theodosius imperator beati Pauli basilicam cœpit: quo defuncto filius ejus Honorius eamdem basilicam ad calcem usque perduxit. Hi quoque Romanæ ecclesiæ privilegium nihilo minus firmarunt. Quomodo ergo prærogativam sibi in Romani pontificis electione relinquerent, qui Romanam ecclesiam nequaquam sibi studuerunt subdere, sed præferre; non præcipere, sed parere; non præcellere, sed subesse?

Regius advocatus.

Assentior plane, & ratum duco quod loqueris. Sed esto quod nunc regia celsitudo ex antiquorum consuetudine principum hoc sibimet allegare non possit: verumtamen tu hoc negare non potes, quod pater domini mei regis piæ memoriæ Henricus imperator, factus est patricius Romanorum, a quibus accepit in electione super ordinando pontifice principatum. Huc accedit quod præstantius est, quod Nicolaus papa hoc domino meo regi privilegium, quod ex paterno jam jure susceperat, præbuit, & per synodalis insuper decreti paginam confirmavit. Cum ergo privatus quisque a suo decidere jure non debeat, donec ventilato negotio judicialis in eum sententia promulgetur: quo pacto majestas regia prærogativam hanc suæ dignitatis amisit, quam & ex apostolicæ sedis liberalitate percepit, & ex paterno imperialis fastigii jure suscepit? Quo, inquam, modo in Romana ecclesia dignitatis adeptæ locum sine judicio perdidit, qui Romanam ecclesiam non offendit?

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Privilegium invictissimo regi nostro, ipsi quoque defendimus, & ut superplenum illibatumque possideat optamus. Porro autem Romana ecclesia multo nobilius atque sublimius, quam mater carnis, mater est regis. Illa siquidem peperit, ut per ejus traducem revertatur in pulverem; ista genuit, ut Christi sine fine regnantis efficiat coheredem. Et cuncti liquido novimus, quia rex, licet egregiæ indolis, tamen adhuc puer est. Quid ergo mali fecit Romana ecclesia, si filio suo, cum adhuc impubes esset, cum adhuc tutela egeret, ipsa tutoris officium subiit, & jus quod illi competebat implevit? Quis nescit quia sacerdotem eligere puer ignorat? Sæpe mater judicis tribunal irrumpit, testes adsciscit, notarios convocat, sicque per adstipulationes & rata, & insuper apicum monimenta, omnia bonorum suorum filio jura delegat. Interim tamen, usque dum ille ad juvenilis ætatis incrementum perveniat, & rationis capax fiat, illa cuncta dispensat, omnia ordinat: sicque quod jam alieni juris est patrimonium, ad propriæ disponit provisionis arbitrium. Numquid ob hoc dicenda est mulier illa filio suo concessa subtrahere? immo verius perhibetur, ut puto, pietatis studio deservire. Quia quæ rudis adhuc filius dilapidare ac prodigere poterat, hæc illa sibimet apte disposita, caute retenta, & rationabiliter ordinata conservat. Carnalis ergo mater adjuvat filium in rebus terrenis: & mater ecclesia filio suo regi præbere non debet auxilium in spiritualibus donis? Obmutescat ergo plectenda versutia, quæ scilicet hoc damnat quod prædicare debuerat; illi crimen imponere nititur, quæ pro beneficiis gloriam promeretur. Huc accedit, quia nonnumquam ob varietatem temporum sæpe mutandus est ordo causarum. Tunc enim, * quoniam pontificem sibi Romana percepit ecclesia, tantæ simultatis fomes in * seditionis cives accenderat, tantus livor & odium tumultuantis populi corda turbaverat: ut de tam longinquis terrarum spatiis nequaquam regiæ clementiæ præstolari possemus oraculum. Nisi enim quantocius ordinaretur antistes, perniciosus in populo gladius mutuis vulneribus desæviret, & non parva Romanorum civium strages fieret.

*f. quando *for. seditiones

Regius advocatus.

Obtende quod vis, argumentare quod placet: dummodo constet quia nuullatenus debuit immutari quod papa concessit, quod decreto constituit, quod scriptione firmavit.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Quid mirum si hominis carnis adhuc fragilitate circumdati statuta mutentur, quoniam omnipotens Deus, qui videlicet omnia quæ futura sunt novit, ea quoque, qnæ a semetipso constituuntur, immutat? Nam ex eo quod promittit, aliquando aliquid minuit, vel etiam totum subtrahit, aliquando mala minatur, & non infligit.

Regius advocatus.

Ea quæ proposuisti scripta declarentur exemplis. Quid est ergo quod Deus umquam promisit, & minuit?

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Si non excidit, reminisci potes quod dixit Dominus ad Noe: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; eruntque dies illius centum viginti annorum.* Sed cum scriptura commemorat quingentorum tunc annorum extitisse Noe, quando hæc sibi Dominus loquebatur, sexcentorum tunc jam esse, cum cataclysmus erupit: liquido patet, viginti annos de præscripti numeri spatio fuisse subtractos: vitæque spatium, quod humano generi Deus promisit, imminuit, quia perversitatis eorum reatus excrevit. Inde quoque per os patriarchæ Iacob promisit Spiritus sanctus, dicens: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.* Et tamen nec temporibus Iudicum legimus viros de tribu Iuda semper super Israel tenuisse ducatum, nec reges ex eadem tribu principatum tenuisse usque ad Christi reperiuntur adventum. Constat ergo, quia Deus omnipotés sæpe quod homini promisit, imminuit,

Genes 6.

Ibid. 49.

ANNO CHRISTI 1062. nuit, quoniam homo quod Deo debuerat non A implevit.

Regius advocatus.

Doce & ubi Deus promittit bonum aliquod, & efficaciter non implevit.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Recordare quid dixit dominus ad Iosiam regem
4 Reg. 22. Iuda: *Pro eo*, inquit, *quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores ejus, & scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me: idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulcrum tuum in pace.* Et tamen paulo
4. Reg. 23. post scriptura dicit: *In diebus ejus ascendit Pharao* * *Necho rex Ægypti contra regem Assyriorum* B *ad flumen Euphratem, & abiit Iosias in occursum ejus, & occisus est in* * *Magedo, cum vidisset eum.* (* Nechao. * Mageddo) Ad Sedeciam quoque regem Iuda per Ieremiam
Ierem 34. dicitur: *Audi verbum domini, Sedecia rex Iuda. Hæc dicit dominus ad te: Non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secundum combustionem patrum tuorum regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te: & væ domine, plangent te. quia verbum hoc ego locutus sum, dicit dominus.* Quod nimirum quomodo potuit fieri, qui seriem scrutatatur historiæ nunquam poterit invenire. Nam postquam a rege Babylonis semel est captus, Babyloniamque translatus, numquam legitur ulterius ab ejus vinculis absolutus. Iusto ergo judicio C subtrahit Deus nonnumquam homini bona quæ promisit: cum rebellis homo, illius servare mandata contemnit.

Regius advocatus.

Prosequere etiam, quomodo Deus quod minatus est non infligit.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Nemo, qui limen ecclesiæ terit, ignorat quia Ionas ad Niniven a domino missus exclamavit, di-
Ion. 3. cens: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Sed quia civitas illa ad Deum toto est corde conversa, nequaquam, juxta minacem domini sententiam, excidii est eversione deleta. Cum ergo Deus omnipotens non modo verax, sed & ipsa D sit veritas, inviolato consilii sui manente proposito, exterioris judicii sui sæpe variat ordinem, juxta humani sive probi sive improbi meriti qualitatem, quatenus & a pravitate correctus, quod Deus juste minatur evadat; & prolapsus in culpam, nullatenus quæ pollicetur bona percipiat.
Ierem. 26. Hinc est quod per Ieremiam dicit: *Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem domini Dei vestri: & pœnitebit dominum mali quod locutus est adversum vos.* Hinc est quod ad Eli quo-
1 Reg. 2. que per virum Dei dominus ait: *Loquens locutus sum, ut domus tua, & domus patris tui, ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem, dicit dominus: Absit hoc a me: sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem* E *contemnunt me, erunt ignobiles.*

Regius advocatus.

* forte quæ proposueras. Recte plane cuncta * proposueras, perspicuis roborasti testimoniis scripturarum. Attamen ad superiora paulisper revertere, & juxta tuæ sponsionis elogium de domini mei regis injuria rationem redde.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Glorioso regi in eligendo pontificem absit ut nos intulerimus injuriam, cum ad hoc nos, sicut superius dictum est, necessitas impulerit, non rapina. Ad hoc, inquam, nos invitos traxit imminens periculum civilis belli, non lædendi vel minuendi hujusmodi imperii.

Regius advocatus.

Civile bellum objicis: imminens periculum in tuæ allegationis defensione prætendis: dicatur etiã, si placet, quod si cælum rueret, terra * subcicinium * excidium pateretur: perge adhuc addens, quod pontus aresceret, terram diluvium mundaret. Quid mihi omnia hæc, dum constet, quia quidquid accideret, nullo modo sancti papæ sententiam debuisti infringere, nulla ratione synodalis decreti mysterium licuit violare? sicut enim scriptura perhibet, melius est ut oriatur scandalum, quam ut veritas relinquatur. Nam si hoc bellum timuissent beati martyres, * fierent procul dubio sanctę militiæ desertores. * facti fuissent.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Non ignoras quod inter omnes sanctos martyres Petrus & Paulus in apostolici senatus culmine possident principatum.

Regius advocatus.

Hoc sicut negare sacrilegium est, ita etiam affirmare superfluum.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Eorum sunt nobis tenenda vestigia, eorum forma juris est actibus imprimenda, sub eorum magistra debemus vivere disciplina.

Regius advocatus.

Hoc utique clarum est, perspicuum est: sed quid a te portenti, quid præstigii, sub hoc funiculo inductionis alatur, ignoro.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Tolle præstigium, intellige veritatem. Times me, tamquam tibi tendiculas substruentem. Audi Paulum de capite suo Petro veraciter perhibentem: *Petrus, antequam venirent quidam a Iacobo,* Galat. 2. *cum gentilibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant.* Cernimus ergo Petrum non rigidum, sed discretum: timebat enim Iudæos, ne per occasionem gentium a fide recederent Christianorum: & ne perderet gregem creditum, boni pastoris est imitatus exemplum. Factus est enim Iudæis tamquam Iudæus, ut Iudæos lucrifaceret: sicut Christus apparuit in forma carnis peccati, ut a peccatis hominem liberaret. Et cum legem Moysi non ambigeret abolendam, consulens tamen adhuc rudibus & infirmis fratribus, tenuit ad tempus umbram legis, ut eos quoque proveheret ad perfecte noscendam plenitudinem veritatis. In hoc ergo beatus Petrus discretionis nobis regulam dedit, quatenus aliquando, ubi tamen non plurimum noceat, declinemus aliquantulum a tramite rectitudinis, ut consulere valeamus infirmis.

Regius advocatus.

Qui dicis quod Petrus aliquando legem Iudaicam tenuit, cur non dicis quod in eadem epistola legitur, nimirum quia Paulus in facie eum reprehendit? *In faciem*, inquit, *ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Eique dixit: *Si tu, cum sis Iudæus, gentiliter, & non Iudaice vivis, quomodo cogis gentes judaizare?* Cum ergo illud præmisisti, istud quare silentio suppressisti?

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Quod Petrus egit compassione misericordiæ, hoc Paulus arguit pro magisterio disciplinæ. Ille quod fecit dispensative, ut infirmis tolleret scandalum: hoc iste corripuit, ne indiscretus quilibet passim adduceret in exemplum In Petro discamus, ut periculo..... imminente discreti Pauli sermonibus instruamur, ut sanis rebus vita nostra mere deserviat rectitudini.

Regius

ANNO CHRISTI 1062.

Regius advocatus.

Laudo quidem redditam rationem: sed cum duorum apostolorum proposueris magisterium, mirum * cum, prætermisso Paulo, solum Petrum adduxeris in exemplum.

* cur

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Noli, frater, pueriliter currere, immo noli volare, sed perge: pro gravitate quippe negotii prolatio est quoque moderanda sermonis. Audi etiam consequenter & Paulum discretionis aureæ lucam nostris oculis opponentem, ejusdemque dispensative compassionis autorem. Sicut enim apostolicorum Actuum testatur historia, perambulabat Paulus Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias, pervenitque in Derben, & Lystram: & ecce discipulus quidam erat nomine Timotheus, filius mulieris viduæ fidelis: pater autem gentilis. Hunc ergo, ut ad compendium veniamus, apostolus circumcidit, quoniam Iudæos, immo Iudæis, qui in illis erant regionibus, timuit. (Act. 16.)

Cur itaque circumcidit fidelem hominem, non Iudæum, qui videlicet incircumcisus erat, & natione gentilis? nisi ut discretionis studio deserviret, ne Iudæi fideles in scandalum corruentes, a fide recederent. Hoc etiam nunc ad memoriam redit, quoniam aliquando juxta morem Nazaræorum comam ex voto nutrivit, & postquam navigasset in Syriam, in Cenchris positus, caput, juxta legis mandata, totondit. Refert adhuc Lucas sacræ scriptor historiæ: *Cum venissemus*, inquit, *Hierosolymam, libenter susceperunt nos fratres*: & sequenti die Iacobus & omnes seniores, qui cum eo erant, euangelio illius comprobato, dixerunt ei: *Vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt in Christo, & omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quod discessionem doceas a Moyse eorum qui per gentes sunt Iudæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, nec secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem; audient enim te supervenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis quatuor viri votum habentes super se: his assumptis sanctifica te cum ipsis, & impende in illis, ut radant capita: & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. Tunc Paulus assumptis viris, posteriori die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.* (Act. 18.) (Act. 21.)

Cur itaque Paulus juxta ceremonias Iudæorum caput rasit, nudipedalia exercuit, sacrificia obtulit, & legem destruens, legis præcepta servavit? cur, inquam, hæc omnia, nisi ut his qui ex Iudæis fideles extiterant scandalum tolleretur? formam suscepit ægritudinis, ut morbos auferret ægrotis: servavit ceremonias legis, de quibus tamen in epistola dicit: *Quæ mihi fuerunt lucra, facta sunt detrimenta*: & propter Christum arbitror velut stercora: circumcidit hominem, & tamen hoc terribiliter clamat: *Dico*, inquit, *vobis, quia si circumcidamur, Christus nihil nobis proderit.* Quod, quæso, majus peccatum esse poterit, quam Christum perdere, Christianæ religionis regulam violare, Iudaicæ legis ritus inducere, novam euangelii gratiam impugnare? & tamen hæc apostolus Paulus in superficie fecisse conspicitur, ne in ipsis novæ fidei rudimentis mentes adhuc teneræ scandala paterentur. Quantum namque ex exterioribus cernitur, Cerinthus & Ebion nil pene pejus inveniuntur egisse quam Paulus: qui nimirum in Christum credentes, propter hoc solum a patribus anathematizati sunt, quia legis ceremonias evange- (Philip. 3.) (Galat. 5.)

lio Christi miscuerunt, & sic nova confessi sunt, ut vetera non mutarent. Sed ecce cum dicitur, quoniam Iacobus, & omnes seniores hoc Paulo consilium dederunt: omnes ergo discipuli, quod Paulus fecit, pariter fecerunt: unumque scilicet habent in hoc meritum, & qui fecit, & qui faciendi dedere consilium.

Si ergo ipsi principes mundi, quorum legibus parent non modo regna terrarum, sed ipsa etiam celsitudo cælorum, non dubitavere pro paucis qui tunc erant hominibus, in tam periculoso negotio condescendere: cur nobis utique parvulis, & infra eorum vestigia longe jacentibus, non licuit innumerabili Romanæ urbis multitudini subvenire? Sed quid apostolos loquimur scandalum cavisse debilium, & noviter conversorum: cum & ipse illorum magister & dominus, cujus nimirum omnia sæcula substernuntur imperio, ad nostræ imitationis exemplum, scandalum prætaverit Iudæorum? *Simon*, inquit, *reges terræ a quibus accipiunt tributum? a filiis suis, an ab alienis?* quo respondente, *Ab alienis*: Iesus subjungit: *Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui prius ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.* Ad molliendum ergo rigorem rectitudinis, ad tuendam virtutem discretionis, si tibi Petrus non sufficit ad exemplum, junge & Paulum. Quod si procaci contumaciæ nequeunt uterque sufficere: pudeat te ultra Iesum per dicacitatis ineptiam prosilire. *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti.* (Matth. 17.) (Rom. 10.)

Regius advocatus.

Discretionis virtutem tot scripturarum testimoniis approbatam improbare non possumus: sed absit ut ulla virtus sit tam sublimis, tamve præcipua, cujus tuendæ studio in anathematis barathrum corruere debeamus. Nam cum omne, quod nobis ex divina lege præcipitur, ad hoc procul dubio tendat, ut nos creatori nostro societate æterna conjungat: si nos ab eo, quod absit, per maledictionis sententiam contingat abscedere: quæ discretio, quæ, sicut dicitur, pia compassio, tam incomparabile damnum nobis poterit compensare? Sane si propter hoc solum virtus appetitur, ut omnipotentis Dei societas acquiratur: qualis jam illa virtus esset, quæ nos ad divini contubernii societate repellat?

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Hæc cur prosequaris, quia nobis occulta sunt, evidenter expone.

Regius advocatus.

Synodalis enim decreti pagina, quam cum concilii totius assensu beatus Nicolaus papa constituit, cui quippe manus articulum indidit, quam tot episcoporum venerandus celebrisque conventus subscriptione firmavit, anathematis vinculo juxta morem carere non potuit. Unde vos pro compassione, vel condescensione, nescio quam dicitis, furentis populi, nequaquam vosmetipsos deberetis tam inenodabiliter sententiæ nexibus irretire. Ridiculum quippe est, sic obrutum de voragine marini fluctus eruere: ut ipse compellatur ereptor undosis procellarum spumantium cumulis subsidere.

Defensor Romanæ defensor.

Cum hæc inconsultius loqueris, Andabatarum adversum me more confligis: qui nimirum dum clausis semper oculis pugnant, alios quidem vulnerant, sed quomodo seipsos a vulneribus tueantur, ignorant. Dicis, quia nequaquã debemus in anathema

ANNO CHRISTI 1062.

ma corruere, etiamsi per hoc valeamus infirmis fratribus subvenire. Huc vibrasti gladium, tentasti vulnus infligere: sed tibimet ubi clypeum opponeres non vidisti. Numquid tibi jam de memoria excidit quod superius protuli, quoniam beatus Paulus in epistola sua dicit: *Quia si circumcidamur, Christus nihil nobis proderit*? Et tamen quod tam districte prohibuit, ipse pro caritate fratrum infirmantium, ne scandalum paterentur, implevit. Quod enim majus sive deterius poterit quis anathema subire, quam cui negatum est Christum pro sui reatus damnatione prodesse? Nam cui Christus non prodest, procul dubio anathema est: nihilque est aliud anathema aliquem fieri, nisi a Christi, in quo benedicuntur omnes gentes, societate repelli. Si ergo Paulus hoc anathema pro caritate fratrum subire non timuit, immo prorsus evasit, cum non qualemcumque hominem, sed Christianum utique discipulum circumcidit: tu, quæso, ubi cordis oculos amisisti, qui, quod apostolus fecit, non faciendum esse testaris? ipse enim dicit: *Quæcumque scripta, sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.*

Galat. 5. Rom. 15.

Regius advocatus.

Verisimile est, quod sicut Paulus coapostolum suum Petrum de judaizandi rediviva usurpatione corripuit: ita nihilo minus, & in semetipsum, postquam discipulum circumciderat, reprehendat. Nec mihi hoc aliter umquam poterit persuaderi, nisi fortassis in ejus verbis aliquatenus valeat inveniri.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Ut nullus ambiguitatis nævus in tua mente remaneat, ut nulla cor tuum super hoc negotio deinceps caligo confundat, audi quid idem Paulus ad Romanos dicat: *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo: optabam enim ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Ecce Paulus, cum non sit, sicut nos, necessitate coactus, sponte ac voluntarie desiderat anathema esse pro fratribus: & tu mihi proponis anathema timendum, ubi me perspicis & inevitabili prorsus necessitate fuisse constrictum, & caritatis studio, ne tanta fratrum multitudo corrueret, inclinatum. Audi etiam quod Moyses pro populo Israelitico postulans dicat: *Obsecro, Domine, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facias, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Quod nimirum pleniter fiet, cum reprobis in judicio dicet: *Ite maledicti in ignem æternum.* Ecce hic Paulus optat anathema pro fratribus fieri: ecce illic Moyses postulat ex Dei libro pro populi, quem ducebat, caritate deleri: & sola Romana ecclesia, quæ pietatem & caritatem toto terrarum orbe spiritualiter & principaliter docet, ex imminentibus vibratis undique gladiis filios suos, quos quotidie per sacri baptismatis mysterium generat, liberare non auderet? *Maledictus vir*, ait Saul, *qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar me de inimicis meis.*

Rom. 4. Exod. 32. Marc. 11. 1. Reg. 4.

In hoc, sicut legitur, anathema Ionathas cecidit: sed eum ab imminenti mortis sententia caritas, qua pro populo strenue dimicaverat, liberavit. Vis audire quid etiam de ipso Iesu, totius benedictionis autore, idem apostolus dicat? *Christus*, inquit, *ut nos liberaret a maledicto legis, factus est maledictum.* Si ergo ipse autor benedictionis æternæ, ut nos a vinculo maledictionis absolveret, maledictioni non dedignatus est subjacere: si sancti quique vel novi vel veteris testamenti, dum sui capitis imitantur exemplum, & infirmis subvenire fratribus in periculis concupiscunt, anathematis subire sententiam nullatenus perhorrescunt: cur uni mihi niteris imputare peccatum, & caritatem ad hoc me induxisse non perspicis, quæ operit multitudinem peccatorum? Quomodo autem me cujuslibet hominis sententia ligat, quem caritas ipsa, quæ Deus est, liberat? Erubescat igitur humani anathematis imputator, cum per caritatis gratiam mecum sit æternæ benedictionis indultor.

Galat. 3.

Regius advocatus.

Cuicumque in disputatione certanti veritas ipsa defecerit, ineptum est adhuc per ambages atque versutias pertinaciter niti: ridiculum est diutius verbis prolixioribus immorari. De vinculo siquidem anathematis, quo te hactenus arbitrabar adstringi, ita te naviter expedisti: ut nihil de cætero tibi valeat objici, nihil super hoc capitulo rationabiliter possit opponi. Verumtamen adhuc video mihi materiam superesse, quam tibi valeam non sine causa reluctatori objicere. Dicitis quia necessitate constricti, & velut angusti temporis brevi spatio coarctati, nequaquam potuistis in electione pontificis expectare consensum regiæ majestatis. quod profecto frivolum esse, perspicuum est. Constat enim tres plus minus menses interim decurrisse, ex quo sanctæ memoriæ papa Nicolaus occubuit, usque ad Kalendas Octobris, cum iste successit. Videamus ergo si per tam morosam longitudinem, trimestris videlicet spatii, non potuerit ab aula regia pragmaticæ sanctionis vobis apocha reportari.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Ecce compellis me vulgato sermone depromere, quod imperialis palatii reverentia decreveram silentio præterire: sed juxta vestræ scilicet exactionis instantiam jam proferatur in medium opus egregium vestrum, sæculis omnibus inauditum. Rectores enim aulæ regiæ, cum nonnullis Teutonici regni sanctis, ut ita loquar, episcopis, conspirantes contra Romanam ecclesiam concilium collegistis, quo papam quasi per synodalem sententiam condemnastis, & omnia quæ ab eo fuerunt statuta quassare incredibili prorsus audacia præsumpsistis. In quo nimirum non dicam judicio, sed præjudicio, idipsum quoque privilegium, quod regi prædictus papa contulerat, si dicere liceat, vacuastis. Nam dum, quidquid ille constituit, vestra sententia decernente destruitur: consequenter etiam id quod ab eo regi præstitutum fuerat, aboletur. Sed absit a nobis, ut propter cujuslibet hominis insolentiam, rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem sui juris amittat: & quem, autore Deo, votis omnibus præstolamur ad imperiale fastigium, non permittemus, ob alienam culpam, regiæ dignitatis incurrere detrimentum. Sed ut totam inauditæ calamitatis nostræ percurramus historiam: Stephanus cardinalis presbyter apostolicæ sedis, vir videlicet tantæ gravitatis & honestatis nitore conspicuus, tantis denique, sicut non obscurum est, virtutum floribus insignitus, cum apostolicis * libris ad aulam regiam missus, ab aulicis administratoribus non est admissus: sed per quinque fere dies, ad beati Petri & apostolicæ sedis injuriam, pro foribus mansit exclusus.

Stephani cardinalis laudes.

* litteris

Quod ille, utpote vir gravis & patiens, æquanimiter tulit: legati tamen officium, quo fungebatur, implere non potuit. Clausum itaque signatumque

tumque mysterium concilii, cujus erat gerulus, retulit, quia regis eum præsentari conspectibus, curialium plectenda temeritas non permisit. In qua nimirum inopinatæ præsumptionis audacia, tanta disputandi videtur inesse materia, ut & Demosthenis eloquentiam vincat, & copiam Tullianæ facultatis excedat. Vnde si vellemus injuriam nostram districtius persequi, jure possemus obtendere, quia vos Romanæ ecclesiæ vosmetipsos dono privastis, qui scilicet ei præjudicii vestri gratis contumeliam intulistis. Ille quippe fœdus amicitiæ violat, qui gratis amicum per offensionis molestiam pulsat. Nam & Dominus Iudæis per Ieremiam ait: *Ecce feriam domui Israel & domui Iuda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, pactum quod irritum fecerunt.* Ille ergo irritum reddit beneficii pactum, qui prior violat amicitiæ sacramentum. Verumtamen Romana ecclesia non vult exaggerare quod pertulit, sed perseverare cupit in munere, quod regio culmini liberaliter prorogavit.

Ierem. 32.

Regius advocatus.

Quod domino nostro regi reverenter adscribis innocentiam, digne facis: quod autem administratoribus aulæ publicæ devolvis e diverso calumniam, videtur injustum. Quidquid enim circa vos in hujusmodi casibus actum est, ad hoc nos regiæ munus impulit, imperiale præceptum, non propriæ libertatis arbitrium.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Ego tibi secundum cordis tui duritiam respondebo: dico enim quod Dei omnipotentis obtemperare sermonibus aliquando peccatum est.

Regius advocatus.

Ad hoc quod asseris, mens humana concutitur, & Christianæ pietatis ferre non valet auditus.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Quia hoc tantopere miraris, illud etiam consequenter adjicio, quia propter hoc quod Deo quidam promptus obedivit, funditus periit: alius ob id quod obtemperare contempsit, ad cumulum gratiæ plenioris ascendit.

Regius advocatus.

Incredibile est valde quod dicis: verumtamen si vales exemplis approbare quod loqueris, dic quis umquam obedivit, ac propterea periit?

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Non te latet quod Iudæ Iscarioti, qui jam accepto consilio eum traditurus erat, ait Dominus. *Quod facis, fac citius.* Postmodum quoque, cum ad ejus osculum accedere præsumpsisset, adjicit: *Amice, ad quid venisti?* subauditur, perfice. Sed quia miser his sermonibus efficaciter obedivit, irrevocabiliter periit.

Joan. 13.

Regius advocatus.

Hujus propositionis ratione reddita, redde consequenter alterius: quis scilicet Dei omnipotentis obedientiam sprevit, & propter hoc copiosiorem gratiam meruit?

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Si placet, hoc in memoriam revoca, quod Dominus ad Ieremiam dixit: *Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces in domum Domini, in unam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.* Et paulo post propheta subjungit: *Et posui coram filiis Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum, quia Ionadab pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filii vestri usque in sempiternum.* Vnde postmodum Ieremias ait eis: *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* At ecce ille male obediens, perfunctus obedientiæ munere, cucurrit ad laqueum: isti feliciter inobedientes, perpetuum sui conditoris meruere conspectum. Hoc etiam ad hoc valet quod superius dictum est, quia cum papam sine consensu regis eligimus, non debetis quod extrinsecus actum est dijudicare, sed potius quo animo & qua intentione sit factum, diligenter attendere.

Jerem 35.

Regius advocatus.

Hæc argumenta nobis domestica sunt, & numquam deficiunt, quia de promptuariis proferuntur: semper enim possumus in pravi operis exhibitione delinquere: sed quia occulta est, ad puræ mentis debemus patrocinium convolare.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Censesne semper debere juxta rerum atque verborum superficiem judicari? quid enim juxta verborum strepitum magis est absonum, quam cum Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus mediatorem Dei & hominum dicitur tradidisse? Ecce Christum tradidit Iudas, tradidit & Pater: numquid non quasi similis casus videtur? ergone traditor est Iudas, & traditor Deus Pater?

Regius advocatus.

Vnde probas quia Pater & Filius & Spiritus sanctus tradiderint Salvatorem?

Defensor ecclesiæ Romanæ.

Audi apostolum dicentem: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum.* Rom. 8. Cui & Salomon ait: *Cum sis justus, & omnia juste disponas, ipsum qui non debet puniri, condemnas.* Sap. 12. Quod autem se Filius tradidit, idem dicit apostolus: *Qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me.* Galat. 2. Quod autem & Spiritus sanctus tradidit Filium, sapientia perhibet, dicens: **Vnigenitus est enim Spiritus sapientiæ, & non * liberavit maledictum a labiis suis.* Maledicti apud veteres, dicebantur omnes qui suspendebantur in ligno: *Christus autem,* ut apostolus dicit, *ut nos liberaret a maledicto, factus est maledictum.* Galat. 3. Spiritus ergo sanctus liberavit maledictum a labiis suis: quia quæ per ora prophetarum de Christi passione locutus est, non cohibuit, sed super eum sine dimissione compleri cuncta permisit. Ergo secundum te, qui non de cordis intentione, sed semper ex operum vis superficie judicare: si Pater tradidit Filium, & ipse se tradidit Filius, & Spiritus sanctus, Iudas quid male fecit? Facta est traditio a Patre, facta est a Filio, necnon a Spiritu sancto, facta est a Iuda: una res a pluribus facta est, sed eadem res in operatoribus decernenda est. Quod enim Deus omnipotens ex caritate, hoc Iudas fecit ex cupidine acquirendæ pecuniæ. Quod Deus fecit ad salutis nostræ remedium, hoc ille fecit ad explendum insatiabilis avaritiæ votum. Vide ergo, quia non quid homo faciat debemus attendere, sed quo animo & voluntate, diligenter examinare. Nam si sola dumtaxat exteriora perpendimus: invenimus ipsum Dominum Salvatorem, & dixisse quod prohibet, & fecisse aliter quod jubet.

*lege Benignus

* lege liberabit

f. discernenda.

Quisquis, ait, *dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis:* Matth. 5. & tamen ipso resurrectionis suæ die, duobus de se dubitative loquentibus, ait: *O stulti & tardi corde ad credendum.* Id. 24. Dixerat etiam in monte discipulis: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram:* Id. 5. in passione vero positus, percutienti se in maxillam puero sacerdotis non modo non alteram præbuit, sed insuper dixit: *Si male locutus sum, exprobra de malo; sin autem be-* Joan. 18.

ne, cur

ANNO CHRISTI 1062.

ne, cur me cædis? Et quomodo jam verum est, quod de illo Lucas ait, *quod cœpit facere & docere*: si quod docuit non implevit? Sed procul dubio intelligendum est, hoc eum præcepisse ad præparationem cordis, non autem ad ostensionem operis. Quomodo enim paratus corde non fuit in maxillam alteram cædi, qui pro hominum salute decreverat toto corpore crucifigi? Paulus etiam palma percussus jussione pontificis, ait: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Quod minus intelligentibus videtur in verbo convicium: sed in sensu, prophetici tenet oraculi sacramentum. (Act. 8. / Id. 23.)

Paries enim dealbatus hypocrisis est, sacerdotalem sub hoc nomine præferens dignitatem, sed occultans intrinsecus luteam malitiæ turpitudinem. nam quod humilitatis fuit, mirabiliter custodivit. Cum enim illi diceretur: *Principi sacerdotum maledicis? respondit: Nesciui, frater, quia princeps esset sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Vbi ostenditur, quanta idem tranquillitate dixisset, quod iratus intulisse videbatur. Quibus scripturarum testimonis quid aliud edocemur, nisi quia non juxta verba nuda semper debemus sententias judicare, sed quo animo, qua mentis intentione proferantur, suscipere? (Ibidem.)

Regius advocatus.

Dubia quæ proponis luculenter elucidas per exempla quæ subjicis. Sed quæso te ut ad superiora paulisper redeas, & cur nos calumnieris vobis præjucium intulisse, qui regiæ ditioni paruimus, patenter exponas.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Recte plane, ordinabiliter & congruenter, postquam omnis vestræ partis objectio non rhetoricis argumentis, non coloribus oratoriis, non dialecticis syllogismis, sed vivæ potius atque perspicuæ veritatis est ratione purgata: versa vice jam dignum est, ut de vestris excessibus vel breviter disseratur. Enimvero damnatio papæ tam gravis & inexpiabilis, ut non humano, sed divino dumtaxat sit tractanda judicio. Reges autem nostros tum ætatis infirmitas, tum fragilitas sexus excusat: quibus utique non reatus adscribitur, sed eorum consiliariis, ut dignum est, imputatur. Omissis itaque perversitatibus cæteris, ut quid ignorante Roma, reprobum' dominum in Romanum pontificem eligere præsumpsistis? (' f. hominem)

Regius advocatus.

Electionem quidem, ut palam est, fecimus: sed longe prius, Gerardo comite, aliisque Romanis, ut videbatur, civibus infatigabiliter insistentibus, ad hoc inducti sumus. Nam & abbas monasterii, quod dicitur clivus Scauri, non defuit. Non ergo, ut asseris, ignorante Roma: sed præsente atque petente, Romani pontificis electio facta est.

Defensor ecclesiæ Romanæ.

In hoc pro me facis, dum Gerardo sub anathemate constituto te communicasse testaris. Nam, ut de abbate & aliis interim sileamus, de Gerardo liceat tantummodo dicere, ecclesiæ hominem non fuisse, & Christi nequaquam pertinuisse fidelibus. Illud enim unum caput anathemati maledictionique subjacuit omnium fere pontificum, quicumque Romanæ ecclesiæ ejus temporibus præfuerunt: demum paulo antequam moreretur, propter comitem Anglum & archiepiscopum, quos a beati Petri liminibus redeuntes invasit, spoliavit, & usque ad mille Papiensis monetæ libras appendentia rapuit. Propter hoc itaque in plenaria synodo, papa Nicolao præsidente, excommunicatus est, & extinctis luminaribus sub perpetuo fuit anathemate condemnatus. Perpendat igitur sancta synodus, si illius ejusque complicum rata jure videatur electio, qui tam terribiliter atque horribiliter est ab ecclesiæ visceribus euangelica atque canonica falce præcisus, ut ne in morte quidem de Christianitatis fuerit titulo reformatus: & si per eum ordinari Romanam ecclesiam dignum fuit, qui eam semper est feraliter persecutus.

Et quomodo summam debet ecclesiam ordinare, cui cujuscumque limen ecclesiæ non licet attingere? Clamat Dominus ad Israel: *Anathema in medio tui Israel: nec poteris stare contra hostes tuos, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.* Et hoc quare? Quoniam Achan filius Charmi de anathemate Iericho ducentos dumtaxat argenti siclos, regulamque auream quinquaginta siclorum, & coccineum abstulerat pallium. Et ob hanc vilem videlicet summam, autor sceleris non modo lapidatur, sed & lapidum acervis obruitur. Si propter illum hominem, qui dumtaxat unum sacrilegium fraude commiserat, Israel ante suorum hostium faciem ruiturus erat: quomodo stabit ecclesia, si per virum tot criminibus involutum fuerit ordinata? præsertim cum & talem elegerit, in quem, teste mundo, omnium vitiorum sentina confluxit: pseudoepiscopi apostolorum antichristi, adversarium Christi; amici puellarum, mangonem ecclesiarum. Quis igitur istorum, justo videbitur examine præferendus? Vtrum is, quem elegit unus vir, perpetuæ maledictionis anathemate condemnatus? an ille potius, quem cardinales episcopi unanimiter vocaverunt, quem clerus elegit, quem populus expetivit, non ab extremitate terrarum, sed intra mœnia Romanorum, & in ipsius sedis apostolicæ gremio? (Iosue 1.)

Regius advocatus.

Tot a te rationibus redditis possemus fortassis adhibere consensum, si semel emissam deceret regiam majestatem mutare sententiam. Principali quippe gloriæ velut inconstantiæ nævus imprimitur, si quodcumque suæ constitutionis edictum leviter annulletur.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Quis nesciat rege Deum esse majorem? & tamen dicere non erubescit: *Pœnitet me, quod constituerim Saul regem.* Et per Samuelem ei denuntiat, dicens: *Projecit te Dominus, ne sis rex super Israel.* Si pœnitere se Deus asseruit, qui futura cuncta cognoverat: cur homo suam mutare in melius sententiam erubescat, qui, qualis & ipse quoque sit futurus, ignorat? Ille de bono factus est malus: iste, videlicet Cadalous dolosus, de malo, utique quod jam erat, fit quotidie diaboli more deterior. (1. Reg. 15.)

Regius advocatus.

Quam inconsulte nunc loqueris, qui diabolum deteriorari posse testaris? qui certe tam malus est, ut deterior esse non possit.

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Mentior, si quod proposui, scripturæ testimoniis comprobare non valeo. Nam, Isaia teste, dicebat superbus in mundi principio: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Paulus autem dicit: *In fine mundi veniens adversatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Qui ergo tunc affectavit Deo se similem esse, in fine mundi jam deterior factus qui vult prior eminere. Per quod manifesto colligitur, diabolum adhuc in deteriora posse corruere: & quia diabolus interpretatur deorsum fluens, Cadalous a cadendo dictus, ruinam populi sonat, ipsisque nominibus aptissime invicem concordant. Dic ergo: (Isa. 14. / 2. Thess. 2.)

Quomodo

ANNO CHRISTI 1062.

Quomodo iste pontifex esset, quem non Romanus populus, sed unus homo cum suis complicibus, idemque non Romanus, sed suburbanus †, & non ecclesiæ filius, sed maledictus & anathematizatus, elegit? Illene esset tuo iudicio pontifex, qui suam vendidit, ut Romanam ecclesiam obtineret? qui Romanos occidit in ore gladii, ut Romanus pontifex fieret? Dices me non debuisse pontificem sine consensu regis eligere; & magni pendendum mihi non fuisse, ut populus non periret.

Ecce hinc beatus Augustinus Hipponensi ecclesiæ, Valerio vivente, præficitur: ecce illinc Ambrosius, octavo die postquam baptizatus est, perceptis cunctis ecclesiasticis gradibus, episcopus ordinatur. In quibus utique ob nihil aliud canonicæ autoritatis ordo deseritur, nisi dumtaxat ut saluti populi consulatur: & tu mihi dicis in servando populo ipsi regi me debuisse consulere, ut sibimet in dando consensu unius epistolæ gloria proveniret. Nam unde postmodum Romanus imperator fieret, si tunc se Romanus populus mutuis vulneribus peremisset? Porro autem, quia in constituendo pontifice Romana ecclesia a caritate regia non recessit, hoc etiam indicio est, quia cum in clero suo religiosis viris & sapientibus abundaret, non de propriis, sed eum qui regi tamquam domesticus & familiaris erat, elegit.

Regius advocatus.

Quisquis veritati, postquam patefacta claruit, obstinate renititur, Dei omnipotentis adversarius non immerito judicatur, cujus adversum se iram inextinguibiliter provocat, si veritatem, quæ ipse est, pertinaciter & arroganter impugnat. Nam ut ipse disputationis tuæ velut epilogum faciam, cum inter nos quæstio moveretur, utrum sine regis assensu Romani pontificis fieri possit electio, recensitis historiarum catalogis, tantam Romanorum imperatorum atque pontificum copiam coacervasti, & velut nubem mihi testium opposuisti, ut his conspectis, ne muttum quidem me adversum te super hoc ulterius facere libuisset. De anathemate vero, quod Nicolaus papa constituit, in quo etiam, ut verum fatear, totam victoriæ vim intentio nostra posuerat, tam invictis scripturarum testimoniis, tam lucidis certe, modo beatorum apostolorum, modo ipsius domini Salvatoris, tuæ disputationis assertio se purgavit exemplis, ut & nos eatenus ignota doceret, & vos ab illius sententiæ vinculo patenter absolveret.

Deinde a domini nostri regis, quam dicebamus, injuria, quæ scilicet nos adversum vos acrius accendebat, tam strenue se purgavit oratio: ut evidenti clarescat indicio, quia in eo, quod sibi pontificem populus Romanus elegit, majestati potissimũ regiæ ministravit; nec ei, sicut dicebatur, privilegium tulit, sed potius roboravit, dum non de Romana ecclesia, sed ex aula regia sacerdotem ad apostolicæ sedis culmen evexit. Postremo de electione Parmensis episcopi quid dicimus? loquar, an sileam? Sed juxta scripturam *conceptum sermonem tenere quis possit?* Et certe ubi nuda veritas cernitur, turpis ignominia est, si commento fallaciæ deservitur. Ipsi plane liquido novimus anathematizatum esse Gerardum, nec ignoramus ejus instinctu potissimum hunc episcopum in hoc negotium fuisse pellectum: &, ut ita loquar, arbor quæ de venenata radice anathematis oritur, antequam perniciosum prorumpat in fructum, modis omnibus, ne noceat, evellatur, testante veritate, quæ dicit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Defensor Romanæ ecclesiæ.

Ecce audivit beatitudo vestra, venerabiles patres, quoniam qui inspector est mentium, confœderat nos in cõcertatione verborum. Videt enim nos non malitiæ causa confligere, sed inveniendæ veritatis studio deservire; ideoque dignatus est motam inter nos sopire querelam, & suam nobis inspirare concordiam. Pax enim nostra, quæ fecit utrumque unum, conflavit & in eodem consensu corda duorum. Agamus ei gratias, qui prius † sagenam Petri periclitari permisit & turbine ventorum & procellis undarum: sed ecce ut regrediens manum tetendit, Petrum erexit, ventis imperavit, & discrimina marina compescuit: confestim mare, quod in cumulos erigebatur, obruitur, tempestatis procella sedatur, ventorum turbo reprimitur, & aurea cæli facies serenatur.

† Sagena pro navicula superius assumpta a Petro Damiani, quibus [illegible] gas [illegible] hoc opus.

Clausula dictionis.

Amodo igitur, dilectissimi, illinc regalis aulæ consiliarii, hinc sedis apostolicæ comministri, utraque pars in hoc uno studio conspiremus laborantes, ut summum sacerdotium & Romanum simul confœderetur imperium: quatenus humanum genus, quod per hos duos apices in utraque substantia regitur, nullis, quod absit, partibus, quod per Cadaloum nuper factum est, rescindatur: sicque mundi vertices in perpetuæ caritatis unione occurrant, ut inferiora membra per eorum discordiam non resiliant: & quatenus ab uno mediatore Dei & hominum hæc duo, regnum scilicet & sacerdotium, divino sunt conflata mysterio; ita sublimes istæ duæ personæ tanta sibimet unanimitate jungantur, ut quodam mutuæ caritatis glutino & rex in Romano pontifice, & Romanus pontifex inveniatur in rege, salvo scilicet suo privilegio papæ, quod nemo præter eum usurpare permittitur. Cæterum & ipse delinquentes, cum causa dictaverit, forensi lege coerceat, & rex* cum suis episcopis super animarum statu prolata sacrorum canonum autoritate decernat. Ille tamquam parens paterno semper jure præemineat; iste velut unicus ac singularis filius in amoris illius amplexibus requiescat. Attalus plane rex Asiæ, & Nicomedes rex Bithyniæ, intantum Romanam rempublicam dilexere, ut uterque moriens Romanum populum testamento reliquerit heredem.

*f. pontifex

Sanctæ ergo ecclesiæ principes quam propensiori invicem debent caritate congruere, quibus injunctum est caritatem præcipue Christiano populo prædicare: ut ex eorum, quæ procedat ex pietate, concordia, sancta universalis gratuletur ecclesia, ac gemino utriusque studio Christianæ religionis refloreat disciplina. Verum nos piscatoris naviculam ex hiatu Scyllæ voraginis extrahentes, dum successorem Petri fidei labente vestigio mersum ad litora quieta deducimus, pium ereptori nostro celeusma cantemus: Te Deum laudamus; te Dominum confitemur.

Hactenus synodalis disceptatio, cui in codice mox subscripti leguntur hi versus:

Ultio divina, populi Cadaloe ruina,
Te manet, ut diro medium transverberet ictu.
Altipetax Simonem sequeris Simon astra petentem?
Te quoque Tartareus simul absorbebit hiatus.

Anno Christi 1062.

***CONCILIVM ARAGONENSE apud sanctum Ioannem Rupensem* VII. Kalend. Iul. anno, ut adscribi solet, MLXII. celebratum.**

*de la Peña

Ex comment. rerum Aragonensium Hieronymi Blancæ.

RESIDENTE glorioso principe Ranimiro, una cum venerabilibus episcopis; scilicet Sanctio, & Garsia, & Gomesano: & abbatibus sancti Ioannis cœnobii; scilicet Blasius, & Paternus minor: residentibus etiam universis fratribus, & clericis sui regni, in capitulo prænominati cœnobii, ita Sanctius Aragonensis episcopus exorsus est loqui. Pro disciplina, & ordine ecclesiastico, cum diligenti cura ac providentia tractemus, si placet Domino nostro Ranimiro regi, ac episcopis, abbatibusque adstantibus, necnon etiam monachis, ac universis clericis, ea quæ ad ordinationis tenorem pertinent, juxta divinæ legis præcepta, & Nicænorum canonum constituta; ac cum adjutorio Domini in omnem ævum mansura solidemus, sicut est prædestinatum, & constitutum ab inclito rege Sanctio, totius Hesperiæ Domino, in præsentia episcoporum subscriptorum: scilicet Mantii episcopi Aragonensis; & Sanctii, Pampilonensis; & Garsiæ, Naiarensis; & Arnulphi, Ripacurtiensis; & Iuliani, Castelliensis; & Pontii, Ovetensis; & aliorum plurimorum episcoporum: nomina quorum longum est dicere. Hoc vero est nostrę institutionis decretum: ut episcopi Aragonenses ex monachis præfati cœnobii habeantur, & eligantur. Ranimirus rex stans in medio concilii, dixit: Ego laudo, & corroboro decreta genitoris mei Sanctii, ac huic vestræ definitioni subscribo. Vniversi episcopi, ac abbates simul cum clericis dixerunt: Laudamus, ac huic subscriptioni nos subscribimus. *Hic Blancæ judicio desiderantur non pauca.* Quicumque futurorum regum, successorum nostrorum, transgredientes, & deviantes ab hoc regali simul & pontificali decreto, tentaverit dissolvere hanc scripturam: in præsenti sæculo omnipotens Deus, qui est justus judex, & regum rex, dissolvat, & dividat regalem honorem, & potentiam regni eorum, detque illud se diligentibus, & timentibus, & nostra decreta servantibus: & in futuro separati a consortio omnium Christianorum, interpellante pro eis beato Ioanne Baptista, cum omnibus sanctis, participentur in societate cum Dathan, & & Abiron, & Iuda traditore, in inferno inferiori, luentes pœnas perpetui incendii sine fine per æterna sæcula. Amen. Data est sententia VII. Kal Iulii. Æra MLXII.

NOTA GABR. COSSARTII S.I.

Hieronymus Blanca qui primus hæc edidit in Aragonensibus commentariis, æram hic sumptam esse ait pro anno Christi: eumque Baronius, Binius, aliique secuti sunt. Verum habitam non esse hanc synodum anno Christi MLXII. multa mihi persuadent. Ac primum, quod in ea dicuntur Aragonenses episcopi, qui Iaccetani nuncupari anno illo debuissent. Nam in Iaccensi concilio, anno Christi MLX. decretum hoc fuerat. Et sic reipsa dicti sunt donec episcopatus idẽ Oscam, quæ prima ejus sedes fuerat, relatus est. Nec diffiteor tamen quo tempore Iaccetani dici debuerunt, eodem esse Aragonenses nonnumquam appellatos: sed probabile non est, re tam recenti decretum hoc violatum esse, coram Ranimiro ipso, qui ante annos duos illius autor fuerat.

Deinde huic concilio interfuit Paternus minor abbas S. Ioannis, Paternus nimirum secundus, cum minor in designandis ætatibus dicatur, quem major & antiquior unus præcesserit. At Paternus ille II. ut discimus ex catalogo abbatum hujus cœnobii, abbas esse desiit an. Christi MXLII.

Denique sumptam hic æram esse pro anno Christi, novum esset ac sine exemplo. Summa Hispanorum est hac in parte religio, quam numquam gentis annales, nedum instrumenta publica violant. Cur ergo violatam hic nõnulli volunt? quia cũ æra, Hispanica, Christi natalem antecedat annis XXXVIII. annus illius MLXII. incidit in annum Chr. MXXIV. Quo anno certum est haberi synodum istam non potuisse nec ipsi interesse Ranimirum regem, qui nisi post annos omnino decem regnare non cœpit.

Et recte quidẽ hac in parte ratiocinantur, si hic adscripta sit æra MLXII. Sed cum illi merito æram Hispanicam excludant: ego Christianã intelligi non posse, ostenderim: quid superest, nisi ut errorem in numeros irrepsisse credamus? Ego vero addendam esse decadem unam suspicor, legendumque, æra MLXXII. Congruit enim illa cum anno Christi MXXXIV. qui primus est regni Ranimiri. Quam autem erat consentaneum, ut statim post parentis obitum in medio concilii diceret: *Ego laudo & corroboro decreta genitoris mei Sanctii*! Cur id tamdiu omissum anno demum MLXII. fecisset?

Eodem anno MXXXIV. Blasium abbatem sancti Ioannis fuisse, discimus ex instrumentis a Ioanne Briz Martinez abbate illius cœnobii recitatis in hist. quam de eo conscripsit. Commode ad rem nostram, cũ eum hoc in concilio reperiamus. Adjungitur quoque ipsi Paternus minor, sive secundus, quem abbatem hoc anno fuisse probare aliunde non possim: immo si Martinezium audimus, abbas esse cœpit an tantum MXXXVI. Verum is imbecilli argumento ductus est, quod Blasii abbatis memoria ad annum usque MXXXVI. in actis perseveret. Nam cum in hoc concilio Blasius simul & Paternus minor sancti Ioannis abbates dicantur: Paternum anno MXXXIV. nondum fuisse abbatem ex eo concludi non potest, quod anno eodem Blasius abbas esset. Cur autem simul duo, multis disputat idem, quæ longius esset hic describere.

In Aragonensis episcopi nomine mendum quoque esse suspicor, scribendumque, non Sanctium, sed Mantium, quem episcopum Aragonensem anno MXXXIV. fuisse colligo ex alio instrumento quo Ranimirus I. Arag. rex dotem constituit conjugi suæ. Cui subscriptum: *Mantius episcopus Aragonensis confirmavi.* Integrum extat apud Martinezium, consignatum anno incarnationis MXXXVI. mense Aug. XXII die, Luna XXV. Sed mendum hic quoque certissimum. Nam secundum Dionysii cyclos MSS. quibus utor, dies Aug. XXII. in Lunam XXV. incurrit non anno MXXXVI. sed anno MXXXIV. Sanctium autem pro Mantio scribi, proclive est. Hoc fecit & Mariana noster, historiarum lib. VIII. cap. ult. Et in hoc ipso monumento, ubi Mantii nomen videmus, scripsit Hieronymus Blanca, *Sanctius*. Mantium tamen fuisse discimus, & ex Martinezio qui monumentum hoc edidit, scripsitque, *Mancius*, & ex privilegio Leirensi de quo mox loquar, cui subscripsit Mantius, cum episcopis iisdem qui Pinnatensi suscripsisse hic dicuntur.

Magna in Hispanorum libris harum rerum indiligentia. Cujus unum præterea exemplum affero, ad hæc tempora & Mantium eumdem spectans. Ab Ambrosio Morales viro alioquin eruditissimo, refertur in notis ad Eulogium Cordubensem donatio quædam *Sanctii* majoris, cui adscripta æra MLXXVII. scriptumque, *Martinus Aragonensis episcopus confirmo*: ex quo. Martinum addit Aragonensium episcoporum fastis. Æra illa incidit in annum Christi MXXXIX. ante quem Sanctius iste obierat. Falsa ergo anni notatio. Quod si detraxeris decadem unam, scribasque MLXVII. annus erit Christi MXXIX. quo anno parebat Aragonia, & regi Sanctio majori; & episcopo, non Martino cujus nusquam alias mentio, sed Mantio, cujus nomen in multis circa hæc tempora monumentis legimus.

Hæc cum scripsissem, incidi in locum hist. S. Ioannis, ubi refertur donatio quædam, cui adscripta æra MLXXII. hoc est, an Chr. MXXXIV. & dies Aug. XXIV. quod instrumentum videtur superstite Sanctio confectum Ex quo pronum est argumentari, Ranimirum anno MXXXIV. mense Iulio regem nondũ fuisse. Sed error hic quoque in numeris, isque manifestus. Dicitur enim hæc donatio facta die Lunæ XXIV. Maii, Luna XXI. At anno MXXXIV. nihil horum occurrit: concurrunt autem ista anno MXXXI. Scribendum igitur, æra MLXIX. non MLXXII. Deinde fac an MXXXIV. mense Aug. vixisse Sanctium. Nihil hoc mihi incommodat: cum in illo ipso instrumẽto, Ranimirus rex dicatur: qui sive superstite, sive mortuo parẽte rex hoc anno fuerit, mea nihil interest quod quidẽ ad hoc concilium attinet. Subjungitur eodem loco apud Martinezium alia donatio, ejusdem æræ MLXXII. mense Sept. Sed cũ nihil addatur, convincere illam falsi nequeo: falsam tamẽ temporis notam esse, cætera quæ ante dixi mihi persuadent.

Quod si vel instrumentũ hoc, vel alia quæ reperiri possunt, opinioni meæ adversentur, non tamen an. Chr. 1062. synodũ hanc habitam esse credam, sed aliam quandam in numeris labẽ esse. Neque enim hic κυρίας δόξας, sed conjecturas meas simpliciter expono: quas, si mihi prius venissent in mentem, non tanti quidem fecissem, ut movenda loco fuisset hæc synodus, & ad annum MXXXIV. continuo trãsferenda: sed indignas non duxissem, de quibus lector ad annum illum admonendus videretur.

In hoc autem concilio cõstituta esse alia multa, constat ex Aragonensis episc. qui præfatur, verbis. Editum est scilicet ex vetusto cod. S. Ioannis, in quo, cæteris omissis, descripta fuerant ea tantum, quæ ad illud cœnobium attinebant.

Extremum

Anno Christi 1062.

Extremum hoc addo, Sanctium majorem Aragoniæ regem, c..s hic decretum a Ranimiro filio confirmatur de non eligendis Aragonensibus episcopis, nisi ex monachis cœnobii sancti Ioannis: pariter statuisse in concilio Pompilonensi æra MLXI. hoc est, anno Christi MXXIII. ut ex monachis monasterii Lerensis sancti Salvatoris, Pompilonenses episcopi cooptarentur. Extat decretum hoc sive, ut vocatur, privilegium regale & pontificale, apud Sandovallium in notitia episcoporum Pompilonensium: cui subscripserunt iidem episcopi, qui hic dicuntur privilegium monachorum sancti Ioannis confirmasse.

ANNO CHRISTI 1063.

CONCILIVM ROMANVM I.

CENTVM ET AMPLIVS EPISCOPORVM occasione Petri Florentini episcopi de hæresi & simonia accusati, adversus simoniacos, celebratum anno Domini MLXIII. tempore Alexandri papæ II.

Alexander episcopus servorum Dei, omnibus episcopis catholicis, cunctoque clero & populo, salutem & apostolicam benedictionem.

VIGILANTIA universalis ecclesiæ regiminis assiduā solicitudinem debentes omnibus, quæ in Constantiniana synodo nuper celebrata coram centum amplius episcopis, licet nobis immeritis præsentibus, sunt canonice instituta, vobis notificare curamus: quia ad salutem vestram executores eorum vos esse optamus, & apostolica autoritate jubendo mandamus.

CAPITVLA.

I.

Cap. Erga simoniacos 1. q. 1.

Primo namque inspectore Deo, sicut a sancto papa Leone, & a sanctæ memoriæ papa Nicolao primum statutum est, erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus; sed juxta canonum sanctiones, & decreta sanctorum patrum, eos omnino damnamus, ac in ecclesia non præesse apostolica autoritate sancimus.

II.

De his autem qui non per pecuniam, sed gratis sunt a simoniacis ordinati, quia quæsita jam a longo tempore diutius ventilata est quæstio, omnem nodum dubietatis absolvimus, ita ut super hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur usque adeo hæc venenata pernicies hactenus inolevit, ut vix quælibet ecclesia valeat reperiri quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta: eos qui usque modo gratis sunt a simoniacis ordinati, non tam obtentu justitiæ, quam intuitu misericordiæ, in acceptis ordinibus manere permittimus, nisi forte alia culpa ex vita eorum secundum canones eis obsistat. Tanta quippe talium multitudo est, ut dum rigorem canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit ut dispensatione ad piæ condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus. Ita tamen, ut autoritate sanctorum apostolorum Petri & Pauli omnimodis interdicamus, ne aliquis successorum nostrorum ex hac nostra permissione regulam sibi, vel alicui sumat, vel præfigat: quia non hanc aliquis antiquorum patrum jubendo aut concedendo promulgavit, sed temporis nimia necessitas permittendo a nobis extorsit. De cætero autem statuimus, ut si quis in posterum ab eo quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit: & consecrator & consecratus non disparem damnationis sententiam subeant, ut uterque depositus agat pœnitentiam, & privatus, ab ea, propria dignitate persistat.

Cap. De cætero 1. q. 1.

III.

Cap. Præter hoc mandamus dist. 32.

Præter hæc autem præcipiendo mandamus, ut nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, vel subintroductam mulierem. Vnde sancta synodus hæc a capite sub excommunicatione statuit, dicens: Quicumque sacerdos vel diaconus post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi papæ Leonis aut Nicolai de castitate clericorum, concubinam duxerit palam, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, & autoritate apostolorum Petri & Pauli præcipimus, & omnino * interdicimus, ut non cantet missam, neque euangelium, neque epistolam ad missam legat, neque in presbyterio ad divina officia cum his, qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab ecclesia suscipiat.

* contradicimus

IV.

Cap. eodem. § Præcipientes.

Et præcipientes statuimus, ut hi prædictorum ordinum, qui iisdem prædecessoribus nostris obedientes castitatem servaverint, juxta ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent & dormiant, & quidquid eis ab ecclesia competit communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad apostolicam communem vitam summopere pervenire studeant, quatenus perfectionem consecuti, cum his qui centesimo fructu ditantur in cælesti patria mercantur adscribi.

V.

Cap. eodem in fine.

Vt decimæ, primitiæ, seu oblationes vivorum & mortuorum, reddantur a laicis, & in dispositione episcoporum sint: quas qui tenuerit, a sanctæ ecclesiæ separetur communione.

VI.

Cap. Per laicos 16. quæst. 7.

Vt per laicos nullo modo quilibet clericus aut presbyter obtineat ecclesiam nec gratis nec precio.

VII.

Cap. Eodem 16. qu. eadem.

Nec aliquis presbyter duas ecclesias obtineat.

VIII.

Vt per simoniacam hæresim nemo ordinetur, vel promoveatur ad quodlibet officium ecclesiasticum, neque ecclesiis præficiatur.

IX.

35 qu. 10. cap. 17.

Et ut de consanguinitate sua nullus uxorem ducat, usque ad septimam generationem, vel quousque parentela cognosci poterit. Quod prius a Nicolao II. statutum fuit.

X.

Cap. eodē.

Et ut laicus uxorem simul habens & concubinam, non communicet ecclesiæ.

XI.

Cap. Per laicos 16. quæst 7.

Vt nullus habitum monachalem suscipiat, spem aut promissionem habens ut abbas fiat.

XII.

Vt nullus laicus ad quemlibet gradum ecclesiasticum repente promoveatur, nisi prius, mutato habitu sæculari, divina consecratione inter clericos fuerit comprobatus. Vos ergo hæc & alia sanctorum patrum statuta fideliter & Christiana reverentia observate, si vultis sanctæ ecclesiæ Romanæ & apostolicæ sedis pace & communione atque benedictione & absolutione gaudere. Valete.

***ADDITIO G. C.

Adde ex Dolensi chronico: Hoc anno in Romano concilio definitum est ab Alexandro II. quod episcopus Nannetensis abbati Raimundo & monachis Dolensis cœnobii, prius redintegret damnum omne, quod eis violenter intulit, quam judicium inter eos celebretur.

ANNO CHRISTI 1063.

NOTA SEVERINI BINII.

Petrus pro vita communi canonicorum apud Alexandrum papam laboravit.

Hæc de his quæ in concilio ſunt ſtatuta ſummatim Alexander univerſæ eccleſiæ. Quod autem ſpectat ad quartum canonem, quo decernitur, ut clerici ſimul manducent & dormiant, bonaque in communi poſſideant: ſcias id factum ſuggeſtione Petri Damiani, ſcriptis ſuis Alexandrum pontificem ad hæc ſancienda rogantis. Extant adhuc ipſæ litteræ quibus iſte præponitur titulus: *Vt canonicis, a quibus in congregatione vivitur, proprietatis habendæ licentia denegetur.* Deinde: *Domno Alexandro beatiſſimo papæ Petrus peccator monachus ſervitutem. Quantum ad noſtræ intelligentiæ modulum, nullum in humano genere malum pernicioſioris eſt criminis, quam defenſio proprietatis*, &c. Prolixior eſt diſputatio in ſæpius citato codice bibliothecæ ſancti Petri in Vaticano. Non de monachis, ſed de clericis hujuſmodi eſt ſancitus canon: at nec de omnibus B clericis, ſed his qui collegiatis ſervirent eccleſiis, quos frequentiore uſu canonicos appellare conſuevimus: ob id ſcilicet, quod hiſce tenerentur canonibus obligati, ad quorum præſcriptum vitam ducerent clericalem in omnibus regularem, nihil ſibi proprium vendicantem Ad finem vero prolixioris diſputationis, adverſus proprietarios clericos inſtitutæ, Petrus ita perorat, dicens: *Verumtamen ut hæc apud inobedientiam clericorum, immo nummicolarum rebellionem efficaciter valeant, ſancti apoſtolatus veſtri vigor impellat.* Quod dicti ſuperius canonis ſanctione factum audiſti In hoc eodem concilio canon ille de celebratione Miſſarum ab eodem Alexandro ſancitus eſſe putatur, qui recitatur a Gratiano verbis iſtis: * *Sufficit ſacerdoti unam miſſam in die uno celebrare*, &c. Cogendæ ſynodi occaſionem præbuit Petrus Florentinus epiſcopus, qui a clero populoque Florentino per litteras, quas recitat Baronius, de ſimonia & hæreſi accuſatus, epiſcopali honore privatus eſt Hæc ex actis ſancti Ioannis Gualberti apud Surium Baronius anno prædicto.

* *Habetur ſupra cum fragmentis Alexandri.*

ANNO CHRISTI 1063.

** CONCILIVM CABILONENSE a Petro Damiano cardinale, legato apoſtolico, & epiſcopis tredecim celebratum, adverſus Drogonem epiſcopum Matiſconenſem, qui Cluniacenſia privilegia violaverat. In quo & alia tractata ſunt. Anno Chriſti MLXIII.

TEMPORIBVS domni Alexandri papæ, anno ab incarnatione Domini MLXIII. Drogo eccleſiæ Matiſconenſis epiſcopus, clericorum ſuorum ſuaſione pellectus, ſuper monaſterium Cluniacenſe jus poteſtatis ſibi ſedis apoſtolicæ privilegia vendicare conatus eſt. D Vallatus cuneis militum, velut prædicandi gratia, vel etiam judicii ſynodalis obtentu, ad beati Maioli baſilicam uſque pervenit: ſed reſiſtentium obſtaculo intrare non potuit. Tunc Hugo venerabilis abbas Romanam adiens ſynodum, querelam ſuam expoſuit: obtinuitque, ut Petrus Damianus Oſtienſis epiſcopus, ad ſubveniendum monaſterio deſtinaretur. Is ergo apud Cabilonenſem civitatem, ſynodum congregavit: nonnulla quæ perperam videbantur præſumpta, canonicæ ſanctionis vigore correxit: quæ potuit, juxta eccleſiaſticæ diſciplinæ regulam ſervanda conſtituit: cauſamque Cluniacenſis monaſterii, pro qua præſertim componenda devenerat, E optimo fine concluſit. Nam in conſpectu totius concilii lectum eſt VVillelmi comitis, primi loci fundatoris, monimentum: ubi præter Romanum pontificem, nullum jus in eo, nullum dominium cuicumque reliquit eccleſiæ. Lecta quoque ſedis apoſtolicæ multorum pontificum privilegia, de tuitione, munitione, ac perpetua ejuſdem monaſterii libertate. Inquiſiti ſunt omnes epiſcopi, ſi privilegia quæ audierant, rata decernerent. Omnes uno ore concorditer laudaverunt, atque ut perpetuo ſervanda atque illibata permaneant, communi judicio decreverunt. Ipſe quoque Matiſcen-

A ſis inquiritur, qui nimirum non minus quam cæteri omnes epiſcopi, rata privilegia, & inviolabili ac perpetuo jure ſervanda libere cunctis audientibus profitetur. Et quia in iiſdem privilegiis, inter cætera, ſub anathematis intentatione erat, ne cui epiſcoporum liceat, in præfati cœnobii monachos excommunicationis promulgare ſententiam: epiſcopus autem non abſolute (ſic enim factum excuſabat) ſed in hunc modum, ut perhibebat, ira commotus enuntiarat: ſi qui ſunt mei juris in illo monaſterio, quos mihi liceat excommunicare, illos excommunico: qua in re contra privilegia Romanæ eccleſiæ quoquo modo egiſſe convincebatur, licet ille ſe ignoraſſe conſtanter affirmaret: tandem decernente concilio ſancitum eſt, B ut epiſcopus manu ſuper ſanctis euangeliis ſuperpoſita juraret, ſicque ſedis apoſtolicæ legato, & concilio ſatisfaceret. INDICVLVS SACRAMENTI. Audiat, inquit, domnus Petrus Oſtienſis epiſcopus, & omnis ſancta ſynodus, quia eo die, quo Cluniacum commotus adveni, non in contemptu, ſive deſpectu ſedis apoſtolicæ, vel domni Alexandri Romani pontificis, hoc egi: & privilegiorum tenorem ac ſeriem, quæ modo in noſtris auribus lecta ſunt, tunc ad liquidum non cognovi. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta euangelia.

Poſt eum quoque quatuor eccleſiæ ejuſdem clerici, in conſpectu omnium acceſſerunt, & jurejurando, quod ille juraverat, ſuper eadem euangelia firmaverunt. Duo autem de ſeptenario nume- C ro, qui ad jurandum a ſancto concilio præfixus fuerat, non petente Matiſcenſi, ſed donante Domino Oſtienſi epiſcopo, remanſerunt. Illico Matiſcenſis epiſcopus pavimento proſtratus, veniam petiit, ſeſeque peccaſſe confeſſus, pœnitentiam in pane & aqua jejunaturus accepit.

Poſtera autem die, eodem ſancto reſidente concilio, clericis ſuis inſiſtentibus, idem epiſcopus petiit, ut ſuæ quoque eccleſiæ privilegium, quod ab Agapito dudum papa conſtitutum fuerat, legeretur. Quo lecto, quia nihil pene, præter ea quæ omnibus eccleſiis concedi ſolent, continebat, videlicet ut ne vel ea quæ juris ejus jam erant, vel deinceps futura erant, quiſpiam violenter invaderet, ſed ſua omnia rector eccleſiæ in pacis ac tranquillitatis otio poſſideret: judicarunt epiſcopi, ſine cauſa id lectum eſſe, quod monaſterii privilegiis pridie lectis nihil detraheret. Quare perpetua monaſterii libertate firmata, omnis inter epiſcopum & abbatem controverſia ſopita eſt: atque inter utrumque firma pax reformata. *Hæc ex Cluniacenſis cœnobii tabulis, ubi paulo fuſius continentur, Sirmondus excerpſit. Alia quoque hac in ſynodo ad eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantia, tractata ſunt: quorum ex numero fuit Haderici Aurelianenſis epiſcopi cauſa, uti diſcimus ex Alexandri II. epiſtola 23. ad Gervaſium Remenſem archiepiſcopum: quam vide ſupra. Vide & vigeſimam primam ad archiepiſcopos Galliæ, quibus ſignificat eum a ſe mitti legatum apoſtolicum: qua autoritate, huic concilio aliiſque præfuit.*

ANNO CHRISTI 1063.

CONVENTVS

ANNO CHRISTI 1063.

** CONVENTVS EPISCOPORVM,

Ad dedicationem ecclesiæ Moyssiacensis in Cadurcis, VIII. Id. Decembr. anno domini MLXIII.

MOYSSIACENSIS *cœnobii, quod in Cadurcis situm, ecclesiæ dedicatio facta est* VIII. *Id. Decembr. anno Christi* MLXIII. *Ad eam convenerunt, Austindus Auscensis archiepiscopus, & episcopi septem, Raymundus Lactorensis, Guillelmus Convenensis, VVilelmus Aginnensis, Heraclius Bigorrensis, Stephanus Oleronensis, Petrus Adurensis, Durannus Tolosanus, qui & cœnobii hujus abbas erat. Exclusus Fulco episcopus Cadurcensis, quia simoniacus. Quorum omnium monumentum superest hodieque in ecclesia ipsa, lapis scilicet, cui sunt hi versus incisi:*

Idibus octonis domus ista dicata Decembris,
Gaudet pontifices hos convenisse celebres.
Auxius Ostindum, Lactora dedit Raymundum,
Convena Guillelmum, direxit Aginna VVilelmum,
Iussit & Heracleum non deesse Beorra benignũ,
Elloreus Stephanum concessit, & Adura Petrum,
Te, Duranne, suum nostrumque Tolosa patronum.
Respuitur Fulco Simonis dans jura Cadurco.
Myriades lustris apponens tres duodenis.
Virgineum partum dabat orbi tunc venerandũ.
Hanc tibi, Christe Deus, rex instituit Clodoveus:
Auxit magnificus post hunc donis Ludovicus.

G. C. In voce, *Myriades*, bis peccavit autor hujus carminis: quod & eam singulari numero usurpaverit, cum *Myrias* dicenda fuisset: & pro mille sumpserit, cum decem millia significet. Sic ergo pessimum versum bene interpretare: *Myrias* una annorum, hoc est apud istum, anni mille, *lustris duodenis*, annis scilicet sexaginta, *apponens* & adjiciens *tres* annos, *virgineum partum*, id est, annum virginei partus, *dabat tunc*, & designabat. Guillelmus Catellus non intellexit, annumque putavit indicari MLX.

ANNO CHRISTI 1064.

CONCILIVM MANTVANVM, quo Cadalous pseudopapa iterum condemnatur, & Alexander a criminibus sibi objectis expurgatur, defenditur, & absolvitur: anno MLXIV. tempore Alexandri papæ II.

Causa & occasio celebrati concilii.

CVM Cadalous schismaticus Romæ condemnatus fuisset, illi qui partes ipsius tuebantur novas calumnias novasque turbas creabant Alexandro, objicientes illi quod collata pecunia thronum apostolicum conscendisset: ut scilicet hac ratione alios ab Alexandro abriperent, aliosque mutuo inter se digladiantes hac de re constituerent, & sic partes suas roborarent. Accedebat, quod a proceribus imperii sanctus Anno Coloniensis archiepiscopus, cui cura & administratio imperii demandata fuerat, Romam ablegatus, coram Alexandro pontifice & cardinalibus diceret, per istam Alexandri electionem privilegiis & juribus regis Germaniæ summam injuriam illatam, utpote quæ aliter, quam hactenus consueverat, sine consensu & autoritate regis habita fuisset. Quod cum Hildebrandus in præsentia cardinalium constanter refutasset, nihilque juris in electione Romani pontificis regi concessisset, quodque illi prætendebant, non jus at tyrannidem esse ostendisset: rogatu sancti Annonis, autoritate apostolica indicta est synodus in partibus Lombardiæ celebranda apud Mantuam, qua ipse pontifex, licet illud a dignitate sua alienum foret, electionem suam legitime & juste factam ostenderet. Hortatu pontificis interfuerunt Petrus Damiani Ostiensis episcopus, Anno Coloniensis archiepiscopus. Ex Hispania Munio Calagurritanus, Eximius Aucensis, & Fortunius Alavensis adfuerunt, qui pro pro reliquis legatione fungebantur. Inter omnes Lombardiæ episcopos, etiam ipse Cadalous *Parmensis episcopus & pseudopontifex, jussu sancti Annonis præsto fuit. His præsentibus, *statuto termino exiens*, ait collectio Nicolai Aragonii, *Alexander papa ab Vrbe cum episcopis & cardinalibus, ad præfixum locum prospere, domino auxiliante, pervenit. Ibi autem episcopi Lombardiæ cum suis ecclesiarum præsulibus, præter Cadaloum Parmensem, quem idem Coloniensis adesse præceperat, qui remordente conscientia se absentaverat, pariter convenerunt. Cum in synodo eadem cum episcopis Alexander resideret, causam electionis suæ ita diserte rationibus manifestis comprobavit, atque se de omnibus, quæ sibi ab æmulis malitiose objecta fuerant, excusavit sufficienter, adeo quod episcopos Lombardiæ qui sibi fuerant adversati, benevolos reddiderit & subjectos. Sedato itaque per Dei gratiam imperii & ecclesiæ scandalo, post solutionem synodi, Alexauder papa Romam ac cæteri ad propria hilares redierunt.* Quod Sigebertus addit, Alexandrum pontificem a crimine simoniæ, quod ei imputatum fuerat, se adhibito juramento expurgasse, Otto Frisingensis negare videtur: qui cum agit de ejusmodi accusatione Romam missa ab Henrico rege, nihil habet de accusatione criminis simoniæ, quo postulatum referunt Alexandrum: sed ipsum regem ejus delicti reum constitutum affirmat, eaque de causa ejusdem pontificis litteris Romam vocatum. Et quamquam certo ignoretur, quæ post hæc in synodo gesta fuerint: tamen hoc omnes affirmant, Cadaloum in eadem condemnatum fuisse. Tradunt enim omnes scriptores ejus temporis, quod his duobus conciliis condemnatus militem armaverit, Vrbemque aggressus, ut Alexandrum a sede Petri exturbaret, contumeliose pulsus & victus fuerit, paucisque post diebus quam ab Alexandro veniam periisset, & impetrasset, malam mortem incurrerit. Vide epistolas Alexandri ad Gervasium Remensem archiepiscopum, & Baronium anno 1064. numero primo & sequentibus.

Pontifex rogatu sancti Annonis hanc synodum indicit.

Qui interfuerint?

*Dormitare hic Binium patet ex Aragonii verbis qua subjicit.

Alexander papa interfuit.

Acta concilii.

Cadalous pseudopapa iterum condemnatus, post veniam petitam male obiit.

ANNO CHRISTI 1064.

CONCILIVM BARCINONENSE, in quo leges Gothicæ, quibus Catalani utebantur, plane sunt abrogatæ, anno domini MLXIV. tempore Alexandri papæ II.

Causa & acta concilii.

EPISCOPI Hispani, qui Mantuano concilio interfuerunt, reversuri in Hispanias, duxerunt secum ab Alexandro papa decretum legatum a latere Hugonem cardinalem, cujus autoritate Barcinone hæc synodus congregata fuit: in qua leges Gothicas, quibus Catalani utebantur, penitus abrogavit, novasque sanxit quibus populus hactenus utitur. Vt autem ritus Gothici, in sacris adhiberi soliti, abrogarentur, ab illis obtinere non potuit, nec cogere voluit: cum iidem in concilio Mantuano catholici esse cogniti fuissent. In eadem synodo Alexander papa tamquam germanus pontifex est receptus: Cadalous autem communibus omnium votis est condemnatus. *Baronius ad annum* MLXIV. *num.* XLII.

** ADDITIO G. C.

ANNO CHRISTI 1064.

REM *aliter narrat Mariana libro* IX. *hist. cap.* V. *Hugonem scilicet, ante Mantuanum concilium, anno* MLXIV. *ad principes Hispaniæ Roma legatum, effecisse, ut repudiato Cadaloo, ab Alexandro starent. Addit*: Is legatus, ut Gotthica precandi ratio abrogaretur, quamvis magno conatu obtinere non potuit. Missi contra Mantuam in Gallia Cisalpina, ubi de schismate conventus episcoporum habiti sunt, episcopi tres, Munio Calagurritanus, Eximius Aucensis, Fortunius Alavensis, Gotthicos libros, quos secum detulere, pontifici & patribus probarunt, quasi orthodoxos nullaque vitiosos parte.

Quod si anno MLXIV. *ivit in Hispaniam Hugo recens in Alexandri gratiam receptus: bis in eam legatum fuisse necesse est. Nam & anno* MLXVIII. *eo profectum, aliquot præfuisse conciliis, & Romanum in sacris ritum, pulso Gotthico, instituisse, ad annum illum ostendemus.*

Minus assentior Binio, qui post Baronium ait, leges Gothicas hoc anno penitus abrogatas in Catalania fuisse. Eodem enim anno id perfectum, quo abrogatæ sunt Gotthicæ sacrorum ceremoniæ ex illius gentis scriptoribus discimus.

ANNO CHRISTI 1065.

CONCILIUM ROMANUM II.

contra incestuosorum hæresim celebratum anno domini MLXV. tempore Alexandri papæ II.

Incestuosi hæretici qui & quales?

HOC *tempore hæresis incestuosorum a quibusdam jureconsultis excitata atque defensa est, qui autoritate Justiniani imperatoris eadem ratione, qua in successionibus, gradus consanguinitatis numerandos esse docebant. Impugnavit eam hæresim præ cæteris acerrimus orthodoxæ fidei defensor Petrus Damiani.*

Causa & acta concilii.

Cumque ejus scriptis tolli non posset, & ad eam comprimendam autoritate apostolica opus esset: Alexander papa, Romæ hanc synodum indixit, in qua contra defensores illius hæreseos decretum edidit, quod a Gratiano his verbis describitur: Ad sedem apostolicam perlata est quæstio noviter exorta de gradibus consanguinitatis, quam quidam legum & canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros canones & ecclesiasticum morem numerare nituntur: novo & inaudito errore affirmantes, quod germani fratres vel sorores inter se sint in secunda generatione, filii eorum vel filiæ in quarta, nepotes vel neptes in sexta: talique modo progeniem computantes, & in hujusmodi sexto eam gradu terminantes, dicunt, deinceps viros ac mulieres inter se posse nuptialia jura contrahere. Et ad hujusmodi profanum errorem confirmandum, in argumentum assumunt sæculares leges, quas Iustinianus imperator promulgavit de successionibus consanguineorum: quibus confisi ostendere moliuntur, fratres in secundo gradu esse numeratos, filios eorum in quarto, nepotes in sexto. Sic seriem genealogiæ terminantes, numerationem sanctorum patrum, & antiquam ecclesiæ computationem ad nos usque perductam perversa quadam calliditate disturbare nituntur. Nos vero, Deo annuente, in synodo habita in Lateranensi consistorio, convocatis ad hoc opus episcopis & clericis atque judicibus diversarum provinciarum, denique diu ventilatis legibus & sacris canonibus, distincte invenimus, ob aliam atque aliam causam, alteram legum fieri, alteram canonum computationem. In legibus siquidem ob ni-

35. quæst. 4. cap. Ad sedem apostolicam, &c. quod autem fratres, eadem quæst.

A hil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hereditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur: in canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur usque ad quotam generationem a consanguineorum sit nuptiis abstinendum, *&c. Et in fine sic*: Taliter igitur determinatis gradibus consanguinitatis, apostolica vos autoritate monemus, fratres & filii, ut omnibus sic seriem genealogiæ computandam esse intimetis, quemadmodum sancti patres numerandam esse sanxerunt, & antiquus mos ecclesiæ per longa tempora olim computasse monstratur. Nam si quis perversa & obstinata mente a recto tramite apostolicæ sedis deviare B voluerit, & aliter quam nos, in nuptiis celebrandis gradus parentelæ numerare contenderit, primum pro sua temeritate cælesti pœna plectetur: postmodum vero gladio perpetui anathematis se noverit jugulandum. Datum Romæ, *&c. Hæc in priori ejusdem anni concilio, quo excommunicationis comminatio facta est, ut habetur apud Gratianum. Sed & apud Ivonem Carnotensem episcopum, qui in fine sæculi hujus claruit, recitata repeyriuntur alia ejusdem argumenti decreta ab eodem Alexandro pontifice data ad diversos, nempe ad Neapolitanos unum, ad Venetorum episcopum aliud, aliud insuper ad episcopum Basileensem, aliud etiam ad episcopum Aretinum, quibus intelligas fuisse eidem pontifici in his plurimum laborandum.*

Ivo part 9. cap. 6. 9. 10. 37 *supra edidimus inter epistolas.*

C

ANNO CHRISTI 1065.

CONCILIUM ROMANUM III.

quo iidem incestuosi hæretici excommunicantur, anno domini MLXV. sub Alexandro papa II.

Causa concilii.

CUM *Alexandri papæ admonitio, de qua præcedenti concilio, non sufficeret: opus illi fuit eodem anno hanc secundam in eorumdem incestuosorum causa synodum congregare, in qua vere incestuosos & pertinaces hæreticos excommunicatione percelleret: sed, quod doluit Petrus Damiani, id etiam sine fructu. Nam arte diaboli conglutinatis animis* D *incestuosorum conjugum, nullo timore æternæ damnationis ab invicem divelli potuerunt. Testatur id quidem ipse Petrus Damiani, dum in libello de contemptu sæculi de his agens ista dicit*: Ecce insuper hoc anno, sicut nostis, per Romanæ sedis antistitem bis congregatum est synodale concilium, ubi denuo omnes incestuosi, juxta canonum decreta, ecclesiastica sunt communicatione privati. Sed quis ex tot millibus hominum, saltem unum vidit ab infausti fœderis abominatione divulsum? Immo ne profundiori ipsius calamitatis absorberetur hiatu, quis eorum post hæc ecclesiæ limen terere destitit? aut quis insuper ista considerans, ab eorum se familiaritate removit? In omnes itaque letalis lepræ contagium serpit: quia nimirum omnes eo- E rum complices apostolicæ excommunicationis nexus adstringit. Enimvero quisquis conjugalis prosapiæ titulis insignitur: quisquis male blandientis formæ suavi venustate mulcetur, præsertim si largioris substantiæ dotibus affluit, vel succrescentis sobolis indoles spem sibi futuræ posteritatis infundit: consultius judicat a Deo manifeste recedere, quam adeo lucrosi matrimonii glutinum disgregare. Si vero his contraria evenerint, atque uxoriæ calamitatis incommoditate percellatur: ipse vir falsæ consanguinitatis lineam texit, & inaudita proavorum nomina per multa argumenta confingit: atque simul quosdam in hujus allegationis testimonium advocat, quos tamen per vitæ terminum sublatos

ſublatos e medio non ignorat. Is itaque ſibimet accuſator & reus crimen impingit, ſcelus exaggerat, atque adminiculum, quo ex tam periculoſo naufragio enatare poſſit, inquirit. *Hæc Petrus: significans, aliud adhuc malum ex his oriri: cum videlicet nonnulli legitime copulati, prætextu fictæ conſanguinitatis, ſolutionem a nexu matrimonii procurarent, quos initi conjugii pœniteret, cum in mala plurima quæ non putaverant impegiſſent.*

** CONCILIVM ÆDVENSE, APVD AVGVSTODVNVM.

ANNO CHRISTI CIRCIT. 1065.

In quo dux Burgundiæ Robertus Aganoni epiſcopo, & aliis, Hugonis abbatis Cluniacenſis opera pacatus, anno Chriſti circiter MLXV.

De *hoc epiſcoporum conventu, rebuſque in eo geſtis, Hugo monachus Cluniacenſis in vita S. Hugonis abbatis ſcribit his verbis.* Dux, *inquit*, Burgundiæ Rotbertus Haganonem Æduorum epiſcopum nimia infeſtatione gravabat, variiſque prædonum incurſibus paſſim Burgundia laborabat. Eapropter epiſcopi, Gaufredus Lugdunenſis, Hugo Biſuntinenſis, Achardus Cabilonenſis, & Drogo Matiſcenſis, Æduam convenerunt, magnique patrem conſilii Hugonem Cluniacenſem abbatem venire rogaverunt. Aderat illuſtrium copioſa multitudo virorum, populus confluebat infinitus, pro pace ſupplicans indefeſſis clamoribus. Adveniens ipſe dux, immo tyrannus, Æduam intravit: ſed faſtu maligno, intereſſe conventui recuſavit. At pater Hugo fervore caritatis concitus, tyrannum adiit: quem vehementer increpans, cunctis mirantibus tanquam ovem mitiſſimam ſecum adduxit. Epiſcopis autem ſupplicantibus, ut pater Hugo pro pace agenda loqueretur, turbis undique conticentibus, & ex ejus ore pendentibus, ſic ait: Qui pacem quærunt, qui Deum diligunt, nos audiant, nobiſcum agant. Qui vero filius pacis non eſt, qui non ex Deo, ſed adverſarius eſt, huic ex parte omnipotentis præcipio, ut a nobis exeat, & operi divino non noceat. Vix dicta compleverat, cum ecce quidam ſtatura procerus, facie truculentus, multis eum ſequentibus egreſſus diſparuit. Non fuit in tanta multitudine hominum, qui aliquem noſſet egredientium: mirabantur ſinguli, ſtupebant univerſi. Quærentibus invicem ſuper his, non erat aliud reſpondere, niſi interdicente ſancto dæmones viſibiliter exiiſſe, egreſſoſque de turbis, ſimul evanuiſſe. His ita depulſis, tantam mox prædicatio ſancti efficaciam habuit: ut eo jubente dux ipſe ſui mortem filii interfectoribus condonaret, & eccleſia pacem reciperet.

NOTA GABR. COSSARTII S.I.

Concilium hoc neque haberi potuit ante annum MLX. cum Drogonis Matiſconenſis epiſcopi qui interfuit, deceſſor VValtherius adhuc nominetur epiſcopus Matiſconenſis in illius anni inſtrumentis ſi Galliæ Chriſtianæ credimus: in qua & refertur, Drogonem ordinatum eſſe anno MLXIII. Neque rejici poteſt, poſt annum MLXXIII. cum Achardus Cabilonenſis epiſcopus, obierit ante hunc annum. Immo vero neque ad annum MLXX. cum eo anno archiepiſcopus Lugdunenſis eſſet, non Gaufredus, ſed Humbertus: ut intelliges ex concilio Cabilonenſi ad illum annum. Male ergo alii anno MLV. alii MLXXII. celebratum aſſerunt. Ego circiter annum MLXV. conſtituo, quo ſedebant epiſcopi omnes, qui hic nominantur. Suus igitur in Gallia Chriſtiana locus eſſe Gaufredo debet inter archiepiſcopos Lugdunenſes, ante Humbertum. Cum enim anno MLXXVII. ſeceſſerit Humbertus in monaſterium: ſi ei ſucceſſiſſet Gaufredus, non potuiſſet huic intereſſe concilio, quod ante annum MLXX. celebratum eſſe oportet.

** CONCILIVM HELENENSE, in prato Tulugienſi.

ANNO CHRISTI CIRCIT. 1065.

In quo treuga & pax confirmata anno Chriſti circiter MLXV.

Editum ex tabulario regio Barcinonenſi a Steph. Baluzio, V. Cl. ad librum IV. operis de concord. ſacerd. & imper.

Hæc eſt treuga & pax confirmata ab archiepiſcopo Narbonenſi domno Guifredo, & a Berengario Gerundenſi epiſcopo, & a domno Raymundo Helenenſi epiſcopo, & a comitibus Ruſſilionenſium, domno ſcilicet Gauzfredo, & a Guilaberto filio ejus, & a domno Poncio Impuritanenſi comite, & a domno Guillelmo Biſuldunenſium comite, & a domno Raymundo Cerritanenſium comite, & a domno Gauzberto vicecomite de Caſtroñovo, cum cæteris magnatibus Helenenſis epiſcopatus, in Tulugienſi prato, quod eſt in comitatu Ruſſilionis.

Conſtituerunt namque prædicti pontifices cum conſenſu cæterorum nobilium, ut in comitatu Ruſſilionenſi, vel Confluentano, vel Valliſpirienſi, ullus homo eccleſiam non infringat, neque cimeteria, vel ſacraria, XXX. paſſuum eccleſiaſticorum in circuitu uniuſcujuſque eccleſiæ, niſi epiſcopus propter hominem excommunicatum, aut propter ſuum cenſum. Si vero aliquis homo aliter infregerit eccleſiam, vel ſpatium XXX paſſuum ipſius eccleſiæ in prædicto epiſcopatu Helenenſi: quidquid ei commiſerit, emendet ut juſtum fuerit ipſi homini cui injuriam fecerit; & eccleſiæ, in qua fecerit, ſatisfaciat legaliter: & inſuper compoſitionem ſacrilegii Helenenſi componat epiſcopo.

Eccleſias vero illas, ubi caſtra fuerint constructa, ſive ubi fures uel rapaces congregaverint furta, vel prædam, vel malefacta, tamdiu poſuerunt eas jam dicti epiſcopi in defenſione præſcriptæ pacis, quouſque querimonia prædictarum eccleſiarum deferatur Helenenſi epiſcopo; & ejus judicio ant juſte emendetur quod in ipſis eccleſiis commiſſum fuerit, aut ab eodem epiſcopo ipſæ eccleſiæ a defenſione prælibatæ pacis ſeparentur.

Iidem epiſcopi præfati conſtituerunt, ut in jam dicto epiſcopatu Helenenſi nullus violenter infringat dominicaturas canonicorum vel monaſteriorum, neque aliquid rapiat inde.

Clericum vero arma non ferentem, vel monachum, vel ſanctimonialem, ſive viduam, nemo apprehendat, nec illis aliquid injuriæ inferat.

Villanum, neque villanam, nemo apprehendat, niſi propter culpam quam ipſe villanus vel villana fecerint. Et ſi eos apprehenderit, non diſtringat niſi per directum.

Et ut prædam nemo faciat in jam dicto epiſcopatu de equabus, vel pullis, ſive mulis earum, ætatis unius anni: neque de bobus, neque de vaccis, ſive vitulis earum: neque de aſinis, vel aſinabus, ſive pullis earum: neque de ovibus, arietibus, hircis, capris, ſive earum fœtibus.

Manſiones villanorum nemo incendat, neque evertat.

Terras in contentione poſitas nullus villanus laboret, poſtquam commonitus fuerit ab eo in quo juſtitia placiti non remanſerit. Si vero ter commonitus, poſtea ibi laboraverit, & propterea damnum acceperit, non requiratur pro pace fracta.

Si quis autem fidejuſſor extiterit, ſi fidem non portaverit, de ſuo proprio pignoretur, nec pro pace fracta habeatur. Si quis autem prædictam

trevam

ANNO CHRISTI CIRCITER 1065.

trevam & pacem infregerit, simpla tantum compositione emendet illi cui infregerit infra primos xv. dies. Si vero infra primos xv. dies simpliciter non emendaverit, compositionem mali quod intulit in duplo componat: ita ut medietatem istius duplæ compositionis habeat querelator; & alteram medietatem habeat episcopus, & ipse comes, qui adjutor fuerit eidem episcopo ad hanc justitiam faciendam.

* deesse videtur infregerit.

Si quis autem prædictam pacem vel trevam *, & inde justitiam facere noluerit, infra xv. dies quod querelator suam querelam præsentaverit ante episcopum, & ejusdem clericos, ac comitem: ipse malefactor & consiliatores & adjutores ejus * emendare noluerint, egrediantur a treva & pace, & malum quod propter hoc illatum fuerit eis, non requiratur pro pace vel treva fracta. Et si malefactor & adjutores ejus postea jam dicto querelanti ullum malum fecerint intra trevam, emendet pro treva & pace fracta.

* forte deest qui

Item prædicti episcopi firmaverunt trevam domini: videlicet ut omni tempore teneatur ab omnibus Christianis, ab occasu solis quartæ feriæ, id est, Merchoris die, usque ad ortum Solis secundæ feriæ, id est, Lunis die. Item continuatim teneatur a prima die adventus domini, usque ad octavas epiphaniæ Domini quando festivitas sancti Hilarii agitur. Item similiter continuatim teneatur a die Lunis quæ antecedit caput jejunii, usque ad diem Lunis qui est primus post diem Dominicam octavarum Pentecosten: & tres festivitates sanctæ Mariæ, cum suis vigiliis: & nativitatem sancti Ioannis, cum sua vigilia: & festivitatem sanctorum Iusti & Pastoris, & Abdon & Sennen, & sancti Felicis, & sancti Genesii, & sancti Nazarii, & sancti Laurentii, & sancti Michaelis, & festivitatem omnium Sanctorum, & sancti Martini: & duæ festivitates sanctæ crucis, & cathedra sancti Petri, & festivitatem sancti Ennesii, quæ est XII. Kal. Septembr. & decollationem sancti Ioannis Baptistæ: cum vigiliis, & cum omnibus noctibus jam dictarum festivitatum: & omnes dies & noctes quatuor temporum. Si quis autem infra hanc prædictam trevam domini aliquod malum alicui fecerit, in duplum ei componat: & postea per judicium aquæ frigidæ trevam domini in sede * sanctæ Eulaliæ emendet.

* id est, in cathedrali ecclesia Helenensi.

Si quis autem infra hanc trevam hominem occiderit sine aliquo casu, ex consensu omnium Christianorum diffinitum est, ut omnibus diebus vitæ suæ exilio damnetur: si autem cum casu fecerit, egrediatur tamen a terra usque ad triennium quem episcopus vel canonici existimaverint esse imponendum.

* id est, insidias struxerit.

Si quis autem infra hanc trevam se miserit in * aguit, vel ipsum aguet stabiliter pro morte vel apprehensione alicujus hominis, aut pro apprehensione alterius castelli, & tamen si hoc agere non potuerit: similiter emendet ad judicium episcopi & canonicorum ejus ipsam trevam domini, sicut faceret si fecisset quod agere tentavit.

Item prohibuerunt ne in terminibus his, continuatis trevis, videlicet tempore Adventus Domini, seu Quadragesimæ, nullus castrum vel munitionem ædificare præsumat, nisi xv. diebus ante continuatas prædictas trevas hoc inchoaverit.

De prædicta autem treva, vel pace, querela ad episcopum, vel ad ejus canonicos, seu fatigatio omni tempore fiat: & sicut superius scriptum est in pace de ecclesiis, ita fiat. Et ipsi in quibus episcopus vel canonici prædicti se fatigaverint de direptione præfatæ pacis vel trevæ domini, sive fidejussores, vel hostatici pro pace vel treva domini, & malam fidem inde portantes episcopo vel canonicis ejusdem sedis: excommunicentur ab episcopo vel a canonicis ejusdem sedis, cum protectoribus & adjuvantibus se. Quandiu se contenderint sicut infractores pacis vel trevæ domini, ipsi & res eorum non habeantur in pace & treva domini.

*** NOTA G. C.

Synodi locus in Helenensi episcopatu, ubi extat hodieque, ut Baluzius admonuit, oppidulum quod *Tulujas* vocant: haud procul Perpiniano. Cum autem de unius Helenensis parochiæ disciplina in hoc concilio sit actum: Helenense in prato Tulugiensi eo jure modoque appellavi, quo Sirmondus noster Magalonense apud Iuncarias, & hujusmodi alia.

De tempore vix ulla, nisi ex episcoporum qui interfuerunt, ætate, capi conjectura potest. Helenensem episcopum fuisse Raymundum anno MLXV. constat: cum eo anno, ut Sammarthani referunt in Gallia Christiana, ecclesiæ suæ possessiones aliquas acquisisse reperiatur. Eodem anno, & præteritis ac consequentibus Narbonensi ecclesiæ VVifredus, Gerundensi Berengarius ejus frater, præfuit. Igitur circiter annum illum, quo tres illos simul episcopos fuisse certum est, collocandum hoc concilium putavi.

Cæterum quadrare in annum MXLV. cui attributum fuerat, nullo modo potest. Nam eo anno Helenensis episcopus erat Berengarius: quod cum ex multis aliis constat, tum ex actis ipsis conventus in ecclesia S. Michaelis Fluvianensis, ex quibus argumentum ducebatur, tunc Helenensem episcopum fuisse Petrum, atque hac in parte concilii hujus contextum emendandum esse. Nam in illo conventu, Petri quidem episcopi nomen legitur, episcopatus nomine suppresso: sed legere pergenti statim occurrit diserte ac nominatim expressus Berengarius Helenensis. Sedem autem illam non tenuit Petrus, nisi anno 1113. ut in notitia Helenensium episcoporum perhibetur.

Eodem argumento conficitur, juramentum Gauzfredi comitis Petro episcopo Helenensi factum, quod concilii hujus extremum occupat locum in editione Baluziana, ad hanc synodum non pertinere.

Alia est in eodem loco habita synodus Helenensis, quam huc reservaram tanquam hac nostra posteriorem, ut titulus præferebat. Verum cum eam propius, uti mox edendam, inspexi: animadverti superioris esse temporis, quippe cui præfuerit Ausonensis episcopus Oliva, qui anno MXLV obiit. Eam itaque rejeci in appendicem.

ANNO CHRISTI 1066.

CONVENTUS VVESTMONASTERIENSIS,

sub rege Edvvardo confessore habitus, in natali domini anno gratiæ MLXVI. indictione III. regni ejusdem regis XXV. atque ultimo, præsentibus Edvvardo rege, Edgitha regina, Stigando archiepiscopo Cantuariæ, Eldredo archiepiscopo Eboraci, cæterisque Angliæ episcopis, abbatibus, capellanis regis, comitibus, ministris, seu thainis regiis, & militibus, qui in chartarum sequentium subscriptionibus nominantur.

In quo actum fuit de dotatione, privilegiis, celebri asylo, &c. ecclesiæ sancti Petri VVestmonasterii, jam ab integro readificatæ & dedicatæ, multisque diplomatibus amplissime munitæ, prout liquet e tribus chartis prædicti regis Edvvardi, & epistolis Leonis papæ IX. & Nicolai II. quæ sequuntur.

CHARTA I. REGIS EDVVARDI

confessoris, ecclesiæ sancti Petri VVestmonasteriensi confecta.

In qua, epistola Leonis papæ IX. ad eumdem regem recitatur: sed præter multa intermedia, (dotationem sine dubio continentia) desiderantur chartæ exordium (quod harangiam vocant) & conclusio.

Edvvardus Dei gratia Anglorum rex, &c.

Angliæ data conditio.

SCIRE vos volo, quoniam tempore avorum meorum, patrisque mei, multa & gravia bellorum

ANNO CHRISTI 1066.

lorum pericula afflixerunt gentem Anglorum, & ipsos tam a suis, quam ab extraneis concitata: adeo ut pene periclitata sit hereditaria regum successio, magnumque interstitium inter fratrem meum Edmundum, qui patre meo mortuo successit, meque, habitum sit, invadentibus regnum Svvegeno & Cnutho filio ejus regibus Danorum, ac filiis ipsius Cnuthi, Haroldo & Harde-Cnutho, a quibus & alter meus frater Alfredus crudeliter est occisus: solusque, sicut Ioas occisionem Athaliæ, sic ego crudelitatem eorum evasi. Tandem respectu misericordiæ Dei, post plures annos, ego Edvvardus ad paternum solium reaccessi, & eo potitus sine ullo bellorum labore, sicut amabilis Deo Salomon, tanta pace & rerum opulentia abundavi, ut nullus antecedentium regum similis mei fuerit in gloria & divitiis. Sed gratia Dei, non me, ut assolet, ex opulentia & superbia contemptus invasit, immo cœpi cogitare cujus dono & auxilio ad regni culmen evasi: quoniam Dei est regnum, & cui vult dare illud; & quia mundus transit, & concupiscentia ejus: qui autem totum se subdit Deo, feliciter regnat & perpetualiter dives est. Itaque deliberavi me ire ad limina sublimium apostolorum Petri & Pauli, & ibi gratias agere pro collatis beneficiis, & exorare ut eam pacem firmaret Deus perpetuam mihi & posteris meis. Præparavi ergo & denumeravi expensas necessarias itineri, & honorabilia dona quæ ferrem sanctis apostolis. Sed gravius super re mœror habebat optimates meos, utpote memores malorum quæ sub aliis regibus pertulerant, ne tanto domino, & pro patriæ rege absente, regnum noviter sedatum aliqua turbaretur hostilitate, & metuentes id quod sanctus Ezechias, ne si forte in via aut ægritudine, aut alio incommodo deficerem, hereditariis regibus carerent, maxime quia nullum habebam filium. Itaque communi habito concilio, rogabant me ut ab intentione desisterem, pollicentes se satisfacturos Deo pro voto meo, tam in missarum & orationum oblatione, quam in larga eleemosynarum distributione. Sed cum obnixe contradicerem, tandem utrisque placuit, ut mitterentur legati duo ab utraque parte, † Eldredus & † Hermanus episcopi, & abbates VVulfricus & Elfvvynus, qui apostolo meam voluntatem & votum, & illorum petitionem indicarent, & secundum ejus sententiam, quam mihi mandaret, promisi me omnia facturum. Factum est ergo quod voluimus. Et venientes Romam legati nostri ex voluntate Dei invenerunt collectam synodum in eadem urbe, cumque exposuissent meam voluntatem, & suam petitionem coram ducentis & quinquaginta episcopis, & alia multitudine sanctorum patrum: tunc apostolicus ex consilio sanctæ synodi hanc epistolam scripsit.

Rex iter Romam vovit.

Legati mittuntur. † VVigorniensis, post Eboracensis. † Shireburnensis.

Leo episcopus servus servorum Dei, dilecto filio suo Edvvardo Anglorum regi, salutem & apostolicam benedictionem.

» Quoniam voluntatem laudabilem & Deo gratam agnovimus, gratias agimus Deo, per quem reges regnant, & principes justa decernunt. Sed quia prope est Dominus in omni loco invocantibus eum in veritate, & sancti apostoli cum suo capite conjuncti, sunt unus spiritus, & pias preces æqualiter audiunt; & quia constat periclitari regionem Anglicam ex tua discessione, qui freno justitiæ seditiosos ejus motus cohibes: ex autoritate Dei, & sanctorum apostolorum, & sanctæ synodi, absolvimus te a peccato illius voti, pro quo Dei offensam times, & ab omnibus negligentiis & iniquitatibus tuis, ea nimirum potestate usi, quam Dominus in beato Petro concessit nobis, dicens: *Quæcumque solveritis super terram, soluta erunt & in cælis.* Deinde præcipimus tibi sub nomine sanctæ obedientiæ & pœnitentiæ, ut expensas quas ad istud iter paraveras, pauperibus eroges, & cœnobium monachicum in honorem sancti Petri apostolorum principis, aut novum construas, aut vetustum emendes, & augeas, & sufficientiam victualium fratribus de tuis reditibus constituas, quatenus dum illi assidue inibi Deum laudaverint, & sanctis augeatur gloria, & tibi indulgentia. Cui loco quidquid contuleris, vel collatum est, vel conferetur, vel ratum sit, apostolica autoritate præcipimus: & ut semper habitatio monachorum sit, & nulli laicæ personæ nisi regi subdatur, & quæcumque privilegia ibi instituere volueris, ad honorem Dei pertinentia, concedimus, & robustissima autoritate confirmamus: & infractores eorum æterna maledictione damnamus.

Matth. 16. Cœnobiũ sancto Petro erigendum.

Hæc & alia apostolica mandata cum referrent nobis legati, interea revelavit beatus Petrus cuidam probabilis vitæ monacho incluso, nomine VVulfino, voluntatem suam esse, ut restruerem locum qui dicitur VVestmonasterium: quod a tempore S. Augustini primi Anglorum episcopi institutum, multaque veterum regum munificentia honoratum, propter vetustatem & frequentes bellorum tumultus pene videbatur destructum. Cumque mihi hanc visionem meisque retulisset, & apostolicæ litteræ æqualia præcepta detulissent: contuli voluntatem meam cum voluntate Dei, & cum totius regni electione, & dedi me ad restructionem ejusdem loci. Itaque decimari præcepi omnem substantiam meam, tam in auro & argento quam in pecudibus, & omni genere possessionum: & destruens veterem, novam a fundamento basilicam construxi, & constructam dedicari feci quinto Kalendas Ianuarii: in qua collocavi ipsa die reliquias, quas Martinus papa, & Leo qui eum consecravit, dederunt Alfredo regi, & quas ipse a Charlemanno rege Francorum dari sibi impetravit: cujus filiam pater ejus Ethelvvlfus rex, post mortem primæ conjugis, duxerat in uxorem, quæque ab ipso ad successorem ejus Ethelstanum, deinde ad Edgarum, ad ultimum ad nos pervenerunt: scilicet duas partes crucis domini, & partem unius clavi, partemque tunicæ ejus inconsutilis, & de vestimentis sanctæ Mariæ, & reliquias apostolorum Petri & Pauli, Andreæ, Bartholomæi, Barnabæ, & aliorum plurimorum sanctorum, & quinque capsas aliis sanctorum reliquiis plenas: & statui, ut quicumque reus majestatis regiæ, vel cujuslibet alterius offensæ, ad locũ, in quo pausant istæ reliquiæ, confugerit, ejus rei & membrorum ac vitæ impunitatem consequatur.

VVestmonasterium designatur locus.

Rex opes decimat, &c.

CHARTA II. REGIS EDVVARDI confessoris, ecclesiæ sancti Petri VVestmonasteriensi confecta.

Desideratur exordium.

Sciant omnes futuræ generationes, me pro voti mei absolutione, peccatorumque meorum omnium remissione, pro animabus regum, tam successorum quam prædecessorum meorum, & omnium parentum meorum, & pro pace & stabilitate regni mei, & prosperitate totius Anglorum populi,

ANNO CHRISTI 1066.

populi, loco illi, id est VVestmonasterio, omnimodam libertatem, quantum ad potestatem terrenam concessisse. Et quod illi de ecclesiastica, hoc regia libertate statuo. Ejus igitur amoris stimulo & fide plenissima ac devotissima suffultus, cujus largiflua miseratione in cathedra regali promotus sum, cum concilio & decreto archiepiscoporum, episcoporum, comitum, aliorumque meorum optimatum, prospiciens, hoc ipsi ecclesiæ & habitantibus in ea, sive pertinentibus ad eam, utile fore, non solum in præsenti, sed in futurum, elegi sanciendum, atque perpeti stabilimento ab omnibus confirmandum: ut pro Christi honore & amore, & pro reverentia summi apostolorum principis Petri, cujus patrocinio meipsum commisi, & pro devotione ac veneratione sanctarum reliquiarum, quas eidem loco contuli, beatorum videlicet apostolorum, martyrum, confessorum, & virginum, ut omnipotens Deus per illorum suffragia sanctorum, depulsis cunctis adversitatibus, cum pacis & honoris sui stabilitate, ac perpetuæ tranquillitatis sublimatione, locum illum custodiat, disponat, & protegat, & pro magnifica dignitate sive regali excellentia ipsius ecclesiæ, & pro quiete monachorum ibidem Deo famulantium, tantus honor eidem ecclesiæ habeatur in perpetuum & observetur: ut neque nos, neque successores nostri, nec quilibet episcopus, nec quicumque de judiciaria potestate, in ipsam sanctam basilicam, vel in manentes in ipsa, vel in homines qui cum suis terris vel qualibuscumque substantiis ad ipsam tradere vel devovere se voluerint, nisi per voluntatem abbatis, & suorum monachorum, ullam unquam habeant potestatem. Et sit hæc sancta mater ecclesia peculiaris patroni nostri domini & magni apostoli ter beati Petri, libera & absoluta ab omni invasione vel inquietudine omnium hominum, cujuscumque potestatis esse videantur. Præterea aliud constituo, atque in perpetuum confirmo, ut quisque fugitivorum, de quocumque loco, pro quacumque causa, cujuscumque conditionis sit, ipsum sanctum locum, vel procinctum ejus, fugiens intraverit, immunis sit omnino, ac plenam libertatem consequatur.

Immunitas

Asylum.

Si quis vero hanc nostram donationem augere & amplificare voluerit, augeat Deus dies ejus prosperos hic & in futurum. Si autem evenerit ut aliquis aut regum succedentium, vel alicujus personæ homo, quod non optamus, diabolica temeritate fuerit elatus vel seductus, quatenus hoc nostrum statutum infringere vel minuere, aut in aliud mutare velit: sciat se perpetuo anathemate damnatum, nisi tamen satisfactione emendaverit. Si autem emendatione fuerit indignus, ipse quidem cum Iuda proditore, gehennæ ignibus cremabitur: sed hæc charta nihilo minus in sua libertate permanebit, quamdiu Christiani nominis timor & amor in hac nostra gente perseverarint.

Anathema in violatores.

Ad ultimum, chartam istam conscribi & sigillari jussi, & ipsam manu mea signo sanctæ crucis impressi, & idoneos testes annotari præcepi ad corroborandam. Itaque propriam donationis libertatem ego Edvvardus, Deo largiente Anglorum rex, signum venerandæ crucis impressi.

Ego Editha regina huic donationi regiæ consentiens subscripsi.
Ego Stigandus archiepiscopus concessi & subscripsi.
Ego VVulfinus episcopus, consensi & subscripsi.
Ego Leofricus episcopus, consensi & subscripsi.
Ego Hermannus episcopus consensi & subscripsi.
Ego VValterus episcopus consensi & subscripsi.
Ego Giso episcopus consensi & subscripsi.
Ego VVulstanus episcopus consensi & subscripsi.
Ego Sivvardus episcopus consensi & subscripsi.
Ego Edvvynus abbas consensi & subscripsi.
Ego Agelsius abbas consensi & subscripsi.
Ego Alsvvinus abbas consensi & subscripsi.
Ego Leofricus abbas consensi & subscripsi.
Ego Agelvvrus abbas consensi & subscripsi.
Ego Valdvvynus abbas consensi & subscripsi.
Ego VVulvvoldus abbas consensi & subscripsi.
Ego Reynbaldus cancellarius.
Ego Haroldus dux.
Ego Edvvynus dux.
Ego Leofdvvinus dux.
Ego Guden dux.
Ego Ergarus minister.
Ego Kendus minister.
Ego VVygodus minister.
Ego Radulphus minister.
Ego Robertus minister.
Ego Ednothus minister.
Ego Agelnodus, VVulfricus, Syvvardus, Godricus.

Acta apud VVestmonasterium quinto Kalendas Ianuarii, die sanctorum Innocentium, anno dominicæ incarnationis millesimo sexagesimo sexto, indictione tertia, anno regni serenissimi Edvvardi regis vicesimo quinto. Svvyergarius notarius ad vicem Reynbaldi regiæ dignitatis cancellarii hanc chartam scripsi & subscripsi. In Dei nomine feliciter. Amen.

CHARTA III. REGIS EDVVARDI confessoris, ecclesiæ sancti Petri VVestmonasteriensi confecta.

Habentur in hac charta, epistola regis Edvvardi confessoris ad papam Nicolaum II. pro confirmatione privilegiorum ecclesiæ VVestmonasterii, & epistola Nicolai papæ II. ad regem Edvvardum confessorem, qua petita annuit, & plura insuper privilegia.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, propter eos qui justitiam Dei contemnunt, & suam volunt constituere. Quoniam justitiæ Dei non sunt subjecti, procurandum est iis qui ecclesiarum Dei privilegia constituunt, ut multiplices chartas & multitudinem testium atque maledictionum congerant: quibus, etsi non semper, tamen aliquotiens pessimorum hominum impia protervia, & perniciosa præsumptio, tutius proteratur, retundatur, ac reverberetur, necnon fortissimo defensionis robore funditus eradicetur. Quapropter ego Edvvardus, Dei gratia Anglorum rex, notum facio omnibus futuris post me sæculi generationibus, quoniam præcepto Leonis papæ, pro pœnitentia & remissione peccatorum meorum, renovavi & melioravi basilicam eam Petri, quæ sita est prope mœnia principalis Anglorum urbis Londoniarum, & ab occidentali ora ejusdem urbis dicitur VVestmonasterium, quæ ædificata quidem fuerat antiquitus sub Mellito, London primo episcopo, socio & contemporaneo sancti Augustini primi Cantuariæ archiepiscopi, & per ipsum beatum Petrum, angelico famulante servitio, sanctæ Crucis impressione & sacri chrismatis permixtione

Ecclesia VVestmonasteriensis a quo primum condita.

ANNO CHRIST. 1066.

mixtione dedicata: sed per frequentes incursiones barbarorum, & maxime Danorum, qui, patre meo Æthelredo vivente, irruptionem in Angliam fecerant, & eo mortuo, cum fratre meo Edmundo dimidium regni sub amicitiarum pacationem tenuerant, fratremque alium Alfredum miserabiliter interemptum enecaverant, neglecta penitus & destructa videbatur.

Rex legatos Romã mittit.

Cum ergo renovassem eam, & multa privilegia regiæ potestatis & apostolicæ autoritatis per beatum Leonem papam in ea constituissem: defuncto ipso Leone, & confirmato in ejus loco Nicolao, placuit mihi renovare, meliorare, & confirmare consuetudines & donationes pecuniarum, quas antecessores mei reges sancto Petro instituerant, propter devotionem summam quam habuit semper Anglorum gens erga eum & ejus vicarios. Itaque propter hoc negotium & alia quamplura, legatos misi Romam, episcopum unum Aldredum, & duos electos ad ordinandos episcopos, Glisonem scilicet & VValterum, ut a domino papa sacrarentur. Venientes autem Romam, ab apostolico Nicolao honore quo decebat suscepti, invenerunt ibi ad synodum congregatam multitudinem magnam episcoporum, abbatum, monachorum, & clericorum, cæterorumque fidelium: cumque audiente synodo suæ legationis causam perorarent, hujus summam epistolæ domino papæ obtulerunt.

Summo universalis ecclesiæ patri Nicolao Edvvardus gratia Dei Anglorum rex debitam subjectionem & omnimodum servitium.

Petit privilegiorum renovationem.

GLorificamus Deum, qui curam habet suæ electæ ecclesiæ, quoniam in loco boni prædecessoris, vos optimum successorem constituit. Quapropter justum judicamus apud vos, velut ad solidam petram, * accurrere, & probare omnes bonas intentiones nostras, & vestram notitiam atque societatem in bono habere: quatenus eas donationes & privilegia quæ obtinuimus apud prædecessorem vestrum, renovetis & augeatis nobis: videlicet, ut quod ille injunxit nobis sub nomine obedientiæ ac pœnitentiæ, propter votum quod voveram ire Romam, & in remissionem omnium peccatorum meorum, construere cœnobium monachorum in honorem apostoli Petri, ratum faciatis, & privilegia possessionum & dignitatum ejusdem loci confirmetis, renovetis, atque augeatis, & in perpetuum immutabilia stare decernatis. Ego quoque pro modulo meo augeo & confirmo donationes & consuetudines pecuniarum, quas habet sanctus Petrus in Anglia, & ipsas pecunias collectas, cum regalibus donis mitto vobis, ut oretis pro me, & pro pace regni mei, & continuam ac solennem memoriam haberi instituatis, totius gentis Anglorum, coram corporibus sanctorum apostolorum. Valete.

* acuere.

Confirmat denarium S. Petri, &c.

Iis igitur litteris a summo pontifice susceptis, cum feliciter ad votum suum omnibus peractis a Roma redirent, consulente sancta synodo, transmissam a domino papa mihi detulerunt epistolam.

A *Nicolaus episcopus servus servorum Dei, gloriosissimo ac piissimo, omnique honore dignissimo, spirituali quoque filio nostro, Edvvardo Anglorum regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, & benedictionem apostolicam.*

ANNO CHRISTI 1066.

OMnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornavit & decoravit erga beatum Petrum apostolorum principem, & nobiscum habere dilectionem, & in omnibus apostolicis consentire censuris. Litteras igitur vestræ nobilitati transmittimus, & per eas societatem sanctorum apostolorum & nostram vobis damus, orantes misericordiam illius qui est dominus omnium, & B rex super omnia solus, ut ipse vos participem faciat ex omnibus, si qua sunt coram Deo, bonis operibus nostris: & fratres nos, ac socios in sua dilectione constituat in omni tempore amplius, ac non minorem partem nostri obsequii vobis reconsignet in suo regno, quam nobismetipsis provenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assidue, ut ipse Deus vobis subjiciat hostes & inimicos, qui contra vos voluerint insurgere: & confirmet vos in paterno solio, & propria hereditate. At beatus Petrus sit vobis custos & adjutor semper in omni tribulatione. Claret enim Anglorum reges pro reverentia & devotione, quam exhibuerunt C beato Petro, gloria & honore floruisse, ac ipsius patrocinio famosos triumphos obtinuisse: cujus beati apostoli meritis, vestro desiderio & voluntati omnipotens Deus præstet effectum, & confirmet vobis paterni regni imperium, & tribuat pacis incrementum: & post præsentis vitæ decursum, perducat ad æternum permanentis gloriæ imperium. Renovamus ergo, & confirmamus, ac augemus vobis privilegia vestra, scilicet, ut absoluti sitis ab illo voto quod timebatis, & ab omnibus aliis peccatis & iniquitatibus vestris, autoritate illius, qui me, licet indignum, suæ sanctæ præesse voluit ecclesiæ. Præterea illi loco, quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ consti- D tuendum, & meliorandum suscepistis: quoniam, ut fertur, primo antiquitus consecrationem a beato Petro accepit, cujus, licet indigni, vicarii sumus, & quia regia antiquitus sedes est: ex autoritate Dei & sanctorum apostolorum, atque hujus Romanæ sedis, & nostra: concedimus, permittimus, & solidissime confirmamus, ut amplius in perpetuum regiæ constitutionis & consecrationis locus sit, atque repositorium regalium insignium, & habitatio perpetua monachorum, qui nulli omnino personæ nisi regi subdantur, habeantque potestatem, secundum regulam sancti Benedicti, per successiones eligere ex se idoneos abbates: neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors E congregatio esse prælegerit. Absoluimus etiam eum locum ab omni servitio & dominatione episcopali, ut nullus episcopus illuc introeat ordinaturus, aut præcepturus aliquid, nisi ex petitione & consensu abbatis & monachorum. Et habeat idem locus liberum procinctum, id est ambitum & cœmeterium mortuorum circa se, absque episcopali, vel cujuslibet respectu, vel exactione, & omnia quæ ad libertatem & exaltationẽ illius loci, ad honorem Dei pertinentia per nostram autoritatem accedere possunt, hilari atque promptissima voluntate concedimus. Possessiones autem, quas antiqui reges, seu quicumque alii ho-

Regem suscipit in societatem apostolicam.

Laudat Anglorum regum pietatem in sanctum Petrum.

Concedit privilegia.

VVestmonasterium fit regiæ consecrationis locus, &c.

ANNO CHRISTI 1066.

»mines, vos quoque, & vestri barones, ad eumdem A »locum contulistis, & chartas quę ex eis factæ sunt, » divina & nostra autoritate roboramus, & ratas »ac stabiles esse decernimus: & infractores earum, » vel invasores, vel diminutores, aut dispersores, »venditores etiam, æterna maledictione cum Iuda »proditore damnamus, ut in beata partem non »habeant resurrectione: sed a beato Petro apostolo »se judicandos sciant, quando sedebit cum suis co- »apostolis judicans duodecim tribus Israel. Vobis »vero, & posteris vestris regibus, committimus »advocationem & tuitionem ejusdem loci, & »omnium totius Angliæ ecclesiarum, ut vice nostra »cum consilio episcoporum & abbatum constitua- »tis ubique quæ justa sunt, scientes pro*hoc vos re- B »cepturos mercedem ab eo cujus regnum & im- »perium non desinet nec minuetur in sęculum. »Valete.

* al. per

Hanc igitur epistolam apostolici privilegii placuit inserere huic nostræ confirmationi, ut secundum quod sancto Leoni prius placuerat, mihique præceperat concordanti, ad hoc successore ejus Nicolao, & eadem aut majora mihi præcipiente: sciant omnes futurę generationes, me pro voti prędicti absolutione, peccatorumque meorum omnium remissione, & ęternę vitę remuneratione, & pro animabus regum, tam successorum quam prędecessorum meorum, & omnium parentum meorum, & pro pace & stabilitate regni mei, & prosperitate totius Anglorum populi, loco illi omnimodam libertatem, quantum ad potestatem C terrenam, concessisse: & quod illi de ecclesiastica, hoc regia libertate statuo. Ejus igitur amoris stimulo, & fide plenissima ac devotissima suffultus, cujus largiflua miseratione in cathedra regali promotus sum, cum concilio & decreto archiepiscoporum, episcoporum, comitum, aliorumque omnium optimatum, prospiciens, hoc ipsi ecclesię ac habitantibus in ea, sive pertinentibus ad eam, utile fore, non solum in præsenti, sed in futuro elegi sanciendum, atque perpeti stabilimento ab omnibus confirmandum: ut pro Christi honore & amore, & pro reverentia summi apostolorum principis Petri, cujus patrocinio meipsum commisi, & pro devotione & veneratione sanctarum reliquia- D rum, quas eidem loco contuli, beatorum videlicet apostolorum, martyrum, confessorum, & virginum, ut omnipotens Deus per istorum suffragia sanctorum, depulsis cunctis adversitatibus, cum pacis & honoris sui stabilitate, ac perpetuæ tranquillitatis sublimatione, locum illum custodiat, disponat, ac protegat, & pro magnifica dignitate sive regali excellentia ipsius ecclesiæ, & pro quiete monachorum ibidem Deo famulantium, tantus honor eidem ecclesiæ habeatur in perpetuum & observetur, ut neque nos, neque successores nostri, neque quilibet episcopus, nec quicumque de judiciaria potestate, in ipsam sacram basilicam, E vel in manentes in ipsa, vel in homines, qui cum suis terris, vel qualibuscumque substantiis ad ipsam tradere, vel devovere se voluerint, nisi per voluntatem abbatis & suorum monachorum ullam unquam habeant potestatem, sed sit hæc sancta mater ecclesia peculiaris patroni nostri domini & magni apostoli ter B. Petri, libera & absoluta ab omni invasione vel inquietudine omnium hominū, cujuscumque ordinis vel potestatis esse videantur. Præterea aliud constituo atque in perpetuo confirmo, ut quisquis fugitivorum, de quocumque loco, pro quacumque causa, cujuscumque conditionis sit, ipsum sanctum locum vel procinctum ejus fugiens intraverit, immunis omnino hanc plenam libertatem consequatur.

Rex immunitatem confirmat.

Et refugium.

Et infra. Hanc igitur chartam meæ donationis & libertatis, in die dedicationis prædictæ ecclesiæ recitari jussi coram episcopis, abbatibus, comitibus, & omnibus optimatibus Angliæ, omnique populo audiente & vidente: & secundum apostolici Leonis ejusque successoris Nicolai constitutum, excommunicari feci eos qui decretum nostrum infringerent, vel infringi permitterent, quantum in ipsis esset. Quisquis autem successorum meorum hanc donationis libertatem firmiter atque inviolabiliter custodierit, æterna coronetur claritate, cælestisque regni plena perfruatur felicitate.

ANNO CHRISTI 1066. Tempus dedicationis & dationis chartæ.

Si quis vero, quod absit, eam destruere voluerit, vel hujus nostri decreti contradictor, convulsor, & temerator extiterit: cum Iuda traditore ęterno anathemati subjaceat, nisi Deo & beato suo apostolo Petro digna pœnitentia satisfecerit.

Vt ergo hæc autoritas nostris & futuris temporibus circa ipsum sanctum locum perenniter firma & inviolata permaneat, vel per omnia tempora illæsa custodiatur atque conservetur, & ab omnibus optimabus nostris, & judicibus publicis & privatis, melius ac certius credatur: manus nostræ subscriptione subter eam decrevimus roborare, & idoneos testes annotare, atque sigillo nostro jussimus sigillari.

Ego Edvvardus Dei gratia Anglorum rex hoc privilegium jussi componere, & compositum cum signo dominicæ crucis confirmando impressi.

Ego Edgida regina omni alacritate mentis hoc corroboravi.

Ego Stigandus sanctæ metropolis ecclesię Cantuariæ episcopus confirmavi.

Ego Eldredus archiepiscopus Eboracensis ecclesię consignavi.

Ego VVilielmus episcopus Londoniensis ecclesię, ad omnia superscripta consentiens, subscripsi.

Ego Hermannus episcopus consensi & subscripsi.
Ego VVulsvvinus episcop. consensi & subscripsi.
Ego VValterus episcopus consensi & subscripsi.
Ego Leofricus episcopus consensi & subscripsi.
Ego Giro episcopus consensi & subscripsi.
Ego VVulstanus episc. consensi & subscripsi.
Ego Sivvardus episcopus consensi & subscripsi.
Ego Godvvicius episcopus consensi & subscripsi.
Ego Agelsius episcopus consensi & subscripsi.
Ego Edvvinus abbas consensi & subscripsi.
Ego Agelvvius abbas consensi & subscripsi.
Ego Leofricus abbas consensi & subscripsi.
Ego Baldevvinus abbas consensi & subscripsi.
Ego VVulfvvoldus abbas consensi & subscripsi.
Ego Edmundus abbas consensi & subscripsi.
Ego Reynbaldus regis cancell. relegi & sigillavi.
Ego Osbernus regis capellanus.
Ego Petrus regis capellanus.
Ego Rodbertus capellanus.
Ego Haroldus dux.
Ego Edvvinus comes.
Ego Gud comes.
Ego Leoffevvinus comes.
Ego Markerus comes.
Ego Esgarus minister.
Ego Condius minister.
Ego Radulphus minister.
Ego Rodbertus minister.
Ego Agelnodus minister.
Ego VVygodus minister.
Ego Adnothus minister.

Ego

ANNO CHRISTI 1066.

Ego VVulfricus miles.
Ego Syvvardus miles.
Ego Godricus miles.
Ego Colo miles.
Ego VVulſvvardus miles.

Omnes conſentientes ſubſcripſimus ſtabilita apud VVeſtmonaſterium, quinto Kal. Ianuarii, die ſanctorum innocentium, anno dominicæ incarnationis milleſimo ſexageſimoſexto, indictione tertia, anno regni Edvvardi nobiliſſimi & clementiſſimi regis vigeſimoquinto.

Ego Alfgeatus notarius, ad vicem Reynbaldi regiæ dignitatis cancellarii, hoc privilegium ſcripſi & ſubſcripſi. In Dei nomine feliciter. Amen.

ANNO CHRISTI 1068. Ex Tom. II. Spicilegii Dacheriani.

CONCILIVM AVSCENSE,

præſide Hugone Candido card. legato apoſt. in quo decretum ut omnes eccleſiæ Vaſconiæ, quartam decimarum partem cathedralibus eccleſiis perſolverent, exceptis eccleſiis ſancti Orientii: alia quoque quæ ad eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, conſtituta. Anno Chriſti MLXVIII.

ANNO MLXVIII. incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti, factum eſt concilium apud Auſciam civitatem metropolitanam. Tenuitque concilium dominus Hugo, qui vocabatur Albus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, cum bonæ memoriæ Auſtindo archiepiſcopo, & omnibus ſuffraganeis ſuis epiſcopis, & abbatibus, & magnatibus univerſæ Guaſconiæ.

Inter cætera ſtabilimenta quæ ibi ſinxerunt, decreverunt ut omnes eccleſiæ, quæ infra terminos Guaſconiæ continentur, ſemper quartam partem decimæ unaquæque eccleſia ſuis ſedibus redderet. Nam antea minime faciebant. Hoc audiens domnus abbas Raimundus ſancti Orientii, dixit ſe minime conſentire in hoc, ut eccleſiæ ſancti confeſſoris, quæ per tot tempora ingenuæ permanſerant, tali jugo ſubmitterentur. Audiens hoc cardinalis præfatus, quod in monaſterio ejus tumulatus eſſet tam amiciſſimus confeſſor, & tam magnæ autoritatis ſuper omnes archiepiſcopos, qui in ſede Auſcia fuerant; decrevit cum domno Auſtindo, & omni cœtu epiſcoporum, & abbatum, ut pro amore ſancti confeſſoris prædicti, eccleſiæ ejus ab hac conditione liberrimæ permanerent, ſicut antea facere ſolebant. Sanxitque, ac firmavit domnus cardinalis, cum Auſtindo archiepiſcopo, Raimundo ſancti Orientii: ut omnes conſuetudines, quas antea in honore, & in eccleſiis tenere ſoliti erant, abſque ulla infeſtatione invidorum epiſcoporum, vel archidiaconorum, inconvulſæ permanerent.

Laudaverunt etiam, ut gubernator, qui locum ſancti Orientii rexerit, vices archidiaconi in honore ſuo ſuper eccleſias & clericos teneat: & ipſe, ſi lapſi fuerint, juſtitiam faciat. Tamen ſi pœnitere noluerint, ipſe ante præſentiam domni archiepiſcopi repræſentet, & ipſe illis pœnitentiam injungat, ut illi placuerit: excepto quod ullam legem ab illis non requirat.

Archidiacono autem interdicimus convivia more ſymbolarum in ejus eccleſiis peragi, aut in honore ejus aliquid uſurpari contra conſuetudinem veterem.

Igitur ſi quis perverſus æmulus temere contra hoc moleſtare locum ſanctum tentaverit: ſecundo, tertiove commonitus, ſin cum ſatisfactione congrua emendaverit, iram Dei, & ſancti confeſſoris incurrat. Fiat, fiat. Amen.

Ego Hugo ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, ſignavi.
Ego Auſtindus archiepiſcopus iſtius ſedis, ſignavi.

Hæ ſunt eccleſiæ, quas dictus Romanæ eccleſiæ cardinalis, cum aſſenſu & voluntate Auſtindi archiepiſcopi, & omnium ſuffraganeorum epiſcoporum, & abbatum univerſæ Guaſconiæ, voluit, decrevit, confirmavit, eſſe immunes, ſicut ſuperius dictum eſt: videlicet eccleſiam ſancti Ciricii, eccleſiam ſancti Lazari, eccleſiam ſancti Petri de Iolac, eccleſiam de Mazeres, eccleſiam de Lobeiano, eccleſiam de Durano, eccleſiam de Teahut, eccleſiam de Cella nova, eccleſiam de Augeraco, eccleſiam de Martino vallo, eccleſiam de Seregnzano, eccleſiam de Begaut, eccleſiam de Romaiacho, eccleſiam de Aqua cluſa, eccleſiam de Blaiſano, eccleſiam de Guoz, eccleſiam de Boxas, eccleſiam de Mirapeis, eccleſiam de Martino Viago, eccleſiam de.......... eccleſiam de Iuſſano, eccleſiam de Cazano, eccleſiam d'Antras, eccleſiam de Toltari, eccleſiam de Garaut, eccleſiam de Reſſelenes.

ANNO CHRISTI 1068.

CONCILIVM TOLOSANVM,

De reſtaurando epiſcopatu Lectorenſi habitum ab Hugone Candido cardinale, ſedis apoſtolicæ legato. Anno MLXVIII.

Edidit Catellus ex tabulario S. Stephani Toloſatis: nos emendatius ex aliis MSS. exemplaribus.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Anno incarnationis Domini milleſimo ſexageſimooctavo, Indictione ſexta, octavo anno domini papæ Alexandri videlicet ſecundi, ſecundo vero anno regni Philippi regis Francorum, ac tuitione Balduini Flandrenſis comitis. Hugo candidus ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis præcipuus, in Toloſa urbe juſſu præſcripti papæ, conſultu vero omnium confratrum ſuorum, ſanctam ſynodum, cum undecim epiſcopis, & abbatibus pluribus, cum religioſis clericis vel laicis, Chriſto vero diſponēte, in ipſius miniſterii, qui vera lux cōſtat, opus, tenuit. Nam cum de omnibus congruentiis eccleſiarum, epiſcoporum ſcilicet, clericorum, monachorum, & laicorum, ſive pauperum, juſte & religioſe ſecundum Deum & canones ſanctorum patrum, ibi, in quantum ipſe Chriſtus ſua pietate permiſit, definitum eſt: tum Spiritu ſancto accenſi, accuſando, defendendo, judicando, ſimoniacæ hæreſeos non tantum ſtipites, verum etiam radices funditus exterminaverunt. Contigit vero inter cætera de Lectorenſi eccleſia, quæ erat jam pene deſtructa, legitime definiendo judicare. Erat enim in loco illo quoddam monaſterium de epiſcopatu omnino conſtructum: ita videlicet, ut non ſolum ipſius plebis inſcientiæ ſufficeret bona ſupranominatæ eccleſiæ, epiſcopatus ſcilicet, monaſterio illi tribuere: verum etiam altaria, lapides, cætera additamenta ibi velocius tranſmutare. Placuit autem Spiritui ſancto illud monaſterium jam eo uſque quaſi authenticum, quod Gregorius Laſcurrenſis epiſcopus juris ſancti Severi eſſe injuſte dicebat, ad priſtinum revocare gradum: quatenus, veluti epiſcopatus ſtulte agendo [illegible] converſus eſt in monaſterium; ita converſum, ſapienter corrigendo, monaſterium converteretur in

epiſco-

ANNO CHRISTI 1068.

episcopatum. Iudicatum est igitur a fratribus omnibus illius sancti conventus, dominum episcopum nomine Raymundum accipere, & locum propriæ suæ sedis in monasterio ea ratione ponere, & monachos ibi morantes religiose, & secundum regulam sancti Benedicti vivere, ut dominus abbas constringeret, & si pro melioratione vitæ ad alia vellent ire, nulli denegaret: evacuato autem de monachis templo, clericos religiosos, ac regulariter vivere volentes, probos, pudicos, secundum Deum ibi poneret: quoniam nullus ulterius monachus, quemadmodum a sanctis patribus illis statum est, ibi ordinaretur; & ita monasterium non amplius esset monachorum proprie locus, sed esset episcopi, vere sedes & victus. Hoc autem privilegium dominus Hugo cardinalis vir excellentissimus, cum archiepiscopo Guillelmo Auxiensi, Aymone Bituricensi, & cum episcopis Duranno Tolosano, Geraldo Caturcensi, Godemaro Xantonensi, Gregorio Lascurrensi, Petro Adurensi, Guillelmo Convenensi, ipso Raimundo Lectorensi, Bernardo Coseranensi, Bernardo Aquensi: cum abbatibus Hugone Cluniacensi, Ademaro de sancto Martiale, Beraldo de sancto Ægidio, Raymundo Condomensi, Odone de sancto Ioanne Angeriaco, Bernardo Massiliensi, Constantio de Clayraco, Raymundo de sancto Papulo, Frotardo de sancto Pontio: cum omnibus religiosis viris clericis, vel laicis, qui in sancta synodo interfuerunt, laudavit, confirmavit, atque sub anathematis vinculo, omnes, qui contradicere ulterius vellent, in perpetuum sine remedio aliquo juris damnavit.

ANNO CHRISTI 1068.

*** CONCILIA CELEBRATA IN HISPANIA CITERIORI.

In quibus Gothici sacrorum ritus abrogati anno, ut probabilius videtur, MLXVIII. Alexandro II. pontifice.

HVgonem Candidum presbyterum cardinalem in Hispaniam legavit Alexander II. tum ob alia, tum ut divinorum officiorum ritus Romana ex formula constitueret; quod discimus tum ex illius gentis historicis, tum ex litteris Alexandri ipsius ad Aquilinum S. Ioannis Pinnatensis abbatem quas in cœnobii illius historia Ioannes Brizius Martinezius edidit. Satis constat, non sine conciliorum autoritate id effectum: & Barcinonense, ubi hoc agitatum, jam edidi ad annum MLXIV. non quod eo anno celebratum putarem, sed ne Binium currupisse, in re præsertim non indubitata, viderer.

Annum ego LXVIII. adscribo. Primum enim, Hugonem eumdem video, hoc anno Tolosanum concilium & Auscense, quæ finitima Hispaniæ loca sunt, celebrasse. Ejus igitur adventus male in annum MLXXI. a Martinezio differtur. Deinde Sanctius Ranimirus Aragonum rex, in privilegio abbatiæ Leirensis, quod extat apud Sandovallium, in episcoporum Pompilonensium notitia, ait Hugonem cardinalem interfuisse concilio Leirensi, anno regni sui sexto, qui annus est Christi MLXVIII. Huic itaque anno indubitanter assignat divinorum officiorum mutationem Hieronymus Surita, qui historias suas veterum monumentorum fide conscripsit. At Carbonellus in chronico, & Martinezius in historia sancti Ioannis, aliique anno id tribuunt MLXXI. nixi antiquis illorum temporum monumentis, quæ consignata sunt, vel anno MLXXI. *cum intravit lex Romana in sanctum Ioannem* XI. *Kal. Aprilis, secunda septimana quadragesimæ, feria tertia*: *vel æra* MCXX. qui annus est Christi MLXVIII. *anno nono regni Sanctii Ranimirez, primo vero ingressionis Romani officii in sancto Ioanne.*

Quæ ita concilianda mihi videntur: ut in Hispaniam Hugo Candidus anno MLXVIII. venerit, in Aragonia finitimisque regionibus de mutandis sacrorum cæremoniis habuerit concilia: sed res, quamvis eo annno decreta, perfecta tamen nisi anno MLXXI. non fuerit, propter populi antiquis suis ritibus addicti pertinaciam: quem ea in re cogere invitum sacri magistratus noluerunt, sed sensim persuadere. Vnde & factum, ut irritum tamdiu fuerit eadem de re decretum concilii Iaccensis, anni MLX.

Eadem causa fuit, cur sacros ritus ut mutarent Castellani vix adduci, ac nisi vi quadam potuerint. Sed hujus id loci non est. Ad eos enim Hugo non penetravit, sive id mandatum illi non fuerat, sive tempestivum nondvm esse duxit. Id deinde Gregorio VII. pontifice perfectum, anno MLXXX.

Gothicum officium dictum est, quod a sancto Isidoro Hispalensi, Gothis adhuc in Hispania regnantibus, jussu Toletanæ synodi, anno DCXXXIII compositum digestumsit. Dictum deinde Toletanum, quod Mauris anno DCCXIV. Hispaniarum potitis, cum pars indigenarum maxima profugisset, eorum aliqui qui domi remanserunt, inter Mauros, sacrorum ritus eosdem Tolet custodierint. Dictum & Mozarabicum, quoniam eo usi Mozarabes sive Muzarabes; quod nomen Hispanis qui cum Mauris vixerant, inditum, non quod Mozarabes, corrupta voce, quasi Mistarabes dicti sint, ut volunt plerique omnes; sed quod probabilius existimo, a Muza Arabum duce, qui Hispaniam domuit.

Toleti in antiquis ecclesiis, quæ Mozarabum fuerunt, statis anni diebus res divina Gothico ritu hodieque peragitur. Ac præterea in templo maximo sacellum extat, ubi idem perpetuo servatur: quod instituit Franciscus cardinalis Ximenius, qui & Mozarabicos divinorum officiorum libros typis edi jussit, ne tantæ rei memoria periret.

Romanum autem officium, a plerisque Hispanicarum rerum scriptoribus, etiam Gallicanum dicitur, quod in Gallia susceptum prius fuisset. Atque id eorum nonnulli observant, Hispaniarum principes Romanos ritus Francarum conjugum suasu admisisse Nam & apud Alfonsum VI. Castellæ regem, id effecisse Constantiam, conjugem, certum est: & Raymundum Berengarium Barcinonensem comitem in eo Almodi conjugi obsecutum esse, multorum est conjectura. Addere potuissent, & Ermisendam Ramiri Aragonum regis uxorem, quo rege decreta primum in Iaccensi concilio anno MLX. cæremoniarum illa mutatio fuit, Francam quoque fuisse; & Francos, multos concilii istius episcopos.

ANNO CHRISTI 1069.

CONCILIVM MOGVNTINVM

autoritate Sigefridi I. indictum in causa Henrici IV. regis, volentis Bertam uxorem, quam ante biennium duxerat, repudiare, celebratum anno Domini MLXIX.

DE *rebus in hac synodo gestis Lambertus in chronico, anno Domini 1069. ista refert:* Post pentecosten VVormatiæ cum principibus regni idem rex colloquium habuit. Ibi primum cum episcopo Moguntino rem secreto agit, ejusque opem ad perficiendum, quod mente machinetur, obnixe implorat. Si impetret, se deinceps ei subditum, & dicto obtemperantem fore; ad hoc Thuringos armata manu, si aliter nequeat, coacturum, ut decimas sine ulla in perpetuum contradictione persolvant. Annuente episcopo & pactione utrimque firmata, rex ad publicum refert, sibi cum uxore non convenire, diu oculos hominum fefellisse, ultra fallere nolle. Nullum ei crimen, quo juste repudium mereatur, afferre; sed se (incertum quo fato, quo Dei judicio) nullam cum ea maritalis operis

Anno Christi 1069.

operis copiam habere. Proinde per Deum orare, ut se male ominata compede absolvant, patianturque æquo animo discidium fieri, ut illa sibi, & ipse ei, si ita Deus velit, felicioris matrimonii viam patefaciat. Et ne quis violatum semel pudorem causetur obstare iterum nupturæ, se sub jurejurando confirmare, quod eam, ut acceperit, sic incontaminatam illibatoque virginitatis pudore conservaverit. Fœda res & regia majestate nimium abhorrens visa est omnibus qui aderant. Negotio tamen, cui rex tam fervide animum adjecisset, detrectare, singuli religiosum arbitrabantur. Episcopus quoque tam preciosa pollicitatione redemptus, quantum poterat, salva verecundia, haud ægre causam regis tuebatur. Itaque cunctis id fieri decernentibus, synodum coficiendo negotio indixit Moguntiæ, proxima post festum sancti Michaelis hebdomada. *Et post alia ab his diversa sic pergit ejusdem causæ tractationem describere.*

Imminente jam die, qui scindendo regis conjugio dictus fuerat, rex Moguntiam concitus properabat. Ecce inter eundum comperit legatum sedis apostolicæ suum Moguntiæ adventum præstolari, qui discidium fieri prohibeat, & episcopo Moguntino apostolicę animadversionis sententiam minitetur, quod tam nefariæ separationis se autorem promiserit. Consternatus illico quod rem diu exoptatam perdidisset e manibus, pariter quo venerat in Saxoniam redire volebat. Vix ægre tamen amicorum consiliis superatus, ne principes regni frustraretur, quos summa frequentia sibi Moguntiæ occurrere jussisset, Franconefurt abiit, ibique eos qui Moguntiæ convenerant statuto die adesse jussit. Quo dum frequentes venissent, Petrus Damianus, is legatus erat sedis apostolicæ, vir ætate & vitæ innocentia admodum reverendus, mandata exposuit Romani pontificis, pessimam rem, & a nomine Christiano, nedum ab regio, multum abhorrentem esse, quam moliatur. Si minus humanis legibus vel canonum sanctionibus terreretur, paceret saltem famæ & existimationi propriæ, ne scilicet tam fœdi exempli venenum, ab rege sumpto initio, commacularet populum Christianum; & qui ultor esse debuisset criminum, ipse autor & signifer fieret ad flagitium. Postremo si non flecteretur consiliis, se necessario vim ecclesiasticam adhibiturum, & canonum lege scelus prohibiturum. Ad hæc suis manibus numquam imperatorem consecrandum fore, qui pestilenti exemplo, quantum in se esset, fidem Christianam prodidisset.

Tum vero in eum coorti omnes qui aderant principes, aiebant æqua censere Romanum pontificem, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriæ suæ, & regii nominis majestatem tam turpis facti colluvione macularet. Præterea ne parentibus reginæ, causam defectionis, & justam turbandæ reipublicæ occasionem daret: qui si viri essent, cum armis & opibus plurimum possent, tantam filiæ suæ contumeliam procul dubio insigni aliquo facinore expiaturi essent. Hac ratione fractus magis quam inflexus: Si id, inquit, fixum, obstinatumque est vobis, imperabo egomet mihi, feramque ut potero onus quod deponere non valeo. Ita efferato magis per studium concordiæ odio, annuit quidem, ut in regni consortium regina revocaretur: ipse tamen, ut congressum ejus conspectumque vitaret, adhibitis sibi vix quadraginta militibus, in Saxoniam concitus rediit. Regina cum cætera multitudine & regni insignibus paulatim subsecuta est. Cumque ad eum Goslarium venisset, vix compulsus ille a familiaribus suis, ut ei obviam procederet, satis superque pro consuetudine eam benigne suscepit. Sed protinus refrigescente amore, ad ingenium suum atque ad pristinum rigorem animi rediit. Et quia consilia scindendi conjugii sæpe jam tentata non processerant: statuit deinceps, communicato cum ea solum regni nomine, sic eam habere quasi non haberet. *Hæc Lambertus. Constat, post hæc tandem reginam conciliatam regi, ex eodem suscepisse filium Henricum, qui ipsi successit in regno.*

Anno Christi 1069.

ADDITIO G. C.

De Moguntino episcopo Sigefrido rem aliter Lambertus narrat, quam ipse de se Sigefridus in epistola ad Alexandrum II. Ait enim regi se in faciem restitisse, & minitatum esse excommunicationem: indictum tamen a se episcopis suis, ad rem disceptandam ac definiendam, Moguntinum concilium. Ad extremum, pontificem rogat, ut aliquos de latere suo mittat, qui huic consilio præsint. Pugnant ista ex diametro cum iis quæ narrat Lambertus: sive is erraverit, sive Sigefridus re ipsa corrumpi se ab Henrico rege passus, postquam comperit Alexandrum re tota cognita, legatum Moguntiam mittere, litteras illas scripserit, quibus fucum pontifici faceret. Sic autem illæ se habent.

**SIGEFRIDI EPISC. MOGUNTINI epistola ad Alexandrum II.

Domino beatissimo, & vere apostolici culminis honore reverendo Alexandro II. Sifridus Moguntinæ speculator ecclesiæ, debitæ subjectionis reverentiam, omnimodæ servitutis obsequelam.

LICET universalis ecclesiæ status generaliter innitatur super fundamentum apostolorum & prophetarum, & in ipso sui verticis culmine angularem gestet lapidem, Dominum scilicet Iesum Christum: specialiter tamen magnus ille Petrus, juxta solidissimam sui nominis firmitatem, & firmissimam fidei & confessionis suæ soliditatem, ejus totam sustentat fabricam: ad hoc quidem electus a Domino, ubi dicitur: *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* (Matth. 16.) Inde namque omnis apostolicorum patrum beata successio, autoritate ipsius Domini, sedi ejus, Romanæ scilicet ecclesiæ, hanc dedicavit excellentiam, & in cunctis semper hujus privilegii servavit reverentiam: ut majora ecclesiæ negotia, & difficiliores causarum exitus, ad ipsam, velut ad caput, referantur, ejusque judicio cuncta salubriter examinata, in portum salutis dirigantur. Quia vero divinæ miserationis gratia vos in hanc sedem inthronizavit, & vice ipsius Petri omnium ecclesiarum solicitudinem imposuit: necessarium duximus vestro reservari judicio, quas novimus nec posse, nec debere, sine vestra autoritate, nostro terminari studio.

Inter multimoda ecclesiæ negotia, quæ vestrum expectant examen, solicitudini vestræ quiddam tale incubuit, quod & ecclesiasticis judiciis valde est insolitum, & omni moderni temporis ætati & memorię pene inauditum. Filius enim vester, Heinricus noster, ante paucos dies cōjugem suam voluit dimittere: & eam quam legitimis sponsalibus, conjugali dote, regali consecratione, & publicis nuptiis, regali corona & sacramento sibi firmatam sociavit, nullam primo interponens discidii culpam, vel causam, omnino a se separare voluit. Quo nos velut monstro attoniti, & insolita rei facie permoti, consilio magnatum, quotquot tunc aderant in palatio, in faciem ei restitimus: & nisi certam exponeret

poneret discidii causam, sine respectu regiæ potestatis, sine metu gladii imminentis, eum, si vestra præcederet autoritas, a sinu & a communione ecclesiæ nos segregaturos prædiximus.

Ille vero retulit nobis, ea de causa ab ea se velle separari: quia non posset ei, tam naturali, quam maritali coitus fœdere copulari. Quod inquisitum, cum & ipsa fateretur, omnium nostrorum animos nimio mœrore affecit, & ipsa rei magnitudo nimia dubietate turbavit. Super qua re sanctissimum apostolatum vestrum, sicut divinum consulimus oraculum, & velut membra ad caput, tantum referimus negotium. Et quia hoc valde rarum, quæstionibus occurrit ecclesiasticis, & de regiis pene inauditum est personis: vestræ sanctitatis erit, quid super tanta re facto opus sit decernere, & ad consulta nostra de sanctuario sacri pectoris vestri responsalia remittere: ut & instans negotium, ad salutem modernæ ætatis, ecclesiastica pace finiatur, & de tam insolita & dubia re, vestra autoritate posteritas instruatur.

Denique fratres nostri, qui tunc huic rei intererant, condixerunt, ut concilium, quod tanto negotio competeret, in urbe nostra congregaretur; & utrique, regi scilicet & reginæ, ad synodalem venire audientiam, & super hac re terminalem subire sententiam, indiceretur. Nos autem dubia tantæ rei consideratione habita, nullomodo hoc sine vestra autoritate fieri decrevimus, & totius negotii terminum ad vestræ expectationem sententiæ suspendimus: postulantes sanctitatem vestram, ut si id, quod instat, ratum ducitis per nos synodaliter terminari, de latere vestro personas cum scriptis vestræ autoritatis ad examen & judicium tantæ rei mittere dignemini: quorum & audientia res ventiletur, & * conventia, in beneplacito Dei terminetur.

ANNO CHRISTI 1070.

**CONCILIVM ANSANVM II.

In quo Achardus Cabilonensis episcopus monasterium sancti Laurentii monasterio sancti Martini Insulæ Barbarensis donat, anno MLXX. VII. Kal. Febr. Alexandro II. pontifice: rege Francorum Philippo I.

C*oncilii hujus conservat memoriam instrumentum ipsum donationis confectum post synodum. Quo profitetur Achardus episcopus Cabilonensis, se, antiquum monasterium, olim a beato Gregorio Cabilonensi antistite in honorem sancti Laurentii martyris constructum, & multis possessionibus locupletatum, tunc ad nihilum pene redactum, ut pristinum in statum restituatur, ex consilio & assensu canonicorum suorum, suorumque fidelium, donare monasterio insulæ sancti Martini Barbarensis. Addit:* Porro huic nostræ donationi laudem & assensum unanimi voto præbuerunt venerandi pontifices, necnon reverendi abbates, qui una mecum synodo interfuere, habitæ apud Ansam castrum: dominus scilicet Humbertus archiepiscopus sanctæ Lugdunensis sedis, Hugo quoque archiepiscopus Chrysopolitanæ ecclesiæ, Agano etiam Æduensis præsul, & reverendus Drogo Matiscensis sedis antistes: venerandus abbas quoque Saviniacensis cœnobii Dalmatius, Athanacensis etiam VVicardus, Ambroniacensis quoque Raynaldus: eo videlicet tenore huic nostræ donationi præbentes assensum, ut abbas insulæ Barbarensis una cum fratribus sibi commissis, in perpetuum illud possideant, & semper regulariter ab abbatibus & monachis jam dicti monasterii sancti Martini per succedentia sæcula ordinetur, & ab eorum dominatione vel ordinatione numquam separetur. Redituum autem ad prædictum monasterium sancti Laurentii, quidquid ad illud pertinet, quod in mea videbar tenere manu, reddidi. *Enumerat deinde ea quæ donat.* Datum per manum cancellarii, VII. Kal. Februar. Luna x. Indict. VIII. regnante Philippo rege.

Instrumentum integrum edidit Perrius noster ad calcem eruditissimæ historiæ suæ Cabilonensis, pa. 41.

ANNO CHRISTI 1070.

CONCILIVM VVINTONIENSE,

in quo per legatum sedis apostolicæ a latere missum Stigandus Cantuariensis ecclesiæ invasor deponitur anno Domini MLXX. tempore Alexandri papæ II.

D*e rebus in hac synodo VVintoniensi gestis Rogerus in suis annalibus hæc ait:* Eodem anno, *millesimo scilicet atque septuagesimo,* concilium magnum in octavis paschæ VVintoniæ celebratum est, jubente & præsente rege VVilielmo, Alexandro papa consentiente, & per suos legatos Hermenfredum Sedunensem episcopum, & presbyteros Ioannem & Petrum cardinales sedis apostolicæ, suam autoritatem exhibente. In quo concilio Stigandus Doroberniæ archiepiscopus degradatur tribus de causis, scilicet quod episcopatum VVintoniensem cum archiepiscopatu injuste possidebat: & quod vivente Roberto archiepiscopo, non solum archiepiscopatum sumpsit, sed etiam ejus pallio, quod Cantuariæ remansit, dum vi & injuste ab Anglia pulsus est, in missarum celebratione aliquamdiu usus est: & a Benedicto, quem sancta Romana ecclesia excommunicavit, eo quod pecunia sedem apostolicam invasit, pallium accepit. Frater quoque ejus Agelmarus Estanglorum episcopus, est degradatus. Abbates etiam nonnulli ibi degradati sunt, operam dante rege, ut quamplures ex Anglis, suis honoribus privarentur, in quorum loco suæ gentis personas subrogaret, ob confirmationem scilicet sui, quod noviter acquisierat, regni. Hinc & nonnullos tam episcopos quam abbates, quos nulla evidenti causa nec concilia nec leges sæculi damnabant, suis honoribus privavit, & usque ad finem vitæ custodiæ mancipatos detinuit: suspicione, ut diximus, tantum inductus novi regni. In hoc itaque concilio dum cæteri trepidi, utpote regis agnoscentes animum, ne suis dignitatibus privarentur, timerent, venerandus vir VVlstanus VVigorniensis episcopus, possessiones quamplures sui episcopatus, ab Aldredo archiepiscopo, dum a VVigorniensi ecclesia ad Eboracensem transferretur, sua potentia retentas, quæ tunc eo defuncto in potestatem regiam devenerant, constanter proclamabat, expectabatque justitiam fieri tam ab ipsis qui concilio præerant, quam a rege flagitabat. At Eboracensis ecclesia non habens pastorem, qui pro ea loqueretur, muta erat. Iudicatum est igitur ut ipsa querela sic remaneret, quousque archiepiscopo ibi constituto, qui ecclesiam defenderet dum esset qui ejus querelæ responderet, ex objectis & responsis posset evidentius ac justius judicium fieri. Sicque tunc ea querela ad tempus remansit. *Hactenus Rogerus. Addit hic Binius, quæ narrat Matthæus idem de synodo VVindleshorensi. Sed cum sit alia omnino synodus, placet eam proprio titulo subjicere.*

G. C. Stigandum in concilio VVindleshorensi dejectum ait Ordericus Vitalis libro IV. qui quamquam in designando synodi loco errarit, juvat tamen hic describere quæ de synodali Stigandi depositione narrat.

"* Rex, *inquit*, & cardinales concilio præsederunt: & illic Stigandum pridem reprobatum anathemate deposue-

ANNO CHRISTI 1070.

deposuerunt. Perjuriis enim & homicidiis inquinatus erat, nec per ostium in archipræsulatum introierat. Nam a duobus episcopiis Norfulcano, & Guentano, nefanda gradatione ambitionis & & supplantationis ascenderat. Suffraganei quoque aliquot dejecti sunt, indigni pontificatu propter criminosam vitam, & curæ pastoralis inscitiam. Constituti sunt autem nominandi præsules, Normanni duo regii Capellani, Guaschelinus Guentanorum, & Thomas Eboracorum: unus in loco depositi, alter defuncti.

ANNO CHRISTI 1070.

**CONCILIVM VVINDLESHORENSE, in quo per eumdem sedis apostolicæ legatum, episcopus unus & aliquot abbates depositi. Anno MLXX. fer. II. post pentecosten.

B

POST *VVintoniensem synodum, cardinales legati ab Anglia discesserunt, Romam reversuri, relinquentes illic Hermenfredum episcopum Sedunensem, qui paulo post, aliis urgentibus causis, aliam synodum habuit, de qua dicere sic pergit Rogerus:* Die autem pentecostes, rex apud VVindleshoram venerando Baiocensi canonico Thomæ, Eboracensis ecclesiæ archiepiscopatum; & Valcelino capellano suo, VVintomensis ecclesiæ præsulatum dedit. Cujus jussu mox in crastino prædictus Sedunensis episcopus Hermenfredus synodum tenuit, Ioanne & Petro cardinalibus præfatis Romam reversis. In qua synodo Agelricus Suthsaxonum pontifex non canonice degradabatur, quem rex sine culpa mox apud Mearlesberge in custodiam posuit: abbates etiam quamplures sunt depositi. Quibus depositis, rex suis capellanis Alfracto orientalium Anglorum præsulatum, & Stigando Suthsaxonum dedit episcopatum: nonnullis etiam Northmānicis monachis abbatias dedit.

C

* lib. IV. ** cap. VI.

G.C Quæ Rogerus synodis duobus, VVintoniensi, & VVindleshorensi, tribuit: ea Ordericus* & autor* vitæ Lanfranci in VVindleshorensem unam conferunt: quasi nulla omnino VVintoniensis synodus fuisset. In eo quoque a Rogero differunt, quod Anglus hic injuste depositos episcopos & abbates significet, a rege scilicet Guillelmo, qui Normannos suos iis substituere volebat: illi, ut pote Normanni, merito id factum asserant.

ANNO CHRISTI 1070.

** CONCILIVM LONDINENSE, Lanfranci archiepiscopi Cantuariensis, in quo episcopatus quidam ab oppidulis ad urbes translati: & VVulstanus ob imperitiam VVigorniensi episcopatu tantum non privatus anno Domini MLXX.

EO tempore, autore Lanfranco, habitum est Londini, antistitum, reliquorumque sacerdotum concilium: in quo decretum est, ut aliquot sedes episcopales, quæ in oppidulis ac pagis antea fuerant, in urbibus & locis celeberrimis collocarentur. Quo factum est, ut Bathonia, Lincolnia, Sarisberia, Exonia, Cestria, atque Cicestria, urbes, hujusmodi novo episcoporum domicilio nobilitatæ sint. Id quod infra perappositus magis perspicue indicabit locus. Adfuit in concilio VVlstanus VVigorniensis episcopus, vir etsi litterarum nesciens, sanctitate tamen vitæ multo clarissimus. Hunc Lanfrancus ut hominem imperitum, & ob id, quemadmodum prædicabat, minime ea dignitate dignum, privavit. Quanquam illud, ut vulgo ferebatur, non ea in primis de causa fecerat quia rudis ingenii esset: sed ut potius in locum ejus, voluntate principis, homo Normannus surrogaretur: quod Deus non permisit. Porro VVlstanus coactus indumenta pontificalia deponere, divino animi ardore repente

A

inflammatus, regi, inquit: Melior te, his me ornavit, cui & reddam. Atque deinde ad sepulcrum divi Eduardi, cujus beneficio episcopus factus fuerat, profectus, & vestitu insigni se exuens: baculum ita alte in lapide monumenti infixit, uti nulla vi extrahi posset. Quo miraculo rex & Lanfrancus territi, magnopere virum sanctum orarunt, ut sumptis indumentis insignibus suo poti retur honore. Quorum tamen injuriam VVlstani singularis sanctitas plurimum infamavit.

ANNO CHRISTI 1071.

** CONCILIVM PEDREDANVM in Anglia, anno Christi MLXXI. habitum.

LANFRANCUS Thomam Eboracensem consecravit episcopum: quo consecrato, reverendi VVlstani VVigornensis episcopi mota est iterum querela*: & in concilio, in loco qui vocatur Pedreda, celebrato, coram rege & Doroberniæ archiepiscopo, & primatibus totius Angliæ, Dei gratia adminiculante, est terminata.

* *de qua supra in concilio VVintoniensi anno 1070.*

ANNO CHRISTI 1071.

CONCILIVM MOGVNTINVM II. in causa Caroli Constantiensis episcopi, quem clerici ejusdem ecclesiæ, ob crimen simoniæ & sacrilegii, sede deponi urgebant, celebratum anno Domini MLXXI. tempore Alexandri papæ II.

POST *obitum Rumoldi Constantiensis episcopi, Carolus Magdeburgensis canonicus successit. Qui cum processu temporis pro suo libitu magis quam ex ratione rem gereret,* indignantes clerici, *inquit Lambertus,* a communione ejus se abstinere cœperunt, propter simoniacam hæresim, per quam episcopatum usurpasse dicebatur: id quoque ei crimini dantes, quod plerosque ecclesiæ thesauros furtive abstulisset. Qua accusatione Romam perlata, Romanus pontifex mandata direxit Moguntino archiepiscopo, ne ullo modo ab eo consecraretur, donec in sui præsentia causa diligentius ventilaretur.

Et sub hoc anno idem autor inferius de prosecutione causæ: Carolus, cui rex Constantiensem episcopatum dederat, assiduis proclamationibus pro ordinatione sua sedem apostolicam appellabat: e contra fratres Constantienses obstinata contentione obluctabantur, ne contra canonum instituta is, qui præter simoniacam hæresim furti quoque insimulatus fuerat, sibi episcopus ordinaretur. Papa, cum ei molesti essent, cognitionem causæ a se ad archiepiscopum Moguntinum rejecit: jussitque ut utrisque vocatis ad synodum, rem diligentissime ventilaret: & si crimina quæ objiciebantur refellere non posset, nulla eum ratione consecraret. Hac de causa synodum archiepiscopus Moguntiæ indixit in mensem Augustum. Rex concertationem hanc iniquo valde animo ferebat propter amicitiam Caroli, & plurima servitia, quibus etiam in re familiari plerumque sibi commodissime adfuerat: & idcirco munera sua rata ei manere cupidissime volebat. Vnde Moguntino archiepiscopo graviter succensebat, quod non statim eum, contemptis obstrepentium fratrum simultatibus, ordinasset. Sed ille immobilis persistebat in sententia: illud præ se ferens, quam terribiliter anno superiore a papa pro simili causa objurgatus fuisset, & quam vix & ægre sine damno gradus sui evasisset, & quod postea recentibus litteris sedis apostolicæ, ne sine diligentissima discussione manus illi imponeret, commonitus fuisset. Itaque instantibus jam Kalendis Augusti, rex Moguntiam properabat, cupiens ipse in discussione tanti negotii cum archiepiscopo cognitor assidere.

D

E

ANNO CHRISTI 1071.

Et inferius enarrato obitu Leopoldi regis cariſſimi, quem eo in itinere mori contigit, pergit cœptam hiſtoriam verbis iſtis: Rex magnifice ac regaliter curato funere, Moguntiam, ſicut inſtituerat properavit. Cumque ſtatuta die in ſynodo cum epiſcopis aſſediſſet: aderat Carolus, aderant & fratres Conſtantienſes, magnam ei molem criminum objectantes. Contra quos rex, quantum ſalva verecundia poterat, dedita opera nitebatur, & modo objecta purgare, modo pondus objectorum, quæ non poterat purgare, callidis ſermonibus nitebatur attenuare, plerumque etiam inſtantium & perurgentium procacitatem verbis durioribus corripiebat, ac frontis impudentiam, oppoſita autoritatis ſuæ majeſtate refringere tentabat. Primum & ſecundum diem in hoc negotio inſumpſit. Cumque accuſatorum conſtantiam nec veritate reſponſionis, nec arte dictionis eludere poſſet: ad ultimum probatis quæ objecta fuerant criminibus, baculum epiſcopalem ab eo recepit: verbis tamen exquiſitiſſimis mœſtitiam ejus conſolabatur, promittens quod, dum primum ſibi opportunum fieret, benigna vice hanc calamitatem ei compenſaret.

Et inferius eodem anno in fine: Carolus, quem ab epiſcopatu Conſtantienſi dejectum ſupra diximus, regreſſus ad Magdeburgenſem diœceſim, VI. Kal. Ianuarii obiit. *Hunc finem accepit homo cupidiſſimus gloriæ, qui cum malis artibus eam aſſequi conatus eſſet, meſſuit loco gloriæ ignominiam, ſimulque mortem ex mœrore cor exedente percepit.*

G. C. Hæc Binius ex Lamberti Schafnaburgenſis chronico. Nunc ſynodi acta ſubjicio: ac prius Sigefridi ad ſummum pontificem litteras de hoc negotio.

"**SIGEFRIDI EPISC. MOGVNTINI *epiſtola ad Alexandrum II.*

De Carolo Conſtantienſi epiſcopo deſignato.

Apoſtolico ſacerdoti, & univerſali papæ, Sigifridus Moguntinæ ſpeculator eccleſiæ, debitam, ut patri reverentiam, & promptam, ut tanto paſtori, obedientiam.

ALTISSIMVS ille deorum deus, qui cæleſtis militiæ ordines ita diſpoſuit, ut alter alteri præemineat, & ad obſequium conditoris minor dignitas majori pareat: ipſe in eccleſia ſua ita diſtinxit cælos opera digitorum ſuorum, ut ſicut ſtella ab ſtella differt in claritate, ita alter alterum præcedat excellentiæ dignitate. Hanc autem graduum & officiorum diverſitatem, ita ad unam reducit concordiam unitas caritatis, ut ſicut in ſanctis angelis, ita & hic non ſit invidia imparis claritatis. Quia ergo idem altiſſimus vos, mi reverende pater, conſtituit in hac arce prælationis, ut vice illius magni Petri ſitis caput totius eccleſiaſticæ dignitatis: ſe vobis omnis inferior ordo ſubmittit, merito omnis membrorum articulata contextio vobis ut capiti obedit, juxta quod præcipit vas electionis: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Rom. 13.

Ad hanc ergo formam cum vobis exhiberem debitæ ſubjectionis obedientiam, multis ſane injuriis affectus ſum, multa vobis indigna, & mihi intolerabilia paſſus ſum. Namque mihi Romæ poſito, viva voce, & poſtea apoſtolica legatione, interdixiſti, ne eum, qui deſignatus eſt in Conſtantienſem epiſcopum, ullo modo conſecrarem: quia audiſtis elogio ſimoniacæ hæreſeos eum notabilem. In quo, quia vobis obedivi, multa, ut præmiſſum eſt, a domino meo ſuſtinui: timeoque me adhuc graviora paſſurum, & eccleſiæ meæ magnum fore detrimentum, niſi benignus ille Petrus clave ſua me defendat, & veſtræ autoritatis poteſtas adverſus regiam poteſtatem zelo juſtitiæ me protegendo ſe accingat.

Accepi autem litteras veſtræ ſanctitatis, in quibus continebatur, ut ex præcepto veſtro Colonienſem archiepiſcopum invitarem; & convocatis fratribus concilium celebrarem, in quo ejuſdem deſignati epiſcopi cauſa juxta veritatem diſcuteretur: ut, aut reus criminis, quo inſimulatur, a dignitate rejiceretur; aut innocens, canonice conſecraretur. In hoc etiam parui veſtræ autoritati, invitatis prædicto archiepiſcopo & fratribus, locum & diem præſcripſi: ſed concilium celebrandum perturbavit indictio regiæ poteſtatis, cogens me, & alios regni principes, in militiam ſuæ expeditionis. In qua re, obſecro ut ſanctitas veſtra obſequium meum habeat excuſatum: & niſi impedirer, impleſſem præceptum veſtrum.

Præterea relatum eſt nobis, quia regia legatio eumdem deſignatum epiſcopum ad vos diſcutiendum, conſecrandumque deducat. In qua re, quid æquitatis & juſtitiæ ſit, diſcretionis veſtræ libra recte dijudicet. Rogo autem excellentiam veſtræ paternitatis, quod ſi ita verum eſt, ne ipſe hoc a vobis accipiat, quod mihi, qui hoc canonice facere debeo, autoritas veſtra interdixerat. Quia ſi ita fiet, inde magis videbor peccaſſe principi meo, quod plus odio conſecrare eum noluerim, quam juſta cauſa, vel præcepto veſtro. Si ergo a vobis diſcuſſus, innocens fuerit inventus: remittite eum mihi & fratribus meis conſecrandum, ut, ſicut oportet, a nobis canonice accipiat oleum conſecrationis. Hoc autem in fronte, & in calce noſtra teneat epiſtola, quod non eſt homo vivens, qui promptior ſit me ad omnia veſtræ juſſionis obſequia. Qui vos prævenit in benedictionibus dulcedinis, ponat ſuper caput veſtrum coronam æternæ beatitudinis.

G. C. Quid reſponſi dederit Alexander ex eventu & actis ipſis concilii diſcimus: juſſiſſe nimirum, ut congregaretur Moguntina ſynodus, quæ de Caroli cauſa judicium ferret. Hujus acta nunc ſubjicio, qualia Tegnagellus edidit.

"**ACTA CONCILII MOGVNTINI, ANNO MLXXI.

ANNO CHRISTI 1071.

IMPERANTE ſuper omnia æternaliter regum rege domino noſtro Ieſu Chriſto, & ſub eo regnante temporaliter ſereniſſimo Heinrico rege hujus nominis quarto: venerabili quoque Sigefrido, Moguntinæ eccleſiæ primate, & apoſtolicæ ſedis legato, aurigante currum Dei anno jam XII. qui tunc voluebatur annus incarnati verbi MLXXI. octava *indictione Romani cenſus: celebrata eſt ſancta ſynodus apud Moguntiam metropolim orientalis Franciæ, principalem vero pontificii ſedem totius Germaniæ & Galliæ Ciſalpinæ, cui præſedit idem memorabilis Sigefridus, aſſidentibus & cooperantibus ſibi venerabilibus archiepiſcopis Gebehardo Iuvavenſi, & Vdone Treverenſi: confidentibus vero, & collaborantibus reverendis epiſcopis Adelberone VVirſburgenſi, Gundecharo Eiſtetenſi, Embrichone Auguſtenſi, Herimanno Babergenſi, VVerenhero Argentinenſi, Heinrico Spirenſi, Bennone Oſnaburgenſi, Ermenfrido Sedunenſi, Heriberto Mutinenſi: confidentibus vero & annitentibus ſanctiſſimis abbatibus, necnon inferiorum ordinum quamplurimis magnæ autoritatis

*Cor. VIII.

ANNO CHRISTI 1071.

autoritatis & sapientiæ viris. Aderant autem etiam legati reliquorum fratrum, videlicet suffraganeorum ejusdem metropolitani antistitis, epistolas & mandata ferentes, quibus excusati haberentur, quod invitati concilio interesse non possent, certis quibusdam impedientibus causis: alii quidem corporeæ infirmitatis urgente molestia, alii in quibusdam regni negotiis regiæ jussionis detinente potentia. Qui dum canonice sunt excusati, ipsi legati, competenti loco & ordine eorum funguntur unusquisque vice antistitis sui.

Hæc denique sancta synodus, cum propter multa pastoralis curæ negotia, pluresque causas quibus juste adhibenda erat ecclesiasticæ correctionis censura: tum maxime indicta & habita est propter Karolum quemdam, qui Constantiensis ecclesiæ designatus erat episcopus; sed, ut post rei exitus docuit, non satis canonice electus & provectus. Hic, ut solenne est, accepta a rege pontificalis annuli & pastoralis ferulæ investitura, & in sede episcopi receptus, regiæ potestatis jubente censura: postulabat a primate Moguntiensi, ejusdem Constantiensis ecclesiæ se episcopum consecrari. Sed venerabilis Sigefridus, columbino oculo, serpentinæ prudentiæ omnem præcavens impietatem, dicebat, hoc apostolicæ benedictionis sacramentum non debere, nec canonice posse in eo sine examinatione celebrari: pro eo quod fidelium, graviumque personarum relatione didicerit, quin immo & fama usquequaque vulgaverit, quod non per ostium in ovile ovium vellet intrare, sed per furtivam Simoniacæ impietatis scalam aliunde niteretur ascendere: se quoque talis introitus ejus nolle ostiarium fieri, cui Christus ipse, qui ostium est, videtur obniti: quin ipsam impietatis scalam in lapide offensionis, & petra scandali se velle conterere, ipsumque a mercenaria Dominici gregis occupatione longe lateque repellere. Ille e contra, se hujus criminis & hæreticæ impietatis immunem multis argumentis asserere nitebatur: seque, si ei copia tempusque detur, ejus infamiæ notam a se propellere velle testatur: indeque petit synodalis concilii audientiam, in qua super hac re suam probare possit innocentiam: ibique consecrationem, quam petebat, aut canonice sibi dari, aut canonice negari.

Mittuntur interea ad venerabilem metropolitanum crebræ de palatio legationes, mistis precibus minas & imperiosa de hac consecratione mandata ferentes. Mittuntur & litteræ a præsule apostolicæ sedis, mandantes ne ullo modo consecretur sine scrutinio canonicæ purgationis: & quod rex potestate jubebat, Romanus pontifex autoritate prohibebat. Accedunt & canonici Constantiensis ecclesiæ ex communi totius cleri & populi legatione, unanimiter asserentes, Karolum nulla ratione consecrari debere: quia ex quo eum inviti, & sub conditione elegerunt, & receperunt, nullam eis pastoralis officii impendisset curam: quin potius tyrannicæ dominationis non cessasset super eos exercere pressuram, nec manum continuisset a sacris, nec pepercisset in diripiendis ecclesiæ thesauris, & quodcumque rapaci violentia corradere potuisset, hoc totum ministris magni, immo magi illius Simonis, id est, fautoribus distribuisset: ut quorum annisu adulterinam meruisset electionem, eorum venali mercimonio consequeretur mercenaria, pro consecratione execrationem, pro benedictione maledictionem.

At metropolitanus antistes inter harum legationum varietates, velut inter duros tempestatum turbines, laudabili constantia in se ipso fixus, hæret immobilis: & nusquam favore vel gratia, tenore vel munere, inflectitur a statu canonicæ rectitudinis. Multis itaque nunciis hinc inde missis & remissis; multis quoque diebus huic audientiæ delegatis, & cognitiores * causæ, principis occupante præcepto, non impletis: cum ecclesia Constantiensis suo viduata pastore, jam fere biennio sacerdotali careret benedictione: tandem miseratione divina, potestati præponderavit autoritas, & Christi sacerdotibus divina aspiravit voluntas. Unde eorum communi assensu, synodalis concilii certa legitimaque dies denunciatur, & coepiscoporum unanimitas ad concilium invitatur: quorum alii, ut oportebat, sine dilatione affuerunt; alii vero, qui certa de causa adesse non poterant, canonice excusati subparem præsentiam vicaria legatione suppleverunt.

* cognitionibus

CONCILII DIES I.

Primo igitur concilii die, quem sanctæ Mariæ dormitio tunc celeberrimum exhibebat, cum spiritualis curiæ senatores, patrocinante Spiritu sancto, intra regiam majoris ecclesiæ, ante cancellos altaris protomartyris Stephani, quod in orientali abside confectum est, convenissent in unum: primo, ut par erat, sanctæ individuæ Trinitati debitas referunt gratiarum actiones, & pro incolumi totius ecclesiæ statu supplices Deo offerunt preces. Deinde post solitam fratrum salutationem, & debitam sedium recognitionem, juxta authenticam paternæ traditionis synodum, conferunt ad invicem de veritate catholicæ fidei, damnantes Simonem & omnes hæresiarchas cum dogmatibus suis, & sequacibus suis: pauca pro tempore tractant de qualitate instantis negotii: ac sic demum propter celebranda tantæ solennitatis officia, solvunt concilium, crastino maturius redituri in id ipsum.

CONCILII DIES II.

Postero vero die, certa concilii hora, cum iterum apostolici sacerdotes in unum convenissent, & præmissis Deo laudibus & precibus, &* salutari sede consedissent: quod cuique sacerdoti in sua diœcesi venit in dubium, rationabili disciplina deducunt ad medium; & prout res postulabat, unumquodque tractatum, aut terminatum est synodali judicio.

Illud vero quod maxime in causa fuit, de Constantiensi * apposito inter fratres studiose ventilatur. Sed interveniente principis mandato, in sequentem diem procrastinatur, agentibus internunciis, ut sacerdotes domini a constantiæ suæ rigore ad regiam se inflecterent voluntatem: aliis instantibus, ut designatus ille, male usurpatum sponte dimitteret honorem.

CONCILII DIES III.

Tertia vero die, Christi sacerdotes, hujus negotii longa expectatione suspensi, & libera quadam indignatione, immo zelo justitiæ accensi, sacerdotali constantia principem suum adeunt, eumque de salute animæ suæ, de pace ecclesiarum, deque statu regi * spirituali disciplina conveniunt, proponentes ei de scripturis & gestis veteris ac novi testamenti congrua doctrinæ salutaris exempla, quibus animus ejus adhuc cereus & indocilis formaretur ad similia: dicentes & docentes solium regni ejus nullatenus posse stabiliri, nisi firmetur justitia & observatione mandatorum Dei.

* regni

Summus autem ille dominorum dominus, qui omni potentatui dominatur, ita temperavit animum principis, ita mitigavit eum ad ver-

ANNO CHRISTI 1071.

ad verba sanctæ exhortationis, ut nulla juvenili moveretur acerbitate; & quod in potestatibus difficile est, nulla sacerdotes insolenti læderet responsione: multum tamen se excusans, in hoc suæ potestatis dono nullam se exercuisse venalitatem, nullam super hac re cum eodem Karolo se pepigisse conventionem. Si quid autem cum domesticis & familiaribus suis, propter opem intercessionis, ipso ignorante, pepigerit: suum non esse accusare, vel excusare. Hoc ipse viderit. De dextera vero sua, qua illi propter antiquam in præpositura benevolentiam, gratiæ suæ donum porrexit, omnem avaritiæ suæ labem dixit se excutere: & quod ipse simpliciter fecit, si ille veneno alicujus malitiæ corruperit, se ob id divinæ justitiæ nolle contraire.

Hac autem salubri sermocinatione cum sacerdotibus habita, cum eis venit in concilium: & ille Constantiensis designatus intromittitur ad audiendum. Adsunt etiam pro foribus Constantienses clerici, postulantes per legatos, ut & ipsi mererentur admitti. Tunc vero videres lætissima sanctæ ecclesiæ gaudia, & vera mundi convenisse luminaria: quando circumfulgebat nobilis corona sacrorum ordinum, vivis gemmata lapidibus Christi sacerdotum, velut fulgoribus micantium astrorum. Tunc cæli narrabant gloriam Dei, & verbum eructabat dies diei, quando sacerdos sacerdoti sententiam justitiæ exponebat, & sanctam ecclesiam salutaris eorum doctrina instruebat. Tunc vasa electionis supereffluebant ambrosium liquorem sancti Spiritus, & justi fulgebant sicut splendor firmamenti: quando sacerdotes Domini verba sapientiæ, velut nubes, pluebant; & corda audientium, velut terram fructiferam, ad germinandum infundebant.

His ergo ita dispositis, & digito Dei ordinante, distinctis: utrique admittuntur, prædictus scilicet Karolus, & hi qui accusationibus pulsabant personam. Prima actione, regularis prælatus Constantiensis ecclesiæ protulit libellum accusationis, in quo continebantur causæ, quibus indignus haberetur sacramento apostolicæ benedictionis. Quarum prima & maxima erat, quod exemplo magistri sui Simonis pestiferi, per pecuniam invasisset sedem. Cætera omnia quæ ibi legebantur, proclamabant violentam ejusdem ecclesiæ devastationem. Ille idem prælatus & fratres ejus, qui aderant, item offerunt suæ testificationis libellos: in quibus singuli nomen & officium suum designantes, quidquid accusando, vel testificando proposuerant, asserunt se canonice probaturos.

Karolus e contra nititur improbare personas, dicens, quod ejus infamiæ nota essent respersi, quod nec se, nec quemquam alium possent canonice accusare. Adjungit quoque se omnia objecta synodali judicio purgaturum: & in omnibus, quibus eum impetebant, se esse innoxium. Longa igitur altercatione hinc inde disceptatum est, & multis tota die in adversum nitentibus, usque in profundam noctem concilium pertractum est. Dum inter multos ambigitur de numero accusatorum & testium, dum longa deliberatione quæritur judicium, utrum isti liceat se excusare adversus accusationem istorum, dum res inter fratres diutissime differtur: concilium propter intempestam noctem adhuc sine operæprecio dirimitur.

Quid autem ipse Carolus secum illa nocte egerit, quibus retractationum verberibus ream conscientiam flagellaverit, sequens utique dies declaravit. Nam ut ex ipso effectu gestæ rei probari potest, vere credimus, quod Deus conscientiæ judex & testis in corde suo sederit pro tribunali, & cum eo exercuerit censuram judicii sui: ubi peccati conscientia cogitationum, accusantium non excusantium testimonio, ne veritati & æquitati resisteret, damnata est & constricta.

CONCILII DIES IV.

In crastinum namque quando sperabamus, qui juxta promissum suum objecta purgaret, & consecratione dignum, innocentiam suam monstrando, se probaret: ille jam mente confusus, non ultra ferens aspectum concilii: & interius judicatus, non extra sustinens pondus imminentis judicii: ultroneus ipse in se sententiam tulit, & anulum & ferulam pastoralem, ei, a quo injuste acceperat, resignans, sacerdotum spem, & metum quem pro eo habebant, labore longioris quæstionis absolvit: culpam suam uno tegens pallio excusationis, quod juxta decretalia Cælestini papæ, episcopus dari nollet invitis.

Videntes autem sanctissimi sacerdotes magnalia, quæ fecit Dominus, & fideli admiratione retractantes, quam incomprehensibilia sint judicia ejus, & investigabiles viæ ejus: corde & ore, & omnimoda devotione benedicunt Deo altissimo, qui longos eorum labores tam inopino terminavit compendio: orantes & deprecantes, ut de regno suo eliminet omnem apostasiam, & omnia scandala, nec ultra satanam ejusque apostolos in sua sancta regnare sinat ecclesia; sed in omnibus consiliis & operibus eorum, dignetur servos suos consolari, & clementer implere, quod ecclesiæ suæ se promisit affuturum *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. 28.

Communi autem decreto præcipiunt, quæ in hac synodo gesta sunt, ecclesiasticis inseri gestis, & in archivis sanctæ Moguntinæ ecclesiæ servari ad perpetuam memoriam & eruditionem venturæ posteritatis: ut hoc majorum exemplo minores instructi, non timeant resistere, si in hujusmodi negotio se viderint prægravari: certissime scientes, nullo modo gratiam Spiritus sancti fidelibus defuturam, si in sanctitate & justitia restiterint injustitiæ usque ad perseverantiæ coronam.

Decernunt præterea ex antiqua patrum traditione & authentica priscorum conciliorum rectitudine, ut hæc omnia Romano pontifici seriatim litteris inserta nuncientur: ut cujus mandato & hortatu cœpta & perfecta sunt, ejus apostolica autoritate roborata firmentur; & omnipotenti Deo, qui omnium bonorum autor est, Romæ & Moguntiæ, & ubicumque terrarum hæc lecta vel audita fuerint, debitæ gratiarum actiones fideli devotione solvantur.

Acta sunt autem hæc apud Moguntiam metropolim Orientalis Franciæ, anno ab incarnatione Domini MLXXI. Indictione VIII*. XVIII. Septemb. * cor. VIIII
Regnante serenissimo Henrico rege hujus nominis IV. anno regni ejus XIII*. Ordinationis vero * cor. XVI.
ejusdem XVII*. Apud Moguntiam vero præsulan- * cor. XVII
te reverendissimo primate Sifrido, anno ordinationis ejus XII. Super omnia autem regnante Domino nostro Iesu Christo, cui non accedit cras futurum, nec recedit heri præteritum, sed permanet sempiternum hodie, & in sæcula sæculorum. Amen.

CONCI-

ANNO CHRISTI 1072.

CONCILIVM ANGLICANVM, in causa primatus Cantuariensis super Eboracensem celebratum, anno domini MLXXII. tempore Alexandri papæ II.

Ex libro I. VVilielmi Malmesburiensis, de gestis pontificum Anglorum: & ex alia editione horum actorum, quæ extat in vita Lanfranci cap. XI.

ANNO ab incarnatione domini nostri Iesu Christi millesimo septuagesimo secundo, regni vero VVilielmi gloriosi regis Anglorum & ducis Northmannorum sexto, pontificatus autem domini Alexandri papæ undecimo. Ex præcepto ejusdem Alexandri papæ, annuente eodem rege, in præsentia ipsius, & episcoporum atque abbatum, ventilata est causa de primatu, quem Lanfrancus Dorobernensis archiepiscopus super Eboracensem ecclesiam jure suæ ecclesiæ proclamabat: & de ordinationibus quorumdam episcoporum, de quibus, ad quem specialiter pertinerent, certum minime constabat. Et tandem aliquando diversis diversarum causarum autoritatibus probatum atque ostensum est, quod Eboracensis ecclesia Cantuariensi ecclesiæ debeat subjacere, ejusque archiepiscopi, ut primatis totius Britanniæ dispositionibus, in iis quæ ad Christianam religionem pertinent, in omnibus obedire. Subjectionem vero Dunelmensis hoc est Lindisfarnensis episcopi, & omnium regionum a terminis Licefeldensis episcopii, & Humbræ magni fluvii, usque ad extremos fines Scotiæ, & quidquid ex hac parte prædicti fluminis ad parochiam Eboracensis ecclesiæ jure competit, Cantuariensis metropolitanus Eboracensi archiepiscopo, ejusque successoribus in perpetuum obtinere concessit. Ita ut si Cantuariensis archiepiscopus concilium cogere voluerit, ubicumque ei visum fuerit, Eboracensis archiepiscopus sui præsentiam cum omnibus sibi subjectis episcopis ad nutum ejus exhibeat, & ejus canonicis dispositionibus obediens existat.

Quod autem Eboracensis archiepiscopus professionem archiepiscopo Cantuariensi facere etiam cum sacramento debeat, Lanfrancus Dorobernensis archiepiscopus ex antiqua antecessorum consuetudine ostendit: sed ob amorem regis, Thomæ archiepiscopo Eboracensi sacramentum relaxavit, scriptamque tantum professionem recepit, non præjudicans successoribus suis, qui sacramentum cum professione a successoribus Thomæ exigere voluerint. Si archiepiscopus Cantuariensis vitam finierit, Eboracensis archiepiscopus Dorobberniam veniet, & eum qui electus fuerit, cum cæteris præfatæ ecclesiæ episcopis, ut primatem proprium jure consecrabit. Quod si archiepiscopus Eboracensis obierit, is qui ei successurus eligitur, accepto a rege archiepiscopatus dono, Cantuariam, vel ubi Cantuariensi archiepiscopo visum fuerit, accedet, & ab ipso ordinationem canonico more suscipiet.

Huic constitutioni consenserunt præfatus rex & archiepiscopi. Ventilata est autem hæc causa, prius apud VVentanam civitatem in paschali solemnitate, in capella regia, quæ sita est in castello: postea in villa regia, quæ vocatur VVindlesor, ubi & finem accepit in præsentia regis, episcoporum, abbatum diversorum ordinum, qui congregati erant apud curiam, in festivitate pentecostes.

† Signum VVilielmi regis. † Signum Matildis reginæ.

Ego Hubertus S. Romanæ ecclesiæ lector, & domini Alexandri papæ legatus, subscripsi.

Ego Lanfrancus Dorobernensis archiepiscopus, subscripsi.

Ego VVilielmus Londoniensis episcopus consensi.

Ego Hermannus Siraburnensis episcopus subscripsi.

Ego VVulstanus VVigornensis episcopus subscripsi.

Ego VValterus Herefordensis episcopus consensi.

Ego Giso VVellensis episcopus consensi.

Ego Remigius Dorcacensis episcopus subscripsi.

Ego VValchelinus VVentanus episcopus subscripsi.

Ego Herfastus Helmeanensis episcopus subscripsi.

Ego Stigandus Cicestrensis episcopus consensi.

Ego Sivvardus Hrofensis episcopus consensi.

Ego Osbernus Exoniensis episcopus consensi.

Ego Odo Bajocensis episcopus & comes Cantiæ consensi.

Ego Gosfridus Constantiensis episcopus, & unus de primatibus Anglorum, consensi.

Ego Scollandus abbas cœnobii sancti Augustini consensi.

Ego Elsvvinus abbas cœnobii, quod Ramesei dicitur, consensi.

Ego Elnodus Glestoniensis abbas consensi.

Ego Thurstanus abbas cœnobii, quod Certesei dicitur, consensi.

Ego Elvvinus abbas cœnobii Hevesandi consensi.

Ego Fredericus abbas cœnobii sancti Albani consensi.

Ego Goisfridus abbas cœnobii sancti Petri, quod non longe a Londonia situm est, consensi.

Ego Baldvvinus abbas cœnobi sancti Eadmundi consensi.

Ego Toroldus abbas de Burgo consensi.

Ego Adelelmus abbas Abbendonæ consensi.

Ego Rualodus abbas Novi monasterii VVentoniæ, consensi.

Porro idem decretum habetur descriptum inter ejusdem Lanfranci epistolas, ubi in fine ipsius hæc addita leguntur: Huic constitutioni consenserunt præfatus rex, & archiepiscopus Lanfrancus Cantuariensis, Thomas Eboracensis, Hubertus sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconus, & cæteri qui interfuerunt episcopi & abbates. Causa definita, Thomas Eboracensis archiepiscopus professionem hanc quæ sequitur emisit.

« Decet Christianum quemque Christianis legibus subjacere, nec his quæ a patribus salubriter instituta sunt quibuslibet rationibus contraire. Hinc namque iræ, dissensiones, invidiæ, contentiones, cæteraque procedunt, quæ amatores suos in pœnas æternas demergunt: & quanto quis altioris est ordinis, tanto impensius divinis debet obtemperare præceptis. Propterea ego Thomas ordinatus jam Eboracensis ecclesiæ metropolitanus antistes, auditis cognitisque rationibus, absolutam tibi, Lanfrance Dorobernensis archiepiscope, tuisque successoribus, de canonica obedientia professionem facio: & quidquid a te, vel ab eis juste ac canonice injunctum mihi fuerit, servaturum me esse promitto. De hac autem re dum adhuc ordinandus essem, dubius fui, ideoque tibi sine conditione, successoribusque tuis conditionaliter obtemperandum me esse promisi. *Hucusque professio Thomæ Eboracensis.*

ANNO CHRISTI 1072.

Quid præterea in hoc concilio contigerit de sancto VVulstano VVigorniensi episcopo sanctitate vitæ celebri, sed qui morum simplicitate, & litterarum imperitia visus sit suo metropolitano ad regimen episcopatus haud satis idoneus, causam dicere jusso, idem autor sic narrat: Hic sancta simplicitas beati VVlstani VVigorniensis episcopi, immo magnanima in Deo confidentia laudanda, & plausu excipienda est. Cum enim & de hac re, & de parva scientia, litterarum pulsatus foras exisset, ut strictiori consilio responsum comeret suum, a tumultibus remoto animo: Crede mihi, inquit, nondum cantavimus horam sextam. Cantemus ergo. Tunc quoque sociis referentibus, ut prius propter quod venerant expedirent, quod satis superque sufficeret cantibus tempus, regem & proceres, si hæc audirent, risui se haberi opinaturos. Prius, crede mihi, inquit, faciamus Dei servitium, & post agitabimus hominum litigium. Hora igitur cantata, nulla excogitata falsi tergiversatione, nullo commentato viri splendore, confestim aulam concilii ingredi pergebat. Suis eum retinere tentantibus persuaderi non potuit: quin potius timentibus causæ, Pro certo noveritis, ait, me hic visibiliter videre beatos archiepiscopos Dunstanum Cantuariensem, & Osvvaldum Eboracensem, qui hodie suis precibus me tuentes, falsiloquorum acumen hebetabunt. Ita data benedictione monacho minimæ facundiæ viro, sed Northmannicæ linguæ sciolo, rem perorans obtinuit, ut qui suæ diœcesis ante indignus putabatur regimine, ab archiepiscopo Eboracensi suppliciter rogaretur, ut suas dignaretur lustrare partes, quo ipse pro timore hostium vel sermonis ignorantia cavebat accedere. *Hæc ibi.*

Peracta synodo, Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis de his in synodo gestis in causa Thomæ Eboracensis archiepiscopi certiorem fecit Alexandrum Romanum pontificem, his datis ad eum litteris.

LANFRANCI AD ALEXANDRVM II. EPISTOLA.

Domino totius Christianæ religionis summo speculatori Alexandro papæ Lanfrancus, sanctæ Dorobernensis ecclesiæ antistes, debitam cum omni servitute obedientiam.

MEMINISSE debet humiliter excellens excellenterque humilis beatitudo vestra, quia quo tempore apud vos fuimus, Eboracensis ecclesiæ antistes adversum me palam murmuravit, clam detraxit, in præsentia celsitudinis vestræ calumniam suscitavit, dicens me injuste velle agere: eo quod super se, suamque ecclesiam jure " vestræ ecclesiæ primatum niterer obtinere. De quorumdam quoque subjectione episcoporum, quos ecclesiæ suæ conatus est aggregare, antiquam sua querela non est veritus consuetudinem temerare. Quibus de rebus vos, sicut sanctum prudentemque pastorem decuit & oportuit, per scriptum sententiam promulgastis: quatenus conventus Anglicæ terræ episcoporum, abbatum, cæterarumque religiosi ordinis personarum, utriusque partis rationes audiret, discuteret, definiret. Factumque est ita. Convenerunt enim ad regalem curiam apud VVentanam civitatem in paschali solemnitate, episcopi, abbates, cæterique ex sacro ac laicali ordine: quos fide, actione, morumque probitate, par fuerat convenisse. In primis * adunati sunt a nobis ex vestra autoritate per sanctam obedientiam.

" al. nostræ.

* al. adjurati.

Deinde regia potestas per semetipsam contestata est eos per fidem, & sacramentum, quibus sibi colligati erant, quatenus hanc causam intentissime audirent, auditam ad certum rectumque finem sine partium favore perducerent. Vtrumque omnes concorditer susceperunt: seseque ita facturos sub præfata obligatione spoponderunt. Allata est igitur ecclesiastica gentis Anglorum historia, quam Eboracensis ecclesiæ presbyter & Anglorum doctor Beda composuit. Lectæ sententiæ, quibus pace omnium demonstratum est, a tempore beati Augustini, primi Dorobernensis episcopi, usque ad ipsius Bedæ ultimam senectutem, quod fere centum & quadraginta annorum spatio terminatur, antecessores meos super Eboracensem ecclesiam, totamque insulam, quam Britanniam vocant, necnon & Hiberniam, primatum gessisse, curam pastoralem omnibus impendisse, in ipsa Eboracensi urbe persæpe, locisque finitimis, ubi eis visum fuit, episcopales ordinationes atque concilia celebrasse, Eboracenses antistites ad ipsa concilia vocasse, &, cum res poposcisset, de suis eos actibus rationem reddere compulisse. Episcopos quoque, quorum subjectionem in quæstionem adduxerat, infra illud centum & quadraginta annorum spatium, per Dorobernenses archiepiscopos fuisse sacratos, & ad concilia vocatos. Quosdam quoque, exigentibus culpis, ab eis cum Romanæ sedis autoritate depositos. Multaque in hunc modum, quæ epistolaris modestia per singula explicare non potest. Diversa ad legendum porrecta concilia, quæ diversis temporibus diversis de causis a meis sunt antecessoribus celebrata. Quæ tametsi non eandem suæ institutionis habuere materiam, eamdem tamen de primatu & subjectionibus episcoporum tenuere sententiam. Recitatæ eorumdem, de quibus quæstio versabatur, episcoporum ante prædecessores meos factæ electiones, & per eos ordinationes, quæ Dorobernensi ecclesiæ de sua obedientia scriptas reliquerunt professiones. Vrbs namque, quæ nunc Cantuerbia nominatur, antiquis temporibus ab ipsius terræ incolis Dorobernia vocabatur.

Accesserunt omnium testimonia, qui omnia, quæ scripta sonuerunt, se suis quisque temporibus vidisse & audisse constantissime affirmaverunt. Nec defuerunt gesta, quibus referatum est, cum Anglia per plures regulos esset divisa, Nordanhumbrorum regem, ubi sua " est civitas Eboraca, accepto precio cuidam simoniaco episcopatum vendidisse: pro qua culpa a Dorobernensi archiepiscopo ad concilium vocatum fuisse, nolentemque venire pro sua inobedientia excommunicationis sententiam pertulisse. Cujus communionis atque consortii omnis illarum partium ecclesia tamdiu abstinuit, quoadusque concilio se ipsum exhibuit, culpam dixit, quod male gestum est correxit, de reliquo emendaturum se fore spopondit. Quæ res non mediocre tulit indicium, antecessores meos super ipsam terram illamque ecclesiam habuisse primatum.

" al. sita.

Vltimum quasi robur, totiusque causæ firmamentum, prolata sunt antecessorum vestrorum Gregorii, Bonifacii, Honorii, Vitaliani, Sergii, item Gregorii, item ultimi Leonis privilegia atque scripta, quæ Dorobernensis ecclesiæ præsulibus, Anglorum regibus, aliis atque aliis temporibus, variis de causis sunt data, aut transmissa. Reliqua enim reliquorum, tam authentica, quam eorum exemplaria, in ea combustione, atque abolitione, quam ecclesia nostra ante quadriennium perpessa est,

ANNO CHRISTI 1072. est, penitus sunt absumpta. His atque aliis, quæ particulatim breviterque explicari non possunt, ex parte nostræ ecclesiæ *: in causa primatis, contra tantarum autoritatum evidentiam paucissimas contradictiones opposuit; epistolam illam præcipue ferens in medium, qua beatus Gregorius Londoniensem atque Eboracensem ecclesiam pares esse, nec alteram alteri subjacere, instituit. Quam scripturam cum in rem nihil facere concordi sententia cuncti protinus definissent, pro eo quod nec ego Londoniensis episcopus essem, nec de Londoniensi ecclesia esset quæstio instituta: vertit se ad alia egena & infirma argumenta, quæ post paucam moram, Christo revelante, paucis sunt objectionibus abolita. Quem cum rex dulci paternaque reprehensione argueret, quod contra tantam argumentorum copiam tam inops rationum venire præsumpsisset: respondit se antea ignorasse Dorobernensem ecclesiam tot tantisque autoritatibus tamque perspicuis rationibus esse munitam. Versus itaque ad preces est. Rogavit enim regem, ut me rogaret, quatenus omnem mentis rancorem adversus eum pro hac causa conceptum omitterem, pacem diligerem, concordiam facerem; aliqua, quæ mei essent juris, studio ei caritatis concederem. Cui petitioni ego libenter & cum gratiarum actione assensum præbui: quia, miserante Deo, non ego, sed ille, priscæ consuetudinis violator causa erat istius scandali.

* recitatis.

Facta est igitur communi omnium astipulatione de hac re quædam scriptura, cujus exemplaria per principales Anglorum ecclesias distributa, futuris semper temporibus testimonium ferant, ad quem finem causa ista fuerit perducta. Cujus exemplar vobis quoque, quibus sanctam totius mundi ecclesiam constat esse commissam, transmittendum curavi: ut ex hoc atque aliis, quæ transmissa sunt, perspicue cognoscatis, ex more antecessorum, quid mihi Christique ecclesiæ, quam regendam suscepi, concedere debeatis. Quod peto honeste, & sine dilatione per indultum sedis apostolicæ privilegium fieri: quatenus ex hoc quoque quantum me diligatis evidenter possit ostendi.

De me autem revera æstimate, quod de fideli ac servo beati Petri ac vestro sanctæque ecclesiæ Romanæ. Nunquam enim res quælibet de arca mei pectoris ejicere quavis occasione poterit inauditam illam humanitatem, quam mihi extremo hominum, tantis indigno honoribus, Romæ exhibuistis: quodque duo pallia, unum de altari ex more, alterum quo sanctitas vestra missas celebrare consueverat, ad ostendendam circa me benevolentiam vestram, mihi impendistis. Illud quoque, quod omnibus, quorum mediator extiti, quidquid juste ac salubriter petierunt, me interveniente protinus concessistis. Ut taceam alia plura, quæ in hac parte ab his minime discrepant, quæque mihi memoriam vestri nominis, si quid boni facio, dulciter repræsentant. Epistolam, quam Berengario schismatico, dum adhuc Cadomensi cœnobio præessem, transmisi, paternitati vestræ, sicut præcepistis, transmittere curavi. Omnipotens dominus vitam vestram, ad honorem sanctæ ecclesiæ vestris dispositionibus divinitus commissæ, in tempore prolixam faciat: quatenus post tempus, quæ sine tempore sunt, prolixa æternitatis spatia vobis concedat.

** B. LANFRANCI ARCHIEPISC. Cantuariensis epistolæ canonicæ, collectæ ex ejus epistolarum libro.

Lanfranci ad Alexandrum II. epistolam, sequantur ejusdem epistolæ canonicæ omnes, quæ ex ipsius epistolarum libro decerptæ sunt. quæ quidem commodius collocari non poterant, quam post primatum ipsi assertum in concilio Anglicano.

** I. AD THOMAM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM. IX. inter epistolas editas.

De pœnitente triplicis homicidii reo, & commonitoriis ejus episcopi litteris.

Lanfrancus indignus antistes, dilectissimo Eboracensi archiepiscopo Thomæ salutem cum orationibus.

ROBERTUS Sagiensis episcopus hunc pœnitentem ad me misit, & mandavit quod iste miserrimus tres homines montem sancti Michaelis adeuntes tertio pentecostes die invaserit, & interfecerit. Cui ex more pœnitentia injuncta, commonitorias litteras sibi tradidit: ut si quis episcopus pietate motus misericordiam ei vellet impendere, potestatem haberet, quantum vellet, ipsi ignoscere. Hujus itaque rei testis, eum ad vos mitto: quatenus hoc verum esse sciatis, atque animæ ejus, secundum quod visum vobis fuerit, consulatis.

** II. AD THOMAM EBORACENSEM Archiepiscopum. X. inter editas.

De iis, qui uxores fornicationis causa relinquere, & alias ducere volunt, quid sentiendum: & de eo, qui eam, quæ uxor putatur, desponsasse se abnegat.

Dilectissimo fratri & amico, Eboracensis ecclesiæ archiepiscopo Thomæ, frater Lanfrancus perpetuam salutem cum orationibus.

ILLOS quidem, qui corporaliter tantū, & propter terrena lucra se amant, intervalla locorum quo prolixiora sunt, eo a mutuo amore impensius separant. Eos vero quos sincera Christianæ religionis charitas jungit, corporalis absentia, seu quælibet localis intercapedo minime disiungit. Studeamus ergo fraterno invicem amore proficere, pro invicem orare, alterius necessitatem propriam deputare: quatenus in conspectu Dei atque hominum evidenter appareat, quod carnalis zelus, quo animæ uruntur, vindicare in nobis nihil prævaleat.

De his autem, qui uxores desponsatas causa fornicationis relinquere, aliasque sibi conjungere volunt, hoc enim vestra prudentia a me requisivit, dominus Iesus Christus, quid sentiendum sit in evangelio secundum Marcum apertissime dicit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alium duxerit, mœchatur.* Marc. 10. Item secundum Lucam: *Omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, mœchatur.* Luc. 16. Sunt etiam de hac re plurimæ sanctorum patrum autoritates: sed ubi sol lucet, candelam ad proferendum lumen proferri minime oportet. In his verbis dominicis luce clarius liquet, quia vivente viro, vel uxore, extraneam

extraneam copulam quærere, nulli eorum licet. A Eum vero, qui mulierem, quæ uxor putatur, desponsasse se abnegat; aut evidentibus testimoniis, seu quibuslibet claris indiciis, mentiri eum ostendite, aut in præsentiarum, quoad usque res melius clarescat, causam ejus omittite.

XIII. inter editas.

[a]III. AD IOANNEM ROTHOMAGENSEM archiepiscopum.

Occasione litterarum ejus de nonnullis ritibus disserit, ad dedicationem ecclesiarum, & subdiaconorum ordinationem spectantibus.

Domino merito sanctitatis insigniter efferendo Ioanni B Normannorum archiepiscopo Lanfrancus indignus vocari episcopus, bene cœptis meliora connectere.

GRATIAS ago colendæ benignitati vestræ, quia non solum præsens præsentem me indeficienti amore propter Deum dilexistis: verum etiam absens pro absente paternam vos curam gerere salubri admonitione evidenter ostendistis. Absit autem a me, longeque a sensibus meis hunc errorem avertat divina clementia, ut molestum mihi sit, si quis respectu salutis meæ, vitæ æternæ contemplatione, de anima mea sollicitudinem gerat; si ea quæ de actibus meis sibi displicent, pietate motus indicare non differat; si aliter me cor- C rigere non potest, verbis quoque objurgare præsentem, aut litteris increpare absentem non negligat: sed amicus a me potius justus existimabitur, qui in misericordia corripit me, & increpat; hostis autem, peccator, qui oleo pravæ adulationis caput meum aut impinguat, aut impinguare laborat.

Quidquid vero sanctitas vestra de stola scripsit, multum mihi placuit, nec unquam displicuit. Sed quod subjunxit, quia ad dedicandam ecclesiam episcopus processurus, sacris vestibus, ex institutione episcopalis ordinis, debeat esse indutus, atque in expositione ipsarum sacrarum vestium casulam posuit, valde stupui: quia tale aliquid me nunquam vidisse, meminisse non potui. Diversos enim di- D versarum provinciarum præsules, ecclesias dedicare sæpe conspexi, omnibusque quæ ab eis facta sunt, quantam potui curam adhibui: qui etsi in nonnullis dissimilia egerint, omnes tamen cappis induti usque ad celebrationem missæ, debita servitia sine casula expleverunt. Denique sanctus Leo Romanæ sedis summus antistes, * Romericensem, me præsente, ecclesiam dedicavit, cunctaque quę ante missam fieri ordo depoposcerat, sine casula consummavit.

* Remiremont.

Porro quod in dandis ordinibus, soli subdiacono dari manipulum perhibuistis: ubi hoc acceperitis, rogo me vestris litteris instruatis. A quibusdam enim id fieri audio: sed utrum id fieri sacris autoritatibus præcipiatur, meminisse non valeo. Pleri- E que autumant manipulum esse commune ornamentum omnium, sicut & albam, & amictum. Nam & in cœnobiis monachorum, etiam laici cum albis induuntur, & antiqua patrum institutione solent ferre manipulum. In nostris episcopalis ordinis codicibus, quos ex diversis regionibus multos habemus, & de ordinando subdiacono, inter cætera sic scriptum habetur: *Postea vero accipiat ab archidiacono urceolum, cum aquamanili, ac manutergium.* In quibusdam, sic: *cum aquamanile:* in aliis ita: *cum aquamanili.* Vrceolus quid sit, liquido patet: est enim vas superius, unde lavandis manibus aqua infunditur. Aquamanile, sive aquæmanile, Italici unam partem dicunt, vocaturque lingua eorum vas inferius, in quod manibus infusa aqua delabitur. Quod si fortasse sic distinguendum putatis, *Vrceolum cum aqua*, & postea *manile, ac manutergium*, quatenus manile esse manipulum intelligatis: cur inter urceolum ac manutergium ponatur manipulus, & cur cætera ornamenta ab episcopis dantur, dari ab archidiacono manipulus jubeatur, in qua scriptura, sive sæculari, sive divina sic vocatum manipulum repereritis, posco sanctam paternitatem vestram, ut indicare mihi competenti diligentia studeatis.

In Carthaginensi concilio quarto omne hujus rei ambiguum excluditur, ubi sic legitur: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam; & calicem vacuum: de manu vero archidiaconi, accipiat urceolum cum aqua, & aquamanile, ac manutergium.* Item Isidorus in epistola de sacris ordinibus. *Ad subdiaconum,* inquit, *pertinet, calicem & patenam ad altare Christi deferre, & levitis tradere, eisque ministrare: urceolum quoque, & aquamanile, ac manutergium tenere episcopo, presbyteris, & levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere.* Omnipotens Dominus vitam vestram intus exteriusque tueatur; augeatque in vobis, auctam conservet dilectionem, qua me quondam diligere solebatis: quatenus de me, quantum ad vos hoc quidem pertinet, quæ credenda sunt, credatis, proculque ab auribus vestris linguas detrahentium pastorali semper autoritate repellatis.

[a] IV. AD HERFRASTUM episcopum. XXI. inter editas.

Quo pacto erga eum gerere se debeat, quem nullis adhuc ordinibus initiatum, & uxoratum, ad diaconatum promoverat.

Lanfrancus gratia Dei, non suis meritis archiepiscopus, confratri, & coepiscopo Herfrasto salutem.

CLERICUS iste noviter ad me venit, causam suæ infelicitatis mihi dixit, dictam testimonio vestrarum litterarum veram esse asseruit: testatus est, se inordinate ordinatum; videlicet cum nullius esset ordinis, a fraternitate vestra factum esse diaconum: interrogatus a me, si uxorem haberet, uxorem se habere, nec eam se velle dimittere respondit. Propterea tali pacto consulendum ei divina fultus autoritate decerno. Diaconatum ei auferte, ad cæteros minores ordines congruis eum temporibus promovete: diaconatus vero ordinem nunquam recipiat, nisi caste vivat, nisi de reliquo se caste victurum canonica attestatione promittat. Si vero cœlibem vitam egerit, & acturum se omni tempore spondere voluerit: non quidem eum ad ordinem diaconatus iterum ordinabitis, sed ipsum officium per textum sancti evangelii, vel in synodo, vel in multorum clericorum conventu, reddetis.

[a] V. AD

XXIII. Inter epist. editas.

"** V. AD HEREBERTUM episcopum.

Ut Beraldum clericum vexare desistat: & quia ipsius litteras spreverat, ex sacris canonibus discat, quæ reverentia metropolitanis debeatur. Effrænem denique monachum, ut a suo consortio penitus eliminet.

Lanfrancus divina misericordia, non suis meritis, Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopus, Hereberto episcopo, humiliter sapere, & sobrie intelligere.

BERARDUS abbatis Balduini clericus, & famulus, nostras de negotio suo litteras tibi detulit: quas, ut ipse postea mihi testatus est, procaciter irrisisti; satis vilia, multumque indigna de me, multis audientibus, protulisti; pro me de eadem re nihil te facturum plurimis contestationibus affirmasti. De his alio tempore atque loco sermo erit. Verumtamen ad præsens præcipio tibi, ne in his rebus sancti Eadmundi aliquid appetas, nisi id ab antecessoribus tuis appetitum fuisse certis documentis ostendas: præfatum Berardum quietum, & inconcussum dimittas, quoadusque res in nostram audientiam veniat, finemque congruum canonica autoritate, nostrique judicii definitione recipiat.

Postpositis aliis, ut majora taceam, ludisque sæcularibus, quibus per totam diem vacare diceris, divinas litteras lege, decretisque Romanorum pontificum, sacrisque canonibus præcipue studium impende: ibi quippe invenies quod nescis, perlectis illis frivolum dices, unde ecclesiasticam disciplinam effugere te confidis.

Bonifacius papa epist. 1. In decretis sic legitur. *Metropolitani sui in unaquaque provincia, in omnibus rebus ordinationem semper expectet.* In Nicæno concilio: *Firmitas omnium, quæ geruntur per unam quamque provinciam, metropolitano tribuatur episcopo.* In Antiocheno: *Per unamquamque provinciam episcopis convenit nosse, metropolitanum episcopum totius provinciæ, sollicitudinem gerere: propter quod ad metropolem omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant: unde placuit eum & honore præcellere.* Et in Toletanis conciliis: *Sic enim justum est, ut inde unusquisque sumat regulas disciplinæ, unde consecrationem honoris accepit: ut juxta majorum decreta, sedes, quæ unicuique sacerdotalis mater est dignitatis, sit ecclesiasticæ magistra rationis.* Et paulo post: *Quisquis horum decretorum violator extiterit, sex mensibus communione privatus, apud metropolitanum sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus.*

(can. 4. — can. 4.)

Sunt alia plurima de excellentia, & potestate primatum, atque archiepiscoporum, tam in præfatis scriptis, quam in aliis orthodoxorum patrum authenticis libris. Quæ si studiosius legeres, lecta memoriæ commendares: nihil inconveniens contra tuam matrem ecclesiam sentires; quod dixisse diceris, non dixisses: immo dictum ab aliis salubri invectione reprehenderes. Nec sobrius quisquam putaverit, hoc esse in aliena parochia aliquid temere præsumere: cum per misericordiam Dei totam hanc, quam vocant Britanniam insulam, unam unius nostræ ecclesiæ constet esse parochiam.

Hermannum monachum, cujus vita multis reprehensionibus obnoxia perhibetur, a consortio tuo, tuæque domus, penitus remove. Volo enim, ut in regulari monasterio regulariter vivat: aut si hoc renuit, de regno Anglorum abscedat.

XXIV. Inter epist. editas.

"** VI. AD MAURITIUM LONDONIENSEM electum episcopum.

Electo episcopo diem designat, quo presbyterii gradum ei collaturus est: simulque ad ejus interrogata respondet, de homine apud captores mortuo, de colloquio regis, & de clerico, qui in ejus episcopatum sine formatis venerat.

Lanfrancus divina misericordia archiepiscopus dilecto fratri Londoniensis ecclesiæ electo antistiti Mauritio, salutem.

IN primis gratias ago, quod meam sicut tuam desiderare salutem te asseris: quodque profectum vivendi honeste, per meam qualemcumque doctrinam habiturum te esse confidis. Hæc ex dilectione non modica procedere solent. Ad interrogata tua, brevia responsa mitto. De homine quem captum, & apud captores mortuum fuisse inventum scripsisti: absolute tibi ad præsens respondere non possum, quoadusque præcedentes mortis ejus causas diligentius audiam; & sic miserante Deo, quid agi oporteat, canonica autoritate definiam. Interim injunge eis aliquam pœnitentiam, usque dum conveniamus, & alterno colloquio quid postea facere debeant, decernamus.

De terris tuis domino meo regi nihil adhuc locutus fui: quia de meis etiam rebus, qualem volui, loquendi opportunitatem non habui. Goffridus clericus, qui apostasiæ calumniam habet, de episcopatu tuo recedat: aut formatas litteras ex parte sui episcopi, sicut canones jubent, ostendat. Cicestrum, sicut fraternitati tuæ insinuavi, venies: & ibi sabbato ante *lætare Hierusalem*, cooperante Spiritu sancto, presbyterii gradum recipies.

XXVI. inter editas.

"** VII. AD VVALCHERUM Dunelmensem episcopum.

Excusat quod monitorium non miserit: respondetque de presbytero, qui in claustro monachorum sine benedictione nutritus fuerit, ad sæculum redire non posse.

Lanfrancus indignus antistes, venerabili Dunelmensi episcopo VValchero salutem.

ET longe ab urbe positum, & multis hujus sæculi negotiis involutum me vestræ litteræ invenerunt. Ob quam causam petitionibus vestris ex omni parte effectum præbere non licuit: nec, si licuisset, commonitorium, quod in festivitate sancti Martini habere voluistis, fieri potuisset. Septima enim post prædicti sancti solemnitatem die, vester ad me nuncius venit.

Porro de illo presbytero, de quo mandastis, quia in claustro monachorum sine benedictione nutritus fuit, aliquid me vobis mandasse recordari non possum. Canones tamen, decretaque sanctorum patrum, eos, qui vestem religionis aliquot diebus in conspectu hominum deferunt, ad sæculum quocumque modo postea redire non sinunt. Qui si vobis obtemperare noluerit, evangelica autoritate utimini, quæ ait, *compelle intrare.* Luc 14.

XXVI. inter editas.

** VIII. AD STIGANDUM CISTRENSEM episcopum.

Ut clericis villarum ecclesiæ Cantuariensis, quæ in ipsius sunt diœcesi, exactas per ejus archidiaconos pecunias restitui jubeat. Nec ad episcopi ullius synodum deinceps veniant, nec respondeant, aut quicquam persolvant, præter id quod institutum est pro chrismate.

Lanfrancus Dei gratia archiepiscopus, dilectissimo fratri Stigando Cistrensi episcopo, salutem.

CLERICI villarum nostrarum, qui in vestra diœcesi existunt, questi nobis sunt, quod B vestri archidiaconi repertis occasionibus pecunias ab eis exquirunt, & a quibusdam jam acceperunt. Meminisse debet fraternitas vestra, quia contra morem antecessorum nostrorum, atque vestrorum, vobis concessimus, eisque imperavimus, quatenus ad vestras synodos irent, & ea, quæ ad Christianæ religionis notitiam prodesse possunt, sine interpellatione vel discussione aliqua, a vobis audirent: si quæ in ipsis culpæ invenirentur, suspensa interim vindicta, ad nostrum examen servarentur, & nobis vel in miserendo, vel in ulciscendo, sicut semper consuetudo fuit, obnoxii tenerentur. Mandamus itaque, ut male accepta sine dilatione reddi jubeatis, & ministris vestris, ut ulterius id præsumant, servandæ caritatis studio prohibeatis. C

Nos vero presbyteris nostris, qui extra Cantiam constituti, omnino præcipimus, ne ad vestram, vel alicujus episcopi synodum amplius eant: nec vobis, nec aliquibus ministris vestris pro qualibet culpa respondeant. Nos enim cum ad villas *al.* nostras 'vestras veniemus: quales ipsi vel in moribus, vel in sui ordinis scientia sint, pastorali autoritate vestigare debemus.

Chrisma tantum a vobis accipiant: & ea, quæ antiquitus instituta sunt, in chrismatis acceptione persolvant. Sicut namque ea, quæ antiquitus usque ad nostra tempora antecessores nostri habuerunt, solerti vigilantia cupimus illibata servare: ita aliis debita, aliqua, quod absit, usurpatione nolumus denegare. D

XXXII. inter editas.

** IX. AD GOISFRIDUM episcopum.

De sanctimonialibus professis, vel ad altare oblatis: & de iis, quæ nec professæ, nec oblatæ, aut quæ non amore religionis ad monasterium confugiunt.

Lanfrancus archiepiscopus venerabili episcopo Goisfrido, salutem & servitium. E

DE sanctimonialibus, de quibus dulcissima mihi paternitas vestra ad me litteras misit, hoc vobis respondeo. Sanctimoniales quæ de servanda regula professionem fecerunt; vel quę, quamvis adhuc professæ non sint, ad altare tamen oblatæ fuerunt: secundum mores & vitas earum, ad servandam regulam moneantur, increpentur, constringantur. Quæ vero nec professæ, nec oblatæ sunt, ad præsens dimittantur sic, donec voluntates earum de servando ordine subtilius exquirantur. Quæ vero non amore religionis, sed timore Francigenarum, sicut vos dicitis, ad monasterium confugerunt: si hoc firmo meliorum sanctimonialium testimonio probare possunt, libera eis recedendi concedatur potestas. Et hoc est consilium regis, & nostrum. Omnipotens Deus vitam vestram in beneplacito suo conservet.

XXXIII. inter epistolas editas.

** X. AD DOMNALDUM HIBERNIÆ episcopum, &c.

Infantibus ante usum rationis eucharistiæ perceptionem non esse necessariam. Quæstiones sæcularium litterarum episcopo esse indignas.

Lanfrancus indignus sanctæ Cantuariensis ecclesiæ antistes, venerando Hiberniæ episcopo Domnaldo, & iis, qui sibi litteras transmiserunt, salutem, & benedictionem.

IN itinere positi, & a civitate, in qua nobis sedes episcopalis est, longe sepositi eramus: quando litteras vestras nuntio vestro deferente suscepimus. Quem cum rogassemus, ut saltem paucis diebus nobiscum maneret, quatenus perquisitis libris congruum pro captu nostro ad consulta vestra responsum vobis referret: petitioni nostræ effectum negavit, & se diutius non posse morari multis assertionibus allegavit. Itaque dulcissimam nobis fraternitatem vestram paterna caritate monemus, ne indignum vobis sit, quod de tanta re, tam breviter respondemus.

Revera, & procul pulsa omni ambiguitate, sciatis, neque transmarinas ecclesias, neque nos Anglos, hanc de infantibus tenere sententiam, quam putatis. Credimus enim generaliter omnes, omnibus ætatibus plurimum expedire, tam viventes, quā morientes, dominici corporis & sanguinis perceptione sese munire. Nec tamen si priusquam corpus Christi & sanguinem sumant, contingit baptizatos statim de hoc sæculo ire, ullatenus credimus eos, quod Deus avertat, propter hoc in æternum perire. Alioquin veritas non esset verax, quæ dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et per prophetam: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris*: quod de baptismo esse dictum omnes hujus sententiæ expositores concorditer asseverant. Et Petrus apostolus: *Et nunc vos similis formæ facit baptisma.* Et Paulus apostolus: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Christum est enim induere, habitatorem Deum per remissionem peccatorum in se habere. *Marc. 16. Ezech. 36. 1. Petri 3. Galat. 3.*

Nam sententia illa, quam dominus in euangelio dicit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: quantum ad comestionem oris non potest generaliter dicta esse de omnibus. Plerique etenim sanctorum martyrum, ante baptismum quoque, diversis excruciati pœnis de corpore migraverunt; eos tamen in numero martyrum computat, & salvos credit ecclesia per illud testimonium domini, quo dicitur: *Qui me confessus fuerit corā hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cælo.* *Ioan. 6. Matth. 10.*

Infantem quoque non baptizatum, si morte imminente urgeatur, a fideli laico, si presbyter desit, baptizari posse canones præcipiunt: nec eum tamen, si statim moriatur, a consortio fidelium sejungunt. Necesse est ergo prædictam domini sententiam sic intelligi, quatenus fidelis quisque divini ministerii per intelligentiam capax, carnem Christi & sanguinem non solum ore corporis, sed etiam amore, & suavitate cordis comedat,

&

& bibat: videlicet amando, & in conscientia pura dulce habendo, quod pro salute nostra Christus carnem assumpsit, pependit, resurrexit, ascendit, & imitando vestigia ejus, & communicando passionibus ipsius, in quantum humana infirmitas patitur, & divina ei gratia largiri dignatur. Hoc est enim vere & salubriter carnem Christi comedere, & sanguinem ejus bibere.

lib. 3. c.10. Quam sententiam in libro de doctrina Christiana beatus Augustinus exponens, sic ait: *Facinus, vel flagitium jubere videtur; figura vero est, præcipiens passioni dominicæ communicandum esse, & suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod pro nobis caro ejus vulnerata & crucifixa sit.* Figuram vocat, figuratam locutionem. Neque enim negat veritatem carnis & sanguinis Christi: quod plerisque schismaticis visum est, & adhuc non cessat

Joan.6. videri. Et dominus in evangelio: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Quod exponens beatus Augusti-

In evang. Joan. Trac. 26. nus ait: *Hoc est namque carnem Christi & sanguinem salubriter comedere, & bibere, in Christo manere, & Christum in se manentem habere. Nam & Iudas, qui dominum tradidit, cum cæteris apostolis ore accepit: sed quia corde non comedit, judicium sibi æternæ damnationis accepit.*

Quæstiones sæcularium litterarum nobis solvendas misistis: sed episcopale propositum non decet operam dare hujusmodi studiis. Olim quidem juvenilem ætatem in his detrivimus: sed accedentes ad pastoralem curam, abrenunciandum eis decrevimus.

** XI. AD ROGERIUM COMITEM.

XLI inter editas. Ab excommunicatione solvi non posse, nisi regi satisfaciat, ejusque misericordiam imploret.

Lanfrancus Dei gratia archiepiscopus, dilectissimo quondam filio & amico Rogerio comiti, bene intelligere, & salubrem de anima sua curam habere.

Doleo pro te quantum dici non potest: quia teste Deo te amabam, & tibi servire toto corde desiderabam. Sed quia instinctu dæmonis, & consilio pravorum hominum, ea molitus es, quæ te moliri oportuerat: necessitate coactus mentem mutavi, & dilectionem non in odium tantum, quantum in rancorem mentis & justam severitatem converti. Legatis tamen & litteris semel & iterum te invitavi ut ad me venires, & consilium animæ tuæ a me, sicut a patre spirituali, & amico sincero, acciperes: atque a stulto proposito quod conceperas, consilio meliore desisteres. Tu vero id facere recusasti.

Canonica igitur autoritate te & tuos maledixi, & excommunicavi, atque a liminibus sanctæ ecclesiæ & consortio fidelium separavi: & per totam Anglicam terram hoc idem pastorali autoritate fieri imperavi. Ab hoc vinculo anathematis absolvere te non possum, nisi misericordiam domini mei regis requiras: sibique, & aliis quorum res injuste prædatus es, justitiam facias.

Mandasti quod adhuc venire velles. Hoc ego libentissime vellem, nisi regalem iram pro hac re me incursurum metuerem. Sed legato & litteris pœnitudinem tuam, & humilitatem, & preces, ei intimabo: & te, salva ejus fidelitate, prout melius potero, adjuvabo. Interim rogo, & moneo, ut quiescas: nec aliquid coneris facere, unde majorem ejus iram incurras.

** XII. AD ABBATEM T......

Ut excommunicatam adulteram de cœmeterio ejici præcipiat, quousque episcopo satisfiat. LI. inter editas

Lanfrancus archiepiscopus, dilectissimo amico suo abbati T....... salutem.

Causam Goduini, & Lifginæ adulteræ suæ optime novi. Et revera Londoniæ coram me eam vestigari præcepi: auditaque utriusque partis assertione, in adulteros sententiam diximus, & juste eos esse excommunicatos communi consensu decrevimus. Propterea nihil aliud restat, nisi quod fraternitas tua adulteram de cimiterio ejici præcipiat: quousque vel corruptor ejus, vel aliquis pro ea, quod justum est, episcopo faciat. Libenter facerem, quod tibi placere posse intelligerem: & multum doleo, quod de præsenti negotio voluntatem tuam implere non valeo.

** XIII. AD RODULFUM, ABBATEM.

Posse monachum qui in uno monasterio stabilitatem promiserit, justis de causis in aliud transmigrare. LX. inter editas

Lanfrancus Cantuariæ archiepiscopus Rodulfo abbati salutem.

Indicatum est mihi, de tuo monasterio recedere vis: de promissa stabilitate sollicitus es: timens, ne, unde Deum placare studes, inde offendas. De quo rationem talem ostendo: & in ostendendo meipsum in exemplum sic do. Si ego Lanfrancus manu propria me de aliquo monasterio non recessurum jurassem, viderem autem quod ibi animam meam salvare non possem: exirem, nec perjurii crimen incurrerem. Qui enim Deo propter Deum alligatur, non solvitur ab ipso, nisi contra ipsum solvatur. Porro ab ipso contra ipsum minime solvitur, qui propter amorem ejus, & ut sibi bene complaceat, a filiis discordiæ, superbiæ, diffidentiæ, & ut * apertius dicam, a filiis diaboli, migrat ad filios pa- *al. aptius.
cis, humilitatis, spei, immo ad filios Dei. Qui enim sic transit, nonne plane fugit a sede diaboli, ad sedem Dei? Quis enim judicet, illum a Deo damnandum, qui ut ad patrem, ut ad dominum, & amicum, fugit ad ipsum? Propterea qui sic transit, non ab ecclesia in ecclesiam transit: non enim plures sunt ecclesiæ, sed una est toto orbe diffusa: & uni Deo ubique servitur, & uni regi militatur. Postremo B. Benedictus, qui stabilitatem præcipit firmare, monachum ab alio monasterio ad aliud monasterium venientem jubet suscipi: & si bonæ vitæ fuerit, ut stabilitatem firmet, suaderi.

**CONCILIUM ROTOMAGENSE

In basilica S. Mariæ Rotomagi ab Ioanne archiepiscopo, cum suis suffraganeis, VVillelmo Anglorum rege Normanniam gubernante, celebratum, anno Christi MLXXII. Alexandri II. papæ, anno XI. Philippi I. Francorum regis anno XIII.

TITULI CANONUM.

I. *Ut episcopus chrisma & oleum hora competenti, & cum duodecim sacerdotibus consecret.*
II. *Quod totum chrisma & oleum ab archidiaconis renovandum sit.*
III. *Qua cura distribui a decanis chrisma & oleum debeant.*
IV. *Ut qui missam celebrat, omnino communicet.*
V. *Ut sacerdos jejunus & cum alba ac stola baptizet.*
VI. *Ut viaticum & aqua benedicta ultra octo dies non serventur, & consecratæ hostiæ iterum non consecrentur.*
VII. *Confirmatio jejunis a jejunis, & cum igne, conferenda.*
VIII. *Ut ordines sacri post diem sabbati, vel die dominica mane, jejunis a jejunantibus conferantur.*
IX. *Ut quatuor temporum exacta sit observatio.*
X. *Quod depositione digni sint qui furtim aut indebite ad sacros ordines provehuntur.*
XI. *De iis qui coronas relinquunt. Et ut ordinandi ad episcopum feria quinta veniant.*
XII. *Ut monachi vagi vel expulsi, itemque sanctimoniales, ad sua monasteria redire compellantur.*
XIII. *Ne curæ pastorales vendantur & emantur.*
XIV. *De ritu nuptiarum, ne in occulto fiant, aut inter consanguineos.*
XV. *De clericis uxoratis, ut ecclesiis non ministrent, nec fructus percipiant, & quales esse debeant archidiaconi ac decani.*
XVI. *Ut nullus mortua uxore illam accipiat, de qua ante fuerat infamatus.*
XVII. *Nullus uxore velata superstite aliam ducat.*
XVIII. *Ne absentis viri uxor alteri nubat priusquam de viri morte compertum habeat.*
XIX. *Ne clerici in publicum crimen lapsi, sacris ordinibus facile restituantur.*
XX. *Ut episcopus qui ad lapsi depositionem venire non potest, vicarium mittat.*
XXI. *Ut ante horam vespertinam in Quadragesima non edatur.*
XXII. *Ut sabbati paschæ officium ante horam nonam non inchoetur.*
XXIII. *De sanctorum festivitatibus transferendis.*
XXIV. *Ut generale baptisma nisi sabbato paschæ & pentecostes non fiat. Parvuli quocumque tempore petierint, baptizentur: nullus in epiphania sine infirmitatis necessitate.*

PRÆFATIO.

ANNO ab incarnatione domini MLXXII. congregatum est concilium in metropolitana Rotomagensis urbis sede, in basilica beatæ & gloriosæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, cui Ioannes ejusdem urbis archiepiscopus præerat, & vestigia patrum secutus utilitati ecclesiasticæ omnimodis consulebat, cum suffraganeis suis, Odone Bajocensi, Hugone Luxoviensi, Rodberto Sagiensi, Michaele Abrincatensi, & Gisleberto Ebroicensi. In primis disputatum est de fide sanctæ & individuę Trinitatis, quam secundum statuta sanctorum conciliorum, scilicet Nicæni, Constantinopolitani, primi Ephesini, Calchedonensis concilii, corroboraverunt, sanxerunt, se toto corde credere professi sunt. Post hanc catholicæ fidei professionem, annexa sunt hæc subscripta catholicæ fidei doctrinæ capitula.

CANONES.

I. Ut episcopus chrisma & oleum hora competenti, & cum duodecim sacerdotibus consecret.

In primis statutum est a nobis, ut secundum statuta patrum, chrismatis & olei, baptismatis & unctionis consecratio, competenti hora, id est post nonam, secundũ statuta sanctorum patrum fiat. Hoc etiam debet episcopus pręvidere, ut in ipsa consecratione duodecim sacerdotes sacerdotalibus vestibus indutos, vel quamplures, secum habeat.

II. Quod totum chrisma & oleum ab archidiaconis renovandum sit.

Item in quibusdam provinciis mos detestabilis inolevit, quod quidam archidiaconi pastore carentes, ab aliquo episcopo particulas olei & chrismatis accipiunt, & ita oleo suo commiscent: quod & damnatum est. Sed unusquisque archidiaconus chrisma & oleum suum totum episcopo, a quo consecrabitur, ut proprio episcopo præsentet.

III. Qua cura distribui a decanis chrisma & oleum debeant.

Item chrismatis & olei distributio a decanis summa diligentia & honestate fiat: ita ut interim dum distribuerint, albis sint induti: & talibus vasculis distribuatur, ut nihil inde aliqua negligentia pereat.

IV. Ut qui missam celebrat, omnino communicet.

Item statutum est, ut nullus missam celebret, qui non communicet.

V. Ut sacerdos jejunus, & cum alba ac stola, baptizet.

Item nullus sacerdos baptizet infantem, nisi jejunus, & indutus alba & stola, nisi necessitate.

VI. Ut viaticum & aqua benedicta ultra octo dies non serventur, & consecratæ hostiæ iterum non consecrentur.

Item sunt quidam, qui viaticum & aquam benedictam ultra octavum diem reservant: quod & damnatum est. Alii vero non habentes hostias, consecratas iterum consecrant: quod terribiliter interdictum est.

VII. Confirmatio ieiunis a ieiunis, & cum igne, conferenda.

Item donum sancti Spiritus, ut non detur nisi ieiunis, & a ieiunis: neque ipsa confirmatio

matio absque igne fiat, statutum est.

VIII. *Vt ordines sacri post diem sabbati, vel die dominica mane, ieiunis a ieiunantibus conferantur.*

Hoc etiam statutum est, ne in dandis sacris ordinibus, apostolicæ autoritatis violatores inveniamur. Legitur enim in decretis Leonis papæ, quod non passim diebus omnibus sacri ordines celebrentur: sed post diem sabbati, in ejus noctis exordio, quæ in prima sabbati lucescit, his qui consecrandi sunt, ieiunis a ieunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso dominico die, continuato sabbati ieiunio, celebretur. A quo tempore præcedentis noctis initium non recedit, quo diem resurrectionis, sicut etiam in pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est.

IX. *Vt quatuor temporum exacta sit observatio.*

Item quatuor temporum observatio competenti tempore secundum divinam institutionem communi observantia a nobis servetur, id est, prima hebdomada Martii, secunda Iunii, tertia Septembris, eadem Decembris ob reverentiam Dominicæ nativitatis. Indignum enim valde est, ut sanctorum institutio aliquibus occupationibus vel mundiali solicitudine destituatur.

X. *Quod depositione digni sunt, qui furtim aut indebite ad sacros ordines provehuntur.*

Item clerici, qui non electi, nec vocati, aut nesciente episcopo, sacris ordinibus se intromittunt: aliquibus vero episcopus, ut diaconibus, manum imponit: alii cæteros ordines non habentes, diacones aut presbyteri consecrantur: hi digni sunt depositione.

XI. *De his qui coronas relinquunt: & ut ordinandi ad episcopum feria quinta veniant.*

Item qui coronas benedictas habuerunt & reliquerunt, usque ad dignam satisfactionem excommunicentur. Clerici qui ordinandi sunt, in quinta feria veniant ad episcopum.

XII. *Vt monachi vagi vel expulsi, itemque sanctimoniales, ad monasteria sua redire compellantur.*

Item monachi & sanctimoniales, qui relictis suis ecclesiis per orbem vagantur, alii pro nequitiis suis a monasteriis expulsi: quos pastorali autoritate oportet compellere, ut ad monasteria sua redeant. Et si expulsos, abbates recipere noluerint, victum eleemosynæ eis tribuant, quæ etiam manuum labore acquirant, quousque si vitam suam emendaverint videantur.

XIII. *Ne curæ pastorales vendantur & emantur.*

Item emuntur & venduntur curæ pastorales, scilicet ecclesiæ parochianæ, tam a laicis quam a clericis, insuper etiam a monachis: quod ne amplius fiat, interdictum est.

XIV. *De ritu nuptiarum, ne in occulto fiant, vel inter consanguineos.*

Item nuptiæ non in occulto fiant, neque post prandium: sed sponsus & sponsa ieiuni a sacerdote ieiuno in monasterio benedicantur: & antequam copulentur, progenies utrorumque diligenter inquiratur. Et si infra septimam generationem aliqua consanguinitas inventa fuerit, & si aliquis eorum dimissus fuerit, non conjungantur. Sacerdos qui contra hoc fecerit, deponatur.

XV. *De clericis uxoratis, ut ecclesiis non ministrent, nec fructus percipiant: & quales esse debeant archidiaconi & decani.*

De sacerdotibus, & levitis, & subdiaconibus, qui feminas sibi usurpaverunt, concilium Luxoviense observetur, ne ecclesias per se, atque per suffraganeos regant, nec aliquid de beneficiis habeant. Archidiaconi, qui eos regere debent, non permittantur aliquam habere nec concubinam, nec subintroductam mulierem, nec pellicem: sed caste & iuste vivant, & exemplum castitatis & sanctimoniæ subditis præbeant. Oportet etiam ut tales decani eligantur, qui sciant subditos redarguere & emendare, quorum vita non sit infamis, sed merito præferatur subditis.

XVI. *Vt nullus mortua uxore illam accipiat, de qua ante fuerat infamatus.*

Item interdictum est, ne aliquis, qui vivente sua uxore de adulterio calumniatus fuerat, post mortem illius unquam de qua calumniatus fuit accipiat. Multa enim mala inde evenerunt. Nam plurimi hac de causa suas interfecerunt.

XVII. *Nullus uxore velata superstite aliam ducat.*

Item nullus, cuius uxor velata fuerit, ipsa vivente unquam aliam accipiat.

XVIII. *Ne absentis viri uxor alteri nubat, priusquam de viri morte compertum habeat.*

Item si uxor viri, qui peregre, aut alias profectus fuerit, alii viro nupserit, quousque prioris mortis certitudinem habeat, excommunicetur usque ad dignam satisfactionem.

XIX. *Ne clerici in publicum crimen lapsi sacris ordinibus facile restituantur.*

Item statutum est, ne hi qui publice lapsi in criminalibus peccatis inveniuntur, citissime in sacris ordinibus restituantur. Si

ANNO CHRISTI 1072.

Si enim lapsis, ut ait beatus Gregorius, ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ: dum per reversionis spem pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat. Unde hoc ratum manere oportet, ut in crimine publice lapsus, ante peractam pœnitentiam in pristino gradu nullatenus restituatur: nisi summa necessitate, post dignam quidem longæ pœnitentiæ satisfactionem.

XX. *Ut episcopus qui ad lapsi depositionem venire non potest, vicarium mittat.*

Item si aliquis lapsus dignus depositione repertus fuerit, & ad eum deponendum tot * coepiscopos, quot autoritas postulat, scilicet in sacerdotis sex, in diaconi depositione tres: unusquisque qui adesse non poterit, vicarium suum cum sua autoritate transmittat.

XXI. *Ut ante horam vespertinam in quadragesima non edatur.*

Item statutum est, ut nullus in quadragesima prandeat, antequam hora nona peracta, vespertina incipiat. Non enim ieiunat, qui ante manducat.

XXII. *Ut sabbati paschæ officium ante horam nonam non inchoetur.*

Item statutum est, ut in sabbato paschæ officium ante nonam non incipiatur. Ad noctem enim dominicæ resurrectionis respicit, ob cuius reverentiam *Gloria in excelsis Deo*, & *Alleluia*, cantatur. Quod etiam in officii initio, cerei scilicet benedictione, monstratur. Narrat liber officialis, quod in hoc biduo non fit sacramenti celebratio. Vocat autem hoc biduum sextam feriam & sabbatum, in quo recolitur luctus & mœstitia apostolorum.

XXIII. *De sanctorum festivitatibus transferendis.*

Item si alicuius sancti festivitas in ipsa die evenerit, in qua celebrari non possit, non ante, sed infra octavum diem celebretur.

XXIV. *Ut generale baptisma, nisi sabbato paschæ & pentecostes, non fiat. Parvuli, quocumque tempore petierint, baptizentur: nullus in epiphania, sine infirmitatis necessitate.*

Item iuxta sanctorum patrum decreta, scilicet Innocentii papæ, & Leonis, statuimus ne generale baptisma nisi sabbato paschæ & pentecostes fiat. Hoc quidem servato, quod parvulis, quocumque tempore, quocumque die petierint, regenerationis lavacrum non negetur. Vigilia vel die epiphaniæ ut nullus, nisi infirmitatis necessitate, baptizetur, omnino interdicimus.

Huic concilio consenserunt Ioannes archiepiscopus Rotomagensis, Odo Baiocensium episcopus, Michael Abrincatensis episcopus, Gislebertus A Ebroicensis episcopus: & quamplures etiam venerabiles abbates, quibus eo tempore cœnobia Normanniæ nobiliter pollebant, & monachicum rigorem servabant.

ANNO CHRISTI 1073.

CONCILIABUL. ERPHORDIENSE, in causa decimationum Thuringiæ, autoritate Sigefridi Moguntini archiepiscopi celebratum anno domini MLXXIII. VI. Idus Martii, tempore Alexandri papæ II.

S. Anno se abdicat a cura administrationis regni.

CUM *in palatio regis frequens esset nundinatio episcopatuum & abbatiarum, sanctus Anno Coloniensis archiepiscopus regni administratione se abdicavit. Rex isto pædagogo severissimo liberatus, sta-* B *tim in omnia vitiorum genera præceps ruit. Exorsus est splendidissima ædificia in omnibus fere montibus & colliculis: quæ cum perficere non posset, ne, permittens præsidiorum & operariorum liberam furandi & aliena contrectandi potestatem, manifestæ tyrannidis notaretur: Sigefridum Moguntinum archiepiscopum incitavit, ut decimationes Thuringiæ exigeret, sibique earum mediam partem tribueret.* Episcopus vanissima spe animatus, *inquit Lambertus*, indixit synodum in Erphisfurd, sexto Idus Martii. Statuto die aderat rex, aderat archiepiscopus, stipatus uterque magno grege philosophorum, immo sophistarum, quos ex diversis locis summo studio conscive-rant: ut canones sibi non pro rei veritate, sed pro episcopi voluntate interpretarentur, & causam ejus, * quomodo veris non poterant, sophisticis C allegationibus roborarent. Assidebant ergo cum rege & archiepiscopo Moguntino, Herimannus Bambergensis episcopus, Hecel Hildeneshemensis episcopus, Eppo Citicensis episcopus, Benno Osenbruggensis episcopus, qui non ad discutiendam juxta leges ecclesiasticas causam fuerant evocati: sed ut id quod rex volebat, arte dictionis, & sententiarum pondere, postremo quaqua possent ratione & consilio obtinerent. Quamquam plerique eorum id quod rex moliebatur, vehementissime improbarent, sed ne libere quod sentiebant eloquerentur, & regis terrore, & privata archiepiscopi amicitia, inhibebantur. Habebat præterea rex circa se armatorum copias non D modicas: quibus eos, si qui forte negotium interturbare conarentur, militari manu coerceret.

Rex dedit causam conciliabulo.

Acta conciliabuli.

* quando

Talis apparatus fuit palliati latrocinii pulcro nomine synodi, in qua non in loquendo libertas aliqua consultoribus judicibusve relicta, sed strepitus armatorum, minæ regis, ad cujus nutum contra ejus voluntati resistentes exerantur gladii, carceres pateant, intententurque cruentæ cædes. Sed quæ hæc secuta sint, videamus. Pergit Lambertus: Thuringorum spes & fiducia potissimum in abbate Fuldensi & abbate Herveldensi nitebatur: quod hi ecclesias decimales plurimas, & prædia infinita haberent in Thuringia: & hi si causa cecidissent, sibi una cadendum esset. Qui publica discussione interpellati pro E decimarum redditione, primo per Deum rogabant archiepiscopum, ut antiquitus tradita monasteriis suis, legitima, rata, inconvulsaque manere fineret, quæ & sedes apostolica & veteribus & recentibus scriptis crebro sibi firmasset, & præcessores ejus Moguntini pontifices, summi ac sanctissimi viri, usque ad Luipoldum episcopum numquam infringere tentassent. Id atroci responso archiepiscopus repulit: scilicet præcessores suos, sua ætate, pro suo arbitratu ecclesiæ Dei moderatos fuisse, eosque rudibus in fide auditoribus, & pene adhuc neophytis, lac potum dedisse, non escam, & sa-

& sapienti dispensatione multa indulsisse; quæ processu temporis, dum in fide convaluissent, successorum suorum industria resecari vellent. Se autem, jam adulta, & potius senescente ecclesia, spiritualia comparare spiritualibus, nec jam parvulis lac, sed perfectis solidum cibum ministrare, atque a filiis ecclesiæ leges ecclesiasticas exigere. Proinde esse eis aut ab unitate ecclesiæ recedendum, aut legibus ecclesiæ æquanimiter acquiescendum. Tum illi rursum per Deum orare, ut si in Romani pontificis autoritate, si in Caroli aliorumque imperatorum privilegiis, si in præcessorum ejus Moguntinorum pontificum indulgentia nihil sibi præsidii aut spei reliquum esset, ipsarum saltem decimarum eam ipse partitionem fieri sineret, quam & canonum scita æquam judicassent, & cæteræ orbis terrarum ecclesiæ usitatam haberent; scilicet ut quarta parte ipse pro suo suorumque missorum servitio cnotentus, tres reliquas portiones ecclesiis, quibus antiquitus attitulatæ fuissent, permitteret. E contra episcopus non ea mente se ait tantum laborem trivisse, & jam per decem ferme annos laboriosum hoc saxum voluere, ut tandem aliquando voti compos effectus, ultro jure suo cederet, & tanto molimine extortas eis decimas ipsis pro libitu suo partiendas addiceret.

Primus ac secundus dies in hac concertatione jam fluxerat, ancipiti adhuc fortuna, utra pars utri cessura foret: jamque in eo res vertebatur, ut Thuringi, improbata synodo, sedem apostolicam appellarent. Sed rex sub attestatione nominis divini affirmabat, se in eum, si quis id præsumpsisset, capitali sententia animadversurum, & omnia quæ ejus essent usque ad internecionem dissipaturum, cladem que ejus diei multis postea sæculis non abolendam.

En quales reges, qui apostolicæ sedis juribus derogant. Quorsum vero ipsum ista perduxerint, omnibus manifestum. In exemplum factus rex apostotata schismaticis & hæreticis regibus, qui appellationem ad sedem apostolicam, Henricianæ hæresis labe conspersi, vetuerunt. Sed prosequamur reliqua militaris potius quam sacerdotalis conventus. Pergit ipse Lambertus: Ita abbas Herveldensis suorum periculo conterritus, quoniam aliud in arctum conclusis rebus non patebat effugium, rem consilio regis permisit: quatenus, prout ipse bonum & æquum judicaret, causam inter se & archiepiscopum terminaret. Diu igitur habita deliberatione, in hanc tandem pactionem, mediante rege, abbas & archiepiscopus consenserunt: ut abbas in decem suis decimalibus ecclesiis duas partes decimarum, tertiam archiepiscopus acciperet: in reliquis vero ejus ecclesiis, dimidia abbati, dimidia archiepiscopo contingeret. Vbi vero ecclesia decimalis propria archiepiscopi esset, tota illic ei decima cederet. Præterea ut omnes dominicales archiepiscopi curtes, in quacumque essent parochia, ab omni penitus decimarum exactione immunes manerent. Sub jugum misso abbate Herveldensi, statim Thuringi, omni spe adempta, eo quod in illius prudentia & eloquentia plurimum fiduciæ sibi posuissent, non ultra restiterunt, sed decimas in reliquum absque retractatione dare professi sunt. Fuldensis abbas aliquantis postea diebus obstinatus in proposito perstitit. Sed cum nec regis gratiam recipere, nec ad sua redeundi licentiam impetrare posset, nisi in communem sententiam concederet: tandem rerum difficultate superatus, ad hanc conditionem non tam consilio quam imperio & metu regis coactus est, ut in cunctis decimalibus ecclesiis suis partem dimidiam decimarum ipse, dimidiam archiepiscopus acciperet; dominicales autem curtes suas, sicut archiepiscopus, omnes ab omni decimarum redditione liberas haberet.

Ita absoluta est tyrannice causa. Sed quam dignam tyranno ipse rex appendicem tunc apposuerit, ita idem Lambertus autor significat, dicens: Tum rex sciens haud beneplacitura Romano pontifici quæ gesta fuerant, sub interminatione gratiæ suæ utrique abbati præcepit, ut neque per seipsos, neque per nuntium, neque alio quovis modo, pro insimulanda synodo apostolicam sedem interpellarent. *Hucusque acta latrocinii Henriciani ex Lamberto narrata, quæ gesta esse ante paschale tempus affirmat.*

ADDITIO G. C.

Quod ait Lambertus, habitum esse hunc conventum ante pascha: scribit vero Sigefridus ad Alexandrum II. pontificem maximum, synodum super hoc Thuringorum negotio indictum esse post pascha: an inter se pugnent, haud facile dixerim. Pugnant certe, si de Thuringorum decimationibus una tantum est coacta synodus. Quid vero si duæ? altera, Erphordiæ, de qua Lambertus; altera vel Moguntiæ, vel ubivis alibi, anno circiter 1067. Nam Alexandrum rogat Sigefridus, per easdem litteras quas mox subjiciam, ut canonice ulciscatur ac severissime puniat nefandam Cunonis Trevirensis archiepiscopi cædem, quam Lambertus anno MLXVI patratam ait, Sigebertus anno MLXVII.

Sive autem duplex fuerit, sive una synodus: cum idem negotium spectet, litteras hic repræsento Sigefridi ad Alexandrum, quibus rogat ut homines de latere suo mittat, qui synodo præsint. Præmittam alteras quibus ab Hildebrando petit, ut ipsius ope facilis ad pontificem aditus legatis pateat. Vtræque a Gretsero nostro editæ sunt.

*** SIGEFRIDI MOGVNTINI EPISC. ad Hildebrandum Romanæ ecclesiæ archidiaconum, epistola.

Sifridus Moguntinus, id quod est, Dei gratia; Hildebrando sanctæ apostolicæ sedis archidiacono, & archicancellario, salutem, & fraternæ dilectionis integram veritatem.

PLVRIMVM gratiæ vestræ referimus caritati, pro eo, quod omnibus & legationibus, & rationibus nostris, quas ad sedem apostolicam direximus, semper dexter stetistis, & in omni disceptatione & negotio semper partes nostras, sapientiæ & bonæ voluntatis vestræ scuto defendistis. Proinde multiplices primum vobis grates referimus: deinde, ut quandoque occasio subluceat, qua vobis vicem dilectionis rependere possimus, vehementer exoptamus. Licet enim inter multimoda ecclesiæ, quæ quotidie portatis, negotia, nihil, nisi Dei gratiam requiratis, neque de terrenis rebus quidquam, nisi ad ordinandum potius, quam ad possidendum attingere velitis: tamen quia hilarem datorem, ut pro Deo multa possit dare, necesse est multa juste habere, mandamus vestræ dilectioni, ut si quid nostrum est, quod vestro sedeat beneplacito, si nobis scire detur, statim vestrum fiet, ex nostro. Quis enim tantum virum possit non diligere? Quis ei quidquam audeat denegare?

Rogamus autem dulcedinem vestræ caritatis, ut per vos legationi nostræ, quam nunc ad sacram sedem apostolicam dirigimus, aditus pateat, & de his, quæ postulamus, vestra ope effectum obtineat: scilicet, ut ad synodum, quam super rebellibus

ANNO CHRISTI 1073.

rebellibus Thuringis pro decimationibus decrevimus celebrare, domnus apostolicus de latere suo dignetur mittere, qui & synodo præsint, & autoritate ejus determinent ea, quæcumque determinanda occurrerint. Quod si hoc fieri nequit, saltem scriptis beatitudinis ejus synodus nostra roboretur, & rebellium temeritas tali autore comprimatur. Annitatur ergo dilectio vestra, ut hoc obtinere valeat petitio nostra.

**EIVSDEM AD ALEXANDRVM II. PAPAM EPISTOLA.

Domno beatissimo, & vere apostolici culminis honore reverendo, sancto patrum patri, & summo præsulum præsuli Alexandro II. Sifridus Mogntinæ speculator ecclesiæ, quidquid filius patri, & membrum capiti.

APOSTOLICÆ institutionis documento didicimus, matrem ac radicem virtutum esse caritatem: cui quidquid inseritur boni operis, Christo incrementum dante, parit fructum æternæ beatiudinis. Hæc in sanctissimo pectore vestro æternam posuit sedem, & in fœcundissima corporis vestri terra altam fixit radicem: de qua, rore cælestis gratiæ irrigante, per totam sanctæ ecclesiæ aream, multiplices sacræ doctrinæ, & bonorum operum protenduntur rami, quorum fructifera ubertate aluntur, & umbra proteguntur oves, quas pascendas suscepistis vice illius magni Petri. Hac ergo dictante, nos quoque, qui sanctissimo apostolatui vestro in fructiferam olivam sumus inserti, & sub clavigera tanti pontificis manu, in opus ministerii assumpti: nos, inquam, paternæ semper dilectionis benevolentia gratanter accepistis: & quidquid vel consulendum, vel corrigendum, ad apostolicum vestri culminis verticem retulimus. Nostræ favendo parti, ut patrem decuit, ad meliora direxistis. Vnde, sicut oportet, reverendissimæ celsitudini vestræ multiplices gratiarum actiones, & humile exhibemus inclinium: continuis orationum victimis divinam exorantes clementiam, ut ad stabilitatem sanctæ ecclesiæ suæ longævum & incolume custodiat apostolatum vestrum.

Porro adhuc antiquam nostram super rebellibus Thuringis conquestionem ad notitiam almæ sedis vestræ referimus, obnixe rogantes ut armata manu gladio Spiritus sancti, usque ad expurgationem eorum nobis dexteram feratis auxilii. Suggerimus quoque sanctitati vestræ, quod synodum super his post pascha celebrare decrevimus: ad quam de latere vestro legatos mitti postulamus, qui autoritate vestra & ipsi synodo præsint; & hæc quæ de Thuringis agimus, canonice terminent, & si quæ alia corrigenda occurrerint. Quod si fieri nequit, aliis vos occupantibus negotiis: saltem petimus ipsam synodum nostram, quæ utique & vestra est, apostolicis sanctitatis vestræ litteris roborari: quæ & rebellibus anathema denuncient, & quæcumque inibi canonice gesta, uestra autoritate confirment.

Quia vero maxima quæque ecclesiasticæ disciplinæ negotia ab ipso præsulum vertice debent examinari, cujus ex injuncta omnium ecclesiarum solicitudine, privilegium est: quod per nos non possumus corrigere, ad patrocinium almitatis vestræ referimus, quod etiam pridem ad vos pervenisse cognovimus, de crudelissima, & inaudita nece designati Treverensium episcopi: qui Christianis temporibus, nefandissima & sceleratissima Neronianæ & Decianæ persecutionis cruciamenta expertus, horribili & execrabili pœnarum genere addictus est morti. Ad cujus monstruosæ necis ultionem, testamenti sui recordatus primum assurgat Dominus Iesus Christus: deinde vestræ autoritatis fortissima & patrocinalis manus. Sacris namque canonum decretis sancitum est, ut sicubi episcopus ordinetur, qui vita, vel moribus a tanta discrepet dignitate, vel qui ad tantum ascendat apicem subreptione non electione, ei audientiam non negari: & hoc etiam præter sententiam Romani pontificis non debere fieri. In qua re, si se clerus, vel populus cujuslibet civitatis, sæculari potentia viderit prægravari, ad sacram vestræ sedis defensionem habeat confugium, cui præcipiente Domino delegatus est primatus omnium ecclesiarum. Nunc vero, ne dum isti, de quo agitur, canonica daretur audientia; ne dum vestri exanimis expectaretur sententia: quasi furtiva latrocinantium manu captus & spoliatus, dein gravissima de loco ad locum transportatione afflictus, tandem, ut asserunt, communi illorum consilio, morte turpissima multatus est.

Qua de re quam graviter unanimitas fratrum sit concussa, quam atrociter audax facinorosorum hominum violentia ad sacri ordinis injuriam sit erecta, vestræ sanctitatis est, prudenter perpendere, & hoc nefarium scelus canonice ulciscendo, ne de cætero tale quid præsumatur, posteris exemplum relinquere. Orat ergo sanctitatem vestram socialis fratrum nostrorum concordia, & hoc a vestri culminis patrocinio tota implorat ecclesia, ut tanti sceleris autores diligentissime perquiratis, inventos districtissime puniatis. Qui si forte dissimulando latent, gladio Spiritus sancti, velut putrida membra, de corpore Christi abscindatis, & ut omnes, etiam sacerdotes nostri, eos perpetuæ maledictionis anathemate feriant, firmissime præcipiatis.

ADMONITIO G. C.

In synopsi conciliorum, alia quædam sequuntur, anno MLXXIII. & Alexandri pontificatui attributa concilia: quæ anno quidem eodem, sed Gregorio pontifice celebrata sunt. Id agnovit postea autor ipse synopseos R. P. Philipp. Labbe; eaque in Gregorii tempus, ac tomum X. rejecit, cujus editionem inchoaverat. Vnum tamen ex iis, nempe concilium ad S. Maxentii in Pictonibus, in annum MLXXV. distulit, quod anno prius indicato MLXXIII. fuisse conservandum ostendam.

TOMI NONI CONCILIORVM FINIS.

APPENDIX

APPENDIX
AD TOMVM NONVM CONCILIORVM.

Anno Christi 874.

J. Annes. VIII.

"** CONCILIUM RAVENNENSE, in quo a Joanne PP. VIII. controversia Gradensis patriarchæ, & ducis Venetiarum, definita anno Dom. DCCC. LXXIV.

A



E *hoc concilio sic Rubeus lib. V. Ravennat. histor.* Hadriano paulo post mortuo Joannes VIII. suffectus est, qui Ravennam profectus, anno octingentesimo septuagesimo quarto, septuaginta episcoporum conventum egit. In eo lis inter Ursum ducem Venetiarum, & Petrum patriarcham Gradensem, composita est. Nam Senatore episcopo Torcellano mortuo, Petrus patriarcha confirmare consecrareque Dominicum, Leonis Caloprini filium, abnuerat, monasterii Altinatis abbatem, quia sibi virilia succidisset. Itaque Petrus a duce eam ob rem perterritus, contenderat Romam, & causam a pontifice cognosci ac definiri postulabat. Pontifice autem Ravennatem profectionem ineunte, una secum Ravennam venit: quo etiam accessit Hendelmarius Aquileiensis patriarcha, & Leo Caprulensis episcopus, cæterique ejusdem provinciæ episcopi, Ravennam advocati. Qui tamen, quoniam advenere confecto jam conventu, communione privati sunt. Quanquam haud ita diu post ducis precibus restituuntur. Ecclesiæ Torcellanæ bona Dominico tamen permissa.

Anno Christi circiter 873.

"** CONCILIUM TOLOSANUM, ab episcopis Septimaniæ & Aquitaniæ celebratum, in quo audita & repressa Judæorum querela se a Christianis vexatos conquerentium, anno Domini DCCCLXXIII.

HUjus *concilii memoriam servat sancti Theodardi Narbonensis archiepiscopi vita a Guill. Catello in rerum Occitanarum commentariis edita: cujus hæc verba sunt. quorum equidem fidem non præsto:* Judæi prædictæ civitatis (*Tolosæ scilicet*) adierunt Carlomannum Francorum regem, & questi sunt injuriam sibi fieri ab episcopo jam dictæ civitatis, & ab omni clero illius & populo, in colaphizando pariter & cædendo ter in anno unum ex advocatis eorum. *Addit responsum a rege, jussurum se hac de re cogi concilium episcoporum Septimaniæ & Aquitaniæ. Pergit:*

Cumque concilium illud strenue ageretur Tolosæ, in atrio pontificalis ecclesiæ, essetque inibi grandis frequentia fidelium, & Judæorum, & ex utraque parte, ipsa, propter quam illuc convenerant, causa sagaci discussione ventilaretur: dicentibus Judæis, injuste sibi fuisse olim ab episcopis ejusdem civitatis cædendi eos & colaphizandi impositam sarcinam: & e diverso contradicentibus Christianis non, sed justo eos judicio tali pœna esse damnatos: cum neutra pars eorum adversariis cederet, surrexit, annuente præfatæ urbis episcopo Bernardo, jam dictus egregiæ indolis Theodardus ", & manu silentium indicens, ait: Si jubeat celsitudo pontificalis gloriæ, & maxime domini Sigebodi archipræsulis, magnique præterea hujus patriæ ac provinciæ ducis Ricardi, qui vicibus fungens regalibus, huic magno præest concilio, autor pariter & dispositor eorum, quæ a rege fieri jussa sunt, & ab episcopis diligenti curiositate investiganda super Judæorum querelis, superque civitatis hujus episcopo illato damno, veridica, & omnis ambiguitatis vinculo resoluta sermocinatione, eos injuste causari, atque satis indebita injuria contra episcopum commoveri, in conspectu vestro convincam, & a querimoniæ pertinacia rationabili allegatione, Deo auxiliante, desistere, penitusque cessare faciam.

Anno Christi 873. " Deinde Narbon. archiepiscopus.

B

Quod cum omnibus qui aderant, valde placuisset fidelibus, & dicerent singuli, Ita fiat: jubente archiepiscopo ac duce, protulit coram universis idem beatus juvenis Theodardus duo regalia præcepta, Caroli Magni videlicet, ejusque gloriosissimi filii Ludovici, & certa signaculorum eorum impressione diligenter notata.

Quorum præceptorum sententia, ut ibi quidem refertur, hæc est: Judæos Tolosæ degentes, quod Abderam Saracenorum regem in Gallias evocassent, a Carolo Magno vitam impetrasse hac conditione, quatenus per unumquemque annum unus quilibet tam ex ipsis, quam ex successoribus eorum Judæus in die natalis Domini &

C

passionis ejus, & in die assumptionis, colaphizetur ante fores illius ecclesiæ, ubi ejusdem civitatis episcopus juberet, dumtaxat uno ictu virtuosi hominis: oblato prius pro censu, pondere trium librarum ceræ.

Quibus auditis, rogati a duce sententiam episcopi, responderunt omnes pariter, & dixerunt: Absit hoc a nobis, ut contra hanc imperialem, rectamque ac justissimam sanctionem, aliquid opponamus contrarium.

Insecuta Theodardi & Iudæorum altercatio, & in perendinum usque protracta: in qua cum adversus Christum impia multa Iudæi evomuissent, iratusque dux extrema quæque minaretur: Iudæi terrore perculsi acciderunt ad episcoporum genua, ro-

D

garuntque ut veniam sibi a duce impetrarent, liceretque sibi ipso eodemque mancipatis supplicio, quo ab imperatoribus prius damnati fuerant, sub quiete ac tranquillitate vivere. *Quod cum recusaret dux, concessit tandem, adjecta ex Theodardi consilio conditione una:* ut is qui colaphizandus est Judæus, priusquam pugnizetur, coram omnibus sibi circumstantibus ter voce dicat excelsa: Bene quidem & satis juste decretum est, ut cervices Judæorum pugnis subjiciantur Christianorum, eo quod noluerint subjici Jesu Christo Nazareno Deo Deorum ac domino dominorum. Quod si noluerit, referiatur septies: ut impleatur quod in lege eorum scriptum est: *Augebo pœnas vestras septuplum, aversus incedens contra vos.* Levit. 26.

Addit hoc & ab episcopis ac duce probatum, & regio deinde præcepto confirmatum.

Anno Christi 904.

** OBSERVATIO AD CONCILIUM RAVENNENSE

anno DCCCC. IV. a Joanne PP. IX. celebratum, ac superius editum, pag. 507.

ADMONENDUM hic lectorem duxi, ne sibi patiatur ab Hieronymo Rubeo imponi, qui lib. V. histor. Ravenn. ait a Ioanne Papa IX. concilium Ravennæ celebratum, cum tamen anno tantum DCCCC. pontificatum Ioannes inierit. Addit, ibi a Ioanne acta rescissa Romani concilii a Stephano VI. contra Formosum coacti, abrogatam Arnulfi regis consecrationem, Lamberti confirmatam. Quod alterum ab eo peccatur. Hæc enim a Ioanne facta constat, non in Ravennensi concilio, sed in Romano ejusdem anni, ut testantur & illius acta pag. 502. descripta, & acta Ravennensis ipsius, in quibus nulla rerum istarum mentio.

Anno Christi 942.

** CONCILIUM BONNENSE, anno Domini DCCCCXLII.

DE *hac synodo Reginonis continuator, ad an.* DCCCCXLII. *in hæc verba:* Bonna castello præclara synodus a XXII episcopis celebrata. *Lambertus quoque Schafnaburgensis:* Synodus, *inquit*, Bonnæ congregata est. *Sed hic annum designat* DCCCCXLIII. *sive de eadem synodo loquatur, cujus in assignando tempore hi duo dissentiant; sive de altera, quæ anno consequente habita sit. Quidquid est, nihil quidquam præterea de Bonnensi concilio habemus.*

Anno Christi 943.

** CONCILIUM BUNDENSE, anno Domini DCCCCXLIII.

DE *hoc concilio hæc tantum chronicon Hildensheimense.* Anno DCCCCXLIII. synodus ad Bundam congregata est. *Nec plura.*

Anno Christi 954.

** CONCILIUM RAVENNENSE,

In quo Ferrariensi episcopo bona restituta, anno Domini DCCCCLIV.

RUBEUS *histor. Raven. lib. V. ad annum* DCCCCLIV. Petrus, *inquit*, archiepiscopus conventum Ravennæ habuit aliquot episcoporum sibi subjunctorum; ubi episcopi Ferrariensis precibus, de multis prædiis, quæ occupari ab aliis dicebantur, a patribus tractatum est: tandemque communi consilio Petrus archiepiscopus massam Cupariam, compluraque alia, Ferrariensi episcopo attribuit. Qui autem interfuere, ut ex ipsius actis conventus, quæ adhuc in Ursiana bibliotheca servantur charactere Longobardico scripta, collegi, anno Berengarii & Adalberti regum quinto, Indict. XIII. nam Agapiti pontificis annus, quod esset exesus, legi non potuit; ii sunt: Martinus sanctæ Ferrarien. ecclesiæ. N. Livien.... Gonfredus episcopus Cæsen. Harnaldus episcopus Popilien. ecclesiæ. Joannes episcopus Cornelien. Gerardus episcopus Faventinus. Dominicus religiosus presbyter & abbas regularis sancti Apollinaris, qui vocatur in Classe: Martinus presbyter & abbas regularis sancti Severi: Petrus misericordia Dei presbyter & abbas regularis sancti Laurentii, qui vocatur in Cæsarea: Petrus reverentissimus diaconus sanctæ Ravennatis ecclesiæ: Leo venerabilis diaconus sanctæ Ravenn. ecclesiæ: Petrus subdiaconus: Honestus subdiaconus, filius quondam Joannis, qui vocatur Joannes Dux. Post hos numerantur multi sacrati viri Ferrariensis & Corneliensis ecclesiæ, quos, ne inutili serie sola nomina continente, tædio sim, prætereo. Sequuntur deinde ii profani ordinis, viri nobiles, Petri filius quondam Paulus dux: Romualdus dux..... & plerique alii. Ibique dominus Petrus sanctissimus, & coangelicus archiepiscopus. Subscripsere huic synodi decreto, post sacros viros, qui supra nominati sunt, Joannes consul Comaclensis, Joannes misericordia Dei dux. Hæc Ravennæ hoc anno acta.

Anno Christi 964. Ex. at supra pag. 653.

** AD CONCILIUM ROMANUM ann. DCCCCLXIV.

SABBATINUS, *qui Ferrariensis episcopus hic vocatur, Tarracinensis dicendus. Idem in Romano conciliabulo anni superioris Saltbatinus Tarraconensis nominatur, ubi reponendum levi mutatione,* Sabbatinus Tarracinensis.

Anno Christi 964. Exstat supra pag. 659.

** ADDITIO AD CONCILIABULUM ROMANUM anni DCCCCLXIV.

IIS *quæ de hoc conciliabulo supra ex Luitprando descripta sunt, addi possunt ista ex Hildensheimensi chronico ad annum* DCCCCLXIII. *quæ sequentis anni charactere insigniri debuissent.* Hoc anno, *inquit*, magnum synodale judicium factum est Romæ in ecclesia S. Petri. Ibi præsidente Otto Imp. Aug. cum magna multitudine episcoporum, abbatum, monachorum, ac clericorum. Ubique Benedictus papa ab apostolica sede dejectus est, & Adaldago archiepiscopo commissus, in Saxoniamque deductus, illic vitam finit.

Anno Christi 969.

** CONCILIUM ROMANUM

A Joanne Papa XIII. celebratum anno Domini DCCCCLXIX.

In quo Beneventana sedes archiepiscopatus titulo insignita.

NIHIL *ex hac synodo superest præter Ioannis papæ litteras in eadem datas, quibus Beneventanus archiepiscopatus instituitur: quas ex Italia sacra tomo VIII. hic exhibemus.*

Joannes episcopus servus servorum Dei, *Dilectissimo nobis Landolpho, venerabili atque merito honorabili Beneventanensis & Sipontinæ sanctæ ecclesiæ, & modo per nostræ apostolicæ autoritatis concessionem archiepiscopo.*

CUM certum sit, Deo servientibus ineffabilia æterni regni præmia reservari: nobis tamen necesse est horum beneficia eis tribuere, ut in Dei laudibus ex remuneratione valeant multipliciter insudare. Et quia Beneventanensis ecclesia, in exercendis Dei laudibus magno conatu piaque religione insistit, atque erga reverentiam sanctæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ præcipue exuberasse cognovimus, quod nobis olim apud eam manentibus omnino constat inventum: debemus itaque ex ardore caritatis, atque studio Divini cultus

Anno Christi 969.

cultus, eam causa honoris ac reverentiæ sublimiorem inter cæteras ordinare. Et quoniam sancta sedes est, ubi beati Bartholomæi apostoli corpus requiescit, merito decet augmento cultus amplioris decorare, quoniam & ad hoc Divinæ miserationis respectu curam regiminis suscepimus, & ad exhibenda Deo sedula servitia, & canoras laudes potentiæ suæ, devotos debemus solicite invitare. Itaque præsidentibus nobis in sancta synodo acta ante confessionem beati Petri apostolorum principis septimo Kalendas Junias, propositis in medio sacrosanctis quatuor evangeliis, præsente domino Ottone gloriosissimo imperatore augusto, Romanoque, nostro filio, necnon Romanis, atque Italicis, & Occidentalibus religiosis quamplurimis, atque etiam catholicis & sapientissimis totius ordinis viris; hortatu siquidem benigno ipsius præfati domini clementissimi imperatoris augusti, una cum consensu infradictorum præsulum, atque sacerdotum, omniumque clericorum S.R.E. qui inferius subscripserunt, quibus .... Beneventanam cathedram velle exaltare, intervenientibus videlicet Pandulpho Beneventanæ & Capuanæ urbium principe, seu Spoleti & Camerini ducatus marchione & duce, simulque & Landulpho excellentissimo principe filio ejus, usum pallii tibi, præfate præsul, ad sola Missarum solemnia peragenda concessimus, scilicet in his festivitatibus, id est, in nativitate Domini, Epiphaniæ, purificationis sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, similiter & in annuntiatione ejusdem beatæ Mariæ, & in Paschali festivitate, & in ascensione Domini, & Pentecoste, & festivitate sancti Joannis Baptistæ, & in natalitiis beatorum apostolorum, & in assumptione beatæ Mariæ, pariterque in nativitate ejusdem, simulque & in dedicatione sanctæ ecclesiæ tui archiepiscopatus, necnon & in die consecrationis, & consecratione episcoporum: tribuentes tibi insuper cum eo potestatem & honorem archiepiscopatus, ita ut fraternitas tua, & successores tui infra suam diœcesim, in locis, quibus olim fuerant, semper in perpetuum episcopos consecret, qui vestræ subjaceant ditioni, scilicet sanctæ Agathæ, Abellini, Quintodecimi, Ariani, Asculi, Bibini, Vulturariæ, Larini, Thelesiæ, Alifæ. Adjecimus etiam ut utaris pallio in festivitatibus B. Michaelis archangeli, & translatione B. Bartholomæi apostoli. Posteri vero tuæ ecclesiæ rectores post obitum tuum, consecrationem ipsius archiepiscopatus, ac honorem pallii, ab hac sancta & apostolica, cui Deo autore deservio, sede percipiant. Confirmamusque tibi successoribusque tuis similiter Sipontum & ecclesiam B. Michaelis archangeli in Monte Gargano, & Varranum oppidum cum massis, & villis, & omnibus pertinentiis ecclesiarum suarum, qualiter ab antecessoribus nostris per concessionem privilegiorum possideri videntur. Statuentes insuper apostolica censura sub Divini judicii obtestatione, & validis atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam alicujus dignitatis potestate præditus homo præsumat, vel etiam quæcunque magna parvaque persona quoquo modo audeat destruere, dum profecto perenniter irrefragabili jure decernimus, ut ordinata in suo esse maneant: si tamen, ut supra dictum est, successores tui a sancta Romana & apostolica sede consecrationem & usum pallii decretaliter accipere non distulerint. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc refragare aut destruere, vel aliquam jacturam aut molestiam inferre, sit anathematis vinculis innodatus, & cum diabolo & ejus atrocissimis pompis, & cum Juda proditore domini nostri Jesu Christi, æterni supplicii incendio concremandus. At vero qui pio intuitu observator, & in omnibus extiterit custodiens hujusmodi apostolici instituti, ad cultum Dei respiciens, benedictionis gratiam a misericordissimo domino Deo nostro multipliciter consequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Amen.

Scriptum per manum Stephani scriniarii S. R.E. in mense Maii, Indict. XII.

Ego Joannes sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ XIII. papa in hoc privilegio a nobis promulgato manu propria subscripsi.

†† Signum dom. Ottonis piissimi imperatoris.

Sico s............. ecclesiæ in hoc privilegio consensi & subscr.

Joannes episcopus Galisanæ eccl.

Joannes episcopus Anagninæ eccl.

Marinus episcopus sanctæ Sutrensis eccl.

Benedictus episcopus sanctæ Terracinensis ecclesiæ.

Leo episcopus sanctæ Ostiensis ecclesiæ.

Benedictus episcopus sanctæ Portuensis ecclesiæ.

Gregorius episcopus sanctæ Albanensis eccl.

Joannes episcopus sanctæ Salernitanæ eccl.

Joannes humilis episcopus sanctæ Castranensis ecclesiæ.

Joannes episcopus sanctæ Sarsinaten. eccles. consensi & subscr.

Stephanus episcopus sanctæ Ficodensis ecclesiæ consensi.

Constantinus episc..........

Ignizzo episcopus Floren. eccl.

Hubertus episcopus .... subscripsi.

Guifridus episcopus sanctæ Virodunensis ecclesiæ.

Sigulphus sanctæ Placentinæ ecclesiæ consensi & subscripsi.

Luitprandus episcopus interfui.

Bozzo episcopus sanctæ Astensis ecclesiæ consensi.

Abraham sanctæ Frinsigensis ecclesiæ episcopus consensi.

Raterius episcopus sanctæ Marsicanæ ecclesiæ consensi & subscripsi.

Reginaldus sanctæ Rubilanensis ecclesiæ episcopus consensi & subscripsi.

Albericus sanctæ Reatinæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Domninus archipresbyter S. R. E. consensi & subscripsi.

Crescentius presbyter Card. S. R. E. consensi & subscripsi.

Theophylactus S. R. E. presbyter consensi & subscripsi.

Benedictus archidiaconus S.R.E. consensi.

Ego Bonifacius humilis diaconus S.R.E. consensi.

Leo diaconus S. R. E. consensi.

Joannes subdiaconus S. R. E. consensi.

Datum VII. Kal. Junii per manum Guidonis episcopi sanctæ Sylvæcandidæ ecclesiæ, & Biblioth. sanctæ sedis apostolicæ, anno pontific. domini nostri Joannis XIII. Papæ quarto, imperatoris Ottonis majoris VII. & minoris II. Indict. supradicta duodecima, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXIX.

ANNO CHRISTI 973.

"** CONCILIUM MARZALIENSE ab Honesto archiepiscopo, & comprovincialibus provinciæ Ravennatis, celebratum anno Domini DCCCCLXXIII.

In quo, inter cætera, compositæ episcopatus Bononiensis & Parmensis controversiæ.

Ex Tomo II. Italiæ sacræ.

IN nomine sanctæ, individuæque Trinitatis. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXIII. apostolatus domini Benedicti primo, imperii vero domini Othonis octavo, pontificatus domini Honesti Ravennatis metropolitani tertio. Dum ab eodem sacrosancto Honesto archiepiscopo, suisque suffraganeis, scilicet Joanne episcopo Corneliensi, Gerardo episcopo Faventino, Dodone Cesinate, Alberto Bononiensi, Uberto Parmensi, Sigulpho Placentino, in capella juris sanctæ Parmensis ecclesiæ in loco Marzalia sita, ad honorem vocabulumque S. Mariæ dedicata, sancta synodus de quibusdam necessariis ac utilibus regni ecclesiarum status rebus habita coleretur: perventum est, ut Albertus episcopus Bononiensis in medio illorum assurgens, inopiam sui episcopii adeo conquestus est, quatenus suarum ecclesiarum sarta tecta, clericorum pauperumve sumptibus necessaria, suppeditare nullatenus valeret. Inter cæteras denique suæ inopiæ angustias, quædam loca juxta Bononiam sita, ab Uberto Parmensi episcopo tunc temporis detenta, juris suæ ecclesiæ, videlicet Bononiensis, esse penitus conclamabat.

Cujus quidem incessabilibus querelis prælibatus dominus archiepiscopus commotus, Ubertum Parmensem episcopum omni affectione, quid ad eum prædicta loca pertinerent, discussit. Tunc demum præfatus Ubertus episcopus eadem loca suæ sanctæ Parmensi ecclesiæ, sibique, quarundam scriptionum titulo, ex quorundam prædecessorum suorum episcoporum parte devenisse, professus est. Enimvero dominus" archiepiscopus Uberto episcopo suggesserunt, quatenus prædicti amore præsentiaque domini metropolitani, suorumque sociorum & fratrum, prædictum Bononiensem episcopum non jure fori ventilaret, sed potius illius episcopio diligentiam adhibens, res omnes illas, de quibus super eum hactenus querebatur, Bononiensi ecclesiæ, ipsique Uberto episcopo legaliter refutaret; & ut ille Uberto episcopo, suæque Parmensi ecclesiæ, ob hoc proprietario jure plebem sanctæ Mariæ de Monte Bello concederet, & in duobus locis tornaturas vinearum triginta, videlicet in primo loco juxta monasterium S. Isaiæ vineam unam, quæ tribus viis publicis circundatur, quarto latere cohæret terræ Gausipigæ; alteram vero prope monasterium sancti Joannis sitam, quæ similiter tribus viis publicis circundatur, quarto latere cohæret terræ, quam detinet Dominicus filius Petri Britonis; necnon & terrulam jugerum decem in finibus ipsius Parmensis episcopii jacentem, molendinumque cum fullone pariter super se habentem, unanimiter omnes decreverunt.

" f. domini episcopi.

Quibus consultibus ambo, tam Ubertus Parmensis episcopus, quamque Albertus Bononiensis, acquiescentes, prout præscriptum est, alternatim unum alteri in eorum præsentia concessit: sicque in eadem synodo sancta definitum est, ut

A posthac a nemine illorum suorumque successorum replicetur. Sin autem quispiam illorum deinceps temerario ausu hanc canonicam synodalemque censuram transgredi quoquo modo tentaverit, tam Ubertus episcopus, quam Albertus, suique etiam successores: decrevit sancta synodus libras centum auri, ut violator injuriam patienti componat: hæc tamen decreti pagina in suo vigore consistat. Itaque pari consensu tam dominus archiepiscopus, quam omnes prætaxati episcopi, sanxerunt, quatenus hæc synodalis institutio in perpetuum inconvulsa permaneat. Et ut ab omnibus, præsentibus videlicet & futuris, firmius observetur, huic subscripserunt.

B Honestus Dei nutu, sanctæ Ravennatis ecclesiæ metropolitanus archiepiscopus, huic diffinitioni interfui, diffiniens annui, & subscripsi.

Joannes episcopus sanctæ Corneliæ ecclesiæ, in hac diffinitione interfui, & subscripsi.

Gerardus episcopus sanctæ Faventinæ ecclesiæ, huic diffinitioni interfui, & subscripsi.

Albertus episcopus sanctæ Bononiensis ecclesiæ, subscripsi, huic diffinitioni interfui.

ANNO CHRISTI 980.

"** CONCILIUM SENONENSE anno Dom. DCCCCLXXX. celebratum.

C In quo Sevinus archiepiscopus monasterio S. Petri Vivi nonnulla restituit.

Ex chronico S. Petri Vivi, tom. II. Spicileg. Dacheriani.

ANNO ab Incarnatione Christi DCCCCLXXX. Indictione octava. Cum sederem ego Sevinus archiepiscopus Senonensis, & circumsederent quidam de coepiscopis nostris, cum personis ecclesiæ sanctæ Mariæ virginis, sanctique Stephani protomartyris, quorum consilio & actu vigor ecclesiasticus vigere debet: venerunt ante nostram præsentiam abbas monasterii sancti Petri Vivi, & sancti Saviniani martyris cum turma, monachorum ejusdem ecclesiæ, petentes a nobis ad supplementum victus & vestitus sui & successorum suorum, aliquod augmentum largiri a nobis sibi clementer. Quorum petitionibus, & precibus prædictarum vel prænominatarum personarum, consentientes, aurem accommodavimus, & quod petebant, quia suum esse vidimus, concessimus. Scilicet altare quod est in pago Senonico, cum villa quæ dicitur Alsonus, in honore sancti Petri dicatum, quod olim domnus Egil bonæ memoriæ hujus sedis archiepiscopus eidem ecclesiæ dedit, & litteris firmavit. Item in villa quæ dicitur Sanceias, altare quod est in honore sancti Sanctiani martyris consecratum. Item tertium quod distat a crypta prædicti monasterii quinquaginta dextros in honore sancti Saviniani martyris & protopræsulis nostri. Quartum quoque in pago Pruviense in villa quæ dicitur Naudus, in honore sancti Lupi consecratum. Ad petitionem igitur Rainardi ejusdem monasterii abbatis, & monachorum ejus, dedimus hæc quatuor altaria, ut ipsi & successores eorum ex omni tempore possideant absque alicujus servitii administratione, & in eis fideles sacerdotes ad serviendum Deo omnipotenti digne constituant.

Postulo ergo serenitatem successorum meorum archiepiscoporum, ut sicut cupiunt scripta voluntatum suarum cuncto tempore fieri rata, ita orthographium desiderii mei fideliumque meorum perenniter servent stabile. Unde & propria manu firmo,

Anno Christi 980.

firmo, roborandumque coepiscopis meis & fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ humiliter deprecor & trado. Præterea violatores hujus privilegii, & diminutores, gladio Spiritus sancti, nisi resipuerint, & satisfecerint quibus damnum datum est, ferimus. Actum in ecclesia sanctæ Mariæ, & sancti Stephani Senonicæ urbis, synodaliter atque feliciter.

Sevinus peccator archiepiscopus firmo & sigillo meo munio.

Odo Carnotensis archiepiscopus ".
" Sic in MS.

Rainoldus Parisiorum episcopus.

Milo Trecarum episcopus.

Ego Manasses Aurelianensis episcopus.

Theodoricus hujus sedis archidiaconus.

Grunerius hujus ecclesiæ archiclavis.

Albericus Wastinensis archidiaconus.

Griverius cancellarius scripsit.

Anno Christi 983.

** CONCILIUM ROMANUM A BENEDICTO PP. VI.

contra simoniacos habitum anno Christi DCCCCLXXXIII.

Ex codice MS. monast. Cuxanensis in comit. Ruscinonensi edidit v. cl. St. Baluzius ad caput x. lib. VI. de concord. sacerdotii & imperii.

BENEDICTUS *episcopus, servus servorum Dei.* Notum esse volumus omnibus catholicis & orthodoxis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, regibus & principibus, ducibusque & comitibus, vel universis in toto orbe terrarum Christo famulantibus, qualiter synodum aggregatum est in ecclesia beati Petri apostolorum principis, ante sacratissimum ejus corpus, una cum domno Ottone serenissimo imperatore augusto, spirituali filio nostro, cum nostris suffraganeis, archiepiscopis, & episcopis, presbyteris, & diaconibus, vel cuncto clero sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Et ibidem perlecta sunt capitula de sacris canonibus, qualiter liceret episcopo de * sacris ordinibus aliquod præmium accipere. Et auxiliante Deo, & annuente ipso apostolorum principe beatissimo Petro, in eodem loco interdictum est primitus a nostro proprio ore, & postea a cunctis venerabilibus archiepiscopis & episcopis in eodem sacratissimo loco residentibus, quod ab ista hora in antea, ab ostiario usque ad sacerdotium, nullum precium exinde accepturos esse, sicuti in decretis sanctorum patrum continetur. Si quis [episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, & sub precio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaveritque] per pecunias episcopum aut presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel quemquam qui subjectus est regulæ, pro suo turpissimi lucri commodo: is cui hoc attentanti probatum fuerit, proprii gradus periculo subjacebit. Et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat: sed sit alienus a dignitate, vel solicitudine, quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit: si quidem clericus fuerit, deponatur; si vero laicus, aut monachus, anathematizetur.

* id est, Ecclesiasticis.

Calchedon. can. 2. *Uncinis inclusa deerant in exemplari Baluziano. Multa alia emendata ex ipso archetypo.*

Item in eisdem decretis: Si per pecuniam, hanc obtineat dignitatem: dejiciatur & ipse, & ordinator ejus, & a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus a Petro.

Can. 2- post. 30.

Verum etiam propter illam pessimam emptionem Hierosolyma capta est: quia ipsi sacerdotes iniqui, qui debuerant esse observatores legis & prædicatores, ipsi primi facti fuerant prævaricatores. Denique invenerant sibi quoddam ingeniolum, ut persuaderent filiis Israel de longinquo venientibus, ut victimas secum non deferrent, sed munera: offerentibusque sibi, non sicut præceptum erat a Domino, immolabant; sed ad hoc sibi reservabant, ut aliis atque aliis venderent, & ad hoc sibi precium muneris multiplicarent.

Nam idem dominus & salvator noster Jesus Christus, non per prophetas, neque per apostolos, aut per doctores aliquos, sed per se ipsum, *flagellum de funiculis fecit; & ejecit omnes de templo, boves quoque & oves; & nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.* Domus autem a Salomone ita condita fuerat, ut domus Dei vocaretur, essetque, sicut ipse sapientissimus Rex. * Sed domus negotiationis facta est, quando in ea boves, & oves, & columbæ vendebantur.

Ioan. 2.

Unde nos, carissimi fratres, & dilectissimi filii, solicite vigilare oportet, qui pastoralem curam in nostris ovibus exercendam suscepimus, ne eas lupinis dentibus lacerandas tradamus; & ad ultimum nosmetipsi, qui pastores vocamur, in die tremendi examinis apud pium & benignum judicem lupi rapaces inveniamur. Pro quibus vestram sanctam fraternitatem rogando, obsecrando, monendo, & arguendo mandamus, ut omni occasione postposita, diligenti studio, & solicitudine maxima, ea quæ vobis agenda transmisimus, implere studeatis. Nam si quislibet presbyterorum, aut diaconorum, gratis donum Spiritus sancti ab archiepiscopo, sive a metropolitano suo accipere non potuerit: studeat venire ad sanctam matrem Romanam ecclesiam catholicam, atque apostolicam, & in eadem episcopalem benedictionem accipiat sine omni simoniaca hæresi.

Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, aut petitus, post acceptas chartas & pallium, offerre aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantummodo causa voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus: quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit.

" S. Gregorius lib. 4. ep. 44.

Quicunque de sanctis ordinibus hanc nostram viderit epistolam, & verba vel exempla sanctorum patrum non observaverit: sciat se non esse connumeratum inter discipulos domini & salvatoris nostri Jesu Christi; sed damnatum inter impios, & inter eos *qui dixerunt Domino Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Hi vero qui legitime illam custodierint, & pio intuitu observaverint, recipiant partem cum Abraham, Isaac, & Jacob, in regno cælorum, una cum eodem domino & salvatore nostro Jesu Christo, qui nunc & semper vivit & regnat Deus in cuncta sæcula sæculorum.

Iob. 21.

Hanc itaque nostram epistolam jubemus atque præcipimus, ut per manum carissimi confratris nostri Mironis episcopi, cunctis aliis archiepiscopis & episcopis deportetur, ut idem ipse per suum laborem & certamen, dignam exinde mercedem recipiat, & fructum afferat in pœnitentia.

OBSERVATIO.

Nulla temporis nota insignitum est hoc concilium. *Verum*, inquit Baluzius, *cum ejus publicandi cura delegetur Mironi episcopo, Gerundensi nimirum; isque circa annum* DCCCCLXXIII *ad eam cathedram vocatus, ab Aymerico Narbonensi archiepiscopo consecratus sit: par est existimare, synodum illam esse revocandam ad annum* DCCCCLXXIII. *quo Romanum concilium a Benedicto VII. celebratum est ad discutiendam causam Gisleri episcopi Magdeburgensis, qui malis, ut aliqui aiebant, artibus, ad eam sedem pervenerat. Quæ res dare potuit occasionem decernendi pœnas adversus eos qui pecuniam pro ordinatione aut accipiunt, aut tribuunt. Eo autem anno Ottonem II. extitisse Romæ, satis constat.*

Ceterum hic Miro ex illustri genere ortus erat, frater nimirum Olibani comitis Bisuldunensis; identidemque in veteribus actis se comitem & episcopum inscribit. Fuisse autem virum magni nominis, patet ex veteribus actis illius ævi.

Anno Christi 996.

"** ADDITIO AD CONCIL. ROMANUM a Gregorio Papa V. habitum anno Christi DCCCCXCVI.

ANNO *Christi* DCCCCXCVI. *Herluinus Cameracensis episcopus Romæ a Gregorio V. Pont. Max. ordinatus, cum in Romana synodo de iis qui ecclesiæ suæ bona invaserant, conquestus esset: Gregorius privilegiis ecclesiam illam communiit, invasoresque excommunicavit. Cujus rei mentionem, & Gregorii litteras, habet Baldrici episcopi Noviomensis chronicon lib.* I. *cap.* III. Exin, *inquit*, habita inibi synodo cum imperatore, papa residente cum episcopis, abbatibus, presbyteris, cum de necessariis ecclesiæ negotiis satis tractaretur, Herluinus episcopus surgens, populatores suæ parochiæ cum gravitate querimoniæ indicavit. Sed & quod nuper opes sui antecessoris, ut præmisimus, a Walthero, & ab aliis devastatas repererit, in medio proclamationem extulit. Unde papa confirmante, immo episcopis, abbatibus, cunctis quoque qui ibi residebant, assentientibus, charaxaturam fieri obtinuit hujusmodi.

GREGORIUS *episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Herluino, sanctæ Cameracensis ecclesiæ antistiti, suisque successoribus in perpetuum.*

CURÆ pastoralis officium, summæ sedis dignitas, qua nos licet indigni utimur, compellit nos non solum nobiscum manentia, verum etiam longe posita sanctæ Dei ecclesiæ mysteria, Christo annuente, vigilanti sollicitudine custodire & gubernare. Quoniam vero, sicut omnibus pene notum est, interveniente hac re, quæ inter Arnulfum Remensis ecclesiæ archipræsulem, & Gerbertum invasorem ejus excrevit, idem prædictus Herluinus præsul, illorum odiis, Remis canonico more consecrari nequivit: ejus consecratio ad apostolicam sedem usque ad nos haud injuste pervenit. Quem consecrantes, lacrymabilem ab eo querimoniam audivimus: scilicet, quod tempore antecessorum suorum idem episcopium multipliciter a malignis hominibus deprædatum sit. Unde & nos humillime imploravit, ut nostra apostolica autoritate, aliquod ei subsidium contra inimicos sanctæ ecclesiæ daremus. Cujus precibus annuentes, per istud nostræ apostolicæ autoritatis privilegium sancimus, ut nullus dux, marchio, comes, vicecomes, seu aliqua magna vel parva persona, dehinc prænominatæ ecclesiæ loca invadere seu deprædare præsumat. Quod si præsumpserit, sciat se a nobis, Christo autore, ac B. Petro apostolo, anathemate illigatum, quousque prædictæ sedis antistiti satisfecerit: vel, Romam veniendo, se ibidem purificaverit. Hoc quoque nobis similiter intimatum est, quod obeunte episcopo, vel cæteris sacerdotibus prædictæ sanctæ Cameracensis ecclesiæ, aliqui diabolico repleti spiritu, soleant res ecclesiasticas, quas vel episcopus, sive etiam sacerdotes relinquunt, diripere ac devastare. Quibus iisdem apostolica censura, ne hoc amplius agere præsumant interdicimus. Quod si fecerint, cujuscunque sunt ordinis vel dignitatis, sciant se anathematis vinculo perculsos, quousque hoc digna satisfactione correxerint. Illud quoque magnopere præoptamus, ut fratres in cœnobio ejusdem ecclesiæ commanentes, cunctæque congregationes ad eam pertinentes, quicquid juste ac legaliter possidere debent, sine aliqua diminutione firmiter teneant atque possideant, ut temporalibus præsidiis sufficienter adjuti, sine murmuratione, sempiterna fiducialius appetere valeant. Insuper eidem Herluino episcopo, suisque successoribus in perpetuum, per hanc nostri præcepti paginam concedimus & confirmamus, ut nullus dux, marchio, vel comes, seu alii quævis magna vel parva persona, aliquem districtum, sive judicium, vel aliquod placitum in aliquo loco sæpe nominati episcopii tenere audeat, nisi ab ejusdem sedis episcopo licentiam acceperit, vel invitatus fuerit: sed liceat sibi de suis quemcunque voluerit, ad id officium peragendum ordinare. Si quis autem, quod non optamus, hujus nostri apostolici privilegii violator extiterit: sciat se cum Juda traditore, & apostaticis angelis æterno igne concremandum. Qui vero curator & observator fuerit, benedictionem & gratiam, & indulgentiam peccatorum suorum, ac vitam æternam a Christo salvatore nostro consequi mereatur. Amen. Scriptum per manus Petri scrinarii, notarii, & scriptoris sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Maio, & Indict. nona. In Christo bene valete. Anno I. pontificatus domni Gregorii summi pontificis, & universalis ecclesiæ papæ, imperii vero domni Ottonis tertii imperatoris anno undecimo.

Anno Christi 1001.

"** CONCILIUM ROMANUM anno Domini M. I.

CHRONICON *Hildensheimense*. Anno M. I. Ind. XIV. imperator natalem Christi Romæ celebravit: & illo Bernuardus episcopus in Epiphaniis super multis infestationibus archiepiscopi Willigisi, & maxime de synodo quam in sua, id est, Gandeshemensi ecclesia, cum extraneis episcopis habuit, conquestus advenit: totamque ejusdem metropolitani illicitam usurpationem in præsentia Silvestri papæ, & Imp. III. Ottonis, synodali autoritate prorsus adnullavit.

Anno Christi 1002.

"** CONCILIUM ROMANUM anno Domini M. II. celebratum.

In quo inter cætera abbatiæ Perusinæ immunitas asserta.

Ex tomo IX. Italiæ sacræ.

QUÆCUNQUE lites judiciali calculo definiuntur, optimum est, ut scriptoris officio commendentur,

Anno Christi 1002.

commendentur, ne protractu temporum oblivioni succumbant, & recidivo ortu præteritum errorem incipiant.

Præsidente itaque domno Silvestro II. Romanæ sedis pontifice, in synodo habita in palatio sacrosancto Lateranensi, anno quarto ordinationis suæ, mensis Decembris die tertia, Indictione prima, astitit Petrus scriniarius ejusdem sacri palatii, & coram universa synodo hunc protulit sermonem, dicens: Domine papa, hic abbas tuus de Perusia queritur adversus Cononem Perusinum episcopum, qui armata manu suorum satellitum de sub altare monasterii tui, cujus ipse regimen tenet, abstractus fuerit, & extractus de ecclesiæ janvis, & fratrum claustris, omnia quæ ibi inventa sunt ad utilitatem fratrum, direptioni concesserint, de quibus partem noscitur habere episcopus; quoniam eisdem sacrilegiis communicat episcopus, ejusdemque criminis nequaquam creditur alienus. Ad quem præsens respondit episcopus: Paratus sum me expurgare secundum istorum meorum fratrum judicium, quoniam neque mea præceptione, neque mea voluntate id factum fuerit: & si abbas de aliquo mihi proclamaret, aut ad satisfactionem illum cogerem, aut si non possem, meam gratiam cum omni beneficio sibi defenderem. Sed, omnium pontificum pater, misericordiam tuam & totius conventus præsentis exoro, ut nullum mihi hodie præjudicium fiat. Tu mihi ecclesiam Perusinam commisisti, & ut ego neque illam imminuerem, neque imminui consentirem, me fecisti jurare. Monasterium illud, quod iste abbas tenet, ad meum episcopatum proprie pertinet, & nulli alteri juri subjacebit: si lex inde fieret, vester apostolatus nullam specialitatem in eo haberet.

Cui reverendus papa subjunxit: Ego monasterium ecclesiæ tuæ neque subtraxi, neque subducere feci; sub jure & dominio ecclesiæ nostræ illud inveni, & ita possessum usque nunc tenui. Veniant privilegia nostrorum antecessorum paparum, & his perlectis, censeant fratres coepiscopi, quæ sit æquitatis rectitudo. Prolatis ergo in medium privilegiis, Joannis scilicet papæ, atque Gregorii ejus prædecessorum, ac coram omni synodo perlectis, ait episcopus: Privilegia hæc non reprobo: sed sine consensu antecessoris mei, cujus temporibus illud prius privilegium factum est, factum fuisse dico: si solum viderem consensum, haberem inde æternum silentium. Cui e contra omnis clerus sanctæ Romanæ ecclesiæ ait: Vidimus omnes epistolam antecessoris tui, in qua & consensus erat, & precibus, ut hoc fieret, episcopus obnixe postulat: cujus rei testes sumus, & secundum canonicam sanctionem verum fuisse comprobamus. Oblatis denique evangeliis, & clericis jurare paratis, episcopi hanc dederunt sententiam, ut aut episcopus testimonia illa reciperet, & pœnam privilegii persolveret, aut monasterium illud refutaret. Episcopus autem prædictus Conon sanctæ Perusinæ ecclesiæ, monasterium illud prænominatum sancti Petri non longe a Perusina civitate constitutum, cum omnibus ad id monasterium pertinentibus, & in præfatis privilegiis titularis, domino suo Silvestro papæ refutavit, & præfato abbati pacis osculum attribuit, atque eum se adjuturum deinceps promisit. Post hæc autem idem reverendissimus papa hoc cum Romanis judicibus decrevit, ut quicunque Perusinæ ecclesiæ episcopus hanc definitam litem renovare contra hunc abbatem, vel suos successores tentaverit, decem libras purissimi auri Lateranensi palatio componat. Hæc definitio in æternum valitura permaneat.

** CONVENTUS EPISCOPORUM Barcinone anno M. IX.

Anno Christi 1009.

ANNO Christi M. IX. VII. Id. Mart. coactus est Barcinone conventus episcoporum, in quo confirmatæ sunt donationes ecclesiæ Barcinonensi factæ. Interfuerunt huic conventui Ethius episcopus Barcinonensis, Arnulfus Ausonensis, Odo Gerundensis, Silla Urgellensis, & Oliva Helenensis. *Ex schedis illustrissimi Petri de Marca archiepiscopi Parisiensis.*

** ADDITIO AD CONC. BAMBERGENSE anno Domini M. XII. celebratum.

Anno Christi 1012. *Extat supra pag. 806.*

HILDENSHEIMENSE *chronicon.* Rex (Henricus) cum summa regali reverentia Babenberg profectus est. Ibi venerabile monasterium, ipsius domni regis nobile ac speciale studium, ab Eberhardo primo ejusdem sedis episcopo, cum consensu & conventu omnium Cisalpinorum præsulum, II. Non. Maii consecratum est ad laudem & honorem domini nostri Jesu Christi, & preciosissimi martyris ejus Gedrii.

** AD CONVENTUM TOLOSANUM anni M. XX.

Anno Christi 1020.

CONVENTUS *hujus acta Catellus viderat, ex quo discimus, lib. V. commentar. Occitan. a Raymundo Tolosano archiepiscopo convocatum fuisse, cum Guillelmo comite Tolosano, archiepiscopo Narbonensi; episcopis, Carcassonensi, Biterrensi, Magalonensi, & Auscitano archiepiscopo, cum aliquot suffraganeis. Sententiam vero excommunicationis refert in hæc verba:* Nos ex parte omnipotentis Dei, & beati Petri, & omnium sanctorum, interdicimus, & excommunicamus, ab ecclesia & consortio fidelium separamus, & corpus ac sanguinem Domini, ac sepulturam prohibemus omni homini, vel feminæ, qui aliquod usaticum malum in strata de Stap usque Tolosam miserit, vel mittere consenserit, præter hoc quod Donatus modo retinet. Eandem excommunicationem, quam fecit Ausciensis episcopus cum suis tribus episcopis, abbates omnes laudaverunt.

** CONCILIUM FRANCOFORDIENSE anno Domini M. XXVII.

Anno Christi 1027.

HILDENSHEIMENSE *chronicon*: Anno M. XXVII. Ind. X. synodus generalis in Francowrdi episcoporum XXII. præsente Cuonrado Imp. in qua damnatus Godehardus diœcesim suam super Gandeshemense territorium canonice retinuit, testimonio VII. episcoporum, Brunonis Augustensis, Eberhardi Bavenbergensis, Neginwreti Paterbrunnensis, Meginardi Werziburgensis, Hildinvardi Citicensis, Sigiberti Mindensis, Brunonis Mersiburgensis. In hac synodo Godehardus juvenis frater imperatoris arma compulsus deposuit, & clericalem tonsuram accepit.

** SYN-

Anno Christi 1027.

" ** SYNODUS HELENENSIS in prato Tulugiensi.

In qua de treuga & pace actum, atque alia quæ ad disciplinam ecclesiasticam spectant, instaurata.

Edita ex tabulis ecclesiæ Helenensis a Steph. Baluzio V. cl. tom. 1. de concordia sacerd. & imp.

ANNO Dominicæ Incarnationis XXVII. post millesimum; XVII. Kal. Junii, convenit Oliba pontifex Ausonensis, ad vicem Berengarii Helenensis episcopi, tunc temporis in transmarinis partibus peregrini, una cum Udalchero sanctæ Helenensis ecclesiæ archipresbytero, & Gancelino archidiacono, & Ellemaro sacriscrinio & choraule, Gauzberto, & cæteris præfatæ sedis canonicis, cœtuque sacrorum ducum, caterva quoque fidelium, non solum virorum, sed etiam feminarum. Convenerunt autem in comitatu Rossilionense, in prato Tulujes.

Quo cum convenissent, primo rogantes Domini misericordiam, ut corda fidelium suorum ad se converteret, mentes quoque & actus dirigeret: dein requisierunt, si quæ [1] hactenus a præfatis episcopis [2] statuta fuerant, observarentur. Sed cum pene omnia invenissent nisi solum [3] pedibus conculcata, sed etiam oblivioni dedita: iterum reparare studuerunt eodem tenore, quo fuerant hactenus condita.

Constituerunt [4] itaque præfati episcopi simul cum omni clero & fideli populo, ut nemo in toto supradicto comitatu vel episcopatu habitans, assalliret aliquem suum inimicum ab hora sabbati nona usque in die Lunis hora prima, ut omnis homo persolvat debitum honorem diei Dominico: neque ullo modo aliquis assalliret monachum cum clericum [5] sine armis incedentem: neque aliquem hominem ad ecclesiam cum concilia [6] euntem, vel redeuntem; neque aliquem hominem cum feminis euntem: neque aliquis [7] auderet ecclesiam vel domos in circuitu positas a XXX. passibus violare, aut assallire. Hoc autem pactum sive treugam ideo constituerunt, quoniam Divina lex, & pene omnis Christiana religio ad nihilum deducta, ut legitur, abundabat iniquitas, & refrigescebat caritas.

Et ideo nos præcipimus supradicti, episcopus, clerus simul, & omnis ordo serviens Divinis cultibus, & coram Deo interdicimus: ut nullus homo vel femina, de suprascriptis aliquid voluntarie temerare vel infringere præsumat: nec invadat res sanctæ matris ecclesiæ Helenensis, sive cæteris ecclesiis, vel monasteriis debitas: neque aliquis, se sciente, in incestu usque ad VI. gradum permaneat: neque aliquis uxorem propriam dimittat, nec alteram feminam habeat. Quod qui fecit, sive in antea fecerit, nisi resipuerit, & pro posse emendaverit, & ad plenam satisfactionem sanctæ matris ecclesiæ coram supradictis canonicis infra mensium trium spatium venerit, a liminibus sanctæ ecclesiæ, & omnium Christianorum cœtu excommunicatus permaneat.

Et ut noveritis omnes, quale peccatum sit, jungi excommunicatis: nullus Christianus debet manducare cum eis, vel bibere, neque osculum eis porrigere, neque cum eis loqui, nisi de satisfactione: neque si excommunicati defuncti fuerint, debentur ad ecclesias sepeliri: neque aliquis clericus vel fidelis debet pro eis orare.

Si vero pro nihilo duxerint excommunicationem: transactis tribus mensibus, anathematis vinculo, id est, ut perditi sicut Judas proditor, damnentur. Et si, quod Deus avertat, in hac perfidia obierint: corpora illorum cum psalmis & hymnis, vel spiritalibus canticis, non ducantur ad sepulturam, nec inter fideles mortuos eorum nomina ad sacrum altare recitentur. Et quia peccatum perpetraverunt ad mortem: nisi pœnituerint, sine fine damnentur in æternam damnationem.

Omnibus canonicis suprascriptæ sedis interdicimus coram Deo & sanctis ejus, ut nullus eorum de his aliquid solvere audeat sine consensu præfati archipresbyteri vel archidiaconorum, sive sacriscrinii, & caputscholaris, vel cæterorum fratrum canonicorum.

Ministeria autem Divina sine intermissione fiant pro excommunicatis per spatium trium mensium: ut *det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant a laqueis diaboli, a quibus capti tenentur ad ipsius voluntatem.* 2. Timoth. 2.

Quod qui noluerit perficere, noverit se mulctandum, nisi resipuerit, suprascripta excommunicatione. Omnibus autem supradicta observantibus pax & misericordia concedatur a Domino Jesu Christo hic & in perpetuum. Amen.

1 Legebatur, sicque: cujus emendatio & perspicua, & necessaria.
2 Nempe ab Oliva & Berengario, in synodis prius celebratis.
3 Corr. non solum.
4 For. constituerant, hoc est, Berengarius & Oliva prius in synodis suis ediderant statuta quæ sequuntur, quæque nunc Oliva servari mandat.
5 Corr. aut clericum.
6 For. cum familia.
7 Male legebatur, aliquid.

OBSERVATIO G. COSSARTII.

AD annum MXLVII. rejecit hanc synodum eruditissimus illius editor, cum existimaret posteriorem esse concilio Helenensi celebrato a Guifredo Narbonensi archiep. quod ipse anno MXLV. affigit. Ego vero & concilium istud anno circiter MIXV. tribuendum esse, supra demonstrasse mihi videor, & ad illud cur respexisse synodus nostra dicatur, causam nullam video; & anno MXLVII. celebratam non esse, hoc maxime persuadet, quod ejus præses Oliva Ausonensis anno MXLV. Garibayo teste, obierit.

Anno Christi 1037.

" ** CONCILIUM ROMANUM, In quo Andreas Perusinus episcopus cedit jure omni in monasterium S. Petri anno Domini M. XXXVII.

Ex Tomo IX. Italiæ sacræ.

NOTUM sit omnibus præsentibus ac futuris, qualiter Andreas episcopus sanctæ Perusinæ ecclesiæ, refutavit domno Benedicto IX. papæ consecratori suo monasterium videlicet sancti Petri, quod situm foris murum supradictæ civitatis, & aliud monasterium, scilicet sancti Salvatoris, & monasterium sanctæ Mariæ in valle de Ponte, nimirum cum omnibus proprietatibus, atque pertinentiis eorum; adstantes ibidem Dominicus episcopus Lavicanensis, Robertus episcopus Signensis, Ugo episcopus Assinensis, Ugo abbas Farfensis, Bartholomæus abbas Græcus, Joannes abbas sancti Montani, Ugo diaconus sanctæ Romanæ ecclesiæ, Crescentius diaconus ejusdem ecclesiæ, Leo subdiaconus, Benedictus presbyter cardinalis, Sergius scriniarius: quinetiam cuncta, quæ superius prælibata sunt, proprio ore per sacramenta sanctorum evangeliorum conservare professus est: adjudicante illi sacramentum Gregorio germano prædicti papæ. Postea vero denominatus episcopus, se jactando, atque injuriam faciendo in quodam archipresbytero sancti Constantii, supradicti monasterii sancti Petri, ostendit se causare monasterium, atque ad suum jus intromittere. Tunc venerabilis abbas Bonizo venit ad synodale concilium, indicavit hoc jam prælibato papæ. Ipse vero Benedictus summus apostolicus, sciscitavit eundem Andream episcopum, si aliquo modo causaret supradictum monasterium. Ipse enim nulla ratione eum causare professus est, atque iterum refutavit coram domno Benedicto papa, necnon & eorum cunctis episcopis, atque abbatibus, quorum nomina inferius adnotare curavimus.

Petrus

ANNO CHRISTI 1037.

Petrus episcopus S. Rufinæ, patronus ejusdem monasterii.
Tendaldus Albanensis episcopus.
Petrus Ostiensis episcopus.
Joannes episcopus Prænestensis.
Leo episcopus Belletrensis.

Munaldus Ariminensis, Petrus Castellensis, Teudaldus episcopus Ugubinensis, Adam Frosumbrinensis, Tedericus Orbinensis, Arduinus Monfeltrensis, Onestus Forumpopulonensis, Adalbertus Senensis, Ugo Farensis, Ugo Asisenatensis, Azo Centumcellensis, Albertus Castranensis, Joannes Lucanensis, Atto Florentinus, Jacobus Fesulanus, Heinricus Populoniensis, Joannes Suanensis, Leo Orbitensis, Gotifredus Volaterrensis, Wido Pistoriensis, Wido Clusinensis, Crescentius Rosellensis, Joannes Terracinensis, Stephanus Seccensis, Joannes Pipernensis, Giraldus Berolensis, Landovinus Ortensis, Crescentius Fallarensis.

Joannes cardinalis Benev. archidiaconus, cum aliis equidem sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconibus.

Gregorius abbas sancti Sabæ, Titus abbas sancti Pauli, Franciscus abbas sancti Laurentii, Benedictus abbas sancti Petri a vinculis, Crescentius sancti Silvestri, Martinus abbas de Farneto.

Et aliorum diversorum ordinum nomina quæ perlonga sunt ad narrandum, &c.

Hoc factum est in præsentia supradicti Benedicti papæ, temporibus domini Chounradi imperatoris, IV. nonas Novembris per Indictionem quintam.

ANNO CHRISTI 1046.

* CONCILIUM ROMANUM anno M. XLVI. a Clemente papa II. celebratum,

In quo statutum, ut Ravennati episcopo secundus a pontifice Romano locus in conciliis absente imperatore tribueretur.

Testes hujus concilii supersunt Clementis litteræ synodicæ apud Ferdinandum Ughellum, Italiæ sacræ tomo II. in hunc modum:

Clemens episcopus, servus servorum Dei, omnibus sanctæ ecclesiæ filiis, perpetuam in Christo salutem.

Quod propulsis ab apostolica sede his qui in ovile sacratissimum apostolorum principi Petro a Christo Domino commendatum non ingressi fuere per ostium, sed aliunde surrepsere, utpote fures & latrones, prospicientes suis commodis potius, quam gregis humilitati, non est nostris meritis adscribendum, sed Divinæ benignitati, qui elegit ea quæ non sunt, tanquam sint, ut ea quæ sunt, evacuentur. De multis autem quæ in ipso nostri pontificatus primordio acta sunt in synodo, quam & pro communi utilitate maturavimus, & circa nonas Januarias celebrantes unum propitiante Domino nobis concessum est illic determinare, quod multoties ventilatum a retro pontificibus prædecessoribus nostris, aut vix aut nullo fine sopitum est, illud videlicet in synodo sedendi jurgium quod emerserat inter Ravennatem, & Mediolanensem archiepiscopos, unde & in ipsa nostra synodo Aquileiensis patriarcha mussitabat. Quisquis enim sibi juxta nos dextri lateris locum vendicabat, & cui jure deberetur, nobis incertum erat. Contigit autem prima die synodi non interesse Mediolanensem archiepiscopum a primordio, sed jam die inclinato, cum patriarcha a dexteris nostris sederet, interposita tamen sella carissimi filii nostri Imp. Henrici, qui jamjam advenire putabatur, quia eo loci erat electus quoque Ravenn. ecclesiæ a sinistris ut sederet; quo Mediolanense archiepiscopo in medium veniente, dexterum quia locum petierat, hinc acclamatum est ab electo Ravenn. sibi deberi illum; simili modo a patriarcha Aquileiensi: & ita unius rei altercatio inter sese orta est. Placuit autem universæ synodo trium partium dissensionem coram differri. Statimque prolatus quidam catalogus nominum eorum archiepiscoporum, qui interfuerant synodo Symmachi papæ, ubi præscriptus erat Mediolanensis archiepiscopus, quo contra ostensum est privilegium Ravennatis ecclesiæ, continens qualiter illa inscriptio nominum non aliquo jure, non aliqua plenitudine, sed potius gratia humilitatis evenerit; quod scilicet archiepiscopus Ravenn. permiserit præscribi sibi illo tantummodo casu archiepiscopum Mediolanensem: &, ne propterea quivis error imposterum gigneretur, placuisse papæ Joanni successori illius Symmachi ipsum privilegium fieri, hoc autem propterea ut quis videretur esse major, quamvis non dextra papæ Romani semper jure deberetur archiepiscopo Ravennati: addendum tamen ei esse, soli imperatori, si præsens adesset, & sic ad sinistram eum transmigrare debere. Quibus duorum altercatorum ostensis, cæteri quoque altercatoris, idest patriarchæ, ostensum est privilegium a Joanne XIX. papa actum similiter de sessione ad dexteram partem. His auditis, universa synodus interrogata est. Primo autem omnium Romani episcopi, clerusque Romanus, quibus autoritas est major, & ipsa res nota erat: deinde * retribuimus. Cumque ex ordine Joannes episcopus Portuensis, & Petrus diaconus nostræ apostolicæ sedis cancellarius, privilegium Ravennatis ecclesiæ vice sua universæ partes laudarent: Poppo quoque Brixiensis episcopus hoc idem fecit, ejusque vocem tota synodus est consecuta: quo igitur in unum placitum vox omnium conveniens, noster quoque assensus pari ratione accommodatus est. Ut vero quod actum est, omnibus innotescat, placuit nostris apostolicis litteris annotari, & tam præsentibus quam futuris intimari, ut tanto firmius valeat, quanto constat de nostro ore audiri. Verum ne posthac iterum vel archiepiscopo Mediolanensi, vel patriarchæ Aquileiensi, de sessione dextri lateris nostri liceat excitare quamlibet controversiam: interdicimus nostra apostolica autoritate hoc eis de cætero licere. Quod si forte fuerit præsumptum, pro temeratione interdicti nostri, non modo bannum sancti Petri nostræ sedi persolvat, verum nostræ quoque excommunicationis, & anathematis laqueos incurrat. Sedem etiam Ravenn. archiepiscopi jubemus semper esse a dextris nostris nostrorumque successorum, secundum antiquæ constitutionis autoritatem, nisi forte imperator affuerit: & tunc etiam ipsum sinistrum locum tenere per hanc nostræ autoritatis firmitatem huic nostræ narrationi subjectam. Scripta per manum Joannis scrinarii, & notarii sacri nostri palatii.

Anno Christi 1049.

"** CONCILIUM ROMANUM,

In quo privilegium monasterio S. Gratæ Bergomensis diœcesis concessum est.

" pag. 637.

Extat tomo IV." Italiæ sacræ privilegium monasterio S. Gratæ a Leone papa IX. concessum: sed cujus anni concilio, incertum. Neque enim unum Romæ concilium Leo celebravit. Quod igitur anno M. XLIX. *tribuerit Vghellus, mera divinatio est. Et privilegium ipsum totum, merum fortasse figmentum dici debet: cum in eo sit mentio Conradi Imp. eidem concilio præsentis, qui tamen decem annis totis ante Leonis pontificatum obierat. Irrepsisse librarii errore nomen Conradi suspicatur Vghellus. Quod si ita est, suaque privilegio fides asseritur: fatendum certe est, editum in aliquo concilio fuisse, cujus memoria nobis alia nulla suppeditat. Quatuor enim quæ extant Romanæ synodi Leonis papæ IX. statim post pascha celebratæ sunt: earum igitur nulli tribui potest privilegium,* VI. *Idus Iunii consignatum. Quale autem id cunque est, hic exhibeo.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

Ego Leo, servus servorum Dei, una cum reverendissimis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, aliisque sanctæ ecclesiæ catholicæ fidelibus in sacra synodo residentibus, necnon & judicibus legisque doctoribus, spirituali filio domino Conrado imperatore, intervenientibus precibus Ambrosii Pergamensis " episcopi, necnon Older. Brixiensis episcopi, postulantibus insuper prædictis imperatore & similiter prædictis reverendissimis episcopis, nos sanctamque synodum deprecantibus: nostra & totius sacræ synodi largitione concessimus monasterio S. Gratæ curtem & castrum, attinentia, & cuncta quæ Adleida mater S. Gratæ, quæ hoc monasterium de propriis rebus ædificavit, & imperialibus constitutionibus seu præceptis omnia ad eumdem monasterium pertinentia multo jure confirmata constituit, ut electiones abbatissæ in sororum ordinatione permaneant, & omnia in potestate abbatissæ sine aliqua diminutione consistant, & regibus, sive pontificibus, patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis, episcopis, abbatissæ, seu a quolibet vestrorum, & domino clero intemerata permanere perpetualiter constituimus sanctæ Pergamensi matri ecclesiæ, ubi domnus Ambrosius episcopus præordinatus esse videtur, nostra synodali concordi largitione concedimus, ac omnia quæ spiritualiter agere debet, hoc est, circa consecrationem abbatissæ vel monacharum, & de nulla se intromittant, neque de castro, & curte de Saranica, neque de aliis castris & villis, campis, vineis, casis, molendinis, tam de civitate Pergamensi, quam de foris per totum comitatum cum omnia & omnibus ad eumdem monasterium sanctæ Gratæ de prædicto episcopo attinentia cum religioso jure concedimus. Unde si quis contra hanc apostolicam & synodalem autoritatem & largitionem quisquam episcopus invasor aliquid molietur, sive contra hoc quod prædiximus, repugnaverit, cujuscunque gradus, vel ordinis, aut officii, vel dignitatis, aut generis, sciat se in iram beati Petri apostolorum principis, & omnium sanctorum, & nostram, nostrorumque prædecessorum cursurum, & æternaliter anathematis vinculo damnatum, ac in excommunicatione victurum universalis ecclesiæ & cuncti populi Christiani. Insuper nisi a malo resipuerit, irrevocabili exilio puniatur, vel ultimis suppliciis feriatur, & bona ejus publicentur. Qui vero pio intuitu custos & observator in omnibus extiterit, benedictionis gratiam & vitam æternam cum omnibus sanctis habere mereatur in sæcula sæculorum. Amen. Fiat, fiat. In his autem interfuerunt archiepiscopi, episcopi, abbates, judices Romani seu de vicinis & longinquis civitatibus. Interfuit D. Conradus imperator, & Ambrosius, & Oldericus, episcopi, &c. quorum impulsu N. Prænestinus, Georgius Portuensis, Deodatus Hostiensis, Martianus Narniensis, Benedictus Tiburtinus, Bernardus Castriensis, Joannes Petrosinus, Gregorius Ortensis, Georgius Tiburtinus, Valentinus Manotensis, Theodorus Milleto, Savinus abbas Planetæ, D. abbas Altinensis; omnes archiepiscopi, episcopi, abbates, & reliqui plures cardinales, sic actis interfuere. Gregorius cardinalis ad vincula, Benedictus sanctæ Cæciliæ, Andreas presbyter patriarcha Lateranensis, Julianus presbyter Lateranensis, Faustinus presbyter sancti Petri, Marcus presbyter sancti Petri apostoli. Hi omnes cardinales his actis interfuere. Faustinus caput senatus & consul, & judex de palatio, Julianus de Ferna Muana Romanus, Paulus de templo palatii, & plures alii.

Data & corroborata VI. idus Junii in patriarchio Lateranensi Domini salvatoris feliciter. Amen, amen. Subscriptio notarii, omisso signo.

Ego Stephanus notarius interfui, & jussu D. Leonis summi pontificis omnia supradicta scripsi & tradidi.

" hoc est, Bergomensis.

Anno Christi 1056.

" Extat supra p. 1084.

"** ADDITIO AD CONCIL. TOLOSANUM anno Domini M. LVI. " celebratum.

Ex editione Baluziana.

QUERIMONIA BERENGARII vicecomitis Narbonensis adversus Guifredum archiepiscopum Narbonensem, proposita in concilio apud Tolosam habito sub Raimbaldo Arelatensi, & Pontio Aquensi, archiepiscopis, Victoris secundi papæ legatis, anno Christi M. LVI.

Sanctæ huic conglomerationi vicariorum Dei, legatis scilicet summi pontificis Romani vicem obtinentis beati Petri apostolorum principis, ejusque vice fungentibus, archiepiscopis videlicet & episcopis, necnon & abbatibus hanc in synodum sanctam sistentibus, ex catholica fide tractantibus, hæc querimonia non modica ideo præsentat, ut & legatur, & audiatur, dijudicetur, atque definiatur. Sed ut plenius dijudicetur, ad originem inchoetur.

Ego Beringarius Narbonæ urbis proconsul, querimoniam hanc vobis omnibus facio palam, quam de metropolitanum meum fratrem vestrum habeo magnam. Archiepiscopatus quippe Narbonæ fuit cujusdam avunculi mei Ermengaudi archiepiscopi, cujus in diebus idem episcopatus unus erat ex melioribus qui sunt de Roma usque Hispaniæ finibus, villis atque castellis ditatus, prædiis & alodiis locupletatus: cujus ecclesia plena erat codicibus, aureis adornata tabulis & scriniis & crucibus, aureis fulgebat co-

ro-

ronis preciosisque lapidibus. Canonicorum ibidem multorum voces certis horis audiebantur, orationes dabantur, & omnium bonorum operum incrementis ibidem agebantur. Castra autem ipsius ecclesiæ, & villas, prædia, & possessiones, non a laicis fruebantur, sed a famulantibus in ea Deo possidebantur. Ecclesiam vero illam olim pius rex Karolus fabricaverat, atque in honore sanctorum Justi & Pastoris consecrare fecerat, & eam inclyte castellis, & villis, terrisque locarat, & vineis, sicut & a veteranorum traditur dictis, & ut legitur in regalibus ejusdem ecclesiæ præceptis. Defuncto autem præfato divæ memoriæ archiepiscopo, Guifredus Cerdaniensium comes Narbona adiens, cujus consanguineam ego jam possidebam uxorem, exquisivit utrosque parentes meos & me ipsum de præfato archiepiscopatu ad opus filii sui suprascripti nostri antistitis, qui non erat adhuc nisi decem annorum, & spopondit pro eo magnum dare donum inter comitem Rutenis, & patrem meum centum millia solidorum. Sed pater meus & mater mea non ei adquiebant. Ego autem amore tantæ consanguinitatis ductus, & simulationis amicitate deceptus, segregavi me pro hac re a consortio genitorum meorum; & nisi mihi adquievissent, arbitratus fui interficere illos. Cernens enim pater meus me motum, meque contra se ira fore molestum, adquievit meæ voluntati, & petitionibus præmemorati Gaufredi, atque inter se & comitem Rutenis acceptis centum millia solidis precium pro episcopatu, dedimus eum prænotato filio suo antistiti nostro; qui jurejurando, Deumque testando, dixit nobis suum dictum firmum & fidem firmam, quia si ille foret antistes noster, ut fuit & est, ullum nostrum neque de nostris non esse damnum, neque damnum ipsius episcopatu. Sedente autem illo in cathedra, & ætate atque honore crescente, dum fisus eram ut ipse esset mihi auriga & arma & clypeus contra cunctorum hostium telis, & memoraret consanguinitatem meæ uxoris, & tanti locum honoris, in quo adjutus sum ponere illum, & ut mihi erat testatus, juvaret mihi honorem tenere atque habere: tunc surgens, quasi diabolus, superbe atque repente exacerbavit me, & provocavit ad iracundiam & ædificavit super me castra, venitque cum ingenti exercitu super me, & fecit mihi guerram crudelem, & fuere interempti pro ea ex utraque parte fere millia homines. Tunc vero castra, & villas, prædia, & possessiones, quæ erant in dominium præfatæ ecclesiæ, fiscos & possessiones canonicorum, & quæque ex comunia erant, abstulit Deo & famulantibus ei, deditque diabolo ac militantibus illi. Et ita alia omnia ad laicalem vertit censuram, ut etiam omnes qui ea possident, quasi per alodia habent paterna. Inter hæc autem Eriballum Urgellitensem præsulem contigit mori. Et præfatus archiepiscopus adquisivit illud episcopatum ad opus fratris [a] sui Guilielmi, & spopondit date pro eo centum millia solidos. Quod mihi satis libuerat, si meum damnum non esset. Firmato autem tanto munere pro ipso episcopatu, archiepiscopus præmemoratus, hostis Dei & hominis, ad sedem suam rediens, atque ecclesiam suam adiens, thesauros quosque, qui a conditione in eam congregati erant, subtraxit. Tabulas vero & postabulas & cruces & scrinia reliquiarum aurea & argentea excoriavit. Patenas insuper calicum aureas vel argenteas, ubi sancta sacrificia sumebantur, in manibus aurificum Judæorum misit ad destruendum, & Hispaniam venundari pro ipso episcopatu. Codices autem, qui ibi erant variis generibus, non meliores reliquit. Sed ita male suam ecclesiam dissipavit, ut etiam & clerici desunt, & qui inibi sunt, inopes & mendici: & nullus pulcher in ea apparet. Non chlamydes, neque capas polemitas, non cyclades, non dalmaticas, non cureballi, non lignum Dominicum. Omnia hæc, quæ a conditione ibi plura congregata erant, sed dissipavit ea, deditque pro episcopatu fratris sui. Insuper, quod pejus est & inhonestum, commendavit se manibus ad comitissam Urgelli. Pro qua re non solum mihi, sed etiam cunctis nostræ patriæ nobiles in magnum ruit odium. Quo peracto, aggregavit concilium non modicum juxta præfata urbe Narbona multorum sui diocesi episcoporum, inter quos fuit hic Raimbaldus Arelatensis archiepiscopus; & in eorum atque nostrorum omnium præsentiam reliquit cunctas armas militarias, & omnem sæculi militiam, atque excommunicando misit sub anathema tam semetipsum quam omnes sui diocesi episcopos, qui ab illa die deinceps armis erant sumpturi. Qui non multo post acceptis armis ut miles, non corrigia succinctus lumbis, sed ferro, & debellavit mecum. Et quot mortui, quot vulnerati, quot detruncati, quantæque adustæ ecclesiæ, & exarsæ reliquiæ, si per singula enarrare voluero, fortasse & vobis foret fastidium, & facilius dies quam copia deserit. Deinde venerunt episcopi in meam terram, & mecum una cum eodem archiepiscopo firmaverunt treguam Dei inviolabilem tenere in omnem meam terram, atque ex eadem corruptores teterrimam justitiam facere. Unde idem archiepiscopus & ego hanc fecimus convenientiam, ut de cuncta quæ emendata fuissent per ipsius treguæ fractionem, una medietas fuisset præfatæ ecclesiæ, alia mea pro exercenda justitia. Ego autem consensi ipsam meam medietatem condirectioni* ipsius ecclesiæ. Sed ille non in ejus condirectionem, sed in destructionem misit: quia & ab ecclesia eam abstulit, & militibus per solidatas tribuit potius, quam decem millia solidos. Qua data Deo & fortiter firmata, qui primi eam fregerunt in nostra patria, sui milites ex suo exientes castello, occiderunt unum militem meum in treguam Dei, & retinuit homicidas illos, & nullam quivi ab eo impetrare justitiam. Deinde Petrus Raimundi Biterrensium comes in treguam Dei violavit ecclesiam sanctæ Mariæ, cœnobium loci electi, ubi mirificum habetur lignum Dominicum, & extraxit abinde duos milites inclinatos atque innoxios, & unum ex eis, qui erat consanguineus meus, pependit in ligno, & occisit morte crudeli quasi cleptem. Unde idem archiepiscopus talis suffragator extitit, ut etiam sacrilegos & homicidas illos in sua se mittentes potestate patrocinavit, suffragatorque eorum extitit; & in eo ullam non valui invenire justitiam. Præterea sacramenta quæ mihi super sancta altaria manibus juratus est multa, unquam non mihi tenuit, sed omnia fregit. Ad ultimum vero bonum opus operatus est, satis Deo & universæ plebi Narbonensis placibile. Unde mala hæc omnia oblivisceramus, si nobis in bonum venisset. Corpora namque sanctorum Justi & Pastoris, quæ præmemoratus rex Karolus ab Hispania deferens; atque in via carens, in

in præfata in eorum honore ædificata ecclesia collocare optaverat, quæ nobis nostrisque patribus multum erant optata, ab idem archiepiscopo explorata & capta, ad suam usque cum honore asportavit ecclesiam, atque honorifice collocavit. Unde non solum a me, sed etiam a suis civibus laudatus atque dilectus erat. Qui non multo post, litigante eo cum suo archidiacono, voluit trahere prædictorum corpora sanctorum ab ecclesia eorum. Et ego rogavi eum ne hoc fecisset, & volui ei dare obsides per decem millia solidos, ut si ullus homo vel fœmina ullam vim ei faceret de ipsorum corpora sanctorum, aut de ullo munere eis oblato vel præsentato, ego de illo vel illis hoc facientibus adjutor essem prædicto pontifici per fidem non finctam. Idem vero archilevita voluit ei satisfacere in judicio episcopi Arelato. Qui renuit; sed substracta ab eadem sede tantorum corpora sanctorum duxit & inhoneste collocavit in quandam villanam ecclesiam. Ibi suam cathedram fabricavit, ibi ordinem suum fecit, ibi suas synodos tenuit, ibi codices & cruces & lignum Dominicum asportavit, ibi clericos primæ sedis, quos meliores invenit, constituit; & ita eligens membrum, caput reliquit quasi tugurium. Insuper cuncti nostræ patriæ nobiles, & plebs cuncta, qui soliti sunt occurrere ad civitatem & ad sedem suam, & pœnitentes sua munera ad suam sedem dare atque præsentare solentibus, multosque adjutorios ad operam suæ ecclesiæ facientibus, abstulit, & munera illa suis militibus per solidatas tribuit, & suam ecclesiam desertam & sine capite dereliquit. Interim vero idem archiepiscopus habuit mecum placitum, & constrinxi me ei ad suum libitum satisfacere, & dixit mihi suum dictum & fidem, quam meliorem ei requirere potui, ut & ad sedem suam rediret, & corpora sancta in ea restitueret. Qui mentitus est mihi, sed ut mihi fuit testatus, facere noluit, & est mihi mentitus suum dictum & suam fidem. Deinde conjux mea videns eum, rogavit restituere corpora sancta, & idem ipse ad ecclesiam suam redire, directumque nostrum supra modum accipere, neque audire voluit: sed testatus est ei altitonantem ducere ipsa sancta corpora in aliena patria, & usque in æternum nobis non esse recuperanda. Quæ audiens, metuens ne subito, sicut juratus est, hoc faceret me absente & ignorante, fuit ad præfatam villæ ecclesiam, non adhuc consecratam, & traxit exinde corpora sancta, restituitque & condidit honorifice in sedem suam. Deinde conjux mea prostrata coram eo, suum postulavit accipere directum: qui renuit. Ego autem confestim ut hoc novi, vidi præfatum archiepiscopum; voluique ei affirmare directum & de me & de conjuge mea & de omnes meos in judicio sui diocesi episcoporum & episcopi Arelato per decem millia solidos: qui renuit. Deinde in judicio legati apostolici & hujus sanctæ synodi: & hunc sprevit. Ad ultimum vero exclamavi sanctum Petrum & judicium domni apostolici, ut irem coram eo, & in ejus manu ei affirmarem directum. Hunc multo parvi pendit; sed excommunicavit inclementer atque injuste me & meam uxorem, meosque infantes, & omnem nostram terram, tam crudeliter, ita ut nullus ibi [b] baptizetur, nec communicetur, nec sepeliatur. Nos autem, nisi timor Dei esset, parvi penderemus suam excommunicationem, quem tot malis novimus sceleratum, & a papa Victore cum cxx. episcopis [c] anathematiza-

A tum, & simoniacum, qui omnes ordines suos vendidit, qui omnes episcopos, taceam de alienos, sed omnes quos in mea terra ordinavit, usque ad novissimum quadrantem redimere fecit. Quod si non creditis: Luteveniem requirite episcopum, & Helenensem; & hi hoc vobis testificentur, qui ab eo sunt ordinati. Neque ecclesias meæ terræ consecrare voluit, donec datum earum tenuit. Nuper autem duos meos milites venientes ex vigiliam sanctæ Salvatoris Anianæ, die Epiphaniæ, eo jubente atque suffragante, sunt capti & tenti; & eos qui illos ceperunt, patrocinat, & dat eis solidatas. Ideo ego Beringarius præfatus hanc vobis & Domino Deo facio que-

B rimoniam, & postulo justitiam: quam nisi impetravero, suæ excommunicationi parvi pendero, & in meam terram treguam nullam tenebo, neque judicium apostolici amplius adclamabo.

Quod ego Beringarius ita superius queror ad legatos summi pontificis superius, & ad cunctos episcopos & abbates, quoniam ad synodum Arelati conabam ostendere. Sed quoniam nihil profuit, ad domnum apostolicum ideo libens mittere curavi. Quem rogo per Deum & sanctum Petrum, ut ab hac excommunicatione me absolvat, meoque præsuli de me satisfaciat: quoniam usque Romam ego lubentius satisfacere ire non ambigo; ille, nisi ligatus, umquam sponte non

C ibit.

Ex notis Stephani Baluzii ad hoc concilium.

De tempore quo querimonia isthæc proposita est, video non unam esse omnium sententiam. Nam aliqui putant actum id esse anno MLXVI. & quidem in concilio apud Narbonem habito; decepti, opinor, autoritate quorundam actorum illius anni, quorum mentio extat apud Catellum in pag. 582. & 781. earundem memoriarum, quæ vero docent graves tum controversias fuisse inter archiepiscopum & vicecomitem. Sed ego ut aliter sentiam faciunt multa. Nam ista querimonia prolata fuit coram legatis summi pontificis, præsente Raimbaldo Arelatensi archiepiscopo; & quidem vivente papa Victore, ut ego quidem arbitror. Scimus autem legatos ejusdem Victoris, Raimbaldum Arelatensem, & Pontium Aquensem, archiepiscopos, sy-

D nodum in Tolosana urbe celebravisse anno MLVI. cui interfuit Guifredus Narbonensis archiepiscopus. Deinde, hæc querimonia habita est in synodo cui Lodovensis & Helenensis antistites affuerunt. At Rostagnum Lodovensem episcopum, & Arnaldum Helenensem, interfuisse concilio Tolosano anni MLVI constat ex actis concilii. Denique, si post mortem Victoris ista acta sunt, cur Berengarius solum Victoris anathema commemorat adversus Guifredum, quem ex Gregorii VII. testimonio constat a multis Romanis pontificibus excommunicatum fuisse: Haud dubie valuisset istud ad augendam invidiam, præsidiaque magna in causam Berengarii inducere poterat. Sed videlicet Guiffredus a nullo hactenus Romano pontifice excommunicatus fuerat, quam a Victore.

a Fratris sui Guilielmi] Contigit istud circa annum Christi millesimum quadragesimum primum. Nam Heribaldus episcopus Urgellensis vivebat adhuc

E anno MXL. xv. Kal. Octobris, ut patet ex chartulario ecclesiæ Urgellensis. Guilielmus autem episcopus Urgellensis, Heribaldi successor, interfuit concilio Narbonensi anno MXLIII. xvi. Kal. Aprilis. Fortassis ergo id actum anno MXLII. vel initio anni MXLIII. cum statim dicat Berengarius, Guifredum archiepiscopum congregasse concilium non modicum apud Narbonem haud multo post quam Guilielmum locaverat in cathedra Urgellensi, & huic concilio interfuisse Raimbaldum Arelatensem archiepiscopum. Raimbaldum porro interfuisse concilio Narbonensi, de quo mox dicebamus, docent acta illius concilii quæ extant in archivo monasterii Cuxanensis. Nisi si istud concilium interpretemur illud quod in eadem urbe Narbonensi habitum est a Guifredo Kalendis Augusti ejusdem anni, cui etiam interfuit Raimbaldus, ut fidem faciunt veteres schedæ hactenus meditæ.

Nuc-

Anno Christi 1056.

b b Nullus ibi baptizetur] Durum iſtud ac valde inhumanum, & prorſus contrarium regulis eccleſiaſticis, quæ tempore interdicti ſervant locum humanitati, concedentes baptiſma parvulorum, pœnitentias morientium, viaticum in exitu mortis, ſepulturam clericorum, pauperum, peregrinorum, & infantium a bimatu & infra, benedictiones nuptiales, purificationes mulierum prout in variis regionibus regulæ variant. In univerſum tamen affirmare licet, tempore interdicti permiſſum fuiſſe baptiſma parvulorum, itemque pœnitentiam morientium. Vide cap. *Inquiſitioni tuæ.* De ſentent. excommun. A

c c Anathematizatum] Nimirum in concilio Florentino, quod a papa Victore II. habitum fuerat anno ſuperiore. Cui concilio interfuiſſe c x x epiſcopos docet hic locus. Ad eam porro Guifredi Narbonenſis excommunicationem reſpexiſſe videtur Gregorius VII. dum hæc in concilio Romano ſanciebat anno MLXXVIII. *Renovamus etiam excommunicationem a prædeceſſoribus noſtris factam ſuper Guifredum archiepiſcopum Narbonenſem, & abſque ulla recuperationis ſpe ab epiſcopali officio eum ſubmovemus.* B

Anno Christi 1058.

*** DUO CONVENTUS EPISCOPORUM in provincia Narbonenſi, anno Domini M. LVIII.

I. Conventus Helenenſis.

I. ANNO XXVIII. regni Henrici regis, convenerunt Guifredus archiepiſcopus Narbonenſis, Guifredus epiſcopus Carcaſſonenſis, & Berengarius Helenenſis, ad dedicationem Helenenſis eccleſiæ. Quo in conventu recitata videtur epiſtola canonicorum Helenenſium de reſtauratione illius eccleſiæ, & de querela adverſus vicecomitem Caſtrinovi. *Ex ſchedis Petri de Marca Parſ. archiep.* C

II. Conventus Barcinon.

II. Eodem anno ad Barcinonenſis eccleſiæ dedicationem convenerunt, Guifredus Narbonenſis, & Raimbaldus Arelatenſis, archiepiſcopi; epiſcopi vero, Guillelmus Urgellenſis, Guillelmus Auſonenſis, Berengarius Gerundenſis, Arnallus Helenenſis, Paternus Tortoſenſis, & Guilabertus Barcinonenſis. In eo conventu multa ſtatuta ſunt, quæ ad res eccleſiaſticas pertinent.

Lectum quoque in hoc conventu decretum Hali ducis Deniæ & inſularum Balearium: quo ad exemplum patris ſui Mugehid inſulas Baleares, & epiſcopatum Deniæ, poſuit ſub jure & diœceſi epiſcopi Barcinonenſis. Cui decreto ſubſcripſerunt, Raimbaldus epiſcopus Arelatenſis, Guifredus archiepiſcopus Narbonenſis, Arnaldus epiſcopus Magalonenſis, & Guillelmus Urgellenſis. *Ex ſchedis iiſdem.* D

Anno Christi 1059.

*** AD CONCILIUM ROMANUM anni Domini M. LIX.

EX *Vaticano codice* 1984. *depromptas habuimus hujus concilii ſubſcriptiones, beneficio R. P. Petri Poſſini S. I. cujus officioſiſſimis curis plurimum hæc editio debet. Earum exemplum hoc habe.*

Nicolaus epiſcopus ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, huic decreto a nobis ſic ſuperius legitime promulgato ſubſcripſi.
Bonifacius Dei gratia Albanenſis epiſcopus.
Ubertus epiſcopus ſanctæ Sylvæcandidæ eccleſiæ.
Petrus Oſtienſis epiſcopus.
Petrus Lavicanus epiſcopus.
Hujuſmodi Romani epiſcopi ſubſcripſerunt una cum Joanne Portuenſi epiſcopo.
Joannes card. tit. ſancti Marci.
Leo card. tit. ſancti Damaſi.
.... card. tit. ſanctæ Mariæ trans Tiberim.
Deſiderius card. tit. ſanctæ Cæciliæ.

Anno Christi 1059.

Hujuſmodi ſubſcripſerunt. A
Mancinus diaconus.
Creſcentius diaconus.
Amatigus diaconus.
Hujuſmodi diaconi ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubſcripſerunt.
Hildebrandus monachus & ſubdiaconus, & cæteri Romanæ eccleſiæ ſubdiaconi ſubſcripſerunt.
V. archiepiſcopus Bomegradenſis patriarcha.
Ugo Gryſopolitanus epiſcopus.
Hildeprandus Capuanus archiepiſcopus.
Uldericus Beneventanus archiepiſcopus.
Ulphanus Salernitanus archiepiſcopus.
Hujuſmodi ſubſcripſerunt.
Joannes epiſcopus Savinenſis. B
Joannes epiſcopus Tiburtinenſis.
Rolandus epiſcopus Sutrinenſis.
Erlardus epiſcopus & abbas ſancti Pauli.
Leo epiſcopus Gajetanus.
J. epiſcopus Firmanenſis.
Pandulfus epiſcopus Marſienſis.
Atto epiſcopus Reatenſis.
Dominicus epiſcopus Vabenſis.
Palumbus epiſcopus Suranenſis.
P. epiſcopus Caſtellanenſis.
Joannes epiſcopus Pavenſis.
Lodoicus epiſcopus Amiterninus.
Hermanus epiſcopus Caſtellanus.
Henricus epiſcopus Spoletinus. C
Maginandus epiſcopus Arbinenſis.
Gottifredus epiſcopus Avellanenſis.
Uldericus epiſcopus Firmenſis.
Berardus epiſcopus Eſculanus.
Hugo epiſcopus Camerinenſis.
Hugo epiſcopus Numantinus.
Tranſmundus epiſcopus Feſulanus.
J. epiſcopus Suanæ.
Nofreaus epiſcopus Senenſis.
Vido ep..............
P. epiſcopus Vulturnenſis.
Benedictus epiſcopus Sueſanus.
Azo epiſcopus Fulinenſis. D
P. epiſcopus Apicrenſis.
Girardus epiſcopus Roſelanus.
Anſelmus epiſcopus Lunenſis.
P. epiſcopus Penſarienſis.
Adulfinus N. epiſcopus.......
Rodulfus epiſcopus Eugubinus.
Viſodonus epiſcopus Senagalienſis.
Martinus epiſcopus Fundenſis.
Martinus epiſcopus Tudertinus.
Arduinus epiſcopus Tianenſis.
B. epiſcopus Sipontinienſis.
Hugo epiſcopus Gallienſis.
Girardus epiſcopus Reatinus.
Iſidorus epiſcopus Balneoregienſis.
Regino epiſcopus Populonienſis. E
Heraſmus epiſcopus Signenſis, archiepiſcopus Aliphanæ.
Cumbertus epiſcopus Maurinenſis.
Atto epiſcopus Novarenſis.
Henricus epiſcopus Iporigenſis.
VV. epiſcopus Populoniæ.
Ubertus epiſcopus Januenſis.
Duatus epiſcopus Corbinenſis.
J. epiſcopus Trebenſis.
J. epiſcopus Alathenenſis.
Placidus epiſcopus Herolanenſis.
Hujuſmodi omnes ſubſcripſerunt.

Poſt ſubſcriptiones eodem in codice ſcriptum eſt hoc

ANNO CHRISTI 876.

hoc decretum, quod an hujus sit, an alterius concilii, incertum est.

Si quis laicus juramentum violando prophanat quod debet regi vel domino suo; ejusque regnum dolose atque perverse tractaverit, in christum Domini manum miserit: prius sæculum relinquat, arma deponat, & in monasterium eat, & serviat ibi cunctis diebus vitæ suæ. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut clericus, consilium dederit, & hoc etiam perpetraverit: ab officio deponatur, & ad exitum vitæ eucharistiam corporis & sanguinis Domini percipiat.

FINEM *hic faciebamus hujus voluminis. Sed cum admonuisset typographus, vacuas aliquot paginas superesse: iis implendis, hæc quæ sequuntur, submisimus.*

ANNO CHRISTI 876.

" Extat supra pag. 280

"** ADDIT. AD CONC. PONTIGONENSE" anni DCCCLXXVI.

AFfertur a Severtio in historia archiepiscopatus Lugdunensis instrumentum confirmationis Carilocensis monasterii in Pontigonensi concilio factæ: quod ita se habet:

Sanctissimis atque reverentissimis totius religionis fratribus tam præsentibus, quam & futuris, ubique veritati sub nutu Domini famulantibus: sacrosanctum concilium episcoporum Gallicanorum optabilem summæ ac individuæ Trinitatis gratiam.

DUM in nomine Domini Jesu Christi, omnium rerum domini, ejus Incarnationis DCCCLXXVI. anno, imperii quoque domini Caroli serenissimi atque piissimi imperatoris Augusti primo, mense Junio, Indictione IX. ab universis Galliarum partibus in Pontigonum celebre palatium prædicti principis, solicitatissima commonitione, ob studium Divinorum obsequiorum convenissemus: nonnulli quibusdam suarum opportunitatum votis nos adquiescere & providere petentes, optarunt ut unanimiter eis etiam in futuro, sicut mos a sanctis patribus cum fide sanctæ pietatis emanavit, consuleremus. Inter quæ R. confrater & coepiscopus Robertus, Valentinensis ecclesiæ venerabilis episcopus, nostram humilitatem expetiit, ut cujusdam voti sui modum, intentionem, & executionem perpendentes, qualiter imposterum cassari quibuslibet oppositionum machinationibus, aut fraudibus nequiret omnimodis, prudenti deliberatione prospiceremus. Siquidem sanctus frater noster & coepiscopus, una cum fratre suo germano Eduardo, quem cælestis dispositio nostro jam vocavit e sæculo, succensus Divino amore, cœnobium quoddam per manus venerabilis abbatis Gausmari, suorumque monachorum, fundare atque construere, in possessione propria, in pago Matiscensi, super fluvium qui dicitur Scorvinus, non longe a flumine Ligeri elegit, & ejusdem suæ proprietatis dominum nostrum heredem instituit. Quem etiam locum, quod fuerit minus gratum, Carilocum vocari voluit. Et ut promptissimam suam voluntatem, tam superstes, quamque jam nunc viam universæ carnis ingressus, evidenter ostenderent, publico testamento cunctam hujus rei seriem allegarunt. Prædictus itaque præsul fratris sui superstes, tanti nostri conventus unanimem fraternitatem exoravit, ut ejus voti retributionisque participes in Christo Jesu Domino nostro, privilegium sacerdotali roborandum autoritate, præcepto nihilominus imperialis munificentiæ confirmandum, ei, fratribusque inibi Domino famulaturis concederemus, & more solito nostrum assensum propriis subscriptionibus panderemus, & secundum quod fieri firmitatis gratia solet, obtestationis vinculo omnem temeritatem malignantium obviaremus, ne forte cœpta minui vel perturbari quolibet possint instinctu. Igitur debita caritate fraternam in Christo Domino nostro benevolentiam suscipimus, & hoc privilegium sic moderate, ut idem frater noster juxta petitionem suam, dum advixerit, præfati Cariloci dispositionem per abbatem & monachos, omnem exhibendo tuitionem & solicitudinem, veluti patrem decet, obtineat: & ut effectum monasterii perfectius assequatur, prudentissime satagat. Dum autem eum Dominus omnium in meliorem vitam sustulerit cælesti sorte, nullus suorum propinquorum, aut aliarum quarumcunque personarum, ejusdem loci sibi potestatem usurpet, aut in aliquo dominari pertentet: sed liceat ibi sanctis monachis normam suæ religionis nullis obstantibus exercere, & expedita dominatione libere disponere, ut in omnibus benedicatur Deus: nec fas sit jure proprietatis, possessiones eorum, aut hactenus traditas, aut deinceps pro remedio animarum a fidelibus conferendas, sinistro quolibet ingenio præsumere: sed habeant potestatem liberam monachi, Domino, sanctisque martyribus Stephano & Fortunato, ac sibi concessis dominari, & in militia cælestis conversationis suam ex eis voluntatem exequi. Si quis vero, absit, hujus privilegii destructor, aut in ejus destructionem fraudulentus machinator, in posterum emerserit, salutem persequens: secundum potestatem ligandi atque solvendi ab ipso D. Jesu Christo nobis traditam, æterno vinculo damnationis extra beatorum requiem alligamus, cum omnibus qui ei in hoc nequissimo facto consentiunt; nisi hoc & actor ejusque sequaces correxerint: qui, quod ad multarum salutem animarum provisum est, impie non timent infringere. Obsecramus etiam qui hanc piæ devotionis scripturam legerint, vel audierint, omnes fratres nostros, sed & religiosos abbates, ut voluntate sua nostræ faveant; & si rogati fuerint, propriis subscriptionibus nostram sententiam confirment.

Ego Aurelianus Lugdunensis ecclesiæ archiepiscopus, hoc privilegium relegens in Christi nomine roboravi.
Otramnus Viennensis ecclesiæ archiepiscopus.
Hincmarus Remensis archiepiscopus.
Joannes Rotomagensis archiepiscopus.
Isaac sanctæ Lingonensis ecclesiæ episcopus.
Lambertus Matiscensis episcopus.
Wilebertus Catalaunorum episcopus.
Bermundus Ebredunensis episcopus.
Anselmus Lemovicensis ecclesiæ episcopus.
Birico Vapincensis episcopus.
Gilbardus Cabilonensis episcopus.
Abbo Nivernensis episcopus.
Hildeboldus Suessionicæ ecclesiæ episcopus.
Bernarius Gratianopolitanus episcopus.
Berardus Verdunensis episcopus.
Hairardus Lexoviensis ecclesiæ episcopus.

Hil-

Anno Christi 876.

A Hildebrannus Sagiensis ecclesiæ episcopus.
Ingelvinus sanctæ Parisiacæ ecclesiæ episcopus.
Otulfus Tricassinæ ecclesiæ episcopus.
Agilmarus Arvernensis ecclesiæ episcopus.
Theodericus Vesontiensis episcopus.
Rostagnus Arelatensis ecclesiæ episcopus.
Frotarius Dei pietate Bituricensis archiepiscopus.
Ansegisus Senonum archiepiscopus.
Gislebertus Carnotensis episcopus.
Adalgarius Eduorum episcopus.
Hemico Deensis episcopus.
Atherius Vivariensis episcopus.
Willelmus Cadurcensis episcopus.
B Hadelbertus Silvanectensis episcopus.
Odo Belgivagorum episcopus.
Arnaldus sanctæ Tullensis ecclesiæ episcopus.
Joannes Cameracensis ecclesiæ episcopus.
Hedenulfus sanctæ Laudunensis ecclesiæ episc.
Saginandus Constantiensis ecclesiæ episcopus.
Erchambertus Bajocensis episcopus.
Aldumnus Avinionensis episcopus.
Agenulfus Gabalensis episcopus.
Leuboinus ecclesiæ Lugdunensis chorepiscopus.
Segaldus archidiac. ecclesiæ Turon. legatus.
Grympharius, Waino, Bego, abbates.
Gumertus Corbeiensis monasterii abbas.
C Bernardus Solemniacensis monasterii abbas.
Carnulfus Belliloci monasterii abbas.

Data Kalendas Junias, Indictione VIII. anno XXXIII. regni Caroli gloriosissimi Augusti in Francia, & imperii ejus primo.

Actum in Pontigono palatio in Dei nomine feliciter.

Mainardus scripsit rogatus.

Anno Christi 901.

** SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA anno Christi DCCCCI.

Super quartis nuptiis Leonis Sapientis Imp.

D *Congregandæ synodi hæc causa fuit. Leo Imp. cognomento Sapiens, defuncta tertia conjuge Eudocia, quartam duxit Zoën Carbonopsinæ filiam. Cum autem quartas nuptias Basilius Leonis parens irritas esse ac nullas edicto sanxisset; cum tertiæ & ab hoc ipso Leone prius severissime prohibitæ, & canonicis alioqui pœnis obnoxiæ apud Græcos essent: Nicolaus cognomento Mysticus, CP. Patriarcha Leonis assentiri consilio, quantumvis rogatus, renuit: Thomam Presbyterum, qui huic matrimonio ecclesiastico ritu benedixerat, deposuit; imperatorem ipsum ecclesiæ aditu prohibuit. Autores sunt Curopalates, Cedrenus, Glycas, Zonaras, & alii. Esse autem id a Nicolao factum in concilio,* E *intelligimus ex prooemio tomi unionis, sive novellæ Constantini Porphyrogeniti, quæ habetur tomo I. Iuris Græco-Romani a Leunclavio editi, libro II. Verba ejus sunt:* ὁ πατριάρχης δὲ Νικόλαος καὶ οἱ μητροπολῖται [illegible] τῆς ἐκκλησίας. Patriarcha Nicolaus, & metropolitæ, imperatorem ecclesia excludunt.

Hinc throno dejectus est jussu Leonis Nicolaus, & in exilium actus; ejusque in locum Euthymius ecclesiasticis suffragiis allectus est. Quod a synodo altera factum esse nulla usquam mentio, nisi in Annalibus Eutychii Alexandrini patriarchæ: cujus narrationem, quam usquequaque veram præstare nolim, hic tibi ex Latina Seldeni interpretatione repræsento:

Anno Christi 901.

A Cum Leoni, *inquit*, imperatori Romano mortua esset uxor, nulla relicta prole, aliam ille uxorem ducere voluit; at prohibuit ipsum Nicolaus patriarcha Constantinopolitanus, dicens: Non est tibi licitum uxorem ducere, siquidem anagnostes es, & precibus sacerdotum consecratus: quod si uxorem duxeris, non licet tibi ad altare accedere. Cui Leo: Uxorem ducere cupio, quo sit mihi filius qui post me regnum hereditario possideat. At non permisit ipsi patriarcha conjugium. Scripsit ergo Leo imperator ad patriarcham Romanum, Michaelem patriarcham Alexandrinum, Eliam Mansuri filium, patriarcham Hierosolymitanum, & Simeonem Zarnaki filium, Antiochenum, rogans ut B ad ipsum accederent; quo dispicerent, liceret necne ipsi uxorem ducere. At noluit eorum quispiam ad ipsum accedere, nisi quod singuli nomine suo legatum mitterent. Ac legatis se adjungentes episcopi quidam Constantinopoli, de negotio imperatoris dispicientes, matrimonium ipsi licitum pronunciarunt. Quare uxorem duxit: natusque est ipsi filius, quem Constantinum appellavit. Cumque Nicolaum patriarcham cathedra abdicasset, constitutus est ipsius loco '' Anthimus patriarcha Constantinopolitanus.

'' Euthymius.

C *Placet hic addere Nicolai patriarchæ litteras ad Romanum pontificem de hoc argumento duas, huic illustrando loco summe utiles.*

Sanctissimo papæ veteris Romæ, Nicolaus patriarcha CP. de tetragamia a Romanis recepta.

Inde principium scribendi sumam, beatiss. pater, unde nobis tot mala promanarunt. Post tertiæ uxoris obitum subiit optimi atque dilecti nobis imperatoris animum, quartum quoque connubium experiri velle: quod nemo ante, nedum privatus, verum etiam amplioris gradus, sub ditione Romana ausus fuerat. Quæ enim tam effuse petulans libido refragantibus sanctorum canonum sancitis non cohiberetur; nisi summo imperio suffulta, licere sibi censeret; quidquid concupisset? Vicit ergo ad extremum amor, quartaque jam uxor expetita est: puer autem obtentui assumptus, qui pridem ab ea genitus, successioni imperii nullo prolis adhuc subsidio innixi destinabatur. Quod quidem fieri minime debuerat: neque enim partus subsecutus illegitimam conjunctionem ratam effecit. Alioquin obvium unicuique & in promptu foret legibus illudere. Hunc imperatoris conatum ecclesia Orientalis, pro eo ac gravitas rei postulabat, tam moleste tulit, ut conspiranti antistitum consensu solemnem illam pompam Augustorum filiis exhiberi solitam (id enim pater flagrantissime cupierat) in baptizando puero vetuerit: nisi prius a se mulieris missionem juraret Imperator. Quod & ore præstitit promptissime, quamvis aliud animo occulte volveret. Nondum enim triduum a baptismo filii effluxerat, cum pueri mater in palatium, ut principis decet nuptam, apparatu regifico accitur: cæremoniæ expediuntur nuptiales, nullius sacerdotis interventu, imperatore ipso & sponsi & auspicis munus exequente. Quod quidem non aliter ac si fundamenta totius fidei convellerentur, non præsules modo, clericosque cujuscunque ordinis commovit; verum etiam totam simul civitatem perculit. Me autem quid agere

ANNO CHRISTI 901.

re tunc aliud oportuit, quam quod amico, antistiti, excubitori de ecclesiæ dignitate, principisque salute dies noctesque cogitanti agere par erat? Primum quidem ad genua ipsius, immo ad pedes usque provolutus & monebam, eum ut errantem, & ut imperatorem obsecrabam, vereretur fastigium dignitatis augustæ, in qua non secus ac in facie vel tantillum quidem maculæ occuli vix potest; agnosceret longe se sublimiorem regem tam inauditum facinus cælitus ulturum; non ideo principes legibus exolvi, ut vitam per omne scelus impunes ac infrænes agant, sed ut sibi leges ipsi sint, virtutis præscripto mores componentes. Postremam conditionem afferebam lacrymis obortis, aut saltem secubaret a muliere tantisper, donec acciti Romæ veteris, cæterarumque patriarchalium sedium legati, nobiscum quid facto opus esset, disceptarent.

His ergo tunc verbis nihil profuturis (obstruxerat enim tunc aures ejus amor) regem fatigabam: cum interim Roma adveniunt legati, quos ille (sic enim publice sermonibus divulgabatur) connubio firmando evocarat. Res sane, si quæris, hominibus nostris indignissima est visa, summoque cum dedecore conjuncta: quippe quæ procurationem mihi debitam aliis deferret, provincias patriarchales, jam pridem inter se patrum sanctionibus discretas, turpiter confunderet: nefarium scelus olim ab ecclesia dira execratione vetitum, in jus denuo nullo servato jure revocaret. Non ignoro a calumniatoribus jactatum, me per superbiam, legatorum conspectum atque colloquium sprevisse: quasi vero mihi integrum fuerit, aut palam adire viros summa passim invidia flagrantes ob rumorem, quem plerique sparserant, adesse reprobatarum a nobis nuptiarum assertores; aut ipse imperatori non suaserim, secretum nobis in palatio cum legatis congrediendi locum daret, ubi remotis arbitris, de quæstione ista nuptiali disceptaremus. Quod ille facere neglexit, in meam unius perniciem animo intentus, quam quidem ita consutis dolis est aggressus. Primum omnium, nonnullos nostrorum præsulum partim donis, partim pollicitationibus illectos, quasi suas peculiares adversus me copias conscripsit: deinde me jussit in regiam accersiri ad convivium, quod illi instruere quotannis in beati Tryphonis festo moris erat.

Accedo imperterrita fretus conscientia, solemni cœtui intersum, epulis accumbo: inter sacra mensæ denique abripior, atque navigio impositus in exilium agor immitissimum, non amico, non famulo, non libro denique, cujus lectione me solari possem, fugam comitante: ubi non tam hiemis rigore, rerumque omnium egestate pressus, quam custodum violentia pene enectus, diu mansi. Pari inclementia in reliquos sanioris consilii sævitum est. Carcere, relegatione, vinculis afflicti omnes, deliquisse pœna tantummodo creduntur. Accessit, ne quid plane nobis deesset mali, aut superesset præsidii, legatorum asperitas: qui, non secus ac si Roma ad indicendum nobis bellum huc delati essent, nos indignissimis modis oppugnarunt. tantum miserorum odium, tantus contemptus ordinis homines incesserat. Et quidem decebat, primatum ecclesiasticum sibi vendicantes, rem totam serio inquirere, atque ad summum Pontif. referre; non autem per summam injuriam atque ludibrium eorum damnationi assentiri, qui nullius affines culpæ, principis indignationem incurrerunt ob id solum, quia fornicationis labem sunt abominati. Verum esto, duos aut tres viros, delatorum hinc calumniis, inde potentiorum prece, seu precio expugnatos, humani aliquid, cum homines sint, pati potuisse: Occidentales præsules meris inimicorum mendaciis inductos, innocentium exilium suo confirmasse suffragio, quis ferat? Præsertim cum indicta causa aliquem damnare, ne barbari quidem, nedum Romani moris usquam fuerit.

At facto dispensationis nomen, ut audio, prætenditur: quasi vero per ullam dispensationem liceat fidei dignitatem, ecclesiæ disciplinam, imminuere, effractisque canonum repagulis fornicationem introducere in sancta: aut non inter nascentis evangelii initia hujusmodi crimen apostolorum sanctionibus, una cum immolatitiis & suffocato, vetitum non fuerit. Dispensatio, ni fallor, cum sibi imitandam proponat Dei miserationem, quæ delictum aufert, non fovet, salutaris quædam condescensio censenda est: peccatori quidem manum, ut se humo attollat, porrigens, non autem jacere permittens lapso. Non describo, quæ in hanc sententiam retulit vas electionis, cum sint nota omnibus: miror magis, cur nos eo potissimum relegamur nomine, quod vestigiis inhærentes patrum, damnata ab illis non permittimus: ecclesiæ decreta, animarum nobis a Deo creditarum salutem, principis gratia, seu indignatione potiora ducimus.

Non deerunt fortasse, qui objicient, errori suo latebram quærentes, hoc de quo lis est, matrimonium esse metum, non autem fornicationem. Itane vero matrimonium vocatur immunda cum quarta muliere conjunctio? Et quid aliud est vim inferre verbis, si dira lascivientis animi libido tam honesto nomine prætenditur? Honorabile connubium Paulus appellat, & genialem torum impollutum: cur igitur eos qui hujuscemodi culpæ succubuere, sacri canones ab ecclesia ejiciunt? cur brutalem hanc luxuriam, & fines humanos supergressam vocant? At Romanis id in more positum. (non enim desunt qui id dicant, laudine id vobis, an vitio vertentes, non sat scio.) Nam apud vos, si famæ credimus, non modo quarta uxor, verum quinta & sexta, & super hanc alia atque alia permittitur, usque ad orci fauces inexhausta illa dispensatione omnes prosequente, illud subinde Apostoli verbum ingerente: *Satius est nubere, quam uri.* Quasi vero ille intemperantiæ patronus induci debeat, qui ne omnibus quidem secundas nuptias suasit, dum ait: *Dico autem innuptis & viduis, bonum esse illis sic permanere; quod si continere nequeunt, nubant*: viduis quidem mulieribus permittens secundum connubium ob sexus imbecillitatem, viris autem non item, nisi his tantum qui matrimonii jugum nondum sunt experti: his enim nubere satius, quam uri. Alioquin si cum quarta muliere connubium est, cur illud Clemens tam aperte damnat? Clemens, inquam, ille alumnus atque auditor Petri. Sic enim apud eum legitur: Monogamia quidem naturæ, atque legi consentanea est: digamia vero post promissionem illegitima, non ob conjunctionem, verum propter mendacium; trigamia intemperantiæ indicium: quæ autem trigamiæ additur, aperta fornicatio est, & indubia incontinentia.

At non unus e plebe, sed imperator est, qui id aggreditur, cujus voluntati refragari nefas. Præclare sane. An quia omnes ille dignitate supereminet, ideo nobis enitendum, ut inquinatior

[Margin notes: Hæc nimis ecclesiæ Græcæ severitas, nunquam Romanæ probata. — 1. Cor. 7. — Ibid. — Apocryphus liber]

ANNO CHRISTI 901.

tior quoque reliquis appareat? Eadem ratione, pedum, ne luto respergantur, summam curam adhibebimus: capitis prorsus nullam? Apage, nonne vides ad principis vitam, tanquam ad exemplum, populorum conformari mores, pronumque magis esse prava imitari, naturali quadam ad deteriora humani ingenii inclinatione? Quod si principibus viris, quia potestas a Deo major eis attribuitur, ideo nequam agere plus licet: quid inter eos, & jumenta differet, quæ copia reddit efferatiora, contumeliosioraque? Potentes potenter examinabuntur, monet ille. Quinimmo, si in idem crimen tribunus, & miles gregarius impegerit, magis hoc illum disciplina puniet castrensis, adeo dignitas non mitigat, sed incendit pœnam. Neque vero a me in eum sensum hæc dicuntur, ut velim diris a vobis impeti imperatorem tale nefas ausum, ipsumque Sergium pontificem prædecessorem vestrum. Non ea mens animo: nec tantæ vindictæ amor, Dei servos decet. Ambo hac vita excessere pridem, supremi omnium judicis tribunal adituri: ille vero antequam hinc emigraret, agnovit flebiliter errorem suum, veniamque a Deo petiit, me inter primos hortatore, ac deprecatore. (aderam enim tunc forte ab exilio reversus, ab eoque ecclesiæ gubernationi restitutus) In eos animadvertendum, beatissime pater, qui supersunt, qui tot in me, tantasque turbas criminationibus falsis excitarunt. Ita tuæ erunt partes; id a te dignitas primum tua, Romanæque sedis decus exigit; id qui nunc rerum potitur imperator, misso ad te palatii magistro, nosque omnes obnixe petimus atque obsecramus. Deus sanctitatem tuam incolumem servet.

G. C. Scripta est hæc epistola ad Anastasium papam: siquidem mortuo jam Sergio, imperante autem Alexandro Leonis fratre. Utrumque enim ex ipsis epistolæ verbis constat. Scripsit deinde Nicolaus idem ad Joannem X. sequentes litteras.

Joanni beatissimo papæ, &c.

QUOT quantisque ærumnarum fluctibus per XV. annos jactati simus, (tot enim plus minus effluxere, ex quo primum scandala ecclesiam Constantinopolitanam pervagata, omnia turbarunt) & meminisse mihi permolestum est, beatissime pater, & memorare scienti tibi supervacuum. Læta potius amicis, & coexcubitoribus impartiri juvat, ecclesiæ nempe pacem subsecutam, conspirantemque omnium ordinum in his quæ sunt fidei, consensum. Cum enim in eo esset res, ut nulla amplius spes humanis experimentis nostra metientibus superesse videretur: affulsit subito illa captum omnis intellectus supergressa pax, Dominus scilicet & Deus noster JESUS CHRISTUS, qui sævam illam hiemem atque tempestatem communis hostis opera coortam in ipsa halcyonia mutavit: adeo ut nullum penitus dissensionis vestigium remanserit, nulla odii cicatrix: omnes velut ex condicto veterum obliti, idem plane sentiunt; omnes sanctæ matris ecclesiæ, quæ eos obviis ulnis diu expectarat, optatissimum eunt in amplexum. Et nostræ quidem ita se res habent. Verum quia & vestram fraternam dilectionem, cujus erga nos officia temporum difficultatibus intermissa sunt, expetimus, & consuetam ecclesiis unionem optamus: ideo has ad vos dare litteras decrevimus, ut omnis offensionis memoria deposita, sanctitatem vestram ad sinceram amicitiam atque conjunctionem animorum, pastoribus populorum debitam, provocaremus; quæ tum demum missis hinc inde legatis coalescet, cum judicatum fuerit concorditer, quartum connubium, quod dissensiones & scandala in ecclesiam invexit, non rei ipsius, sed personæ causa permissum esse; suadente tunc occasione lenitatem atque affectum erga principem indulgentiorem, ne repulsa ipsius animus offensus deteriora moliretur. Sic enim & sanctitatis tuæ nomen ex sacro ecclesiæ Constantinopolitanæ albo, ut mos olim erat, una cum nostro rursus celebrabitur; & nos omni ex parte gaudio repleti, jucunditate pacis perfruemur. Enimvero ut huic curæ sedulo incumbas, te iterum atque iterum rogat Deo dilectus imperator, oratore Romam ad tuam sanctitatem destinato Cl. V. Basilio protospathario, & aurei triclinii præfecto, cui nos comitem itineris, curarumque conscium adjunximus Eulogium, honorabilem presbyterum. Hos tu, beatissime pater, & excipies (uti spero) fronte hilari, & nos mutuis legationis officiis remunerabis: Joanni venerabili episcopo, cujus apud nos jam experta virtus, id munus, si expedire videbitur, injungens, aut alicui alii moribus illi non absimili, qui si qua sunt adhuc correctionis indiga, doctrina atque consilio emendare valeat nobiscum, juxta ecclesiasticas constitutiones. Vale in Domino, beatissime pater.

ANNO CHRISTI 901.

** RATHERII VERONENSIS EPISCOPI synodica ad presbyteros, & ordines cæteros forinsecus, id est, per universam diœcesim constitutos.

Ratherius creatus est episc. Veron. anno 931.

Ex Tomo II. Spicilegii Dacheriani.

QUIA mirari vos scio, immo murmurare, quod est pejus, non nescio, quod tertio jam vos vocavi, & quasi nihil vobiscum egi. Ne frustra hoc me fecisse putetis, fateor quia explorandi vos causa hoc feci, & quales vos me inventurum æstimavi, tales, proh nefas! inveni. Congruere mihi infelicissimo illud statim de Sapientiæ visum est libro: *Ne jocunderis in filiis stultis, si multiplicentur: ne oblecteris in eis, si non est timor Dei cum illis.* Eccli. 16. 1.

Moneo igitur paternaliter, & præcipio pastoraliter, ut dicentis Apostoli reminiscentes, quia *sine fide impossibile est placere Deo*; hoc est, sine credulitate, quæ nobis per apostolos, eorumque est successores tradita: & quia *justus ex fide*, id est credulitate sua, *vivit*: &, *quidquid sine fide*, hoc est credulitate Dei, *est, peccatum est*: *fides* autem, id est credulitas Dei, *si non habeat opera bona, mortua est in semetipsa*: ipsam fidem, id est credulitatem Dei, trifarie parare memoriter festinetis, hoc est, secundum symbolum, id est, collationem apostolorum, sicut in psalteriis correctis invenitur; & illam quæ ad missam canitur; & illam sancti Athanasii, quæ ita incipit: *Quicunque vult salvus esse.* Quicunque vult ergo sacerdos in nostra parochia esse, aut fieri, aut permanere: illa, fratres, memoriter nobis recitet, cum proximo a nobis huc vocatus fuerit.

Heb. 11. 6. Rom. 1. 17. Ibid. Iacob. 2. 17.

Moneo & jam vos de die Dominico, ut cogitetis, aut si cogitare nescitis, interrogetis, quare ita vocetur: usu enim quotidiano illas res dominicas dicimus, quæ proprie ad dominos pertinent illarum. Eo itaque sensu Dominica dicitur dies,

dies, quod proprie ad Dominum, id est, JESUM Christum pertineat. Cum vero omnes dies ipsius sint, sicut & omnia quæ sunt in cælo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyssis: inquirendum quare ista solum dicatur illius esse. Nimirum quia ipse in ea resurrexit. Sed in quibus Kalendis? Non cures, de die solummodo cogita. Quinta feria post vesperum est traditus, sexta crucifixus, septima quievit in sepulcro, octava resurrexit a mortuis, & inter duorum dierum partem, sive trium integritatem noctium, vel triduo, ut promiserat, facto, a corde, id est interioribus, terræ ad apostolos rediit. Hinc ipsa octava sive prima feria, dies vocatur Dominica: & in quocunque Kalendarum die evenerit, semper est pascha, id est transitus Domini de morte ad vitam: & uno modo, quicquid manduces, vel bibas, est observanda. Unde autem observanda? Ab opere servili. Quod autem est opus servile? Peccatum: qui enim peccat, diabolo servit. Si ergo omni die Dominico est pascha, quærendum quid nobis faciendum in ea. Apostolus dicat: *Pascha*, inquit, *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Quare pascha est Christus? Quia pro nobis immolatus. Cur immolatus? Ut pro nobis moreretur. Sicut utique antea ille immolabatur, cujus sanguine liberandus ab Ægypto populus purgabatur: ita ergo & iste propterea est immolatus, ut moreretur; propterea occisus, ut nos per sanguinem ipsius a vastatore mundi angelo, id est diabolo, liberati, de Ægypto, id est inferno, erueremur; & per mare rubrum, hoc est baptismum sanguine Domini rubeum, per desertum præsentis vitæ educti, ad terram repromissionis, id est vitam æternam, pervenire possemus. Habes pascha, id est transitum bonum; habes agnum pro te occisum; transisti mare rubrum; graderis per desertum. Vide quo graderis: stude pervenias quo venire tibi expedit. Labora cum Dei adjutorio, ne aut in Ægyptum redeas, aut in deserto pereas, sed ad patriam cælestem pervenias. In Ægyptum vero te redire cognosce, si peccatum quod deseruisti, præsumis repetere. Peris vero in deserto, si non perseveras in labore & opere bono.

1. Cor. 5. 7.

Sed redeamus ad Apostolum: *Pascha*, inquit, *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Postea: *Itaque epulemur*. Putas quod dicat, crapulæ & ebrietati vacemus? Nequaquam. Sequitur enim: *Non in fermento veteri*, id est inflatione ventris, vel tumore anterioris peccati, aut affectu ad transacta scelera redeundi, vel alia perpetrandi. *Neque in fermento malitiæ & nequitiæ; sed in azymis sinceritatis & veritatis*. Id est, ut in opere justi, in cogitatione simplices, in sermone simus veraces. Quando? Omni tempore. Præcipue vero in paschali solemnitate, hoc est, omni Dominica anni integri die. Si enim Dominica est Domini, utique non nostra dies est; si Domini est, reverentia Domini est honoranda. Sed cujus domini? Revera, qui nos, cum non essemus, fecit; qui nos, cum perditi fuissemus, refecit; qui nos gubernat, alit, nutrit, defendit; qui vitam nostram, quousque illi placuerit, hic continet, cum noluerit, eam hinc mutabit, & aut meliorem, pro meritis, aut reddet pejorem: postremo qui nos judicabit, & aut in inferno fine fine damnabit, aut in cælo æternaliter coronabit. Talis igitur ac tantæ potestatis domini cum hæc sit proprie dies, honoretur, ut eam pro decentia tanti domini decet. Honorari vero nullo modo, nisi

Ibid. v. 8.

A ordinabiliter valet. Nisi enim parasceve sabbatum antecedat, sabbatum diem Dominicam, dies non est ullatenus Dominica.

Quid est autem parasceve? Apostolus dicat: *Probet autem*, ait, *seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*. Quo pane? Qui ait: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*. De quo calice? *Calix tuus inebrians quam præclarus est!* Id est, Christus suo nos sanguine satians, quam pulcher, id est, speciosus forma præ filiis hominum! Qui ergo panis, ipse est agnus; qui agnus, ipse Christus; qui Christus, ipse est pascha; qui pascha, ipse pro nobis immolatus. Ipse est dies, quam non operando, sed gignendo coæternaliter, fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. B Ipse est, inquam, dies, ipse Dominus, cujus ista est dies. De sabbato illius quid facimus? *Vacate*, ait per Psalmistam Dominus, *& videte, quia ego sum Deus*. Sabbatum vero vacatio dicitur, vel requies, id est, ut quiescamus ab operibus malis, & vacemus Divinis obsequiis. Parasceve autem præparatio dicitur, hoc est, ut præparemus cordium nostrorum habitacula venturo ad nos per corporis & sanguinis sui substantiam Christo. Si ergo omnis octava dies est Dominica, Dominica vero pro resurrectione Domini dicta: vel, sicut perlepide quidam invenitur dixisse, omnes quia dies Dominus fecit imperio suo, Dominicum fecit sanguine suo, & ædificavit precio suo. C Omnes dies Dominici parasceve vel sabbato indigent: parasceve autem, id est præparatio, non est aliud nisi quod protulimus, hoc est, ut probet seipsum homo, id est disquirat, cujus affectus sit, hoc est, si in voluntate cum Dei gratia meliorationis, aut in duritia pejorationis consistit. Si illud primum jus in conscientia sua invenit, præsumens de misericordia Dei, cum lactucis agrestibus, id est contritione cordis, & amaritudine gemitus, accinctis renibus comedat agnum. Si non: suadere non audeo ut faciat, viderit quisque quid agat. Omnis ergo dies Dominicus ideo est paschalis, quia resurrectione Domini decoratus: pascha vero nostrum ideo est Christus, quia pro nobis immolatus. D

1. Cor. 11. 28.

Ioan. 6. 41.

Psal. 22. 5.

Ibid. 45. 11.

Omni ergo Dominica nobis clamat Apostolus: *Itaque epulemur*, id est, carnem Domini manducemus, & sanguinem ipsius bibamus. Ubi sunt autem qui quotidie missam celebrant, quotidie pascha faciunt, id est, carnem agni comedunt, & sanguinem ejus bibunt, &, ut cætera sileam de coitu adulterino filios & filias generant? Ubi qui hesternam ebrietatem, vel crapulam, ante altare Domini super ipsam carnem vel sanguinem ructuant agni? Qui litibus continuis occupantur, qui cupiditia æstuant, qui invidia vel odio tabescunt, qui his quos ut se diligere debuerant, deceptionum laqueos tendere nullatenus cessant? Quando talium quis parasceve jam dictum, vel sabbatum fecit? Timeo de talibus, & utinam non mei similibus: ne, dum putant comedere agnum, comedant potius hircum; & utinam non illum, qui abductus est in desertum, qui Latine emissarius, Hebraice hazezel, id est, crudelis Dei interpretatur; quem qui in desertum emisit, castra solummodo Dei non est ingredi dignus, nisi loto prius corpore, & vestibus omnibus; sed hœdum potius, quarta decima qui die ad vesperam ab omni est populo immolatus. Væ enim illis quibus tantum bonum in tam magnum vertitur malum, hoc est, mansuetudo Dei in crudelitatem: dum comedentes utique carnem, & sanguinem ejus bibentes indigne,

1. Cor. 5. 8.

E

digne, judicium sibi manducant & bibunt. Væ, A inquam, nobis miseris, & millies væ. Cum enim sacerdotes non ob aliud vocemur, nisi quia sacrum conficere, & dare populo debemus; scriptura vero sancta dicat e contra: *Quicquid tetigerit immundus, immundum erit:* quomodo saltem dici valet aliquid sacrum immundissimis manibus nostris tractatum? Et cum specialis noster doctor atque provisor, beatus utique Zeno, dicat, in sermone utique quem de Juda filio Jacob, & Thamar nuru ipsius, elegantissime composuit; quod omnium corrupte viventium diabolus pater sit: quid valet quod in conspectu omnium qui nos sciunt corrupte vivere, id est luxuriæ deservire, clamamus Deo: *Pater noster qui es in cælis:* cum ille nobis per prophetam statim respondeat: *Si pater ego, ubi est amor meus?* Quid enim facis pro amore meo? Quid infectum relinquis pro timore meo? Ista, & illis similia, quia vos penitus nescire doleo, immo de talibus nil curare gemisco, pastoraliter ut addiscere festinetis præcipio: & quia sermone ignoratis, bono exemplo Dei populum erudire quæso studeatis.

Num. 19. 22.

Matt. 6. 9.

Malac. 1. 6.

Ammonemus etiam & obsecramus, sicut alibi scriptum invenimus, fraternitatem vestram, ut de communi salute vestra cogitantes, attentius audiatis ammonitionem nostram; & quæ vobis suggerimus, memoriæ commendetis, & opere exercere studeatis. In primis ammonemus ut C vita & conversatio vestra irreprehensibilis sit, scilicet ut cella vestra sit juxta ecclesiam, & in ea feminas non habeatis. Omni nocte ad nocturnos surgite, cursum vestrum certis horis decantate. Missarum celebrationes religiose peragite. Corpus & sanguinem Domini cum timore & reverentia sumite. Vasa sancta propriis manibus abluite, & extergite. Nullus cantet missam nisi jejunus, nullus cantet qui non communicet; nullus cantet sine amictu, alba, stola, fanone, & planeta: & hæc vestimenta nitida, & ad nullos usus alios sint. Nullus cum alba qua in suos usus utitur, præsumat missam cantare. Nullus cum cultellis foris pendentibus, nullus cum calcaribus. Nulla femina ad altare accedat, nec calicem Domini tangat. D Corporale mundissimum sit. Altare coopertum de mundis linteis: super altare nihil ponatur, nisi capsæ & reliquiæ, aut forte quatuor evangelia, & pyxis * cum corpore Domini ad viaticum infirmis; cætera in nitido loco recondantur. Missalem plenarium, lectionarium, & antiphonarium, unaquæque ecclesia habeat. Locus in secretario, aut juxta altare sit præparatus, ubi aqua effundi possit quando vasa sacra abluuntur: & ibi vas nitidum cum aqua pendeat, ibique manus lavet post communionem.

Hinc usque ad penultimam lineam columnæ sequentis, ubi asteriscus est ad marginem, pars est homiliæ Leonis IV. editæ supra, tomo VIII. pag. 35.

* al. buxida.

Nullus extra ecclesiam per domos, aut in locis non consecratis, missam cantet. Nullus solus missam cantet. Calicem & oblatam recta cruce E signate, id est, non in circulo & variatione digitorum, ut plurimi faciunt; sed strictis duobus digitis, & pollice intus incluso, per quos Trinitas innuitur, istud signum + recte facere studete. Non enim aliter quicquam potestis benedicere. Infirmos visitate, & eos reconciliate; & juxta Apostolum, oleo sancto ungite, & propria manu communicate. Et nullus præsumat tradere communionem laico aut feminæ, ad deferendum infirmo. Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium vel munus exigat. Videte ne per negligentiam vestram ullus infans sine baptismo moriatur.

Jacob. 5. 14.

Nullus vestrum sit ebriosus & litigiosus, quia servum Domini non oportet litigare. Nullus vestrum arma ferat in seditione, quia arma nostra debent esse spiritalia. Nullus canum aut avium iocis inserviat. Nolite in tabernis bibere. Curam pauperum & orphanorum, ac peregrinorum, habete, & eos ad prandiola vestra invitate. Estote hospitales, ut alii a vobis exemplum capiant bonum. Omni die Dominica ante missam aquam benedictam facite, unde populus aspergatur, & ad hoc solum vas habete. Sacra vasa & vestimenta sacerdotalia nolite in pignore dare negotiatori aut tabernario. Nullus vestrum minus digne pœnitentem cujuscunque rei gratia ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis B ferat. Nullus vestrum usuras exigat, & conductor fœnoris existat. Res & facultates quas post diem ordinationis vestræ acquiritis, sciatis ad ecclesiam pertinere. Nullus sine scientia & consensu nostro ecclesiam acquirat. Nullus per potestatem sæcularium ecclesiam obtineat. Nullus per pecuniam alterius ecclesiam supplantet. Nullus ecclesiam ad quam titulatus est, relinquat, & ad aliam quæstus causa migret. In alterius parochia missam nullus cantet absque parochiani presbyteri, si præsens est, voluntate & rogatu. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare & bibere vinum, nisi pro eo ad præsens eleemosynam fecerit.

Nullus præsumat baptizare nisi in vigilia Paschæ & Pentecostes, nisi propter periculum mortis. Unusquisque fontes habeat, & si non potest habere lapideos, habeat aliud vas ad hoc præparatum, in quo nil aliud fiat. Videte ut omnibus parochianis vestris symbolum & orationem Dominicam insinuetis. Jejunium quatuor temporum, & rogationum, & litaniæ majoris, plebibus vestris omnimodis observandum insinuate: feria quarta ante quadragesimam, plebem ad confessionem invitate, & ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in pœnitentiali scriptum est. Quater in anno, id est Natali Domini, & Cœna Domini, Pascha, & Pentecoste, omnes fideles ad communionem corporis & sanguinis Domini accedere ammonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abstinere exhortamini; eulogias post missam in diebus festis plebi tribuite.

Nullus sine stola in itinere incedat: nullus induatur vestimentis laicalibus: nullus rem, aut possessionem, aut mancipium ecclesiæ vendere, aut commutare, aut quocunque ingenio alienare præsumat: diem Dominicum & alias festivitates absque opere servili a vespera in vesperam celebrare docete. Carmina diabolica, quæ super mortuos nocturnis horis vulgus cantare solet, & cachinnos quos exercent sub contestatione Dei omnipotentis, vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus illis præsumat missam cantare, sed & plebibus vobis commissis hoc annunciate. Ad nuptias nullus vestrum eat. Omnibus denunciate ut nullus uxorem accipiat, nisi publice celebratis nuptiis. Raptum omnimodis prohibete, & ut nullus ad proximam sanguinis sui accedat, & ut alterius sponsam nullus ducat. Porcarios, & alios pastores, vel Dominico die ad missam venire facite. Patroni filiis suis symbolum & orationem Dominicam insinuent, aut insinuari faciant. Chrisma semper sub cera sit aut sub sigillo, propter quosdam infideles.

Volumus autem scire de quolibet presbytero, si ex

ex ingenuis parentibus sit natus, aut ex conditione servili, aut si de nostra parochia natus est, aut ordinatus, vel ad quem locum prætitulatus. Si servus fuit, ostendat chartam libertatis: si de alia parochia, ostendat litteras commendatitias, quas formatas vocant. De ministerio etiam vobis commisso vos ammonere curamus, ut unusquisque vestrum, si fieri potest, expositionem symboli, & orationis Dominicæ, juxta traditionem orthodoxorum penes se scriptam habeat, & eam pleniter intelligat, & inde, si novit, prædicando, populum sibi commissum sedulo instruat; si non, saltem teneat, vel credat. Orationes missæ & canonem bene intelligat, & si non, saltem memoriter ac distincte proferre valeat: epistolam & evangelium bene legere possit, & utinam saltem ad litteram ejus sensum posset manifestare. Psalmorum verba, & distinctiones, regulariter ex corde cum canticis consuetudinariis pronunciare sciat. Sermonem, ut superius dixi, Athanasii episcopi, de fide Trinitatis, cujus initium est, *Quicunque vult*, memoriter teneat. Exorcismos, & orationes ad catechumenum faciendum, ad fontem quoque consecrandum, & reliquas preces super masculum & feminam, pluraliter, ac singulariter, distinctéque proferre valeat; similiter ordinem baptizandi, ad succurrendum infirmis, ordinem quoque reconciliandi, juxta modum sibi canonice reservatum, atque ungendi infirmos; orationes quoque, eidem necessitati competentes, bene saltem sciat legere. Similiter ordinem & preces in exequiis agendis defunctorum. Similiter exorcismos & benedictiones salis & aquæ memoriter teneat. Canticum nocturnum atque diurnum noverit Compotum minorem, id est, epactas, concurrentes, regulares, terminum paschalem, & reliquos, si est possibile, sapiat. Martyrologium, & pœnitentialem habeat, & cætera. De ordinandis pro certo scitote, quod a nobis nullo modo promovebuntur, nisi aut in civitate nostra, aut in aliquo monasterio, vel apud quemlibet sapientem ad tempus conversati fuerint, & litteris aliquantulum eruditi, ut idonei videantur ecclesiasticæ dignitati.

Cum autoritas quoque contineat ecclesiastica, ut de rebus ecclesiasticis quatuor fieri debeant partes, e quibus una episcopi, altera fabricæ ecclesiæ, tertia clericorum, quarta debeat esse pauperum & hospitum: si vestram pleniter habetis, de illis quæ ad episcopum, fabricam, vel pauperes pertinent, nullam invidiam habeatis: reminiscentes Dominum præcepisse: *Non concupisces rem proximi tui: & de re quæ ad te non pertinet, ne sollicitus fueris.* (Exod. 20. 17.) De ipsa vero quæ ad vos pertinet, fidem inter vos habetote, & communiter eam dividite, sive sit magna, sive sit modica, scientes Apostolum dixisse: *Nemo circumveniat in negotio*, id est causa aliqua, *fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de omnibus his, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.* (1. Thess. 4. 6.) Noveritis etiam quod melius sit omni Christiano fraudem pati, quam inferre.

Quadragesimam, exceptis diebus Dominicis, æqualiter facite: si enim uno die jejunas, altero crapularis, non quadragesimam, sed vigesimam fecisti. In adventu Domini, nisi festivitas intercedat, quatuor hebdomadibus a carne noveritis abstinendum, & coitu. In natale Domini viginti diebus ac noctibus a coitu etiam licito omnino cessandum. Similiter in octavis Paschæ & Pentecostes, litaniarum, & omnium festivitatum vigiliis, sextis etiam feriis, præcipue autem omnibus diebus vel noctibus Dominicis. Autoritate etiam paschalis festivitatis compellente monemus vestram dilectionem, in Christo fratres sinceriter diligendi, ut secunda, tertia, quarta, & quinta feria hebdomadæ majoris, jejunetis usque ad nonam, exceptis parvulis, & senio gravi confectis, atque infirmis. Quinta feria, hora nona ad ecclesiam matrem omnes reconciliandi venite. Sexta feria usque ad nonam jejunate, & cui placet, amplius. Septima feria ante horam decimam nullus præsumat missam cantare, nec baptismum generale agere. Qui si pro infirmitate aliquis jejunare non potest, proficiat ei jejunium quod generalis facit ecclesia: omnes enim in Christo unum corpus sumus: tantum nullus sua importunitate universitatem ecclesiæ nostræ contra Dominum compellat delinquere, & tam gloriosam festivitatem in aliquo violare. De occultis peccatis pœnitentiam vos dare posse scitote, de publicis ad nos referendum agnoscite. Clericum nemo vestrum sine licentia faciat nostra: nullus balbum, vel ultra mensuram blæsum: nullus eum qui de litteris durum habet sensum. Si festivitas, quæ non sit sanctæ Dei genitricis MARIÆ, aut apostolorum, evenerit in quadragesima, vel quatuor temporum jejuniis: magis jejunium tenendum, quam festivitatem celebrandam scitote, (nisi forte illius sancti sit festivitas, qui in eadem parochia jacet) quia nulla solemnitate amplius delectatur Deus, quam illo jejunio, quo a cibis abstinetur & vitiis. Otiositas quoque inimica est animæ. Videte si absque horum quæ præmisimus, scientia, ministerium vestrum facere possitis, & plebes vobis commissas ad vitam ducere, & Christo repræsentare.

FINIS

APPENDICIS TOMI IX.



